

P. THOMÆ COMPTONI CARLETON CANTABRIGIENSIS E SOCIETATE IESV

PHILOSOPHIA VNIVERSA.



ANTVERPIÆ, APVD IACOBVM MEVRSIVM ANNO M. DC. LXIV.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

D. MAXIMILIANO

COM. PAL. RHENI.

VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI.

S. R. I. ARCHIDAPIFERO

ELECTORI

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

IVre tuo poſtulas (SERENISSIME PRINCEPS) vt labores hi Philoſophici non ſub alterius luce Nominis, lucem aſpiciant quam Tui. Cum enim in hoc Leodienſi Gentis noſtræ Collegio, quòd Tuâ liberalitate erectum, auſpiciis Tuis & benignitate perſtat, pietate fouetur, floret munificentiâ, plures iam annos ſacratioribus Muſis, ſtudiis, inquam, altioribus operam demus, quicquid in hoc genere prodit non tam noſtrum eſt, quam Tuum: non tam damus, quàm multis Tibi nominibus debitum reddimus. Dilatat ſe nimirum Magnificentia Bauarica, nec Germaniæ tantùm Tuæ limitibus coërcetur, ſed ad exteras etiam Gentes diffuſa ipſius adeò noui Orbis alioq; ſole calentes Regiones peruaſit, vbi Te Auctore Sereniſſima Domus Tua Pietatis Vexillum erexit. Meritò proinde Tuam hanc Munificen-



tiam copioso illi Paradisi Fonti cum ipso nascente mundo scaturienti (quem tibi in huius operis fronte appinxi) comparamus: vt enim is olim aquarum, ita hæc Beneficentiæ riuis terram omnem irrigat, ad fructus haud paulò terrenis præstantiores proferendos.

Sed vt alios Fontis huius riuos & brachia, diuersarum Gentium, ac Nationum linguis prædicanda relinquam, ramus certè ille qui benignò ad nos flexu deriuatur, liberalitas, inquam, quâ nostrum hoc, veriùs Tuum Collegium, in laborantis Angliæ subsidium Tuo ære extructum, honestissimo ac perpetuo censu auxisti, grati animi à nobis testificationem requirit. Erexisti ergò non tam Maiestatis, & Magnificentiæ, quàm Pietatis Bauaricæ monimentum, vt nimirum essent qui non verbo tantùm sed sanguinis etiam ac vitæ profusione (quod tres nuper ex hoc ipso Tuo Collegio, cælo, terraque spectantibus, fortissimè præstiterunt) Religionem, Fidemque Catholicam tuerentur, quique suâ morte vitam aliis compararent: quorum operâ, laboribus, industriâ, exemplo, quot Animæ ex ignorantiæ tenebris eruuntur, tot Coronæ Tuæ inseruntur lucidissimæ gemmæ, quæ maiorem ei splendorem afferent, quàm quotquot nouus Orbis, vastique illi Indiarum tractus Margaritas submittunt, vtpote quarum fulgor nullis, non temporis tantùm, sed nec æternitatis spatiis extinguetur.

Obuersabatur nempe Tibi ante oculos felicissimus ille olim Britanniæ status, vbi iuncta Religioni Pietas ità viguit, ità splendorem suum, ac radios longè lateque diffudit, intuentiumque oculos perstrinxit, vt Orbi reliquo summæ quondam admirationi hâc in parte fuerit Anglia, omniumque ætatum ac Nationum calamis

mis celebrata. Isthuc, inquam, versabas animo dolebasque florentissimam Regionem, auitæ Religionis, ac fidei commendatione aliàs nulli secundam, Insulæque verè Fortunatæ appellationem hoc nomine adeptam, cæcâ adeò caligine hodie offusam; ac coopertam esse, densisque iacere tenebris obuolutam: Ad laudatissimum istud opus moliendum, Collegium scilicet Genti nostræ statuendum, Te diuinus aliquis instinctus permouit, vt nimirum & Tuo illo Fonte nascerentur, & essent, qui omni literaturæ, & virtutum genere exculti spissam illam errorum colluuiem diluerent, Angliæque nitorem pristinum & auitæ Pietatis decora restituerent: quodque Rex Lucius dedit Bauariæ; hoc regalis Lucij animi, Zeliqueæmulator MAXIMILIANVS redderet Britanniæ.

Hoc verò singulari est documento quantum Tibi insederit, quamque altas Tuo in pectore radices egerit Pietas, & Beneficentia, quòd homines nullo Tibi præterquam Religionis, Orthodoxæque Fidei vinculo astrictos, arctè adeò sis complexus, vt in summâ etiam temporum difficultate semper constanti Benignitate ac Munificentiâ sis prosequutus. Nullos nimirùm qui in Dei Domo, Ecclesiæ scilicet Catholicæ septis continentur, exteros arbitraris, nullos qui eiusdem Tecum Religionis, Diuiniique Cultûs societate coniunguntur, alienos. Atque vt Ecclesiam & sacra, per tot tamque diuturnas dimicationes, etiam laterum Tuorum interpositione, bonis omnibus applaudentibus Tibique Magnanimitatem ac Zelum gratulantibus defendisti; ita eos qui Fidei defensioni sese ac propagationi deuouerunt, gratiâ foues præcipuâ, beneficentiâ singulari sustentas, eximiâ pietate protegis, eoque clarum

omnibus facis & perſpicuum Bauaricos Leones vt impietati eſſe terribiles, ita afflictæ piorum fortunæ mites ſe præſtare ac benignos.

Accipe ergò hos labores, & Tuæ in Nos Munificentiæ, & noſtri in Te officij indices, quibus non Tibi tantùm ſed Vniuerſo Orbi, noſtram in Te pietatem, deuotionis obſequiique nexum teſtatum cupimus, Deum enixè rogantes vt SERENITATEM Tuam ad ſuum in primis honorem, Eccleſiæ patrocinium, Germaniæ decus, Sereniſsimæ Tuæ Domûs, Tuarum Ditionum ſalutem,, piorumque ſolatium quàm diutiſsimè conſeruet. Leodij 31. Iulij ipſo die glorioſiſsimo noſtro Patriarchæ S. Ignatio ſacro Anno 1649.

SERENITATIS VESTRÆ.

Humillimus Seruus

THOMAS COMPTONVS CARLETON.

SOCIETATIS IESV.

PRÆFA-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Disciplinas omnes & scientias nostro hoc sæculo, hâc in parte felicissimo, ad eum perfectionis apicem eruditissimorum hominum operâ peruenisse cernimus, vt nulla iis fieri videatur posse accessio. Supersedendum proinde vlteriore disquisitione nonnemini videbitur, calamusq; opinor, veluti re confectâ, ad aram appendendus, aut Herculis columnæ ad artes omnes, quasi vltrà procedi nequeat, defigendæ. Secùs res se habet, nullaque in re magis quàm præsente, vbi spatiosus adeò aperitur discurrendi campus, vt nullus terminus præfigi, nulli præscribi limites queant. Par omnibus ingenijs theatrum est Philosophia: in quâ quantumuis feliciter desudarint multi, illamq; acutissimis iuxta ac eruditissimis lucubrationibus illustrarint, non tamen ita partibus eam omnibus expletam, suisq; absolutam numeris reddiderunt, quin excoli in dies magis, nouisq; augeri incrementis possit. Veritas quippe, rerumq; naturalium notitia, cuius indagatrix est Philosophia, ita abstrusa est & latens, ita eam in nodos quosdam & ænigmata Sphinx Natura conclusit, vt quamuis multorum iam annorum spatio à pluribus, vt eam eruerent, fuerit laboratum, magnâ tamen ex parte etiamnum restet eruenda. Sequimur omnes, quotusquisque est qui assequitur. Quâ de causâ non inscitè Antiqui Veritatem in profundum aliquem puteum aufugisse, ibiq; latitare dicebant, seq; mortalium oculis subduxisse. Nec ergo iis, in quorum hæc manus peruenerint, ingratam, nec Rei literariæ inutilem me operam nauaturum existimaui, si annorum plurium labores, quos in hisce commentariis, veritatis indagandæ causa conscriptis posui, in lucem proferrem, maximè, cùm non quæstiones tantùm variæ, sed tractatus etiam integri hîc reperiantur, de quibus hactenus nemo, quod sciam, scripsit, quos Philosophiæ, rerumq; naturalium cognoscendarum studiosis, non exiguam allaturos lucem, & ad optati finis consequutionem non mediocri futuros adiumento sperem.

Adde, ipsam etiam per se varietatem placere, sententiarumq; diuersitatem. plurimumq; ad scientiarum adeptionem conducere: ex mutuo enim diuersa opinantium occursu & concursu, dum hi vnam, illi aliam partem tuentur, varijsq; adductis rationibus, & suæ stabilire fundamenta sententiæ, & alienæ conuellere nituntur, res etiam obscurissimæ paulatim euoluuntur, seq; intuentium veluti oculis subiiciunt: vt enim ex silicum collisione ignis, ita ex ingeniorum inter se commissione veritatis scintillæ promicant.

In plerisque ergo à communi iam & trita in Scholis procedendi ratione dissentio, maximè in Dialectica, aliaque incedo via, quæ & verior mihi

semper

semper, & ad grauissimas tum in Philosophia, tum Theologia difficultates enodandas multo visa est expeditior. Plerique enim hodie Nominalium incedunt semita, totamq; ferme logicam actibus quibusdam obscuris & confusis inuoluunt, ex quibus sua Vniuersalia, cateraq; inde pendentia conficiunt. Cùm ergo modus hic in parte philosophãdi iuxta claram, ingeniosam, acutam, & nunquam satis laudatam Diui Thomæ doctrinam, semper mihi visus sit præstantior, & ad intricatissima quæque declaranda accommodatior, eam hîc pro viribus defendere, & via, quæ ad hoc mihi commoda videtur, illustrare conabor. Nihil in hac procedendi via confusi, nihil obscuri, clara omnia & aperta, dum res per sua prædicata sigillatim euoluitur, & mentali quadam, vt ita dicam, anatomia, in partes quasi dissecatur, rursumq; ex iisdem compingitur.

Erunt fortasse qui hunc philosophandi modum, aliaq; nonnulla hîc tradita probent, erunt qui improbent: nec enim idem omni palato sapit cibus. Ita nimirum hominibus à natura est comparatum, vt non eodem perinde omnes delectentur, sed in contraria plerumque studia ferantur: & vt corpora variarum atque inter se pugnantium qualitatum permixtione temperantur, ita animi diuersis aguntur affectibus, & in id, quod cuique placet, impetu quodam mentis, ac innato veluti pondere rapiuntur, in eoq; tanquam in centro conquiescunt: imò obfirmata sæpe tenacitate ita mordicùs hærent, vt Herculei laboris sit quemquam ab eo, quod semel animo insedit, tantillum dimouere, atque deducere.

In neminem sponte incurro. nec enim mihi vnquam placuit quorundam indoles, (quos tamen non paucos esse animaduerto) quibus prima fuisse cura videtur aliorum dicta impetere, totisq; viribus contendunt, non vt ipsi bene, sed vt alij malè dixisse videantur: sicq; nec quidquam stabiliunt ipsi, nec alios stabilire permittunt, cumque cæterorum omnium placita resecerint, rem tandem in medio relinquunt; destruendi peritiores, quàm ædificandi.

Accedit, quosdam noua in dies dogmata suo arbitratu cudere, veræ Philosophiæ legibus parum consentanea, quæ non tam sua vi ac robore, quàm aliorum silentio inualescunt, apud imperitiores præsertim, & in rebus Philosophicis minus versatos, qui fucatum à vero, sincerum ab adulterino non discernentes, quicquid fulget aurum autumant: & siquid sit, quod nouum quiddam & peregrinum sonet, ipso statim tinnitu placet, pronisq; illud auribus excipiunt, id nimirum vnum spectantes, vt titillatione quadam animum demulceat, quàm firmum sit ac solidum, quamque validis nitatur rationum momentis, nil pensi habent: non enim illud propiùs explorant, non seria & matura inspectione perpendunt, non ad calculos vocant Philosophicos, sed externa specie contenti, leui tantum oculorum coniectu pertranseunt, & hærent quasi in cortice: sicq; lenociniis quibusdam deliniti, in errorum Syrtes veluti Sirenum cantu pertrahuntur.

Hoc ergo malum ne vlteriùs serpat, noua hæc nonnullorum placita, occasione data, in hoc opere confutanda suscepi. Quamuis enim multi sa-

pientia

pientia & eruditione præstantes viri negligenda ea potiùs, & sponte sua ruitura existiment, vtpote nullo nixa fundamento, sicq; figmenta verius quàm opiniones; cùm tamen integrum hic Cursum Philosophicum tradam, vbi frequens his de rebus occurrit mentio, ea penitus omittenda non censeo, ne meum hac in re silentium tacita nonnullis videatur eorum approbatio. Horum itaque, amice lector, confutationem, sicut & reliqua omnia beneuolo animo suscipe: quæ vtinam ad Dei Optimi Maximi honorem, quem in Commentariis hisce scribendis mihi scopum proposui, tuamq; aliquam vtilitatem cedant.

ALEXAN.

ALEXANDER GOTTIFREDVS.

Per Belgium, & Angliam Societatis Iesu Visitator.

CVm P. Thomæ Comptoni nostræ Societatis Philosophiam tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint ac in lucẽ edi posse probauerint, potestate acceptá abadmodum Reuerendo Patre nostro Vincentio Carrafa, eiusdem Societatis Præposito Generali facultatem concedimus vt typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has Litteras manu nostrâ subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Leodij 17. Septembris 1648.

Alexander Gottifredus.

APPROBATIO.

DIsputationes de tota Philosophia, Reuer. P. Thomæ Comptoni Societatis Iesu Theologi, nihil continent fidei aut bonis moribus contrarium; sunt verò dilucidæ, solidæ ac subtiles; quare dignissimas censeo, quæ publico bono typis mandentur. Actum 20. Nouemb. 1648.

Guilielmus Bolognino. S.T.L. Canon. & Lib.
Censor Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei Gratia Hispaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis librum, cui titulus est, R.P. THOMÆ COMPTONI è Societate IESV, *Philosophia Vniuersa* citra IACOBI MEVRSII voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum, in inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXVII. Martij M.DC.LXIV.

Signat.

LOYENS.

ORDO

ORDO
ET SERIES
DISPVTATIONVM,
AC SECTIONVM
EX
INTRODVCTIONE
AD LOGICAM

Proœmium.

EX LOGICA.

Proœmium.

DISPV-

EX PHYSICA.

Sec. 1.

Ex libris de de Animâ.

EX METAPHYSICA.

Proœmium.

INRO-

INTRODVCTIO
AD VNIVERSAM ARISTOTELIS
LOGICAM.

AVCTORE

R. P. THOMA COMPTONO

E SOCIETATE IESV.

PROOEMIVM.



I. *Cur hic tractatus Logicæ præfigatur.* *Ractatus iste, quem Dialecticæ præfigimus, in tyronum, seu Logicæ candidatorum gratiam præmitti de more solet, tum vt vocibus primâ facie peregrinis (iis præsertim, qui absolutis recenter literarum humaniorum studiis, ad dialecticas se exercitationes recipiunt) eorum sensim aures assuescant, linguamque vt ita dicam, illius quam ingressuri sunt patriæ, ac loquendi modum addiscant, disputandique rationem ac methodum: tum vt habeant in quo veluti in leuiori palestrâ, sese tantisper exerceant, & faciliores quasdam velitationes, concertationesque inter se vmbratiles instituant, quò in solem educti ac puluerem expeditius in Dialectico stadio decertent: tum denique vt praegustatis quibusdam, acriori ad fontem, vnde hi riuuli deriuantur, perueniendi, plenoque inde ore bibendi studio ferantur.*

II. *Non rectè vocatur compendium Dialecticæ, seu summula.* *Multum verò à veritate aberrare mihi videntur ij, qui hanc introductionem, quoddam quasi Logicæ compendium nuncupant, & tabulam veluti illius Geographicam, in qua omnes Dialecticæ partes summatim ac breuiter suis quæque lineamentis adumbrentur: Multa namque disputantur in Logica (vt modo ab auctoribus tractatur) vt dum de prædicamentis agitur, prædicabilibus &c. de quibus nullus hic sermo: multa hic proponuntur, de quibus altum in Logica silentium. Mihi ergo dispositio potius quædam ad Logicam appellari posse videtur, qua nimirum Auditorum animi præparantur ad subtiliora illa ac sublimiora quæ in Dialectica traduntur, & haurienda libentius & facilius penetranda: Meritò hoc nomine vocata Introductio.*

DISPVTATIO PRIMA.

De Termino.

SECTIO PRIMA.

De subiecto, Prædicato, & copula.



I. *Compositum Logicum imitatur compositum Physicum.* T compositum Physicum *materiâ, formâ, & vnione*, ita Logicum tribus constat, *Subiecto Prædicato*, & *Copulâ*, seu *vnione*, adeo verum est, Ars Naturam imitatur. *Subiectum* à subiciendo nomen desumit, quod scilicet alteri subiaceat quodammodo, ac supponatur; quâ etiam de causâ *substratum* dici solet, munusque subit materiæ, cui *prædicatum* mentaliter accedit, dum de eo per intellectum affirmatur, sicque vt forma materiam physicè, ita hoc, subiectum intentionaliter afficit, & informat. Tandem vt Vnio extrema illa physica, ita copula (quæ semper est verbum *Sum, es, fui*) subiectum & prædicatum inter se connectit, & copulat. Exempli gratia in hac propositione affirmatiua; *Ignis est calidus*. *Ignis* est subiectum, *calidus*, prædicatum, *est* nexus inter vtrumque intercedens, eaque inter se vniens.

II. *In propositione non spectatur situs verborum, sed sensus.* Aduertendum verò, in propositione parum interesse quo loco voces collocentur. Nec enim situs verborum spectandus est sed sensus: quocumque enim loco verbum *est* statuatur, in principio, medio, vel fine, vt; *Aqua est frigida, est frigida aqua; aqua frigida est*, eadem est propositio & *est* vnionis munere fungitur, significatio enim vt dixi spectanda est, non verborum collocatio.

III. *Quid sit vnum de* Ad vlteriorem horum intelligentiam notandum, prædicari vnum de altero perinde esse ac vnum de

altero prædicari.

altero affirmari, vel vt magis propriè loquamur non est vnum & alterum, sed idem semper est prædicatum & subiectum, alio tamen & alio modo conceptum. Exempli gratia, in hac propositione; *Petrus est doctus*, affirmat pronuntians id quod continetur sub voce *Petrus*, cum eo identificari quod continetur sub voce *doctus*; & sensus est, *habens Petreitatem est habens doctrinam*. Ratione ergo tantùm differunt prædicatum & subiectum, & in subiecto consideratur Petrus vt substans tali figuræ, colori &c. in prædicato verò vt substans doctrinæ, seu vt eam in se continens. Et hic semper est sensus, siue intellectu fiat propositio, siue voce; idem enim voces significant quod conceptus, idem sermone interno & externo, illo nobis, hoc aliis dicimus: de quo disp. 2. Log. iterum recurret sermo.

IV. *Quid sit in Propositione negatiua.*

In propositione verò negatiua contrarium contingit: vt enim in affirmatiuâ Prædicatum identificari asseritur cum subiecto, ita in negatiuâ per adiectionem particulæ *non* vnum de alio negatur, siquidem inter se mente vel voce separantur, & prædicatum remouetur à subiecto: *Contrariorum enim contraria est ratio.* In propositione tamen negatiua æquè requiritur verbum illud substantiuum seu copula atque in affirmatiua, alioquin propositio non esset. Non tamen ponitur simpliciter sed particulâ illâ negatiuâ *non* affecta. Vnde hæc propositio *Album non est dulce* de niue prolata est vera, de lacte falsa.

V. *Sufficit verbum poni implicitè.*

Dum autem dicimus requiri copulam, seu verbum *est*, non est semper necessarium vt ponatur explicitè, sed sufficit adiectio illius implicita, vt in hac propositione *sol lucet*, vbi tacitè includitur verbum *est*: Perinde enim sonat, ac si quis diceret, *est lucens*. Quod autem de tertia persona asseritur, idem de prima, idem de secunda dictum sit, vt; *Ego scribo*; *Tu legis*, & de aliis huiusmodi.

SECTIO II.

Quæ sit natura & definitio Termini.

I. *Variæ acceptiones Termini.*

TErminus variè à variis sumitur. Primò, pro fine cuiusque rei, sic lapis in campis fixus agrorum limites significat: sic mors finis vitæ dicitur, & *vltima linea rerum*. Nonnunquam verò capitur etiam pro initio, sic primum & vltimum punctum in linea dicuntur illius termini. Hic in aliâ acceptione de eo cum Dialecticis disputamus, cum aliquâ tamen ad hæc relatione, vt discursu reliquo patebit.

II. *Reiiciuntur aliquæ Termini definitiones.*

Terminum ergo in præsenti sic aliqui definiunt, & imprimis Soto l. 1. summul. c. 1. *Est vox significatiua ad placitum ex quâ simplex conficitur propositio.* Quæ definitio, vt alias eius impugnationes omittam, hoc saltem peccat, quòd non omni termino, sed soli vocali conueniat, nos autem termini in commune definitionem inquirimus, & quæ omnibus logicis terminis conueniat.

III. *Voces non significatiuæ possunt esse Termini.*

Secunda definitio aliorum est, *terminus est signum ex quo simplex constituitur propositio*: ita docti quidam recentiores. Hæc definitio licèt ob Doctorum auctoritatem sit probabilis, displicet tamen, quia voces non significantes, quæ proinde signa propriè non sunt, possunt esse termini, vt in hac propositione, *blitiri est vox*, nec enim ad rationem termini requiritur vt vox semper supponat pro alio à se distincto, sed sufficit vt supponat pro seipsa. Voces etiam significatiuæ, materialiter seu non vt significantes acceptæ, vt in hac propositione, *nomen est neutrius generis*, *amo est verbum*. non sunt propriè signa, nec supponunt pro rebus à se significatis, sed pro seipsis. Cùm ergo ex his confici possit propositio, non est cur excludantur à ratione terminorum, circa ipsa enim aliquid affirmamus vel negamus, & quasdam de illis proprietates declaramus. Plures aliæ afferuntur termini definitiones, quas ad amussim discutiendi nec otium est nec animus.

IV. *Vera Termini Definitio.*

Dico ergo cum Aristotele primo Priorum cap. 1. *Terminus est extremum in quod resoluitur propositio tanquam in prædicatum & subiectum*: ita Toletus hîc, & alij. Vt aplicatur definitio, *extremum* ponitur loco generis, quia per hoc conuenit terminus cum punctis terminatiuis, quæ sunt extrema lineæ, & cum alio quouis extremo rei cuiuscumque. Per alias particulas differt ab omnibus aliis terminis vel extremis, quæ, sub ea ratione qua termini aliarum rerum sunt, non ponuntur in propositione, nec in ea resoluitur propositio tanquam in *subiectum* & *prædicatum*, sed sunt affectiones quædam & partes quasi integrantes prædicatum & subiectum, vt sunt termini omnes syncategorematici, vt cùm dico, *Petrus est valdè doctus*, prædicatum est *doctus*, *valde* autem per se nil significat, nec est prædicatum, sed affectio quædam prædicati, faciens illud aliter significare, quàm sine hac particulâ significaret.

V. *Terminus à terminando dictus.*

Ratio sumitur primò ex etymologia nominis, terminus enim dicitur à terminando. ergo illa solùm sunt termini, quibus congruit ratio terminandi. Deinde est opinio Aristotelis, quæ hoc ipso momenti plurimum apud quemuis phylosophiæ studiosum habere debet.

VI. *An Propositio esse possit Terminus.*

Dices, hinc sequi, propositionem posse esse terminum, propositio enim potest esse subiectum, vt in hac propositione, *paries est albus est vera propositio*, vbi subiectum est hæc propositio *paries est albus*. Quòd autem hoc sit falsum, sic ostenditur, nam terminus est pars propositionis, pars autem realiter distinguitur à toto, ergo. Resp. concedendo sequelam: cùm enim de propositione integrà affirmari aliquid possit, vel negari, poterit esse subiectum. Nec propositio tantum, sed integer etiam syllogismus potest esse subiectum in propositione simplici seu categoricâ, ac proinde terminus; exempli g. si quis dicat, *omne totum est maius suâ parte, sed homo est totum, & caput pars, ergo homo est maior capite est bonus syllogismus*, vbi integer syllogismus est subiectum. Ad id verò quod affertur, terminum scilicet esse partem propositionis, Resp. terminum esse partem propositionis, cuius est terminus, non autem illius cuius non est terminus, nec pars, sed totum: nil autem repugnat, id quod in se est totum quoddam, respectu alterius esse partem, vt in capite respectu hominis, linea respectu superficiei, & omnium hoc clarissimè apparet in exercitu, vel aceruo lapidum. Sic propositio per se sumpta, est totum quoddam, si tamen fiat subiectum alterius propositionis, erit pars illius & terminus.

VII. *Occurritur cuidam obiectioni.*

Instabis, in hac propositione. *Petrus est homo est vera propositio*, ibi prior pars, nempe *Petrus est homo*, non est propositio, nec totum, sed tantùm pars. Contra, ergo illa propositio, *Petrus est homo est vera propositio*, est falsa, nam affirmat illa verba *Petrus est homo* esse propositionem, quod tamen est falsum si propositio non sit. Quod autem non consistat & quiescat in ea mens tanquam in sensu aliquo integro, & completo, sed vlteriùs tendat, nil obstat propositioni, sic enim nec in propositione hypotheticâ propositiones categoricæ, ex quibus constatur, essent propositiones, cùm mens vlteriùs tendat, vt in hac, *Petrus currit & Paulus scribit*, cùm tamen de essentia propositionis hypotheticæ sit constare ex duabus simplicibus, seu categoricis inter se copulatis. Sufficit ergo ad propositionem quòd in ea sistere possit intellectus, esto de facto non sistat, sed tendat vlteriùs.

VIII. *Definitio esse debet clarior Definito.*

Dices secundò, bona definitio debet esse clarior definito, sed hæc non est clarior, minor probatur

primò,

primò, nam definitur terminus per propositionem, sed æquè difficile est scire quid sit propositio, ac quid sit terminus, ergo.

Secundò, definitur terminus hac definitione per subiectum & prædicatum; subiectum autem & prædicatum sunt obscuriora termino in communi, nam includunt naturam termini, & aliquid illi superaddunt, nempe peculiarem rationem prædicati, vel subiecti, ergo.

IX. Resp. primò posse nos cognoscere ordinem ad aliquid aliud, licèt illud aliud non perfectè semper cognoscamus: v.g. non potest quis perfectè cognoscere relationem creaturæ ad Deum, quin ipsum Deum cognoscat, qui est illius ordinis seu relationis origo & terminus, & tamen difficilius est cognoscere Deum perfectè quàm hanc relationem, ergo aliquando relatio ad aliquem terminum est cognitu facilior quàm ipse terminus, quod & in præsenti potest contingere.

X. Resp. secundò, sufficere quòd id quod ponitur in definitione, sit clarius quoad nos, licèt fortè in se & reipsa sit æquè vel magis difficile, si enim nos aliunde habeamus aliquam notitiam illius per quod aliud definitur, poterimus maiorem cognitionem illius quod ignoramus, per aliud quod intelligimus, comparare.

XI. *Nostra Termini Definitio non aduersatur antiquis.*

Dices tertiò, nostram sententiam esse contra omnes antiquos, nullus enim ex antiquis asseruit propositionem esse posse terminum, quod tamen à nobis supra concessum est, ergo. Resp. negando antecedens; ad probationem distinguo antecedens, nullus antiquorum id asseruit explicitè, & expressis verbis, concedo antecedens, implicitè, & æquiualentibus, nego. Dum enim Aristoteles dicit prædicatum & subiectum esse terminum, eâdem operâ affirmat propositionem posse esse terminum, cùm prædicatum aut subiectum esse possit.

SECTIO III.

Dubia quædam soluuntur circa termini definitionem.

I. *Dubium circa Propositionem hypotheticam.*

QVæres primò, vtrùm propositio categorica componens cum aliâ simili propositionem hypotheticam, vt *sol lucet, & nix liquescit*, sit in illa terminus. Resp. non esse, licèt enim illæ duæ propositiones simplices sint extrema propositionis hypotheticæ & inter se vnitæ per coniunctionem *&*, atque in illas resoluatur hypothetica propositio, non tamen in eas resoluitur tanquam in *prædicatum & subiectum*, vna enim propositio ibi non est prædicatum vel subiectum, respectu alterius, nec enim affirmo de sole lucente niuem liquescere, sed habent se quasi disparatè. Vnde in definitione termini à nobis traditâ genus non est tantùm ly *extremum* sed hæc omnia, *extremum in quod resoluitur propositio*, differentia *tanquam in prædicatum & subiectum*.

II. Dices, ergo non conueniunt inter se in ratione propositionis hypothetica & categorica, cùm vna constet ex terminis, non altera. Resp. primò, negando sequelam, nam essentia propositionis non explicatur in ordine ad terminos formaliter, sed in ordine ad affirmationem vel negationem vnius de alio, Aristoteles enim primo Prior c. 1. propositionem definit, quòd sit *alicuius de aliquo affirmatiua negatiuaue oratio*. Cùm ergo in hoc, hypothetica conueniat cum categoricâ, non differet ab eâ nisi quoad modum, nempe quòd affirmèt copulatè, & categorica solùm simpliciter, quæ est merè materialis differentia.

III. *Quomodo Propositio*

Deinde dico, habere propositionem hypotheticam terminos in quos tanquam in subiectum & prædicatum resoluatur, non immediatè, sed mediatè; immediatè enim resoluitur in duas propositiones categoricas, quæ, vt ibi, termini non sunt, cùm propositiones illæ duæ categoricæ subiectum & prædicatum in propositione hypothetica non sint, vt dixi nec esse possint, cùm non *de se inuicem, nec de aliis, nec alia de ipsis affirmentur*. Mediatè tamen resoluitur in terminos, quia immediatè resoluitur in propositiones categoricas quæ in terminos immediatè resoluuntur. Sicut equus & leo immediatè resolui dicuntur in corpus & animam, seu materiam & formam, mediatè in puncta & partes proportionales, quia materia eorum & forma immediatè in illa resoluuntur.

hypothetica resoluatur in Terminos.

IV. Quæres secundò, vtrùm verbum *est*, seu vnio prædicati & subiecti sit terminus? Certum est primò, si materialiter sumatur, posse esse terminum, vt si dicas, *est est verbum, est est vnio* &c. Quæstio ergo procedit in propositione formali, & vbi exercet rationem vnionis, vt in hac & similibus, *Petrus est homo*.

V. *Vtrum copula in propositione dici possit Terminus.*

Probabilius mihi videtur etiam in his & similibus propositionibus, vnionem ad terminum reduci posse. Ratio est primò, quia termini syncategorematici aliquo modo ad terminos reducuntur, ad prædicatum scilicet & subiectum tanquam affectiones eorum, sed vnio est etiam affectio extremorum, ergo reduci poterit aliquo modo ad rationem termini: Maior constat ex explicatione definitionis termini suprà positâ: Minor probatur, vnio est nexus extremorum inter se, ergo essentialiter ea afficit, sicut vnio inter materiam & formam leonis, vel hominis. Conf. vnio est terminus syncategorematicus, per se nihil significans, sed faciens extrema aliter significare quàm antea significabant, cur ergo excluderetur à ratione termini, saltem syncategorematici, communis autem sensus Dialecticorum est terminos syncategorematicos esse terminos, sic enim ab omnibus appellantur.

VI. *Copula est Terminus reductiuè, & vt quo.*

Dices, vnio non potest esse prædicatum, vel subiectum, ergo nec terminus, hæc est enim termini definitio. Resp. primò, distinguendo consequens, ergo nec terminus, strictè sumptâ ratione termini, concedo consequentiam, ergo nec terminus reductiuè, nego; dicimus enim vnionem seu *est* in tantum esse terminum in quantum est affectio prædicati & subiecti, qua ratione termini syncategorematici vocantur termini. Resp. secundò, distinguendo antecedens, non potest vnio esse subiectum vel prædicatum vt *quod*, concedo consequentiam, vt *quo*, nego: esse autem subiectum vel prædicatum vt *quo*, est esse rationem per quam aliqua sunt subiectum & prædicatum, quod in præsenti contingit, nam vox *homo*, quæ antea non erat subiectum, & vox *animal*, quæ non erat prædicatum, si interponatur *est*, fiunt subiectum & prædicatum, vt *homo est animal*. Vnde sicut corpus & anima, homine iam mortuo, non sunt actu partes illius, sicut tamen partes si denuo vniantur, sicque vnio respectu corporis & animæ dicitur pars, non vt *quod*, sed vt *quo*, ita in præsenti.

Quid sit esse Terminum vt quo.

VII. *Medium simpliciter, & secundum quid.*

Dices secundò, vnio in propositione essentialiter est medium inter extrema, ergo non potest vllâ ratione subire rationem extremi. Distinguo antecedens, est medium simpliciter & vt *quod*, nego antecedens, vt *quo* & secundum quid, concedo: vnde non obstante hac vnione, dicuntur nihilominus extrema immediatè inter se vniri, quod dici non posset, si aliquid vt *quod* intercederet. Exempli gratia, rami non dicuntur immediatè vniri radici in arbore, quia mediat truncus, nec manus humero; quia mediat brachium; anima verò & corpus, non obstante vnione intermediâ, dicuntur ab omnibus im-

mediatè inter se vniri, quia tantùm mediat aliquid vt *quo.*

VIII. Vnde ad consequentiam Resp. primò, esto non possit esse extremum, potest tamen esse affectio extremi, quod sufficit vt sit terminus reductiuè, vt supra dictum est Resp. secundò, distinguendo consequens eodem modo quo antecedens, non potest esse extremum *vt quod*, concedo consequentiam, sic enim requireret aliam vnionem qua vniretur, & illa aliam, & sic in infinitum: non potest esse extremum *vt quo*, seu non potest esse ratio per quam aliud sit extremum, aut prædicatum & subiectum, nego.

IX. *Modus defendendi vnionem non esse Terminum.* Quod si quis defendere velit vnionem non esse omnino terminum, cùm sit essentialiter medium inter terminos, non abnuo; tunc verò interpretari debet definitionem termini ab Aristotele traditam, vt tantùm intelligatur de subiecto & prædicato *vt quod*, seu de principali, quod non incongruè defendi potest.

X. *An verba extra propositionem sint Termini.* Quæres tertiò, vtrùm vox *homo* v.g. extra propositionem sit terminus; videtur enim secundum nostram termini definitionem non esse, cùm extra propositionem non sit prædicatum nec subiectum, nam, nisi dum actu in propositione est, nihil de eâ affirmatur vel negatur. Dico tamen, etiam extra propositionem, illam & similes voces esse terminos, ad hoc enim vt sint termini, sufficit quòd aptitudinaliter seu potentia sint prædicatum & subiectum, id est, quatum est ex se, sint proximè aptæ vt constituant propositionem, & fiant in actu secundo prædicatum & subiectum. Vnde actualis compositio propositionis est proprietas tantùm, non essentia termini.

XI. *Verba in definitionibus non important actum, sed potentiam.* Non est ergo ex hoc capite quin definitio termini ab Aristotele tradita sit essentialis, *verba enim in definitionibus non important actum, sed potentiam*: sic dicimus, *planta est qua vegetat, animal quod sentit, homo qui ratiocinatur*, & tamen actualis ratiocinatio non est de essentia hominis, sic enim homo dormiens non esset homo. Item Porphyrius tractatu de quinque vniuersalibus definit genus esse *id quod prædicatur de pluribus differentibus specie*, & tamen certum est actualem prædicationem non esse de essentia generis.

XII. Dices primò, si actualis compositio propositionis sit proprietas termini, ergo semper reperitur cum essentiâ, proprietas enim sine passio separari ab essentia non potest. At sanè qui hoc obiicit, non videtur recordatus quatuor esse proprietatum species, inter quas tertia earum est quæ *omni conueniunt non tamen semper*, vt ridere & ratiocinari proprietates sunt hominis, licèt non rideat semper, nec sæpè ratiocinetur.

Dic. secundò, terminus à terminando dicitur, sicut & signum à significando, ergo non est terminus actu vel signum, nisi dum actu terminat & significat, ergo nullæ voces extra propositionem sunt termini. Concessu antecedente, nego consequentiam, non enim idem est esse terminum actu & terminare actu, licèt non sumatur nominis etymologia, sicut iuxta S. Thomam licèt *lapis* dicatur *à lædendo pedem*, est tamen actu lapis quando non actu lædit pedem. Sic etiam ramus appensus est signum vini vendibilis, etiam quando nemini actu significat esse vinum illic vendibile. Sicut similiter licèt mensura dicatur à mensurando, vlna v.g. decempeda, vel modius, sunt tamen actu mensuræ licèt nullus actu iis vtatur, vt enim actu mensuræ sint, sufficit quòd aptitudinem proximam ex parte sui habeant ad metiendum. XIII. *Non est ulla esse Terminus actu. & actu terminare.*

Quæres quartò, vtrùm literæ possint esse termini? Resp. si solitariè sumantur, posse, vt si quis dicat, *A est litera* &c. tunc enim possunt componere propositionem, & esse prædicata & subiecta. Idem est de vocibus non significatiuis. Si verò non sumantur solitariè, sed vt componunt verba immediatè, mediatè propositionem, non sunt termini, sed constitutiuâ quædam & integrantia terminorum. XIV. *Num literæ A. B C. possint esse Termini.*

Quæres quintò, vtrùm definitio illa, quam ex Aristotele suprà statuimus termini, essentialis sit, an accidentalis. Resp. licèt actualitas illa quam verbis præ se fert, non obstet quo minùs essentialis esse possit, vt suprà diximus, cùm *verba in definitionibus non important actum*, absolutè tamen puto non esse essentialem, sed accidentalem. Ratio est, quia essentia alicuius rei est primus illius conceptus, ergo definitio illa quæ non traditur per primum seu primarium conceptum, sed solùm per secundarium, non erit essentialis, at huiusmodi est præsens definitio, ergo: Probatur subsumptum, traditur hæc definitio per *resolui*, sed hic est tantùm secundarius conceptus termini, non primarius, & proprietas eius, non essentia, ergo: Minor probatur, prius est terminum constituere propositionem, seu esse aptum ad illam constituendam, quàm resolui, nihil enim resolui potest in aliquid, nisi quod ex eo priùs componitur; cùm resoluere aliquid, sit illud in partes dissoluere, ergo prius est terminos esse aptos ad construendam propositionem, quàm in illos posse propositionem resolui, ergo posse constituere propositionem est primarius termini conceptus, & illius essentia. Vnde essentialis termini definitio hoc modo à priori assignari posset, *terminus est extremum ex quo constituitur propositio tanquam ex prædicato & subiecto.* XV. *Hæc Termini definitio est accidentalis.* *Essentialis Termini definitio.*

DISPVTATIO II.

De Diuisione Terminorum.

SECTIO PRIMA.

Terminus Mentalis, vocalis, & Scriptus.

I. *Terminus Mentalis. Vocalis, & scriptus.* Diuiditur primò Terminus in *mentalem, vocalem, & scriptum*, iuxta tres modos quibus homines loquuntur. In *mentalem*, qui in propositionibus mentalibus reperitur, quibus quis secum loquitur, seu quod eodem recidit, res intelligit; *vocalem* in ordine ad propositionem vocalem vt alis animi sui sensa aperiat, seu vt cum aliis loquatur: & in *scriptum*, quia voces transeunt & non sunt permanentes, nec totæ simul, nec omnibus præsentes, & ob eam causam inuenta est scriptura, quæ est veluti locutio quædam permanens.

II. *Terminus mentalis non datur realiter, sed tantùm ratione.* Terminus ergo mentalis *est extremum, ex quo constituitur propositio mentalis*, quæ licèt simplex qualitas sit, potest tamen mente distingui, & considerari prout correspondet rei quam repræsentat pro subiecto, & rei quam repræsentat pro prædicato, sicque formaliter à se distingui, & hac ratione esse prædicatum & subiectum repræsentatiuè & *vt quo*, seu id per quod res sunt prædicatum & subiectum, sicque diuiditur propositio mentalis in partes seu terminos, non realiter, sed formaliter distinctos. Simplex autem terminus mentalis seu extra propositionem *Non reponuntur contra Propositionem.*

nem nunquam cum alio simili termino propositionem mentalem componere potest, cùm sit realiter ab illo distinctus, licèt accommodatione quadam nonnulli ad terminum mentalem reducant, quatenus repræsentat id extra propositionem quod alius in eâ repræsentat. Terminus vocalis est *extremum ex quo constituitur propositio vocalis tanquam ex subiecto & prædicato.*

Terminus vocalis

III. Hic de voce obiter notandum occurrit, esse eam hominibus & bestiis communem, vox namque definitur ab Aristotele secundo de Ani. tex. 9. his verbis, *vox est sonus ab ore animalis prolatus, cum imaginatione qua sant aliquid significandi*, saltem delectationem illam quam in ipsâ voce emittendâ percipit: Vnde 7. Pol. c. 2. ait idem Aristoteles, *vox est molesti & iucundi significatio*; quare tussis, & sonus cicadarum alis efformatus, non vocali arteriâ, voces non sunt, sicut nec alia omnia quæ vel non ore, vel non cum imaginatione significandi efformantur.

Vocis definitio, & quibus communis.

IV. Quæri hic solet, vtrùm ratio termini primariò conueniat *vocali*, & *scripto*, an *mentali*. Resp. in ratione formali termini iuxta definitionem Aristotelis à nobis suprà explicatam, magis primariò conuenire rationem termini termino *vocali* & *scripto*, quàm mentali. Ratio est breuiter, quia terminus *est extremum in quod resoluitur propositio tanquam in subiectum & prædicatum*, propositio autem mentalis propriè in se prædicatum & subiectum non habet, cùm vna pars propositionis de alterâ non affirmetur, quippe quæ partes non habet.

SECTIO II.

Diuiditur Terminus in significatiuum, & non significatiuum.

I. SEcundò diuiditur Terminus vocalis & scriptus in *significatiuum*, & *non significatiuum*. In significatiuum, vt *homo, equus, leo* &c. non significatiuum, vt *Blitiri, Syndapsis*. Vnde vel ex ipsa diuisione constat, falsum esse quod dicunt aliqui, *Blitiri* in propositione esse signum sui, seu se significare, sic enim nullus esset terminus non significatiuus, ac proinde falsò à Dialecticis assignata esset hæc diuisio. Per terminum significatiuum intellige significatiuum ad placitum, nam nulla est vox, quæ non significat naturaliter suum prolatorem; sicque per accidens potest eadem vox esse signum naturale simul & ad placitum respectu eiusdem, vt vox *homo* ab homine prolata, aut si Petrus de se loquatur. Tandem voces aliquæ sunt mixtæ, vt *mugitus, sibilus*, & similes, quæ & naturali sono referunt, & ad placitum significant id ad quod imponuntur.

Terminus significatiuus, & non significatiuus.

Vox naturaliter significat suũ prolatorẽ.

Voces mixtæ.

II. Dices, voces significare res naturaliter, ergo non ad placitum; antecedens probatur, homo enim est naturaliter sermocinatiuus, & animal sociabile, ergo debuit natura prouidere ipsi instrumenta, quibus naturaliter mentem suam aperiret, ergo voces significant naturaliter, alioquin non fuisset illi sufficienter à naturâ prospectum. Resp. negando primum antecedens. Ad probationem dico, sæpe facultatem operandi naturalem esse, cùm tamen instrumenta per artem sint fabricata. Sufficienter ergo egit cum homine natura quòd rationem ei tribuerit, qua possit sibi instrumenta ad conceptus aperiendos comparare. Sicut licèt hominem nasci voluerit nudum, cùm cæteris animalibus vestes tribuat, sufficienter tamen illi prouidit, cùm rationem & alia instrumenta illi dederit, quibus aptare sibi vestes possit.

Homo animal sociabile.

Abunde à natura homini prospectũ.

III. Dices secundò, quod est essentiale seu de essentia alicuius rei, est illi naturale, sed est de essentia vocum significare, ergo & naturale, ergo naturaliter significant, non ad placitum. Resp. primò distinguendo minorem, est de essentia vocum significare postquam est eis imposita significatio, concedo minorem, antequam imponatur significatio, nego, sicque negatur consequentia. Secundò Resp. distinguendo maiorem, id quod est alicui essentiale, est illi naturale, id est, essentia sine eo consistere non potest, concedo maiorem, est illi naturale, id est, non impositum ab aliis, nego: ipsa enim essentia est ad placitum, & ab hominum voluntate pendens. Sicut in re artificiali, quæ eadem & artificialis est & naturalis seu naturam aliquam habet ab aliis distinctam, vt in imagine, quæ per artem fit, vbi ipsa essentia & natura imaginis fit per artem, & est artificialis. Sic in præsenti eadem essentia est naturalis suppositâ impositione, & ad placitum, cùm ipsa impositio fit ad placitum.

IV. Obiicies contra hanc diuisionem termini in significatiuum & non significatiuum; nam nullus videtur terminus non significatiuus, ergo mala definitio: Probatur antecedens, nullus est terminus ex quo componi non possit propositio significatiua, ergo nullus est terminus non significatiuus; patet consequentia, quia *propositio est oratio verum vel falsum affirmans aut negans*, ergo omnes partes debent significare, propositio autem nihil est aliud quàm eius partes, sicut nec homo quàm partes hominis vnitæ. Conf. quia si possit propositio componi ex vno termino significatiuo, & alio non significatiuo, propositio erit & significatiua & non significatiua, quod implicat.

V. Ad argumentum resp. negando primum antecedens, ad probationem concesso antecedente, nego consequentiam, ad cuius probationem dico, vt propositio affirmet aliquid vel neget, imò vt sit significatiua, non requiri vt vtraque pars significet, sed sufficit quòd altera significet, sicut vt homo dicatur corporeus, sufficit quòd altera eius pars sit corpus. Ad confirmationem distinguo antecedens, erit significatiua, & non significatiua simpliciter, nego antecedens, ex parte, concedo: sicut nec homo absolutè est dicendus non esse spiritualis, quia alteram partem habet non spiritualem, particula enim *non*, vt aiunt Dialectici, *est malignantis naturæ*, & totum, cui applicatur, destruit seu negat; vnde nisi restringatur eius vis per illa verba *ex parte* significabit propositionem secundum nullam sui partem esse significatiuam.

Propositio composita ex Termino significatiuo, & non significatiuo.

Particula Non est malignantis naturæ.

VI. Quæres vlteriùs, vtrùm voces articulatæ psittacorum sint signa ad placitum, aut termini. Resp. affirmatiuè, sicut & voces dormientium; propositio enim à psittaco prolata facit nos peruenire in cognitionem rei per illam significatæ, æquè ac si proferretur ab homine, & alioqui si quis ignarus linguæ latinæ verba aliqua latina proferret, scriberet vel imprimeret, non essent signa vel termini, quod tamen videtur per se falsum, ad hoc enim vt sint termini vel signa, sufficit quod sint ad significandum imposita, à quocumque demum proferantur. De quo plura dicentur d. 42. log. s. 3. n. 8. Verum est quidem respectu psittaci non esse significatiuas, nec terminos, aut propositiones formaliter sed solùm materialiter, quia ille sensum verborum illorum non percipit, nec percipere potest, aut ea ad quidquam significandum proferre.

Voces psittacorũ an sint Termini.

SECTIO III.

Diuisiones Termini mentalis.

I. TErminus mentalis in vltimatum diuiditur, & non vltimatum: ille est, cùm quis percipit rem per

Terminus vltimatus, & non vltimatus.

per signum vel terminum significatam, vt si quis audita voce *leo* non vocem tantùm concipiat, sed leonem, aut, viso lapide in agro fixo, cognoscat eousque extendi alicuius limites & dominium, non vlteriùs? Non vltimatus est, cùm quis percepto signo in eo sistit, & ad rem per illud significatam non penetrat, vt si ignarus linguæ latinæ audiret vocem *homo*, vel imperitus logicæ hanc vocem *terminus syncategorematicus*. Terminus verò seu conceptus vltimatus consistere potest vel in esse signi, vel signati, seu rei in esse signi, cùm quis percipit rem per signum significatam, licèt non discutiat naturam signi prout res quædam est, & habet suam peculiarem naturam & proprietates in esse rei: rusticus exem. g. nouit vocem *homo* significare hominem, non tamen nouit fitne substantia, qualitas, actio &c. cognoscit ergo vocem *homo* vltimatè in esse signi, non in esse rei. Si quis verò philosophus audiens buccinam canentem classicum, speculetur naturam soni per tubam effecti, non considerans rem per tubæ sonitum significatam, cognoscit signum in esse rei, seu materialiter, non in esse signi.

II. Diuiditur secundò, Terminus mentalis in directum & reflexum. Directus est qui terminatur ad rem distinctam ab actu eiusdem potentiæ, vt actus quo concipio equum, leonem, &c. Reflexus est qui suprà actum eiusdem potentiæ reflectit, vt si quis cogitet de suâ cogitatione præsenti vel præteritâ, idque vel eodem actu vel diuerso. Hæc enim est vis intellectus, vt possit supra suos actus reflectere: dum autem potentia intellectiua se cognoscit, non est cognitio reflexiua, sed ad hoc debet suos actus cognoscere, tum quia cognitio reflexa est cognitio cognitionis eiusdem potentiæ; tum quia nullus dicit potentiam visiuam seu oculum esse reflexiuum sui, cùm se videt in speculo. Hæc de termino mentali sufficiant, reliquus nobis erit sermo tantùm de vocalibus.

Terminus directus & reflexus.

Non est actus reflexus dum intellectus cognoscit se.

SECTIO IV.

Diuisio Termini vocalis in Categorematicum & syncategorematicum, communem & singularem, vniuocum, Analogum & Æquiuocum.

I. Diuiditur primò Terminus vocalis (idem est tum in hac, tum in aliis sequentibus diuisionibus describto) in *Categorematicum, syncategorematicum, & mixtum*. Terminus Categorematicus est *qui per se aliquid & completè significat*, vt *homo, leo, &c.* ac proinde in propositione simplici integrum subiectum aut prædicatum esse potest. Syncategorematicus est, *qui per se & separatus nihil significat, iunctus tamen categorematico facit illum aliter significare*, sicque non tam significare dicitur, quàm consignificare; integrum proinde prædicatum aut subiectum esse nequit, vt *omnis, nullus, valde* &c. Vnde quoad hoc comparatur terminus syncategorematicus consonantibus, quæ per se non sonant; iunctæ tamen vocalibus faciunt eas aliter sonare, seu earum sonum modificant.

Terminus Categorematicus.

Syncategorematicus.

Termini syncateg. aptè comparantur consonantibus, & numeris.

II. A nonnullis etiam non incongruè comparantur termini syncategorematici numeris arithmeticis, in quibus numerus seu littera I solitariè sumpta denotat vnitatem tantùm simplicem, si tamen addatur O, importat vnitatem decies multiplicatam, non quod O denarium illic numerum importet, aut alium quemcumque, sed nota tantum est, indicans debere I aliter significare, vnitatem nempe cum modo talis multiplicitatis. Quod videtur affirmari ex Aristotele secundo Periherm. cap. 1. dicente, *Omnis & nullus non significant vniuersalitatem, sed tantùm sunt nota vniuersalis prædicationis*, vnde si duo audiant hanc vocem *omnis*, alter latinæ linguæ peritus, alter rudis, neuter format conceptum obiectiuum vltimatum, sed alter in solâ voce sistit, alter dictionem aliam statim nouit secuturam quæ ab hac voce sit modificanda, vt viso fulgure expectamus tonitru. De significatione verò numerorum plura dicam in logica d. 42 f. 5. nu. 10. Mixtus demum terminus est qui categorema & syncategorema simul in se virtualiter includit, vt *semper*, id est, omni tempore, *doctè*, cum doctrina, *nemo*, nullus homo, & similia.

Terminus mixtus.

III. Secundò diuiditur in terminum communem & singularem. Communis est, qui *significat rem pluribus diuisim communicabilem*, siue actu existant, siue non: sic *sol* & *phœnix* sunt termini communes, & *homo* esset si Petrus solus existeret. Vnde Deus terminus communis esse nequit. Exercitus (idem est de terminis aliis huiusmodi) si referatur ex: g. ad hunc & illum exercitum, est terminus communis, secus si ad hunc & illum militem, vt enim sit terminus communis, tota ratio per verbum significata debet in quolibet particulari reperiri, quod respectu singulorum hîc fieri nequit, cùm de singulis affirmari non possit quod sit integer exercitus. Terminus singularis est, *qui vnam rationem significat non communicabilem à multis, sed ab vno tantùm*, vt Petrus de hoc homine; vel de pluribus collectiuè, vt Londinum, Leodium de omnibus ciuibus, exercitus de militibus.

Sol. & Phœnix sunt Termini communes.

Exercitus sumi Terminus communis.

Terminus singularis.

IV. Tertiò diuiditur in terminum *vniuocum, æquiuocum, & analogum*. Terminus vniuocus (de vniuoco vniuocante sermo est, seu de voce, non de vniuoco vniuocato, seu de re per vocem expressâ) est *qui vel vnam rem solam & singularem significat*, vt Deus, *vel plura per modum vnius, vt scilicet in vnâ aliqua ratione per nomen illud importatâ conueniant, vel sunt similes*, vt *homo* respectu omnium hominum, *animal* respectu animalium, quæ licèt secundùm proprias rationes inter se sint dissimilia, non tamen vt hoc nomine *animal* significantur.

Terminus vniuocus.

V. Terminus æquiuocus est, *qui vnum nomen cùm sit, plura significat vt plura, seu vt diuersa & non vt in vnâ aliquâ ratione conuenium*, ac proinde solum nomen habent commune, vt gallus respectu galli gallinacei, & incolæ illius regionis. Vbi notandum, licèt res per hoc nomen significatæ in aliquâ ratione vniuocâ conueniant, vt in ratione animalis, viuentis, vel substantiæ, non tamen in ratione per hoc nomen importatâ. Vnde licèt animal respectu incolæ illius regionis, & galli gallinacei sit terminus vniuocus, cum eos significet vt conueniunt, non tamen hæc vox *gallus*, quia eos significat secundùm particulares rationes, & vt differunt. Qua etiam de causâ *Petrus* ab omnibus dicitur nomen æquiuocum. Terminus *æquiuocus*, alius *à casu*, cùm merè per accidens aliquaidem nomen sortiuntur: alius *à consilio*, quando id cum respectu ad aliquod vnum contingit ob rationem tamen vtrique extrinsecam, vt nomen *Petrus*, quod ob reuerentiam erga D. Petrum variis subinde hominibus imponitur.

Terminus Æquiuocus.

Æquiuoca à casu, & à consilio.

VI. Terminus analogus est, *cuius tùm nomen sit vnum, significat plura, non vt omnino plura, nec vt omnino eadem*, sed plura cum quadam proportione & similitudine ad vnum: vt *sanum*, cuius significatum principale est sanitas hominis, minùs principale sanitas medicinæ, cibi, pulsûs, &c. Sic Nero de crudelissimo Imperatore primariò, de aliis hominibus secundariò dicitur: risus de homine & prato, & metaphoricæ propè omnes dictiones. Analoga & Æquiuoca aliquando ad vnum restringuntur, & fiunt vniuoca, cùm aliis modis, tum præcipuè per appositum prædicatum: *Talia enim sunt subiecta*, (vt docent Dialectici)

Terminus Analogus.

Analoga & Æquiuoca, per restrictionem fiunt vniuoca.

&ici) qualia *permittuntur à prædicatis*, vt si quis dicat, *causis latras, visus profusus* &c. Simpliciter autem sumptus terminus analogus stat pro famoson, seu principali, vt *sanum* pro sanitate hominis. Sed de hu plura in logica d. 39.

VII. Terminus *æquiuocus* & *analogus* dicitur vnus non simpliciter sed per accidens, & subiecto, cùm enim significatio sit de concepin horum terminorum, & significatio sit multiplex, terminos etiam in his debet esse multiplex, vocatur tamen *vnus subiecto* quia subiectum significationis est vnum: sicut parica simul visus à multis hominibus visionibus diuersis, non dicitur multa visa, sed vnum, & qui nouit plures artes vnus vocatur artifex.

VIII. *D ficu'tat circa Terminum Æquiuocum.* D ces non potest terminus æquiuocus esse prædicatum vel subiectum, cùm in vnâ tantùm significatione verificari possit: ergo non congruit ipsi definitio termini, ac proinde malè vocatur terminus. Distinguo antecedens, terminus *æquiuocus* reduplicatiuè, seu vt æquiuocus non potest esse prædicatum aut subiectum, concedo antecedens, specificatiuè, seu terminus qui est æquiuocus, nego; ac propterea necessarium est scire varias quas habet significationes, vt sciamus in qua tandem verificetur in quauis propositione.

IX. *Terminus Æquiuocus in actu exercito est vniuocus.* D ces secundò, Terminus æquiuocus est vniuocus, ergo mala diuisio: Antecedens probatur, hæc vox *terminus æquiuocus* conuenit æqualiter omnibus terminis æquiuocis, ergo significat plura vt conueniunt in ratione æquiuoci, ergo conuenit ipsi definitio termini vniuoci, ergo est terminus vniuocus. Distinguo primum antecedens, est vniuocus accidentaliter, & in actu exercito, respectu suorum inferiorum, à quibus abstrahitur, concedo antecedens. in actu signato & essentialiter, seu respectu rerum quas significat, nego. Sic hæc vox *verbum* in actu signato & essentialiter est verbum. quia significat verba, quod est de illius essentia. at in actu exercito est nomen, id est, exercet in constructione, & propositionibus officium nominis, sic etiam *substantiuus* in actu signato est *substantiuus*, in actu exercito adiectiuus, & similia propè infinita.

SECTIO V.

Terminus Complexus & Incomplexus, Concretus & abstractus, Absolutus & Connotatiuus, Denominatiuus & Denominans.

I. *Terminus complexus, & incomplexus.* QVartò diuiditur Terminus in *Complexum*, *cuius partes retinent eandem significationem in composito, & extra illud*, vt *homo albus*, sin vero transeant in vnum verbum, saltem retinent significationem affinem, vt Respublica: & in *Incomplexum, cuius partes vt in illo sunt, nihil significant*, quamuis extra illum, sensum aliquem habeant, *Dominus, Erasmus*. Vnde ad *complexum* ex duobus verbis requiritur aliqua vnio vel coniunctionis alicuius, vt *elephas & leo*, vel adiectiui cum substantiuo, vt *aër lucidus* &c. Quare defectu horum, hæc verba *homo, equus, leo* non sunt terminus complexus, nec *proconsul* & similes termini, quia vtraque pars extra propositionem non significat. Quando verò duo verba ad terminum complexum ex duobus facta vno componendum concurrunt, illa ibi non sunt verba sed syllabæ, sicut ex mixtione albi & nigri consurgunt colores medij, ab vtroque distincti, & non remanent albedo & nigredo.

II. Ad terminum porrò complexum constituendum non debent esse termini synonymi, vt Marcus, Tullius, Cicero, *compositio enim est diuersorum vnio*, hæc autem verba non sunt diuersa secundùm significationem quæ hic præcipuè spectatur. Ad terminum etiam complexum requiritur vt significet per modum complexi, hoc est, vtramque partem explicitè, vnde *album*, licèt significet idem quod *habens albedinem*, non est terminus complexus, sicut illud, sicut nec *homo*, licèt idem significet quod *animal rationale* quoad rem, non quoad modum significandi, quia non significat explicando partes, & eas coniungendo. *Album, & similes voces non sunt termini complexi.*

III. *Terminus concretus, & abstractus.* Quintò diuiditur terminus in *Concretum* & *abstractum*: Terminus *Concretus* est, *qui aliquid per modum compositi ex materia, vel quasi materiâ & formâ, vel quasi formâ importat*, vt *album* significat albedinem in corpore vt in subiecto, & *homo* hominem constitutum ex naturâ humanâ tanquam formâ, & supposito vt subiecto. Terminus abstractus formam tantùm significat, non subiectum, vt *albedo, humanitas*. Id verò hic notandum, posse eundem terminum respectu diuersorum esse simul *concretum* & *abstractum*, si non vltimò abstrahatur, albedo ex: g. respectu subiecti seu parietis est terminus abstractus, at respectu albedineitatis, quam in se includit, quâque velut formâ metaphysica constitui dicitur (ac proinde hæc ab illa abstrahi potest) est terminus concretus. Vnde *homo*, *album*, & huiusmodi sunt termini concreti vltimò, ita scilicet vt non possint esse forma respectu alterius: *albedo* est terminus concretus non vltimò: *albedineitas* est terminus abstractus vltimò, quia non potest illi dari alia forma respectu cuius sit subiectum, at *albedo* est terminus abstractus non vltimò. *Idem terminus esse potest concretus, & abstractus.* *Albedo, & Albedineitas.*

IV. *Terminus Absolutus.* Sextò diuiditur in *Absolutum* & *Connotatiuum* Terminus *absolutus* quoad præsens, seu in ordine ad componendam propositionem, est ille, *qui in perfectâ significatione non pendet ab alio termino cui adiaceat*, res quippe independentes vocamus absolutas in eâ ratione, qua independentes sunt, vt *homo*, *Petrus*, *albedo*, & omnia substantiua, vel alia substantiuè sumpta, vt *album*, *dulce*, &c. cùm substantiuè sumuntur, non minùs quàm vox *compositum* substantiuè sumptum.

V. *Terminus Connotatiuus.* Terminus etiam *Connotatiuus* pro præsenti, est *qui connotat alium terminum cum quo perfectè significet, & cui adiiciatur*, vt *albus*, & cæteri termini adiectiui. Declaratur: nam non est ratio connotatiui desumenda à significatione præcisè, sic enim omnes propè termini essent connotatiui, *dominus* enim connotat dominium, *cœna* tempus vespertinum, materia & forma se mutuò connotant & respiciunt, resque adeò omnes quæ aliquam inter se connexionem habent. Nec desumenda ex eo est quòd connotet aliquid in se inclusum, sic enim *homo* esset terminus connotatiuus, cùm sit idem ac habens humanitatem, non minùs quàm *albus* habens albedinem. Desumi ergo debet in ordine ad adiacentiam, quæ in termino adiectiuo importatur, non ex parte formalis tantùm significati, sed etiam materialis, seu ex parte etiam subiecti, non solius formæ, vt postea videbimus.

VI. *Terminus denominatiuus, & denominans.* Septimò, diuiditur terminus in *denominatiuum* & *denominantem*. Ille est *qui ab alio desumitur tanquam ab aliquo priori*, vt *iustus* à iustitia, vnde è contra, terminus denominans is est, *à quo denominatiuus deducitur*, vt iustitia est terminus denominans hominem vel Angelum iustum.

SECTIO VI.

Terminus substantiuus, & Adiectiuus, Transcendens, & non Transcendens, Finitus, & Infinitus.

I. *Terminus substantiuus, & adiectiuus.* Diuiditur Terminus octauò, In *substantiuum*, qui significat rem per modum per se stantis, vt *homo*, idque licèt in re non per se subsistat, sed alteri inhæreat, vt *albedo* est nomen substantiuum, licèt significet aliquid adhærens alteri, parieti v.g. sufficit enim ad hoc vt sit nomen substantiuum, quod prout hoc nomine significatur non, importetur per modum adhærentis. Terminus *adiectiuus* est, qui rem significat per modum alteri adiacentis, vt *albus*, idque siue in re adhæreat alteri, siue non, si prout hoc verbo significatur, importetur per modum adhærentis, vel adiacentis, sic *humanus* licèt significet substantiam, humanam scilicet naturam, & *deificatus* diuinam, sunt tamen termini adiectiui, quia significant illas per modum adiacentis & quasi adhærentis.

II. *Termini omnes substantiui sunt absoluti, adiectiui sunt connotatiui.* Hinc inferes primò, eandem esse hanc diuisionem cum ea qua terminum diuisimus in *absolutum & connotatiuum*, & omnia nomina adiectiua esse terminos *adiectiuos*, seu *connotatiuos* hoc sensu, & importare materiale & formale per modum alteri adiacentis, vnde suppositum verbo reddere non possunt seu esse subiecta in propositione, nisi addantur termino alicui *absoluto*. Inferas secundò, non improbabiliter à nonnullis asseri terminum *connotatiuum* seu *adiectiuum* non significare æqualiter materiale & formale, sed significare solum formale, & connotare materiale, cui forma adhæreat.

III. *Quid dicendum de terminis priuatiuis.* Dices nomina priuatiua adiectiuè sumpta, vt *inintelligibile*, *obtenebratus* &c. sunt termini adiectiui, & tamen non significant formam alteri adiacentem, imò potiùs significant non adiacere formam, lucem scilicet & intelligibilitatem, ergo mala definitio termini adiectiui. Conf. nam hic terminus *nihil* est terminus substantiuus, & tamen non significat aliquid per modum per se stantis, nam nihil omnino significat, ergo. Ad argumentum, & confirmationem simul Resp. distinguendo antecedens, non significant aliquid positiuum per modum per se stantis, aut alteri adiacentis, concedo antecedens, non significant aliquid negatiuum, nego; nam sicut cùm tollitur forma è subiecto physicè, ponitur priuatio physicè, ita cùm tollitur intentionaliter, seu per intellectum, intentionaliter seu per intellectum ponitur ibi illius priuatio: *nihil* verò idem sonat ac *negatio omnis entis*. Adde frequenter nos formam aliquam tenebrarum, vel inintelligibilitatis positiuam rebus mente appingere, & facere ens rationis, de quo in logica.

Qualis terminus sit Nihil.

IV. *Inintelligibile non videtur esse terminus, cum nihil significet.* Vrgebis, hic terminus *inintelligibile* videtur nihil significare, ac proinde nec est terminus, antecedens probatur, nam si significat, respectu alicuius significat, ergo ille sensum eius intelligere potest, ergo non est inintelligibile. Distinguo vltimum consequens, ergo non est inintelligibile in actu exercito, id est, quod in se habet exercitam inintelligibilitatem, concedo consequentiam, quod enim ita se habet, intelligi non potest; non est inintelligibile in actu signato, seu quod eodem recidit, quod significat inintelligibilitatem, nego consequentiam: licèt enim rem intelligere non possimus quæ est inintelligibilis, possumus tamen intelligere esse inintelligibilem, alioqui de ea dicere non possemus quòd sit inintelligibilis, vnde essentiam inintelligibilitatis intelligere possumus, scimus enim esse id quod intelligi non potest: sicut in hac propositione *blitiri non significat lapidem*, ly *non significat* in actu exercito significat, licèt in actu signato non significet, id est, significat non significationem, quæ potest esse rea significata.

Vox inintelligibile quomodo intelligatur.

V. *Sex termini transcendentes.* Nonò diuiditur terminus in terminos *transcendentes*, *supertranscendentes*, & *non transcendentes*. Ij sunt, qui de omnibus veris dicuntur, suntque hi sex, *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *aliquid*, *Vnum*: ex quorum primis litteris Dialectici memoriæ g. vocem *Reubau* composuerunt. *Res* significat ratam & fixam vniuscuiusque rei essentiam. *Ens* aptitudinem vt existat, *verum* entitatem rei vt est apta verè cognosci, estque idem quod intelligibilitas. *Bonum* perfectionem entitatiuam, *Aliquid* distinctionem ab aliis, sonat enim quasi *aliud quid*, *vnum* vnitatem per quam in se est indiuisa. Termini *supertranscendentes* sunt qui non de rebus veris tantùm sed etiam de fictis affirmantur, vt *intelligibile*, *imaginabile*, vnde vt dici solet, *latiùs patet ens imaginabile quàm ens possibile*. *Non transcendentes* sunt qui limitatam habent significationem & essentiam, & non permeant res omnes, sed aliquas tantùm, vt *homo*, *equus*, *leo*, &c.

Termini supertranscendentes. Termini non transcendentes.

VI. *Terminus finitus. & infinitus.* Decimò, in terminum *Finitum*, & *Infinitum*. *Finitus* est, *qui aliquid determinatè significat*, vt *lignum*, *lapis*. *Infinitus*, *qui licèt aliquid determinatè neget, nihil tamen determinatè affirmat*, vt, *non lignum*, *non lapis*, qui termini possunt de re qualibet, excepto ligno & lapide affirmari. Vnde cùm dico, *Petrus est non lapis*, sensus non est, *Petrus non est lapis*, sed *est aliquid quod non est lapis*: non tamen determino illud aliquid quid sit, sed ex vi horum verborum potest esse quidlibet quod non sit lapis. Ad terminum autem Infinitum debet particula *non* cadere supra terminum finitum, non supra copulam, sic enim faceret sensum purè negatiuum, vt si quis dicat, *albedo non est nigredo*, nil aliud significat quàm eam non esse nigredinem, nihil autem affirmat, sicut affirmaret si diceret *albedo est non nigredo*. Quod autem termini *negatiui* in se includant negationem termini Finiti, cui apponuntur, patet, nam possunt affirmari de negationibus, quod tamen fieri non posset, nisi ly *non* terminum illic finitum negaret, seu tolleret, nihil autem positiuum de negatione affirmari potest, dicimus tamen rectè, *tenebræ sunt non lapis*, *cæcitas est non leo*, & sic de cæteris.

Quid requiratur ad terminum infinitum.

VII. *Termini primæ, & secundæ intentionis.* Vndecimò tandem in terminum *Primæ intentionis*, qui significat rem secundùm id quod habet in se ante operationem intellectus, vt *leo*, *equus*, *lapis*: & *secundæ intentionis*, qui significat rem secundùm id quod accipit ab intellectu, vt *prædicatum*, *subiectum*, & similia.

SECTIO VII.

Comparantur termini inter se.

I. *Termini pertinentes & impertinentes.* Termini alij *Pertinentes*, alij *Impertinentes*. Hi sunt, quorum vnus nec infert aliud, nec cum eo repugnat, vt *medicus*, *citharœdus*, dicunturque Impertinentes quòd inuicem comparati non faciant ad consequentiam vt loquuntur dialectici, licèt respectu aliorum dici possint *Pertinentes*. *Pertinentes* sunt, quorum vnus infert alium, vt *est leo*, ergo *est viuens*, qui vocantur *pertinentes sequelâ*: vel repugnat cum eo secundùm eandem rationem, vt, *est calidum*, ergo *non frigidum*: vocanturque hi *pertinentes repugnantiâ*. Pertinentium sequelâ alij sunt conuertibiles, vt *homo*, *risibile*, alij synonymi, vt *gladius*, *ensis*.

Pertinentes sequelâ, & pertinentes repugnantiâ.

II. *Termini disparati, & oppositi.* *Pertinentium repugnantiâ* duo sunt genera, alij enim sunt *disparati*, qui solùm repugnant ob diuersitatem naturalem, licèt nullam habeant oppositionem vt *Petrus* & *Paulus*, *leo* & *equus*. Alij sunt *oppositi*,

Termini contradictorij. sit, quorum quatuor sunt species; *contradictorij*, quorum vnus exprimit negationem alterius, *vt videns, non videns*, ac proinde eorum alter rebus omnibus necessariò conuenit, qua de causâ medium non habere dicuntur. *Priuatiui.* Ab his in eo solùm differunt *priuatiui*, quòd præter negationem, denotent aptitudinem subiecti ad habear formam cuius negatio significatur, *vt videns cæcus*, lapis enim licèt non videat, non est cæcus. *Contrarij.* Tertiò *Contrarij* termini sunt *qui sub eodem genere maximè distant, & se ab eodem subiecto inuicem expellunt*, vt albedo & nigredo. *Relatiui.* Quartò *Relatiui qui significant extrema se mutuò respicientia*, ac proinde necessariò debent esse distincti, & opposita oppositione relatiuâ quo argumento probant Theologi distinctionem Diuinarum Personarum in Trinitate.

III. *Modi argumentandi in pertinentibus sequela.* Triplex in his terminis reperitur argumentandi modus. Primus ab affirmatione inferioris ad affirmationem superioris, non è contra, *vt est homo, ergo animal*, non tamen, *est animal, ergo homo*; & à negatione superioris ad negationem inferioris, non è contra, vt, *non est animal, ergo non est homo*. Secundus est in terminis *synonymis* & *conuertibilibus*, in quibus semper valet ab affirmatione aut negatione vnius ad affirmationem & negationem alterius, vt discurrenti constabit. Tertius in *pertinentibus repugnantia* ab affirmatione vnius ad negationem alterius, vt, *est equus, ergo non leo*: non tamen à negatione vnius ad affirmationem alterius, vt, *non est equus, ergo leo, non est album, ergo nigrum*, nam datur medium, nempe *rubrum*, aut *viride*: vtroque autem modo inter contradictoria bene arguitur, cùm medio careant, vt, *non est non videns, ergo videns*, & è contra, *duæ enim negationes faciunt vnam affirmationem*. *Modus argumentandi in pertinentibus repugnantia.* *Duæ negationes cur faciunt vnam affirmationē.* vt enim prima negatio negat totum quod post se inuenit, ita & secunda, ac proinde negationem etiam illam negat quæ antea erat in propositione, quâ negatâ virtualiter contrarium affirmamus. Imò & in priuatiuis idem contingit, si sunt circa subiectum aptum; vt *Petrus non est cæcus, ergo videns, non est videns, ergo cæcus*.

DISPVTATIO III.

De proprietatibus Terminorum.

SECTIO PRIMA.

De Suppositione.

I. *Sex terminorū proprietates.* Sex communiter nominantur terminorum proprietates, *Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio*: *significatio* enim quæ à nonnullis inter proprietates numeratur, est potiùs termini essentia, ad quam tanquam proprietas sequitur suppositio formalis.

II. *Suppositio est loco alicuius positio.* *Suppositio* ergo *est loco alicuius positio, vel substitutio*, quæ duplex est, materialis cùm aliquid ponitur pro se, seu pro materiâ ex qua componitur, vt cùm dico, *homo est vox*, vel formalis, cùm ponitur pro suo significato, significatio enim est forma, vt *homo est animal*, cùm autem vox aliqua se repræsentat, vt *omnis terminus vocalis est vox*, est suppositio formalis. Vnde non malè suppositionem in communi definit Toletus l. 2. c. 1. hoc modo, *Suppositio est vsus, vel acceptio termini pro se, vel pro suo significato*: *Cùm enim*, vt ait Aristoteles primo Elench: *res adducere non possimus, voces pro illis substituimus*, vnde etiam extra propositionem sicut dicuntur significare, ita & supponere, nempe aptitudinaliter, suppositio enim formalis est aptitudo quædā proxima, à significatione dimanans vt in propositione loco alterius ponatur: Sicut aliud est imaginem significare aliquem, aliud illius loco substitui vel supponi, non enim semper quando significat supponit, sed solùm supponit cùm substituitur loco alterius, vt cùm imagini Regis honor tribuitur qui rei (Regi v. g.) per eam significatæ tribueretur; *Differunt significare, & supponere.* Meliùs ergo dicerentur voces supponi quàm supponere, quia aliorum loco substituuntur. *Meliùs dicuntur voces supponi, quam supponere.* Nec ipsis conuenit suppositio tantùm, quod aliqui dicunt, in propositione verâ, sed etiam falsâ, nam in hac etiam supponunt pro rebus à se significatis.

III. *Suppositio intrinseca, & extrinseca: propria & metaphorica.* *Suppositio materialis*, alia intrinseca, cùm vox supponit pro eo quod ex se habet, vt cùm dico, *leo est vox*, alia extrinseca, cùm pro eo supponit quod habet ab extrinseco, beneplacito v. g. hominum, vt *leo* significat leonem. Suppositio Formalis alia propria, vt *Nero fuit Imperatorum crudelissimus*; alia impropria seu metaphorica, vt, *hic est alter Nero*.

IV. *Suppositio simplex.* Suppositio formalis alia *simplex*, alia *personalis*. Simplex est, cùm terminus accipitur pro suo immediato significato tantùm, diciturque supponere immobiliter, vt *homo est species*, vbi non sumitur homo pro mediato significato, scilicet indiuiduis, non enim rectè dixeris, *Petrus est species*, in quo proinde non datur ascensus & descensus, qualis etiam est suppositio in hac propositione, *Petrus est indiuiduum*. *Personalis* est, cùm terminus supponit pro significato mediato vel immediato, sed non immobiliter vt, *Petrus currit*, licèt enim ascendere, *ergo homo currit, animal currit* &c. Item, *omnis homo est animal*, *homo* capitur pro Petro, Paulo &c. *Suppositio personalis.* In qua suppositione, hæc assignatur à Dialecticis regula pro termino communi, vt quoties alicui voci possit aliquod signum syncategorematicum præponi, manente eodem sensu, censeatur supponere personaliter, vt, *homo currit, aliquis homo currit, homo est animal, omnis homo est animal*, hæc enim signa denotant hos terminos conuenire inferioribus; at quando supponit *simpliciter* terminus, non potest affici huiusmodi signo, nec enim licet dicere, *omne animal est genus*, vel *aliquod animal est genus*. Id hic notandum, non licere inter arguendum mutare suppositionem, vitiosè enim argumentaretur qui diceret, *homo est vox dissyllaba, sed omnis homo est risibilis, ergo risibilis est vox dissyllaba*, mutatur enim suppositio. *In argumentatione non mutanda suppositio.*

V. *Suppositio essentialis.* Suppositio *personalis*, alia *essentialis* vel *naturalis*, alia *accidentalis*. Prior est, cùm terminus supponit pro eo quod res est essentialiter vel naturaliter, conuenitque omni per terminum significato, siue extet siue non, vt in his, *homo est animal, homo est risibilis*, vbi primum prædicatum est de essentia hominis, secundum de naturali necessitate, seu passio necessaria. Quare in iis propositionibus dicitur verbum seu copula absolui à tempore, denotanturque prædicatum & subiectum vniri, non secundùm vnionem existentiæ, sed solùm essentiæ, seu secundùm connexionem prædicatorum essentialium, dicunturque propositiones *æternæ veritatis*. Suppositio *accidentalis* est, cùm terminus accipitur pro eo quod est significato accidentale, vt, *Petrus currit*, vbi etiam verbum denotat conuenientiam prædicati cum subiecto secundùm differentiam temporis, vt, *aquila volat*, intelligitur pro præsenti. *Suppositio accidentalis.*

VI. *Suppositio distributiua.* Suppositio *vniuersalis seu distributiua* est acceptio termini communis pro suis significatis copulatiuè seu

ſeu diſtributiuè ſumptis, id eſt, enumeratis per coniunctionem copulatiuam copulatiuè ſumptam, ſeu integras propoſitiones contingentem, vt, *omnis leo eſt rugibilis*, ſic enim verificatur *hic leo eſt rugibilis*, & ille leo eſt rugibilis, &c. *Suppoſitio copulata*, ſiue *collectiua* eſt, cùm terminus accipitur pro ſuis inferioribus copulatim ſumptis, hoc eſt, vbi coniunctio copulatiua non nectit integras propoſitiones, ſed terminos ſimplices, nec repeti poteſt prædicatum cum ſingulis, quia ſingulis non conuenit, vt conueniebat in ſuppoſitione diſtributiua; vt e.g. *omnes orbis partes ſunt quatuor*, ſic enim explicari debet *Europa, Aſia, Africa, & America ſunt quatuor*, non *Europa eſt quatuor, Africa eſt quatuor, &c.*

Suppoſitio copulata.

VII. Suppoſitio *determinata*, quæ & diſiunctiua dicitur, *eſt vſus termini communis vel nullo vel particulari ſigno affecti pro ſuis inferioribus diſiunctiuè enumerandis*, ſeu per coniunctionem diſiunctiuam diſiunctiuè ſumptam, ſeu connectentem integras propoſitiones, ita vt ex iis aliquod deſignet, ſed ſub diſiunctione; vt, *leo rugit*, vel *aliquis leo rugit*, ſic enim verificatur, *vel hic leo rugit, vel ille leo rugit* &c. Suppoſitio *confuſa* eſt, cùm coniunctio diſiunctiua ſumitur diſiunctim, & connectit terminos ſimplices, vt *omnis homo eſt animal*, quod ſic explicatur, *omnis homo eſt hoc vel illud animal*, non autem, *omnis homo eſt hoc animal*, vel, *omnis homo eſt illud animal* &c.

Suppoſitio diſiunctiua.

Suppoſitio confuſa.

VIII. Hic verò notandum, dari aliquos terminos vt vocant, *ſpecialis confuſionis*, quales ſunt, *requiritur, neceſſarius* &c. qui faciant terminum, cui apponuntur ſupponere pro aliquo indiuiduo ſingulari omnino in determinatè etiam ſub diſiunctione. Vt cùm dicimus, *equus requiritur ad equitandum*, de nullo affirmari poteſt etiam ſub diſiunctione quòd requiratur; imò licèt duo tantùm forent, & de altero determinatè affirmaretur quòd non requiratur, non ſequitur alterum requiri, nam licèt prior non requiratur, eſt tamen ſufficiens. At in ſuppoſitione determinatâ ſi duo homines ſolùm eſſent, & diceretur, *homo currit*, negareturque de vno, neceſſariò affirmari deberet de altero, quod hic non contingit, nam etiam ex ſuppoſitione quòd alter oculus non requireretur ad videndum, non ſequitur requiri alium, cùm prior ſufficiat. Ratio eſt, tum quia in illo exemplo, *homo currit*, cùm importetur actio exercita, hæc exerceri non poteſt niſi ab aliquo determinatè, vnde ſi negetur de cæteris omnibus, neceſſariò debet determinatè affirmari de vltimo: at in altero caſu, ſolùm ſignificatur neceſſitas generatim oculorum ad videndum, quæ neceſſitas in nullo determinatè reperitur, cùm quolibet deficiente, alter ſufficiat; vnde vagè de iis dici debet, *vel hic oculus, vel hic requiritur ad videndum*.

Termini ſpecialis confuſionis.

Cur dentur Termini ſpecialis confuſionis.

IX. Suppoſitio *diſtributiua* alia *completa*, alia *incompleta*. *Completa* eſt, cùm terminus communis ſigno diſtributiuo affectus capitur pro omnibus ſuis inferioribus, diciturque *pro ſingulis generum*, hoc eſt pro vnoquoque ſingulorum illorum generum ſeu ſpecierum, vt, *omnis homo eſt animal*. Quando verò aliquod indiuiduum excipitur, & illa exceptio intelligi poteſt ex dictis, appellatur ſuppoſitio *accommoda*, vt, *quod tegit omnia cælum*, nempe, præter ſe. *Incompleta* eſt, cùm capitur terminus ſigno diſtributiuo affectus *pro generibus ſingulorum*, id eſt, pro aliquo indiuiduo vniuſcuiuſque generis, vt, *omne animal fuit in arca Noë*, hoc eſt, cuiuſque generis aliquod.

Suppoſitio completa, ſeu pro ſingulis generum.

Suppoſitio incompleta, ſeu pro generibus ſingulorū.

X. Pro regulis ad ſuppoſitionem cognoſcendam, nota, ſi ſignum quo afficitur terminus, ſit vniuerſale affirmatiuum, terminum immediatum diſtribuit, ſeu facit ſupponere diſtributiuè, mediatum confundit, ſeu facit ſupponere confuſè, vt, *omnis homo eſt animal*. Quòd ſi terminus adiectiuus ſubſtantiuo, ſigno aliquo affecto coniungatur, faciatque cum eo vnum prædicatum, aut ſubiectum, eodem modo ſupponit ac terminus ſubſtantiuus, vt, ſi quis dicat, *omnis homo ſapiens, eſt cautus*, ſecus ſi non ſit pars, ſed alterum extremum, vt, *omnis homo eſt ſapiens*, vbi ſapiens ponitur confuſè. Quòd ſi ſigna fuerint negatiua vniuerſalia, faciunt omnes terminos quos poſt ſe inuenerunt, tam immediatos quàm mediatos, ſupponere diſtributiuè, vt in hac propoſitione, *nullus homo eſt animal*, tam homo, quàm animal ſupponit diſtributiuè, hæc enim eſt natura negationum, vt omnia diſtribuant; particula verò *non*, ſi terminum aliquem inueniat diſtributum, facit eum ſupponere determinatè, vt, *non omnis homo eſt medicus*, hoc eſt. *aliquis homo non eſt medicus*. Quòd ſi ſignum particulare fuerit, & affirmatiuum, terminum immediatum facit ſupponere determinatè, mediatum verò non omnino attingit, vt in hac propoſitione, *aliquis homo eſt iuſtus*. Tandem notandum, non licere procedere à termino non diſtributo ad diſtributum, ſeu terminum qui in antecedente non ſumitur vniuerſaliter, ponere in conſequente vniuerſaliter, vt, *omne animal eſt viuens, ergo omne viuens eſt animal*: nulla conſequentia. Sed de his ſatis.

Regula pro ſignis negatiuis.

Malè proceditur à termino non diſtributo ad diſtributum.

SECTIO II.

De reſolutione ſuppoſitionis per aſcenſum & deſcenſum.

Aſcenſus, ex communi modo loquendi (qui per metaphoram ad terminos applicatur) eſt *ab inferioribus ad ſuperiora*; *deſcenſus à ſuperioribus ad inferiora gradatio*. *Aſcenſus* ergo, qui & *inductio*, eſt *à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad vniuerſale progreſſus*: ſufficienter inquam enumeratis, hoc eſt, omnibus, ſi pauca ſint, ſin multa, aliqua enumeranda ſunt, & addendum, *& ſic de reliquis*, ergo. Vbi vel vno ex ſingularibus deficiente, aſcenſus erit falſus. *Deſcenſus* è contra eſt *ab vniuerſalibus ad particularia progreſſio*: vbi ad veritatem vniuerſalis ſequitur veritas omnium ſingularium, ad falſitatem ſufficit vel vnum non ita ſe habere, ſicut affirmat vniuerſalis propoſitio. Quæ oſtendi poſſunt in his exemplis, *omnis homo eſt animal*, vel, dum Iudas eſſet Apoſtolus, ſi quis diceret, *omnes Apoſtoli ſunt prædeſtinati*. In aſcenſu, particularia ſunt antecedens, in deſcenſu vice verſà. I.

Aſcenſus eſt idem quod inductio.

Deſcenſus fit ab vniuerſalibus ad particularia.

Infinitæ hic regulæ ad *aſcenſum & deſcenſum* dignoſcendum aſſignari ſolent, quæ tyronum animos illaqueant potiùs quàm dirigunt, quaſque vno pœne verbo perſtrinxeris, ſi dixeris, quot ſuppoſitionum termini communis, tot deſcenſuum ab vniuerſalibus ad particularia, & aſcenſuum à particularibus ad vniuerſalia ſpecies eſſe. Si enim terminus communis ſupponat diſtributiuè, vt, *omne cælum eſt rotundum*, fit deſcenſus diſtributiuus hoc modo, *ergo cælum empyreum eſt rotundum*, & ſic de cæteris; & idem eſt de aſcenſu, ſi propoſitiones inuertas, vt diſcurrenti conſtabit. Si terminus ſupponit copulatè, fit deſcenſus copulatus, vt, *omnia elementa ſunt quatuor*, ergo aër, & ignis, & terra, & aqua ſunt quatuor. Quod idem contingit in aſcenſu, propoſitiones tantùm inuertendo. Idem dixeris de ſuppoſitione *determinatâ* & *confuſâ*. Id ſolùm de ſuppoſitione *determinatâ* eſt ſingulare, ad illius veritatem ſufficere veritatem vnius propoſitionis ſingularis, ac proinde ad falſitatem probandam, tum per deſcenſum tum aſcenſum, requiri falſitatem omnium particularium, vt in hoc exemplo, *aliquis equus currit*, eſt manifeſtum. II.

Regula pro aſcenſu & deſcenſu.

SECTIO III.

De Ampliatione, Restrictione, Statu, Alienatione, & Diminutione Terminorum.

I. *Quid sit Ampliatio.* *Quinque tempora Dialecticorum.*

AMpliatio *est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem secundum plures differentias temporis, quàm verbum importat, vt homo est animal,* vbi licèt copula sit solùm præsentis temporis, vera tamen est propositiò pro omnibus quinque temporibus a Summulistis enumeratis, quæ sunt *Præsens, Præteritum, Futurum, Possibile, & Imaginarium,* licèt quintum à quarto non differat, dicunturq́ue huiusmodi propositiones æternæ veritatis, eo n. fundentur in naturâ seu essentiâ, quæ semper est eadem. Vnde cùm terminos sumitur pro suis significatis existentibus pro solâ differentia temporis, per copulam importatâ, siue illud præsens sit, siue præteritum, aut futurum, tunc nec ampliari dicitur terminus, nec restringi, sed *habere statum, vt, homo currit*, vbi *homo* supponit pro homine nunc existente; sic *Petrus dormiuit, aquila volabit*. Hæc autem suppositio dicitur, minor respectu ampliationis, per quam extenditur terminus ad maiorem suppositionem n. ita vt accipiatur pro existentibus, non solùm in hac, sed etiam in aliâ differentiâ temporis, vt, *homo potest disputare, iusti in perpetuum viuent*. Respectu verò restrictionis dicitur maior, nam per hanc non supponit terminus pro omnibus existentibus pro differentiâ temporis per copulam importatâ, vt, si quis dicat, *homo albus currit*, non supponit *homo* pro omni homine tunc existente, sed tantùm pro homine albo. Vnde *restrictio* quæ hac in parte *ampliationi* opponitur, definitur esse *coarctatio termini à maiore ad minorem suppositionem, quàm pro tempore per copulam importata.*

Quid sit Terminum habere statum.

Quid sit Restrictio.

II. *Ampliatio triplex.*

Ampliatio triplex est, prima secundùm tempus tantùm, pro terminis singularibus, vel communi simpliciter supponente, vt *Petrus est posterior Paulo*, nempe Paulo qui est vel fuit, *est prior Ioanne*, qui est scilicet vel erit. Secunda quoad significatum, pro iis terminis qui diuersa significata habere possunt, *vt, peccatores puniuntur*, vbi extenditur ille terminus ad varios qui fuerunt, sunt, & erunt. Tertia cùm termini concreti habentes materiale & formale ampliantur ad diuersas formas pro diuersis temporis differentiis, vt *iustus fuit peccator*, ampliatio fit secundùm tempus & formam iustitiæ, & sensus est, *hic homo qui est, vel fuit iustus, fuit peccator.*

III. *Restrictio quadruplex.*

Quatuor modis fit restrictiò, primò per appositionem adiectiui in eodem extremo, vt, *omnis paries albus disgregat visum*. Secundò, per relatiuum, vt, *omnis homo qui decelit in gratia, saluabitur*. Tertiò, per appositionem obliqui in eodem extremo, vt, *omnis actio Christi fuit infiniti valoris*; non tamen restringitur terminus, si adiectiuum vel casus obliquus sit loco prædicati, vt, *omnis paries est albus, omnes libri sunt Petri*, vbi subiectum seu rectum non restringitur per adiectiuum & obliquum, sicut fiebat in præcedentibus exemplis. Quartò, per appositionem inferioris, *Apostolus Petrus fuit Princeps Apostolorum: Rex Alexander deuicit orbem.*

IV. *Quid sit Alienatio.*

Alienatio est *cùm terminus aliquis per appositionem alterius traducitur à propriâ* suppositione ad impropriam, vt, *homo marmoreus est in foro*, in quibus non valet consequentia ab vno ad aliud, vt, *est leo lapideus, ergo leo*, nec è contra, quia *leo* solitariè sumptus sumitur pro famosiori, seu vero. *Diminutio* est, *cùm non simpliciter aliquid significatur, sed secundùm quid, vt, æthiops albus secundum dentes*. Cùm verò subiectum non supponit pro differentia temporis per verbum importatâ, dicitur non incongruè distractio, vt, *homo est mortuus, cæci vident*, licèt à quibusdam ad *ampliationem*, à nonnullis ad *alienationem* reuocetur. In his facilè capiuntur tyrones ni caueant, vt si quis dicat, *Petrus heri erat iustus, sed Petrus heri peccauit*, ergo Petrus *heri iustus peccauit*, sic enim distinguendum consequens, ergo Petrus heri iustus peccauit quo tempore erat iustus, nego consequentiam, alio tempore, concedo, est enim argumentatio à sensu diuiso ad compositum.

Quid sit Diminutio.

Distractio.

V. *Quomodo in argumentatione vtendū sit prædictis.*

Pro modis argumentandi ex prædictis id præcipuè aduertendum, vt supponatur *constantia subiecti*, alioqui nulla est consequentia. *Constantia* autem est particula aliqua denotans existere id de quo est sermo, vt si quis dicat, *omne animal currit, ergo leo currit*. non valet consequentia nisi supponatur leonem esse, sicq́ue debere addi *& leo est*, tunc enim bene sequitur, *ergo leo currit*. alioqui dicitur *de subiecto non supponente*. Sic in restrictione non valet, *omnis homo loquitur, ergo homo albus loquitur*, nisi ponatur esse hominem aliquem album.

SECTIO IV.

De Appellatione terminorum.

I. *Appellatio terminorū quid sit.*

APpellatio *est applicatio formalis significati vnius termini significato alterius, siue materiali, siue formali, vt, magnus Philosophus*, vbi si *magnus*, quod est formale significatum huius termini, applicetur, vel appellet supra formale significatum termini *Philosophus*, scilicet supra philosophiam, dicitur appellatio seu prædicatio formalis, si supra materiale, nempe hominem, dicitur materialis, & significat hominem esse magnum corpore, nil omnino curando de philosophia, sicut & in his propositionibus, *medicus est citharædus, album est dulce*, & similibus. Dictio applicans significatum dicitur appellans seu denominans, potestq́ue esse vel terminus substantiuus, vt, *dominus*, vel adiectiuus aut aduerbium, & alij termini syncategorematici, vt, *valde est doctus, tres medici* &c.

Magnus Philosophus quo sensu sumi possit.

II. *Mutatâ Appellatione argumentatio est nulla.*

Hic notandum, sicut mutatâ *suppositione* non valet argumentum, ita nec variatâ *appellatione*, vnde hæc & similes sunt fallaces modi argumentandi, *faber lignarius fecit cathedram*, sed *cathedra est lignum, ergo fecit lignum*, vocaturq́ue *fallacia accidentis*, nam ly fecit in maiori appellat supra formale, in consequenti supra materiale, sicq́ue mutatur appellatio.

DISPVTATIO IV.

De Modis sciendi.

MOdus sciendi *est oratio ignoti manifestatiua*, intellige ex naturâ suâ, licèt enim per accidens possit quis ex consuetudine clariùs hominem concipere auditâ voce hac *homo*, quàm hac *animal rationale*, hæc tamen posterior oratio ex natura sua est manifestatiua magis illius significati, quod antea vno verbo quasi inuolutum concludebatur, hic verò natura hominis per suas partes explicatur, & quasi expanditur, omniumq́ue oculis distinctè proponitur; Vnde interpretatio alicuius linguæ

Linguæ ignotæ interpretatio nō est modus sciendi.

linguæ ignotæ per aliam notam non est modus sciendi, quia non explicatiùs rem secundùm suas partes euoluit & declarat *homo* quàm *ἄνθρωπος*, quòd verò quis per vnum verbum intelligat hominem, non per aliud, est merè per accidens, quòd scilicet vnam linguam calleat, non aliam. Modi autem sciendi communiter tres numerantur, *Definitio, Diuisio, & Argumentatio*, de duabus prioribus hîc erit sermo, argumentationem in Disputationem vltimam differemus.

Modi sciendi tres sũt, Definitio, Diuisio, & Argumentatio.

SECTIO I.

De Definitione.

I. *Definitio formalis & obiectiua.*

DEfinitio duplex est, formalis, & obiectiua; hæc est ipsa entitas rei quæ definitione explicatur, & ad Metaphysicam spectat, illa est instrumentum quo rem explicamus, de qua in præsenti.

II. *Definitur ab Aristotele Definitio.*

Definitio ergo primo Top. c. 4. sic definitur ab Aristotele, *Definitio est oratio explicans quod quid est rei*, seu essentiam rei, quam Philosophi quidditatem vocant, quia per eam satisfacimus quæstioni *quid est res*. *Oratio* ponitur loco generis, quod illi cum cæteris modis sciendi est commune, reliquæ particulæ loco differentiæ, hoc enim peculiare est definitioni vt explicet partes essentiæ per modum vnius, & vt constituentes vnam naturam, quod cùm vnâ dictione fieri nequeat, duæ saltem ad Definitionem requiruntur. Hic verò loquimur solùm de *definitione* apprehensiua, perfectissima verò *definitio* est sola iudicatiua, vt ostendam d. 43. log. s. prima. Oratio autem ibi sumitus prout abstrahit à vocali & mentali, nam qui volunt solas voces, non conceptus orationem esse, valde impropriè loquuntur, cùm enim sit sermo internus & verbum mentis, quidni & oratio?

III. *Definitio essentialis, & accidentalis.*

Diuiditur primò, *Definitio* in *essentialem* & *accidentalem*. *Essentialis* est quæ explicat rem per suas partes essentiales, seu per quas in suâ naturâ & essentiâ constituitur, quæ si physicæ fuerint, seu à parte rei distinctæ & constituentes, vocatur *Definitio essentialis physica*, vt, *homo est compositum ex corpore & animâ rationali*. Si partes fuerint Metaphysicæ, & non à parte rei sed solùm per conceptus nostros distinctæ, quales sunt genus & differentia, vocatur *Definitio essentialis Metaphysica*. vt, *homo est animal rationale*. *Accidentalis*, quæ & *descriptio Definitio* dicitur, est, quæ rei naturam per accidentia quædam & proprietates explicat saltem mediatè, ob connexionem quam ad essentiam habent, vt cùm dicimus, *homo est animal risibile*.

Definitio descriptiua.

IV. *Definitio nominis, & rei.*

Definitio item secundum S. Thomam diuiditur in Definitionem nominis, seu quoad quid nominis, quâ nimirum explicamus quid nomina significent; & in Definitionem rei, seu quoad quid rei, quam iam explicauimus: licèt enim non sciam conceptum quidditatiuum seu essentiam leonis aut elephantis, possum tamen scire perfectè quid homines per illa nomina significent: sicut licèt sciam quid significet *molossus*, nescio tamen vtrùm differat specie ab aliis canibus minoribus.

V. *Regulæ bonæ Definitionis.*

Variæ pro *Definitionibus* assignantur regulæ. Prima est, vt *Definitio* constet genere, seu aliquo quod stet loco generis, per quod definitum conueniat cum aliis; & Differentiâ, per quam à cæteris omnibus secernatur. Secunda, vt nec sit diminuta, vt, *homo est viuens sensibile*, vbi deest differentia: nec superflua, vt, *homo est animal rationale, sensibile*. Tertia, vt conuertatur cum definito, & ab vno ad aliud valeat consequentia, vt, *est homo, ergo animal rationale, est animal rationale, ergo homo*. Cuius ratio est, quia obiectum est idem vtrobique, magis tantùm vel minùs explicatum.

Definitio conuerti debet cum definito.

Quarta, vt non conueniat aliis à definito, & vt omne definitum comprehendat. Quinta, vt sit clarior definito, est enim eius manifestatio, quod semper facit, rem per partes veluti euoluendo. Potest tamen in Definitione poni æquè ignotum ac terminus ordinis quem definitum dicit ad ipsum, vt, *Pater est qui habet filium*, vbi licèt filius sit æquè obscurus atque pater, ordo tamen ad filium est quid notius, vt dici solet in Logica. Sexta, Addi solet, vt detur per genus immediatum, seu proximum rei quæ definitur, non per quodcumque remotum; malè enim hominem definiret qui diceret, *homo est corpus rationale*.

Debet esse clarior definito.

VI. *Regulæ argumentandi à Definitione.*

Prima regula pro argumentatione à definitione est, de quocumque affirmatur vel negatur Definitio, affirmatur vel negatur definitum, & è contra, vt, *Petrus est homo, ergo animal rationale*. Secunda, quicquid affirmatur vel negatur de Definitione obiectiuâ, seu de re definitâ, affirmari vel negari debet de definito, & è contra, vt si de animali rationali affirmamus quod sit viuens, & negamus quod sit insensibile, idem etiam affirmare & negare debemus de homine, cuius ratio est, quia Definitio obiectiua & definitum idem sunt.

VII. *Occurritur Obiectioni.*

Contra, inquis, de Definitione affirmatur quòd sit *oratio explicans naturam rei*, quod tamen de definito affirmare fas non est. Resp. primò, id non affirmari de Definitione obiectiuâ, sed formali. Resp. secundò, sermonem esse de prædicatis realibus, & à parte rei illi conuenientibus, non de iis quæ accipit ab intellectu.

VIII. *Definitio reperitur & in apprehensione, & iudicio.*

Quæres, vtrùm Definitio mentalis consistat in apprehensione, an iudicio. Existimo posse in vtrolibet consistere; in apprehensione, quia per illam potest quis concipere prædicatum commune & differentiale, ac mente vnire genus & differentiam, animal v. g. & rationale, ergo. Dices, non affirmatur quidquam, nec negatur per definitionem illam, ergo non manifestatur res, ergo non est modus sciendi. Distinguo consequens, non est modus sciendi perfectus, concedo consequentiam, imperfectus, nego, nam illa repræsentatio rei per partes explicitè conceptas est clarior repræsentatione rei non per partes, sed quasi confusè. Est tamen etiam Definitio in iudicio, quia affirmamus v.g. hominem esse animal rationale. Sed de hac re plura in log. d. 43. s. 1. vbi eam pleniùs decidemus.

SECTIO II.

De Diuisione.

I. *Quid sit Diuisio.*

DIuisio est *Oratio totum in suas partes distribuens*, vbi totum, *diuisum*, partes *membra diuidentia* dici solent.

II. *Diuisio potentialis.*

Diuisio alia *Potentialis*, alia *Actualis*; *Potentialis* vocatur qua res aliqua diuiditur in partes quas actu non habet, sed tantùm potentiâ, id est, potest habere, vt genus, animal v.g. non dicit actu in conceptu suo species, non enim ex illis componitur, sed solùm est in potentiâ in ordine ad illas, vocaturque respectu illarum *totum potestatiuum*, quia potest de illis prædicari, licèt actu concipiatur nullâ illarum conceptâ: & si diuisum, seu ratio communis sit genus, dicitur *Diuisio* generis in species, vt, *animal aliud homo, aliud equus* &c. Si diuisum sit ratio communis analoga, dicitur *diuisio* analogi in analogata, vt in communi exemplo, *ens aliud substantia, aliud accidens*.

III. *Diuisio Actualis. Diuisio essentialis.*

Diuisio actualis illa est, qua totum diuiditur in partes, ex quibus actu constat, quæ si fuerint physicæ, & realiter distinctæ, dicitur Diuisio actualis physica,

siue

siue partes essentiales fuerint, vt *hominis alia pars corpus, alia anima*, quæ dicitur *diuisio essentialis*; siue integrales, vt, *hominis alia pars caput, alia manus*, &c. quæ appellatur *Diuisio integralis*, desumit enim Diuisio nomen à partibus in quas diuisum distribuunt, ac proinde quot compositionis, tot etiam Diuisionis sunt genera. Si autem partes fuerint metaphysicæ, & non realiter distinctæ, vt *animal & rationale*, vocatur Diuisio actualis metaphysica.

Diuisio integralis.

IV. *Diuisio subiecti in accidentia.*

Diuisio accidentalis illa est quæ datur per accidentia & communiter triplex censetur, prima subiecti in accidentia, vt, *hominum alius albus, alius niger*, ad quam Diuisionem reuocari potest nomen, seu vox, quæ ex placito hominum est obiectum, vel quasi subiectum variarum significationum quæ illi accidunt. Secunda est accidentis in subiectum, vt, *albedo alia lactis, alia niuis*. Tertia est Diuisio accidentis in alia accidentia sibi adiuncta, vt, *album aliud amarum, aliud dulce*, quod non fit nisi in concreto. Porro Diuisio hæc accidentalis potentiali similior est quàm actuali, quia potiùs est ratio superior continens sub se membra diuidentia vt inferiora de quibus prædicari possit, non vt partes actu illam componentes.

Diuisio accidentis in subiectum. Diuisio accidentis in accidentia.

V. *Regula bona Diuisionis.*

Leges Diuisionis sunt: prima, vt sint ad minimum duæ partes, saltem formaliter distinctæ, aliter enim non est Diuisio. Non tamen nimis sunt multiplicandæ, ne confusionem pariant, sed si plures sint enumerandæ præcipuæ & maximè generales. Secunda, vt membra diuidentia non se inuicem includant defectu cuius hæc est mala Diuisio, *animal aliud brutum, aliud leo*. Tertia, vt neutrum membrum adæquet diuisum, quâ de causâ hæc est mala, *animal aliud rationale, aliud sensibile*, quia sensibile æquè latè patet ac animal. Quarta, vt omnia membra diuidentia simul adæquent diuisum, ac proinde hæc est mala Diuisio, animal *aliud homo, aliud leo*, latiùs enim patet animal quàm hæc duo.

VI. *Modi argumentandi à Diuisione.*

Varij pro *Diuisione* assignantur argumentandi modi, qui Diuisioni potentiali potiùs conueniunt, quàm actuali. Primus pro *potentiali* est à positione *diuisi* ad positionem vnius ex membris diuidentibus sub disiunctione, vt, *est animal, ergo vel rationale vel irrationale*, & è contra à positione vnius membri ad positionem totius, *est homo, ergo animal*. Non sic in integrali & actuali Diuisione, non enim valet, *est homo, ergo vel caput, vel pes, vel aliud corporis membrum, est caput hominis, ergo homo*. Secundus item pro solâ *potentiali* est à negatione diuisi ad negationem omnium partium diuidentium, & à negatione harum omnium ad negationem diuisi, *non est homo: ergo nec Petrus, nec Paulus* &c. & è contra. Tertius à positione diuisi & negatione vnius membri, si duo tantùm sint, ad affirmationem alterius, vt, *est animal, non irrationale, ergo rationale*: quod si partes plures sint, omnes negandæ sunt præter vnam, & vice versâ ab affirmatione vnius partis ad negationem alterius, vt, *est animal atque rationale, ergo non irrationale*. *Pro actuali Diuisione* hoc vniuersim dici potest, bene valere ab affirmatione vnius partis ad negationem alterius *est anima, ergo non corpus*, est corpus, *ergo non anima*. Quod enim aliqui dicunt, à diuiso ad partes collectiuè sumptas valere consequentiam, vt, est *est homo, ergo anima & corpus vnita*, videtur potiùs argumentatio à *definitione* physicâ quàm *Diuisione*.

Hic disputant nonnulli vtrùm definitio sit diuersus modus sciendi à Diuisione, sed quia res est non parum controuersa, commodiùs discutietur in logica: De qua proinde dicam d. 43. log. s. 2. Solùm hîc notandum ad modum loquendi, diuisionem sicut & definitionem dici bonam vel malam, non veram vel falsam, veritas enim nisi in iudicio propriè esse non potest. Deinde potest esse propositio vera, & tamen definitio vel Diuisio mala, vt, *homo est animal sensibile*, est vera propositio, mala tamē hominis definitio.

Definitio dicitur bona vel mala, non vera vel falsa.

DISPVTATIO V.

De Propositione.

SECTIO PRIMA.

De Nomine.

I. *Definitio Nominis.*

NOmen non prout idem est cum termino, sed strictiùs sumptum, sic definit Aristoteles primo Periher. c. 2. *Est vox significatiua ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata finita, & recta, quæ cum verbo est veram vel falsam efficit orationem*. Per ly *vox* excluduntur termini mentales, per *significatiua*, voces non significatiuæ per ly *sine tempore* differt à verbo, *cuius nulla pars significat* vt excludantur termini complexi ex duobus verbis, qui secundum aliquos sunt oratio: per ly *finita* excluduntur termini infiniti, quos ob hoc à ratione nominis excludit Aristoteles, quòd non videantur ita apti ad constituendas propositiones doctrinales & scientificas, cùm non significent quid res sit, sed solùm quid non sit, & significatum habent valde interminatum. Per ly *recta* excludit Aristoteles casus obliquos, qui non tam sunt nomina, quàm casus nominum, & significatio est imposita recto: tum etiam quia sensum cum verbo *est* per se efficere non possunt; & per hanc etiam vltimam particulam excluduntur termini adiectiui à ratione nominis.

Termini infiniti non sunt nomina.

Termini adiectiui non censentur nomina.

II. Plurimæ circa hanc nominis definitionem ab Aristotele traditam oriuntur difficultates, quam proinde acriter impugnat P. Hurt. hic s. prima & aliâ impugnatu fortassis non difficiliorem statuit sed res non est tanti, vt illi immorandum censeam.

III. *Quid sit significare tempus.*

Id solum hic cum Doctoribus communiter notandum, hæc tria multùm inter se differre, *significare tempus, connotare tempus*, & *significare cum tempore*. *Significare tempus* hîc dicitur quod ad tempus vel aliquam eius partem significandam imponitur, vt hæ voces, *tempus, annus, dies, hora*, &c. Quorum principale, imò adæquatum significatum est tempus vel pars eius. *Connotare tempus* illa dicuntur, quorum licet principale significatum non sit tempus, sed aliquid aliud, denotant tamen illud aliud certo tempore fieri, vt *prandium* & *cœna* significant comestionem, denotant tamen illam stato tempore fieri debere, ac proinde connotare tempus dicuntur. *Significare cum tempore* est non solùm significare actionem aliquam, sed vlteriùs etiam significare illam exerceri in aliquâ differentiâ temporis, nempe *præterito, præsenti*, vel *futuro*, & cum eo à quo proficiscitur illa actio, in aliquâ ex illis temporis differentiis coniungi: v.g. hoc verbum *scribo* non solùm significat scriptionem, sed quòd illa actio mecum tempore præsenti secundum exercitium coniungatur; vnde manifesta est differentia inter hoc nomen *cœna* & verbum *cœno*, nam *cœna* significat naturam actionis comedendi quasi affectam tempore nocturno, quod connotat, non tamen tempus significat: sicut licèt Pater significet naturam Patris vt connotat filium, non tamen

Connotare tempus.

Significare cum tempore.

Aliud est connotare, aliud significare.

men significat filium, sed *filius* significat filium, *pater* patrem. Verbum autem *cœno* idem significat ac *cœna*, & præterea hanc actionem exerceri in præsenti, & actu coniungi cum eo à quo procedit, vnde hæc verba *cœno*, *prandeo* non solùm connotant tempus, vesperam scilicet, aut meridiem, sed significant cum tempore. Quod idem est de præterito, quo significatur actio præterita coniuncta fuisse cum aliquo, & de futuro, quo significatur coniungenda. Quod verò aliud sit connotare tempus, aliud significare cum tempore, patet, quia mutato tempore verbi, remanet idem tempus connotatum, siue enim dicamus *cœno*, *cœnaui*, vel *cœnabo* mutatur tẽpus cum quo significant illa verba, non tamen tempus quod connotant, quod tempus est nocturnum. Nomen ergo connotat tempus vel illud significat, non significat cum tempore, sed hoc verbo competit & participio.

SECTIO II.

De Verbo & Oratione.

I. *Verbi Definitio.*

VErbum definitur ab Aristotele primo Perihermen. c. 3. esse, *vox significatiua ad placitum, cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, & est eorum quæ de altero dicuntur, nota.* Plurimæ particulæ huius definitionis satis percipiuntur ex definitione nominis. Per ly *cum tempore* differt à nomine vt dictum est, per *recta* intelligitur præsens indicatiui modi, à quo cæteri modi & tempora deriuantur & respectu illius sunt quasi obliqua: per *finita* excludit verba infinita, vt *non curro*, cùm enim per illa determinatum prædicatum affirmari non possit de subiecto, non possunt constituere propositiones scientificas.

II. *Tria Verbi munera. Significare. Importare tempus. Prædicatum vnire cum subiecto.*

Tria munera exercet verbum, primò, significat aliquid, in quo à nomine non discrepat, vt *curro*, vnde in propositione de *secundo adiacente* supplere potest rationem prædicati, vt, *Petrus currit*. Secundò, significat actionem aliquam exerceri certo tempore, quod est significare cum tempore. Tertiò, vnit prædicatũ cum subiecto, quod est munus illius, vt est copula. Potest ergo infinitari verbum quoad vnum munus, significationem v. g. quin necessariò infinitetur quoad aliud, copulationem v. g. vnde in hac propositione, *Petrus non currit* duplex potest esse sensus, primus, vt solùm negetur cursus de Petro, & sic negatur verbum, & fit propositio purè negatiua: Secundus, vt vniatur Petro negatio cursus, sicque fit propositio affirmatiua de extremo negato: negatio enim cùm sit ad placitum, applicatur pro libito ab hominibus, & vim suam vel vni vel alteri significationi verbi accommodat.

III. *Verbum potest aliquo modo infinitari.*

Quòd autem possit verbum secundum aliquid infinitari, probatur ex syllogismo illo quem conficit Aristoteles primo Post: c. 3. sic enim habet, *stellæ non scintillantes sunt prope nos, sed planetæ non scintillant, ergo planetæ sunt prope nos.* Vbi minor necessariò sumi debet infinitanter, vt sensus sit, planetæ sunt stellæ non scintillantes, vt maneat propositio affirmatiua, aliter in prima figura concluderetur ex minori negatiua, contra leges syllogysticas. Imò & de planetis, si non existerent, tam affirmari posset per propositionem negatiuam *non scintillare*, atque dum existunt, sicut hæc tamen est vera propositio, *Antichristus non loquitur.* Sufficit ergo vt verbum distinguatur ab omni alio, quod infinitari non possit quoad munus copulæ, per quod solum ab aliis omnibus distinguitur, nam participia etiam significant cum tempore.

IV. *Quo sensu Verbum est subinde infinitetur.*

Huic addo, verbum *est* infinitari posset quoad ens in se inclusum, idque non in propositionibus tantùm necessariis, vt *Chimæra non est*, id est, *est non ens*, in quibus verbum absoluitur à tempore, sed etiam in contingentibus, vt, *Petrus est*, infinitari potest dicendo *Petrus non est* id est, *est non ens*, nec ibi affirmo simpliciter existentiam de Petro, sed solùm quantum sufficit ad verificandam propositionem, ad quod non requiritur vt realiter tunc existat, est enim *abstractio* vbi verbum non supponit pro differentiâ temporis per copulam importatâ, quo etiam modo verificantur illæ propositiones, *Petrus est mortuus, ignis est extinctus*, &c. vbi si necessariò significetur existentia Petri & ignis nunc exercita sunt falsæ propositiones; significatur ergo eorum existentia, non quæ modò est, sed quæ aliquando fuit exercita, quæ sufficit & requiritur ad veritatem harum & similium propositionum, quod etiam suo modo dicendum in propositionibus de futuro.

V. *Difficultas circa absolutionem Verbi à tempore.*

Dices, in propositionibus necessariis, vt, *homo est animal*, verbum absoluitur à tempore, vt suprà diximus, ergo non significat cum tempore, sic enim ab illo non absolueretur, ergo ibi non est verbũ. Resp. primò, absolui à tempore, non esse nullum tempus significare, sed potius significare omnem differentiam temporis, præsentis scilicet, præteriti, & futuri indiscriminatim, & non restringi ad differentiam temporis per copulam importatam. Secundò dico, verbum absolui à tempore non incongruè dici posse non significare aut exercere vnionẽ *existentiæ* inter prædicatum & subiectum, sed solùm vnionem *essentiæ*, sicque quando nullo homine existente dicimus, *homo est animal*, vera est propositio, non enim enuntiamus pro tempore præsenti vnionem existentiæ inter animal & hominem, ita vt asseramus tunc hominem existere animal, sed solùm denotat propositio vnionem essentiæ inter hominem & animal, id est, innuit animal esse prædicatum ita intrinsecũ, & essentialiter petitum ab homine, vt nec esse nec concipi sine illo possit. Vnde semper vera est hæc propositio, *homo & fuit, & est, & erit animal*, & explicari debet quasi conditionatè hoc modo, *homo si fit, vel quandocumq; est, debet esse animal.* Quando autem verbum absoluatur à tempore, quando non, ex natura extremorum iudicandum est, quæ si fuerint essentialia, arguunt tantùm connexionem prædicatorum essentialium, & verbum absoluitur à tempore, si accidentalia, connexionem cum existentiâ subiecti cui contingunt. In prioribus verò dicitur verbum absolui à tempore quia cùm non importetur existentia, non tam habetur ratio verbi, secundũ munus significandi cum tempore, quam secundum munus vniendi prædicatum cum subiecto, seu copulæ.

Homo est animal est propositio quasi conditionata.

VI. *Quid sit Oratio.*

Orationem (vocalem scilicet) sic definit Aristoteles primo Perihermen. c. 4. *est vox significatiua, cuius partium aliqua separata significat, vt dictio, sed non vt affirmatio vel negatio: vt dictio*, id est, sine vero vel falso; quæ definitio sicut & præcedentes, suas habet easque satis graues difficultates. Alij sic orationem definiunt, *Oratio est cuius altera pars separata est significatiua.* quæ definitio conuenit etiam termino complexo, quem etiam orationem esse asserunt hi auctores. P. Hurtado hîc Orationem sic definit. *Est vox significatiua composita ex nomine & verbo mutuò congruentibus.* Oratio vocalis alia perfecta, quæ sensum facit integrum, & non relinquit suspensum audientis animum, vt, *paries est albus*; alia imperfecta, vt, *si vales* &c. Perfecta alia enuntiatiua, quæ affirmat vel negat, vt, *sol lucet, Petrus est homo*, & omnes ferè indicatiui modi, alia non enunciatiua, in qua licèt sensus sit perfectus, nihil tamen affirmatur vel negatur, quales sunt plerumque imperatiui & optatiui modi, vt, *perge studere, vtinam saluer, fac hoc*, &c. quæ

Oratio nec vera nec falsa.

proinde

proinde orationes nec veræ sunt, nec falsæ.

SECTIO III.

Explicatur natura Propositionis, & dividitur in Categoricam, & Hypotheticam.

I. *Propositio est alicuius de aliquo enunciatio.* PRopositio est oratio enuntiatiua alicuius de aliquo: Per *Orationem*, quæ est loco generis, conuenit cum Oratione imperfectâ, per alias particulas differt. Diuiditur propositio in affirmatiuam & negatiuam, quæ vtrùm sit essentialis diuisio, nec ne, dicetur in Logica. Secundò, in veram vel falsam, quæ oritur ex præcedente. Tertiò in *Categoricam* & *Hypotheticam*. *Explicatur natura propositionis categoricæ.* *Categorica* est quæ constat subiecto, prædicato, & copulâ. quæ semper verbum esse debet, & vnire prædicatum subiecto. Hæc porrò copula vnica tantùm sit oportet, licèt enim illa verba reperiri possint in propositione Categoricâ, tum ex parte subiecti tum prædicati, vt in hac propositione quam omnes fatentur esse categoricam, *paries qui est albus, disgregat visum*, non tamen sunt copulæ illæ exercitæ, sed solùm circumstantiæ prædicati vel subiecti, nil enim affirmant vel negant, sed quasi supponendo vnum, affirmatur per copulam principalem aliud, vocanturque copulæ solùm minùs principales, & *implicationes*, seu implicitè importatæ, perinde enim est ad hanc propositionem siue quis dicat, *paries albus disgregat visum*, siue, *paries qui est albus disgregat visum*, vnde prior illa copula non est copula huius propositionis.

II. Hæc autem est propositio integra categorica, *Petrus est*, includitur enim prædicatum in verbo, nempe participium, & sensus est, *Petrus est existens*, vel *Petrus est ens*. & idem dicendum de omnibus fere verbis, præsertim tertiæ personæ, vt, *currit*, *scribit* &c. ex quibus proinde vt fiat propositio categorica, solum addendum subiectum. Quando ergo in istis propositionibus ponitur prædicatum explicitè, vocatur propositio *de tertio adiacente*, vt, *Petrus est albus*; sed si solùm includatur in verbo, dicitur propositio *de secundo adiacente*. vt, *Petrus est*, *Petrus*, *currit* &c. *Propositio de secundo, & tertio adiacente.* Hæc autem, *pluit*, *ningit*, *grandinat*, *scribo*, *lego* &c. in voce propositiones non sunt, sunt sensu, vnde iis auditis, statim consentimus vel negamus.

III. *Quid sit propositio hypothetica.* *Hypothetica est quæ constat ex duabus propositionibus categoricis, vel saltem orationibus tanquam extremis*, in qua copula non est verbalis, sed vna fere ex his coniunctionibus *&*, *vel*, *aut*, *si*, *quia*, Non ergo affirmat vnam propositionem aut orationem de alia, tanquam prædicatum de subiecto, sed solùm enunciat nexum vel disiunctionem earum inter se. Vnde nimis religiosè, & contra communem sententiam summulistarum etymologiæ nominis adhæret P. Hurt. hic d. 4. s. 3. §. 7. dũ solas propositiones conditionales vult esse hypotheticas, vt, *si sol ortus fuerit, erit dies*, quòd scilicet hypothesis idem sit ac suppositio, vnde negat hanc esse hypotheticam, *Petrus currit & Paulus loquitur*. Sed nobis non est recedendum à communi modo loquendi.

SECTIO IV.

De materia, & forma, quantitate, & qualitate propositionis categoricæ.

I. *Propositio de materia necessaria, contingente & impossibili.* MAteria propositionis *Categoricæ* est habitudo, vel respectus prædicati ad subiectum, qui triplex est, *necessarius*, *impossibilis*, & *contingens*, à quibus propositiones suam item denominationem desumunt, quod etiam in propositione hypotheticâ verum est. Dicitur ergo propositio de materiâ necessariâ seu naturali, quando prædicatum necessariò vel naturaliter conuenit subiecto; necessariò vt, *homo est animal*, naturaliter, vt, *ignis est calidus* Propositio de materia impossibili seu remotâ est, cùm prædicatum repugnat subiecto, vt, *homo est lapis*. Cùm autem ita prædicatum conuenit subiecto, vt possit naturaliter non conuenire, dicitur esse in materiâ contingenti, vt, *Petrus currit*.

II. *Animal est rationale est propositio contingens.* Hæc ergo propositio *animal est rationale*, si animal capiatur pro genere, est contingens, licèt enim rationale sit substantia, conuenit tamen animali vt sic, accidentaliter, animal enim non magis petit contrahi per differentiam rationalis quàm irrationalis, vnde dicitur rationale (idem est de irrationali) respectu animalis accidens, non physicum, seu in entitate, sed metaphysicum, id est, accidentaliter ei conueniens. Vnde duplex est propositio accidentalis, altera cùm prædicatur accidens, quod conuenit subiecto contingenter, vt, *paries est albus*, altera cùm prædicatur id quod licèt sit substantia entitatiuè, accidentaliter tamen seu contingenter conuenit subiecto, vt, *animal est rationale*, *animal est irrationale*.

III. *Forma Propositionis.* Forma Propositionis est vnio seu copula propositio enim est quid compositum seu vnitũ, compositi autem & vniti forma est vnio.

IV. *Quantitas Propositionis.* Quantitas Propositionis(metaphorâ à rebus ad propositionem translatâ) est extensio quædam vel limitatio subiecti, vt pro pluribus vel paucioribus sumatur, estque quadruplex, *vniuersalis*, cùm subiectũ principale est terminus cõmunis affectus signo vniuersali, vt, *omnis leo rugit*. *Particularis*, cùm subiectum est terminus communis affectus signo particulari, vt *aliquis leo rugit*: *indefinita*, cùm subiectum est terminus communis, nullo signo affectus, vt, *leo rugit*; *singularis* demum cùm subiectum est terminus singularis, vel stat pro singulari, vt, *Petrus*, *vel hic homo currit*, *Philosophus studet*, intelligendo de Aristotele.

V. *Propositio indefinita subinde æquiualet particulari. Propositiones indefinitæ iuris, & fidei.* Circa Propositionem indefinitam id solum notandum, in materia contingenti æquiualere particulari, vt, *aquila volat*, id est, *aliqua aquila vola*, nisi cum terminus communis supponit immobiliter, vt *homo est species*: in materiâ autem naturali æquiualet vniuersali, vt, *homo est animal*, id est, *omnis homo est animal*. Quod idem dicunt Theologi & Iuristæ, hi in propositionibus legis, vt, *homicida capite plectatur*, id est, omnis *homicida*; illi in Propositionibus fidei, vt, *moriens in gratia saluabitur*, id est, omnis moriens in gratia. Nulla verò quoad hoc habetur ratio prædicati, vnde hæc est vniuersalis Propositio, *omnes tres Diuinæ Personæ sunt Deus*: nec casus obliqui, quare hæc est quantitatis vniuersalis, *omnis equus Petri currit*, hæc particularis, *aliquis equus omnium hominum currit*.

VI. Qualitas Propositionis duplex recensetur ab auctoribus, veritas & falsitas, affirmatio & negatio, quarum tamen exacta examinatio, ad logicum spectat, nam affirmatio & negatio communiter dicuntur essentia potiùs propositionum quàm qualitas Id solum hîc notandum, quæ propositio sit affirmatiua, quæ negatiua, ex copula principali, seu officium copulæ exercente dignosci, quæ si affirmatiua sit, erit propositio affirmatiua, licèt habeat aliam copulam minùs principalem negatiuam, vt, *qui non quiescit, mouetur*, est affirmatiua. erit autem Propositio negatiua principali copulâ negatâ, licèt minùs principalis sit affirmatiua, vt, *qui moritur in peccato, non videbit Deum*, quæ est Propositio negatiua. *Vnde dignoscatur propositio esse affirmatiua vel negatiua.*

SECTIO V.

De Propositione Hypotheticâ.

I. *Natura propositionis hypotheticæ.*

PRopositionis *Hypothetica* naturam suprà declarauimus sec. 3. aliqua solùm hîc notanda. primò, non sufficere vt Propositio sit *Hypothetica*, quod in sensu æquiualeat *Hypothetica*, sed requiritur vt ex communi modo significandi indicet connexionem plurium sententiarum, sicut nec *homo* est terminus complexus, licèt idem sit quod *animal rationale*, nec hæc propositio *homo est animal*, est hypothetica, licèt æquiualeat huic, *Petrus est animal* & *Paulus est animal*; vnde hæ & similes non sunt hypotheticæ, sed

Categoricæ de extremo copulato.

categoricæ, *Petrus & Ioannes student*, *Petrus est studens & legens*, licèt hypotheticis in sensu æquiualeant, sed sunt categoricæ *de extremo copulata*, prima de subiecto copulato, secunda de copulato prædicato. Hæc autem, *lega & scribo*, est hypothetica, non præcisè quia æquiualet hypotheticæ, sed quia ex vsu & modo loquendi, verbum solum prolatum, vt supra diximus, capi solet pro integrâ propositione categorica. Hæ verò & similes, *Petrus qui ambulat*, *disputat*,

Categorica de subiecto circumstantionato.

omnis homo qui currit, mouetur, non sunt hypotheticæ sed catagoricæ *de subiecto circumstantiato*, licèt enim sint ibi duo verba, primum tamen non exercet rationem copulæ, cùm non affirmet vel neget, sed solùm aliquid supponit, vt supra diximus, nam si affirmatet, secunda propositio quæ est necessaria & vera, esset falsa, affirmaret enim omnes homines currere, quod est falsum. Ad *hypotheticam* ergo requiritur duplex categorica inter se copulata, præsertim in copulatiuis & disiunctiuis, quod tamen hîc non contingit.

II. *Quantitas propositionis hypotheticæ.*

Secundum est, *quantitatem* Propositionis hypotheticæ desumi ex Propositionibus categoricis, ex quibus constat, quæ illi sunt instar prædicati & subiecti. Aliam tamen etiam peculiarem sibi habent quantitatē desumptam ex copula, quę si fuerit coniunctio *&*, Propositio erit vniuersalis, quia ad suam veritatē petit ambas categoricas veras; si coniunctio sit disiunctiua, erit particularis, quia ad eius veritatem sufficit altera catagorica vera vt, *Petrus studet vel currit*,

III. *Quæ hypothetica sit affirmatiua, quæ negatiua.*

Tertium est, *hypothetica* sitne affirmatiua an negatiua, dignoscendum ex copula principali, seu coniunctione, non ex copulis categoricarum, vnde hæc est affirmatiua, *Petrus non scribit*, *& Paulus non currit*, quia copula est affirmatiua, solùm enim ibi spectatur vnio illarum sententiarum inter se, quæ cùm affirmetur, propositio erit affirmatiua, & idem est de negatiuâ, *contrariorum* enim *contraria vel eadem est ratio, & consequentia.*

IV. *Differentia inter* Nullus *&* Non *posita initio propositionis.*

Hîc verò notandum, si negatio sit nominalis, vt *nullus*, ac ponatur in initio Propositionis, non negat copulam principalem, sed relinquit Propositionem affirmatiuam, vnde hæc propositio, *Nullus homo loquitur, & equus currit*, est affirmatiua; si verò negatio sit aduerbialis, vt *non*, posita in initio facit Propositionem negatiuam, hæc enim ex modo significandi & vsu negat in Propositione materiam sibi subiectam, nempe copulam, quæ in hypotheticâ est coniunctio: vnde hæc est negatiua, *non Petrus currit, & Paulus loquitur*: hæc affirmatiua, *Petrus non currit*, *& Paulus non loquitur.*

V. *Hypothetica copulatiua.*

Hypothetica Propositio est quadruplex, copulatiua, cuius partes principales vniuntur particulâ *&* aut aliâ simili copulatiuè, non copulatim sumptâ, seu vniente integras Propositiones; non simplices solùm terminos, vt *Petrus currit*, *& Paulus loquitur*. Particulæ autem istæ sunt *tam, quàm, talis, qualis*, *qui.*

VI. *Hypothetica disiunctiua.*

Disiunctiua, cuius partes principales vniuntur coniunctione disiunctiuâ *vel*, aut aliâ simili disiunctiuè sumptâ, non disiunctim; vt, *Petrus currit, vel loquitur.* Disiunctiua verò non facit sensum exclusiuum, sed præcisiuum, sensus enim illius propositionis, *Petrus currit*, *vel loquitur* non est hic, *vel Petrus tantùm currit, vel tantùm loquitur*, ita vt si vtrumque faciat, sit futura falsa propositio (licèt non negem aliquas propositiones disiunctiuas interdum hunc sensum facere posse maxime in prædicatis contradictoriis) sed potiùs est magis vera, quia magis recedit à falsitate; necessaria ergo est veritas alterius partis, neque obstat, [illegible] requiritur veritas vtriusque.

VII. *Hypothetica conditionalis.*

Conditionalis ea est, cuius partes vniuntur particulâ *si* illatiue sumptâ, denotando scilicet vnum conditionatè inferri ex alio. Vnde conditionalis propositio est quædam quasi argumentatio habens primam partem pro antecedente, *si* pro copula, & secundam partem pro consequente, vt, *si mater est, diligit filium: si sol lucet, dies est* &c. Particula enim *si* aliquando aliis modis sumitur, *permissiuè*, vt, *si Petrum videris, meis eum verbis saluta*: *interrogatiuè* sine villa tionis, vt, *si valet frater tuus.* Veritas huius propositionis ex solâ illatione pensanda est, vnde hæc est falsa, *si homo est animal, equus est hinnibilis*, licèt vtraque pars sit vera, quia vnum non sequitur ex alio. Poterit etiam esse vera, licèt vtraque pars seu categorica sit falsa; vnde vera est hæc propositio. *si lapis est equus, est hinnibilis*, dato enim primo, sequeretur necessariò secundum, *conditionale* enim *nihil ponit in esse*, id est, non affirmat quidquam reuera & de facto esse, sed affirmat solùm quid foret, si alterum verè esset.

Conditionalis falsa, licet vtraque categorica sit vera & contra.

VIII. *Necessitas Metaphysica, Physica, & Moralis.*

Conditionalis necessaria triplex est, necessitate metaphysicâ, physicâ, & morali: *metaphysicâ*, cùm nec per diuinam potentiam potest aliter contingere, vt, *si homo est, est rationalis*; *physicâ*, cùm secundum naturas rerum non potest aliter contingere, licèt per diuinam potentiam possit, vt, *si ignis est approximatus, calefacit*; *morali*, cùm vt plurimum contingit, licèt etiam naturaliter possit contrarium accidere, vt, *si mater est, diligit filium.*

IX. *Hypothetica Causalis.*

Conditionali affinis est *causalis*, cuius partes vniuntur per particulam *quia*, & denotat vnum inferri absolutè ex alio. Differt à conditionali, primò, quòd hæc conditionatè solùm inferat, causalis absolutè. Secundò, quòd hæc denotet vnum esse veram causam alterius, illa autem quamuis hoc non renuat, non tamen requirit; vnde vt vidimus, licèt vtraque pars conditionalis sit falsa, illa tamen potest esse vera, vt, *si Petrus est leo, est rugibilis*, in causali autem vt vera sit, non requiritur solùm vt vtraque pars sit vera, sed vlteriùs vt vna sit causa alterius, vt autem sit falsa sufficit vel vnam partem esse falsam, vel non esse causam alterius, vt, *quia leo volat est rugibilis*, *quia equus est quadrupes est hinnibilis.*

DISPVTATIO VI.

De Proprietatibus Propositionum.

Propositiones modales, & de inesse.

PRopositiones aliæ cùm modo quodam proferuntur, vt, *lepus necessariò currit*, quæ proinde *modales* vocantur; aliæ sine huiusmodi modo, vt *Petrus studet*, & vocantur propositiones *de inesse*, quas hæ sequuntur proprietates, *oppositio, æquipollentia & conuersio*. De singulis aliquid dicendum.

SECTIO PRIMA.

De Oppositione Propositionum de inesse.

I. *Quid sit oppositio propositionum.*

OPpositionem rigorosam sic definit Aristoteles primo Perihet. c. 4. *est affirmatio & negatio eiusdem de eodem*, opponi namque est quasi contraponi, seu negare quod alia affirmabat, vt, *Petrus studet*, *Petrus non studet*: ad hanc porrò variæ requiruntur conditiones: prima est, vt sit idem vtrobique prædicatum & subiectum, alioqui non erit eiusdem de eodem; vnde hæ non sunt oppositæ, *canis latrat, canis non latrat*, si in vnâ intelligatur de cane terrestri, in alterâ de cælesti, quia non est idem subiectum: nec hæ, *Petrus est Gallus, Petrus non est Gallus*, si Gallus in diuerso sensu accipiatur, quia licèt subiectum sit idem, non tamen est idem prædicatum, sed mutatur suppositio. Secunda, vt extrema eodem ordine participentur, hoc est, maneant in vtraque eædem circumstantiæ loci ac temporis, eadem adiectiua, aduerbia &c. Defectu cuius hæ non sunt oppositæ, *Christus est sub speciebus panis, Christus non est sub speciebus panis*, si vna propositio intelligatur de Christo vt in Sacramento, alia de eo vt in cælo: nec hæ, *omnis homo currit, aliquis homo non cucurrit*, si prima intelligatur de cursu heri exercito, altera hodie, & huiusmodi alia infinita. Tertia, vt seruentur vtrobique eædem proprietates logicales, videlicet *ampliatio, restrictio, appellatio*, & *suppositio*, nisi quòd in suppositione distributiuâ aliquid singulare reperiatur, de quo postea.

Tres conditiones ad oppositionem propositionum requisitæ.

II. *Quatuor genera oppositionum.*

Oppositionum communiter quatuor recensentur genera; *Contradictoria, contraria, subcontraria*, & *subalterna*. *Contradictoriæ* sunt duæ propositiones quarum vna est affirmatiua, altera negatiua, vna vniuersalis, altera particularis, vel vtraque singularis, vt, *omnis homo currit, aliquis homo non currit, Petrus studet, Petrus non studet*: hæ ergo non sunt contradictoriæ, *Omnis homo studet, Petrus non studet*, possunt enim simul esse falsæ, si Petro studente Ioannes non studeat, & idem est de omni propositione singulari quando altera est vniuersalis, contradictoriæ enim nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt. Hæ etiam non sunt contradictoriæ, *omnes homines currunt, aliqui non currunt*, possunt enim esse simul falsæ si omnes currant præter vnum. Ratio vtriusque est quia datur medium inter hoc quòd est omnes currere, & aliquos non currere, nempe aliquem non currere,

Contradictoria.

Contradictoria simul vera, aut simul falsa esse non possunt.

quod de illis etiam proximè assignatis dicendum. Reducuntur ergo hæ propositiones ad contrarias.

III. *Contraria.*

Contrariæ sunt duæ propositiones eiusdem semper qualitatis, & vtraque semper vniuersalis, vt, *omnis homo est animal, nullus homo est animal*: *Petrus vbique studet, Petrus nullibi studet*: ad quas reducuntur hæ & similes quæ quasi vniuersales censentur, quia nec particulares nec singulares sunt, nempe, *Petrus & Paulus currunt, Petrus & Paulus non currunt*. *Contrariæ* simul veræ esse non possunt, sic enim sequerentur duæ contradictoriæ simul veræ contra lumen naturæ: Probatur, si enim hæ essent simul veræ, *omnis homo est albus, nullus homo est albus*, hæ similiter essent veræ, *omnis homo est albus, aliquis homo non est albus*, nam hæc posterior includitur in illa *nullus homo est albus*, ergo si illa est vera, à fortiori hæc. Simul falsæ in materia contingenti esse possunt, vt patet ex posito exemplo, non tamen in materia necessaria vel impossibili, quia in illis materiis quod conuenit aut disconuenit vni, conuenit & disconuenit omnibus, vt discurrenti constabit.

Propositiones contrariæ simul veræ esse nequeunt.

Possunt tamen esse simul falsæ.

IV. *Subcontraria.*

Subcontrariæ sunt duæ propositiones particulares, vel saltem indefinitæ (hæ enim in materia contingenti æquiualent particularibus, vt supra diximus) quarum vna est affirmatiua, altera negatiua vt *aliquis homo currit, aliquis homo non currit*. Hæ non sunt propriè oppositæ, quia non de eodem, vnde non mirum quòd simul veræ esse possint in materia contingenti, vt *aliquis homo loquitur* est verum, si Petrus loquatur, item, *aliquis homo non loquitur* est verum, si Antonius non loquatur. In materia autem remota seu impossibili & naturali simul veræ esse non possunt, sic enim darentur duæ contrariæ, & consequenter contradictoriæ simul veræ: si enim hæc est falsa, *aliquis homo disputat*, vera erit hæc *nullus homo disputat*, est enim eius contradictoria, & si hæc simul est falsa, *aliquis homo non disputat*, vera erit hæc, *omnis homo disputat*, quæ est eius contradictoria, sicque duæ contrariæ erunt simul veræ, nempe, *omnis homo disputat* & *nullus homo disputat*, ex contrariis autem veris sequuntur contradictoriæ simul veræ, vt iam diximus, ergo.

Propositiones subcontrariæ interdum sunt simul veræ.

V. *Subalterna.*

Subalternæ (quæ vix dici possunt oppositæ) sunt duæ propositiones quarum vtraque est affirmatiua, vel vtraque negatiua, & solùm differunt in quantitate quia vna est vniuersalis, vel indefinita in materiâ saltem necessariâ, & *subalternans* vocatur, altera particularis, & vocatur *subalternata*, vt, *omnis homo est animal*, vel *homo est animal*, *aliquis homo est animal*; vnde vna includitur in aliâ, & vnius veritas & falsitas pendet à veritate & falsitate alterius, non tamen conuertibiliter licèt enim valeat, *omnis homo est animal, ergo aliquis homo est animal*, non tamen è contra. Quæ omnia ex subiectâ tabulâ melius perspicientur.

TABVLA OPPOSITORVM



SECTIO II.

Corollaria quædam circa Oppositionem Propositionum.

I. *Contradictoria oppositio est natura prior oppositione contraria.* EX dictis infertur primò *contradictoriam* Oppositionem & *contrariam* habere se sicut excedens & excessum. *Contradictoria* est prior naturâ oppositione *contrariâ*, quia prius naturâ destruitur, & immediatiùs veritas propositionis vniuersalis per particularem contradictoriam, quàm per vniuersalem contrariam, & prius est *aliquem hominem non esse animal, quam nullum esse animal*, *simpliciora enim sunt priora*. *Simpliciora sunt priora* Hoc ergo sensu contradictoria oppositio est nobilior contrariâ, sicque ab Aristotele primo Periher. c. 4. vocatur oppositio per antonomasiam. Alio tamen sensu maior est oppositio contraria, quia vna propositio destruit aliam totaliter, & non partialiter tantùm, vt in contradictoriis, qua de causâ contraria dicuntur maximè distare, vnde & mediū in illis dari potest, sicut in distantia locali quæ multùm distant, facilè medium habere possunt; nec etiam est necessarium vt quis sit Romæ proximus, vel distet centum leucis, potest enim distare vnâ vel duabus tantùm, quod est habere medium; contradictoriæ verò, cùm minimum distent, habere medium non possunt. *Contradictoria non habent medium.*

II. Inferas secundò, nullas dari posse contradictorias simul veras & simul falsas, quod licèt omnium, & ipsius pœnè naturæ vox sit, aliqua tamen exempla hic discutienda apponam, in quibus peculiaris aliqua difficultas esse possit. *Contradictoria in specie simul vera & falsa.* Primò ergo, hæ, quæ ab aliquibus pro contradictoria afferuntur, *Petrus necessariò currit, Petrus necessariò non currit*, *Petrus nonnunquam studet, Petrus nonnunquam non studet: paries essentialiter est albus, paries essentialiter non est albus*, contradictoriæ non sunt, quia vna non negat quicquid altera affirmat, prima enim affirmat cursum & necessitatem de Petro, secunda licèt neget cursum, nō tamen necessitatem, imò eam affirmat de non cursu, & sic vocantur contrariæ *de lege*, id est, seruant leges oppositionis contrariæ quoad veritatem & falsitatem, licèt propriè contrariæ non sint. *Contraria de lege.* Hæ verò, *vtercum oculus videt vtercum oculus non videt*, non sunt contradictoriæ, simul enim falsæ esse possunt, si alter oculus claudatur, vel sit extinctus, reducuntur ergo ad contrarias, vt suprà diximus de illis *Petrus & Paulus currunt*, *Petrus & Paulus non currunt*, sicut nec hæ contradictoriæ sunt *vterque homo currit*, *vterque homo non currit*. Contradictoriæ ergo harum sunt, *vtercu oculus videt, alter oculus non videt; vterq; currit, alter non currit*, &c.

Hæ autem, *aliquis equus requiritur ad equitandum*, *nullus equus requiritur ad equitandum*; contradictoriæ non sunt, sed vtraque vera, mutatur enim suppositio, & equus in primâ propositione supponit confusè speciali confusione, in secundâ distributiuè, sicque non est identitas subiecti, cùm in primâ de nullo in particulari affirmem necessitatem, sed solùm de toto disiunctò, in secundâ verò nego determinatè & distributiuè de singulis, atque ita non nego de eodē de quo antea affirmabam. III.

Dices semper in contradictoriis vbi altera est de termino communi, mutatur suppositio distributiua in determinatam, vt, *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, vbi homo in primâ propositione supponit distributiuè, in secūdâ determinatè, ergo mutatio suppositionis non obstat contradictioni. Resp. hanc mutationem suppositionis non obstare, quia non facit quod sit aliud subiectum, cùm enim dico, *omnis homo*, comprehendo omnia particularia determinatè, & consequenter cùm dico *aliquis homo non currit*, significo vnum ex illis quæ antea in vniuersali significabantur non currere, vnde de eo nego de quo antea affirmabam, licèt antea de alus simul cum eo affirmarem hoc tamen non impedit quo minùs de eo etiam affirmarem. IV. *Difficultas circa propositiones contradictorias.*

Est difficultas de hac propositione apud Theologos, *Deus generat*, *Deus non generat*, vtrùm vna sit contradictoria alterius. Dico, si hoc modo explicentur, *Deus in aliqua persona generat*, *Deus in vllâ personâ non generat*, *seu in nullâ personâ generat*, sunt contradictoriæ, sed secunda est falsa, nam natura Diuina vt in primâ Personâ Patris, generat verbum Diuinum. V.

Inferas tertiò contra nonnullos recentiores, nullam dari propositionem cui non possit assignari contradictoria. VI. *Nulla est propositio cui assignari nequeat contradictoria.* Præcipuam statuunt difficultatem in propositione constante ex duabus catagoricis sibi inuicem contradicentibus, vt, *Petrus currit & non currit*, cui, inquiunt, nihil contradictorium afferri potest, nam quicquid affirmas vel negas de Petro, cursum scilicet vel non cursum est in priori propositione affirmatum & negatum. Ad hoc etiam dico, contradictoriam illius propositionis esse hanc, *non Petrus currit & non currit*, vel ista, *non simul Petrus currit & non currit*, alia enim propositio non affirmabat cursum & non cursum de Petro quomodocunque, sed simul, vnde secunda negat cursum & non cursum, non quomodocumque Petro conuenire, sed conuenire simul, cum ergo obiectum illius propositionis vt hypothetica est, sit illa simultas cursus & non cursus, obiectum contradictoriæ erit negatio illius simultatis. *Non enim est aliud negare, quàm toti propositioni non præponere.* Vnde cùm duæ illæ categoricæ vniuntur in hypotheticâ, habet illa ex vi illius coniunctionis diuersum significatum ab iis categoricis non vnitis, seu extra propositionem hypotheticam prolatis, nempe simultatem, quam proinde negat contradictoria.

Dices, *contradictoria* debet negare quicquid altera affirmabat, sed altera affirmabat Petrum currere & non currere, ergo contradictoria debet vtrumque negare de Petro, & currere scilicet & non currere, ergo etiam est falsa. Resp. distinguendo maiorem, debet negare quicquid altera affirmabat eo modo VII. *Occurritur obiectioni circa prædictas contradictorias.*

quo

quo ab illa affirmabatur, concedo maiorem, alio modo quam ab illa affirmabatur, seu absolutè, nego: hypothetica autem, quà talis, affirmat solam connexionem illorum duorum de Petro, non vllum sigillatim, vnde & contradictoria etiam hypothetica debet negare illa eo modo quo affirmabantur, nempe simul esse in Petro, non sigillatim, sic enim non esset contradictoria.

SECTIO III.

De Æquipollentia Propositionum.

I. *Quid sit propositionum æquipollentia.* ÆQuipollentia propositionum est *duarum propositionum æquivalentia*, quæ nascitur ex diuersis signis quibus propositio afficitur. Diuersa autem ratio est de signis pluralibus & singularibus. Pro æquipollentiâ signorum numeri singularis dignoscendâ tres tradi solēt regulæ, quæ hoc versu à Dialecticis comprehenduntur.

II. *Regula ad cognoscendā æquipollentiam propositionum.* *Præ contradic, post contra, præ postq́, subalter.*

Præ contradic, hoc est, si vni contradictoriarū præponatur particula *non* erit æquipollens seu æquiualens alteri contradictoriæ, v.g. hæ sunt contradictoriæ, *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, si ergo primæ propositioni præponas aduerbium *non*, & dicas, *non omnis homo currit*, æquiualebit huic, *aliquis homo non currit*, quæ erat contradictoria primæ. *Post contra*, hoc est, si subiecto vnius ex contrariis postponatur aduerbium *non*, æquipollebit alteri contrariæ, vt, *omnis homo est albus*, *omnis homo non est albus*, secunda significat idem ac, *nullus homo est albus*. *Præ postq́, subalter*, hoc est, si vni subalternarum præponatur negatio, & post subiectum ponatur alia, erit æquipollens alteri subalternæ, vt, *omnis homo currit*; *aliquis homo currit*, si dicas, *non omnis homo non currit*, perinde erit ac si diceres, *aliquis homo currit*; paritas enim negationum affirmat, imparitas negat.

Hoc, vt dixi, aduertendum, differentiam, scilicet esse inter terminos signis pluralibus affectos & singularibus, nam singularia distribuunt diuisiuè per singula indiuidua, pluralia verò sumuntur non pro singulis indiuiduis, sed pro collectionibus eorum, vnde *omnes homines currunt* non debet resolui sicut *omnis homo currit*, nempe, *hic homo currit*, *& ille homo currit*, &c. sed hoc modo, *hi homines currunt & illi homines currunt*. Vnde hæ non sunt contradictoriæ, *omnes homines currunt*, *aliqui non currunt*, sed potiùs contrariæ, cùm simul falsæ esse possint si omnes currant præter vnum: vnde *non omnes non* æquipollet huic, *aliqui non*, sicut *non omnis* huic, *aliquis non*. Quæ clarè ex sequenti tabulâ innotescent. III. *Diuersitas æquipollentiæ in signis pluralibus, & singularibus.*

Tabula Æquipollentiæ, & Oppositionis in signis Pluralibus.

	Omnes.	Nulli.	Aliqui.	Non omnes.	Non nulli.	Non aliqui.	Omnes non.	Nulli non.	Aliqui non.	Non omnes non.	Non nulli non.	Non aliqui non.
Omnes.	6	2	4	1	4	2	2	5	2	4	1	4
Nulli.	2	6	2	4	1	[illegible]	5	2	4	1	4	2
Aliqui.	4	2	6	3	4	1	2	3	7	4	3	7
Non omnes.	1	4	3	6	3	4	4	1	4	3	7	3
Nonnulli.	4	1	4	3	6	3	6	4	3	5	3	4
Non Aliqui.	2	4	1	4	3	6	4	2	7	3	4	7
Omnes non.	2	5	3	4	6	4	6	1	4	1	4	2
Nulli non.	5	2	3	1	4	2	1	6	1	4	1	4
Aliqui non.	2	4	7	4	3	7	4	2	6	1	4	1
Non omnes non.	4	1	4	3	5	3	1	4	1	6	5	4
Non nulli non.	1	4	3	5	3	4	4	1	4	5	6	3
Non aliqui non.	4	2	7	3	4	7	2	4	1	4	3	6

Contradictorij.	Contrarij.	Subcontrarij.	Subalterni.	Æquipollētes.	Identici.	Disparati.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.

SECTIO IV.

De Conuersione Propositionum Simplicium.

I. *Quid sit propositio.* COnuersio est duarum propositionum vnius ad alteram per extremorum transpositionem consequentia necessaria, vt, *nullus homo est lapis*, *ergo nullus lapis est homo*: Propositio cuius extrema mutantur, dicitur *conuersa*, illa verò in quam mutatur, *conuertens*. *...num conuersio.*

II. Fit tripliciter: primò *simpliciter*, manente scilicet eâdem qualitate affirmationis & negationis, sicut & quanti-

Tribus modis fit hæc conuersio. quantitate, vt, *nullus equus est leo, ergo nullus leo est equus: aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.* Secundò *per accidens*, mutatâ quantitate, vt, *nullus homo est lapis, ergo aliquis lapis non est homo; omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.* Tertiò per *contrapositionem*, vbi manente eâdem quantitate & qualitate, termini finiti redduntur infiniti, vt, *omnis equus est hinnibilis, ergò omne non hinnibile est non equus:* item, *aliquis homo non est lapis, ergo aliquid non lapis non est non homo.* Vt autem faciliùs sciatur quæ cuilibet propositioni debeatur conuersio, sic canunt Dialectici:

Simpliciter fecI, conuertitur Eua per acci,
Asto per contra. sic fit conuersio tota.

Hoc est, vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua significatæ per hanc vocem *fecI* conuertuntur *simpliciter*. Item vniuersalis negatiua & vniuersalis affirmatiua significatæ per hanc vocem *Eua*, conuertuntur *per accidens*: per *contrapositionem* autem conuertuntur vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua denotatæ per illam vocem *asto*. Ad explicationem priorum carminum sic rursum canunt eædem musæ:

Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambæ,
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.

Licet vero hîc nulla fiat mentio de propositione cuius subiectum est terminus singularis, illa tamen simpliciter conuerti potest, vt, *Petrus est hic homo; ergo hic homo est Petrus. Petrus non est Paulus, ergo Paulus non est Petrus*, vt bene notat Fonleca l.3 Instit. c.8.

SECTIO V.

De Propositionibus Modalibus.

I. *Differentia inter Modalem propositionem, & de inesse.* PRopositio *Modalis* illa est, quæ non simpliciter profertur sicut propositiones *de inesse*, sed affecta aliquo ex his quatuor modis, *Necesse, Impossibile, Contingens, Possibile*, vt, *hominem esse animal est necesse; hominem esse equum est* impossibile; *hominem currere est contingens, hominem saluari est possibile.* Ad has autem propositiones parùm refert quoad sensum verum modus aduerbialiter sumatur, an nominaliter, vt, *Petrum currere est contingens*, vel, *Petrus contingenter currit.*

II. *Duobus modis sumuntur propositiones Modales.* Modales istæ propositiones sumi possunt in sensu vel composito, vel diuiso; in diuiso, vt *album esse nigrum est possibile*, non componendo simul albedinem cum nigredine, quod est sumi in sensu composito; sed sensus est, subiectum quod modò est album, posse esse nigrum amittendo albedinem, vnde in sensu diuiso est vera illa propositio, in sensu composito, falsa. Hæc verò, *necesse est peccatorem condemnari* sumitur in sensu composito, seu vt peccator est reduplicatiuè, & componendo peccatum cum condemnatione.

III. *Modus, & dictum in propositione modali. Duo Modi vniuersales, duo particulares.* Vt quantitas harum propositionum dignoscatur, notandum, duo semper in illis reperiri; *Modum* & *Dictum*; *Modum* iam declarauimus; *Dictum* sunt cæteræ partes orationis, seu subiectum. Ex modo duo censentur vniuersales, nempe *Necesse* & *Impossibile*; duo particulares, nempe *Contingens* & *Possibile*. Quantitas vero harum propositionum simpliciter desumi solet ex quantitate *modi*, non *Dicti*: vnde hæc simpliciter censetur modalis vniuersalis, *Petrum esse animal est necesse*, licèt dictum, seu subiectum, sit singulare, hæc particularis, *omnem hominem currere est contingens*, licèt alij huiusmodi mixtas vocent, alij hanc vniuersalem *de dicto*, particularem *de modo*, & priorem particularem *de dicto*, vniuersalem *de modo*, simpliciter verò vniuersales eas solùm esse dicunt, in quibus & *modus* & dictum sunt vniuersalia, vt, *omnē hominem currere est necesse.*

IV. Quoad qualitatem modalium affirmationem scilicet vel negationem, eæ sunt affirmatiuæ quæ *modum* habent affirmatiuum, licèt *dictum* sit negatiuum: eæ negatiuæ quæ negationem habent ex parte modi, licèt reliquæ partes propositionis sint affirmatiuæ; vnde hæc est affirmatiua, *necesse est hominem non esse equum*, hæc negatiua, *non est necesse hominem currere*, quia in primâ negatio non tenet se ex parte *modi* sed *dicti*, in secundâ non ex parte *dicti* sed *modi*. *Affirmatio & negatio in his dignoscitur ex Modo.*

V. Circa veritatem & falsitatem harum propositionum, attendendum verùm *modus* conueniat *dicto*, vel non, si conueniat, propositio affirmatiua erit vera, negatiua falsa, & è contra. Id verò operæ pretium est aduertere, quod rectè annotauit Tol. hîc, omnes propositiones modales veras esse necessarias: omnes falsas, impossibiles; vnde hæc, *Petrum currere est contingens*, est propositio necessaria, dicit enim Petrum currere contingenter, quod est necessarium, non enim habet ex natura suâ, vt cursus cum illo necessariò coniungatur. Vnde licèt hæc propositio sit contingens, *Petrus currit*, hæc tamen, *Petrum currere est contingens* est necessaria, & habet diuersum sensum & obiectum à præcedente. Ratio est, quia materia propositionum desumitur ex connexione prædicati cum subiecto, hic autem, licèt *dictum* seu subiectum vel prior part propositionis sit in materiâ contingenti, prædicatum tamen est in materiâ necessariâ, non enim dicit Petrum currere, sed cursum illi esse contingentem, quod est omnino necessarium, nam cursus, nec est nec esse potest illi necessarius, ergo contingens, nam si non potest esse necessarius, necessarium est vt sit contrarius necessario id est, contingens, ergo propositio affirmans cursum esse Petro contingentem, affirmat id quod est necessarium, ergo est propositio necessaria. *Petrum currere est contingens est propositio necessaria.* Sic hæc propositio, *Petrum sedere est contingens est propositio modalis*, non est modalis, sed absoluta; quia absolute ei conuenit esse modalem, nec prædicatum ibi est quid modale, ad hoc enim vt esset modalis, requiritur vt prædicatum affirmatum per copulam principalem, sit modus, quod hic non contingit. Sicut etiam hæc, *Petrus currit & Ioannes loquitur, est Hypothetica*, non est hypothetica, quia copula principalis est verbalis, non coniunctio, vt constat: vnde licèt sit hypothetica in actu signato, est categorica in actu exercito. *Hæc propositio. Petrū currere est contingens est propositio modalis, non est modalis.*

SECTIO VI.

De Oppositione & Æquipollentia propositionum Modalium.

I. *Oppositio, & Æquipollentia propositionū modalium.* AD propositionis modalis proprietatum notitiam suppositis antea dictis de Oppositione & Æquipollentia aliarum propositionum non aliud requiritur quàm vt tabulæ ad hoc ipsum confectæ inspiciantur, quæ rem per se alioquin obscuram mirâ claritate ob oculos ponunt. In his ergo Modalibus id solum notandum, vt sint contradictoriæ requiri vt negatio cadat supra *modum*, vt, *necesse est Petrum currere, non est necesse Petrum currere*, si enim negatio non cadat supra *modum*, sed supra *dictum*, non erunt contradictoriæ, sed contrariæ *de lege*: vnde hæ, *necesse est Petrum currere, necesse est Petrum non currere* non sunt contradictoriæ, tum quia vtraque affirmatiua, tum quia ambæ vniuersales: sunt ergo contrariæ *de lege*, id est obseruantes leges contrariarum, licèt enim simul falsæ esse possint, non tamen simul veræ. *Quid sit propositiones esse contrarias de lege.*

II. Ad faciliorem verò harum propositionum intelligentiam, hæc quatuor verba statuunt Logici, *Pur-*

*pure*a

purea, Iliace, Amabimus, Edentuli. Ad quorum explicationē hoc carmen condit Parnassus Dialecticus.

E dictum negat, I que modum, nil A, sed V totum.

Hoc est, E denotat propositionem negatiuā *de dicto* & affirmatiuam de *modo*: I è contrario negatiuam de *modo* & affirmatiuam de *dicto*: A affirmatiuam & de *dicto* & de *modo*: V negatiuam de vtroque. Quæ omnia ex sequenti tabula clarissimè constabunt.

SECTIO VII.

De exponibilibus, seu exclusiuis.

I. *Propositiones exponibiles. Exclusiuæ.*

PRopositiones *exponibiles* eæ dicuntur, quæ cùm peculiarem contineant difficultatem, per alias faciliores, quas *exponentes* vocant, explicari solent. Præcipuæ inter istas sunt *exclusiuæ*, sic dictæ, quod signum aliquod in se exclusiuum contineant, vt *tantùm, solùm*, &c. signum verò hoc vel potest cadere supra copulam, vt, *Petrus cucurrit tantùm*, id est, in præterito solùm exercuit cursum. & non modò: vel supra prædicatum, vt, *Petrus studuit Romæ tantùm*, id est, non in alio loco, & hæc vocatur *exclusiua de excluso prædicato*, vel supra subiectum, vt, *tantùm Petrus studuit Romæ*, id est, nullus alius ibi studuit præter Petrum, & hæc vocatur *exclusiua simpliciter*, seu de excluso subiecto. Ad proprietates harum dignoscendas inuenerunt logici hæc quatuor verba, *Iste, Proram, Clans, Regit*, quæ ad rationes literarum supra sec. 4. traditas sunt exigenda.

Notandum circa propositiones exclusiuas.

SECTIO VIII.

De Exceptiuis, & Reduplicatiuis.

I. *Propositiones exceptiuæ.*


EXceptiuæ vocantur quæ signo aliquo *exceptiuo*, vt, *præter, excepto*, afficiuntur, Terminus à quo fit exceptio, dicitur *exceptus*, & semper debet esse superior excipienti: vnde particula *exceptiua* semper addi debet termino inferiori, vt, *omne animal præter hominem, est irrationale: omnis homo præter Petrum currit.* Hæ verò, sicut præcedentes, exponi debent per alias clariores, vnde hæc, *nullus color præter albedinem disgregat visum*, sic exponi debet, intèr colores albedo disgregat visum, & nullus alius color. Harum naturam & proprietates explicant hæc quatuor verba, *Date Panem, Pigro, Prompti.*

II. *Propositiones reduplicatiuæ.*

Propositiones *Reduplicatiuæ* sunt, quæ aliquam ex his particulis vel similibus, *in quantum, quatenus, quà* vt, &c. sibi annexas habent, vt, *leo quà leo rugit, quà animal sentit, quà viuens vegetat.* Quæ propositiones significant causam alicuius rei esse rationem formalem supra quam reduplicant, & communiter denotant causam vel rationem cur prædicatū conueniat subiecto, vt *paries in quantum albus disgregat visum*, licèt subinde reduplicetur sola conditio, vt, *ignis vt approximatus calefacit*, cùm tamen approximatio non sit causa calefactionis. Aliquando reduplicatur ratio sub qua, vt, *actus intellectus in quantum dirigibiles, sunt obiectum Logicæ.* Dicuntur autem hæ particulæ aliquando sumi reduplicatiuè, aliquando specificatiuè, vnde hæc propositio, *homo in quantum rationalis sentit*, si sumatur reduplicatiuè est falsa, denotat enim rationem formalem sentiendi in homine esse rationalitatem formaliter, quod est falsum, nam ratio formalis sentiendi in homine est animal, rationale autem est ratio formalis discurrendi, seu intelligendi. Si autem in illa propositione, ly *in quantum* sumatur specificatiuè, ita vt sensus sit, *homo qui est* rationalis, sentit, est vera propositio.

Aliquando reduplicatur causa, aliquando conditio.

In quantū, vt, quatenus, &c. nonnunquā sumuntur specificatiuè.



SECTIO IX.

De Reflexiuis & falsificantibus.

I. *Propositiones reflexiuæ. Falsificantes.*

REflexiuæ sunt quæ supra se reflectunt, aliquid de seipsis affirmando vel negando, si autem de se affirment quòd sint falsæ, vel negent quòd sint veræ, *falsificantes* appellantur. Hæ suā difficultate ita nonnullorum Dialecticorum, & in particulari Soti torserunt ingenium, vt difficultati succumbens, tandem sic statuat, *omnibus (inquit) pensatis concedendum est duas contradictorias esse simul falsas*: quo nit Lemontius de erratis Dialecticorum, c. 22. nihil in omni doctrinarum genere reperiri potest absurdius: Hoc enim concesso, perit metaphysicum illud oraculum cui tota innititur ars syllogistica, *Impossibile est idem simul esse & non esse.*

II. *Propositiones falsificantes sintne veræ, an falsæ.*

De his ergo est prima difficultas, an sint veræ an falsæ. Exem. g. propositio quæ de se dicat *Ego sum falsa*, si est falsa, est vera, nam affirmat se esse falsam, ergo verum affirmat, ergo est vera, ergo & falsa, nā si non est falsa, non dicit verum dum se asserit esse falsam, ergo hoc ipso est falsa, ergo tandem est simul vera & falsa, quod implicat, veritas enim consistit in indiuisibili. Resp. propositionem illam & similes simpliciter esse falsas, quia non solùm de se affirmant falsitatem, sed etiam veritatem, ac proinde sunt falsæ: nam vt propositio aliqua sit vera, necesse est quicquid affirmat, sit verum, & omnino conformari debet suo obiecto, non ex parte tantùm. Vnde, vt in confesso est apud omnes, hæc propositio, *omnis homo currit*, est falsa si vel vnus Petrus v. g. non currat, licèt cæteri omnes currant, cùm tamen conformesit maiori parti obiecti, vt constat. Et ratio est quia, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*: veritas autem est de genere boni, falsitas de genere mali, ergo. Ad hoc tamen meliùs percipiendum.

Bonum ex integra causa.

III. *Notandum ad quæstionis resolutionem.*

Notandum ex P. Suar. To. 1. Met. d. 8. s. 5 nu. 18. omnem propositionem, dum in actu signato affirmat vel negat aliquid de obiecto, in actu exercito & implicitè de se statuere veritatem, & affirmare se esse veram. Vnde propositio quæ dicit, *Petrus est homo*, implicitè dicit & hoc est verum, *seu, & ego sum vera*, sicque vt ait S. Thomas, hæc propositio, *In veritate Petrus disputat*, nihil addit supra hanc, *Petrus disputat*, & hæc, *Petrus est homo est vera propositio* si sumatur formaliter, nihil aliud dicit quàm *Petrus est homo*. Vnde cùm hæ propositiones simul de se affirment falsitatem & veritatem, illam explicitè, hanc implicitè, & nulla propositio simul vera & falsa esse possit, (nam vel est adæquatè conformis suo obiecto, & est vera; vel non est conformis adæquatè, & est falsa) erunt simpliciter falsæ.

Sanctus Thomas.

Falsificantes istæ sunt falsæ.

IV. *Omnis propositio negatiua est virtualiter affirmatiua.*

Dices, ergo omnis propositio negatiua est affirmatiua, nam dicit & affirmat se esse veram, ergo non possunt sibi opponi propositio affirmatiua & negatiua, cùm omnis negatiua sit simul affirmatiua. Resp. concessis cæteris, negando consequentiam, nam virtualis illa seu implicita, & quasi transcendentalis affirmatio non obstat perfectæ oppositioni, sicut nec obstat perfectæ oppositioni actus amoris & odij, quòd odium sit virtualiter & implicitè amor, saltem alicuius boni in communi, vt aliqui dicunt, ideo enim elicimus actum odij quia aliquid boni saltem apparentis per illum actum nobis accidere arbitramur; ita nec implicita affirmatio impedit quo minùs perfectè sit propositio negatiua, & alteri perfectè opponi possit.

Sicut omnis actus odij virtualiter amor.

V.

Secunda ergo difficultas est, an huiusmodi propositiones possint habere contradictorias. Resp. posse. Vnde

Falsificantes possunt habere contradictorias.

se, vnde si scribatur in aliquâ chartâ hæc propositio *Petrus est lapis*, & subscribatur deinde hæc, *omnis propositio hic scripta, est falsa*, secunda propositio est falsa, quia explicitè dicit omnem propositionem ibi scriptam, & consequenter seipsam esse fallam, & implicitè affirmat se esse veram, vt supra diximus. Contradictoria verò huius variè à variis assignatur: mihi hæc placet, *non omnis propositio hic scripta est falsa, & hæc simul vera*, id est, hæc duo non coniunguntur, nempe vt omnis propositio hic scripta sit falsa, & tamen secunda propositio ibi scripta vera. Huiusmodi propositiones sunt hæ & similes, *ego iuro me non iurare*, *ego sum mutus quicquid loquor* & si prima propositio quam quis proferat, sit hæc, *ego mentior*.

VI. Propositiones autem de pactis non debent ingredi ipsa pacta, sed ex natura rei intelliguntur excipi; alioquin essent pacta & non pacta, vel voce essent, re non essent. Vnde huc reducendum est pactum illud Protagoræ, Rhetoris & Euathli eius discipuli, vt *pro primâ causâ quam vinceret, solueret Præceptori centum nummos*. Idem etiam est de hac, si quis dicat Petro, *Deus tibi dabit librum si prima propositio quam profers, fuerit vera*, & Petrus statim hanc primò proferat, *Deus non dabit mihi librum*; nisi intelligatur ex pacto excepta illa propositio, pactum est nullum, & sponsio irrita & impossibilis, cùm nec à Deo impleri possit. Sed de his satis.

Propositiones de pactis.

Protagoras & Euathlus.

DISPVTATIO VII.

De Argumentatione seu forma Syllogismi.

SECTIO PRIMA.

Regulæ quædam pro Argumentatione in communi.

Quid sit argumentatio. Ad argumentationem tria requiruntur.

I. Argumentatio est oratio in quâ vnum ex alio infertur, vt, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*: vbi ex eo quòd omnis homo sit animal, & Petrus sit homo, infertur Petrum esse animal. Vnde ad argumentationem tria ad minimum requiruntur, id quod ex alio infertur, & dicitur *consequens*, id ex quo infertur, & dicitur *antecedens*, & nota illationis, particula nimirum *ergo*. Illatio verò est consecutio vnius ex alio & consequētia dicitur, in qua consistit præcipua ratio argumentationis, diciturque bona vel mala, non vera vel falsa. Si autem non adsit hæc nota illationis, nempe *ergo*, nulla est argumentatio, vt si quis dicat, *omnis homo est animal, Petrus est animal*, quia deest *ergo*. Nunquam ergo negari debet consequens, sed consequentia, seu consecutio vnius ex alio, licèt distinguatur consequens cùm sensum facit ambiguum. Hæc illatio seu consequentia triplex est, prima *conditionalis*, cuius nota est particula, *si*, vt, *si sol lucet, dies est*. Secunda *causalis* cuius nota est particula *quia* vt, *quia sol lucet dies est*: Tertia, quæ est propriissima, *rationalis* cuius nota est particula *ergo* vel *Igitur*, vt, *sol lucet, ergo dies est*.

Non negandum consequens, sed consequentia.

II. Argumentatio dupliciter manifestat ignotum, causaliter in antecedēte seu præmissis quæ sunt causa consequentis, & formaliter in consequente, quod est formalis manifestatio connexionis extremitatum inter se, latentis in antecedente seu præmissis, vt cùm dico, *omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*, consequens formaliter explicat connexionem risibilitatis cum homine, quæ latebat in antecedente.

Consequentia materialis, & formalis.

III. Consequentia duplex est, *materialis*, & *formalis*: hæc, quæ solùm propriè dici potest consequentia, est quando propter dispositionem terminorum in quacumque materia sequitur consequentia: quod fit in solo syllogismo. *Materialis est*, quando sequitur consequentia solùm ex vi materiæ, sicut contingit in Enthymemate, vt, *Petrus currit, ergo mouetur*, sequitur quidem, sed non ex vi formæ seu dispositionis terminorum, nam eodem modo possunt disponi termini, & tamen non sequi consequentia, vt *leo currit, ergo rugit*, quod in syllogismo nunquam potest contingere. Hoc aliis verbis vocant aliqui argumentationem materialem & formalem. Vnde non diuiditur rectè à nonnullis argumentatio in *syllogismum, enthymema, exemplum, dilemma, & inductionem*, nam tria vltima reducuntur ad enthymema, & enthymema ad syllogismum, in enthymemate enim semper intelligitur alia propositio, ac proptea dicitur syllogismus truncatus: vnde simpliciter solus syllogismus est argumentatio.

Enthymema syllogismus truncatus.

IV. Hic aliqua notanda, primum, non sufficere vt bona sit argumentatio quòd propositiones sint veræ, sed vlteriùs requiritur vnam ex alia vel aliis sequi: vnde hæc non est bona argumentatio, *omnis homo est animal, omnis leo est rugibilis, ergo omnis equus est hinnibilis*, licèt omnes propositiones sint veræ, vltima enim seu conclusio non sequitur ex aliis.

V. Secundum est, *ex vero non sequi nisi verum*, implicat enim veram esse connexionem duarum rerum cum vna tertia, seu cum medio, quin connectantur verè inter se: vnde ex præmissis veris nunquam sequitur consequens falsum.

Ex vero non nisi verum.

VI. Tertium, ex falsis tamen pro veris admissis, sequi potest verum, vt, *omnis lapis est animal, Petrus est lapis, ergo Petrus est animal*; præmissis namque concessis, necessario sequitur consequens, nunquam enim simpliciter & realiter id contingit, sed solùm ex suppositione quòd concedantur præmissæ.

Ex falsis pro veris admissis sequitur verum.

VII. Quartò, requiri ad argumentationem perfectam ad minimum tres terminos. Ratio est, quia ideo aliqua duo vniuntur seu identificantur inter se in cōsequente, quia erant vnita seu identificata cum aliquo tertio in præmissis, vt in hoc syllogismo, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, ideo vnitur seu denotatur identificatus Petrus cum animali in consequente, quia Petrus & animal vniebantur seu significabantur identificata alicui tertio, nēpe homini in præmissis: innititur enim ars syllogistica magna ex parte illi principio metaphysico, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, id est, cùm duo sunt idem realiter cum aliquo alio sunt necessario idem realiter inter se: exem. g. si intellectus sit eadem realiter res cum animâ, & voluntas eadem realiter res cum eâdem animâ, necessariò intellectus & voluntas sunt eadem realiter res inter se, & è contra, illa non sunt eadem inter se quæ non sunt eadem vni tertio: vnum autem illud tertium cui extrema in præmissis vniuntur, vocatur *medium*.

Ad argumentationem requiruntur tres termini.

Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

VIII. Quintum est, requiri ad bonam argumentationem nec plures esse nec pauciores terminos quàm tres: non pauciores, quia, vt diximus, duo termini inferuntur in conclusione inter se esse identificati, quia identificantur cum alio aliquo termino inuento in vtrâque præmissâ, seu cum medio, esse ergo necessariò debet tertius ille terminus, cui illi duo in conclusione positi vniantur in præmissis. Nec etiam esse

Non plures in argumentatione termini quam tres.

esse debent plures, sic enim ex vi formæ nihil concluderetur, nam ex vi formæ tunc solùm concluditur cùm duo termini inter se in conclusione vniuntur identicè, quia identificantur cum alio in præmissis.

IX. *Ex puris negatiuis nihil concluditur.* Ex his etiam in communi opinione infertur, ex puris negatiuis nihil posse concludi ex vi formæ, vt, *homo non est rugibilis, leo non est homo, ergo leo non est rugibilis*. Ratio est, quia sicut vt aliqua duo vniantur in consequente, requiritur vt vniantur cum alio tertio in antecedente, ita vt vnum de alio negetur in consequente, cursus v.g. de equo, illud debet in præmissis negari de aliquo tertio cum quo aliud identificatur, vt in hoc syllogismo in Ferio, *nullus homo est lapis, aliqua substantia est homo, ergo aliqua substantia non est lapis*; vbi in consequenti negatur lapis de aliquâ substantiâ, quia negatur in præmissis de homine, cum quo aliqua substantia dicebatur identificata.

SECTIO II.

Quædam alia de argumentatione & syllogismo.

I. *Dici de omni: Dici de nullo.* PRimò notandum, quæ potissimùm sint principia quibus innititur ars syllogistica, de qua re aliquid diximus sec. præcedenti, coroll. quarto. Primum itaque est principium illud logicum quod ponit Aristoteles in primo Prior. c. 1. *Dici de omni: dici de nullo*, id est, quod prædicatur affirmatiuè de conceptu communi vniuersaliter & complete, seu adæquatè sumpto, dicitur de omni inferiori contento sub illo, vt animal v.g. quia dicitur de homine completè distributo, dicitur etiam de Petro, Paulo, & cæteris omnibus contentis sub homine: item quidquid negatur de ratione aliquâ communi vniuersaliter & adæquatè sumptâ, negatur etiam de omni inferiori sub illâ contento, vt quia de animali distributiuè sumpto negatur quòd sit insensibile, negatur de leone, equo, & cæteris sub animali contentis.

II. *Secundum principium.* Aliud principium est illud supra relatum, nempe, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod sec. præcedenti n. 7. declarauimus, & respondet illi principio *dici de omni*, quorum vtrumque deseruit conclusionibus affirmatiuis. Illud tamen tertium, seu *medium* si non sit *incommunicabile* (sicut contingit in syllogismo expositorio) debet completè sumi, seu adæquatè distribui in aliqua ex præmissis; defectu cuius hæc non valet, *Petrus est animal, Paulus est animal, ergo Petrus est Paulus*: neque hæc, *Essentia Diuina est Pater, Essentia Diuina est Filius, ergo Pater est Filius*. Si tamen *medium* distribueretur, bene inferretur conclusio, concessis præmissis: v.g. *quicquid est Essentia Diuina, est Pater, quicquid est Essentia Diuina, est Filius, ergo Filius est Pater*, consequens est falsum, sed bene deducitur ex præmissis illis falsis, si admittantur.

III. *Tertium principium pro conclusionibus negatiuis.* Tertium principium est correspondens illi *dici de nullo*, & est pro conclusionibus negatiuis, nempe quæcunque duo ita se habent vt vnum eorum sit idem cum tertio, & non aliud, illa inter se non sunt idem sed diuersa, vt, *nullum animal est lapis, omnis leo est animal, ergo nullus leo est lapis*, vbi leo & lapis in conclusione distinguuntur, vel inferuntur esse diuersi, quia leo est idem cum tertio, seu *medio termino*, nempe animali, cum quo tamen lapis non est idem.

Medius terminus est vinculum extremorũ. Quod sic vlteriùs declarari potest, cùm enim medius terminus sit quasi vinculum quo vniri debeant extrema, si non competat illis in præmissis illud vinculum, non possunt ex vi connexionis cum illo in præmissis, connecti inter se in conclusione, ac proinde ex vi præmissarum non infertur conclusio, quæ nihil aliud est quàm connexio extremorum inter se, propositione expressa. *Medium* autem debet vel esse incommunicabile, vel adæquatè sumi & distribui, vt in præcedentibus diximus, defectu cuius hi sunt syllogismi vitiosi, *Petrus est homo, Paulus non est Petrus, ergo Paulus non est homo: Pater est Essentia Diuina, Filius non est Pater, ergo Filius non est Essentia Diuina*. Ratio autem falsitatis vtriusque conclusionis est, quia homo non adæquatè identificatur cum Petro, sicut nec Essentia Diuina cum Patre, nec distribuuntur illi termini in præmissis, sic enim dici deberet, *Petrus est quicquid est homo, Paulus non est Petrus, ergo Paulus non est homo: quicquid est essentia Diuina, est Pater, Filius non est Pater, ergo Filius non est Essentia Diuina*, bene sequeretur in vtroque concessis præmissis, sed maior vtrobique est falsa.

Medium vel incommunicabile esse debet, vel adæquatè distribui.

IV. *Medium* ergo debet esse idem in vtraque præmissâ, & non esse æquiuocum; item distribui debet in vnâ saltem præmissâ; vnde hæc argumentatio non valet; *Quod ego sum, tu non es, sed ego sum homo, ergo tu non es homo*, neque hæc, *aliquod animal est leo, sed Petrus est aliquod animal, ergo Petrus est leo*: ac proinde ex puris etiam particularibus nihil concluditur, quia medium in neutrâ præmissâ distribuitur, itaque adeò sumi potest pro diuersis, sicque non habebit rationem vnius vinculi vnientis extrema in præmissis.

Ex puris particularibus nihil concluditur.

V. *Huius ratio redditur.* Quod sic vlteriùs declaratur, terminus enim particularis cùm sit indifferens ad supponendum pro hoc vel illo indiuiduo, poterit in vna propositione supponere pro vno, in aliâ pro alio, sicque syllogismus nihil concludet, cùm in re sint quatuor termini, licèt voce sint tantùm tres, *medium* enim non est idem in vtrâque præmissa. Si tamen aliquo signo determinaretur ille terminus particularis, vt supponeret vtrobique pro eodem, non est cur non concludat syllogismus, sed tunc non est terminus purè particularis in vtrâque præmissâ vt, *aliquis equus currit, sed hic aliquis equus est albus, ergo aliquod album currit*. Vnde ex puris singularibus confici potest syllogismus, qui expositorius dicitur, vt, *hic homo currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus currit*. Nec medium tantùm, sed etiam extrema debent manere eadem in præmissis & conclusione, & seruare easdem proprietates logicales, *Appellationem, suppositionem* &c. Altera ergo saltem ex præmissis debet esse vniuersalis, vt sic distribuatur medium, non vtraque particularis.

Extrema seruare debent proprietates logicales.

VI. *Medium poni non debet in conclusione Nisi cur aro casu id sit necessarium: Conclusio sequitur debiliorẽ partem.* Præterea notandum, esse contra artem syllogisticam, vt *medium* ponatur in conclusione, sed in eâ sola debent collocari extrema, nisi aliquando ad euitandum defectum syllogismi, id esset necessarium, vt in hoc syllogismo, *omne currens essentialiter mouetur, sed Petrus currit*, male quis inferret, *ergo Petrus essentialiter mouetur*, nisi addat, *in quantum currens* quod erat medius terminus. *Conclusio* etiam dicitur *sequi debiliorem partem*, id est, debet esse negatiua si altera ex præmissis fuerit negatiua, particularis si altera præmissarum fuerit particularis. Vnde malè quis argueret, *omne quod currit, mouetur, aliquis homo currit, ergo omnis homo mouetur*. Ratio est, quia homo affirmatur de medio termino tantùm particulariter, vnde eodem modo affirmari debet de altero extremo, eo enim modo ex vi formæ seu vnionis cum medio applicatur alteri termino, quo applicatur medio, cùm ex vi affirmationis de medio, affirmetur de extremo: si verò negetur de medio, debet etiam negari de extremo, &, si particulariter affirmetur de medio, non potest, ex vi illius affirmationis & connexionis particularis cum illo, affirmari nisi particulariter de alio extremo. Hoc eodem recidit cum eo quod dicunt alij non debere aliquam extremitatem seu terminum distribui in conclusione, qui non fuit distributus in præmissis. Ex vtrâque ergo præmissa

Redditur dicti huius ratio.

vniuersali

Ex vniuersalibus sequitur conclusio vniuersalis.

vniuersali infertur conclusio vniuersalis, qualis enim fuerit connexio extremorum cum medio, vt iam diximus, talis erit eorum connexio inter se.

VII. *Ex positione antecedentis rectè arguitur ad positionem consequentis. Et à negatione consequentis ad negationem antecedentis.*

Duplex hic proponi solet modus argumentandi: primus, valere à propositione antecedentis ad positionem consequentis, vel illius etiam quod sequitur ex consequente, vt, *Petrus est homo, ergo animal, viuens, corpus, substantia, ens* &c. & à negatione consequentis ad negationem antecedentis, est enim necessaria inter ea connexio, vt, *Petrus non est animal, ergo non est homo.*

VIII. *Definitio syllogismi.*

Hinc tandem infertur definitio syllogismi ab Aristotele tradita primo Prior. c. 1. *syllogismus*, inquit, *seu ratiocinatio est oratio in qua, quibusdam positis, aliud quippiam ab his quæ posita sunt necessariò accidit, eo quod hæc sint.* Quod breuiùs aliis verbis sic dici potest, *syllogismus est modus sciendi, in quo, quibusdam positis, aliud sequi necesse est*: per illam particulam *quibusdam positis* denotatur propositiones antecedentes, quæ præmissæ vocantur, debere plures esse quàm vnam, vt formalis sit consequentia, nam vna sola non sufficit ad legitimam illationem, nisi sit virtualiter duplex, vt dicam in Logica d. 47. sec. 2. n. 3.

SECTIO III.

De materiâ, formâ, & figurâ syllogysticâ.

I. *Materia syllogismorum duplex, ex qua, & circa quam.*

MAteria syllogismorum duplex est, *circa quam* & *ex qua*. Materia *circa quam* syllogismorum est immensa, cùm de quauis re discurrere possimus, quâ de causâ Aristoteles exempla omnium propè syllogismorum formauit in litteris, vt, *omne A, est B, omne C est A, ergo omne C est B*, & sic de cæteris. Materia *ex qua* illa dicitur, ex qua conficiuntur syllogismi. hæc porro duplex est, proxima, nempe propositiones, & remota, nempe termini ex quibus propositiones constant. Dicuntur autem termini materia seu partes remotæ syllogismorum, quia priùs componunt propositiones ex quibus deinde immediatè conficiuntur syllogismi.

Termini sunt materia remota syllogismi.

II. *Maior, Minor, Conclusio.*

Propositiones autem ex quibus constant syllogismi, sunt tres, *maior, minor*, & *Conclusio*. Termini item, vt diximus tantùm possunt esse tres. cùm enim nullus terminus poni debeat in conclusione, qui non fuerit positus in præmissis, & in præmissis vnus terminus, qui *medium* dicitur, bis repeti debeat, manifestum est tantùm posse esse tres; *Maior extremitas* dici solet ille terminus qui vnitur cum medio termino in primâ propositione, terminus verò qui cum eodem medio vnitur in minori, dicitur *minor extremitas*. Medius autem terminus sic vocatur, quod sit vinculum quo duo extrema connectuntur, vnde licèt medius terminus sit alterum extremum in vtrâque præmissâ, est tamen medium comparatione duorum terminorum, qui in illo iunguntur. In propositione autem negatiuâ dicitur *medium remouens* seu *medium remotiuum*, vel indicans duo non connecti inter se, quia non connectuntur cum illo.

Medius terminus in propositione negatiua.

III. *Quid sit forma syllogistica.*

Forma syllogistica est apta dispositio terminorum & propositionum ad concludendum, & est forma quædam artificialis respectu propositionum & terminorum inter se certo ordine dispositorum; sicut dispositio partium domus aut nauis est forma illarum artificialis.

IV.

Figura, quæ parum à syllogismi formâ discrepat, *est congrua dispositio medij cum extremitatibus in præmissis, in subiectione, & prædicatione, ad aliquid aptè concludendum.*

Figura syllogismorum triplex.

Hæc figura triplex assignatur ab Aristotele primo Prior. Prima, quando medium in maiori est subiectum, & prædicatum in minori, vt, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.* Secunda, in qua medium in vtraque præmissa est prædicatum, vt, *nullus lapis est homo, Petrus est homo, ergo Petrus non est lapis.* Tertia, quando medium in vtraque præmissâ est subiectum, vt, *omnis homo est animal, omnis homo est risibilis, ergo aliquod animal est risibile.* Ad quarum diuersas rationes memoriâ meliùs retinendas deseruit hoc carmen Dialecticum:

Sub præ primo, bis præ secunda, tertia bis sub;

Figura Galeni ad desfert à primâ.

quarta enim figura, quæ Galeni dicitur, in qua medius terminus est prædicatum in maiori, & subiectum in minori, vt, *aliquis homo est animal, omne animal est sensibile, ergo aliquis homo est sensibilis*, in re non differt à primâ figura, sed solùm habet pro maiori eam propositionem quam alia habet pro minori, sicque inuertuntur tantùm præmissæ, quâ fortasse de causa de illa Aristoteles mentionem non fecit.

V. *Modus syllogismorum quid sit. Modi nouendecim.*

Modus denique est debita dispositio propositionum in quantitate & qualitate, quo nimirum loco statuantur propositiones vniuersales, quo particulares, quo affirmatiuæ, quo negatiuæ. *Modi* autem præcipui nouendecim numerantur, alij enim qui confici possent, vel non adeò vtiles sunt, vel ad hos reduci possunt. Hi verò modi vt memoriæ faciliùs inhæreant, quatuor sequentia carmina panxerunt Dialectici. Quæ vt meliùs intelligantur, attendendum est ad quantitatem & qualitatem quatuor illarum litterarum A, E, I, O. quas suprà disp. præcedente, s. 4. explicuimus. Carmina sunt hæc.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi Bocardo, Ferison.

VI. *Quid hæc verba denotent.*

Singulæ syllabæ singulas significant propositiones: Prima *minorem*, secunda *maiorem*, tertia *conclusionem*: vltima verò syllaba in *Baralipton*, & postremæ duæ in *Frisesomorum* carmini seruiunt, non syllogismo. Primum ergo verbum, seu *Barbara* denotat syllogismum compactum esse ex tribus propositionibus vniuersalibus. Secundum seu *Celarent* significat *Maiorem* debere esse vniuersalem negatiuam, *minorem* vniuersalem affirmatiuam, *conclusionem* vniuersalem negatiuam, & sic de cæteris. Nouem primi modi sunt in primâ figura: quatuor priores modi positi in tertio carmine sunt secundæ figuræ: Quintus in tertio carmine & alij quinque vltimi carminis sunt tertiæ figuræ.

VII. *Dubium circa prædicta.*

Dices, posse optimè concludi ex maiori vniuersali affirmatiuâ, & minori singulari affirmatiuâ, vt, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, imo hic frequentissimus videtur in scholis argumentandi modus, ergo datur alius modus perfectus in primâ figurâ præter quatuor, sicque erunt quinque; sola enim diuersitas quantitatis in alterâ propositione sufficit ad variandum modum, vt constat in *Barbara & Darij* ergo assignari debet alius modus in primâ figurâ à Darij distinctus, singularis enim quantitas est distincta à particulari, vt suprà diximus.

VIII. *Addi posset quintus modus directè concludens in prima figura.*

Resp. hoc argumento conuinci, posse addi alium modum directè concludentem in primâ figurâ, ex maiori vniuersali, & minori singulari. omissus tamen est ab Aristotele, quia reuocari potest ad *Darij*, vel in eo directè collocari. Propositio enim particularis accipi potest negatiuè, vt sit eadem ac non vniuersalis, non enim sunt multiplicandi tot modi, præsertim cùm sint adeo similes, deessent enim vocales ad tot diuersos modos ostendendos.

IX. *Quinam ex his modis sint perfecti, qui imperfecti.*

Ex his perfecti solùm censentur quatuor illi primi modi in primâ figurâ, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*; reliqui verò imperfecti, hoc est, non ita coordinati, vt ex ipsâ terminorum & propositionum dispositione

positione statim appareat bonitas consequentiæ, seu euidentia conclusionis, quod tamen in primis quatuor contingit. Vnde reliqui cùm aliquanto obscuriùs denotent illationem seu bonitatem consequentiæ, ad aliquem ex quatuor illis primis reduci solent, vt veritas in iis contenta clariùs innotescat.

X. *Quid sit concludere directè, vel indirectè.* Ex his modis aliqui vocantur directi, & dicuntur *directè concludere*, alij indirecti, & *concludere indirectè*. Directè concludunt illi in quibus in conclusione prædicatur maior extremitas, & subijcitur minor, seu quod idem est, terminus, qui erat in maiori coniunctus medio termino, prædicatur, & qui erat cum eo coniunctus in minori subijcitur: Ex. g. *omnis color est visibilis, albedo est color, ergo albedo est visibilis*. E contra indirectè concludere dicuntur illi in quibus vice versâ minor extremitas seu terminus in minori repertus prædicatur, & maior extremitas seu terminus repertus in maiori subijcitur, vt, *omne animal est viuens, omnis leo est animal, ergo aliquod viuens est leo,* *Conclusio indirecta.* hæc est indirecta conclusio in *Baralipton*; directa autem esset hæc, *ergo omnis leo est viuens*, quæ est conclusio syllogismi in *Barbara*. *Conclusio directa.* In hoc enim differunt, quinque postremi modi primæ figuræ à quatuor primis eiusdem, quod hi concludant directè, illi indirectè.

SECTIO IV.

De Reductione syllogismorum.

I. *Syllogismi reliqui reducuntur ad vnum ex quatuor primis.* Cum syllogismi imperfecti, quales vt diximus censentur omnes, præter quatuor primos modos primæ figuræ, non ita sint euidentes & perspicui, reduci solent ad aliquem ex quatuor illis primis modis, vt si quis consequentiam negauerit, dum reducuntur ad vnum ex his, claritate conuictus fateatur quod antea negabat. Hæc autem reductio quo pacto fiat nunc ostendendum.

II. *Reductio syllogismorum duplex ostensiua, & per impossibile.* Reductio itaque duplex est, *Ostensiua*, & *per Impossibile*. Pro his intelligendis nota primò, quatuor modos perfectos ab his quatuor literis inchoari; B. C. D. F. quilibet ergo modus ex imperfectis ad eum perfectum reduci debet, qui ab eâdem cum eâ litera incipit, vt si à B. ad *Barbara*, si à C. ad *Celarent*. Secundò notandũ, in verbis illis in carminibus positis non solùm habendam rationem vocalium A, E, I, O, sed etiam harum quatuor consonantium, S. P, M, C. Videndum enim quæ harum in medio cuiusque dictionis reperiatur, ex eo enim colligitur quo pacto modus ille sit reducendus: si enim dictio habuerit C in medio, vt *Baroco, Bocardo*, significatur conuerti solum posse modum illum *per impossibile*: S. denotat propositionem significatam per vocalem proximè præcedentem conuerti debere simpliciter, mutato scilicet subiecto in prædicatum, & prædicato in subiectum, manente tamen eâdem quantitate & qualitate, vt in *Cesare* maior conuertenda est simpliciter in *Camestres* minor & conclusio, quia in hoc verbo S sequitur duas posteriores syllabas, P. significat propositionem designatam per vocalem immediatè præcedentẽ conuerti debere per accidens, mutatâ nimirum quantitate, sic in *Darapti* minor debet ex vniuersali fieri particularis, mutato subiecto in prædicatum, & prædicato in subiectum. M. vbicumque reperitur, denotat transponendas esse præmissas, ita vt maior fiat minor, & minor, vicissim maior. Has regulas memoriæ gratiâ congesserunt Dialectici in hæc carmina.

Simpliciter verti vult S. P. verò per acci:
M vult transponi, C per Impossibile duci,

III. *Exempla syllogismorum, quibus ad alios reducuntur.* Exemplis res fiet clarior, quare pro singulis hic vnum vel alterum subiciemus. *Cesare* ergo reducitur ad *Celarent*, hoc modo,

CE Nullus lapis est animal,
Cesare. SA Omnis homo est animal, ergo
RE. Nullus homo est lapis.

Cesare reducitur ad Celarent. Littera C Denotat hunc syllogismum reducendum ad *Celarent*, quod hoc modo fit: maior ob litteram S, quæ immediatè sequitur primam syllabam, conuerti debet simpliciter, ab vniuersali negatiuâ in aliam vniuersalem negatiuam mutato prædicato in subiectum, & subiecto in prædicatum, vt, *nullus lapis est animal; nullum animal est lapis*, & fit ex *Cesare* *Celarent* hac ratione,

CE Nullum animal est lapis,
Celarent. LA Omnis homo est animal, ergò
RENT. Nullus homo est lapis.

IV. *Darapti* reducitur ad *Darij*, hoc modo,

DA Omnis homo est animal,
Darapti RAP Omnis homo est risibilis, ergo
TI. Aliquod risibile est animal.

Darapti reducitur ad Darij. Littera D significat reduci debere ad *Darij*, P. minorem conuertendam per accidens, mutatâ scilicet vniuersali affirmatiuâ in particularem affirmatiuam, subiecto mutato in prædicatum, & prædicato in subiectum hoc modo,

DA Omnis homo est animal,
Darij, RI Aliquod risibile est homo, ergo
I. Aliquod risibile est animal.

V. *Camestres* ita reducitur ad *Celarent*,

CA Omnis leo est animal,
Camestres. MES Nullus lapis est animal, ergo
TRES. Nullus lapis est leo.

Camestres reducitur ad Celarent. Littera C. denotat reduci debere ad *Celarent*, S. post duas vltimas vocales significat minorem & conclusionem conuertendas esse simpliciter, ita vt prædicatum fiat subiectum, & subiectum prædicatum, manente eâdem quantitate & qualitate, & M significat transponendas esse præmissas, vt maior fiat minor, & minor maior, hac ratione,

CE Nullum animal est lapis,
Celarent. LA Omnis leo est animal, ergo
RENT. Nullus leo est lapis.

VI. *Fapesmo reducitur ad Ferio.* In *Fapesmo* cùm hæ tres literæ reperiantur P. S. & M. vt reducatur ad *Ferio* à cuius litera incipit, primo, ob M. debent præmissæ transponi, ac maior fieri minor, & è contra. ob P. prima propositio debet conuerti per accidens, mutatâ scilicet quantitate, & prædicato facto subiecto, ac subiecto prædicato, deinde secunda propositio ob S. debet conuerti simpliciter, vt in his exemplis:

FA omnis equus est hinnibilis,
Fapesmo. PES Nullus homo est equus, ergo
MO. Aliquod hinnibile non est homo.

Sic reducitur ad *Ferio*

FE Nullus equus est homo,
RI Aliquod hinnibile est equus, ergo
O. Aliquod hinnibile non est homo.

Satisfit cuidã difficultati circa Baralipton. Dices, litera P. non rectè constituitur post tertiam syllabam in *Baralipton*, nam significat propositionem significatam per literam immediatè præcedentem conuerti debere per accidens, quod tamen est contra regulas supra assignatas, nam I. indicat propositionem particularem conuertendam esse simpliciter, iuxta illud *simpliciter feci*. Resp. propositionem particularem absolutè sumptam regulariter non posse conuerti nisi simpliciter, si verò sumatur vt facta ex conuersione propositionis vniuersalis in illam antea per accidens conuersæ, sic per accidens etiam poterit iterum conuerti in eandem vniuersalem, Conclusio autem in *Baralipton* nihil aliud est quàm indirecta conclusio in *Barbara*, conuersa per accidens à vniuersali affirmatiuâ in particularem affirmatiuam, vt in *Barbara*,

BAR Omnis homo est animal,
Barbara. BA Omne rationale est homo, ergo
RA. Omne rationale est animal.

In *Baralipton.*

BA Omnis homo est animal,
Baralipton. RA Omne rationale est homo, ergo
LIPTON. Aliquod animal est rationale.

Conclusio in Barbara & Baralipton. Vbi conclusio posterioris non est alia quàm indirecta conclusio prioris conuersa per accidens. Poterit ergo iterum reduci per accidens ad Materiam conuersam, & dici, *ergo omne rationale est animal.* Quod tamen nisi in hoc particulari casu à Dialecticis non admittitur.

Hæc de Reductione Ostensiuâ syllogismorum, quæ nihil aliud est quàm reductio per conuersionem aut transpositionem præmissarum, vt vidimus.

VIII. *Quid sit reductio per impossibile* Reductio *per Impossibile* est; cùm ita reducitur imperfectus syllogismus ad perfectum, vt qui conclusionem imperfecti negauerit, cogatur admittere duo contradictoria vel contraria simul vera. Ex opposito enim conclusionis quod concedit respondens, & vnâ præmissâ antea concessâ, cogetur admittere conclusionem contradicentem alteri ex præmissis priùs concessis, & propterea vocatur reductio *per Impossibile*, quia est impossibile rem simul esse & non esse, ac proinde etiam repugnabit simul affirmari & negari.

IX. *Quatuor primi modi primæ figuræ ob claritatem reduci non possunt.* Hæc Reductio non est pro quatuor primis perfectis modis primæ figuræ, hi enim sunt in Logicâ prima principia, nec si negentur, probari possunt à priori nisi per principia illa prima Metaphysicæ *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Ratio est, quia omnis conclusio in alijs modis perfectis est minùs clara quàm in his quatuor, ergo frustra per illos probabuntur, qui enim perfectos & claros negauerit, facilè negabit imperfectos & obscuriores.

X. *Notandum circa reductionem per impossibile.* Pro reducendis ergo modis imperfectis primæ figuræ, ad obseruandum, vt pro maiore assumatur contradictoria propositionis negatæ, pro minori ponatur maior prioris syllogismi, sicque pro conclusione inferetur oppositum minoris priùs concessæ, atque ita efficietur vt idem simul neget & affirmet. Exem. g. hic syllogismus in *Baralipton:*

BA Omne animal est viuens,
Baralipton. RA Omnis homo est animal, ergo
LIPTON. Aliquod viuens est homo.

Baraliptõ reducitur ad celarent. Sic reducitur ad *Celarent,*

CE Nullum viuens est homo,
Celarent. LA Omne animal est viuens ergo
RENT Nullum animal est homo.

En oppositum minoris concessæ inducitur in conclusione, nec maiorem negare potest respondens, quia est contradictoria conclusionis, quam antea negauit, nam si illam neget, concedet duas contradictorias esse simul falsas. minor etiam est eadem cum maiore prioris syllogismi, & ibi concessa, ergo nihil negari potent, sicque aperte conuincitur respondens.

XI. *Quomodo reducatur per impossibile Celantes.* In *Celantes* non seruatur directè hic ordo, nam reducitur *per impossibile* sumptâ pro maiore eâ propositione quæ antea erat minor, contradictoria verò conclusionis assumitur pro maiore, & pro conclusione infertur contradictoria maioris conuersæ simpliciter, vt

Ce Nullus equus currit
Celantes. LAN Omne hinnibile est equus, ergo
TES. Nullum currens est hinnibile.

Hoc modo reducitur ad *Darij,*

DA Omne hinnibile est equus,
Darij. RI Aliquod currens est hinnibile, ergo
I. Aliquod currens est equus.

Quæ conclusio est contradictoria huius, *Nullum currens est equus,* hæc autem conuertitur simpliciter cum illâ *nullus equus currit,* quæ fuit maior concessa in priori syllogismo. Ad quæ memoriâ retinenda, duo hęc carmina composuerunt Dialectici pro modis imperfectis primæ figuræ.

Maior fit minor, & fit contradictio maior.
Excipe Celantes in qua conuertitur ordo.

Pro secunda item & tertia figurâ, hæc carmina deseruiunt: XII.

Seruat maiorem, variatq; secunda maiorem:
Tertia maiorem variat, seruatq; minorem:

Hoc est, in secundâ figura eadem manet maior in vtroque syllogismo, pro minori sumitur contradictoria conclusionis negatæ, & pro conclusione infertur contradictoria minoris prioris syllogismi quæ tamen antea fuit concessa: & hac ratione respondens duas contradictorias cogetur admittere, vt constat in hoc syllogismo in *Baroco.*

BA Omnis homo est risibilis,
Baroco RO Aliquis equus non est risibilis, ergo
CO Aliquis equus non est homo.

Baroco per impossibile reducitur ad Barbarã. Si quis hanc conclusionem neget, sic reducitur ad *Barbara.*

BAR Omnis homo est risibilis
Barbara. BA Omnis equus est homo, ergo
RA. Omnis equus est risibilis.

In tertiâ figurâ maior, quæ est varianda, fit contradictoria conclusionis, minor maneat eadem in vtroque syllogismo, & conclusio fit oppositum maioris antea concessæ. XIII. *Modus reducendi per impossibile in tertia figura*

Vt autem cognoscatur ad quem modum ex perfectis imperfecti syllogismi reducendi sint, omissis alijs. facillima, meo iudicio, ratio est ex dispositione præmissarum secundùm regulas iam traditas. Si namque assumendo contradictoriam conclusionis pro alterâ præmissâ, & alteram retinendo, inueniantur præmissæ esse duæ vniuersales Affirmatiuæ, reducetur syllogismus ad *Barbara,* si inueniatur vna præmissa vniuersalis negatiua, & altera vniuersalis affirmatiua, reducetur ad *Celarent,* & sic de *Darij* & *Ferio.* XIV.

SECTIO V.

De syllogismo Expositorio, Hypothetico, & Modali.

I. *Quid sit syllogismus expositorius, & cur ita dictus.* SYllogismus *expositorius* (sic dictus tum quòd ita clarus sit, vt rem oculis videatur exponere, tum quòd exponat syllogismum constantem termino communi) est syllogismus habens pro *medio* terminũ singularem, vt, *hic homo currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus currit.* Terminus verò singularis duplex est, incommunicabilis vt *Petrus, hic homo,* &c. & communicabilis, qualis est Essentia Diuina, quæ eadem numero identificata inuenitur cum tribus Personis Diuinis realiter inter se distinctis. *Terminus singularis incommunicabilis, & communicabilis.* Vt ergo syllogismus expositorius constans hoc termino singulari communicabili, seu Essentiâ Diuinâ concludat, debet medius ille terminus distribui saltem in vna præmissarum, vt, *omne quod est Essentia, est Pater* &c. vt supra declarauimus sc. 2. & in hoc est differentia inter terminum singularem communicabilem, & terminum singularem incommunicabilem. Hic syllogismus confici potest in varijs modis & figuris, & etiam reduci sicut alij.

II. *Quid sit syllogismus hypotheticus.* Syllogismus hypotheticus est, cuius vel vtraque vel altera saltem præmissa est propositio hypothetica, vt, *vel Petrus currit, vel Paulus loquitur, sed Paulus non loquitur,* ergo *Petrus currit:* de quo id solum notandum,

tandum, reduci debere ad eum modum ad quem reducuntur illius categoricæ.

Declaratur natura syllogismi modalis.

Modalis is est, cuius vna vel vtraque præmissa fuerit modalis: in quo id cauendum, ne mutetur suppositio copulata in distributiuam, vnde non valet hic syllogismus, *vitare omne peccatum veniale est impossibile, sed mendacium iocosum est peccatum veniale, ergo vitare mendacium iocosum est impossibile.* Ratio est, quia suppositio copulata maioris mutatur in distributiuam in conclusione, cùm cuilibet particulari applicetur idem prædicatum quod antea applicabatur omnibus collectim sumptis, seu toti collectioni.

IV. De fallaciis nihil hic necessariò addendum iudico, vel quia multæ detectu faciles sunt, vel quia suis quæque locis antea deteximus.

Hic ergo disputationum Introductionis ad Logicam finis esto. Nunc ad paulò, imò haud paulò maiora pergamus.



DISPVTATIONES IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM.

PROOEMIVM.



Quidam dũ Logicam breuem facere volunt, mancam faciunt.

Vplex auctorum genus video, qui, vt varia sunt hominum studia, in, non diuersas tantum, sed oppositas abiere sententias. Alij namque cum de naturâ Logicæ, dignitate, ac Nomine sermo instituendus foret, nihil potiùs, quàm nimium, dicere eligunt, ac festinationis studiosiores quam decori, debitâ eam laude, cultu, & ornatu spoliant, dumque Logicam breuem facere volunt, mancam faciunt. Alij nullum his de rebus dicendi finem faciunt, & in antiquitate Logicæ, origine, & Inuentoribus enarrandis, non dies tantùm & hebdomadas, sed ipsos etiam totos menses, si non inutili, minùs certè necessariò labore collocant. Illi in Logicæ commendatione nimis mihi Logici, vel etiam Laconici videntur, & dum verborum superfluitatem fugiunt, in taciturnitatem, dum Scyllam, in Charybdim incidunt. Hi quasi solem cum Iosue sistere valerent, dum velitationes suas literarias, ac prælia conficiunt; totas hic disputationes, & tractatus, sedula magis quam sapienti industria contexunt. Illorum ego vt vituperandum silentium, ita horum nimiam non laudandam diligentiam censeo; quippe qui in minutioribus hisce otio & operâ abutentes, res postea maiores, vel non omnino, vel non pro dignitate tradere coguntur. Isthæc proinde ita percurram, vt non siluisse potius, quàm de iis dixisse, & vt instituti memor, ita temporis non immemor fuisse videar.

Mediocritas omnibus in rebus seruanda.

DISPVTATIO PRIMA.

De naturâ & proprietatibus Logicæ.

Quatuor in re cuiusque inuestigatione quærenda.



Vatuor in cuiusque rei tractatione inuestiganda docet Philosophus. 2. Post. c. 1. *An sit*, *Quid sit*, *Quale sit*, & *Propter quid sit*. *An sit* Existentiam, *Quid sit* Naturam, *Quale sit*. Proprietates, *Propter quid sit*, Finem indicat. Ex his quatuor veluti quatuor elementis, perfecta vniuscuiusque rei notitia constituitur.

SECTIO PRIMA.

De Origine Dialecticæ & fine.

I. *Nihil simul inuentum & perfectũ.*

Nihil simul inuentum, & perfectum. Quod vt aliis in rebus, ita in scientiis verissimum esse quotidianâ constat experientiâ. Cum ergo Logica Adamo primùm infusa, & ab eo posteris tradita, labentibus paulatim sæculis interciderit: quas vicissitudines varietatesque subierit nobilissima hæc scientia, vt cœperit, vt adoleuerit, vt senuerit, vt orta denuo, vt decursu temporis aucta, ac locupletata fuerit: quibus demum incrementis ad hunc perfectionis apicem peruenerit, paucis recensebo.

II. Quoad primum itaque, quod inquirendum præscribit Aristoteles: dari Dialecticam certum omnino, & exploratum est, quod proinde quisquis negauerit, is eâdem operâ viros quosque grauissimos, qui illam vel authoritate suâ firmarunt, vel illustrarunt commentariis, inscitiæ, ne dicam amentiæ condemnauerit. Imò vero non solum est, sed ita ad cæterarum scientiarum acquisitionem vtilis est, ac prope necessaria, vt sine ea nulla omnino scientia plenè obtineri ac perfectè possit, vt postea latius dicetur.

Nemo dubitare potest an detur Dialectica.

III. Est porrò Dialectica veritatis indagatrix, hoc enim ei elogium in artium liberalium enumeratione assignatur.

Dialectica veritatis indagatrix.

Gram: loquitur, *Dia*: vera docet, *Rhet* verba colorat,

Mus: canit, *Ar*: numerat, *Geo*: ponderat, *As*: colit astra.

Vnde sicut sol inter planetas, ita Dialectica inter septem hæc sidera emicat, iisque splendore suo, dignitate ac præstantiâ multis gradibus antecellit.

IV. Est scientiarum clauis, vtpote cuius ope abditissima quæque, maximeque recondita, in suis singulæ materiis recludunt, ac reserant. Est filum, cuius ductu intricatissimos mens humana labyrinthos, in natura rerum indagandis percurrit, ac peruestigat. Est demum rectitudinis regula, ad quam scientiæ reliquæ suos explorare actus debent, ne à præscripto

Scientiarũ clauis.

pro artis, rectitudineque debita aberrent.

V. *Cum ipso nascente mundo nata est Dialectica. S. Thomas.*

Quoad originem verò, cum ipso nascente mundo nata est Dialectica, nempe in primum Parentem cum cæteris scientijs, in prima rerum constitutione à Deo infusa. Ita D. Tho. 1. p. q. 94. a. 3. Pulcherrimè more suo hac de re discurrens. *Cum enim,* inquit ille, *res in principio productæ sint, non solùm vt in seipsis essent, sed etiam vt essent principia aliorum, perfecta esse debebant: sicut ergo primus homo creatus est in statu perfecto quoad corpus, ita constitui debet in statu perfecto quoad animam, ac proinde optimis quibusque artibus & disciplinis imbui, præsertim cum caput cæterorum constitutus sit, quos instituere, & gubernare debuit: ideoque ita constitutus est à Deo, vt haberet omnium scientiam, vnde illa omnia perfectè à principio nouit, ad quorum cognitionem hominem pertingere lumine naturæ possunt, sicq; inter cæteras scientias etiam Logicam accepit, eiusdem tamen rationis cum nostra, sicut oculi quos dedit Christus cæco nato, quoad substantiam erant eiusdem rationis, cum oculis quos natura producit, & sola diuersitas est, quoad modum producendi.* Ita S. Doctor.

VI. *Ab Adamo deriuata est ad posteros.*

Ab Adamo verò in Posteros est deriuata, & à Noë post diluuium vt ait Iustinus Martyr, Armenis primum tradita & Chaldæis, à quibus ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcos, à Græcis longo demùm interuallo ad nos peruenit. Cum verò, vt fit, diuturnitate temporis cum cæteris etiam rebus senescens quasi Logica multum vigoris pristini, & antiqui splendoris amisisset, non defuerunt viri quidam è Græcia sagacissimi, qui in ea, cum cæteris scientiis restituendâ vtilem reipubl. literariæ nauarint operam. Vnde Definitionem Socrates, Plato Diuisionem, Aristoteles Argumentationem denuo inuenit, quorum in primis ingenio, labore, & industriâ effectum est, vt scientiarum omnium inuentrices Athenæ nuncuparentur. Inter hos tamen, ita hæc in parte enituit opera Aristotelis, ita ab eius vel ingenij vel eloquentiæ flumine locupletata est hæc nostra Dialectica, vt illi quasi vni eam denuò acceptam referamus. Quem proinde ita venerata semper est antiquitas, vt ad eum tanquam ad oraculum, responsa omnes petituri accurrerent: vnde Suidas *Aristotelem Naturæ à secretis fuisse* dicebat, *cui scribenti ipsa dictaret natura, & secretissima quæque cum eo communicaret consilia.* Vnde factum nec immeritò censet Toletus, vt Ecclesia præ cæteris Philosophis vnum Aristotelem in Academiis Adolescentibus prælegendum elegerit.

Socrates inuenit Definitionem, Plato Diuisionem, Aristot. Argumentationem.

Aristoteles naturæ à secretis dicebatur.

VII. *Artes omnes experientiâ sunt inuentæ.*

Modus Dialecticam inueniendi communis est cum cæteris artibus, quæ vt testatur Aristoteles primo Metaph. c. 1. *Experientiâ rerum omnium Magistrâ sunt inuentæ:* supra nostros quippe actus reflectendo, & errores notando, eos corrigimus, & regulas quasdam, ad quas tanquam ad normam operationes nostras exigentes, sine errore deinceps procedamus, nobis præscribimus.

VIII. *De quibus actibus sint, aut non sint artes, & regulæ.*

Quòd si quis Aristotelem obiiciat 6. Eth. c. 4. asserentem de actibus naturalibus, nec artem esse, nec regulas. Respondeo de iis solum naturæ actibus loqui Philosophum, qui eodem semper tenore, eâdē serie procedunt, quales sunt operationes sensuum, visio, auditio, & reliquæ. At verò in intellectū, vbi tanta actuum varietas reperitur, vt error, ita directio, artificiosusque procedendi modus cadere potest, certæque eidem regulæ præscribi.

IX. *Ars longa, vita breuis, experimentū fallax.*

Instabit fortasse aliquis, experientia fallax est ac dubia, nihil proinde certi in eâ fundari potest, nam vt rectè Hypocrates Aphor. s. l. 1. *Ars longa, vita breuis, occasio præceps, experimentum fallax, iudicium difficile.* Respondeo, experientiam vt firma sit, & ad regulas præscribendas apta, debere esse diuturnam, & variorum hominum, vel simul, vel sibi succedentium obseruatione probatam, quæ vbi contigerit, tantam certè gignet certitudinem, quanta in hac vitâ haberi potest.

X. *Finis Logicæ est directio intellectus.*

Finis porrò Logicæ est trium intellectus operationum directio, vtpote in quibus errores varij ac defectus contingere possunt, & solent. De quo breuior hic sum; quòd toto Logicæ decursu nihil admodum aliud tractandum mihi præfixum habeam.

SECTIO II.

De nomine, & diuisionibus Logicæ.

I. *Artes reales, & sermocinales.*

Artes reales aliæ sermocinales, illæ de rebus, hæ de sermone disserunt; inter quas meritò Logica priorat obtinet. Quod vt melius intelligatur.

II. *Sermo duplex, internus, & externus.*

Aduertendum, sermonem, qui græcè λόγος dicitur, esse duplicem, internum, quo nobis loquimur, externum quo aliis. Internus, aliud nihil est, quam ipsi intellectus nostri actus; his quippe nobiscum discurrimus, his nobis loquendo discimus, dum vnam veritatem post aliam & per aliam indagamus. Externus homini à naturâ concessus est, vt, cum animal, vt aiunt, sociabile sit, animi sui sensa & conceptus aliis communicare possit. Ad hunc dirigendum spectat Grammatica, quæ emendatè, & Rhetorica, quæ ornatè dicendi præcepta tradit, ad quam postremam reuocatur Poësis, quippe quæ loquens pictura dicitur, vt pictura tacens Poësis. Priorem dirigit Dialectica, quæ definiendi artem ac diuidendi, & argumentandi methodum aperit. Cum ergo sermo internus, externum multis gradibus antecedat, nullus negeт Dialecticam quæ ad eum dirigendum ordinatur primam inter sermocinales nuncupandam: *est enim Logica vis quædam vel facultas rectè sermone interiore rationis vtendi.*

Quæ artes ad sermonē externum ordinentur. Logica dirigit sermonem internum.

III. *Logica naturalis, & artificialis.*

Diuiditur Logica in *naturalem*, & *artificialem*, licet enim præceptis vt plurimum & regulis comparetur, non tamen sterilis adeo est natura, quin sicut aliarum scientiarum, ita Logicæ quasdam in se scintillas habeat, & semina, per quæ nullo artis adiutæ subsidio nonnunquam se in Dialecticæ actibus exerceat. Quod tamen vt melius percipiatur.

IV. *Logica actualis, & habitualis.*

Notandum, vel de habituali Logica sermonem esse posse, vel de actuali. *Actualis naturalis* nihil aliud est, quā actus illi quibus nullâ artis ope, nullis regulis adiutus, in quauis scientiâ discurrit, cum nullus actus cuiuscunq; scientiæ sit, cui non aliquid Logicum insit, vel enim componendo, rerumque naturas per definitionem manifestando, vel diuidendo, vel demum vnum ex altero per argumentationem deducendo procedit. *Actualis artificialis* actus est priori similis, non tamen solis naturæ viribus, sed artis præsidio ac regulis habitus.

V. *Quid sit Logica habitualis naturalis.*

De habituali maior est difficultas, dici tamen potest Logica habitualis naturalis, vel habitus per naturales illos actus acquisitus, & in intellectu per eosdem relictus, qui ad similes postea actus inclinat, & intellectum facilitate quadam ac promptitudine ad eos eliciendos instruit, vel generalia quædam & euidentissima principia de materia Logicæ, quæ sine Magistro, sine præceptis, sine labore, vel discursu acquiruntur, vt *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: Dici de omni, dici de nullo &c.* quorum notitia cum primo statim aspectu intellectui manifesta appareat, & illi videatur ingenita, meritò naturalis vocatur. Artificialis Logica sunt regulæ quædam, ac præcepta non à naturâ indita, sed vel labore proprio, & industriâ, vel Magistri directione acquisita. Cum enim intellectus solus difficulter actus suos sine errore eliceret, adinuenta est facultas quædam,

Logica artificialis in regulis sita est labore acquisitis.

cuius ope, ac præsidio rectius in suis operationibus, ac securius procedat.

VI. Dices hinc sequi videtur, nostram Logicam non esse scientificam, vtpote quæ per præcepta ab aliis tradita habeatur, hæc ergo præcepta non habent maiorem certitudinem, quam eorum auctoritas cui innituntur: fides enim cum dicentis, vel docentis auctoritate nitatur, tantam solum habebit certitudinem, quantam ille veracitatem, nec illa fides est scientifica; quisquis ergo per præcepta ab aliis accepta procedit, nunquam procedit scientificè, alienis quippe videt oculis, non suis. Respondetur illos qui præcepta Logicæ tradunt, simul cum præceptis rationem eorum pariter & fundamenta adscribere, quæ dum examinamus, præcepta discimus scientificè, & non solum ob auctoritatem docentis. Quod si quis sola fide in præceptis traditis procederet, is Logicam non calleret scientificè, sed hanc artem solum exerceret sicut mechanici exercent suas, quarum opera exercent, rationes reddere non possunt.

Qui alterius tantū auctoritate, artem addiscit, alienis videt oculis, non suis.

VII. Illud hic notandum eosdem numero actus secundùm diuersam rationem naturales simul & artificiales esse posse. Exempli gratia, qui per præcepta Logicæ didicerit debere definitionem constare genere & differentia, & ad discursum requiri duas præmissas cum conclusione, potent artificiosè conficere hunc syllogismum, *omnis definitio constare debet genere & differentia, sed animal rationale est definitio; ergo constare debet genere & differentia.* Hi actus in quantum sunt discursus & definitio, artificiales sunt, quia fiunt ex regulis artis Logicæ, vt supponimus: in quantum vero iudicia, sunt naturales, nam suppono elicientem hos actus nulla adhuc sibi præcepta de iudicio tradita habuisse, seu artem nectendi prædicatum cum subiecto, sed mera vi naturali intellectus secundum rationem iudicij; propositiones illas elicere.

Idem actus esse simul potest artificialis, & naturalis.

VIII. Naturalis etiam Logica eadem numero, quæ inerat Adamo potuisset esse artificialis, nam eandem numero potuit illi Deus per accidens infundere, quam vidit fore vt præcepta postea, & industriâ acquisiuisset. Quod vero hic aliqui disputant, vtrum intellectus vocandus sit Logica naturalis, quæstio est de nomine, quam pluribus discutere nec tempus est, nec animus: Generalia enim illa principia quæ Logicam naturalem appellamus aliud nihil sunt quā vis ipsa intellectiua, seu lumen illi naturaliter ingenitum.

Naturalis Logica in Adamo potuisset esse artificialis.

IX. Nec propterea obiicias cum Soto. q. 2. procemi. posse pari ratione dici dari physicam naturalem, cum intellectus non minorem vim naturalem habeat ad discurrendum in rebus physicis seu naturalibus, quā Logicis: Negatur enim sequela. Nam Logica peculiari modo dicitur à S. Augustino & aliis *scientia veritatis, & scientia intellectualis*, quòd ad intellectum iuuandum specialiter ordinetur. Plura etiam præcepta generalia desumuntur ex Logica ad veritatem indagandam; quin etiam suos actus pro obiecto habet. Quod si quis vrgeat aliquo etiam modo dari posse physicam naturalem, concederem potius quam longam hac super re cum eo contentionem instituerem.

Logica scientia veritatis.

DISPVTATIO II.

De Obiecto Logicæ.

Expeditissima scientias indagandi via per obiecta.

NVlla melior scientias indagandi, & suis eas limitibus definiendi via, quam per obiecta. Hæ enim scientiæ de cælo, de terra illæ, nonnullæ de rebus spiritualibus, de corporeis aliæ disputant, sicque vniuersum hoc inter se (quâque partem eius sibi vindicante) partiuntur, ac diuidunt. Vt ergo clarius in obiecto Logicæ disquirendo procedatur, quæque illi pars in hac rerum partitione obtingat inuestigemus, nonnulla de obiecto in communi præmittenda.

SECTIO PRIMA.

De obiecto in communi.

I. OBiectum ab obiiciendo dicitur, quasi *obex actuum*, quod eo tanquam obiecto quodam obice sistantur & determinentur actus ne vage & in incertum ferantur. Quod licet aliqui cum P. Molina 1. p. q. 25. a. 3. extendant ad actum cuiusque potētiæ, sicque terminū omnipotantiæ Diuinæ obiectum appellant, si tamen vim vocis spectemus, & propriè loqui velimus, est terminus tantum potentiæ vitalis, siue internæ, siue externæ, vt visus appetitus, intellectus, voluntatis &c.

Obiectum quasi obex actuum.

II. Diuiditur primo obiectum in *adæquatum & partiale*. Partiale illud est, quod ab aliqua solum parte alicuius scientiæ consideratur; adæquatum vero sunt omnia quæ in quauis scientia tractantur, & vocari solet aggregationis, quia est aggregatum ex omnibus quæ ibi tractantur, & in Logica vocari potest *Ens Logicum*, in Physica, *Physicum*, & sic de cæteris.

Obiectum adæquatū, & inadæquatum.

III. Diuiditur secundò in obiectum Attributionis, & Attributum; Obiectum vel subiectum Attributionis est illud de quo in aliqua parte scientiæ agitur, & ad quod cætera omnia quæ in illa scientia tractantur referuntur tanquam ad finem vltimum, & cuius cognitio præcipuè intenditur, licet de ipsis in recto non prædicetur: sic Deus est subiectum vel obiectum Attributionis in Theologia, vt docet D. Tho. 1. p. q. 1. a. 7. *corp.* quia vt ait idem S. Doctor, *omnia quæ in Theologia tractantur, tractantur in ordine ad Deum*, licet de iis in recto prædicari non possit, non enim dicimus lumen gloriæ est Deus, Angelus est Deus, fides est Deus &c.

Obiectum attributionis, & attributum.

S. Thomas.

IV. Obiectum attributum illud est, quod ita in scientia aliqua tractatur, vt non propter se, sed in ordine ad aliud tractetur; vnde sicut quia proprietates & passiones reipsa attribuuntur essentiæ, attributa vocantur in essendo, ita quia hæc in ordine ad aliud cognoscuntur, attributa dicuntur in cognoscendo.

Obiecta attributa in essendo, & cognoscendo.

V. Hic fusè disputant aliqui quo pacto obiectum & subiectum inter se differant. Sed rem verbo expediuerit qui dixerit, subiectum esse illud de quo aliquid enunciamus, vt cum dico *homo est albus*, *homo* est subiectum, quia de eo aliquid affirmamus, nempe habere albedinem; obiectum vero est non solum *homo*, sed tota illa propositio, quia tota menti obiicitur: obiectum autem, vt diximus, ab obiiciendo nomen sortitur: vnde distinguitur obiectum à subiecto, tanquam includens ab incluso, vel totum à parte, sicut in composito physico, homo distinguitur à materia, quia non illam solam continet, sed insuper formam, animam scilicet rationalem, & vnionem,

Quomodo differant obiectum, & subiectum.

Obiectum à subiecto differt sicut includens ab incluso.

vnionem. Libentius tamen vocauerim ſubiectum attributionis quam obiectum, tum quia ita locutum video S. Thomam, tum quia vel ipſa voce conuincitur, debere de eo quod eſt ſubiectum attributionis alicuius ſcientiæ in aliqua illius parte, tanquam de partiali ſubiecto illius partis agi.

VI. *Obiectum Materiale, & Formale.*

Celeberrima autem obiecti diuiſio eſt in *Materiale & Formale. Formale* illud eſt, quod primò & per ſe attingitur, & propter illud cætera, vt in communi exemplo, ægrotus primo & per ſe vult ſanitatem, & propter ſanitatem vult incidi venam, vult medicinam ſumere &c. obiectum formale hîc eſt ſanitas, reliqua ſunt materialia, quia propter ſanitatem non propter ſe appetuntur. Item in intellectu concluſioni aſſentimur propter præmiſſas priùs cognitas, ex quibus deducitur concluſio; obiectum ergo *formale* ſunt præmiſſæ, concluſio, *materiale*, quæ optime particulis *ideo* & *quia* explicantur, ita vt *ideo* applicetur materiali obiecto, *quia*, formali, ſicut cum dicimus, ideo volo ſumere medicinam quia volo ſanitatem ideo; aſſentior concluſioni, quia aſſenſum præbui præmiſſis, non è contra.

Hæc obiecta bene explicant particula ideo & quia.

VII. *Quod reſpectu vnius eſt materiale obiectum, reſpectu alterius poteſt eſſe formale.*

Id tamen aduerterim, poſſe idem obiectum, quod reſpectu vnius eſt materiale, reſpectu alterius eſſe formale, vt in agricultura, plantatio arboris eſt materiale obiectum reſpectu fructus, quem inde expectat agricola, at reſpectu foſſionis terræ eſt formale, immediata enim cauſa cur terram fodit, eſt quia vult plantare ſurculum, licèt omnia tandem fiant ob finem vltimum, qui obiectum formale ſimpliciter vel primarium vocatur, reliqua vero formalia ſecundum quid & ſecundaria. Item admiratiuum, verbi cauſa, in homine eſt formale reſpectu riſibilis, quia per illud probatur, hæc enim eſt bona conſequentia, *homo ideo eſt riſibilis, quia eſt admiratiuus*, licet admiratiuum reſpectu diſcurſiui ſit materiale: vnde in his eſſentia eſt obiectum formale primarium, quia per aliud non probatur à priori, *primum enim in inuentione, vel cognitione eſt vltimum in executione, vel reſolutione*, vltima enim ratio, ſi reſoluantur hæ propoſitiones vel cognitiones, inuenietur in plantatione arboris, fructus; eſſentia in demonſtrationibus paſſionum.

Primũ in inuentione eſt vltimum in executione.

VIII. Quæres cum quis amat Deum propter ſe, vel cognoſcit præmiſſas non eliciendo concluſionem, vtrum tunc Deus & præmiſſæ ſint obiecta formalia, videntur enim non eſſe, cum alia propter ipſa nec amentur, nec cognoſcantur. Reſpondeo dici poſſe obiecta formalia negatiue, ſcilicet non propter alia amata vel cognita, illa autem ſunt obiecta formalia poſitiue, quæ ipſa amantur ſeu cognoſcuntur, & alia propter ipſa. Tandem pro modo loquendi hic notandum materiale noſtrum obiectum, ab aliquibus vocari *formale quod*, & noſtrum formale ab eiſdem *formale quo*, re tamen ipſâ à nobis non differunt.

Quid ſit obiectum formale negatiuè.

Obiectum formale quod, & quo.

IX. *Obiectum materiale primarium, & ſecundarium.*

Materiale etiam aliis modis accipi poteſt, & diuiditur primò in *materiale primarium*, ſeu per ſe, vtpote cuius conſideratio per ſe intenditur à ſcientia, vt domus ædificata ab architecto, & Cæli reſpectu Aſtrologiæ. Aliud *ſecundarium* & per accidens, quod ratione alterius attingitur, vt eius cognitioni deſeruit, ſic forma, ſeu figura domus delineata ab Architecto, & ſphæra lignea ab Aſtronomo confecta, ſunt obiecta tantùm ſecundaria. Item materiale obiectum aliud *proximum* aliud *remotum*, proximum eſt quod ſecundum ſuam rationem verè ab actu attingitur, vt medium à voluntate, color à viſu: remotum, quod alij materialiſſimum appellant, eſt id quod verè non percipitur, ſed ideo ſolùm percipi dicitur, quòd aliquod eius accidens percipiatur: ſic homo & equus dicuntur videri, cum tantùm eorum color cernatur vel figura.

Materiale proximum, & remotũ.

X. *Obiectum, ſeu ratio formalis quæ & ſub qua.*

Formale item, ſeu ratio formalis duplex eſt, *quæ* & *ſub qua*. Ratio formalis *quæ* illa eſt quæ vere percipitur ab aliquo actu, vt color reſpectu viſus, quæ ratio licet reſpectu obiecti materialiſſimi dici poſſit formalis & *ſub qua*, in ordine tamen ad rationem formalem propriam *ſub quo* dicitur materialis. Ratio igitur formalis *ſub qua*, eſt *aptitudo ex parte obiecti vt hoc vel illo modo attingatur à potentijs*, & vocari ſolet *formaliſſima*, eſtque vltima ratio per quam obiectum vt obiectum eſt, dicitur pertinere ad aliquam ſcientiam vel potentiam: ſic color vt viſibilis, ad potentiam viſiuam ſpectat, vt intelligibilis ad intellectiuam, vt amabilis ad voluntatem: ſic in ſcientiis homo vt corpus naturale conſtans ex materia & forma ad Phyſicam ſpectat, vt ſanabilis ad Medicinam, vt ens ad Metaphyſicam, vt habens animam ad Animaſticã.

Obiectum formale ſeu formaliſſimũ.

XI. *Congruè data nomina obiecti materialis, & formalis.*

Non incongrue igitur data ſunt hæc nomina obiecti materialis & formalis; vt enim in compoſito phyſico, materia ex ſe eſt indifferens & indeterminata ad hoc vel illud compoſitum conſtituendum, determinatur verò per formam (*forma enim determinat, & dat ſpeciem in naturalibus, vt artificialis forma vel figura in artefactis*) ſic materiale obiectum per ſe eſt indifferens ad hanc vel illam potentiam & ſcientiam, vt vidimus, determinatur vero per formale.

XII. Hac ratione olim obiectum materiale, & formale obiter explicui; ſed quia hunc, obiectum formale declarandi modum, per *terminabilitates* ſcilicet *intrinſecas* recentioribus quibuſdam (licèt nonnulli probent) non vſque adeo placere video, ac contra illum multa eaque digna quibus reſpondeatur obiecerunt, vt iis ſatisfiat ſtatuam ſectionem ſequentem.

SECTIO II.

Declaratur vlterius idem modus explicandi obiectum formale per ſcibilitates intrinſecas.

I. VT ergo obiectum formale, per *terminabilitates intrinſecas* ex parte obiecti (quem adhuc modum veriſſimum cenſeo) explicetur.

II. *Cognoſcibilitas obiecti duplex, extrinſeca. Explicatio cognoſcibilitatis extrinſecæ.*

Notandum cognoſcibilitatem, ſeu perceptibilitatem obiecti duplicem eſſe, *extrinſecam*, & *intrinſecam*, extrinſeca illa eſt quæ rebus per denominationẽ extrinſecam à cognitione poſſibili illis aduenit: ſicut enim rem aliquam (ſolem exempli gratia) eſſe cognitam, ſeu actu terminare cognitionem eſt denominatio extrinſeca proueniens à cognitione actuali; ita poſſe cognoſci, & huiuſdi actum terminare eſt extrinſeca ſimiliter denominatio procedens à cognitione poſſibili. Hæc autem cognoſcibilitas cum non ſe teneat ex parte obiecti ſeu rerum, ſed ex parte potentiæ vel actus poſſibilis, non poteſt eſſe obiectum formale mouens intellectum ad cognitionem rerum.

III. *Declaratur cognoſcibilitas intrinſeca.*

Præter hanc ergo alia eſt cognoſcibilitas, vel perceptibilitas tenens ſe ex parte rerum, ab iiſdem indiſtincta, quæ rem quamlibet aptam reddit vt variarum actus potentiarum terminet. Sic color e.g. per ſuam intrinſecam entitatem aptus eſt viſum terminare, intellectum, imaginationem, voluntatem, & appetitum. De hac ergo cognoſcibilitate præſens procedit quæſtio.

IV. *Lux eſt obiectum materiale, viſibilitas formale reſpectu oculi.*

Sit ergo concluſio. Obiectum materiale, ſeu ratio formalis, *quæ* (vt aiunt) eſt res ipſa quæ percipitur, *lux*, *color*, *ſonus*: obiectum vero formale, ſeu ratio formalis *ſub qua* eſt prædicatum illud proximè explicatum, *viſibilitas* ſcilicet in luce & colore reſpectu oculi, *intelligibilitas* reſpectu intellectus &c. quæ

verè in re quauis reperiuntur, etsi à reliquis prædicatis realiter indistincta, vnde pereunte *visibilitate* (quantumuis fingamus reliqua in luce remanere omnia) non esset visibilis, nec in eam magis ferri posset oculus, quam in sonum; pereunte *intelligibilitate* non posset intelligi, percipi tamen à visu posset, & imaginatione. & sic de cæteris.

V. Hanc conclusionem amplectuntur Thomistæ ad vnum omnes, quos proinde sigillatim recensere superuacaneum iudico. Videtur etiam esse sententia Scoti obiectum formale diuidentis in obiectum *quod*, & obiectum *quo*. Eam tenet P. Molina 1. p. q. 1. a. 3. d. 2. Commb. 1. post. c. 23. q. vnica. a. 1. P. Fassolus q. 1. a. 7. d. 3. P. Vallius 2. Post. d. 4. p. 3. q. 2. & alij.

VI. *Ratio est, quia hoc modo maximè clarè potentiarum, actuum & habituum tendentia distinguuntur.*

Ratio est quia hoc modo optimè & commodissimè diuersæ potentiarum, actuum, & habituum in eandem rem tendentiæ à se inuicem distinguuntur; singulis etiã scientiis sua assignatur specificatio ab aliis diuersa, & peculiaris tendendi modus. Confirmatur, hic enim perfectè applicatur regula ad obiectum formale à materiali discernendum, nempe per particulas *ideo*, & *quia*, ideo enim color ab oculo percipitur quia est visibilis, ab intellectu quia est intelligibilis, & sic de aliis. Confir. secundò, alias namque sensus externi in his operationibus obiecto formali destituerentur, cùm non cõparatiuè, vnumque ex alio inferendo, sed simplici quodam ductu in suum quisque obiectum feratur, ibique sistat. Confir. tertiò hoc enim modo optimè explicatur analogia illa, & peculiaris proportio, quam inter obiectum formale & formam physicam omnes constituunt respectu materiæ.

SECTIO III.

Obiectiones contra rationem sub qua *declaratam per scibilitates intrinsecas.*

I. *Obij. sequi in quauis re esse scibilitates infinitas.*

OBiicies primò si obiectum formale in huiusmodi terminabilitate statuatur, sequitur quot sunt diuersæ potentiæ, tot diuersas esse perceptibilitates, pari enim secundùm nos hæc passu procedunt: cum ergo intellectus Angelici plores sint & plures in infinitum possibiles specie distincti, in re quauis minimâ erunt perfectiones specie distinctæ prope infinitæ.

II. *Retorquetur prædictum argumentũ.*

Hoc argumentum (cui multum insistere video Aduersarios) omnea perinde vrgere existimo. Quod sic ostendo, Materia nostra prima, plures & plures recipere formas potest in infinitum, tot ergo habet perfectiones, tot prædicata formaliter distincta, quot diuersas potest formas recipere, idque licet solum iis subster sine vllo influxu, vt materia se modo habet respectu animæ rationalis, & respectu vnionis creatæ.

III. *Secundùm illud argumentum materia haberet infinitas perfectiones.*

Hoc idem vlterius declaro, materia prima vnius tantum formæ receptiua (qualem multi autumant esse Cælestem) nostrâ, vt omnes fatentur, multò esset imperfectior, vtpote quæ vnicum tantùm haberet prædicatum, quòd scilicet vnius illius formæ esset susceptiua, ponamus itaque centum huiusmodi materias, imo plures & plures possibiles esse in infinitũ, materia nostra omnes earum perfectiones in se identificatas complectitur, ergo tot habet prædicata formaliter, quot materiæ tales aut formæ sunt realiter distinctæ. En argumentum in simili ab omnibus soluendum. Idem est de actu intellectus quo infinita simul (qualem in Christi animâ statuunt Theologi quem ea omnia videre in Deo asserunt, quæ Deus nouit scientia visionis) vno intuitu conspicerentur, & aliis huiusmodi.

Idem est in actu intellectus, qui repræsentaret infinita.

IV. Ad argumentum ergo, sicut dicunt aduersarij posse vnam, & eandem rem plures & perfectiores potentias terminare in infinitum, ita eodem modo respondebimus & nos, cum hæc omnia prædicata aliud nihil sint quam ipsissima illa res realiter indistincta, & radicaliter solùm, seu in ordine ad conceptus nostros diuisibilis, vel ad summum ex his prædicatis, tanquam ex partibus proportionalibus, & geometricè, vt aiunt non arithmeticè composita.

Soluitur præcedens argumentũ.

V. *Potentia terminandi infinitas actus, non potentias non arguit virtutem infinitam.*

Confirmatur, vel enim posse terminare potentias infinitas arguit vim infinitatem in re, quæ habet hanc aptitudinem, vel non: si ita, ergo etiam secundùm ipsos in re quauis est vis quædam terminatiua infinita: si non (quod omnes fatentur) quid nobis hoc obiiciunt? Sed de hac circa materiam primam difficultate plura suo loco: nobis in præsenti sufficit, argumento proposito vtramque æquè vrgeri sententiam, & aduersarios tela, quæ in nos coniiciunt, à suo debere capite arcere.

VI. *Quomodo scibilitas obiectiua à quouis actu cognoscatur.*

Obiicies secundò id non potest esse obiectum formale alicuius actus, quod ab actu illo non attingitur, sed scibilitas illa non attingitur ab actu, potest enim quis de re aliqua cogitare, quin cognoscat illam esse scibilem, ergo. Respondetur distinguendo minorem, scibilitas illa non cognoscitur reflexiuè & in actu signato, concedo minorem, non cognoscitur in actu exercito, nego, sicut iuxta aduersarios quando hominem video à longe, non cognosco, inquiunt animal rationale expressiuè, seu in actu signato, ita vt affirmare possim esse animal rationale, sic tamen in actu exercito, cum re vera cognitio in hominem feratur. Et per hoc patet ad probationem aliud enim est scire rem scibilem, aliud scire esse scibilem, hoc secundum licet aliquando contingat, ad simplicem tamen rei perceptionem non est necessarium, alioqui sensus nihil vnquam perciperent.

Aliud est scire rẽ scibilem, aliud scire esse scibilem.

VII. *Intelligibilitas obiectiua per aliam intelligibilitatem non intelligitur.*

Obiicies tertiò scibilitas illa, seu intelligibilitas est intelligibilis, ergo dari debet alia intelligibilitas per quam intelligatur, & ad hanc alia, & sic in infinitum. Respondetur facilè negando consequentiam, sed ipso facto quod sit ratio formalis, per quam alia prædicata in obiecto cognoscuntur, est eâdem operâ ratio cognitionis sui, vt in similibus omnibus contingit: Differentia verbi causa, est secundum omnes formalis ratio per quam res vna differt ab alia, simili ergo formâ conficiam argumentum: differentia ipsa differt ab aliis rebus, ergo alia dari debet differẽtia per quã differat, & ad hanc alia, & sic in infinitum: Respondẽt omnes differentiam eo ipso quod sit ratio formalis per quam res aliæ differunt, esse etiam rationem formalem per quam ipsa ab aliis differt; idem est de vnione, vbicatione, & huiusmodi aliis quæ ipso facto quòd sint ratio formalis vniendi; vel certo loco, statuendi alia, statuunt, & vniunt se. Idem ergo iure merito de intelligibilitate affirmari poterit.

Claris instantijs soluitur hæc obiectio.

VIII. *Quo sensu visibilitas, vt visibilitas, sit intelligibilis.*

Obiicies quartò: visibilitas etiam vt visibilitas, est intelligibilis, ergo non datur huiusmodi distinctio prædicatorum. Respondetur distinguendo antecedens, visibilitas quà visibilitas est intelligibilis, id est, visibilitas etiam secundùm vltimam suam differentiam potest percipi ab intellectu, concedo antecedens, visibilitas est intelligibilis, id est ratio sub qua percipitur color ab oculo est formaliter ratio sub quâ percipitur ab intellectu, nego: sicut etiam animal quà animal, seu vt principium est operationum sensitiuarum formaliter & tribuendo, vt aiunt, singula singulis, non est rationale formaliter: quamuis hæ rationes à parte rei in vnam realiter entitatem coalescant.

IX. *Quo pacto ens, vt Ens sit intelligibile.*

Et eodem modo ad id respondetur, quod obiiciunt, *ens* vt *ens* potest intelligi, seu sub ratione entis, ergo

ergo vt ens formaliter, est intelligibile. Respondetur enim facilè sensum esse, vltimum etiam entis conceptum posse intelligi, conceptus autem hic formaliter loquendo non est intelligibilitas, sed aptitudo ad existendum. Vnde hæ & similes propositiones in sensu formali semper censentur falsæ, *homo qua conuenit* cum cæteris animantibus differt, *vt animal* est principium operationum spiritualium, *vt rationale* sensitiuarum &c.

X. *Aliquando obiectum formale distinguitur realiter à materiali.*

Hic tamen addiderim nullâ ratione me iis assentiri qui ita obiectum formale cum materiali identificari pronuntiant, vt nunquam moueri intellectus vel voluntas possit ab obiecto formali realiter à materiali distincto: bonitas enim finis tanquam obiectum formale ad medium eligendum voluntatem mouet, dictio, & authoritas dicentis ad fidem dictis adhibendam. Addo vlteriùs; licet, si actus conclusionis non attingat obiectum præmissarum, præmissæ intellectum moueant ad actum conclusionis eliciendum, ita vt conclusio elici dicatur propter præmissas, propriè tamen obiectum formale actus conclusionis dici nequeunt. Ratio est quia cum obiectum ab obiiciendo dicatur, præmissæ vero per actum conclusionis omnino non attingantur, obiectum certè illius actus esse nullo modo possunt. Confirmatur, cognitio est imago obiecti, cum ergo is actus præmissas non repræsentet, quo quæso pacto illarum imago censeri poterit? Quod ergo aliqui affirmant præmissas in hoc casu esse obiectum motiuum, non terminatiuum respectu actus conclusionis, impropria locutio est.

SECTIO IV.

Quomodo specificentur scientiæ ab obiectis.

I. *Res hæc confusionis plurimum habet, vtilitatis parum.*

DE Specificatione scientiarum ab obiectis fusissimè quosdam disputare video. Res non tanti mihi videtur, vt quis illius discussioni diutiùs immoretur: eam proinde paucis expediam, maximè, cùm confusionis plurimum habeat, vtilitatis parum. Qui plura cupit, adeat P. Hurtado d. 1. met. præcipuè sec. sextâ. P. Arriaga d. 1. log. totâ sec. tertiâ, & P. Ouiedo Cont. 1. log. pu. tertio, & alios.

II. *Triplex abstractio à materia.*

Celebris hac in parte est Thomistarum opinio, triplicem assignantium abstractionem intellectualem à materiâ: prima abstractio est *ab indiuiduatione*, non tamen *à materiâ sensibili*, vt dum concipitur homo vt sic abstractus ab omnibus indiuiduis. Secunda abstractio est *à materia sensibili*, non tamen *ab intelligibili*, vt dum materiam secundum se concipimus, nullo concepto accidente, cùm tamen materia non sit sensibilis per accidentia. Tertia demum abstractio est quando mente abstrahimus *ab omni omnino materiâ*, vt in hoc conceptu *substantia*.

III. *Non incongruè loquuntur, qui triplicem hanc abstractionem statuunt.*

P. Arriaga citatus n. 23. asserit, impropriè loqui hos auctores, dum dicunt abstractionem fieri ab indiuiduis, non tamen à sensibili materiâ cùm sensatio non fiat nisi in indiuiduo. Mihi tamen propriè hac in re loqui videntur: non enim est quæstio, an sensus percipere possit rationem aliquam communem, (quamuis id multi non improbabiliter affirment dum videtur color à longè) sed an intellectus in rebus sensibilibus concipere possit rationem communem sensibilitatis, non conceptis particularibus differentiis, vel an concipere possit sensibilia, non vt hoc vel illo modo sensibilia, seu vt differunt, sed merè in quantum sunt sensibilia, & vt conueniunt. In hoc autem non est maior difficultas, vt nimirum abstrahatur ratio sensibilis vt sic ab indiuiduatione, seu ab omnibus indiuiduis, quàm vt quæuis alia ratio abstrahatur ab indiuiduatione, homo scilicet, animal &c.

IV. *Dices quis vnquam percepit rationem sensibilis ad communem.*

Dices: quis vnquam sensu aliquo percepit rationem communem, quis e.g. colorem in communi vidit, aut audiuit rationem soni ab omnibus indiuiduis abstractam? Contra: hoc, vt dixi, probaret nullam omnino rationem communem posse abstrahi ab indiuiduis: homo enim est principium eliciendi actus rationis & sensus, equus principium hinniendi &c. quæ rationes secundum omnes possunt abstrahi ab indiuiduatione: quis autem hominem in communi discurrentem vnquam, aut loquentem vidit, vel rationem abstractam equi hinnientem? Si ergo impropriè loquatur qui dicit se abstrahere ab indiuiduo & non à materiâ sensibili, impropriè similiter loquetur is qui dicit se abstrahere ab indiuiduis & non à principio eliciendi actus rationis ac sensus; cùm hi nunquam eliciantur nisi ab indiuiduis.

Contra: quis hominem in communi audiuit, aut loquentem.

V. *Secundum triplicem illam abstractionem triplex scientiarum partitio.*

Auctores ergo prædicti scientias diuidunt secundum hanc triplicem abstractionem: *Metaphysica* enim abstrahit ab omni materiâ, agit siquidem de Ente vt sic, & rebus spiritualibus. *Physica* abstrahit ab indiuiduis, non tamen à materiâ sensibili: agit enim, inquiunt, de composito cum suis accidentibus, de cælo &c. non descendendo ad particularia. Tandem *Mathematica* considerat quidem materiam, accidentia autem per quæ redditur sensibilis, non considerat.

VI. *Hæc doctrina est in plurimis vera in quibusdam tamen deficit.*

Hæc doctrina magna ex parte mihi videtur vera: cur autem eam totam non amplectar, Ratio est primò, quia Physica non agit de rebus materialibus tantùm in genere; disputat enim de distinctione numericâ huius partis materiæ & formæ ab aliâ, de duabus vbicationibus, aut durationibus numero distinctis etiam in quantum numero distinguuntur: quærit an vniones duorum hominum distinguantur solo numero, an etiam specie: agit de principio indiuiduationis, seu quid ad hoc potiùs indiuiduum determinet, quàm ad aliud, & similia. Præterea, non in genere tantùm agit de cælo, sed de his cælis in particulari, prout inter se differunt, eorum numerum, influxum, altitudinem, magnitudinem inquirit. Deinde, multæ sunt scientiæ quæ agunt de rebus merè spiritualibus, & tamen non sunt Metaphysica; ergo abstrahere ab omni materiâ, non est proprium Metaphysicæ.

VII. Nec quidquam video quod magnopere faciat pro hac sententiâ: quod enim obiicitur, actus non specificari ab obiecto materiali, videbimus sec. sequente quo pacto sit intelligendum.

SECTIO V.

De vnitate, & distinctione scientiarum.

I. *Scientiarum vnitas maximè desumitur ab obiectis.*

VNitas scientiarum desumitur præcipuè ab obiectis: cùm ergo sectione præcedente egerimus de vnitate obiectorum, sequitur modò vt agamus de vnitate scientiarum: quâ in re non parum de more discrepant auctores.

II. *Vnitas est triplex Indiuisibilitatis. Compositionis, & Aggregationis.*

Notandum, triplicem in rebus dari vnitatem, secundùm diuersos gradus magis vel minùs perfectam. Prima & perfectissima vnitas illa est, quæ nullas omnino habet partes, sed est res simplicissima, qualis est anima rationalis: & hæc vnitas dici solet *indiuisibilitas* & identitas. Secunda vnitas, est vnitas *compositionis*, siue per vnionem informationis, vt inter materiam & formam, quo pacto Petrus est vnus homo, seu vnum compositum: siue per vnionem continuationis, quo sensu dicimus *vna aqua*, *vnus lapis*, &c. & hæc vnitas est perfectior præcedente.

Tertia

Tertia demum vnitas; & omnium imperfectissima est vnitas *aggregationis*, seu *ordinis* vt vocant; quando scilicet vera & realis vnio physica inter aliqua non intercedit: sic dicitur *vnus exercitus* sub vno nimirum Imperatore, & similia.

III. *Prima sententia vnamquamque scientiam statuit vnâ vnitate indiuisibilitatis.*

Prima ergo sententia affirmat quamuis scientiam esse simplicem, & vnam vnitate illa primâ & perfectissimâ, ita nimirum vt sit qualitas indiuisibilis, & nullas omnino habens partes, instar animæ rationalis. Sed contra: habitus enim, vtpote semen actus, non inclinat nisi ad actus iis similes, à quibus est productus: ergo (in habitibus saltem acquisitis) non potest dari vnus aliquis indiuisibilis habitus, physicæ exempli g. qui inclinet ad omnes actus physicos. Conf. experientia constat esse homines aliquando promptos, & sentire magnam facilitatem circa vnum obiectum, cùm tamen non sint prompti, imò magnam sentiant difficultatem in aliis: exempli g. multi periti sunt, & cum magnâ facilitate discurrunt circa materiam primam, qui tamen difficultatem sentiunt in forma, in vnione, vbicatione &c. Aliqui prompti sunt in proprietatibus hominis, leonis, aut equi enarrandis, qui tamen natura cæli explicandâ, rudes sunt & imperiti, ergo non est vnus indiuisibilis habitus ad hæc omnia inclinans, sic enim eandem quis in omnibus experiretur facilitatem, & promptitudinem.

Sed Contra: circa vno obiecto aliquis scientiæ magnam subinde sentimus facilitatem, non in aliis.

IV. *P. Vasq. nouam facilitatem constituit in nouis modis.*

Vidit hanc difficultatem P. Vasq. qui proinde To. 1. in 1. 2. d. 80. vt scientiam omnem in simplici & indiuisibili qualitate consistere defendat, ait habitum quidem non inclinare nisi ad actus iis similes, à quibus est productus, ad nouos tamen actus circa alia obiecta asserit eum extendi per modos quosdam ei superadditos, per quos facilitas illa noua in operando producatur. Hæc ille.

V. *Contra: cùm nulla sit in actibus subordinatio, doctrina hæc de modis non subsistit.*

Hanc tamen doctrinam nullâ ratione approbo. Primò, quia cùm inter actus (physicæ exempli g.) non sit naturalis aliqua subordinatio, non est maior ratio cur hæc pars habitûs sit modus alterius, quàm è contra, illa enim pars, quæ acquiritur primo loco, potuisset acquiri secundo, tunc autem fuisset modus secundæ partis, sicut secunda modò est pars primæ. Conf. hinc enim sequitur, partem illam non esse omnino modum; potuisset enim produci & conseruari sine primâ parte habitûs, ergo non est modus, sed habitus completus, & absolutus, seu pars habitûs alteri superaddita: ergo habitus acquisitus non est simplex, sed ex variis partibus compositus.

VI. *Habitus acquisiti Misericordiæ & iustitiæ sunt vt plurimum distincti. Idem est aliquando habitus acquisitus diuersarum virtutum.*

Dices: misericordia, iustitia, & aliæ virtutes sunt idem indiuisibilis habitus, ergo idem dici debet de habitu scientiæ, alioqui non erit vna scientia. Resp. si sermo sit de habitu acquisito iustitiæ, misericordiæ &c. sunt vt plurimum diuersi habitus, sicut actus sũt diuersi à quibus eliciuntur. Dixi vt plurimum; si enim idem actus virtutis eliciatur ob duo motiua, charitatis v.g. & obedientiæ, generabit habitum indiuisibiliter inclinantem & efficientem actum qui simul sit charitatis & obedientiæ, actum scilicet similem illi, à quo est productus, licèt subinde possit elicere actum solius charitatis, vel solius obedientiæ, quando scilicet alterum tantum motiuum voluntati proponitur ab intellectu.

VII. *Habitus infusi possunt singuli producere varios actus virtutum. Habitus supernaturales sunt per modum potentiæ.*

Si verò sermo sit de iustitia, misericordia, & aliis virtutibus supernaturalibus, vnicus habitus producere potest actus diuersarum virtutum: cùm enim non acquirantur hi habitus per actus, sed infundantur à solo Deo, cuius virtus est infinita, nulla est limitatio ex parte principij productiui, sicut in habitibus acquisitis, qui producuntur ab actibus. Deinde, habitus supernaturales, seu infusi, sunt per modum potentiæ; potentia autem, intellectus exempli gratiâ, ad varios actus specie distinctos, & ad obiecta diuersissima extenditur. Et hæc est ratio cur habitus supernaturalis fidei extendere se possit ad actus circa diuersa obiecta materialia sub eâdem ratione formali, quod tamen non propterea dici debet de habitu acquisito scientiæ.

VIII. *Non datur vnus habitus naturalis intellectus inclinans ad diuersa obiecta.*

Quæres verùm non possit dari vnus habitus naturalis intellectus inclinans ad actus circa obiecta diuersissima sub vnâ ratione formali, vt credendum Petro in omnibus quæ dicit. Resp. frequenter requiri diuersos habitus, licèt enim Petro circa obiecta, quæ talem habent gradum difficultatis, credamus, in iis tamen, quæ maiorem habent difficultatem, frequenter sine alio determinatiuo non credimus. Quòd si vir quispiam sit talis auctoritatis, vtpote qui nunquam inuentus sit vel errasse, vel alios decepisse, huic omnibus credere possumus; quod fit non per habitum, sed quia stante vniuersali illâ præmissâ, *Petrus est maximè verax*, & additâ aliâ, tanquam explicatiuâ quadam, *sed hic & nunc dicit hoc*, credimus ipso facto, nec ad hoc opus est habitu superaddito, cùm ab illis duabus præmissis sufficienter, imò necessariò determinemur ad assensum: vt bene P. Arriaga citatus n. trigesimo tertio.

IX. *Secunda sententia vnamquamque scientiam statuit vnâ vnitate compositionis.*

Alij ergo secundò asserunt, habitum cuiusque scientiæ esse vnum secundâ vnitate suprà n. secundò positâ, sicque vnamquamque scientiam dicunt esse vnam vnitate continuationis. Hæc sententia ex eò reiici solet, quòd nulla appareat huius vnionis physicæ necessitas, aut magna etiam conuenientia. Quòd si gradus qualitatum, caloris, frigoris &c. physicè vniantur, est quia gradibus illis, vtpote heterogeneis, peculiaris est subordinatio & connexio, secundus enim vniri debet primo, tertius secundo, & sic deinceps. In habitibus autem scientificis, cùm, vt dictum est, non reperiatur huiusmodi subordinatio, & aliunde in aliis qualitatibus non sit vnio physica, vt in pulchritudine, sanitate &c. vt bene aduertit P. Suarez d. 44. Met. sec. 11. n. 57. non est cur vnionem etiã physicam ponamus inter habitus.

Sed Contra: nulla enim huius vnionis physicæ est necessitas.

X. *Tertia sententia statuit in scientiis vnionem aggregationis.*

Tertiò itaque alij nullam omnino vnionem physicam statuunt inter habitus, seu partes scientiæ, sed vnionem tantùm *aggregationis*, vel ordinis, vt in domo, exercitu, ciuitate, &c.

XI. *Nominales tot volebant esse scientias, quot conclusiones. Mirandulanus vnam dicebat esse scientiam, ex omnibus compactam.*

Ex hoc postremo modo philosophandi circa scientias, duæ oriuntur opiniones planè oppositæ: prima est Nominalium, qui, teste Soto, aiunt tot esse scientias quot sunt habitus simplices, imò quot conclusiones scientificæ diuersæ: quam etiam sententiam reipsa amplecti videtur P. Arriaga hic d. 1. s. 3. n. 37 Secunda sententia est Mirandulani apud Conimbricenses in Proœmio Phys. q. 1. qui vnam tantùm dicebat esse scientiam ex omnibus per aggregationem compactam: quam opinionem non multùm improbat P. Hurtado d. 1. Met. s. 7. n. 185. nec P. Ouiedo Cont. 1. log. punct. 3. n. 17.

XII. *Neutra ex his sententiis est admittenda.*

Neutram tamen ex his opinionibus veram existimo: non primam, in omni enim scientia plures actus, & consequenter habitus sunt, qui non merè per accidens, & ex ordinatione tantùm scientis, sed etiam ex ordinatione scientiæ inter se connectuntur, vt in Logica cognitio terminorum ordinatur ad cognitionem, seu compositionem propositionis, cognitio vnionis in Physica ad cognitionem compositi, & sic de aliis. Non etiam placet sententia Mirandulani, ægrè enim ostendi potest, quo modo cognitio Angeli ordinetur ex naturâ suâ ad cognitionem lunæ, & sic de cæteris.

XIII. *Assignari possunt variæ scientiæ specie distinctæ.*

Existimo itaque, posse assignari scientias vel ex obiectis, vel actibus & habitibus ex modo tendendi diuersis, specie distinctas. Sic Logica dici potest vna scientia ex obiecto & fine, ad quem naturâ suâ

to omni-

in omnibus suis actibus ordinatur. Sic Metaphysica est vna etiam scientia, quia abstrahit à materiâ, habetque hac in parte modum tendendi sibi peculiarem: & in hunc veram existimo sententiam. Thomistarum sec. præcedente, n. quinto relatam. Non tamen nego, quin sicut variæ domus concurrunt ad constituendam vnam ciuitatem, variæ centuriæ, cohortes, legiones ad conflandum vnum exercitum &c. ita possint etiam variæ scientiæ, ob naturalem inter eas subordinationem, ad vnam aliquam scientiam totalem constituendam concurrere.

XIV.

De subalternatione scientiarum, de qua hîc aliqui, ob connexionē quam habet cum præsenti quæstione, disputant, dicam in libris de Anima, disputatione 39. sec. secunda.

DISPVTATIO III.

Sintne voces obiectum Logicæ.

Voces secundum diuersas suas rationes spectant ad diuersas scientias.

VOces secundum diuersas sui rationes ad diuersas spectant scientias. Vt Ens sunt, ad Metaphysicam pertinent: vt sonus ore animalis prolatus, ad Animasticam, quæ aurium, quæ oris quæ linguæ, quæ reliquarum corporis partium structuram, officia, & obiecta considerat: vt ex variis sonorum interuallis ad suauem, & ad animos oblectandos accommodatam harmoniam, ac concentum conueniunt, ad Musicam: vt in iis ornatus reperitur, appositusque ad persuadendum dicendi modus, ad Rhetoricam: vt ex iisdem ligata oratio certis numeris, certaque mensura pedum constans oritur, ad Poësim: vt demum sermonis in iis proprietas, correctaque spectatur loquendi ratio, ad Grammaticam. De quo plura in huius disputationis decursu.

SECTIO PRIMA.

Discutitur Nominalium opinio.

I.

Nominales voces statuunt obiectū Logicæ. Okā dictus venerabilis inceptor.

CElebris hac in re est Nominalium opinio, vtpote quæ nascenti eorum sectæ nomen dedit, qui voces adæquatum Logicæ obiectum statuerunt. Hanc sententiam Realium operâ sopitam prope iam, ac sepultam è tenebris suscitauit denuo Okamus Scoti auditor, acuti vir ingenij, tantumque apud suos sequaces propterea adeptus est authoritatis vt quasi nouam ipse philosophandi viam instituisset, venerabilis Inceptor nuncuparetur. Quamuis frustra P. Hurtado d. 1. Log. s. 3. subsec. 1. & d. 5. metaph. ab hac eos, vt ait, calumnia vindicare conetur.

II.

Ratio fundamentalis sententiæ Nominalium.

Fundamentum esse videtur, quia quidquid in Logica tractatur, si voces secludas, ad alias scientias spectat, res enim in genus & differentiam, essentias & passiones diuidere, proprietates de essentiis demōstrare, &c. ad particulares scientias spectat, in quibus res illæ reperiuntur. Generalia autem principia, vt *quodlibet est, vel non est: quæ sunt eadem vni tertio &c.* ad Metaphysicam pertinent, & ab eâ acceptâ ad quālibet particularem scientiam applicantur. Actus vero intellectus, quibus definimus, diuidimus, argumentamur, ad Animasticam spectant, cum actus animi sint: præter hæc autem nil aliud est quam voces, de quo agat Logica.

III.

Logica ad conceptus mentis dirigendos est inuenta.

At sane leue est hoc fundamentum ad eiusmodi opinionem in scholas inuehendam. Dicimus itaque Logicam primò & per se ad conceptus mentis dirigendos esse inuentam, quippe quæ *rationis scientia & veritatis* à S. Augustino appellatur; voces autem ad Logicam nisi merè per accidens non spectant. Vnde idem D. Augustinus lib. 2. contra Academicos de Logica disserens ait, *Non vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem oportet esse sapientem.* Vocibus proinde vtitur Logicus, non ad eas intelligendum, ac de iis discurrendum, sed ad conceptus suos aliis aperiendos, vel vt aptius loquatur, ad sermonem non secum, sed cum aliis serendum. Ad argumentum ergo respondeo; conceptus, licet vt qualitates vitales sunt, ad Animasticam spectent, vt tamen dirigibiles sunt regulis Logicis, ad Logicam pertinere. Nil ergo opus ad voces recurrere.

S. Augustinus.

Quemodo a&ltus intellectus spectet ad Logicam.

IV.

Sequeretur scripturam, & nutus esse obiectum Logicæ.

Secundò Impugnatur hæc sententia: sicut vocibus, ita scriptura, vel signis vti potest Logicus: quoniam enim sicut voce, ita nutibus mentem suam explicare posset Logicus (quo pacto inter se loquuntur muti) si homines generali consensu nutibus pro rebus, vel conceptibus vti vellent, & de facto, scripturâ vtitur Logicus nullus tamen vel scriptionem vel nutus ad Logicam spectare asserit, nisi merè secundario, & per accidens. Voces ergo ad externam, siue vocalem Logicam spectant, non internam & mentalem, ad loquendum Logicè, non ad intelligendum.

V.

Logica prior est vocibus.

. Tertiò: quia omnia quæ quis exterius profert, prius mente concepit, non enim aliud loquimur quā quod cogitauimus, ergo priusquam quis syllogismū profert, discurrit; ergo in in illo priori est Logicus: quod autem proferat, est ratione aliorum, vt nimirū discursum illis suum manifestet. Vnde si possent homines, sicut Angeli suos sibi inuicem conceptus aperire sine vocibus, non alia tamen ratione discurrerēt quàm modo: Voces ergo ad Logicam non spectant.

VI.

Logica dirigit sermonē internum, non externū.

Obiiciunt tamen primò: Logica est *scientia sermocinalis*, ergo agit de solis vocibus, & sermone. Hæc obiectio soluta est supra d. 1. s. 2. suppositione illâ de sermone interno & externo. Nec pro illis facit quod Porphyrius tractatum suum de quinque prædicabilibus, inscripserit *de quinque vocibus*, aliis enim passim nominibus vocantur, vt 5. Prædicabilia, 5. Vniuersalia &c. Loquitur ergo Porphyrius de vocibus internis.

VII.

Voces ignotorum manifestant tantùm secundū quid.

Obiicient secundò: modus sciendi est *oratio ignoti manifestatiua*, sed voces manifestant ignotum, ergo sunt modus sciendi, ergo obiectum Logicæ. Respondetur; conceptus mentis sunt propriè ignoti manifestatiui, in ipsis enim consistit scientia, in vocibus autem solum secundum quid, & vt in signis Aristoteles verò dum orationem ait esse vocem significatiuam, vel solùm, vel præcipuè definit orationem vocalem, nisi de voce seu sermone interno loqui eum quis velit. Oratio ergo in communi dici potest *signum constitutum ex pluribus partibus ex modo significandi vnitis.* Ex pluribus partibus intellige virtualiter, alioquin orationi mentali non congruet, quippe quæ in simplici qualitate sita est, nullas in se partes habente.

SECTIO II.

An voces saltem sint partiale obiectum Logicæ?

I. *Volunt aliqui Logicam directè agere de vocibus.*

REiecta Nominalium sententiâ, maior nobis cum Recentioribus quibusdam restas controuersia, qui cum Fonseca 2. Metaph. c. 3. q. 5. s. 5. licèt voces adæquatum vel primarium Logicæ obiectum non statuant, directè tamen de iis in Logica agi, vt de obiecto proprio partiali asserunt. Ante conclusionem.

II. *Homo duobus differt à bestiis, ratione & oratione. Logica Docens & Vtens.*

Aduertendum duobus hominem à bestiis differre, *ratione* scilicet & *oratione* (nempe vocali) *ratione*, vt se instruat, *oratione* vt alios; vnde sicut ad *rationem* & actus eius moderandos data est Logica, quæ propterea vniuersalissima est, & in omnibus scientiis versatur, atque vt *dans præcepta docens appellatur*, *vt illa exercens dicitur vtens*. Ita oratio vniuersalissima etiam est, omnes quippe scientias vt intelligere, ita aliis explicare possumus. Ad hanc ergo addiscendam peculiaris etiam ars assignatur, nempe Grammatica, quæ, vt completa, & perfecta sit, docere modum debet congruè loquendi in quacumque arte, & scientiâ, terminos scilicet aptos ad hoc munus subministrando. Vt ergo generalia præcepta ad hoc præscribit; vocari potest *Grammatica docens*, vt eisdem vsurpans, siue in Logicâ, siue Metaphysicâ, vel alia quacunque arte, aut scientiâ, *Grammatica vtens* dici potest.

Grammatica Docens & Vtens.

III. *Voces non sunt partiale obiectū Logicæ.*

Conclusio, voces, seu ars loquendi, nec partiale est obiectum directum Logicæ: ita Suarez d. 1. Metaph. s. 4. P. Hurtado d. 5. Log. s. 3. s. 23. P. Arriaga d. 2. Log. s. 3. P. Vallius in proleg. p. 2. q. 3. c. 13. & Recentiores communiter. Hæc conclusio: præter argumenta sec. præcedente allata, quæ hic non minorem habens vim, Probatur vlteriùs: quia sequeretur voces esse obiectum omnium scientiarum, nam sicut Logica vtitur vocibus ad suum obiectum, dum ait. *Definitio est oratio explicans naturam rei*; Ita iisdem vtitur Physicâ dum dicit; *Corpus naturale est compositum ex materiâ, & formâ*. Vtitur Arithmetica dum ait; *Si ab æqualibus demas æqualia, quæ remanent erunt æqualia.*

Sequeretur voces esse obiectum omnium scientiarū.

IV. Dices in syllogismo vocali est artificium quoddam, quod ad Grammaticam non pertinet, non enim tractat illa de formâ syllogisticâ, ergo spectat ad Logicam. Respondetur, per accidens pertinere ad Grammaticam, seu artem bene loquendi, nam cum quis mente aliquid concepit, si linguam quampiam perfectè calleat, facilè illud congruè reddet, cum autem in mente artificiosum sit, congruè reddi nequit sine artificiosa oratione. Vnde concludo licèt syllogismum vocalem facere per se non spectet ad Grammaticam, spectat tamen per accidens, quatenus munus Grammaticæ est, congruè loqui in quacunque materiâ, remque mente conceptam aptè verbis exprimere. Et sicut Logica dum applicatur ad materiam Grammaticam (nam *Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est*, de suis inquam rebus disputationes & discursus & instituunt) non est Grammatica, sicut nec Physica, dum ad materiam se physicam extendit; ita nec Grammatica dum applicatur ad materiam Logicam, erit Logica.

Confectio syllogismi vocalis, per accidens spectat ad Grammaticam.

V. Vrgebis, ergo Aristoteles in libris Perihet. & Elencho: Grammaticam docet: egregios vero nos Aristotelis laudatores, qui cum ea Philosopho Grammaticum facimus: ibi enim de suppositione formali, & materiali terminorum, de æquipollentiâ & conuersione propositionum, de syllogismorum fallaciis, & similibus agit. Confirmatur quia hac ratione summulæ erunt Grammatica. Ad argumentum Respondetur, multa ea iu quæ in illis libris tractat Aristoteles, ad conceptus mentis spectare: cùm verò in disputationibus errores sæpè & fallacias in verbis contingere animaduerteres, ob magnam eo sempore Sophistarum turbam, existimauit non malè suam locatum iri operam, si modum etiam loquendi traderet, & Grammaticæ defectum suppleret, licèt id Logicæ munus non sit. Ex parte ergo Grammaticum illic egisse fateor Aristotelem.

Aristoteles in libris Perihermenias ex parte egit Grammaticum.

VI. *Summulæ de vocibus agunt indirectè, sicut Astronomus de sphæra lignea.*

Ad confirmationem dico, summulas, licet multa Grammaticis propria tractent, aliquo tamen modo ad Logicam spectare, & de vocibus agere, non quidem vt de proprio obiecto logicæ, sed solum indirectè, & vt de signis quibusdam actuum intellectus, vt in iis tanquam magis obuiis, ac patentibus, latens in conceptibus artificium exprimatur, & meliùs percipiatur. Sicut Astronomus in sphæra lignea orbium cælestium motum, astrorum situm, solis ac lunæ oppositionem, & concursum cæterasque cælorum affectiones speculatur, sphæra tamen illa directè ad Astrologiam non spectat. Quod exemplum inmeritò reiicitur ab aduersariis asserentibus Astrologum non agere omnino de sphæra, sic tamen Logicum de vocibus. Gratis sanè hoc asserunt, cum & confectionem eius, & vsum indirectè doceat Astrologus, nempe vbi collocari debeat Zodiacus, vbi circulus æquinoctialis, vbi Coluri, Poli, Tropici &c. & in globo quot gradibus attolli debeat supra horizontem, ad eleuationem, vt aiunt, Poli capiendam; quæ sunt quasi summulæ quædam Astrologicæ. Vnde Aristoteles in libris Periher. & Elenchorum, quasi sphæram quandam confecit Logicam; cuius intuitu ad artificium in actibus intellectus contentum perueniremus. Addo vlterius, ob affinitatem forte quam habent summulæ cum Grammaticâ, seiungi ab authoribus & separatim à Logica tractari.

Sphæra lignea dici potest summula Astrologica, summula sphæra Logica.

VII. Instabis Aristoteles libros illos vocauit de interpretatione, ergo agit de vocibus. Contra ergo illic agit de solis vocibus, quod nec concedent aduersarii. sic enim essent puri puti Nominales.

VIII. Dices secundò quid Grammaticæ cum prædicato, quid cum subiecto, quid cum copulâ intermediâ? in quâ quæso Grammaticæ parte traditur hanc subiectum inter & prædicatum debere intercedere? Contra, quid eidem cum prora, puppi, antennis, malis, foris, anchoris? quid cum incude, malleo, securi, serra, circino? Dico itaque omnes vocum notiones, vt in re nautica, & fabrili, ita & in Dialecticâ ad Grammaticam spectare. Nec voces tantum simplices & sigillatim consideras, sed earum etiam inter se coordinationem ac situm, vt congrua inde oriatur loquutio, & hoc re ipsa est de subiecto, prædicato, & copulâ regulas præscribere, quibus in suâ materiâ vtitur Dialectica, sicut nautica, aut medica in suâ, sola tamen eas docet Grammatica.

Omnes vocum notiones in quacunque arte, & scientia, spectant ad Grammaticam.

IX. Dices tertiò: In hoc statu non potest quis Logicam sine vocibus acquirere, ergo Logica per se agit de illis. Respondetur requiri ad Logicam addiscendam voces necessitate scientis, non scientiæ: sicus etiam necesitate scientis requiruntur pro hoc statu sensus. *Nihil enim est intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Imo nec necessitate scientis requiruntur voces vt quis comparet Logicam absoluiè, sed solum vt faciliùs. vel si eam velit per voces addiscere; posset enim sine vocibus ingenij vi, labore, ac studio illam acquirere; sicut fecit is qui prima Dialecticæ præcepta tradidit. Quemadmodum ergo præcepta erant in eius mente, antequam vel scripsit quidquam, vel prolocutus est, ita & Logica, quæ aliud nihil est, quàm generales quædam regulæ, & præcepta re-

Voces ad Logicam addiscendam requiruntur necessitate scientis, non scientiæ.

ctè

ac discurrendi, & sermone interno vtendi.

Vtrum nosceria ad Grammaticam directè, ad alias scientias spectat indirectè.

Quidquid ergo ad voces spectat, vel à Grammatica, si completa sit, tractatur, vel ad nullam scientiam directè spectat, sed ad omnes indirectè, nempe vt per voces declarentur, non vt voces per ipsas doceantur. Vnde non malè ad rem nostram Auicena c.3. de Log. *Si (inquit) Doctor artis posset tenelare id quod est in anima alio modo, omitteret semper verba.*

DISPVTATIO IV.

Vtrum Ens rationis sit obiectum Logicæ?

SECTIO PRIMA.

Proponitur sententia affirmans Ens rationis esse obiectum Logicæ.

I. *Prima sententia est affirmatiua.*

PRima sententia censetur Thomistarum, ex quibus aliqui, ita Ens rationis esse obiectum Logicæ defendunt, vt hanc opinionem Thomistæ tesseram esse affirment: ita Galiegus controu. 8. suæ Log. conclus. 2. Iandunus l. 2. Metaph. q. 12. & l. 6. q. 4. Sotus q. vltima proœm. Toletus q. 5. proœm. & alij. Multi tamen censent eos non de Ente rationis strictè & rigorosè sumpto, sed de secundis tantùm intentionibus loqui, vt de denominatione generis, speciei, & similibus.

II. *Ens rationis duplex, subiectiuè, & obiectiuè.*

Aduertendum Ens rationis dupliciter sumi posse, *subiectiuè*, & *obiectiuè*, subiectiuè illud est Ens rationis, *quod in intellectu, seu ratione subiectatur*, vt actus ipsi intellectus, qui ab eo efficiuntur, & eidem tanquam subiecto insunt, re tamen vera entia sunt realia. *Obiectiuè Ens rationis est illud quod totum suum esse accipit ab intellectu*, ex eo quod per actum fingentem circa illud versetur, nec aliud esse habet, vel habere potest, vt Chimæra, Hyppocentaurus. De hoc secundo procedit quæstio.

III. *Ens rationis non est obiectum Logicæ.*

Dicendum nec Ens rationis in communi, nec vllam eius speciem esse vel obiectum adæquatum, vel attributionis Logicæ. ita Fonseca l. 2. Metaph. c. 3. Suarez t. 1. Metaph. d. 1. s. 4. & t. 2. d. 54. cum Logicæ munus sit ad artem reuocare rationales hominis operationes, quæ entia rationis obiectiuè non sunt, sed solùm subiectiuè, P. Hur. d. 1. Log. s. 4. per totam, vbi sententiam illam acriter impugnat. P. Arriaga d. 2. Log. s. 2. P. Ouiedo Cont. 2. p. 1. n. 38. & alij.

IV. *Probatur ens rationis non esse obiectum Logicæ.*

Probatur primò: Subiectum attributionis est illud *de quo per se in scientia aliqua agitur, & ad quod cætera omnia referuntur quæ in illa scientia tractantur*, sed ens rationis non est huiusmodi, ergo non est subiectum attributionis Logicæ: Maior ab omnibus recipitur: Minor probatur, nam primò Aristoteles ne verbum quidem in sua Logica de Ente rationis protulit, quod tamen non omisisset, si subiectum attributionis Dialecticæ fuisset. Deinde varia demonstrat Logica, quæ enti rationis competere nullo pacto possunt, vt propositionem enunciare verè vel falsè, syllogismum generare scientiam vel opinionem & huiusmodi.

V. *Secundò, quia sequeretur omnem actum Logicum esse fingentem.*

Secundò probatur, si ens rationis fictum per actus Logicæ esset eius obiectum, sequeretur omnem actum Logicum esse fingentem & deformem, ac proinde Logica quæ est habitus ex huiusmodi actibus generatus, & ad similes iterum producendos inclinat, erit ars fingendi, imo & omnes actus Philosophiæ ac Theologiæ, & cuiuscunque scientiæ erunt fictitij, cum necessariò aliquid in se artificij Logici contineant.

VI. *Dari potest actus verus de actu falso, & scientia de errore.*

Consultò addidi in Maiore, ens rationis fictum per actus Logicos, nam sicut dari potest actus verus qui versatur circa actum falsum, affirmans scilicet eum esse falsum, & difformem obiecto; & actus scientificus de errore, de quo demonstramus quòd generare non possit scientiam, ita & de ente rationis dari potest scietia, & actus verus circa illud versari, probamus enim ens rationis esse quid fictum, habere esse tantùm obiectiuè in intellectu, nihil esse reale, & similia. Hos ergo actus veros esse asserimus, cum sint scientifici, illos verò solos esse desormes & fictitios qui obiectum aliquod fictitium & & chymæricum fingunt, quales esse omnes Logicos, saltem inadæquatè asserunt aduersarij, ac proinde saltem inadæquatè erunt fictitij.

VII. *In actibus Definitionis, Diuisionis, &c. nihil reperitur fictitium.*

Tertiò Probatur: in actibus definitionis, diuisionis, generis, speciei, & similibus, nihil in obiecto reperitur non reale ergo non includunt in se ens rationis: Antecedens probatur, quando cognosco animal v. g. & facio genus, nihil ibi intercedit fictitium, sed solum denominatio extrinseca ab illo actu proueniens obiecto reali, illa autem denominatio non est quid fictum, nihil enim aliud est quam ipse actus intellectus realis, qui simul me denominat intrinsecè cognoscentem, & obiectum extrinsecè cognitum.

VIII. *Obij: in omni propositione intercedere vnionem fictitiam.*

Dices, in omni propositione logica est compositio, ergo & distinctio, saltem præsupposita; compositio enim est distinctorum vnio, compositio autem hæc est inter prædicatum & subiectum quæ tamen à parte rei sunt idem realiter, ergo aliqua hic intercedit vnio fictitia. Confirmatur quando dico Petrus est homo, non prædico de Petro hominem vt à parte rei, nam tunc esset propositio identica, affirmarem enim Petrum de seipso, & sensus esset Petrus est Petrus, quæ tamen propositio in mente dari non potest, vt habet communior Doctorum sententia, sed in sola voce, quia vbi nulla est distinctio, nec compositio esse potest, ergo prædicatum homo est quid distinctum per conceptum à Petro & illi superius, sed nihil huiusmodi à parte rei dari potest, ergo est ens rationis.

IX. *Resp. nihil illic fingi, sed rē eandem vno actu inadæquatè, alio adæquatè concipi.*

Ad argumentum respondetur, in omni propositione mentali affirmatiua apprehendi prædicatum aliquo modo distinctum à subiecto, de quo enunciatur, non tamen requiritur perfecta distinctio & in actu signato, quia tunc deberem repræsentare Petrum, non vt Petrum, quia omnis perfecta distinctio, vel est formalis negatio, vel eam necessariò comitatur, & hoc esset facere ens rationis, quia illa distinctio vel negatio nec est à parte rei nec esse potest. At in actu exercito distinguere, est solum inadæquatè rem concipere in ordine ad omnem effectum, vel rationem quam connotat, negatione ex parte actus se tenente, non obiecti.

X. *In hac propositione. Petrus est homo, nihil concipitur non reale.*

Ad confirmationem dico illā propositionem *Petrus est homo*, non esse identicam, nam in subiecto concipio naturam humanam, simul cum Petreitate, in prædicato vero solum concipio naturam humanam, non conceptâ Petreitate, non tamen nego Petreitatem esse ei coniunctam. Hoc autem non est facere ens rationis, nam nihil concipio non reale, cum Petrus verè sit homo. Quod autem aliqui dicunt debere in conceptu abstracto hominis, & omnium vniuersalium fingi in actu signato formam aliquam vniuersalitatis in obiecto, ostendemus in tractatu de vniuersalibus non esse necessarium.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contendentia Ens rationis esse obiectum Logicæ.

I. *Obiicitur auctoritas Aristotelis & S. Thomæ.*

OBiicies primò Aristotelem 4. Metaph. c. 2. asserentem Logicam agere de omni ente, sed non agit de omni ente reali, ergo rationis. Confirmatur nam D. Tho. nihil sæpius repetit quam Logicæ proprium esse agere de secundis intentionibus, nempe genere, specie &c. hæ autem sunt entia rationis, cum à parte rei non existant, ergo.

II. *Quo sensu dicat Aristoteles Logicam agere de omni ente.*

Respondeo mentem Aristotelis esse, agere Logicam de omni ente, id est remotè & secundariò, quatenus docet instrumenta sciendi, definitionem scilicet, diuisionem, & argumentationem, per quas definiuntur res omnes ac diuiduntur. Secundò dico sermonem ibi esse de parte topica, non de illa Dialectica de qua hic tractamus, nam ibi vocat Aristoteles Logicam *tentatricem*, hoc est probatricem vtriusque partis contradictionis. Quod autem non excludat ibi Aristoteles ens reale, ex eo suadetur, nam ait eodem loco, *de omni ente; de quo agit Primus Philosophus*, id est, *Metaphysicus demonstratiuè, agit Logicus probabiliter.* Metaphysicus autem nullum ens excludit. Ad confirmationem dico; non negare nos secundas intentiones, id est denominationes generis, speciei & similes spectare ad Logicam, sed negamus esse entia rationis propriè, sed denominationes tantum extrinsecas, vt ex tertia probatione constat, licet latè ens rationis Logicum vocari soleant.

Denominationes generis, speciei, &c. non sunt entia rationis.

III. *Ens rationis non est modus sciendi, sed modus potius errandi.*

Deinde operationes intellectus ad Logicam spectant, quas tamen nemo opinor dixerit entia esse rationis, nisi subiectiuè. Item ens rationis non est modus sciendi, & manifestandi ignotum, sed modus potius errandi, & intellectum in mille fraudes, & figmenta, si eius ductum sequatur, inducendi.

IV. *Genus, species, &c. non fiunt per intellectum fingentem, sed inadæquatè cognoscentem.*

Obiicies secundo: illud est ens rationis quod habet esse solùm per intellectum, sed huiusmodi sunt genus, species, prædicatum, subiectum, & cætera huiusmodi, nam à parte rei non dantur, ergo. Respondetur distinguendo Maiorem: Illud est ens rationis quod habet esse solùm per intellectum fingentem, concedo Maiorem; per intellectum quomodocunque cognoscentem, nego. Genus ergo, species & cætera vniuersalia, non finguntur ab intellectu, sed solum repræsentatur realis natura, non repræsentata differentia indiuiduali, vel specifica, sunt ergo dependenter ab intellectu denominante, non fingente.

V. *Cur Logica dicatur scientia rationis.*

Obiicies tertiò: Logica ab omnibus vocatur *scientia rationis*. sed scientia sumit specificationem ab obiecto attributionis, ergo obiectum attributionis est ens rationis. Respondetur, ideo vocari scientiam rationis, quia dirigit actus intellectus, seu rationis, intellectus enim ratio appellatur.

VI. Quæres; ad quam ergo scientiam spectat agere de ente rationis, si non ad Logicam, ad aliquam enim spectare debet, nam cum *verum* sit *passio entis*, quidquid habet entitatem, habet veritatem, seu scibilitatem, ergo ad aliquam scientiam spectat. Respondetur sicut per se & propriè non habet entitatem, sed solùm metaphoricè, & per analogiam quandam ad ens reale, ita nec per se habet scibilitatem, ac proinde per se & directè ad nullam scientiam spectabit: per accidens verò particularia entia rationis ad quamlibet scientiam pertinent. Nam vt ait Aristoteles 1. Rhetoric. cap. 2. *eiusdem est scientiæ agere de eo quod est propriè tale, & de eo quod videtur tale*, quia nimirum ad veri entis cognitionem aliquo modo conducit.

Ens rationis directè ad nullam scientiam spectat, indirectè ad omnes.

VII. Relationes ergo rationis Dei ad creaturas, vt relatio *Creatoris, Domini* &c. ad Theologiam spectant, negationes, & priuationes formarum substantialium, si alio modo concipiantur quam sint, ad Physicam. Imo aliquando idem ens rationis ad duas scientias spectare potest, vt ad Animasticam & Logicam, si in eodem ente rationis conficiendo contra vtramque peccetur. Cum ergo Metaphysica agat de ente vero in communi, ad eam etiam spectabit agere de ente ficto in communi, non per se sed per accidens. nam obiectum eius per se est ens reale. Aliqua verò particularia entia rationis etiam ad Logicam pertinebunt.

Idem ens rationis ad duas scientias spectare potest.

VIII. Sed hinc oritur difficultas nam ad eam scientiam spectare videtur agere de genere, ad quam spectat agere de speciebus, cum ratio infe rior essentialiter in se includat superiorem, ergo si ad Logicam spectet agere de particularibus entibus rationis, quæ nimirum in eius materia contingunt, spectabit etiam ad eam agere de ente rationis in communi. Respondeo primò idem argumentum confici posse de omnibus omnino scientiis, cum ad omnes spectet agere de aliquibus particularibus entibus rationis, vnde ad omnes scientias spectabit agere de ente rationis in communi, quod, opinor, nemo dicet. Respondetur ergo secundò. Ad hoc vt scientia aliqua habeat perfectam cognitionem sui obiecti, non est necessarium, vt omnia prædicata illius quidditatiua, & proprietates consideret, sed ea solum quæ continentur sub ipsius abstractione, vt aiunt, seu ratione formali *sub qua*, sic enim agere de ente reali in communi, quod Metaphysicæ proprium est, spectaret ad omnes scientias, cum illarum obiecta in se necessariò rationem entis includant. Cognitionem ergo tam entis realis quàm rationis in communi supponunt omnes scientiæ ea Metaphysica.

Ad perfectam scientiam de re aliqua consideratio omnium requiritur vt omnia eius prædicata cognoscat.

DISPVTATIO V.

Sintne res, an operationes intellectus Obiectum Logicæ?

DIalecticam, vtpote rationalem scientiam, ita aliqui coarctant, vt nihil ipsi cū rebus commercij esse velint, sed intellectus vnius operationes illius speculationibus permittunt. Alij ita Logicæ pomœria dilatant, vt omnes omnino res illius considerationi nullo discrimine subiiciant, eamque ex rationali scientia, prope realem faciunt. Quid quæque sententia habeat probabilitatis, quid veri, hac disputatione inuestigabimus.

Logicam nonnulli, ex rationali scientia, penè realem faciunt.

SECTIO PRIMA.

Sententia asserens actus intellectus solos, cadere sub consideratione Logicâ.

I. *Prima sententia operationes intellectus statuit obiectum Logicæ.*

PRima sententia ait operationes intellectus esse obiectum Logicæ. Ita Fonseca 2. Metaph. c. 3. q. 1. s. 8. Commb. hic, Rubius q. 6. Procem. Murcia q. 2. procem. Ouiedo contro. 2. Log. p. 1. nu. 17. & alij quamplurimi Recentiores.

II. Notandum operationes intellectus dupliciter considerari

Operationes intellectus sumuntur speculatiuè, & practicè.

considerari posse, *speculatiuè & practicè, speculatiuè*, vt si quæratur quas proprietates habeant quomodo à phantasmatibus & sensibus dependeant, sintne accidentia, qualitates spirituales, vitales &c. & sub hac consideratione dicuntur esse sub abstractione & sphæra Animasticæ.

III. *Logica eas considerat practicè.*

Secundò: *Practicè*, quatenus nimirum artificiosæ sunt & secundùm regulas artis procedunt, prout scilicet dirigibiles sunt in definitionem, diuisionem & argumentationem, sic ergo sub abstractione Logicæ sunt, cuius munus est eas in hæc instrumenta sciendi artificiosè dirigere, *omnis enim ars circa operationes versatur, vt eas dirigat.*

IV. *Probatur authoritate S. Thomæ.*

Probatur ergo hæc sententia primò authoritate S. Tho. qui in præfatione in librum primum. Poster. ait *Logicam esse rationalem*, non solum quia est secundùm rationem, sed etiam ex hoc quia est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam, vnde eam vocat *artem artium* quia dirigit ad actum rationis. Et in præfatione ad libros Perihér. *Cum Logica* inquit *dicatur rationalis scientia necesse est quod eius consideratio versatur circa ea quæ pertinent ad tres prædictas operationes.* Hanc etiam sententiam supponere videtur Aristoteles, qui omnem suam Logicam secundum, triplicem operationem intellectus, apprehensionem scilicet, iudicium, & discursum diuidit,

Logica Ars Artium

V. *Logica scientiarũ Clauis.*

Probatur secundò Logica ab omnibus vocatur modus sciendi, cuius munus est rationem, & modos sciendi particulares aperire, qua etiam de causa *clauis scientiarum* appellatur, modum vero sciendi non alio modo aperit quam docendo instrumenta sciendi, definitionem scilicet, diuisionem &c. quæ licet in rebus fundentur, cum omnis actus, vt verus sit, obiecto conformari, & quasi commensurari debeat, propriè tamen in actibus consistunt. Nam *definitio est oratio explicans naturam rei: diuisio est oratio distribuens rem in suas partes*, manifestum est autem ista in actibus intellectus reperiri, in rebus verò non nisi extrinsece. Confirmatur: Demonstratio vt à Logica tractatur, est *illatio certa ex principiis certis*, quod est manifestum ad operationes intellectus spectare.

VI. *Propositionẽ esse affirmatiuã, aut negatiuã, &c. spectat ad conceptus formales. Res artificij capaces non sunt.*

Probatur tertiò: Propositionem namque affirmatiuam esse vel negatiuam, certam, aut euidentem, claram vel obscuram, veram vel falsam, illationem bonam esse vel malam, & alia huius generis, solis conueniunt conceptibus formalibus, res siquidem nec affirmant quidquam, nec negant. Item res siue per actum clarum cognoscantur siue obscurum, opinatiuum vel scientificum, rectum vel erroneum, eodem semper in se modo permanent, nec in hoc differunt actus clarus & obscurus, confusus, & rectus, quod rem obscuram vel claram, rectam vel confusam repræsentent, res enim eadem numero ab omnibus hisce actibus repræsentatur; sed quod clarè vel obscurè, rectè vel confusè rem illam repræsentent, modo se tenente ex parte actus: ergo defectus obscuritatis. & alij quos tollere contendit Logica, non rebus insunt, sed actibus intellectus, qui corrigi secundùm artem debent, & ad Dialecticas regulas exigi, res vero corrigi non possunt.

VII. *Radix errorum non in rebus consistit, sed in intellectu.*

Confirmatur: intellectus Angelicus quia nostro perfectior, res omnes, vt sunt à parte rei sine errore cognoscit, ergo radix erroris non in rebus, sed in intellectus nostri imperfectione consistit, ad quem proinde dirigendum, & manu quasi ducendum, ad actus suos rectè formandos, ordinatur Logica, & hunc in finem sciendi instrumenta præparat.

VIII. *Ratio à priori desumpta ex S. Thoma.*

Probatur quartò à priori, ratione S. Tho. loco citato, vbi sic habet. *Intellectus non solum dirigit operationes inferiorum potentiarum. sed etiam suas. quia in seipsum reflectit*, ergo sicut ad directionem manus. v.g. varias inuenit artes, vt ædificatoriam, & Fabriles omnes, ita ad ipsas intellectus operationes dirigendas, vt artificiose, & sine errore fiant, inuenire etiam debuit artem, hæc autem non est alia quam Logica; quæ *rationis ars, & ars disserendi* est. Confirmatur: obiectum cuiusque artis, materia est circa quam versatur, & in quam formam suam & artificium inducere contendit, sed Logica circa ipsas operationes intellectus versatur, easque artificiosas reddere studet, non verò res, in quas nec artificij quidquam inducit, nec inducere potest, ergo.

Logica Ars disserendi.

SECTIO II.

Sententia res solas statuens obiectum Logicæ.

I. *Secunda sententia res statuit obiectum Logicæ.*

SEcunda sententia affirmat solas res esse materiale obiectum Logicæ, quatenus ab intellectu nostro in definitionem disponuntur, diuisionem, & argumentationem. Ita multi, iique non infimæ notæ philosophi, idque tanta argumentorum contentione quasi huic rei tota Logicæ moles incumberet.

II. *Fundamentũ est, quod radix errorum in rerum cõfusione cõsistat.*

Arguunt primò: Logicæ proprium est errores præuenire qui in aliis scientiis contingere solent; radix enim errorum omnium est in rebus, nam propter maximam rerum confusionem, & commixtionem essentialium prædicatorum cum passionibus, accidentium cum substantia, facilè decipitur intellectus, & vnum sumit pro altero. Huic ergo malo vt occurreret Dialectica struxit seriem prædicamentorum, accidentia scilicet & à se inuicem & à substantia separando. & suæ vnumquodque radici tribuendo, vt intellectum dirigat quodammodo, & per ordinatas quasi rerum series deducat.

III. *Res si vt sunt cognosceremus, nunquam erraremus. Categoriæ spectant ad Metaphysicam. Cur tractentur in Logica.*

Ad hoc tamen responderi potest, falsum supponere dum opinantur errorum radicem in rebus esse, imò verò si res cognosceremus vt à parte rei sunt, in errorem nentiquam laberemur. Deinde dico Categorias seu prædicamenta non spectare ad Logicam, sed compendium veluti quoddam esse Metaphysicæ, vbi etiam multo fusiùs tractantur. Metaphysicæ quippe munus est essentias & quidditates rerum distinguere, & cuncta in suas classes & ordines partiri. Eo tamen consilio prædicamenta in Logica inseruit Aristoteles vt in promptu materiam haberet Logicus, in qua præcepta sua & regulas exerceret.

IV. *Secũdò arguũt obiectum artis non esse actũ inducentem artificium.*

Secundò arguunt: obiectum artis non potest esse ipse actus inducens formam & artificium in materiam, sed artificium ipsum in materiam inductum, vel materia artificiosè disposita. Sic obiectum architecturæ non est ædificatio domus, sed domus ipsa ædificata; sic in pulsante lyram, obiectum vel finis non est tactus fidium, sed sonus artificiosus, vel artificium sonorum ex eo resultans, actio quippe cum via sit & tendentia ad terminum, sicut ad illum in esse entis ordinatur, ita & in esse expetibilis, ac proinde propter se expeti nullo modo potest.

Musica obiectũ sonus artificiosus, vel artificium sonorum

V. *Quomodo differant Artes actiuæ, & factiuæ.*

Huic quoque argumento facilè respondetur, verum quidem id esse in artibus *factiuis*, iis scilicet quæ pro obiecto aliquid habent extrinsecum, non vero in *actiuis*, iis nempe quæ circa actus versantur immanentes, sicut enim illarum finis & obiectum est opus externum, ita harum internum, nec quidquam efficiunt in rebus, sicut priores, sed quidquid fit, in anima fit, vnde præter actum ipsum non est aliud vlterius ab iis obiectum expetibile. Ad quod notandum in vnaquaque operatione intellectus duo reperiri, actionem, & actum; actio est via & tendentia ad actum, sicut ædificatio ad domum, actus vero est quid in mente per actionem illam produ-

In operatione intellectus duo reperiuntur actio, & actus,

ctum, vocaturque verbum mentis, estque imago obiecti. Illius itaque artificiosa productio est quam intendit Logica, estque vltimum quod per se expetitur, cum illud nil sequatur, nec dimanet in res, nisi mera denominatio extrinseca ab illo proueniens, quatenus eas denominat hoc vel illo modo repræsentatas & cognitas, sicut vltimum quod intendit ars pingendi, est imago artificiose facta per tractus quosdam & dispositionem colorum, vmbrarum, & lineamentorum, vt ergo pictura vltimò intendit hanc externam imaginem, ita Logica, quæ pictura quædam mentis est, internam.

VI. *Tertia sententia tam res, quàm conceptus statuit obiectum Logicæ.*

Tertia demum sententia est P. Hurtado d. 1. Log. f. 5. qui vt sententiam vtramque, ita vtriusque inter se argumenta conciliat, & affirmat tam res quam conceptus esse obiectum Logicæ; quem non pauci sequuntur ex recentioribus.

SECTIO III.

Conceptus soli, non res, sunt obiectum Logicæ.

I. *Artes sibi inuicem artes.*

ADuertendum, *artes omnes & scientias*, vt optimè Theodoretus sermone de prouidentia, *à se inuicem postulare officium, & mutuo stare auxilio.* Nulla proinde ita numeris omnibus est per se absoluta, vt alterius ope & subsidio non indigeat. Medicina supponit Physicam, vnde ortum axioma, *vbi desinit Physicus, incipit Medicus.* Architectura supponit Mathematicam &c.

II. *Logica & Metaphysica se mutuò iuuant.*

Nullibi vero hoc clarius constat quàm inter Logicam & Metaphysicam, Metaphysica enim instrumentis sciendi à Logica traditis ad obiecti sui speculationem vtitur, cum per definitionem & diuisionem rerum naturas indagat, & per demonstrationes prima etiam principia à posteriori confirmat. Hanc tamen ei vicem rependit Metaphysica, cum enim instrumenta sciendi in rebus fundentur, essentias & quidditates rerum ad definitionem conficiendam necessarias declarat, ad diuisionem rerum distinctiones explicat, & proprietates ab essentia distinguit; varia etiam principia tum ad Logicam, tum alias scientias necessaria tradit, vnde mutua est inter omnes scientias, Logicam præsertim & Metaphysicam, subordinatio. Qua de causa ait D. Tho. opusc. 56. quod est de vniuersalibus: *Impossibile est Logicam scire nisi qui fuerit versatus in alijs scientijs,* præsertim *in Metaphysica.* His positis sit.

Mutua inter scientias subordinatio. S. Thomas.

III. *Sola operationes intellectus sunt obiectum immediatum Logicæ.*

Prima conclusio: solæ operationes intellectus sunt subiectum immediatum, & proprium Logicæ, res verò non nisi mediatè, secundariò, & indirectè, ei obiiciuntur. Est contra P. Hurtado d. 1. Log. f. 5. tenet tamen P. Arriaga, & authores omnes pro prima sententia f. citati.

IV. *Logica Docens habet pro obiecto Vtentem.*

Ad probationem huius conclusionis notandum breuiter, quod postea latius explicabimus, Logicam duplicem esse, *Docentem* & *Vtentem.* *Docens* illa est, quæ generales quasdam regulas præscribit ad rectè discurrendum, & operationes intellectus artificiosè in quauis scientia efformandas: Logica vero *Vtens* sunt eædem operationes, vel in alijs scientijs, vel in ipsa etiam Logica directæ. *Docens* ergo habet pro obiecto *Vtentem*, nam artis obiectum est materia in quam suam inducit formam, quæ hic sunt operationes intellectus artificiosè in omni scientia faciendæ. Logica enim *Docens* idem est ac dirigens.

V. *Exemplis ostenditur Logicam vtentè esse obiectum Docentis.*

Exemplo res fiet clarior: regula Logicæ Docentis est hic actus, *omnis definitio recta constare ex genere debet & differentia*, Logica vero *Vtens* in Physica iste, *homo constat ex anima & corpore vnitis*; In Logica, *diuisio est oratio distribuens rem in suas partes*, qui actus simul *Docens* est, & *Vtens*, *Docens*, in quantum modum Diuisionis faciendæ ostendit, *Vtens*, quatenus est Definitio per alium actum Logicæ directa. Quod Definitionibus in alijs etiam scientijs contingit, vt in Philosophia Morali, *Virtus est recta animi dispositio*, in Theologia, *Iustitia est virtus suum cuique tribuens* &c.

VI. *Probatur solos actus intellectus esse obiectum immediatum Dialecticæ.*

Probatur ergo prima pars conclusionis. Immediatiùs respicit res Logica *Vtens*, seu operationes particulares exercentes Logicam in particularibus scientijs, quam Logica *Docens*, ergo Logica immediatè illas non respicit, probatur antecedens, actus intellectus in particularibus scientijs, cum sint imagines rerum, immediatè illas respiciunt, vt hic actus *homo est animal rationale*, immediatè repræsentat hominem, at actus Logicæ *Docentis* sunt repræsentationes repræsentationum, & imagines tantum imaginum rerum, nempe actuum intellectus qui circa res eliciuntur in alijs scientijs, docet enim Logica hos actus elicere artificiosè, ergo immediatiùs repræsentat Logica Docens actus intellectus quàm res per actus repræsentatas.

VII.

Secunda conclusionis pars probatur. Vt res quæpiam dicatur subiectum alicuius scientiæ, debet in illa scientia de ea re aliquid demonstrari, vel probari, vt proprietates aliquæ passiones, effectus: sed in Logica nihil probatur de rebus, ergo res non sunt subiectum partiale Logicæ, nisi mere indirectè, secundariò. per accidens, & in obliquo.

VIII. *Agit Logica de subiecto & prædicato reduplicatiuè.*

Dices primò: agit Logica de subiecto & prædicato, sed subiectum & prædicatum sunt res, ergo agit de rebus. Distinguo Maiorem: agit Logica de subiecto & prædicato reduplicatiuè, concedo Maiorem, specificatiuè, seu de rebus quæ sunt subiectum & prædicatum, nego; sic enim spectant ad Metaphysicam, & alias scientias; esse autem subiectum & prædicatum reduplicatiuè, actu & formaliter. actum includit intellectus.

IX. *Obiicitur res in quibusdam propositionibus Logicis repræsentari immediatè. Resp. primò negando in illa propositione Logica repræsentari res immediatè.*

Dices secundò: hæ sunt propositiones Logicæ, *paries in hac propositione, paries est album, est subiectum*, in hac *Bucephalus est equus*, *equus est prædicatum*, sed in illis repræsentatur paries & equus immediatè, ergo Logica considerat res immediatè. Respondetur primò, concessa Maiori, negando Minorem, nam cognoscere aliquid esse subiectum, est cognoscere actum intellectus de illo aliquid affirmare, hoc enim est esse subiectum, & idem est esse prædicatum. Vnde cum Logica consideret res solum vt sunt prædicata & subiecta reduplicatiue, considerat directè & primariò solos actus, seu formam per quam sunt formaliter prædicata & subiecta, seu quod eodem recidit, taliter cognita: sicut enim dicimus, *paries vt album, seu reduplicatiuè disgregat visum*, significat vel solam albedinem, vel saltem primariò visum disgregare, & qui considerat parietem vt album, primariò considerat albedinem, parietem verò solùm secundariò.

X. *Resp. secundò propositionem illam paries in hac propositione &c. non esse Logicam adæquatè. Conclusiones, propositiones & syllogismi mixti.*

Respondetur secundò & præcipuè: distinguendo Maiorem, illæ propositiones sunt Logicæ inadæquatè, concedo Maiorem, adæquatè nego: sicut enim sunt aliquæ conclusiones mixtæ, ita & propositiones, imo omnis cōclusio est propositio. Esse autem conclusiones aliquas mixtas patet primò, quia omnis conclusio Theologica propriè talis, est eiusmodi, cum enim vna præmissa in syllogismo Theologico sit fidei, altera naturalis, conclusio, nec fidei erit merè, nec naturalis, sed mixta. Idem cernitur in hoc & similibus syllogismis, *omnis definitio constat ex genere & differentia, sed animal rationale est definitio hominis, ergo animal rationale constat ex genere & differentia.* Maior est propositio Logica, Minor Metaphysica, vel Physica quoad rem repræsentatam, conclusio partim Logica quoad prædicatum scilicet,

partim

partim physica vel Metaphysica quoad subiectum. Idem dic de propositionibus in obiectione allatis, quæ ex parte subiecti sunt physicæ, ex parte prædicati Logicæ, sicque merito censentur mixtæ.

XI. Dices tertiò non potest Logica considerare conceptus, quin vna consideret res, cum enim sint signa & repræsentationes rerum, non potest quis agere de illis quin per se, & directè consideret res per eas repræsentatas. Respondetur negando antecedens, ad probationem dico, per se, & primariò solùm agere Logicam de conceptibus, de rebus autem secundariò tantùm, per accidens, & in obliquo, quatenus sunt termini actuum, & cum iis necessariam habent connexionem.

De rebus secundariò tantùm agit Logica, & per accidens.

XII. Probatur conclusio secundò: si hoc sufficiat ad rationem subiecti alicuius, artis, vel scientiæ, quòd mediatè hoc modo, secundario, & indirectè aliquid actibus illius obiiciatur, res omnes contra communem Doctorum sententiam spectabunt ad omnes pæne scientias tanquam earum subiecta: primò ad Logicam, vt fatentur, deinde in Physicâ pertinebũt non ad vnum tantum, sed ad varios tractatus, nempe ad tractatum de vbicatione, motu, & actione; ad libros de generatione, & corruptione, ad Animasticam vbi agitur de actibus intellectus, vt repræsentãt obiecta, de actibus etiam voluntatis, ac sensuum: imo etiam ad Theologiam, idque variis in locis, nempe vbi agitur de omnipotentiâ Dei, de intellectu eius & voluntate, de visione beatificâ &c.

Si res sint obiectũ Logicæ, sequitur eas esse obiectũ omnium scientiarum.

XIII. Confirmatur primo, ex contraria namque sententia sequeretur, Picturam, seu artem pingendi (idem est de Sculptura & aliis huiusmodi artibus) agere de rebus omnibus, quia ad earum repræsentationes seu imagines efformandas ordinantur. Cui exemplo eo insisto libentius, quod Logica picturæ sit simillima, Logica enim, interna quædam pictura est ad internas in mente imagines artificiosè efformandas ordinata, sicut materialis pictura ad externas; & sicut ars pingendi seu *pictura docens* vt antea dixi, lineamenta docet & tractus artificiosè ducere solùm in genere, quæ postea *pictura vtens* (vt ita loquar) ad diuersas in particulari imagines efformandas applicat, ita sua habet lineamenta Dialectica, nempe *definitionem diuisionem &c.* generatim sumpta, quæ sunt quasi tot tractus, quibus *Logica Vtens* spirituales, & internas imagines, in particularibus materiis artificiose effingit.

Sequeretur picturã, & sculpturã habere res omnes pro obiecto.

Logica non incongruè dicitur ars pingendi.

XIV. Confirmatur secundò: quia eodem modo dici possent pedes humani subiectum artis sutoriæ, vel vngulæ equorum subiectum artis fabri ferrarij, cum mediatè illa spectent, id est, intendant calceos, & ferramenta conficere, quæ illis adaptent, & cum iis necessariam proportionem habere debent. Confirmatur tertiò. Artes ab omnibus diuiduntur in reales & sermocinales, & Logica inter sermocinales numeratur, non reales, inter quas tamen certè numerari deberet, si æquè primariò res atque sermonem internum consideraret.

Vngula equorũ esset obiectum artis fabri ferrarij, & pedes humani sutoriæ.

XV. Probatur conclusio tertiò: Logica est scientia vel ars practica, ergo ad aliquid artificiosè faciendum dirigit, sed in rebus nihil est artificij nisi merè extrinsecè ab actu scilicet artificioso circa illas versante, per quem dicuntur artificiosè cognitæ, ergo. Confirmatur, obiectum materiale est illud, in quod induci debet formale, vel forma artificiosa sicut materia fabri est ferrum, sed forma artificiosa inducitur in solos actus, non res seu obiecta, ergo.

Logica est scientia practica ergo non potest habere res pro obiecto.

XVI. Secunda Conclusio: Præsuppositiuè tamen ad actus Logicos requiritur ex Metaphysica cognitio aliqua generalis rerum, seu prædicatorum essentialium. Hoc probat id quod initio huius sectionis adnotanimus, & videtur per se manifestum, cum enim Logica tradere debeat regulas conficiendi definitionem v. g. quæ definitur *actus explicans naturam rei*, & dicitur constare debere ex genere & differentia, tanquam ex partibus essentialibus, prærequiritur à Metaphysicâ generalis quædam accepta rerum & prædicatorum essentialium notitia.

Ad Logicã præsuppositiuè requiritur generalis rerũ notitia.

Quæres vtrum spectet ad Logicam scire hæc, bona sit an mala definitio equi, *equus est animal rugibile:* si enim spectat ad Logicam, iam particulares rationes rerum omnium spectabunt ad Logicam, quod est inauditum; nec tamen videtur ad quam aliam scientiam spectet. Respondetur quoad formam spectare ad Logicam, non quoad materiam, ad Logicam enim spectat scire an constet definitio ex genere & differentia generatim, non vtrum hic & nunc rectè sit forma applicata, hoc enim ad *Logicam Vtentem* spectat, siue ad actus aliarum scientiarum directos tamẽ per *Logicam Docentem*. Exempli gratia hæc est regula Logicæ Docentis. *Omnis definitio bona constare debet ex genere proprio & differentia propria*, quæ regula si malè applicetur in particulari scientiâ, ad eandem particulari modo spectabit errorem illum corrigere, adiutam tamen à Logicâ docente seu dirigente, dum enim videt actum suum non conformem regulæ illi Logicæ, corrigit, & loco falsæ differentiæ veram substituit. Et idem est si quis in aliquâ scientiâ male vtatur principio aliquo Metaphysico, correctio enim actiua illius actus ad illam scientiam spectabit, directiua ad Metaphysicam, quia ad principium ex eo desumptum exigi debet actus, illoque firmari.

XVII. *Spectetne ad Logicã scire, an hæc sit bona definitio equi, equus est animal rugibile.*

Quomodo aliæ scientiæ dirigãt Metaphysica.

SECTIO IV.

Argumenta contendentia res esse directum Logicæ obiectum.

OBiicitur primò Logica agit de genere, & differentia, prædicato, subiecto &c. sed hæc sunt res, *animal* enim est genus, *rationale* differentia, ergo Logica agit de rebus. Respondetur distinguendo antecedens, agit Logica de genere, differentia, prædicato, & subiecto formalibus, concedo antecedens, obiectiuis nego: docet enim Logica vnum de altero enunciare, enunciatio autem actus est, vnde ait Aristoteles primo prio. c. 1. *Propositio est alicuius de aliquo affirmatiua, negatiuaue oratio.* Id enim docet Logica, in quo eius artificium cernitur, sed artificium Logicæ solum est in actibus verè & propriè, in obiectis vero non nisi merè extrinsecè, vt dictum est, ergo soli actus sunt eius obiectum, res vero non nisi secundariò. Quod si cui modus loquendi minus proprius videatur dicere *prædicatum vel subiectum formale*, æque certè impropriè loquuntur aduersarij, dum vocant res conceptus obiectiuos, si enim res aliqua quia concipitur ab actu vocari potest conceptus obiectiuus, quidni actus eandem rem concipiens, ac de eâ aliquid enuntians vocari poterit prædicatum vel subiectum formale?

I. *Logica agit de subiecto, & prædicato formalibus, non obiectiuis.*

Obiicitur secundò: In his propositionibus *homo est animal, temperantia est virtus* animal & virtus etiam vt sunt ex parte obiecti spectant ad Logicam, nam vt sunt ex parte obiecti sunt genera, genera autem spectant ad Logicam. Respondetur distinguendo antecedens, animal & temperantia spectant ad Logicam *Vtentem*, concedo antecedens, ad Logicam Docentem nego, vt ostensum est Sec. præcedente, fine.

II. *Vtrum in hac propositione homo est animal, animal spectet ad Logicam.*

Si quis verò dicat hanc esse propositionem Logicam *genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie*, nam est definitio Porphyrii. Respondetur ly *quod prædicatur* esse ibi idem ac *quod est prædicabile* nam

III.

ctum, vocaturque verbum mentis, estque imago obiecti. Illius itaque artificiosa productio est quam intendit Logica, estque vltimum quod per se expetitur, cum illud nil sequatur, nec dimanet in res, nisi mera denominatio extrinseca ab illo proueniens, quatenus eas denominat hoc vel illo modo repræsentatas & cognitas, sicut vltimum quod intendit ars pingendi, est imago artificiose facta per tractus quosdam & dispositionem colorum, vmbrarum, & lineamentorum, vt ergo pictura vltimò intendit hanc externam imaginem, ita Logica, quæ pictura quædam mentis est, internam.

VI. *Tertia sententia tam res, quàm conceptus statuit obiectum Logicæ.*

Tertia demum sententia est P. Hurtado d. 1. Log. s. 5. qui vt sententiam vtramque, ita vtriusque inter se argumenta conciliat, & affirmat tam res quam conceptus esse obiectum Logicæ; quem non pauci sequuntur ex recentioribus.

SECTIO III.

Conceptus soli, non res, sunt obiectum Logicæ.

I. *Artes sibi inuicem artes.*

ADuertendum, *artes omnes & scientias*, vt optimè Theodoretus sermone de prouidentia, *à se inuicem postulare officium, & mutuo stare auxilio.* Nulla proinde tra numeris omnibus est per se absoluta, vt alterius ope & subsidio non indigeat. Medicina supponit Physicam, vnde ortum axioma, *vbi desinit Physicus, incipit Medicus.* Architectura supponit Mathematicam &c.

II. *Logica & Metaphysica se mutuò iuuàt.*

Nullibi vero hoc clarius constat quàm inter Logicam & Metaphysicam, Metaphysica enim instrumentis sciendi à Logica traditis ad obiecti sui speculationem vtitur, cum per definitionem & diuisionem rerum naturas indagat, & per demonstrationes prima etiam principia à posteriori confirmat. Hanc tamen ei vicem rependit Metaphysica, cum enim instrumenta sciendi in rebus fundentur, essentias & quidditates rerum ad definitionem conficiendam necessarias declarat, ad diuisionem rerum distinctiones explicat, & proprietates ab essentia distinguit; varia etiam principia tum ad Logicam, tum alias scientias necessaria tradit, vnde mutua est inter omnes scientias, Logicam præsertim & Metaphysicam, subordinatio. Qua de causa ait D. Tho. opusc. 56. quod est de vniuersalibus: *Impossibile est Logicam scire nisi qui fuerit versatus in aliis scientiis, præsertim in Metaphysicâ.* His positis sit.

Mutua inter scientias subordinatio. S. Thomas.

III. *Solæ operationes intellectus sunt obiectum immediatum Logicæ.*

Prima conclusio: solæ operationes intellectus sunt subiectum immediatum, & proprium Logicæ, res verò non nisi mediatè, secundariò, & indirectè, ei obiiciuntur. Est contra P. Hurtado d. 1. Log. s. 5. tenet tamen P. Arriaga, & authores omnes pro prima sententia s. 1. citati.

IV. *Logica Docens habet pro obiecto Vtentem.*

Ad probationem huius conclusionis notandum breuiter, quod postea latius explicabimus, Logicam duplicem esse, *Docentem* & *Vtentem*. *Docens* illa est, quæ generales quasdam regulas præscribit ad rectè discurrendum, & operationes intellectus artificiosè in quauis scientia efformandas: Logica vero *Vtens* sunt eædem operationes, vel in aliis scientiis, vel in ipsa etiam Logica directæ. *Docens* ergo habet pro obiecto *Vtentem*, nam artis obiectum est materia in quam suam inducit formam, quæ hîc sunt operationes intellectus artificiosè in omni scientia faciendæ: Logica enim *Docens* idem est ac dirigens.

V. *Exemplis ostenditur Logicam vtentē esse obiectum Docentis.*

Exemplo res fiet clarior: regula Logicæ Docentis est hic actus, *omnis definitio recta constare ex genere debet & differentia*, Logica vero *Vtens* in Physica iste, *homo constat ex anima & corpore vnito*; In Logica, *diuisio est oratio distribuens rem in suas partes*, qui actus simul *Docens* est, & *Vtens*, *Docens*, in quantum modum Diuisionis faciendæ ostendit, *Vtens*, quatenus est Definitio per alium actum Logicæ directa. Quod Definitionibus in aliis etiam scientiis contingit, vt in Philosophia Morali, *Virtus est recta animi dispositio*, in Theologia, *Iustitia est virtus suum cuique tribuens* &c.

VI. *Probatur solos actus intellectus esse obiectū immediatum Dialecticæ.*

Probatur ergo prima pars conclusionis. Immediatiùs respicit res Logica *Vtens*, seu operationes particulares exercentes Logicam in particularibus scientiis, quàm Logica *Docens*, ergo Logica immediatè illas non respicit, probatur antecedens, actus intellectus in particularibus scientiis, cum sint imagines rerum, immediatè illas respiciunt, vt hic actus *homo est animal rationale*, immediatè repræsentat hominem, at actus Logicæ *Docentis* sunt repræsentationes repræsentationum, & imagines tantum imaginum rerum, nempe actuum intellectus qui circa res eliciuntur in aliis scientiis, docet enim Logica hos actus elicere artificiosè, ergo immediatiùs repræsentat Logica Docens actus intellectus quàm res per actus repræsentatas.

VII.

Secunda conclusionis pars probatur. Vt res quæpiam dicatur subiectum alicuius scientiæ, debet in illa scientia de ea re aliquid demonstrari, vel probari, vt proprietates aliquæ passiones, effectus: sed in Logica nihil probatur de rebus, ergo res non sunt subiectum partiale Logicæ, nisi merè indirectè, secundariò, per accidens, & in obliquo.

VIII. *Agit Logica de subiecto & prædicato reduplicatiuè.*

Dices primò: agit Logica de subiecto & prædicato, sed subiectum & prædicatum sunt res, ergo agit de rebus. Distinguo Maiorem: agit Logica de subiecto & prædicato reduplicatiuè, concedo Maiorem, specificatiuè, seu de rebus quæ sunt subiectum & prædicatum, nego; sic enim spectant ad Metaphysicam, & alias scientias; esse autem subiectum & prædicatum reduplicatiuè, actu & formaliter, actum includit intellectus.

IX. *Obiicitur res in quibusdā propositionibus Logicæ repræsentari immediatè. Resp. primò negādo in vlla propositione Logicæ repræsentari res immediatè.*

Dices secundò: hæ sunt propositiones Logicæ, *paries in hac propositione, paries est album, est subiectum*, in hac *Bucephalus est equus*, *equus est prædicatum*, sed in illis repræsentatur paries & equus immediatè, ergo Logica considerat res immediatè. Respondetur primò, concessa Maiori, negando Minorem, nam cognoscere aliquid esse subiectum, est cognoscere actum intellectus de illo aliquid affirmare, hoc enim est esse subiectum, & idem est esse prædicatum. Vnde cum Logica consideret res solum vt sunt prædicata & subiecta reduplicatiuè, considerat directè & primariò solos actus, seu formam per quam sunt formaliter prædicata & subiecta, seu quod eodem recidit, taliter cognita: sicut enim dicimus, *paries vt album, seu reduplicatiuè disgregat visum*, significat vel solam albedinem, vel saltem primariò visum disgregare, & qui considerat parietem vt album, primario considerat albedinem, parietem verò solùm secundariò.

X. *Resp. secūdò propositionem illam paries in hoc propositione &c. non esse Logicā adæquatè. Conclusiones, propositiones & syllogismos mixtos.*

Respondetur secundò & præcipuè: distinguendo Maiorem, illæ propositiones sunt Logicæ inadæquatè, concedo Maiorem, adæquatè nego: sicut enim sunt aliquæ conclusiones mixtæ, ita & propositiones, imo omnis cōclusio est propositio. Esse autem conclusiones aliquas mixtas patet primò, quia omnis conclusio Theologica propriè talis, est eiusmodi, cum enim vna præmissa in syllogismo Theologico sit fidei, altera naturalis, conclusio, nec fidei erit merè, nec naturalis, sed mixta. Idem cernitur in hoc & similibus syllogismis, *omnis definitio constat ex genere & differentia, sed animal rationale est definitio hominis, ergo animal rationale constat ex genere & differentia.* Maior est propositio Logica, Minor Metaphysica, vel Physica quoad rem repræsentatam, conclusio partim Logica quoad prædicatum scilicet, partim

partim physica vel Metaphysica quoad subiectum. Idem dic de propositionibus in obiectione allatis, quæ ex parte subiecti sunt physicæ, ex parte prædicati Logicæ, sicque merito censentur mixtæ.

XI. Dices tertiò non potest Logica considerare conceptus, quin vna consideret res, cum enim sint signa & repræsentationes rerum, non potest quis agere de illis quin per se, & directè consideret res per eas repræsentatas. Respondetur negando antecedens, ad probationem dico, per se, & primariò solùm agere Logicam de conceptibus, de rebus autem secundariò tantùm, per accidens, & in obliquo, quatenus sunt termini actuum, & cum iis necessariam habent connexionem.

De rebus secundariò tantum agit Logica, & per accidens.

XII. Probatur conclusio secundò: si hoc sufficiat ad rationem subiecti alicuius, artis, vel scientiæ, quòd mediatè hoc modo, secundario, & indirectè aliquid actibus illius obiiciatur, res omnes contra communem Doctorum sententiam spectabunt ad omnes pæne scientias tanquam earum subiecta: primò ad Logicam, vt fatentur, deinde in Picturâ peronebût non ad vnum tantum, sed ad varios tractatus, nempe ad tractatum de vbicatione, motu, & actione; ad libros de generatione, & corruptione, & ad Animasticam vbi agitur de actibus intellectus, vt repræsentât obiecta, de actibus etiam voluntatis, ac sensuum: imo etiam ad Theologiam, idque variis in locis, nempe vbi agitur de omnipotentiâ Dei, de intellectu eius & voluntate, de visione beatificâ &c.

Si res sint obiectū Logicæ, sequitur eas esse obiectū omnium scientiarum.

XIII. Confirmatur primò, ex contraria namque sententia sequeretur, Picturam, seu artem pingendi (idem est de Sculptura & aliis huiusmodi artibus) agere de rebus omnibus, quia ad earum repræsentationes seu imagines efformandas ordinantur. Cui exemplo eo insisto libentius, quod Logica Picturæ sit simillima, Logica enim, interna quædam pictura est ad internas in mente imagines artificiosè efformandas ordinata, sicut materialis pictura ad externas; & sicut ars pingendi seu *pictura docens* vt antea dixi, lineamenta docet & tractus artificios è ducere solùm in genere, quæ postea *pictura vtens* (vt ita loquar) ad diuersas in particulari imagines effurmandas applicat, ita sua habet lineamenta Dialectica, nempe *definitionem diuisionem &c.* generatim sumpta, quæ sunt quasi tot tractus, quibus *Logica Vtens* spirituales, & internas imagines, in particularibus materiis artificiose effingit.

Sequeretur picturā, & sculpturā habere res omnes pro obiecto.

Logica non incongruè dicitur ars pingendi.

XIV. Confirmatur secundò: quia eodem modo dici possent pedes humani subiectum artis sutoriæ, vel vngulæ equorum subiectum artis fabri ferrarij, cum mediatè illa spectent, id est, intendant calceos, & ferramenta conficere, quæ illis adaptent, & cum iis necessariam proportionem habere debent. Confirmatur tertiò. Artes ab omnibus diuiduntur in reales & sermocinales, & Logica inter sermocinales numeratur, non reales, inter quas tamen certè numerari deberet, si æquè primariò res atque sermonem internum consideraret.

Vngula equorū essent obiectum artis fabri ferrarij, & pedes humani sutoriæ.

XV. Probatur conclusio tertiò: Logica est scientia vel ars practica, ergo ad aliquid artificiosè faciendum dirigit, sed in rebus nihil est artificij nisi merè extrinsecè ab actis scilicet artificiosis circa illas versante, per quem dicuntur artificiosè cognitæ, ergo. Confirmatur, obiectum materiale est illud, in quod induci debet formale, vel forma artificiosa, sicut materia fabri est ferrum, sed forma artificiosa induci tur in solos actus, non res seu obiecta, ergo.

Logica est scientia practica ergo non potest habere res pro obiecto.

XVI. Secunda Conclusio: Præsuppositiuè tamen ad actus Logicos requiritur ex Metaphysica cognitio aliqua generalis rerum, seu prædicatorum essentialium. Hoc probat id quod initio huius sectionis adnotauimus, & videtur per se manifestum, cum enim

Ad Logicā præsupposi tiuè requiritur generalis rerū notitia.

Logica tradere debeat regulas conficiendi definitionem v. g. quæ definitur *actus explicans naturam rei*, & dicitur constare debere ex genere & differentia, tanquam ex partibus essentialibus, prærequiritur à Metaphysicâ generalis quædam accepta rerum & prædicatorum essentialium notitia.

XVII. Quæres vtrum spectet ad Logicam scire hæc, bona sit an mala definitio equi, *equus est animal rugibile*: si enim spectat ad Logicam, iam particulares rationes rerum omnium spectabunt ad Logicam; quod est inauditum; nec tamen videtur ad quam aliam scientiam spectet. Respondetur quoad formam spectare ad Logicam, non quoad materiam, ad Logicam enim spectat scire an constet definitio ex genere & differentia generatim, non vtrum hic & nunc rectè sit forma applicata, hoc enim ad *Logicam Vtentem* spectat, siue ad actus aliarum scientiarum directos tamê per *Logicam Docentem*. Exempli gratia hæc est regula Logicæ Docentis. *Omnis definitio bona constare debet ex genere proprio & differentia propria*, quæ regula si malè applicetur in particulari scientiâ, ad eandem particulam modo spectabit errorem illum corrigere, adiutam tamen à Logicâ docente seu dirigente, dum enim videt actum suum non conformem regulæ illi Logicæ, corrigit, & loco falsæ differentiæ veram substituit. Et idem est si quis in aliquâ scientiâ male vtatur principio aliquo Metaphysico, correctio enim actiua illius actus ad illam scientiam spectabit, directiua ad Metaphysicam, quia ad principium ex eo desumptum exigi debet actus, illoque firmari.

Spectetne ad Logicā scire, an hæc sit bona definitio equi, equus est animal rugibile.

Quomodo aliæ scientiæ dirigantur Metaphysicâ.

SECTIO IV.

Argumenta contendentia res esse directum Logicæ obiectum.

I. Obiicitur primò Logica agit de genere, & differentia, prædicato, subiecto &c. sed hæc sunt res, *animal* enim est genus, *rationale* differentia, ergo Logica agit de rebus. Respondetur distinguendo antecedens, agit Logica de genere, differentia, prædicato, & subiecto formalibus, concedo antecedens, obiectiuis nego: docet enim Logica vnum de altero enunciare, enunciatio autem actus est, vnde ait Aristoteles primo prio. c. 1. *Propositio est alicuius de aliquo affirmatiua, negatiuaue oratio.* Id enim docet Logica, in quo eius artificium consistit, sed artificium Logicæ solum est in actibus verè & propriè, in obiectis vero non nisi merè extrinsecè, vt dictum est, ergo soli actus sunt eius obiectum, res vero non nisi secundariò. Quod si cui modus loquendi minus proprius videatur dicere *prædicatum vel subiectum formale*, æque certè impropriè loquuntur aduersarij, dum vocant res conceptus obiectiuos, si enim res aliqua quia concipitur ab actu vocari potest conceptus obiectiuus, quidni actus eandem rem concipiens, ac de eâ aliquid enuntians vocari poterit prædicatum vel subiectum formale?

Logica agit de subiecto, & prædicato formalibus, non obiectiuis.

II. Obiicitur secundò: In his propositionibus *homo est animal, temperantia est virtus* animal & virtus etiam vt sunt ex parte obiecti spectant ad Logicam, nam vt sunt ex parte obiecti sunt genera, genera autem spectant ad Logicam. Respondetur distinguendo antecedens, animal & temperantia spectant ad Logicam *Vtentem*, concedo antecedens, ad Logicam Docentem nego, vt ostensum est Sec. præcedente, fine.

Vtrum in hac propositione homo est animal, animal spectet ad Logicam.

III. Si quis verò dicat hanc esse propositionem Logicam *genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie*, nam est definitio Porphyrii. Respondetur ly *quod prædicatur* esse ibi idem ac *quod est prædicabile* nam

vt sit genus non est opus vt actu prædicetur, vocanturque quinque prædicabilia, non quinque prædicata, est autem prædicabile formaliter per actum intellectus abstrahentem illud à differentiis specificis, vnde ex actu & obiecto fit vnum genus completum, & actus vocatur genus formale ac Logicum, obiectum vero materiale & Metaphysicum.

Actus abstrahens est genus Logicū, obiectum genus Metaphysicum.

IV. *Ostenditur quo pacto axiomata Logica conueniant conceptibus formalibus.*

Obiciuntur tertiò varia axiomata Logica, quæ videntur esse de rebus immediate, *vt definitio debet conuerti cum definito, quæ conueniunt vni tertio &c. dici de omni & dici de nullo*, & alia huiusmodi quæ videntur esse in rebus, res enim sunt quæ vni tertio & inter se conueniunt. Respondetur hæc omnia axiomata primariò conuenire conceptibus formalibus. Ad primum ergo dico definitionem debere conuerti cum definito nil aliud velle, quàm definitionem formalem in repræsentando debere commensurari naturæ in essendo, si enim plus vel minus repræsentet, non conuertitur cum definito, vt si dicam *solum homo est animal*, actus ille non conuertitur cum definito, nempe homine, quia illum inadæquatè solùm repræsentat: actus enim definiens debet esse æquiualens duobus actibus inadæquatis præcedentibus, quibus repræsentabam animal & rationale seorsum: & sicut hic actus non conuertitur cum definito ob defectum, ita alius qui plus repræsentaret quam est in obiecto non conuerteretur cum definito ob excessum, vt si quis dicat, *leo est animal rugibile alatum.*

Explicatio primi axiomatis, Definitio debet cōuerti cum definito.

V. *Explicatio secundi, Quæ cōueniunt vni tertio, conueniunt inter se.*

Secundum axioma vult vt postquam quis elicuerit duos actus repræsentantes duo obiecta vnita alteri, eliciat actum alium quo illa iudicet vniri inter se. Tertium tantum vult cum quis actu intellectus affirmat aliquid de omnibus indiuiduis sub aliqua specie, vel de omnibus speciebus sub aliquo genere, vt habeat alium actum quo idem de vnoquoque in particulari affirmet, vel saltem non habeat actum quo neget, vt si dico, *omnis homo est risibilis*, debeo item dicere, *Petrus est risibilis*, vel saltem non dicere contrarium. Idem est suo modo de principio illo negatiuo, *Dici de nullo*, nempe si de omnibus aliquid nego, non debeo affirmare illud de aliquo singulari. Hæc tamen tria vltima sunt principia Metaphysica potius, quam Logica, licet ab ea vsurpentur.

Explicatio tertij, Dici de nullo.

VI.

Obicies quartò: Definitio debet constare ex genere & differentia est axioma Logicum, & tamen directè fertur in res ipsas nec enim actus definiens constat genere & differentia. Respondetur distinguendo vitimum consequens, actus definiens non constat genere & differentia formalibus, nego consequentiam, obiectiuis concedo: hoc est actus definiens repræsentat genus & differentiam, & sic repræsentatiuè constat genere & differentia. Actus ergo formalis est genus & differentia æquiualenter, quod nimirum æquiualeat hic actus, *homo est animal rationale* his duobus, *homo est animal, homo est rationalis*, vbi actus repræsentans *animal* est genus formale, & actus repræsentans *rationalis* est formalis differentia.

Actus definiens cōstat genere, & differentia formalibus, res definita obiectiuè.

VII. *Obicitur: Logica primo versari circa actus reflexos.*

Obicitur quintò: Logica inuenta est per actus reflexos seu reflectentes, sed non per actus reflectentes supra actus, ergo supra obiecta, ergo obiecta & non actus sunt obiectum materiale Logicæ: Minor probatur ex duplici modo reflexionis, velenim reflectit quis supra aliorum dicta aut scripta, audiens illos disputantes, aut libros legens, vel proprio studio discurrit reflectendo supra suos discursus. Qui ergo audit alium disputantem, vel docentem, aut libros legit habet idem obiectum cum disputante, docente, aut scribente, sed ille non habet actus pro obiecto, sed solas res, ergo nec alter; & idem est si reflectat supra id quod ipsemet cogitauit.

VIII. *Satisfit Obiectioni.*

Respondeo idem esse vtriusque obiectum: vnde si alter discurrat in materia Physica, eliciens actus circa res, audiens in eadem materiâ discurrit, & habet res easdem pro obiecto, si autem alter discurrat ac disputet in materia Logica, sicut obiectum disputantis sunt actus intellectus, ita & audientis, nec hinc quicquam sequitur contra nos. Addo vlterius posse eum qui audit alium discurrentem in materiâ physicâ supra actus eius reflectere si velit, e. g. dum audit alium dicentem *equus est hinnibilis*, potest dicere, *equus* ibi est subiectum & *hinnibilis* prædicatum, & tunc est actus Logicus, & considerat *equum* & *hinnibile* non secundum cōnexionem naturalem, quam inter se habent à parte rei, sed vt subiectum & prædicatum sunt formaliter, & reduplicatiuè, formaliter autem sunt talia per actum intellectus illa hoc vel illo ordine cognoscentem. Actus ergo directus, seu Logica vtens, constituit prædicatum vel subiectum, actus vero reflexus seu Logica Docens illa considerat sub ratione prædicati vel subiecti per actum præcedentem constituti.

Actus directus constituit subiectū, reflexus constitutum cōsiderat.

IX. *Obi. Logicā agere de Demonstratione vt distinguitur à syllogismo probabili.*

Obicitur sextò: Aristoteles in Logica egit de demonstratione vt distincta à syllogismo probabili, seu topico, sed vt sic distinguitur solùm per materiam, ergo Logica agit de materia. Confirmatur, id quod mouet in demonstratione est quid tenens se ex parte obiecti, præmissæ enim ideo mouent quia continent in se conclusionem, sed vnus actus alium non continet, ergo hoc de obiecto intelligitur non de actu, ac proinde agit Logica de obiectis.

X. *Resp. primo Demonstrationem, & syllogismum probabilem in consideratione Logicā non differre. Secundò ad idem argumentum respondetur.*

Ad argumentum Respondeo primò non differre secundùm probabilem opinionem demonstrationem & syllogismum topicum in consideratione Logica, cùm forma vtriusque sit eadem, solùm verò appositam ab Aristotele materiam probabilem & necessariam, vt discurrens formam exerceret in vtrâque materiâ, & eius vis perciperetur. Respondetur secundò concedendo differre demonstrationem & syllogismum topicum, non tamen propterea tractat Logica de rebus, sed supponendo ea Metaphysica dari essentias & passiones, docet modum conficiendi demonstrationem, dirigendo actus essentiam & passionem repræsentantes. Ad confirmationem concedo obiectum mouere, sed id non spectat ad Logicam Docentem, nisi remotè in quantum scilicet docet elicere actus circa illud discurrentes. Quod vero dicunt aliqui obiecta et terminantia actus spectare ad Logicam, non probat Logicam agere de rebus immediate, dum enim dicitur obiectum et terminans reduplicatur actus.

XI. *Satisfit auctoritati Aristotelis.*

Tandem cum Aristoteles 4. Metaph. textu 5. asserit ad Dialecticam spectare, agere de omni ente, seu rebus omnibus, intelligendus est instrumentaliter, quatenus scilicet parat instrumenta generalia ad omnes scientias acquirendas, non formaliter & directe; quod vero dicat S. Augustinus: *Aristotelem tractare simul de in qua sunt, quæ cognoscuntur, & quæ dicuntur*, per hæc significat Categorias vel prædicamenta, quæ non spectant ad Logicam vt supra diximus, & idem dicendum ad testimonium aliorum Patrum si qui dicant Logicam agere de rebus, nempe vel loqui eos de categoriis, seu prædicamentis, vel solum agere per accidens & secundario. Cum autem S. Tho. loco supra citato ait non posse quempiam scire secundam intentionem speciei, nisi sciat naturam esse participabilem à pluribus, confirmat nostram secundam conclusionem, nempe supponi ex Metaphysicâ notitiam aliquam de naturis rerum in communi, & sic fundamētaliter ad Logicam concurrit Metaphysica.

Quomodo hac in re intelligendi sint sancti Patres.

Obicit

XII. Obiicit P. Hur. d. 1. Log. s. 5. n. 93. S. Thom. opusc. 56. circa medium, citantem Auicennam asserentem *Logicam esse de secundis intentionibus adiunctis primis.* Sed si retulisset verba S. Tho. immediatè sequentia satis nobis aperuissent mentem S. Doctoris, hæc enim verba immediatè adiungit: *Ex quo patet quod Logicus non considerat rem subiectam per se.* Quid clarius? solùm ergo considerat Logicus res per accidens, & secundariò, vt nimirum sunt termini actuum: nec aliud probant verba Auicennæ.

Mens S. Thomæ in hac controuersia de rebus, & conceptibus.

DISPVTATIO VI.

Num Apprehensio simplex cadat sub obiectum materiale Logicæ?

APprehensio, inquam, simplex, duas enim alias intellectus operationes ad Logicam spectare certius est, quam vt à quoquam in dubium vocari possit. In primis enim Iudicium est prima veritatis sedes, & in quo varium artificium relucet: nunc enim in definitionem formatur, nunc diuisionem; nunc categoricâ propositione, nunc hypotheticâ, nunc hoc, nunc illo modo rerum veritatem aperit. quæ multo clarius in discursu cernuntur, vt consideranti patebit.

Secundâ, & tertiam intellectus operationem ad Logicam spectare certum est.

SECTIO I.

Referuntur variæ sententiæ.

I. TRes à Philosophis assignantur intellectus nostri operationes, *Apprehensio, Iudicium, & Discursus.* Apprehensio, licet latè sumpta conueniat omni actui intellectus, sic enim accepta idem est, ac repræsentatio (omnis quippe actus est imago, & repræsentatio sui obiecti) propriè tamen est actus qui obiectum simplici quodam modo repræsentat instar sensationis (à qua solum hoc discrepat, quod illa spiritualis sit, hæc materialis) nihil de eo affirmando vel negando, quâ de causa simplex dicitur Apprehensio & ab Aristotele *simplicium Apprehensio*, à S. Tho. *simplicium intelligentia.* Hæc porro apprehensio duplex est, complexa & incõplexa, incomplexa ea dicitur, quæ rem simplicem repræsentat, puta hominem, calorem, albedinem. Complexa illa est, quæ obiecta repræsentat ex prioribus composita, & aliquando cum copula, vt dum hanc audit quis propositionem, *astra sunt paria*, apprehendit totum illud, sed ita esse vel non esse nec affirmat, nec negat.

Tres intellectus operationes.

Apprehensio duplex, complexa, & incomplexa.

II. Sequitur apprehensionem Iudicium, quod licet eadem obiecta percipiat quæ Apprehensio, non tamen eodem modo, relinquendo scilicet intellectum suspensum, sed determinando ad alteram partem contradictionis, ac propterea vocatur Iudiciũ, quod more Iudicis, de propositis sibi per Apprehensionem, sententiam ferat, vel affirmando se ita rem habere, vel negando.

Iudicium eadem obiecta attingit cum apprehensione, sed modo diuerso.

III. Discursus supponit duas priores operationes, &, si nominis etymologiam spectemus, est quasi *mentalis quidam cursus ab vno actu & obiecto ad aliud*: remotè ergo supponit Apprehensionem, proximè verò duo Iudicia, post quæ elicitur, *vt omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis.* Cõsistit ergo vel in istis tribus iudiciis, vt aliqui existimant, vel vt alij, & magis probabiliter vt ostendam postea disp. 47. s. 2. in vltimo tantum actu, seu conclusione, cum ab Aristot: primò Poster: definiatur esse *cognitio vnius veritatis per aliam & post aliam*, distinguiturque à iudicio nudo, quod duo inter se obiecta vniat, non ob immediatam eorum connexionem, sed quia vnita illa videbat intellectus cum medio in Præmissis: vt in discursu iam posito ideo coniungo *hominem* & *risibile* inter se in conclusione, quia vtrumque coniunctum vidi cum *rationali* in Præmissis.

Discursus tertia intellectus operatio.

In quo tertia operatio differat à secunda.

IV. Præsens ergo difficultas præcipuè procedit de simplici Apprehensione: in qua prima sententia negat eam spectare ad Logicam: ita ex Recentioribus multi cum P. Hurtado d. 1. Log. s. 2. n. 16. Argumenta cum solutionibus proponentur postea.

Prima sententia negat apprehensionem spectare ad logicam.

V. Conclusio: prima Apprehensio spectat ad Logicam. ita illi omnes qui aiunt omnes tres operationes intellectus esse obiectum Logicæ, colligitur que ex S. Tho. primò perihermen. & primò Poster. lec. 1. vbi triplicem hanc intellectus operationem ad Logicam spectare asserit. Ratio à priori est: Id omne est obiectum Logicæ quod dirigibile est Logicis regulis, sed prima apprehensio est dirigibilis regulis Logicis, ergo: Maior ab omnibus conceditur, estque per se manifesta: Minor probatur, actus repræsentans *animal rationale* est artificiosus, procedens secundùm regulas Logicas, & est apprehensio definitiua constans ex genere & differentia, vt præcipit Logica nam quid, oro, illi accrescit artificij ex eo quod apponatur *est*, & fiat iudicium, quod tamen si contingat, vel ipsis aduersariis fatentibus est actus artificiosus & spectans ad Logicam.

Prima apprehensio spectat ad Logicam.

Ratio est, quia apprehensio est dirigibilis regulis logicis.

VI. Confirmatur, docet Logica definitionem constare debere ex genere proprio, & differentia substantiali, non accidentali, vnde hæc non est bona definitio hominis, *animal biped*. sed solùm descriptio, Logica verò docet definitionem vt distinguitur à descriptione: item docet debere definitionem ex genere proximo constare, & differentiâ vltimâ, non debere quicquam addi superfluum, vt si quis definitionem hominis concipiat, *animal sensibile rationale*, nec minus etiam repræsentari debere quam est in re, vnde esset mala, si pro hominis definitione quis, solum conciperet *animal*, & alia huiusmodi quæ omnia in prima apprehensione reperiuntur. Ad quam autem scientiam spectant hæc, nisi ad Logicam, cuius proprium est præscribere regulas rectè definiendi, ac diuidendi.

Logica varias tradit regulas circa definitionem apprehensiuam.

VII. Probatur secundò, per se agit Logica de genere, differentiâ, specie formalibus secundum sumptis, vt cõducunt ad definitiones faciendas, sic enim cadunt sub considerationem Logicam, nam scientia quæ per se agit de toto, per se agit de partibus, Logica verò agit per se de definitione & diuisione, ergo & de genere ac differentia, quæ per se ad definitionis constructionem ordinantur, ac proinde eorum cognitio ad definitionem necessario est prærequisita, sicut cognitio animæ & corporis ad conficiendam definitionem physicam. Et ad illum finem Prædicabilia in Logicâ tractantur. Quamuis artificium Logicum apprehensionis clarius constet in apprehensione complexâ, quam in incomplexa.

Scientia, quæ agit per se de toto, agit per se de partibus.

SECTIO II.

Diluuntur argumenta Apprehensionem simplicem à Logicâ excludentia.

I. OBicies primò: simplex Apprehensio non est modus sciendi, ergo non cadit sub obiectum

Obij: simplicem apprehensionem non esse modum sciendi.

Logicæ probatur antecedens, nam apprehensio non facit scire, dum enim apprehendo *astra esse paria* e. g. paria sint necne ignoro, cum nihil affirmem. Respondetur si de apprehensione incompleta sit sermo, non esse modum sciendi, & sic concedo antecedens, distinguo autem consequens, non spectat ad Logicam tanquam modus sciendi, concedo consequentiam, non spectat tanquam dispositio quædam, quâ faciliores reddimur ad modum sciendi expeditius postea construendum, nego: sic enim in introductione exercemus nos in terminis vocalibus & mentalibus extra propositionem cognoscendis, vt minore postea difficultate propositionem mentalem conficiamus. Si vero sermo sit de apprehensione complexâ, distinguo antecedens argumenti, non est modus sciendi rigorosè, qui scilicet faciat perfectè scire affirmando vel negandu, concedo antecedens, non est modus sciendi late sumptus, seu quomodocunque nego: aliquo enim modo explicat obiectum, clarius enim repræsento hominem cum concipio *animal rationale* quam cum concipio solum hunc terminum *homo* vt constat.

Resp. esse modum sciendi inchoatum.

Apprehensio complexa est modus sciendi imperfectus.

II. *Obij. Apprehens. simp. non esse capacem directionis Logicæ.*

Obiicies secundò: Apprehensio simplex non est capax directionis Logicæ, ergo non est Logicæ obiectum, antecedens patet, intellectus enim necessariò apprehendit obiectum prout illi proponitur, ergo non spectabit eius directio ad Logicam, sed ad scientiam, quæ proponit obiectum. Respondetur negando primum antecedens, ad probationem dico primò, etiam intellectum necessariò iudicare in demonstratione, & perfectissimis syllogismis, vbi ab euidantiâ veritatis conuincitur, nullus tamen opinor negabit ad conclusionem demonstrandam posse intellectum dirigi. Respondetur secundò distinguendo idem antecedens, prima omnium apprehensionum non potest dirigi, concedo antecedens, sequentes dirigi non possunt, nego, nam ante primam apprehensionem non aduertit intellectus se malè apprehendere, sed vbi semel aduerterit, potest imperio voluntatis ab apprehensione illa desistere, & aliam rectam illius loco substituere: ac tandem vbi facilitatem in rectis formandis apprehensionibus acquisiuit, tunc, etiam primo rectè potent apprehendere. Ad pleniorem cuius intelligentiam.

Retorquetur argumentum.

Prima omnium apprehensio dirigi nequit, reliquæ possunt.

III. *Potentiæ, quo perfectiores magis voluntati parent, quo imperfectiores, minus.*

Aduertendum ex libris de Anima: omnes animæ potentias voluntatis imperio aliquo modo subiacere, sed non æquali omnes gradu, at quo perfectiores sunt potentiæ, eo magis, quo imperfectiores eo minùs ei parent. Vnde vegetatiuæ minus subiiciuntur voluntati quam sensitiuæ, visus scilicet & auditus: sensus etiam minus quam intellectus; & in intellectu ipso quo operatio est imperfectior, eo minus subest regimini voluntatis. Apprehensio ergo vtpote spiritualis, licet magis subsit voluntati quam sensus, nam in sensu, visu v.g. non potest efficere voluntas vt circa propositum obiectum actus mutet, potest tamen in intellectu respectu apprehensionis: at respectu iudicij, quæ est perfectissima intellectus operatio, præstare potest voluntas non solùm vt actus mutet, nunc scilicet directam, nunc indirectam conclusionem inferendo, vt in *Barbara*, & *Baralipton* ex iisdem præmissis, sed planè, (quod multi docent) vt ab omni actu iudicij etia in proposito obiecto subinde cesset.

IV. *Quo modo corrigatur apprehensio.*

Hoc ergo modo corrigitur apprehensio, non quòd actus qui semel est falsus emendetur, hoc enim in *Apprehensione* est impossibile, sicut & in *Iudicia*, sed vt illo actu relicto alius ad regulas artis exactus eius loco substituatur.

Obiices tertiò: quod quis melius alio rem quampiam apprehendat, ex eo prouenit, vel quod acutiorem, & perfectiorem habeat intellectum, vel quod magis versatus sit in illâ scientiâ: vt materiam primam melius is apprehendit, qui physicam audiuit, quam alius, qui illius scientiæ est ignarus. Respondetur distinguendo antecedens quoad perfectionem entitatiuam actus, substantialem & physicam, vt vocant, concedo antecedens, quoad perfectionem accidentalem, nego. V.

Duplex perfectio in apprehensione substantialis, & accidentalis.

Quoad perfectionem ergo accidentalem actus, quod scilicet conformetur regulis artis, nec actus intellectus Angeli superant actus cuiuscunque hominis, si hi procedant, & formentur secundum regulas artis, nam si regulæ artis sint norma cui conformari debent actus, si illi sint æqualiter conformes, sunt in hac perfectione æquales. Maior ergo perfectio physica apprehensionis prouenit ex perfectione maioris intellectus, vel cognitione obiecti, accidentalis vero ex regulis Logicis quibus dirigitur. VI.

Actus hominum, & Angeli sunt in hac perfectione æquales.

Obiicies quartò si apprehensio spectat ad Logicam, ergo & sensus externi, visio e. g. sequela patet, ideo namque per nos apprehensio spectat ad Logicam, quia ex eâ oriuntur errores, sed ex sensibus etiam externis oriuntur errores, fallitur enim sæpe visus, vt in vitro trigono, collo columbæ, & remo in aquâ vbi videtur videre quod non videt, enim ibi verè colores & curuitas non sint. Confirmatur, nam saltem phantasia ad Logicam spectabit, cum eâdem operâ corrigatur cum apprehensione. VII.

Obij: hinc sequi actum sensuum spectare ad Logicam.

Ad argumentum respondetur negando sequelam: ad probationem dico non ideo præcisè affirmare nos apprehensionem spectare ad Logicam, quia in eâ contingunt errores, sed quia contingunt errores corrigibiles à Logicâ per regulas ab eâ præscriptas. Ad confirmationem dico, non esse inconueniens concedere phantasiam, per accidens dirigi à Logicâ, cum enim semper connectantur pro hoc statu actus apprehensionis & phantasiæ, correctâ apprehensione, consequenter corrigitur phantasia, Logica verò per suas regulas tantùm intendit directè corrigere apprehensionem, vtpote quæ dispositio est proxima ad actum iudicij. VIII.

Sensus externi cur non spectant ad Logicam. Phantasia per accidens dirigi potest à Logicâ.

Obiicies quintò: Obiectum Logicæ adæquatum, sunt actus quibus aliæ scientiæ opinatiuè vel scientificè versantur circa sua obiecta. Nego antecedens, sed illi etiam actus ad Logicam spectant, qui sunt dispositiones proximæ & facilitant ad actus opinatiuos, vel scientificos eliciendos, videlicet apprehensiones, cùm hæ etiam dirigi possint, & debeant. IX.

Actus disponentes ad opinatiuos, aut scientificos spectant ad Logicam.

Obiicies sextò: In primâ apprehensione esse non potest falsitas, ergo nec dirigi potest, nec corrigi. Respondetur negando consequentiam, nam licet in apprehensione simplici propriè non possit esse falsitas, cum conformis semper sit suo obiecto, vt infra ostendam d.44.s.2. potest tamen esse defectus & error in simplici apprehensione, vt si pictor delinearet hominem cum sex digitis in manu, vel Petrum nigrum qui est albus, illa non esset falsa imago Petri albi, sed vera hominis nigri. Sic Apprehensio falsa nunquam est, licèt erret subinde, & hominem in errorem inducat, in quâ proinde reperitur error, & defectus (vt si repræsentaret Petrum cum vno tantum oculo, vel brachio) non falsitas. X.

Licet in apprehensione non possit esse falsitas, potest tamen esse error, & defectus.

DISPV-

DISPVTATIO VII.

Quodnam sit subiectum Attributionis Logicæ?

Septemdecim diuersa sunt hac de re sententiæ.

QVot capita tot sententiæ. Nullibi in stadio philosophico maior opinandi libertas. Septemdecim diuersa vidi diuersorum hac de re placita; Vnoquoque acriter suam stabilire sententiam contendente, & velut Spartam adepto quam adornet, nullum non mouente lapidem, vt id, cui primas is in Logica defert, dignitate ac præstantia cæteris omnibus antecellat. Præcipuas hic sententias attexam, omnes enim referre nec otium est, nec animus. In tanta vero opinandi varietate certi aliquid statuere, & in quo firmiter quis figat pedem, factu fortasse difficilius est, quam quiuis arbitretur.

SECTIO PRIMA.

Quorundam de subiecto Attributionis Logicæ sententia.

I. *Negãt aliqui dari subiectum Attributionis Logicæ.*

NOnnulli parum interesse censentes soluatur nodus Gordius, an scindatur, vt ab hac se difficultate expediant, negant vnum aliquid dari ad quod cætera omnia referantur, quodque in Attributionis subiectum assumatur. Animaduertebant nimirum in subiectu Attributionis Logicæ assignando non parum negotij esse, nouosque indies nodos, nouos nexus occurrere, quique ægrè solui possent. Quid remedij? scindantur, inquiunt, negetur obiectum Attributionis, finita lis est, soluta quæstio.

II. *Hic philosophandi modus magnã parit in scientiis confusionem.*

At sanè hoc non soluere difficultatem, sed fugere est, & ordine sublato, deordinationem in scientias, & confusionem inducere, rebusque per se non claris nouas tenebras offundere. Dum enim primum illud & præcipuum obiectum, quodque vt finis vltimus, ac scopus statui solet, tollitur, quo quæque scientia tendat ignotum relinquitur: sicque in scientiis obscuritatis non parum reperiatur necesse est, confusionis plurimum, certi nihil. Ad huius ergo sententiæ impugnationem.

III. *Ad obiectũ Attributionis duo requiruntur. Differentia inter Obiectũ Attributionis, & Principale.*

Notandum primo ad obiectum Attributionis duo in omni scientia requiri vt scilicet & de illo in scientia illa tractetur, & vt illius gratia ad perfectiorem scilicet illius cognitionem acquirendam, cætera in illa scientia tractentur omnia. Hinc ortum habet distinctio illa obiecti, in obiectum *Attributionis* & *Principale*, quæ sicut includens & inclusum ad se inuicem comparantur hoc enim in illo includitur, non è contra. Vnde si contingat de nobili aliquo obiecto in scientia quapiam disputari, ad quod tamen cætera non referantur, id Principale obiectum erit, non Attributionis.

IV. *Quomodo reliqua ordinari debeant ad subiectum Attributionis.*

Notandum secundò: Dum dicimus ad subiectum Attributionis requiri vt omnia quæ in illa scientia tractantur, ad illud referri debeant, id intelligi ordinatione *scientiæ*, non *scientis*, nec enim ad hoc sufficit quod quis rem aliquam in ordine ad aliud disputet, sed requiritur vt res ipsa in ratione scibilis ad illud ex natura sua ordinetur, & ad perfectiorem illius notitiam conducat.

V. *Quæ ad aliud ordinantur possunt per se esse scitu digna.*

Notandum tertiò, hanc nihilominus connexionem & subordinationem non necessariò tantam esse, vt quæ ad alterius cognitionem illustrandam ordinantur, si ea ab hoc ordine præscindamus, nihil in se scitu dignum contineant. Hæ enim & similes in Theologia veritates *Iustitia virtus est quæ ad suum cuique tribuendum excitat*, *temperantia ad inordinatos animi motus frenandos deseruit*, licet ad perfectiorem Dei, boni omnis fontis & originis cognitionem conducant, per se tamen, & præscindendo ab hoc ordine sunt expetibiles. Sicut in voluntate, & si quædam merè in ordine ad finem, & secundùm bonum vtile sint expetibilia, vt potio amara, sectio venæ, & similia in ordine ad sanitatem, alia tamen sunt, vt amœna deambulatio, recreatio honesta, & eiusmodi, quæ licèt ad hunc etiam finem conducant, propter alios tamen fines sunt expetibilia. Idem ergo est in intellectu.

Explicatur exemplo voluntatis.

VI. *Varij modi quibus vnum obiectũ refertur ad aliud.*

Postremò notandum ad hanc subordinationem obiecti *attributi* ad *Attributionis* in esse scibilis sufficere, vt vel tanquam vitiosum referatur ad integrum, vel minùs perfectum ad perfectius, vt hac ratione obiecti Attributionis dignitas magis innotescat. Sic Philosophus moralis de virtute disserit, & vitio, vtpote ex cuius notitia virtuti aliquis accrescit splendor, sic medicus de sanitate & morbis, Physicus de luce agit & tenebris, ex quarum nimirum consideratione luci lucis aliqua fit accessio. Sic Logicus de syllogismo sophistico ac probabili disputat & demonstratione, eo scilicet fine vt *opposita iuxta se posita magis elucescant*.

Ex vitij consideratione virtuti accrescit splendor.

VII. *Qua ratione in plerisque scientiis reperiatur obiectum Attributionis.*

Ex his ergo rectè deducitur in plerisque scientiis vnum aliquod obiectum reperiri non difficulter posse, ad quod reliqua illic tractata referantur, vel tanquam partes ad totum, vt effectus ad causam, proprietates ad essentiam, vitiosa ad integrum, imperfecta ad perfectum, vel quid simile, nec merè disparatè se ad illud habeant, sicut cognitio formicæ ad Angelum, sed pertineant, & cum subordinatione aliqua, sicque illius cognitio ad perfectam alterius cognitionem conducat. Confirmatur: nam quoad Logicam in particulari, huiusmodi obiectum assignabitur, quæ est optima huius sententiæ impugnatio.

VIII. *Nonnulli quatuor Attributionis obiecta in Logica statuunt.*

Alij, si tamen alij (vtramque enim sententiam eodem recidere existimo) in hac obiectorum de dignitate veluti contentione tetrarchiam quandam instituunt; quatuor itaque Attributionis obiecta paris inter se perfectionis, paris præstantiæ statuunt, nempe *propositionem*, *Argumentationem*, *modum sciendi vt sic*, & *actum intellectus vt sic*, inter quæ Dialecticæ fines ac limites ex æquo partiuntur.

IX. *Qui plura Attributionis obiecta, quam vnum statuunt, nullũ statuunt.*

Sed eodem modo impugnantur quo præcedens sententia, qui enim in scientia aliqua plura Attributionis obiecta quam vnum statuit, nullum statuit. Deinde vt hanc suam opinionem stabiliant, nouam sibi fingunt obiecti Attributionis notionem, quod si quis facere voluerit, non quatuor tantùm, sed quater quatuor Attributionis obiecta in quauis facilè scientia reperiet. Sicut si quis nouam definitionem solis cudat, dicatque, *sol est corpus luminosum in sphæris cælestibus intermicans*, tot in cælo solea ponet, quod stellas. His satis superque refellitur hæc sententia: quare cùm eam fusè & benè refutet P. Arriaga d. 2. Log. l. 5. vlteriori illius impugnationi supersedebo, Videatur ipse loco citato.

X. *Duæ aliæ sententiæ de obiecto Attributionis Logicæ.*

Tertiò alij tres modos sciendi, *definitionem* scilicet *diuisionem* & *argumentationem*. Quartò Nonnulli propositionem iis adiiciendo, hæc quatuor obiectum Attributionis Logicæ esse pronunciant. Quæ sententiæ

tentiæ vel ea eo improbantur, quod cum natura obiecti Attributionis apertè pugnent, illud quippe est ad quod cætera omnia in illa scientia referuntur, hi verò authores cùm tria vel quatuor Attributionis obiecta statuant, perinde est, vt dixi, ac si nullum statuerent, cùm nullum per ipsos sit ad quod cætera referantur, quæ in illa scientia tractantur.

XI. *Alij modū sciendi in communi volunt esse sub Attrib. Logicæ.*

Quintò Ruuius & alij obiectum Attributionis Logicæ statuunt modum sciendi in communi prout à *definitione* abstrahit, *Diuisione*, & *Argumentatione*. At sane hæc imperfecta admodum videtur modorum sciendi cognitio, nec per se scitu digna, in scientia præsertim practica enim ex vi huius adeo generalis notitiæ, non Definitionem, non Diuisionem, nec vllum omnino sciendi modum conficere quis possit.

XII. *Nec argumentatio in communi, nec syllogismus est obiec. Attrib. Logica.*

Sextò Albertus Magnus tract. secundo in Porphy. c. 4. & alij, *Argumentationem in communi*. Septimò nonnulli *syllogismum* Attributionis Logicæ subiectum esse asserunt. Sed neutrum probo: non primum, nec enim est cur definitionem quis à subiecto Attributionis excludat, vt postea videbimus. Non secundum, quia cum de Demonstratione per se agat Logica, syllogismus probabilis ad eam refertur, cum sit in eo genere perfectissimum. Quòd verò Logica per se agat de Demonstratione, probatur primò ex Aristotele qui id in sua Logica præstitit, deinde peculiares ab Aristo. & Dialecticis assignantur ad Demonstrationem conficiendam regulæ, dicitur enim debere esse ex *primis immediatis* &c. ergo illius cognitio per se in Dialectica & primario est expetenda.

Logica per se agit de Demonstratione.

SECTIO II.

Nec Propositio per se nota, nec conclusio est obiectum Attributionis Logicæ.

I. *Octaua opinio Propositionem per se notā ait esse Obiec. Attrib. Logicæ.*

OCtaua itaque sententia est docti cuiusdam recentioris, qui Propositionem statuit obiectum Attributionis Dialecticæ, non quidem propositionem in communi, sed prout ad prima principia descendit, illud maximè, *non potest idem simul esse & non esse*. Vnde hanc propositionem seu principium reliquis omnibus de quibus in Logica tractatur præfert, & obiectum illius Attributionis constituit.

II. *Ratio est, quia talis propositio est omniū in Logica scitu dignissima.*

Ratio est, si enim dignitatem spectemus, propositio hæc est æternæ, vt aiunt, veritatis, & cognitu dignissima; imò prima principia, inter quæ primum hæc locum obtinet, dignitates à Philosophis nuncupantur: si certitudinem, oraculum est Metaphysicum: si claritatem, ex prima statim terminorum apprehensione intellectum in sui assensum vel nolentem rapit: si denique vtilitatem, hâc in omni sui parte ac discursu vtitur Dialectica, huic innititur tanquam fundamento. Quidni ergo hunc primæ deferantur in Logica? hanc Attributionis obiectum constitui quid vetat? Hæc sententia sine dubio est plausibilis.

III. *Propositio illa nō spectat ad Logicam, sed ad Metaphysicam.*

Sed contra primo, quota enim pars huius principij spectat ad Logicam, nec enim quidquam artificij sui in eo inuenit Dialectica, nisi in quantum propositio est, seu prædicatum connectit cum subiecto, in quo propositiones omnes sunt pares; reliqua quæ in illo reperiuntur spectant ad Metaphysicam. Sin verò ideo ad Logicam spectare illud quis dicat, quod eo vtatur Logica; pari iure *Definitionem*, ac *Diuisionem* ad Physicam spectare dicat & Metaphysicam, cum his non minus vtantur hæ scientiæ, quam Logica illo principio.

IV. Contra secundo non minus alijs vtitur principijs Dialectica quam illo supra posito, *vt dici de omni, dici de nullo: quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, quæ ipsi norma est & regula, in qua omnem argumentationem fundat, ergo non hoc principium in particulari, sed primum principium vt sic, statuendum est subiectum Attributionis Logicæ, quæ sententia sectione præcedente impugnata in simili est de modo sciendi in communi,

Non vno tantùm huiusmodi principio, sed varijs vtitur ex æquo Dialectica.

V. *Logica per Definitionem magis iuuat scientias, quàm per huiusmodi propositionem.*

Contra tertiò, vt enim sciamus quid præcipuè spectet ad Logicam, sitque peculiare illius obiectum, non spectandum solùm quid iuuet scientias, sed quid magis eas iuuet dependenter à Logica; cùm ergo *definitio* & maximè ad rerum cognitionem deseruiat, vtpote essentiam cuiusque rei manifestans, & in ea artificij Logici multo plus reperiatur quàm in huiusmodi propositione per se nota, potiore iure statuetur obiectum Attributionis Logicæ.

VI. *Physica & aliæ scientiæ æquè vtūtur hac propositione, ac Logica.*

Dices primò, vtitur hac propositione Logica, ergo est obiectum illius. Contra primo vtitur ea Physica, vtuntur aliæ scientiæ, earum ergo similiter est obiectum. Contra secundo: etiam vtitur intellectu, ergo vis natiua intellectus, & species erunt obiectum Logicæ. Dices de intellectu aut speciebus non tractat Logica, tractat de hac propositione. Contra: merè de illa tractat in quantum in ea relucet artificium commune propositionis, imo minus aliquo modo quàm de alijs propositionibus, cum intellectus his terminis propositis, velit nolit in assensum prorumpat.

VII. *Ex eo quod illa vtatur Logica, nō infertur esse subiectum illius Attrib.*

Dices secundò: est omnium Logicæ actuum fundamentum, ergo est obiectum illius Attributionis. Contra primo: domus innititur fundamento, ergo hoc est obiectum Attributionis Architecturæ. Contra secundo: hoc quod est esse fundamentum, non accipit à Logica, sed vel à Metaphysica, vel ab ipso lumine naturali, quorsum ergo hoc nomine erit obiectum Logicæ?

VIII. *Nona opinio Conclusionē statuit Obiec. Attrib. Logicæ.*

Nona opinio est Auersæ q. 2. s. 5. quem sequuntur Recentiores aliqui, nempe *conclusionem* esse obiectum Attributionis Logicæ. Pro hac sententia afferri argumentum potest ad speciem non improbabile, sic enim argumentor, illud subiectum est Attributionis cuiuscumque scientiæ, de quo per se agitur in illa scientia, & ad quod cætera omnia quæ in illa tractantur referuntur, sed eiusmodi est conclusio in Logica, ergo. Minor in qua est difficultas probatur, quare enim terminos apprehendimus, nisi vt propositionem componamus? quare propositionem addiscimus, nisi vt eandem tanquam præmissam in syllogismo statuamus? ad quid vero præmissa nisi ad conclusionem inferendam? ergo vltima omnium est conclusio, & ad illam comparandam cætera omnia referuntur.

Ratio est, quia omnia ordinantur ad inferēdam Conclusionem.

IX. *Retorquetur hoc argumentū, & ostenditur esse inefficax.*

At sanè parùm vrget hoc argumentum, eadem enim prorsus formâ probaret quis quantitatem, vel motum, & non corpus naturale esse subiectum Attributionis Physicæ, sic enim pari modo argumentum deduco: quare materiam primam sigillatim, vnionem, & formam considero, nisi vt inde essentiam compositi dignoscam? quare compositi essentiam inquiro? vt passiones, quarum cognitio necessariò à cognitione essentiæ dependet peruestigem, ergo passio corporis naturalis, non ipsum corpus naturale, est subiectum Attributionis Physicæ, quod philosophus nemo concedat.

X. *Resp. ad argumentū omnia ad conclusionem referri tantùm secūdariò.*

Ad argumentum ergo Resp. distinguendo Minorem; ad conclusionem referuntur omnia primariò, nego Minorem; secundariò, concedo. sicut eodem modo causa refertur ad effectum vltimò secundariò, causa enim in hoc sensu est propter effectum, sicut & potentia propter actum, non tamen primariò, hoc etenim sensu actus potius est propter

potentiam,

potentiam, ordinatur siquidem ad eam perficiendam. Sic ergo cum præmissæ causæ sint conclusionis, definitionis vel diuisionis cognitio magis principaliter intenditur à Logica, quàm intendatur conclusio, quæ est definitionis vel diuisionis effectus.

XI. *Conclusio nō est æquè perfecta, ac vtraque præmissa.*

Arguunt secundò, conclusio intensiuè est æquè perfecta atque vtraque præmissa, ergo primariò conclusionem intendit Logica. Verùm minùs firmum est hoc fundamentum quàm præcedens, primò enim præmissæ non sunt causa vniuoca sed æquiuoca respectu conclusionis, causa autem æquiuoca principalis perfectior semper est effectu, vt patet in essentia respectu proprietatum, & aliis. Secundò; quia si esset æquè perfecta ac vtraque præmissa, esset quia in se complecteretur obiecta & virtutem præmissarum, quod tamen infra d. 47. s. 4. ostendam esse falsum.

XII. *Nullum est artificium in eliciendo conclusione cum sequatur necessariò ad præmissas.*

Vlterius etiam impugnari potest hæc opinio, quia secundùm Aristotelem primo prior. c. 2. *syllogismus est oratio in qua, quibusdam positis,* (hoc est præmissis) *aliud quippiam* (nempe conclusio) *ab his quæ posita sunt necessariò accidit eo quòd hæc sunt,* ergo conclusio necessariò sequitur ad positionem præmissarum, ergo nullum est artificium in eliciendo conclusione, sed totum artificium est in disponendis præmissis. Sicut in agricultura totum artificium est in plantandis herbis & arboribus, putandis, rigandis &c, postea vero necessariò & sine arte flores nascuntur, & fructus. Eodem modo conclusio ex sua radice pullulat videlicet præmissis.

SECTIO. III.

Obiectum Attributionis Logicæ non sunt præmissæ rectè dispositæ, nec Demonstratio.

I. *Tres restant sententiæ, in probabilitate fermè æquales.*

TRes adhuc restant sententiæ, quæ pari fermè probabilitate procedunt, ita vt dubius hac in re aliquandiu hæserim, quam reliquis præferrem, quique sectione primâ Tetrarchiam reieci, hic ferme instituerim Triumuiratum.

II. *Decima sententia est obiec. Attrib. Logicæ esse præmissas rectè dispositas.*

Prima itaque ex tribus, quæ ordine decima est ex relatis, eorum est, qui obiectum Attributionis Logicè docent esse Præmissas recto ordine iuxta præscriptas à Dialectica leges ad conclusionem ritè inferendam dispositas, in hoc enim tota ars syllogistica consistit; præmissis namque rectè dispositis, sequitur suapte natura conclusio, vt proximè diximus. Hoc ergo est quod primò spectat Dialectica, hic præcipuus disputatricis scientiæ scopus.

III. Hæc sententia probabilissima est: cur autem eam non amplectar, dicam in huius sectionis decursu, eadem enim fermè est huius & sequentis opinionis impugnatio.

IV. *Alij Demonstrationem statuunt obiec. Attrib. Logicæ.*

Vndecima sententia affirmat Demonstrationem esse subiectum Attributionis Logicæ: ita Mur. d. proœm. q. d. Con. 2. inclinat Vas. 1. p. d. 4. cap. 10. tenet P. Hur. d. 1. s. 7. per totam, & P. Arriaga d. 2. Log. sec. 5. subs. 3. quibuscum præcipuè nobis erit hac in re disceptatio. Quam etiam sententiam plurimi sequuntur ex Recentioribus, estque hodie fere communis.

V. *Ostenditur Demonstrationem non esse obiec. Attrib. Logicæ.*

Contra primò, ideo huius sententiæ authores *modum sciendi vt sic* ab obiecto Attributionis Logicæ reiiciunt quia est obiectum nimis indeterminatum, cùm maxima sit varietas in modo sciendi, *definitione* scilicet, *diuisione,* & *Demonstratione*. ad quas conficiendas modus sciendi vt sic ordinatur vt pars eorum Metaphysica: sed maxima etiam est varietas in demonstrationibus, ad quas construendas ordinatur demonstratio vt sic tanquam pars earum Metaphysica, ergo: Minor probatur primò: Diuersæ regulæ traduntur ad conficiendam demonstrationem *Quia*, seu à posteriori, à regulis ad demonstrationem *propter quid*, seu à priori. Secundò, In demonstrationibus maxima quoad artificium Logicum est varietas, *(In Demonstrationibus conficiendis maxima est varietas.)* nunc enim affirmatiuæ propositiones assumendæ sunt, nunc negatiuæ, nunc vniuersales, nunc particulares, nunc vniuersalis & affirmatiua vna, nunc particularis & negatiua altera; ergo *Demonstratio vt sic* nimis generale quiddam est, & indeterminatum, vt sit obiectum Attributionis Logicæ.

VI. *Vlterius hoc idem declaratur.*

Confir. potest quis perfectè nosse conficere demonstrationem in *Barbara*, & tamen ignorare modum Demonstrationem conficiendi in *Ferio*, vel alio modo etiam ex quatuor primis primæ figuræ, propter diuersissimum in iis repertum artificium; non minùs quàm quia nosse potest modum definiendi & non diuidendi, ob quam causam ipsi modum sciendi vt sic ab obiecto Attributionis Logicæ reiiciunt. Parùm ergo consequenter loquuntur dum pro hoc munere assignant *Demonstrationem vt sic*.

VII. *Prior sententia est hac probabilior.*

Secundò impugnatur illa sententia, totum enim artificium Logicum in Demonstratione repertum, in solis præmissis situm est, his enim positis necessariò sequitur conclusio, vnde meo iudicio illa sententia, quæ obiectum Attributionis Logicæ statuit præmissas rectè coordinatas, hac multo est probabilior.

VIII. Dices etiam errari potest in inferenda conclusione, aliquando enim directè concluditur, aliquando indirectè; vnde ad conclusionem etiam traduntur à Dialecticis regulæ. Contra in quatuor primis modis primæ figuræ non assignantur eiusmodi regulæ, sed solum in quibusdam imperfectis, ergo quatuor illi modi primæ figuræ statui deberent pro obiecto Attributionis, vtpote ad quos reducuntur & referuntur reliqui, non minùs quam syllogismus probabilis ad Demonstrationem. *(Sequerentur omnes quatuor primos modos primæ figuræ esse obiec. Attrib. Logicæ.)*

IX. Tertiò contra vtramque sententiam est, quia statui aliquid potest multò hoc munere dignius, vt videbimus sec. sequente.

SECTIO IV.

Statuitur Obiectum Attributionis Logicæ.

I. *Definitio est obiectū principale Logicæ.*

PRima conclusio: Definitio est obiectum *principale* Logicæ. Obiectum *principale* alicuius scientiæ, vt supra dixi, est illud, quod in ea est scitu dignissimum, siue reliqua quæ in illa scientia tractantur ad illud referantur, siue non, & in hoc differt ab obiecto Attributionis. Hanc saltem conclusionem probant quæ mox afferam ad secundæ conclusionis probationem.

II. *Obiectum Attributionis Logicæ est Definitio.*

Secunda conclusio, Definitio est obiectum Attributionis Logicæ. Ratio à priori: munus Logicæ est parare instrumenta sciendi, inde enim dicitur *instrumentalis scientia, & scientiarum clauis*, quod instrumenta scilicet & claues præparet, quibus scientiæ omnes, in suâ quæque materiâ difficultates occurrentes referent, sed præcipuum sciendi instrumentum est *definitio*, ergo. Maior est certa, & ab omnibus admissa, Logicæ enim munus est intellectus operationes in aliis scientiis dirigere, vt dictum est. Minor itaque probatur: Illud est perfectissimum instrumentum sciendi, quod perfectissimè manifestat obiectum, sed *Definitio* perfectissimè manifestat obiectum, ergo. probatur Minor, illa cognitio perfectissimè manifestat obiectum, quæ naturam eius & essentiam declarat, sed *Definitio* declarat essentiam, vtpote quæ datur per partes essentiales, genus scilicet & differentiam, ergo. probatur Maior, primus namque & præcipuus cuiusque rei conceptus est essentia *(Ratio à priori est, quod Logica munus sit parare instrumenta sciendi, quorū præcipuum est Definitio.)*

sentia, ergo prima & præcipua cognitio erit essentiæ cognitio.

III. Confirmatur & explicatur magis: Logica est *scientia veritatis*, hoc est scientia per quam præmunitur intellectui via ad veritatem indagandam, ergo præcipuum scientiæ instrumentum intendit præcipuè, sed hoc instrumentum est *Definitio*, ergo. probatur Minor, Definitio obiectiua, seu essentia cuiuscumque rei particularis est prima veritas obiectiua, vt ita dicam, seu radix proprietatum omnium, quæ ab illa dimanant: Sicut Deus fons est rerum omnium, vnde Beati quo perfectiùs eum vident, plures in eo vident creaturas tamquam in causa à qua procedũt, ergo *definitio* formalis quæ ad obiectiuam repræsentandam ex natura sua ordinatur tanquam illius imago, cui veritas prima dignitate, perfectione & excellentia, & quasi origo aliarum cognitionum, cuio eundem ordinem seruet in genere cognitionis, quẽ obiectum in genere entis.

Essentia est prima radix in essendo, Definitio in cognoscendo.

IV. Dices, etiam *Diuisio* explicat naturam rei, idq́ue per partes essentiales, genus scilicet & differentiam, ergo æque erit perfectum instrumentum ac *definitio*. Contra primò, Definitio enim & Diuisio in ratione Modi sciendi fortasse non distinguuntur, de quo postea d.41.s.2. Contra secundò, si distinguantur, perfectior erit *Definitio*, modus enim cognoscendi sequitur modum essendi, eoque est perfectior, quo in repræsentando propius accedit ad eum in essendo, sed essentia partes illas vnitas habet, non diuisas, ergo cognitio quæ illas repræsentat vt vnitas, *Definitio* nimirum, quæ essentialiter est repræsentatio totius, vt totum est, perfectior erit *Diuisione* quæ eas repræsentat vt diuisas. Quæ solutio desumitur ex Aristotele secundo post. c. 14. quod est de modo inuestigandi Definitionem, vbi Diuisionem ad Definitionem reuocat, tanquam quid ab arte inuentum ad Definitionem inuestigandam.

Perfectiùs explicat naturã rei Definitio quàm Diuisio.

Arist. *Diuisionem ordinat ad Definitionem.*

V. Probatur conclusio secundò ratione opposita argumento cui tanquam fundamento inniti videtur opinio Demonstrationem præferens *Definitioni*. Primarius & essentialis conceptus *Definitionis*, non est quod sit illatiuum conclusionis, hoc enim solùm est secundarium, & veluti quiddam consequens ad essentialem eius cõceptum, ergo Logica sub alia ratione de *Definitione* tractat, quàm vt est illatiua conclusionis: Maior probatur, primarius conceptus Definitionis est vt *explicet essentiam rei*, sic enim definitur ab Aristotele primo Top. c. 4. *Definitio est oratio explicans quod quid, seu essentiam rei*, vbi explicitè & adæquatè Definitionis naturam quoad primarium eius conceptum tradit, sed hic nulla fit mentio explicita de illatione conclusionis, ergo est quid posterius, ac proinde non essentia, sed tantum proprietas Definitionis, vt risibilitas in homine.

Primarius, & secundarius conceptus Definitionis.

VI. Quæ omnia exemplis clarè declarantur: primarius conceptus corporis naturalis est vt constet materia & forma, quo non concepto non concipitur eius essentia, & hoc præcisè concepto concipitur; quicquid verò sequitur vt quòd sit productiuum proprietatum, motus, vbicationis, & similium, licet materialiter & identicè in primo conceptu includatur (eadem namque entitas est, quæ harum proprietatum est productiua, & quæ constat materia & forma) primarium tamen corporis naturalis conceptum non constituit. Idem ergo est in duobus illis conceptibus *Definitionis*.

Definitionis essentia declaratur exemplo corporis naturalis.

VII. Confir. hoc enim modo optimè intelligitur illa Philosophorum distinctio *naturam* inter & *essentiam*, *essentia* enim est conceptus rei secundùm se, seu absolutus, *natura* verò est eadem essentia vt dicens ordinem ad aliquam operationem, vnde *natura* dicitur quasi *nascitura*, quòd ex ea nascantur proprietates, sicque conceptus essentiæ ratione nostra prior est conceptu naturæ, in iis saltem rebus, quarum primus conceptus non est vt sint operatiuæ, quales sunt potentiæ, in iis enim idem est formalissime essentia & natura; tale autem non est corpus naturale, cuius primus conceptus seu essentia est esse quid compositum ex materia & forma.

Differentia inter naturam, & essentiam. Natura quasi Nascitura.

VIII. Confir. secundò: ante inuentam ab Aristotele *Demonstrationem* inuenta iam & definita à Socrate fuit *Definitio*, *Diuisio* à Platone, ergo non necessariò in primo & essentiali conceptu Definitionis inuoluitur ordo ad proprietates vel passiones, seu ad inferendam conclusionem, sic enim & Demonstrationem inuenisset Socrates, quam tamen secundum omnes non inuenit, sed Definitionem considerauit tantùm in ordine ad primarium & essentialem eius conceptum, nempe explicationem essentiæ, non in ordine ad secundarium, illationem scilicet conclusionis.

Socrates inuenit Definitionem: Plato Diuisionem: Aristoteles Demonstrationẽ.

IX. Dices illud est subiectum Attributionis alicuius scientiæ, ad quod omnia in illa scientia referuntur, sed omnia non referuntur ad Definitionem, imo Definitio refertur ad aliud, nempe ad conclusionem, ergo. Resp. concessa Maiore, distinguendo Minorem quoad secundam partem, refertur Definitio ad conclusionem tanquàm ad causam, nego Minorem, tanquam ad proprietatem, vel effectum, concedo: hoc autem tantùm abest, vt obsit rationi subiecti Attributionis vt vel maximè conferat, sic enim corpus naturale est subiectum Attributionis Physicæ, & anima Animasticæ, & tamen refertur illud ad suas proprietates, quantitatem, motum, vbicationem, hæc ad suas potentias nimirum, qui tamen ordo non obstat rationi subiecti Attributionis.

Definitio ad Conclusionem refertur tanquam ad effectum.

X. Definitionem itaque non insenè quis *centrum Logicæ* dixerit, reliqua omnia circumferentiam, vtpote quæ *Definitionem* cingunt quasi, & ad eam tanquam ad radicem referuntur. Quædam siquidẽ priùs ad eam considerantur, vt genus & differentia ad *Definitionem apprehensiuam*, hæc ad iudicatiuam &c. alia posterius, vt conclusio probabilis & demonstratiua, omnia tamen ad Definitionem tanquam ad centrum, & perfectissimam in Logica cognitionem vergunt, vt clarius constabit ex solutione argumentorum.

Definitio centrum Logicæ, reliqua sunt circumferentia.

Quomodo omnia referantur ad Definitionem.

SECTIO V.

Solutur præcipuum argumentum contra Definitionem.

I. COntra nostram sententiam statuentem Definitionem obiectum Attributionis Logicæ. Obiicit primò Hur. d. 1. Log. s. 8. subsec. 4. nu. 150. Arriaga d. 2. Log. s. 5. subsec. 3 nu. 58. & Recentiores communiter: cognitio partis ordinatur ad cognitionem totius, sed Demonstratio est totum quoddam compactum ex tribus propositionibus, duabus scilicet præmissis, inter quas altera est Definitio, & conclusione, ergo Definitio quæ est pars ordinatur ad compositionem & cognitionem Demonstrationis, ergo Demonstrationis est finis vltimus, & obiectum Attributionis Logicæ.

Obiicitur Demonstrationem esse perfectiorem Definitione.

II. Contrà primò: si enim hic respondeam, quod cũ doctis quibusdam Recentioribus postea ostendam esse verum d. 47. s. 1. & probabile esse fatetur P. Hur. d. 10. Log. s. 12. nu 84. nempe discursum nõ includere tres actus, sed in sola conclusione consistere, cum secundùm Aristotelem, & S. Thomam discursus sit *cognitio vnius veritatis per aliam, & post aliam*, de quo latius, loco citato, ruit tota vis huius argumenti; iam enim Definitio par erit imo superior singulis

Demonstratio probabiliter consistit in sola Conclusione.

gulis propositionibus in Demonstratione contentis, quæ impar fortasse fuisset vniuersis.

III. Sed quicquid de hoc sit Resp. secundò nec Demonstrationem *Propter quid* nec *Quia* ingredi *Definitionem* integram, tanquam partem illarum constitutiuam, sed solùm partem Definitionis, nempe differentiam. Sic enim in Demonstratione *propter quid* qua probatur prima passio, e. g. *omne rationale est admiratiuum, Omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est admiratiuus*, hanc Demonstrationem vt videmus (quæ tamen est perfectissima) sola ingreditur differentia, & si quis etiam genus apponeret, vt *omne animal rationale est admiratiuum*, frustra id faceret, & aliquid adiiceret otiosum planè ac superuacaneum, cum animal non sit principium formale admirationis, sed rationale tantum: sicut è contra, si quis probare vellet hominem esse sensitiuum, frustra poneret totam hominis Definitionem hoc modo, *Omne animal rationale est sensitiuum, sed omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est sensitiuus*, rationale enim non est principium formale sensationis, vnde hæc est falsa propositio in sensu formali *homo est sensibilis quia rationalis*: quare differentia in hoc syllogismo planè est superflua, sed formari deberet hoc modo. *Omne animal est sensitiuum, omnis homo est animal, ergo omnis homo est sensitiuus*. En quomodo has Demonstrationes, quæ tamen sunt perfectissimæ, nunquam ingreditur definitio, nec est pars illarum constitutiua.

Tota Definitio non ingreditur Demonstrationem vel Quia, vel Propter quid.

In hac Demonstratione superflua esset altera pars definitionis.

IV. Idem ostendi potest in Demonstratione *Quia*. In qua essentia probatur per passionem, Definitio enim nunquam statuitur in præmissis, sed tantum vel genus, vel differentia. e. g. in hac & similibus Demonstrationibus. *Omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis*, si quis vero apponat genus & dicat, *omne risibile est animal rationale*, malè arguit, vt proximè vidimus, cum risibilitas non sit effectus animalitatis formaliter, sed rationalitatis, licèt reipsa, & à parte rei, seu materialiter inter se non distinguantur.

Ostenditur totam Definitionem non ingredi Demonstrationem Quia.

V. Sed fac *Definitionem* prædictas omnes demonstrationes tanquam partem ingredi, adhuc existimo argumentum illud nullam habere vim. Pro cuius intelligentia recolendum, quod superiore sectione dixi, duas nimirum in omni definitione reperiri perfectiones, vel formalitates, virtualiter distinctas, alteram ad manifestandam essentiam, ad conclusionem inferendam alteram. Cum ergo in Demonstratione ponatur Definitio secundùm posteriorem tantùm illam rationem, quæ multò est imperfectior primâ, & passio solum definitionis, vt ostendimus, non illius essentia, Definitio extra Demonstrationem est multis gradibus perfectior seipsa vt in Demonstratione. Quare vt consideratur secundùm nobilissimum illud munus explicandi essentiam cuiusque rei, est perfectior & se, & aliis omnibus in Demonstratione contentis, cum vt in Demonstratione (in qua solùm secundùm formalitatem illam imperfectam statuitur) sit alteri præmissæ æqualis, & sæpe inferior.

Duæ in Definitione formalitates.

Definitio vt explicatiua essentiæ est perfectior seipsa, vt est illatiua conclusionis.

VI. Exemplis res vt existimo reddetur clara. Angelus consideratur ab Astrologo vt mouens Cælos, vt tamen consideratur à Metaphysico vel Theologo, perfectior multò est seipso & Cælo quod mouet, cum ab Astrologo solùm consideretur secundùm virtutem motricem, plurimæ autem in Angelo sunt perfectiones, quæ & hanc & Cælum superant, quod mouet, & quicum vnum facit complexum accidentale. Idem est de anima rationali, quæ prout consideratur ab Animastica est perfectior & se & corpore quod informat, secundùm quam solam rationem consideratur à Physica. Tandem Deus à Philosopho consideratur, vt enim reliquis causis, materiali scilicet & formali ad effectus concurrit, & vnum quasi complexum causarum cum illis constituit, & tamen vt consideratur à Theologo est, & se, & aliis causis, infinitis gradibus perfectior. Ergo hoc argumentum vniuersim non valet, est pars alicuius complexi, ergo est illo complexo formaliter imperfectior.

Res hac illustratur variis exemplis.

Pars complexi non est semper complexo illo formaliter imperfectior.

VII. Obiicit secundò P. Arriaga num. 64. sola Demonstratio propriè facit scire, ergo est finis primarius & obiectum Attributionis Logicæ. Antecedens probatur, scire enim est *rem per causam cognoscere, & quod illius sit causa*. Contra primò, ergo Demonstratio Quia seu à posteriori per effectum non facit scire, & non est Demonstratio. Contra secundò, ergo conclusio deducta ex primis principiis non faceret scire, cum tamen cognitio sic deducta omnium sit perfectissima. Contra tertiò, & præcipuè. Conclusio ex Definitione deducta tanquam ex præmissa est scientifica ergo Definitio, quæ erat inter præmissas erat scientifica, conclusio enim nunquam est certior præmissâ vel vtrâque, vel alterâ, vtpote quæ *sequitur debiliorem partem*.

Obi. scire est per causam scire, ergo sola Demonstratio facit scire.

Variè refellitur hæc obiectio.

VIII. Et hinc deducitur argumentum pro nostra sententia, cum enim Definitio quæ statuitur pro præmissa sit scientifica, vt ostensum est, & hæc præterea sit cognitio immediata, proximè accedens ad cognitionem Angelicam, est hoc etiam nomine actus excellens, sicque non tantum ex parte obiecti (essentiæ scilicet quam manifestat) sed etiam ratione modi tendendi perfectissimus. Vnde vt ait Aristoteles 1. Post, cap. 2. *melius est dispositus intelligens*, hoc est immediatè cognoscens, quam *sciens*, id est, discursum eliciens. Et licèt per Demonstrationem & actus ex discursu habitos perficiatur intellectus maximè conformiter ad hunc statum, cum tamen status ipse sit imperfectus, & defectiuus, actus omnes qui illius proprij sunt, imperfectionem etiam sapiunt, & defectum, vnde à cognitionibus immediatis, qualis est Definitio, multis gradibus in dignitate superantur.

Definitio, quæ est obiectum Attrib. Logicæ, est cognitio immediata.

Modus cognoscendi per Definitionem immediatam est perfectior quàm per Demonstrationem.

IX. Obiicit tertiò P. Arriaga n. 50. authoritatem Aristotelis qui primo *Prior.* c. 1. initio, propositum sibi ait de Demonstratione agere &, in fine *post*. ait iam se de Demonstratione egisse, ergo scopus Aristotelis in sua Logica, ac proinde obiectum Attributionis est Demonstratio. Respondetur concedendo librorum de *Prio.* & *Posteriore* subiectum Attributionis esse Demonstrationem, sicut tractatus de *vniuersali vniuersale*, de *Prædicabilibus Prædicabilia*: hoc tamen non impedit quo minùs ipsa Demonstratio ad aliud referatur, nempe ad Definitionem, quæ cognitio est in Logica omnium perfectissima, vt ostensum est.

Librorum de Priore, & Posteriore obiectum est Demonstratio.

X. Obiiciunt quartò: sola Demonstratio perficit intellectum, ergo est finis Logicæ primarius. Nego antecedens, multò enim meliùs perficitur intellectus per Definitionem, prout est explicatio essentiæ, quàm per secundarium eius conceptum inferendi passionem, vt hac, & præcedenti sectione ostensum est. Quo etiam modo soluitur quod opponunt, exhauriri scilicet obiectum per Demonstrationem dicimus enim intensiuè multò meliùs exhauriri per Definitionem.

Meliùs intensiuè perficitur intellectus per Definitionem, quàm per Demonstrationem.

XI. Obiicies quintò: Definitio non est causa conclusionis propriè, nec sola Definitio est illâ perfectior, non enim nisi coniuncta cum alia præmissa illam efficit, ergo. Distinguo Maiorem, non est causa physica conclusionis, transeat, non est causa intentionalis, hoc est determinans intentionaliter ad eius productionem, nego, hoc autem sufficit, vt in ratione modi sciendi sit conclusione perfectior, hæc proinde est passio Definitionis, non Physica sed Logica,

Definitio nō est causa Physica, sed intentionalis conclusionis.

ſeu in eſſe intentionali ab illa profluens.

XII. Ad id quod additur, Definitionem non cauſare concluſionem, niſi coniunctam cum alia præmiſſa, dico habere aliunde nos, vt diximus, Definitionem eſſe perfectiorem concluſione nempe ex ordine eſſentiali ad obiectum perfectius, & ex immediato modo tendendi, & connectendi extrema inter ſe: vnde dicit Ariſtoteles primò poſt. c. 2. vt ſupra notaui, *melius eſt diſpoſitus intelligens quam ſciens*, vbi per ſcientem denotat elicientem diſcurſum, per intelligentem vero illum, qui iudicium aliquod elicit, immediatè ſcilicet connectendo extrema inter ſe, & non ob medium prius cognitum. Quare prima principia, quæ axiomata vocantur & dignitates, dicuntur à Philoſophis intellectus, quia immediate ex vi intellectus, ſine diſcurſu illis aſſentimur.

Definitio eſt perfectior concluſione.

Melius eſt diſpoſitus intelligens quam ſciens.

Cur prima principia dicantur intellectus.

SECTIO VI.

Soluuntur alia quædam argumenta contra noſtram ſententiam de Definitione.

I. Hanc à me olim traditam ſententiam de Definitione, Recentiores aliqui variis poſteà impugnarunt argumentis, prima certè facie difficilibus, at dum ea propiùs exploro, non earum mihi vitium videntur, vt Definitionem propterea loco mouendam, nedum de gradu deiiciendam cenſeam.

II. Obiicitur ergo ſextò: Definitio non vtcunque eſt obiectum Logicæ, ſed Definitio demonſtrata; ergo Demonſtratio eſt ſubiectum Attributionis Logicæ. Contrà. Demonſtratio non vtcunque eſt obiectum Logicæ, ſed Demonſtratio definita, nam ſine Definitione non cognoſcitur eius eſſentia, ergo Definitio eſt ſubiectum Logicæ. Mutuò ergo quoad hoc ſe iuuant Definitio & Demonſtratio, ſicut ſcientiæ vt ſupra diximus; Definitio tamen quæ eſt præmiſſa, eſt immediata, non per medium demonſtratiuum habita, imò tota Demonſtratio tandem ad Definitionem ordinatur, vt ſcilicet per demonſtrationem paſſionum natura clariùs innoteſcat.

Mutuò iuuant ſe definitio & Demonſtratio. Demõſtratio ordinatur ad definitionem.

III. Obiicitur ſeptimò: non poteſt idem per ſe ab arte aliqua vel ſcientia conſiderari, & in ordine ad aliud; ergo nec definitio in ordine ad ſe, & demonſtrationem. Diſtinguo antecedens, ſi illud non ſit expetibile per ſe, ſed ſolùm in ordine ad aliud, concedo antecedens, ſi ſimul ſit expetibile per ſe, & in ordine ad aliud, nego: ſic elementa conſiderantur à philoſophia, & per ſe, & in ordine ad mixta, quorum ſunt principia: ſic varia vnguenta ob odorem & pretium quod in ſe habent, per ſe conſiderantur ab vnguentariâ, & etiam vt materia apta ad alia vnguenta componenda. Si tamen ſit res planè incompleta & imperfecta, qualis eſt materia prima vel modus aliquis imperfectus, eſt magis probabile non eſſe conſiderabile per ſe, ſed ſolùm in ordine ad aliud: at definitio eſt per ſe capabilis, & conſiderabilis ob perfectum artificium quod in ſe habet, & etiam ſecundariò in ordine ad aliud, nempe demonſtrationem, ſeu concluſionem vt illius cauſa.

Poteſt quid ab aliqua ſcientia conſiderari, & per ſe, & in ordine ad aliud.

Quædam conſiderabilia tantũ ſunt in ordine ad aliud.

IV. Obiicitur octauò: Logicæ munus eſt reddere nos diſputatores, ſeu docere formam ſyllogiſticam, ſed hoc non præſtat per ſolam definitionem, ergo definitio non eſt ſubiectum Attributionis: probatur Minor, poſſumus ſiquidem definitionem ſeu modum definiendi cognoſcere, & non cognoſcere modum argumentandi. Reſpondetur primò, diſtinguendo Maiorem, eſt munus Logicæ reddere nos diſputatores primariò, nego Maiorem, ſecundariò concedo, cum enim Logica ſit ſcientia inſtrumentaria (qua de cauſa Ariſtotelis Logica ὄργανον dicitur) id ſpectabit præcipuè, quod eſt præcipuum ſciendi inſtrumentum, ſed hoc eſt definitio vt oſtenſum eſt, ergo præcipuum Logicæ munus eſt reddere nos definitores, non diſputatores, ſeu explicatores eſſentiæ non paſſionis. Secundò Reſp. conceſſa Maiore negando Minorem, ad probationem diſtinguo antecedens, ſi cognoſcatur definitio adæquatè, & perfectè nego antecedens, ſi inadæquatè ſolùm & imperfectè, concedo.

Obiĳ eſſe munus Logicæ reddere nos diſputatores.

Reſp. primarium Logicæ munus eſſe reddere nos Definitores ſeu cognitores eſſentiæ.

Cognitâ perfectè definitione cognoſcitur, ars ſyllogiſtica.

V. Obij. nonò: Non ſiſtit quis habitâ cognitione definitionis, ſed vlterius tendit ad concluſionem, ergo concluſio ſeu demonſtratio eſt vltimum quod intenditur. Reſp. diſtinguendo conſequens, eſt vltimum ordine, concedo conſequentiam, eſt vltimum dignitate, nego. Sicut natura, productâ eſſentiâ, non ſiſtit ſed per illam intendit paſſiones, nullus tamen, opinor, dicet, eſſentiam à natura ſecundariò tantùm intendi, paſſiones primariò.

Concluſio eſt vltimũ ordine, defunctio dignitate.

VI. Obij. decimò: Hic actus eſt perfectior definitione, *homo eſt riſibilis, quia eſt animal rationale*, ergo erit obiectum attributionis Logicæ. Contra, perfectior adhuc illo eſt *hic actus, homo eſt riſibilis & admiratiuus quia eſt animal rationale*, ergo erit obiectum attributionis. Dico ergo, ex parte materiæ eſt perfectior, non formæ. Nec video quo pacto hic actus ſpectet, ad Logicam, nam nõn vt concluſio, ſic enim eſſet vitioſus, cum medium concluſionem ingredi non debeat, nec vt definitio, quia non conſtat ſolo genere & differentiâ.

VII. Si vero quis dicat ſpectare hunc actum ad Logicam, tanquam actum conſequentem præmiſſas & concluſionem, & repræſentantem totum obiectum illarum ſimul, vt poſtquam quis elicuit hos actus, *Omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale; ergo omnis homo eſt riſibilis* poſtea hunc eliciat, *omnis homo eſt riſibilis quia eſt animal rationale*: dico hunc actum non ſpectare ad Logicam, quæ non dat regulas vltra concluſionem, vel inquiro qua parte Logicæ tradantur iſtæ regulæ? Nec ſolemus hunc actum elicere, niſi quis actu reflectendo, animi gratia id præſtare velit.

Logica non tradit regulas vltra concluſionem.

VIII. Obij. vndecimò: Definitio inueniri in prima Apprehenſione poteſt, ergo non eſt ſubiectum Attributionis Logicæ: patet antecedens, *animal rationale* eſt definitio hominis, ſed hoc concipi poteſt per ſimplicem apprehenſionem, ergo. Ad hoc tamen dico, definitionem propriè non conſiſtere, niſi in iudicio, cum ſimplex apprehenſio non faciat ſcire, nec enim ex eo quod quis apprehendat ſtellas eſſe pares, quidquam hac de re nouit, vt latius oſtendam infra d. 43 ſec. primâ.

Sola definitio indicatiua eſt perfecta definitio.

IX. Maneat igitur, Definitionem naturæ indagatricem, primum ſciendi inſtrumentum, primum Logicæ obiectum eſſe, ſcopumque ad quem in omni ſui parte præcipuè collimet. Clauis hæc regiæ, intima naturæ adyta reſerans, reliquæ dialecticæ claues, inferiora, inquam, obiecta (ſuo tamen cuique honore ſaluo, ac dignitate) primas deferant.

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De Obiecto formali Logicæ.

Quod artes factiuæ faciunt exterius, actiuæ faciunt interius.

Obiectum formale quoad præsens est illud, quod Logica in actus intellectus tanquam formam inducit; quod enim *factiuæ* artes, seu opus aliquod externum producentes faciunt exterius hoc *actiuæ* operantur interius. Hæc ergo forma, quam Logica in actus introducit, quænam sit inquirimus.

SECTIO PRIMA.

Num id quod in actibus considerat Logica sit eorum rectitudo, an veritas.

I. *Veritas est conformitas cum obiecto, Rectitudo cum regulis artis.*

IN intellectus actibus duo reperiuntur, *rectitudo* & *veritas*, hæc cum obiectis, cum artis illa præscripto & regulis est conformitas. Harum vtraque subinde in eodem actu reperitur, vt *Homo est animal rationale*, aliquando neutra, *vt equus est rugibile animal*, quæ propositio & veritate caret, & artificio, cum genus præcedere differentiam debeat, idque non in voce solùm, sed in mente seu in esse, vt aiunt, repræsentatiuo: manifesta enim experientia constat alio modo intellectum ab vno actu affici, quàm ab alio: vnde actus illi quibus genus ante, vel post differentiam in definitione repræsentatur, essentialiter differunt. Nonnunquam veritas ab artificio disiungitur, vt in illa Platonis hominis definitione, *homo est animal implume bipes*: artificium interdum à veritate, vt in hoc syllogismo, *Omnis lupus est leo, Bucephalus est lupus, ergo Bucephalus est leo*. Hic forma syllogistica recta est, actus tamen omnes, vt constat, falsi.

Veritas, & rectitudo coniunguntur aliquando, aliquando separantur.

II. *Quidam tenent Logicam artificium tantùm in actibus spectare, non veritatem.*

Nonnulli artificium actuum ad Logicam ita spectare asserunt, vt nullam veritatis eorundem habere eam rationem existiment, sicque vt ad artis præscriptum & normam exigatur actus, & artificiosus prodeat, Dialecticæ munus esse, quàm verus sit Logicæ nihil interesse dictitant. At sanè cum omnium suffragio Logica veritatis scientia sit, nullam ei veritatis curam esse, nec naturæ eius nec dignitati videtur consentaneum.

III. *Logica in actibus præcipuè spectat rectitudinem.*

Prima conclusio: prima Logicæ cura est, vt rectitudinem artificiosam in actus inducat. Probatur, pleræque enim eius regulæ huc spectant, veritatis verò mentionem nullam faciunt. Sic propositionem, ex subiecto, prædicato, & copula constare debere, Definitionem ex genere componi & differentia, iisque immediatis, hæc inquam & huiusmodi alia Dialecticæ dogmata rectitudinem sonant, non veritatem. Vnde Aristoteles syllogismos suos confecit in literis, *Omne A, est B, sed omne C est A ergo omne C est B.*

Arist. suos syllogismos confecit literis.

IV. *Non rectitudinem tantùm spectat Logica, sed etiam veritatem.*

Secunda conclusio, non tamen vnica est Logicæ cura artificium hoc in actus inducere, sed veritatem etiam in iis intendit. Hoc manifestè ostendere videntur variæ à Logica assignatæ regulæ, vt nimirum definitio explicet cuiusque rei naturam per genus proprium, & differentiam propriam, quod ni fiat, actus est falsus. Quòd Demonstratio constare debeat ex veris, primis, &c. quòd ex vero non nisi verum sequatur, seu quòd ex veris præmissis, falsa nunquam deduci possit conclusio, sicut nec ex falsis, quà falsis vera. Hæ regulæ primò & per se ad veritatem tendere videntur, ergo Logicæ finis non est artificium tantùm in actibus, sed vt veritatem etiam in eosdem inducat.

V. Dixi rectitudinem primam esse Logicæ curam, veritatem tantùm secundariam: quod exinde probatur, multò enim plures de artificio hoc & rectitudine tradit regulas, quam de veritate, modum enim hoc artificium conficiendi sola tradit Logica, veritatem vero in actus inducendi ratio communis ei est cum aliis scientiis, imò ad illas primariò pertinet, vnde de veritate parcè agit, in rectitudine inducenda se penè totam impendit.

Artificium actuum ad solam Logicam, veritas ad alias etiam scientias pertinet.

VI. Obij. Aristoteles syllogismos frequenter confecit in literis, vt *omne A, est B, sed omne C, est A, ergo omne C, est B*: sed hic nulla est veritas, ergo solùm spectauit artificium Aristoteles, non veritatem. Distinguo consequens, in his syllogismis, concedo consequentiam, in aliis regulis ab eo traditis quas supra retulimus, nego. Deinde propositiones in syllogismis quæ ex literis conficiuntur quamuis re ipsa veræ non sint, admittuntur tamen tanquam veræ, alioquin argumentatio illa nihil concluderet.

Arist. varias regulas tradidit de veritate in actus inducenda.

VII. Veritatem verò generatim tantùm considerat dialectica, debere scilicet definitionem, vt actus verus sit, per proprium genus tradi & differentiam propriam, quodnam autem genus sit proprium in singulis materiis, ad particulares scientias spectat disquirere, sicut & ad Logicam in sua. Qui ergo leonem definiens diceret, *leo est animal hinnibile*, non minùs contra Logicam peccaret, quàm contra Physicam, erraret enim contra regulam à Logica præscriptam, definitionem scilicet ex genere proprio constare debere, & propria differentia.

Hæc leonis definitio, leo est animal hinnibile, peccat contra Logicam.

VIII. Dum autem dicimus Logicam veritatem in actus intellectus inducere, notandum id quod supra, dum de simplici apprehensione diximus de inductione rectitudinis, seu artificij (eadem enim quoad hoc vtriusque est ratio) notandum inquam, non ita hoc intelligi debere quasi actus pro aliquo priori indifferens foret, vt verus sit vel falsus, hoc enim fieri nequit, sed sensus est, cum infiniti prope sint actus, seu definitiones falsæ leonis e.g. vt *leo est animal hinnibile, latrabile* &c. & vna tantùm vera, nempe *leo est animal rugibile*, intellectus ex hac regula Logicæ *definitio constare debet ex genere & differentia propria* determinatus ad definitionem veram inter mille falsas seligendam, & aliis omnibus relictis ad hunc solum actum eliciendum, quod sine directione Logicæ, vel non omnino faceret, vel saltem non faceret tam expeditè.

Quomodo ad veritatem in actibus indicendam dirigat Logica.

IX. Qua in re clara cernitur differentia inter artes factiuas & actiuas: Factiuæ enim, seu opus externum exercentes, materiam aliquam vt plurimùm supponunt, in quam formam, seu artificium suum inducant: statuaria enim marmor supponit, pictura colores, fabrilis lignum, vel ferrum, ex quo mensam, cathedram, ensem, horologium conficiat: vnde & errores, si qui forte in his operibus contingant, nouis lineamentis & tractibus, nouaque materiæ dispositione corrigere possunt, & paulatim perpoliendo ex vitiosis reddere integra. Imo in eandem subinde materiam diuersas successiue inducere formas possunt: sic enim cera eadem nunc in leonis effigiem formatur, postea simiæ, felis, elephantis, & aliorum ad arbitrium artificis. Secus res se habet in artibus actiuis, seu ad intra operantibus, hic enim nulla supponitur materia, ex qua actus seu imagines intentionales formentur, sed idem in his est esse, & artifi-

Artes externa materiam supponunt, in quam formam inducant, nõ interna.

In actibus internis idẽ est esse, & artificiosũ esse.

artificiosum aut verum esse: sin verò vitiosus sit actus, non alio modo corrigitur, quàm hunc relinquendo, & alium integrum ex directione Logicæ ei sufficiendo. Quod semel plenè explicuisse expedit.

X. *Obiectum formale Logicæ est dirigibilitas obiectiua actuũ.*

Hinc infertur obiectum formale Logicæ, non malè statui posse dirigibilitatem actuum obiectiuam, seu rectitudinem vi in actus inducibilem, sub nomine rectitudinis includendo etiam veritatem, vel quod hæc nomine rectitudinis non incongruè significetur, vel quod tanquam minùs principale, & secundariò tantùm à Logica intenta, ad rectitudinem facilè reducatur.

SECTIO II.

Num artificium istud, quod in actus inducit Logica intrinsecum iis sit, an extrinsecum?

I. *Actibus illi, qui per artem habentur, haberi potuissent sine arte.*

NOtandum primò quòd actus aliquis procedat ab arte, & hoc sensu sit artificiosus, denominationem esse extrinsecam, cum idem actus numero haberi sine arte possit: artes enim vsu addiscuntur & experientiâ, ad quorum proinde adeptionem actus naturales eiusdem rationis præcedere debent, quos intellectus imitando si rectè fiant, corrigendo si malè, artem & præcepta condit. Vnde Logica naturalis prior fuit artificiali: vocantur vero actus naturales artificiosi, non quòd proueniant ab arte, sed quòd ita affabrè fiant à natura, vt videantur ex arte processisse.

Logica naturalis prior fuit Logicâ artificiali.

II. *Probatur ex S. Augustino quærente, an Philomela sit vocanda musica.*

Probatur hoc ex S. Augustino l. 1. de Musica initio, vbi quærit vtrum philomela sit vocanda musica, quippe quæ variis & artificiosis tractibus ita vocem inflectit, vt ipsa etiam ars obstupescat? Respondet nõ esse censendam musicam, quia quicquid facit ex natura facit, non per regulas artis, cuius capax non est: homo tamen qui eam imitaretur, & vocem per præcepta doceretur eo modo inflectere, diceretur Musicus, quia idipsum quod illa naturâ, hic arte faceret. Ars tamen plurimùm confert ad res illas & actus efficiendos, qui sine arte haberi possunt, vt nimirum certius habeantur, & sine errore, ac proinde dicitur *tradere certas quasdam, & errare in facienda non patientes vias.*

Ars certas tradit, & errare non patientes vias.

III. *Duplex in actibus intellectus rectitudo.*

Notandum secundò, quod sec. præcedente latiùs explicatum est, duplicem esse in actibus intellectus rectitudinem, alteram respectu obiectorum, respectu artis alteram. Rectitudo actuum respectu obiectorum est vt repræsentent obiecta prout sunt, seu vt sint conformes in repræsentando obiectis in essendo, & hanc rectitudinem habent per alias scientias, quatenus scilicet naturas obiectorum explicant. Rectitudo respectu artis est, quæ sumitur in ordine ad regulas Logicas, & vocatur artificium: ars quippe regulas tradit, ad quas tanquam ad normas exigi actus debent, vt artificiosè fiant. His positis

IV. *Rectitudo actus Logici, excepto syllogismo, est actui intrinseca.*

Dico primò, artificium seu rectitudo in quouis actu Logico, distincto à syllogismo, est actui intrinseca. Probatur primò, artificium illud aliud nihil est, quàm ipsa entitas actus, sed nihil est magis intrinsecum actui, quàm sua ipsius entitas, ergo hoc artificium est actui intrinsecum; Ma: probatur, repræsentatio naturalis conceptuum est aliquid ipsis intrinsecum, sunt enim actus imagines & similitudines obiectorum, sed artificium, & rectitudo actuum est solùm talis vel talis similitudo, seu repræsentatio, ergo est actibus intrinseca. Et ex hoc conuincitur hoc artificium non esse modum aliquem actibus superadditum, nam sicut actus vt sic, per suas entitates sunt imagines seu repræsentationes vt sic, ita tales actus, tales imagines, vel repræsentationes.

V. *Aliud est actum esse rectum, aliud esse directum. Directio duplex: actiua, & passiua.*

Id tamen ad modum loquendi obseruandum, aliud esse actum esse *rectum*, aliud esse *directum*: esse *rectum*, ipsam actus entitatem importat, qui est rectus, esse vero *directum*, innuit procedere à præceptis artis, & ab iis dirigi, quod vt dixi, quid actibus est extrinsecum, licet non omne id quod ab arte prouenit, sit actui extrinsecum, nam totus actus ab illa procedit, dum eius directione producitur. Vnde licet esse prædicatum & subiectum, vel definitionem obiectiuam, sit obiecto extrinsecum, hæc tamen repræsentate est actui intrinsecum, & ipsa illius entitas. Directio vero ista est duplex, actiua & passiua: directio actiua sunt regulæ ipsæ, seu actus dirigentes, procedentes ab habitu Logicæ docentis, passiua vero sunt actus particulares à præcedentibus directi. Communis etiam loquendi modus obtinuit vt dicantur dirigi actus, propius tamen ille ad veritatem accederet, qui diceret, dirigi potius intellectum, vel hominem ad actus eliciendos, quàm ipsos actus dirigi.

Rectiùs dicitur intellectus dirigi, quam actus.

VI. *In argumentatione artificium est partim intrinsecũ, partim extrinsecum.*

Dico secundò, in argumentatione, seu discursu latè sumpto artificium est partim intrinsecum, ipsa scilicet entitas actuum, partim extrinsecum, illa videlicet coniunctio, quæ est denominatio extrinseca, proueniens ab illis propositionibus coniunctis: sicut columna dextra dicitur vel sinistra per denominationem extrinsecam, quod scilicet iuxta hominem à dextris collocetur vel sinistris. Prouenit ergo efficienter & directiuè illa dispositio ab intellectu, dirigente Logicâ, vel docente propositiones certo debere ordine collocari, formaliter verò id habent à se mutuo.

VII. *Quid in argumentatione sit intrinsecũ, quid extrinsecum.*

Probatur conclusio: ad syllogismum in *Barbara* e.g. conficiendum, tres requiruntur propositiones vniuersales affirmatiuæ inter se coniunctæ, ex quibus illa argumentatio conficitur: quòd ergo propositiones sint vniuersales, est quid ipsis intrinsecum, ipsa nimirum cuiusque entitas, quòd coniungantur, extrinsecum. Quòd verò hæc coniunctio requiratur patet, nam hæc propositio *omnis homo est animal*, e.g. sola prolata vel concepta non est maior, nisi coniungatur, vel coniuncta concipiatur cum alia propositione, sicque repræsentet vnionem cum medio illius extremi, quod in conclusione futurum est prædicatum, de quo postea. Confir. *Maior*, (idem est de *Minore*) ex conceptu suo intrinseco est concausa, concausa autem in actu primo essentialiter dicit coniunctionem cum alia concausa, vt duæ candelæ v. g. vt producant lucem vt sex in tota schola, quam neutra separatim sumpta potuisset producere, debent in eadem schola collocari, & intrinsecè coniungi vt fiant concausa. Idem ergo est de præmissis, quæ sunt quasi duæ faces intellectuales, in ordine ad lucem internam, seu conclusionem in intellectu producendam.

Maior est concausa, concausa autem semper dicit aliquid sibi extrinsecũ.

VIII. *Maior & Minor, etiã in actu primo, dicit aliquid extrinsecũ.*

Dices, si loquamur de hoc, quod est esse *Maiorem* vel *Minorem* in actu secundo, verum id esse quod asserimus, non tamen de *Maiore*, vel *Minore* in actu primo, hoc enim est sola entitas actuum. Resp. distinguendo antecedens, esse maiorem vel minorem in actu primo remotè, & incompletè, est sola entitas actuum, concedo antecedens, proximè & completè, nego; licet enim per entitatem suam habeant actus quod possint esse *Maiores* vel *Minores*, non tamen actu sunt nisi vniantur, quæ vnio, cum nil sit ipsis intrinsecum, est quid aliunde adueniens, & actui qui *Maior* aut *Minor* est, extrinsecum: sicut ignis non intelligitur proximè & completè potens comburere, nisi concipiatur coniunctus cum causa prima, & aliis concausis; esse verò *Maiorem* aut *Mino-*

rem

rem in actu secundo, est actu causare conclusionem.

IX. *Causa intrinseca, & extrinseca diuersimodè sunt causæ in actu secundo.*

Dices materia vnita formæ, est causa in actu secundo; ergo & præmissa vnita alteri erit præmissa in actu secundo. Nego consequentiam, quia est præmissa in actu secundo in ordine tantùm ad conclusionem eliciendam, ac proinde non erit in actu secundo talis, nisi actu eliciat conclusionem, sicut causa in actu secundo in genere causæ efficientis non est talis, nisi dum actu operatur. Diuersa ratio est de causis intrinsecis, in quibus idem est se vniri est effectum causare, seu constituere.

X. *Cõplementũ virtutis duplex: vt quo, & vt quod*

Dices secundò, propositio omnis *Maior* est vel *Minor* per suam entitatem intrinsecam, & virtutem inferendi conclusionem, sed coniunctio extrinseca nõ est hæc virtus, nec illam auget, ergo. Ad responsionem nota duplex esse complementum virtutis causæ alicuius, *vt quo*, & *vt quod*: complementum *vt quod*, est illud quod coniunctum cum altera concausa, ita illam perficit, vt simul cum ea influat, sic *Maiorem* perficit *Minor*, dum vtraque simul coniungitur vt influat in conclusionem: nec tamen hæ propositiones seorsum conceptæ sunt *Maior* vel *Minor*, sed coniunctæ, ac proinde illa coniunctio perficit illas *vt quo*, estque non virtus aliqua superaddita, quæ simul influat, sed id medio quo tanquam vnione communicatur complementum *quod* seu vna præmissa iungitur alteri.

XI. *Quid sit propositionem esse Maiorem, aut Minorem.*

Quæres ergo, quid tandem sit esse *Maiorem* vel *Minorem*? Primò, non est poni primo vel secundo loco, quod communius quam verius à multis dici animaduerto, nam si in prima figura inuertat quis præmissas & faciat figuram Galeni, eadem sequetur conclusio, vt in his exemplis constat: *Omne animal est sensibile. aliquis homo est animal; ergo aliquis homo est sensibilis*: qui syllogismus est in Darij. Galenus hoc modo propositiones inuertit, *Aliquis homo est animal, Omne Animal est sensibile, ergo aliquis homo est sensibilis.* En eadem conclusio in vtroque infertur: quæ propterea non est posita ab Aristotele pro figura distincta, vt diximus in introductione. d. 7. s. 3.

Non est poni primo, vel secundo Loco.

XII. *Neque est prædicari de medio termino, aut illi subiici.*

Secundò non placet quod dicunt Conimb. cap. 7. q. 1. a. 2. § *Aristotelica tamen*, nempe esse *Minorem* illam, cuius alterum extremum, prædicatur de medio termino, *Minorem*, cuius extremum illi subiicitur; prædicari enim inquiunt dignitatem sonat, subiici inferioritatem. Nunquam placet, nam secundùm hanc sententiam in secunda & tertia figura non esset *Maior* vel *Minor*, cum in secunda figura vtriusque propositionis extremum subiiciatur medio termino, in tertia de eodem prædicetur.

XIII. *Non est propositionem esse vniuersalem, aut particularem.*

Tertio ait P. Hur. d. 10. Logicæ s. 11. §. 72. esse *Maiorem* vel *Minorem* desumi à quantitate propositionum, vt illa sit *Maior*, quæ est vniuersalis; *Minor* quæ particularis. Sed contra, nam secundum hunc modum philosophandi ægrè *Maior* inueniri vel *Minor* posset in *Barbara, Celarent*, & aliis huiusmodi, vbi vtraque præmissa est vniuersalis, nec in syllogismo expositorio, vbi vtraque est singularis.

XIV. *Vera explicatio Maioris, & Minoris.*

Existimo ergo esse *Maiorem* in hoc consistere, vt repræsentet vnionem cũ medio illius extremi, quod in conclusione debet esse prædicatum, minor vero est, quæ repræsentat vnionem cum medio illius extremi, quod esse debet in conclusione subiectum. Hoc autem maxima ex parte est quid intrinsecum, nam propositio quæ semel habet hanc vim, semper eam habet; vnde quæ semel est *Maior* respectu vnius conclusionis, semper est talis respectu illius, quod autem possit esse *Minor* cum alia præmissa respectu alterius conclusionis, nihil obstat, sicut sol cum equo generat equum, cum ceruo ceruum, &c. & quis per eandem quantitatem est maior vno, minor altero, vt terra maior luna, minor sole, leo maior lepore, minor elephante. Esse ergo *Maiorem* vel *Minorem* remotè respectu talis conclusionis est quid propositioni adæquatè intrinsecum, esse *Maiorem* vel *Minorem* proximè, est quid partim extrinsecum. Tandem esse *Maiorem* vel *Minorem* in actu secundo, seu causare conclusionem est denominatio inadæquatè extrinseca; sicut agere in omni causa transeunte.

Esse Maiorem & Minorem remote, & proxime, in actu primo, & secũdo.

XV. *In quo cõsistat artificium syllogisticum, vt à Logica consideratur.*

Artificium ergo syllogisticum, seu ars syllogistica obiectiua, quam Logica habet pro obiecto, sunt tales propositiones vnitæ, non vnio sola, nec solæ propositiones sed vtræque simul, propositiones scilicet affirmatiuæ vel negatiuæ, vniuersales vel particulares, tali modo & ordine coaptatæ, quod ex eo magis patet, quia variata entitate propositionum, variatur forma, seu figura syllogismi, vt constat si propositio de vniuersali fiat particularis, aut de affirmatiua negatiua. Sicut ergo forma domus, vel horologij entitatiuè nihil aliud est, quàm formæ omnium partium vnitæ, ita & in syllogismo. Quando autem dixi artificium syllogisticum esse quid propositionibus extrinsecum, intelligendum est de singulis sigillatim sumptis: syllogismus enim aliud nihil est, neque extrinsecum neque intrinsecum, præter tres illas propositiones in mente simul existentes.

SECTIO III.

Quid sit Logica Docens, quid vtens.

I.

Confusionis plurimum habet hæc quæstio, vtilitatis parum, quam proinde miror à nonnullis tam operose, ac fusè disputari. Ego quid hac in re sentiant Authores, paucis perstringam, vt, quid demum à nobis tenendum sit aperiam.

II. *Logica cõiuncta, & auulsa.*

Prima eorum sententia est, qui *Vtentem* Logicam esse aiunt, vt docetur simul cum aliis scientiis, quam proinde *coniunctam* vocant: hoc enim in more erat apud antiquos quosdam Philosophos, quos hoc nomine reprehendit Aristoteles 2 Metaph. c. 3. *absurdum esse asserens & scientiam simul tradere, & sciendi modum*, vbi per *modum sciendi* Logicam intelligit. Zeno vero, Aristoteles, Chrysippus, & alij vt est apud Laërtium l. 7. de vitis Philosophorum, tradebant Logicam separatim ab aliis scientiis, quam hi Authores *Docentem* & *Auulsam* vocant. Sed hæc distinctio in præsenti non sufficit, cùm authores *Auulsam* adhuc in *Docentem* diuidant & *Vtentem*.

III.

Secundò Peculiaris est hac in re Sotus, qui *Docentem* Logicam videtur quasi speculatiuam statuere, & esse quandam cognitionem quâ scimus naturam modi sciendi, vt autem hâc eâdem scientiâ iuuamur ad modum sciendi efformandum, esse Logicam *Vtentem*, & practicam. Sed non rectè nisi vlteriùs declaretur, scientia enim omnis de natura rei factibilis vt factibilis, est practica, cum ad illius effectionem dirigat. Ab hoc dicendi modo non multum fortasse discrepant Recentiores quidam, dum aiunt Logicam esse *Docentem* in quantùm tradit præceptum in actu primo, esse vero *Vtentem* in quantùm in actu secundo ad actum aliquem artificiose formandum dirigit. Qui explicandi modus mihi non videtur improbabilis.

Docens non est Logica speculatiua, nec vtens practica.

IV. *Logica Docẽs & Vtens non sunt pars Topica, & Analytica.*

Tertia sententia est Scoti, q. 1. Log. Fonsecæ, 2. Metaph. c. 3. q. 5. s. 6. & aliorum, qui partem topicam *Vtentem* esse asserunt, Analyticam *Docentem*. At sanè, si ideo Topica vocetur *Vtens*, quia generales tradit regulas, quibus aliæ scientiæ vtuntur, non est cur Analytica non sit similiter *Vtens*, cum multæ inibi tradantur generales regulæ ad scientias addiscendas inprimis vtiles, vt in libris Priorum ars syllogistica, in libris Posteriorum Demonstratio &c.

V. *Logica Vtens non est habitus quidam à Logica Docente, & aliis scientiis distinctus.*

Quarta sententia quorundam est asserentium Logicam *Vtentem* habitum esse quendam realiter & à Logica *Docente*, & aliis scientiis distinctum. Sed hoc sine fundamento asseritur, nam vel ille habitus est repræsentatiuus alicuius obiecti, vel non: non secundum, cum enim generetur ab actu intellectus repræsentatiuo obiecti, inclinare ad similes actus debet, hæc enim est natura habitus. Nec primum, nam vel est repræsentatiuus obiectorum omnium scientiarum, vel saltem alicuius scientiæ particularis, tunc verò superfluæ erunt vel omnes, vel illa saltem peculiaris scientia, cuius obiectum repræsentat, præsertim cum posita notitia de modo faciendi definitionem, diuisionem &c. & cognitione obiecti, nulla specialis appareat difficultas in exercitio, ad quam tollendam peculiaris assignari debeat habitus.

VI. *Vera explicatio Logicæ Docentis, & Vtentis.*

Prima conclusio, Logica *Docens*, est illa quæ regulas tradit rectè definiendi, diuidendi, & argumentandi; *Vtens* verò est vsus & applicatio harum regularum in quacunque materia cuiuscunque scientiæ, sicque rectiùs fortasse vocaretur *vsurpata* passiuè, quam actiuè *Vtens*: ita Vasquez prima p. d 8. c. 5. num. 19 & communis videtur acceptio. Probatur quoad priorem partem, quia sicut in omni arte seu scientia practica præscribitur certa quædam ratio, & præcepta operis faciendi, ita & in Logica, quæ suum etiam opus docere debet, & operationes intellectus rectè ad finem ab arte præscriptum dirigere.

VII.

Quoad secundam etiam partem probatur. Regulæ enim sunt propter vsum, ergo præter præcepta & regulas dari debet exercitium, seu effectio rei, conformiter ad præcepta: hoc autem in scientiis realibus fit, dum operationes intellectus ad regulas Logicæ exiguntur, vt artificiosè procedant. Vocantur igitur Logica *Vtens* aliæ scientiæ, quasi *Vtentes* Logicâ, qua forte de causa vocauit S. Augustinus Diuum Paulum *Dialecticum*, quia scilicet vtitur Dialectica. Quod si cum P. Arriaga d. 3. Log s. 1. num. 2. dicere malis non alias scientias, sed solam Logicam dum in sua materia discurrit dici Logicam *Vtentem*, non abnuo, rem tenens, loquatur quisque vt lubet.

Qua de causa S. Augustinus S. Paulum vocauerit Dialecticum.

VIII. *Quod sit Logica Docēs in actu primo, & in actu secundo.*

Id verò hic notandum, Logicam Docentem (de artificiali loquor, quod tamen etiam de naturali verum est) duplicem esse, nempe *in actu primo & in actu secundo*; in actu primo est habitus regulæ alicuius vel præcepti Logicæ, quo promptus in actu primo redditur intellectus ad se in scientiis aliis per eius modi regulam dirigendum: at in actu secundo est actus ille ab habitu elicitus, quo tanquam regula hic & nunc dirigimur ad actus scientiarum eliciendos. Exempli gratia habet quis habitum huius veritatis, *definitio constare debet genere & differentia:* per hunc habitum non dirigitur immediatè intellectus ad definitionem conficiendam in quacunque scientia, nam hunc habitum retinemus dormientes, & alia omnia cogitantes: dirigimur autem immediatè per actum ab illo habitu elicitum, qui actus est Logica *Docens in actu secundo*, seu regula actualis, quæ actu nos dirigit, & ostendit quo pacto conficienda sit definitio.

IX. *Logica Vtēs in propria etiam Logicæ materia reperitur. Idem numero actus simul esse potest Logica Docēs, & Vtens.*

Notandum secundò Logicam Vtentem in propria Logicæ materia reperiri, vt si quis ex hac regula Logicæ. *Omnis definitio constare debet ex genere & differentia:* eliciat hanc definitionem in particulari. *Diuisio est oratio distribuens rem in suas partes.* Primus actus est Logica *Docens*, secundus *Vtens*. Imo idem omnino actus & Logica *Docens* simul esse potest, & Vtens, vt in propositione allata, *Diuisio est oratio distribuens rem in suas partes*, vt est definitio est *Vtens*, quia procedit ex regula de definitione conficienda, vt tradens præcepta de Diuisione est *Docens*.

X. *Logica Docēs & Vtēs realiter inter se vt plurimū distinguuntur.*

Secunda conclusio: Logica *Vtens* & *Docens* inter se realiter vt plurimùm, semper formaliter distinguuntur. Probatur, actus *Docentis* est regula quæ ad actum aliquem rectè & artificiosè faciendum præscribitur, *Vtens* sunt ipsi actus à præcedente regula directi, regula autem & regulatum distinguuntur, ergo.

XI. *Præter Logicā Docentem alius habitus ad artificiosē Logicam faciendam nō requiritur.*

Nec præter Logicam Docentem requiritur alius habitus Logicæ, qui simul cum habitu physicæ & aliarum scientiarum concurrat ad facilitatem formæ definitionis, Diuisionis &c. in actibus, fictitius quippe est huiusmodi habitus, ab habitu præscribente formam & modum illas faciendi distinctus. Quod si in potentiis exterioribus ad exercitium aliarum artium, requiratur quædam facilitas præter artem quæ est in intellectu, id hic non vrget, cum hoc exercitium in eadem potentia fiat, tum etiam quia in membris externis nullus requiritur habitus, vt postea dicam, sed quædam tantum dispositiones, vt laxitas neruorum, & alia huiusmodi: de quo iterum recurret sermo.

DISPVTATIO IX.

De quibusdam Logicæ proprietatibus.

SECTIO PRIMA.

An Logica sit scientia?

I. *Nonnulli negant Logicam esse scientiam.*

DE *Docente* est sermo, de qua opinantur aliqui non esse scientiam, ita Alexander in prologo Prior. & primo Topic. c. 4. Themistius primo poster. c. 29. Simplicius in prologo ad Prædicabilia, & alij. Sed si Diuum Tho. Alexandro, Damascenum Themistio, Simplicio Augustinum opposuerimus, quis non videt ita authoritate hanc firmatam esse sententiam, vt cuiuis sit amplectenda.

II. *Tripliciter ab Aristotele sumitur scientia.*

Aduertendum scientiam ab Aristotele tripliciter sumi, primo strictè pro cognitione euidenti, quæ propter se tantum experitur, & ad alias scientias non refertur, sic eam accipit 2. Metaph text. 12. quam optimè declarat Diuus Thomas prima secundæ q. 57. a. 3. ad 3. vocans eam scientiam simpliciter. Secundò latè pro quacunque cognitione etiam opinatiua, sic eam sumit primo Metaph. cap. 1. dum ait, *omnis homo naturaliter scire desiderat.* Tertiò propriè, pro cognitione euidente discursiua, sic eam definit primo Poster. dum ait: *scire est per demonstrationem cognoscere.*

III. *Logica non est scientia primo modo sumpta. Ostenditur Logicā esse scientiam sumptam secūdo modo.*

Prima conclusio: Logica non est scientia primo modo sumpta, est tamen secundo. Probatur, nam quoad primum, indubitatum est Logicam ad alias scientias referri, vt earum instrumentum. Quoad secundum similiter constat, quis enim dubitat eum, qui Logicam addiscit, aliquid cognoscere quod antea nesciebat, nempe modum construendi definitionem, syllogismum & alia. Difficultas ergo solum est de scientia tertio modo sumpta.

IV. *Logica est scientia tertio modo sumpta, seu pro cognitione euidenti.*

Secunda conclusio: Logica est scientia tertio modo accepta, ac proinde pars philosophiæ: ita præter citatos, antiqui omnes, qui philosophiam diuidunt in *Naturalem*, *Moralem*, & *Rationalem*. Probatur primò, vt scientia aliqua censeatur talis, sufficit continere

nesse in se aliquas veras ac proprias demonstrationes, sed Logica in se multas continet demonstrationes, probat enim definitionem explicare naturam rei, demonstrationem generare scientiam, & similia. Deinde ad eam scientiam spectat agere de passionibus, ad quam spectat agere de essentia, ergo cum Logica agat de essentia modi sciendi, agere debet de illius passionibus, sed potest has per essentiam demonstratiuè probare, instar aliarum scientiarum ergo. Adde si Logica non scientificè procedat, ruent magna ex parte aliæ scientiæ quæ in suis demonstrationibus ex vi formæ à Logica dependent. Quod si quis ideo Logicam neget esse scientiam, quia multas in se habet conclusiones tantùm probabiles, eâdem operâ negabit Physicam, Theologiam, & aliam quamcunque scientiam, cum nulla omnino scientia sit, quæ conclusiones aliquas in se contineat non euidentes.

Si Logica nō sit scientia, magna ex parte ruent aliæ scientiæ.

V.

Tam euidenter demonstrat pars Topica proprietates syllogismi probabilis, quā Analytica Demonstrationis.

Intelligenda est hæc conclusio de parte etiam topica, quæ licet vt *Vtens* constet ex probabilibus, & sit essentialiter opinio, vt *Docens* tamen, est scientia, nec minus certò demonstrat pars topica proprietates syllogismi probabilis, nempe eum non generare scientiam, sed opinionem, quam Analytica syllogismi demonstrationem, nec enim minus est hæc vera demonstratio. *Omnis argumentatio constans ex probabilibus generat opinionem, sed syllogismus topicus constat ex probabilibus, ergo generat opinionem,* quàm hæc: *Omnis argumentatio constans ex principiis euidentibus generat scientiam, sed demonstratio constat ex principiis euidentibus, ergo generat scientiam.*

VI.

Aliud est versari circa rem probabilē, aliud versari circa illam probabiliter.

Aliud ergo est versari circa rem probabilem, aliud versari circa illam probabiliter, hoc secundum obstat scientiæ, non primum, nam & de errore potest dari scientia, Deus siquidem nouit illum esse errorem, & scimus syllogismum elenchum, seu fallacem esse falsum. Hoc vero intelligendum est de Logica *Topica* secundum se, & vt nunc in scholis traditur, nam Aristoteles ex professo videtur noluisse ibi quidquam exactè tradere, vt testatur ipsemet, licet ex iis quæ ibidem docuit, multæ possint demonstrationes, etiam de illa materia erui.

VII.

Quomodo per demonstrationem acquiri possit Logica, cū ipsa doceat confectionem Demōstrationis.

Dices vt Logica sit scientia acquiri debet per demonstrationem, sed acquiri nequit per demonstrationem, ergo. Probatur Minor, Logica modum conficiendæ demonstrationis præscribit, ergo prior est ad omnem demonstrationem, tanquam causa ad effectum; ergo per demonstrationem acquiri nequit, vel dabitur mutua prioritas. Respondetur conuincere argumentum primam demonstrationis cognitionem non ortum ducere ex Logica artificiali, sed vel ex primis principiis, vel lumine naturali, primæ autem aliquæ cognitiones sic habitæ generare possunt habitum scientiæ de demonstratione, & ad actus postea artificiales concurrere.

SECTIO II.

Sitne Logica virtus, ars, & facultas.

I.

Quid hic intelligatur nomine virtutis.

QVoad primum notandum primò, per virtutem hic non intelligi virtutem tantùm moralem, cuius sedes vt plurimùm est in voluntate: nec vim etiam actiuam cuiusque rei, quæ virtutis subinde nomine appellatur; sed virtus in præsenti pro habitu sumitur, seu qualitate superaddita, quæ vt loquuntur communiter Scholastici, *bonum facit habentem*, hoc est perfectionem ei addit naturæ rationali consentaneam, eamque siue quoad vim eius intellectiuam perficit, siue volitiuam: quam proinde 7. phys. c. 3. t. 17 sic paucis describit Aristoteles. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.*

Virtus est dispositio perfecti ad optimum.

Notandum secundò: Logicam secundum tres sui partes, in triplicem à Dialecticis diuidi, *Analyticam*, vbi de Demonstratione, *Topicam*, vbi de syllogismo probabili; & *Sophisticam*, vbi de sophismatibus, & fallaciis disputatur. II.

Diuiditur Logica in Analyticam, Topicam, & Sophisticam.

Dico primò: Logica quoad partem *Analyticam* est virtus intellectualis. Ratio est, quia regulas ad Demonstrationem conficiendam præscribendo, intellectum disponit ad actus scientificos in variis scientiis, eos vnà cum illarum scientiarum habitibus eliciendo, sicque est dispositio ad optimum. III.

Logica quoad partem Analyticam est virtus intellectualis.

Dico secundò: probabile etiam mihi videri partem Logicæ *Topicam* esse virtutem: nosse enim modum de re qualibet probabiliter disserendi, est bonum intellectus, eumque perficit, præsertim, cum S. Thomas, & Aristoteles asserant modicam notitiam quam opinando quis assequitur de rebus perfectioribus esse quid melius, magisque expetibile, quam euidentiam de rebus minus perfectis. Deinde vt proximè diximus, pars *Topica* non minus certò & euidenter demonstrat proprietates syllogismi probabilis, quàm Analytica Demonstrationis, ergo hac in parte perficit intellectum. IV.

Logica est virtus intellectualis et a quoad partem Topicam.

Dico tertiò: Logica, etiam quoad partem *Sophisticam*, est virtus intellectualis, saltem quatenus modum, ac regulas præscribit fallacias dignoscendi, & consequenter eas vitandi. Sicut enim error & deceptio maximum sunt intellectus malum, ita viam ac rationem aperire, qua quis hæc deuitet, bonum sine dubio est, & maximè expetendum. V.

Logica est virtus etiam quoad parte Sophisticā.

Quoad secundum aduertendum, *Artem* dupliciter sumi ab Aristotele: primò pro ea quæ versatur circa opus externum, vnde 6. Ethic. cap. 4. *Artem* ait esse *habitum cum ratione factiuum*, opus namque externum *factio* ab eo passim vocatur, vt internum *actio*. Secundò sumit artem pro quauis aptitudine ad quodcunque faciendum, etiam internum; ita etiam artem sumit D. Thom. 1. 2. q. 57. a. 3. corpore. VI.

Ars dupliciter sumitur, nempe in ordine ad opus externum, & internum.

Dicendum Logicam non esse Artem primo modo sumptam, cum opus, ad quod dirigit, sit internum, est tamen ars secundo modo accepta. Probatur, ordinatur etenim ad opus, confectionem scilicet definitionis, diuisionis &c. Quòd vero scientificè procedat, causas nimirum assignando, & non merè ex fide humana, instar Mechanicarum, hinc solùm conficitur, esse artem perfectam, atque huius intuitu vocatur à philosophis communiter *Ars Artium*. Quo etiam nomine appellatur, quod ars sit, artium omnium directrix, vtpote cuius ipsæ regulas sequuntur, vt rectè in sua quæque materia, & artificiose procedat. VII.

Logica est Ars, pro aptitudo ad faciendum aliquid internum.

Quòd si Aristoteles Artem contraopponit scientiæ, intelligendus est de arte tantum imperfecta quæ communiter inter homines est in vsu, & fundatur in fide solùm humana: si quis enim hoc tantùm modo habeat Logicam, non est in illo Logica ex parte principij perfectior artibus Mechanicis, sed solùm ex parte obiecti. Si vero communiter dicatur artem versari circa contingens, intelligendum est quoad actum secundarium nempe circa modum sciendi hic & nunc faciendum, quoad primarium enim circa necessarium versatur, id est, demonstrando passiones & naturam modi sciendi quæ non minùs sunt necessariæ, quam rei cuiusuis alterius, hominis videlicet, aut Angeli. Mechanicæ vero artes semper procedunt in particulari, nec passiones & essentiam suorum obiectorum demonstrant, nec forte demōstrare possunt: quod si possent, essent etiam scientiæ, licèt ratione obiecti imperfectæ. VIII.

Quo sensu Aristoteles Artē contraopponat scientia. Ars quomodo versari dicatur circa contingens.

Est etiam Logica *Facultas*, si sumatur facultas pro quacunque promptitudine ad aliquid, si vero *facultas* pro habitu sumatur inueniendi rationes ad pro- IX.

Logica dici etiā potest Facultas.

bandum vtramque partem contradictionis, quo sensu eam accepit Aristoteles 1. Eth. c. t. & 2. vbi probat hoc nomine Rhetoricam esse facultatem, & intellectus & voluntas dicuntur facultates animæ, quia attingere possunt bonum & malum, verum & falsum, hoc inquam sensu Logica *facultas* solùm est secundùm partem *Topicam*, secundùm quam *tentatrix* dicitur vtriusque partis contradictionis.

Par. Topica est tentatrix vtriusque partis contradictionis.

DISPVTATIO X.

Vtrum Logica in cognitione sui obiecti practicè procedat, an speculatiuè.

MVlta fusè hic à nonnullis, & confusè disputantur de natura ac proprietatibus scientiæ practicæ & speculatiuæ, cum nihilominus inter omnes constet controuersiam de voce tantùm esse. Quare quantùm rerum varietas & copia patitur, disputationem hanc quàm possum breuissime expediam, nec enim quæstionibus de nomine diutiùs immorari operæ pretium existimo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit notitia practica, quid speculatiua?

I. His statutis facilis erit totius rei decisio. *Practica* ergo notitia dicitur, quæ *ei in quo est modum operandi ostendit*, regulas præbendo, quibus eius operatio dirigatur: *speculatiua* vero, est cognitio *quæ obiectum considerat, in eius contemplatione sistendo*, non extendendo se ad illius productionem, vnde ortum axioma, *intellectus extensione fit practicus*, id est, vlteriùs se ad operationem extendendo. Non autem requiritur ad rationem actus practici vt procedat per modum imperij his verbis explicati, *fac hoc*, quod communiter assignatur Prudentiæ; sed solùm vt repræsentet rem operabilem, vt operabilem à cognoscente, id est, illius factibilitatem, seu modum illam faciendi ostendat.

Notio practica, & speculatiua.

Intellectus extensione fit practicus.

II. Nec tamen hinc sequitur quod affirmant aliqui, non posse simul haberi actum practicum & speculatiuum de eodem obiecto: quid enim impedit, quò minùs quis consideret domum v. g. vt ens, aut substantiam, quæ cognitio est merè speculatiua, licèt etiam alio modo considerari possit domus, nempe vt constans fundamento, parietibus, ac tecto, quæ cognitio domus est practica. Verum quidem est, si cognoscitur domus adæquatè, semper ibi inuenitur cognitio practica, quia qui adæquatè domum cognoscit, cognoscit eam vt factibilem: vnde si solùm loqui velint de cognitione Diuina, semper est practica: comprehensiua enim cum sit, omnia repræsentat, nostra verò cum sit abstractiua, ac limitata rem eandem sub variis formalitatibus inadæquatè potest concipere.

De eodem obiecto haberi simul potest actus practicus, & speculatiuus.

Cognitio adæquata rei factibilis, est semper practica.

III. Scientiam ergo practicam illam dicimus, quæ est *principium intellectuale sufficiens ad dirigendam potentiam ad effectionem obiecti*, qualis est scientia simplicis intelligentiæ in Deo, quæ est idea seu repræsentatio, per quam ad creaturarum productionem dirigi potest, si verò operari nolit, nec creaturam vllam producere, non propterea scientia illa speculatiua redditur simpliciter, sed secundùm quid: quo sensu asserit D. Tho. Medicinam esse speculatiuam secundùm quid, cum Medicus eam non vult ad operationem applicare.

Scientia practica est, quæ sufficit ad dirigendum cognoscentem ad effectionem obiecti.

IV. Actus ergo ex natura sua practicus non potest reddi speculatiuus simpliciter defectu voluntatis operandi: sicut nec è contra actus speculatiuus reddi potest simpliciter practicus, ex eo quod sciens ad opus cum aliquod ordinet, neque enim philosophia propterea esset practica, quod sciens ad lucrum illam ordinaret, nec Architectura speculatiua, quòd Architectus cognitione solâ contentus, se ad opus non applicaret, in hoc enim spectandus non est finis seu intentio scientis, sed scientiæ, quæ si dirigat ad opus, est practica, si non, est speculatiua, nec ab operantis voluntate pendet, vt sit vel speculatiua simpliciter, vel practica.

Nec actus practicus fit speculatiuus, nec econtra, ex eo quod sciens eum ordinet vel nõ ordinet ad opus.

V. In hoc autem conuenit vtraque scientia, quòd sit vera & perfecta obiecti sui cognitio etiam per causas, nam, vt rectè D. Thom. 1. p. q. 79. a. 12. corp. *practica ratiocinatur de operabilibus sicut speculatiua de speculatiuis*: habet quippe Medicina, habet Philosophia Moralis suas demonstrationes, hanc enim conclusionem moralem, *Deus est amandus*, si quis neget, illico probatur à priori hoc principio morali, *Omne bonum est amandum*. Vnde 1. Metaph. c. 1. ait Aristoteles, *Architectos doctiores, ac sapientiores esse fabris*, quoniam causas eorum quæ fiunt norunt: fabros vero ibidem comparat rebus inanimis, & ait esse instar malleorum, & aliorum instrumentorum respectu Architecti, quod causas eorum quæ faciunt ignorant.

Scientia tã practica, quàm speculatiua est perfecta cognitio sui obiecti.

Quam ob causã Aristot. fabros cõparet malleis.

VI. Ratio à priori est quia vtraque est scientia, ergo scientificè procedit, & per causas: dicere verò eam scientiam tunc fore speculatiuam, quia per causas procedit, licet sit de obiecto operabili vt operabili, est implicatio in terminis, cum ex essentia sua ordinetur ad opus, potest siquidem dirigere operantem, ac proinde non in sola contemplatione sistit. Idem enim est quoad directionem operantis, seu argumentantis dicere, syllogismus in *Barbara* constat tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, ac dicere syllogismus in *Barbara* conficiendus est ex tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis; sicut hæ etiam propositiones sunt quoad sensum identicæ, *hæc est via versus Romam*, & *hæc via te ducit Romam*, vel *per hanc viam ire Romam poteris*, licèt diuersis verbis explicentur.

Scientia de obiecto operabili vt operabili, quamuis à priori procedat, est practica.

VII. Vnde malè quidam affirmant solam scientiam speculatiuam procedere modo resolutorio, id est scientificè, resoluendo nimirum rem in suas causas, practicam verò modo compositorio, vt ait S. Thom. id est, vt ipsi explicant applicando formam materiæ; quod si de omni scientia practica intelligatur, est falsum, nam scientia qua Deus creat Angelum, est practica, cum tamen in Angelo nulla sit vel forma vel materia. Vult ergo solùm D. Thom. quod supra notauimus, non sistere scientiam practicam in sola contemplatione, sed vlterius ad opus dirigere, applicando scilicet cognitionem operi, cuius cognitio est quasi forma, quippe secundùm quam fit opus: non tamen negat D. Thom. scientiam practicam reddere rationem operis, vt supra vidimus in Architecto, Medico, & Philosopho morali.

Scientia practica procedit modo resolutorio, licèt ibi non sistat, sed dirigat ad operandum.

VIII. Vnde cum dicitur scientiam speculatiuam habere pro obiecto veritatem, non dicitur practicam non habere: hoc enim esset apertè falsum, cum veritas & cognoscibilitas sint idem, quidquid enim cognoscitur est cognoscibile. Solùm ergo vult hoc dictum, scientiam

Tam scientia practica habet pro obiecto veritatem, quàm speculatiua.

scientiam practicam non sistere in illa veritate, sed viterius ad illius effectionem tendere. Verum tamen est, si ille actus quo aliquid demonstramus non habeat pro obiectu aliquid producibile à cognoscente, non erit propriè & directè cognitio practica, qualis esset cognitio alicuius proprietatis e g. quæ, nobis etiam incogitantibus, emanat ab aliquo obiecto, sed solum erit practica indirectè, quatenus iuuat & ordinatur ad cognitionem naturæ rei practicæ, quæ cognitio est perfectè practica.

SECTIO II.

Aliæ quædam proprietates Scientiæ practicæ, & Speculatiuæ.

I. DIximus ad scientiam practicam necessarium esse, vt repræsentet rem operabilem: nunc videndum quid ad completam rationem notitiæ practicæ requiratur.

II. Quæres primò: vtrum ad sciantiam practicam necessarium sit vt repræsentet non solùm rem operabilem, sed operabilem ab eadem persona, in qua est scientia? Respondetur affirmatiuè, alioqui non est completè practica. Desumitur ex Aristotele tertio de Anima c. 10. tex. 50. dicente, practicum esse principium agendi: vnde efficax conficitur argumentum, nam scientia practica secundùm Aristotelem est principium agendi, nempe directiuum, sed dirigere nequit ad actus practicos alium ab habente, ergo. Patet Mi: dirigit repræsentando, ac dando in genere causæ formalis denominationem cognoscentis, & informando: sicut albedo dat denominationem albi, sed albedo denominationem albi non dat alteri subiecto, quam illi in quo est; ergo nec actus intellectus practicus denominationem cognoscentis practicè alteri tribuet, quam illi in quo est.

Ad scientiam practicam debet res cognita esse operabilis à cognoscente.

III. Si ergo is, qui illam habet scientiam, potentiâ faciendi rem orbetur, cuius modum faciendi cognoscit, scientia illa non est completè practica, siquidem quà talis essentialem dicit ordinem ad praxim, vbi ergo simpliciter non potest esse praxis, nec esse poterit scientia completè practica.

Si sciens orbetur potentiâ rem illam faciendi, scientia nõ est completè practica.

IV. Hinc apertè reiicitur illorum opinio, qui plantæ productionem volunt esse practicam: nam radix plantæ, vel sol qui plantam producunt nullo modo dirigi possunt, cum nil percipere possint vel cognoscere. Dices, saltem homo dirigitur ad illius productionem. Contra, homo tantum dirigitur ad applicationem mediorum, fossionem scilicet terræ, rigationem, plantationem &c. ipsam verò plantæ productionem & vegetationem non attingit, namque post applicata media, homo è vita ante excessisse potest, quàm enascatur, vel crescat planta.

Productio plantæ non est homini practica.

V. Scientia ergo applicandi media est homini practica, ipsa vero plantæ, vel segetis productio, nulla ratione homini practica esse potest, si propriè loquamur. Sic in medicina, medici scientia est practica respectu applicationis medicamentorum, ipsa vero sanitatis inductio, quæ per medicinas efficitur, à medico nec fit immediatè, nec fieri potest, ac proinde nisi impropriissimè loqui velimus, scientia quam habet is de sanitate non est practica, sed solùm scientia applicationis mediorum: alioquin scientia quam Angeli, seu intelligentiæ quæ cælos mouent habent de rebus omnibus sublunaribus, quæ per stellarum influxum producuntur, esset practica, quia cælos applicant, per quos producuntur.

Scientia quam medicus habet de sanitate non est practica, sed tantùm scientia applicãdi media.

VI. Præterea diceretur homo habere scientiam practicam creationis animæ rationalis: homo etiam & Angelus scientiam practicam creationis Angelorum, cum sciant quâ ratione à Deo produci possint. Imò haberent homines & Angeli scientiam practicam generationis Verbi Æterni, & processionis Spiritus Sancti; Deus etiam haberet scientiam practicam peccati formaliter, nec solùm illud permittendi, sed etiam committendi, cum sciat quo pacto ab hominibus committatur, quæ tamen & meritò, in scholis sunt inaudita.

Sequeretur hominem, & Angelum habere cognitionem practicam creationis Angeli.

VII. Desumitur hic philosophandi modus ex S. Thoma q. 14. de veritate. art. 4. Corp. his verbis: *oportet intellectum practicum esse proximam regulam operis, vtpote quo consideretur ipsum operabile.* Id tamen pro tota hac quæstione notandum, cum dicitur scientiam practicam tendere in obiectum operabile vt operabile, non esse hoc intelligendum in actu signato, seu vt dicat actus esse obiectum operabile, sed solùm in actu exercito, vt scilicet operabilitatem repræsentet, seu modum obiectum extra causas ponendi.

Nõ est opus vt scientia practica repræsentet rem vt operabilem in actu signato.

VIII. Quæres secundò: illa ergo cognitio, quâ Angelus animam rationalem, vel plantam cognoscit vt factibilem, quænam erit? speculatiua certè esse non potest, cùm non sistat in mera contemplatione obiecti, sed eius factibilitatem ostendit. Respondetur esse practicam negatiuè; id est quæ non sistat in sola contemplatione obiecti, vel practica dici potest inadæquatè, non adæquatè, quia practica quà talis dicit ordinem ad praxim, seu actionem, vbi ergo illa esse non potest, deest necessariò scientiæ denominatio practicæ, licèt fundamentaliter, & aptitudine proximâ sit talis, quod non habet cognitio, quæ obiecti factibilitatem omnino non repræsentat.

Cognitio, quam Angelus habet de creatione animæ, vel solis, est practica negatiuè, vel inadæquatè.

IX. Quæres tertiò: vtrum impedimentum per accidens obstet denominationi scientiæ practicæ? Respondetur negatiuè. Vnde potest claudus scientiam habere practicam pedes ad numeros mouendi. Ad quod notandum, scientiam alicuius rei tunc esse practicam, quando est in agente potentia in actu primo ad illud efficiendum completa; in claudo ergo potest esse potentia motiua, licèt sit impedita aliquâ debilitate, vel læsione, sicut non est quis cæcus si potentiam habeat visiuam, licèt visus exercitium sit aliquo modo impeditum: cæcitas enim est priuatio visus, in ipso verò non est priuatio visus, nam est visus, alioqui potentia motiua ab eo tolleretur qui est vinculis constrictus, vel aliâ extrinsecâ ratione impeditus, tunc enim nequit se mouere, & cæcus foret quis quotiescunque oculos clauderet, vel dormiret, aut alia quauis ratione ab exercitio visus impeditur.

Impedimentũ per accidens non tollit rationẽ scientiæ practicæ.

X. Dices, Angelus nouit practicè Logicam, actus tamen Logicos elicere non potest, seu discurrere, sed tantùm alios docere, ergo non requiritur vt scientia sit practica, vt dirigat ad aliquid factibile à cognoscente. Respondetur, Angelum posse discurrere circa obiecta supernaturalia, & alia quorum intuitiuam cognitionem non habet, ergo nouit practicè Logicam, & exercere potest actus Logicos circa aliqua obiecta: si verò non possit, scit illam solùm speculatiuè, quòd autem alios possit docere, solum arguit habere ipsum Scientiam practicam alios docendi, non tamen actus Logicos in se eliciendi.

Angelus nouit Logicam practicè, & discurrere potest circa ea, quæ nõ videt intuitiuè.

XI. Scientia quam habet Deus de peccato, seu de modo illud committendi non est practica: nam scientia practica, vt aiunt, est causa rerum: peccatum autem quà tale, à Deo fieri non potest, licet permitti possit: vnde solum conficitur permissionem peccati esse illi practicam, non admissionem, licet perfectissimè sciat quà ratione peccata ab hominibus committuntur.

Scientia, quam habet Deus de modo commissionis peccati, est speculatiua.

SECTIO

SECTIO III.

Vtrum ad Scientiam practicam requiratur vt res sit naturaliter factibilis.

I. P. Arriaga d. 5. Log. s. 4. subsec. 2. nu. 32. negat dari posse scientiam practicam de obiecto per potentiam tantùm obedientialem producibili.

II. *Status quæstionis proponitur.* Vt res clarius intelligatur, ponamus Deum ab æterno habuisse hunc actum, volo tali die in instante D. cum Petro concurrere ad Angelum, vel nouam stellam in Cælo producendam: Petrus illo die in instante A. elicit cognitionem de modo creandi Angelum, quem actum per quinque instantia continuat, vt supponimus.

III. *Cognitio illa Petri de creatione Angeli, est in quarto instante practica.* Dico itaque, cognitionem illam Petri in tribus primis instantibus non fuisse practicam, circa creationem Angeli, cum omnipotentia Dei pro illis Petro non fuerit applicata, esse vero practicam pro instante D. non minùs quam si Deus similem actum habuisset concurrendi cum Petro solum in instante D. ad actum aliquem artificiosum Logicum, aut alterius artis vel scientiæ.

IV. *Petrus per eam cognitionem dirigeretur ad creandum Angelum.* Obiicit primò P. Arriaga: Petrus per eam cognitionem non dirigeretur ad productionem Angeli. Nego antecedens, non minùs enim ab ea dirigeretur ad hunc effectum, quàm per ideam imaginis ad producendam imaginem.

V. *Cognitio illa Petri redditur practica per accidens.* Obiicit secundò: hoc saltem cognitioni illi erit per accidens. Contra, si per accidens intelligatur non petere per se, & essentialiter hanc cognitionem, vt coniungatur vis operatiua Petri cum tali miraculoso concursu, concedo esse hoc ei per accidens; dico tamen reddi practicam per accidens, cum non minùs hic & nunc ad opus à cognoscente faciendum dirigat, quàm alia quæuis cognitio de obiecto merè naturali.

VI. *Quæ cognitiones sint semper speculatiuæ.* Obiicies tertiò: scientia quæ semel est speculatiua, est semper & necessario talis. Respondetur scientiam speculatiuam in duplici esse genere, cognitio enim quæ est de obiecto, vel non omnino producibili, vt de hippocentauro, vel non producibili à cognoscente, vt cognitio quam haberet Petrus de prima sui productione: Hæ inquam cognitiones sunt ita speculatiuæ, vt nunquam fieri possint practicæ. Aliæ sunt cognitiones speculatiuæ, quæ sunt de obiecto simpliciter producibili, sed ob extrinsecas solùm quasdam circumstantias, dirigere ad opus illud non possunt, sicut autem circumstantiæ mutantur, ita cognitiones extrinsecè mutari, & de speculatiuis transire in practicas quid vetat? *Quomodo idem actus transeat de speculatiuo in practicum.* Sic cognitio quam Paulus in instante A. habet de duratione motus manus pro instante B. nunc est speculatiua, quia duratio illa pro instante A. non est possibilis, adueniente autem instante B. sicut obiectum redditur tunc possibile, ita cognitio redditur practica.

VII. *Cognitio naturalis excitare potest ad efficiendum aliquid supernaturale quoad modum.* Obiicies quartò: cognitio naturalis excitare potentiam operatricem non potest ad effectum supernaturalem, nulla enim inter hæc reperitur proportio. Distinguo antecedens, cognitio naturalis excitare non potest ad effectum supernaturalem in substantia, concedo antecedens, ad effectum solùm supernaturalem quoad modum, vt ad effectum producendum in loco distante, in duobus locis, & similibus, nego; hic enim est proportio simpliciter & improportio secundùm quid tantùm, & quoad modum.

SECTIO IV.

De libertate obiecti cognitionis practicæ.

I. *Affirmant aliqui obiectū scientiæ practicæ debere esse liberum, & erroribus obnoxium. Contrarium est probabilius.* QVæstio est vtrum obiectum cognitionis practicæ esse debeat liberum, seu tale vt in illius effectione errare operans possit? Affirmat P. Suares, Fonseca & alij: longè tamen probabilius existimo cum P. Molina, P. Hurtado, P. Arriaga citatis & alijs, nullo modo necessarium esse ad rationem scientiæ practicæ, vt obiectum eius sit liberum, aut errorem in effectione admittens. Ratio est, quia essentialis conceptus scientiæ practicæ in hoc consistit, vt rem à cognoscente producibilem repræsentet, ita vt ex vi huius notitiæ efficere eam possit, siue sit periculum errandi, siue non.

II. *Latiùs patet scientia practica, quam Ars.* Latiùs ergo patet scientia practica, quam Ars, hæc enim præscribit *certas quasdam & errare in faciendo non patientes vias*: vnde supponit effectum non esse planè necessarium, sed errores in eo posse contingere, & in eius effectione non rectè semper procedere operantem; omnis ergo scientia practica non est Ars. Probatur primò non requiri vt sit opus circa quod errare possimus, scientia enim Dei respectu creaturarum est practica, vtpote causa rerum, vnde Sap. 7. *Diuina Sapientia omnium vocatur artifex*, quis tamen eam diceret errare circa earum effectionem posse? secundò: scientia Angeli de motu, est practica, sicut etiam iudicium supernaturale Christi, & Beatorum de actibus virtutum eliciendis, cum tamen in eum statum nec error cadat, nec errandi periculum, & eorum voluntates sint alicuius non recti incapaces. *Variè ostēditur ad scientiam practicam non requiri, vt in eius obiecto error possit cōtingere. Nec libertas contrarietatis requiritur, nec contradictionis.* Constat ergo ad scientiam practicam non esse necessarium vt sit opus liberum libertate contrarietatis, seu vt possit quis rectè, vel malè aliquid facere: nec etiam opus est vt sit liberum libertate contradictionis, id est vt actum, ad quem dirigit, elicere possit vel non elicere: nam visio Beata in multorum sententia, est practica respectu amoris beatifici, à quo tamen amore cessare nullo modo possunt Beati.

III. *Obij. hinc sequi bruta habere scientiam practicam.* Dices primò: hinc sequi bruta habere notitiam practicam, & artibus esse variis imbuta, sic enim erunt textrices araneæ, philomela Musica, hirundines architecti, dum tanto sibi artificio domos construunt, nihil enim horum faciunt, quin cognitione ad hoc sufficiente dirigantur, vt enim nihil volitum, ita nec appetitum, quin præcognitum.

IV. Resp. negando sequelam, quæ si valeret, probaret etiam bruta operari propter finem: ad quid enim tanto artificio retia tendit aranea, nisi in muscarum aucupium; & idem est de alijs. Si ergo non dicuntur operari bruta propter finem propriè, ob imperfectionem cognitionis materialis, & defectum aliquem reflexionis, sic ob eandem rationem, cognitio illa quia materialis, non erit propriè ars, nec scientia practica: *Ratio cur brutorum scientia nō sit propriè practica.* sicut tamen latè & impropriè dicuntur agere propter finem, ita impropriè & materialiter dici poterunt artes aliquas callere. Adde cognitionem practicam esse vt plurimum aliquo modo reflexiuam, quod brutis non conuenit, sicque licèt ad numeros saltent simiæ, non tamen id per regulas addiscunt sed merè per imitationem: sicut etiam fortè delinearent imaginem, si alium delineantem aspicerent.

V. *Quare cognitio nostra de nutritione nō sit practica.* Dices secundò: cognitio quam habemus de nostra nutritione non est practica quia non fit liberè. Nego antecedens quoad secundam partem, sed non est practica quia non omnino fit per cognitionem, quam habemus de nutritione, nec liberè nec necessariò peragenda.

VI. Dices tertiò: dirigere est regere, illud autem nec directione indiget, nec regimine, in quo nullum est pericu-

periculum errandi. Concessa Maiore, distinguo Minorem; non indiget directione proptiè dicta, concedo Minorem, latè sumpta, nego; hoc enim modo sumpta directio significat tantùm cognitionem, quæ voluntatem, vel potentias ad operationes præcedat, & iis quasi facem præferat: voluntas enim, cùm cæca sit, nec ipsa per se facere quidquam potest, nec aliam potentiam ad opus applicare sine cognitione intellectus, cùm ferri nequeat in incognitum. Debet ergo hoc sensu dirigere illam intellectus & quasi face præire &c. eam illuminando, rem faciendam ostendere, quà ostensa parum refert, vt hæc cognitio sit practica, liberè an necessariò operetur voluntas, & cæteræ potentiæ, sed hoc solùm vt intellectus directione obiectum & actum propositum producant.

Quæ sensu in obiecto necessario requiratur directio.

SECTIO V.

Quid sit praxis, & vtrum idem actus simul esse possit practicus, & speculatiuus?

I Praxis actio est per alium actum dirigibilis vt recte fiat, siue sit externa actio, quæ ab Aristotele *ποίησις* vocatur, seu factio, & actionem externam, ac transeuntem denotat, quæque relinquit post se opus: siue interna quæ ab eodem *πρᾶξις* nuncupatur, estque actio immanens.

Praxis est actio per alium actũ dirigibilis.

II. Sotus, & alij existimant, debere praxim esse actum alterius potentiæ ab intellectu, nam, inquiunt, omnis actus intellectus est speculatio, ergo non praxis. Sed leue est hoc fundamentum, nam licet implicaret eundem actum simul esse speculatiuum & practicum, id est, directiuum & non directiuum operis, de qua statim, non tamen esse speculatiuum, seu speculationem & praxim; quid enim vetat actum intellectus dirigi, & secundùm artis regulas & præceptum fieri: vt si intellectus hic & nunc dictet esse studendum, vel contemplandum, studeat inde quis, vel contempletur: quid ni enim æquè potent prudentia dictare esse hic & nunc eliciendum actum intellectus, ac alterius potentiæ, & studendum esse v.g. æquè ac ieiunandum. Cur, inquam, non æquè poterit, ars modum præscribere & regulas ad actum intellectus artificiosè conficiendum, atque ad imaginem, mensam, cathedram.

Idem actus potest esse speculatio, & praxis.

Æquè dirigi potest actus intellectus, ac alterius potentiæ.

III. Dico itaque, nil obstare quò minùs idem actus speculatio simul esse possit & praxis. v.g. cum quis dicit, *homo est animal rationale*, ille actus vt repræsentat suum obiectum est speculatio, nullas enim dat regulas, praxis verò esse potest si procedat ex directione huius actus Logicæ docentis, *omnem definitionem constare debet genere & differentiâ*, actus ergo hic Logicus regulans dicitur practicus, seu regula, ille verò regulatus & praxis, seu effectus ad huius normam formatus, cuius est obiectum.

Declaratur quomodo idem actus intellectus esse possit speculatio, & praxis.

IV. Imò verò potest idem actus esse practicus simul & praxis vt est respectu diuersorum hic actus, *Diuisio distribuit rem in suas partes*, hic actus est practicus respectu diuisionis faciendæ, quia regulam conficiendi illam præscribit, at verò quatenus definitio potest esse praxis & regulata ab alio actu, nempe *definitio constare debet genere & differentiâ*, seu quod eodem recidit, vt docens est practicus, vt vtens praxis. Quod siquis ideo prædictos actus neget esse praxim, quia non sunt actus alterius potentiæ ab intellectu, hoc animi gratia dixerit, & apertè petit principium.

Idem actus potest esse practicus, & praxis.

V. Quæ id secundum, nempe, vtrum actus idem practicus simul esse possit, & speculatiuus? De habitu non est dubium, idque siue habitus sit simplex qualitas, siue non, sicut intellectus ipse, practicus simul est & speculatiuus, ratio namque practici & speculatiui, non sunt differentiæ essentiales oppositæ, sicut rationale & irrationale: vnde passim asserunt Theologi eundem habitum fidei & practicum esse, & speculatiuum.

Idē habitus potest simul esse practicus, & speculatiuus.

VI. Sed fac esse differentias essentiales diuersas, sicut tamen sunt tres gradus viuentium, vegetabile tantùm, rationale tantùm, vegetabile simul & rationale, & tria sunt genera horum actuum, speculatiuum tantùm, practicum tantùm, speculatiuum simul & practicum. Licet ergo speculatiuum tantùm & practicum tantùm, non possint in vnum coalescere, sicut nec vegetabile tantùm & rationale, cum vnum vel dicat vel inferat semper negationem alterius: speculatiuum tamen simpliciter, & practicum non est cur inueniri nequeant identificata, sicut vegetabile, & rationale:

Tres series actuum, sicut tria genera Viuentium.

VII. Potest ergo idem actus respectu diuersorum obiectorum simul esse speculatiuus & practicus; ita P. Vasquez 1.p.d.9 c.3.n.6. Molina, Suar. Hurta. citati. Probatur, cum enim tam practica cognitio, quàm speculatiua sit repræsentatio obiecti, & in hoc vno differant, quod altera repræsentet obiectum operabile à cognoscente, altera non ab eo operabile, quid vetat eundem actum duo repræsentare obiecta, quorum alterum sit hoc modo operabile, alterum verò minimè? Sic eadem numero scientia Dei, quâ se & creaturas cognoscit, vt Deum repræsentat, est speculatiua, quia producibilis non est, vt creaturas possibiles, practica. Sic actus iste, *Trinitas est amanda*, respectu Trinitatis est speculatiuus, respectu amoris eliciendi practicus.

Idem actus respectu diuersorum obiectorum potest esse speculatiuus & practicus.

VIII. Secundò: successiuè idem actus, speculatiuus esse potest & practicus respectu eiusdem obiecti, actum proinde practicum esse, aut speculatiuum denominatio tantùm est extrinseca, quòd enim cognoscens modò efficere possit quod cognoscit, modò non possit, quid immutat intrinsecum in illius cognitionis entitate? Probatur itaque, scientia quam habet Angelus de Angelo vel anima rationali creanda, est modò speculatiua, si verò eleuet Angelum Deus ad creationem Angeli, eadem cognitio ipso facto de speculatiua transit in practicam, quia Angelus transit de non potente creare Angelum, ad potentem eum creare.

Idem actus successiuè potest esse speculatiuus & practicus respectu eiusdem obiecti.

IX. Quæres, vtrum cognitio domus factæ sit speculatiua an practica? Resp. si eam quis consideret vt factam, esse cognitionem speculatiuam, nam vt sit practica considerare rem debet, vt operabilem, seu factibilem, non vt factam, supposito enim quod sit facta, fieri iam nequit.

Consideratio rei factæ vt facta, est speculatiua.

X. Ad varias ergo hac in re difficultates & æquiuocationes vitandas, notandum, dum pictor intuetur imaginem Petri, vel Petrum ipsum, vt imaginem eius depingat, duplicem intercedere cognitionem, alteram intuitiuam Petri vel imaginis factæ, seu exemplaris, quæ cognitio remotè tantùm & occasionaliter ad imaginem pingendam concurrit; alteram abstractiuam alterius imaginis non factæ, sed faciendæ, & hæc est practica ac immediatè & proximè dirigit manum pictoris ad illam imaginem delineandam: quando enim lineas ducere vult pictor, debet præter cognitionem imaginis, seu exemplaris quod intuetur, præconcipere lineam quam in tabula ducere intendit, nihil namque volitum quin præcognitum: nec enim vult illam lineam numero ducere quam in imagine cernit, sed aliam et similem. Ex occasione ergo imaginis quam intuetur, aliam præconcipit imaginem, & respectu illius, cognitio eius est practica, non respectu exemplaris.

In rei alicuius confectione per artem, duæ cognitiones interueniunt.

Inspectio, & cognitio exemplaris, est speculatiua.

XI. Dices, potest ex vi cognitionis domus factæ, illam ainen-

Consideratio domus factæ occasionaliter tantùm, & remotè cõducit ad opus. Scientia Visionis in Deo est speculatiua, scientia simplicis intelligentiæ, practica.

emendare, sicubi quicquam viderit emendandum. Resp. ex occasione erratu quod aduertit, habere potest scientiam practicam, partem illam malè factam destruendi, & hoc sensu domum emendandi. Mente ergo concipit nouum opus faciendum, & destructionem illius partis, quorum neutrum videt nec considerat vt factum, sed vt faciendum. Confirmatur hoc totum ex scientia Visionis in Deo, quæ secundùm Theologos communiter est speculatiua, quia fertur in res existentes, & factas vt factas pro sua differentia temporis; scientia autem simplicis intelligentiæ est practica, quia fertur in easdem vt factibiles, non vt factas.

SECTIO VI.

Resoluitur quæstio in Logica circa rationem practici, & speculatiui.

I. *Prima sententia Logicam ait esse speculatiuam.*

PRima sententia affirmat Logicam esse simpliciter speculatiuam: ita Scotus q. 4. procem. quem eius discipuli sequuntur: Durandus qu. 6. Baconus qu. 4. & nunnulli alij, quorum tamen fundamenta, in superioribus sunt fuluta, quod scilicet actus intellectus nequeat esse praxis, quod sectione præcedente ostendimus esse falsum.

II. *Secunda docet eam esse practicam.*

Secunda sententia ait, Logicam simpliciter esse practicam, ita Ockam cum Nominalibus Fonseca 2. Metaph. cap. 3 q. 2. § 4 Murcia in Introdu. Log. d. 11. q. 4. a. 1. Conimb. q 4 a. vnico, & alij.

III. *Tertia asserit Logicam esse partim speculatiuã, partim practicam.*

Tertia demum sententia asserit esse Logicam partim speculatiuam partim practicam: ita P. Sua. d. 44. Metaph. s. 13 num. 54. Ruuius q. 5. procem. num. 14. Vasquez 1. p. d 9. num. 9. Hur. d. 2. Log. s. 2. præcipuè §. 16. P. Arriaga ita Logicam esse vult practicam, vt nullum omnino in ea actum ad Logicam spectantem admittat, qui non sit purè practicus. Quem sequi videtur P. Ouiedo Cont 2. Log. p 5. n 5.

IV. *In Logica multi sunt actus purè speculatiui.*

Prima conclusio, in Logica multi sunt actus purè speculatiui. Probatur primò, multa enim considerat Logica merè speculatiuè, proprietates scilicet modi sciendi, quæ non sunt à cognoscente factibiles, nisi mediatè, sed eodem modo ab essentia modi sciendi dimanant, siue cognoscantur, siue non; ac proinde non dirigitur intellectus per eam cognitionem ad aliquid immediatè faciendum: cognitiones verò illæ sunt huiusmodi, *demonstratio generat scientiam, definitio non distinguitur à definito, genus latius patet quam differentia*, quæ æquè demonstrationi, definitioni, & generi conueniunt & ab iis Logicè dimanant, siue nos de proprietatibus hisce cogitemus, siue non.

V. *Logica cõsiderat varios actus intellectus vt factos, ergo habet multos actus purè speculatiuos.*

Probatur secundò & præcipuè, consideratio rei factæ vt factæ, est speculatiua, vt cum communi fatetur P. Arriaga d. 1. Log. sect. 4. subs. 3. num. 60. sed Logica considerat opera sua, varios scilicet actus intellectus iam factos, ergo: Minorem probo, sicut artes aliæ res iam à se factas frequenter speculantur, Architectura v. g. domum considerat, num rectè iacta sint fundamenta, erecti parietes, tectum superpositum, contignationes, portæ, fenestræ, recto ordine dispositæ: vel aptius ad rem nostram, pictor imaginem iam à se factam contemplatur, num scilicet recta sit partium inter se coordinatio, membrorum proportio, colores rectè dispositi, & alia huiusmodi, ita Logica (quæ, vt supra dixi, ars quædam pingendi est, & imagines rerum spiritualibus coloribus adumbrandi artem docet, vt pictura materialibus) opus iam à se vel aliis scientiis factum, Definitionem scilicet, Diuisionem, aut Demonstrationem, in quantum lineamenta artis & tractus Logici relucent, considerat, &

Ostenditur Logicam multos actus intellectus considerare vt factos.

ad regulas ac præcepta sua exigit, sicut artes aliæ ad suas. Confirmatur, hoc enim modo artes omnes, atque adeo Logica & primò inuenta fuit, & paulatim ad perfectionem perducta.

VI. *Nisi consideratio Definitionis facta sit speculatiua, in nulla omnino arte erit cognitio speculatiua.*

Dices, inspectio hæc & contemplatio *Definitionis, Diuisionis*, & aliorum de quibus disputat Logica, est, vt notatis erroribus, correctiùs deincept, & emendatiùs in suis actibus procedat, & ad regularum præscriptum exactius, ergo hi etiam actus aliquo modo sunt practici. Contra primò secundùm omnes, vt vidimus, inspectio operis facti vt facti est speculatiua, licèt practica inde cognitio occasionaliter oriatur, ergo Logica multos habet actus purè speculatiuos. Contra secundò, iam enim in nulla omnino arte erit cognitio speculatiua, cum tamen fateatur Arriaga d. 3. Log. § 3. fine, actus illos quibus Mechanici materiam considerant, ex qua opera sua conficiunt, architectus e. g. aut statuarius lignum, ad domus ille, hic statuæ confectionem, esse speculatiuos: quidni ergo idem erit in logica?

VII. *Hic actus, Definitio explicat naturam rei per genus & differentiam, est practicus.*

Probant aliqui tertiò, hi duo actus essentialiter inter se differunt, *definitio explicat naturam rei per genus & differentiam, &, definitio constare debet ex genere & differentia*, sed nulla alia est essentialis huius discrepantiæ ratio, nisi quod primus actus speculatiuus sit, secundus practicus, ergo. Inefficax est hæc probatio, inter hos enim actus nulla intercedit essentialis diuersitas, vterque siquidem est practicus, cum vterque factibilitatem rei, definitionis scilicet confectionem potentiæ vim illius conficiendi habenti repræsentet, in hoc autem, vt diximus, est sita notio artis, vel scientiæ practicæ.

VIII. *Logica etiã multos habet actus practicos.*

Secunda conclusio, Logica multos similiter in se continet actus practicos. Probatur, Logica enim regulas, & præcepta, ad Definitionem, & alios sciendi modos conficiendos præscribit, imò hic præcipuus est illius scopus, ergo ordinatur ad praxim, seu ad aliquid faciendum, ergo negare nullus potest actus illius hac ex parte esse practicos. Confirmatur, si explicare quis velit quod definitio aliqua aut diuisio rectè sit facta, ad Logicæ eas normam adhibet, vt earum inde artificium discernat, ergo Logica actus in se practicos continet, & ad operandum ordinatos.

IX. *Logica simpliciter dici potest scientia practica.*

Tertia conclusio, Logica simpliciter dici potest scientia practica. Ratio est, licèt enim varios actus in se speculatiuos contineat, cum tamen primùs illius, & ad quem præcipuè collimat, scopus sit praxis, seu actuum artificialium, tum in propria, tum aliarum scientiarum materiis confectio, dici simpliciter potest practica. Confirmatur, Logica, Physica &c. ab omnibus vocantur scientiæ, licèt multas in se habeant conclusiones tantùm probabiles, ergo sicut probabilitas in quibusdam actibus non obstat denominationi scientiæ, ita nec ratio speculatiui denominationi scientiæ practicæ, vbi praxis præcipuè intenditur.

X. *Logica, scientia instrumentalis.*

Obiicies, artificium Logicum est expetibile propter se, ergo cognitio illius est speculatiua. Respondetur primò, negando antecedens, nam Logica est *scientia instrumentalis*, instrumentalis autem scientia ex natura sua ordinatur ad aliud, nec enim definitionis, diuisionis, aut argumentationis structuram illarum tantùm quis gratia addiscit, & vt ibi sistat, sed vt ad vsum earum, & exercitium in aliis scientiis rendat. Secundò, dico parum hic referre sitne gratia sui expetibilis hæc cognitio, sed spectandum solùm esse num sufficiens sit ad dirigendam potentiam executricem, quæ hic est intellectus, ad id efficiendum quod proponitur, si sit, erit practica, sin minus speculatiua.

Logicæ artificium nõ est expetibile propter se.

Artificium verò *actuum* hic, est cognitio ostendẽs

ratio-

Artificium Logica a-ctiuum & passiuum. rationem conficiendi modum sciendi, ipse verò modus sciendi artificium est passiuum, sicut in cognitione Architecti contingit respectu domus construendæ, vt diximus sectione præcedenti. Quæ duo artificia, *actiuum* scilicet & *passiuum* accuratè sunt distinguenda, ne maximæ in hac materia confusionis occasionem præbeant.

XII. Vt ergo rem verbo expediam: Logica latiùs est speculatiua, principaliùs practica: latiùs speculatiua, quia essentia cuiusque rei est tantùm vnica, proprietates plures, sicque plures actus speculatiuos habet, quàm practicos; principaliùs tamen est practica, quia præcipuum quod spectat, est essentia modi sciendi, vt scilicet rationem illam constituendi ostendat, ergo præcipui eius actus sunt practici. *Logica est Latius speculatiua, principalius practica.*

DISPVTATIO XI.

De comparatione Logicæ ad alias Scientias.

DE vtilitate Dialecticæ sermonem instituere (quod tamen hic facere nonnullos video) omnino superuacaneum existimo; vtilem siquidem maximè illam esse; summè illæ laudes indicant, quibus eam viri quique præstantissimi exornant. Hinc alij artem eam Artium nuncupant, alij Disciplinam Disciplinarum, alij scientiam veritatis, quippe quæ instrumenta scientijs cæteris, quibus veritatem eruant, velut artifex præparet. Quod si quando Sancti Patres in Logicam acriùs videantur inuecti, non de hac nostra, quam summo semper in pretio habuisse constat, intelligendi sunt, sed de fallaci illa & fucata, ac Dialecticæ nomine indigna *Sophistica*, quæ quantùm cælum à terra, tantùm à vera Logica distat. *Dialectica laudes.* *Patres non in veram Logicam inuecti sunt, sed in Sophisticam.*

SECTIO I.

Sitne Logica ad alias scientias necessaria.

I. NEcessitas iuxta Philosophos est duplex, *simpliciter*, & *secundùm quid*: illud necessarium est simpliciter, sine quo aliquid vel comparari vel consistere non potest. Necessarium secundùm quid illud est, quod requiritur vt res meliùs fiat & expeditiùs, estque idem quod vtile. De priori necessitate præsens procedit quæstio, quam aliqui necessitatem vocant *physicam*, necessitatem verò secundum quid *moralem*. *Necessitas duplex: simpliciter, & secundùm quid.* *Necessitas physica, & moralis.*

II. Notandum primò de Logica artificiali sermonẽ hic esse, non de naturali, naturalis siquidem est ipsa vis intellectiua, quam requirit certum est, & in omni actu nostro est Logica naturalis, intelligimus enim componendo, ac diuidendo. Artificialis autem Logica est cognitio reflexa de artificio in actu reperto: de illa itaque inquirimus, an eiusmodi reflexa cognitio, sit simpliciter ad scientias necessaria. *Sermo est de Logica artificiali, non de naturali.*

III. Notandum secundo aliquos esse actus, tum Logicæ, tum aliarum scientiarum, omnino euidentes, & qui sola terminorum apprehensione innotescunt, sua namque claritate & euidentia, vim quasi inferunt intellectui, & cum ad assensum cogunt, qualia sunt, prima principia in omni scientia, nempe *omne totum est maius sua parte: quodlibet est, vel non est* Non autem est hic sermo de artibus imperfectis, quales sunt Mechanicæ quæ non scientificè procedunt, definiendo scilicet, demonstrando &c. Nec de iuris peritia & similibus, quæ authoritate magis quàm ratione ducuntur. *In omni scientia sunt actus aliqui omnino euidentes.*

IV. Prima conclusio: Logica non est simpliciter necessaria ad conclusiones euidentes aliarum scientiarum deducendas; Probatur & explicatur; euidentia ex duplici capite oriri potest, ex vi materiæ, vel formæ, & vbi euidentia est materiæ, non requiritur euidentia formæ, sed hæ conclusiones sunt ita euidentes, & claræ ex vi materiæ, vt intellectos non solùm non difficulter, & cum formidine assensum præbeat, sed ad eũ omnino necessitetur, ergo non requiritur euidentia logica, seu ex vi formæ: vt in hoc syllogismo Physicæ: *Omne totum est maius sua parte, sed corpus humanum est totum, & caput eius pars, ergo corpus humanum est maius capite:* vbi bonitas illationis in actu exercito cernitur clarissimè, & exercetur. Nec enim semper requiritur vt in actu signato cognoscatur, alioquin omnis actus scientificus esset formaliter reflexus, quod & est contra omnes philosophos, & ipsam experientiam. *Logica non est simpliciter necessaria ad conclusiones euidentes aliarum scientiarum.* *Euidentia duplex, ex vi materia, & ex vi forma.*

V. Secunda conclusio: Logica artificialis habitualis non est simpliciter necessaria ad vllam conclusionẽ cuiuscunque scientiæ. Probatur, habitus Logicæ ad alias scientias non concurrit immediatè, sed solùm per actum, habitus enim, cùm nihil repræsentet, dirigere per se non potest, sed per actum tantùm Logicæ, quem producit, ergo habitus non requiritur nisi propter actum, ergo si haberi possunt actus Logicæ artificialis sine habitu sufficient, sed possunt haberi huiusmodi actus sine habitibus, ergo: Probatur Minor, primus enim actus Logicæ artificialis, non requirit ad se habitum, cùm omnem habitum præcedat, sitque illius causa, sed primus actus qui producitur sine habitu, æquè sufficit ad regulandos & dirigendos actus aliarum scientiarum, atque secundus, & tertius qui procedunt ex habitu, ergo habitus Logicæ non est simpliciter necessarius ad alias scientias. Confir. ex communi illo dicto, *habitus acquisiti non dant simpliciter posse, sed solùm facile*, ergo totum quod intellectus cum illis potest, potest simpliciter sine illis: in quo differunt hi habitus ab habitibus supernaturalibus, fide, charitate &c. quæ dant simpliciter posse. *Logica habitualis artificialis non est ad vllam conclusionẽ simpliciter necessaria.* *Habitus acquisiti non dant simpliciter posse, sed solum facile.*

VI. Dices, nullus rem quampiam scit perfectè secundùm Aristotelem, nisi sciat se scire, ergo scire debet se demonstrationem habere, hoc autem nemo nouit nisi ad regulas Logicæ reflectat, ergo Logica artificialis ad omnem actum scientificum est simpliciter necessaria. Respondetur distinguendo antecedens, nisi sciat se scire in actu exercito, perfectè scilicet penetrando præmissas, concedo antecedens, nisi in actu signato sciat se scire, nego, alioquin dabitur processus in infinitum; idem enim de cognitione illa reflexa conficiam argumentum: vt sciam me habere demonstrationem, debeo scire me per cognitionem reflexam hoc scire, ergo aliam habere necesse est de hac scientia reflexa cognitionem & sic in infinitum. Si autem dicatur secundam cognitionem sine alia reflexa ad hoc sufficere, idem dicam de prima. Deinde sicut credere quis potest, absque eo quòd reflexè credat se credere, ita & scire, quantumuis non reflexè sciat se scire. Et hoc verum existimo, non in euidentissimis tantùm demonstrationibus, seu quatuor primis primæ figuræ, sed in alijs omnibus, si plenè penetret quis præmissas. *Obij: vt quis sciat quodpiam, debet scire se scire, hoc autem habetur à Logica.* *Resp. debet in actu exercito scire se scire, non in actu signato, seu reflexè.* *Sicut vt quis credat, non est opus vt reflexè credat se credere.*

VII. *Ad scientiam totalem acquirendam non est necessaria simpliciter Logica artificialis.*

Tertia conclusio, nec ad totalem scientiam acquirendam, seu ad omnes illius actus necessaria absolutè & simpliciter est Logica artificialis, siue actualis, siue habitualis: ita P. Fonseca 2. Metaph. cap. 3. q. 2. Conim. q. 6. procem. Hurt. d. 2. s. 4. Arriaga d. 3. Log. s. 4. & alij contra Rubium q. 1. procem. Toletum ibidem, concl. 4. Sotum, & alios. Ratio conclusionis est, quia potest intellectus humanus vi sibi à naturâ inditâ vnum aliquem actum scientificum, etiam difficillimum, Physicæ ex. g. sine ope logicæ elicere, ergo & omnes, cùm eiusdem sint rationis.

VIII. *Quo pacto qui vnum superare hominem potest, possit superare omnes.*

Dices nullam hanc esse consequentiam: perinde enim est, ac si quis diceret, vir quispiam robustus potest vnum aliquem hominem superare, ergo superare potest integrum exercitum. Resp. vel exercitus ille totus simul in eum irruit, vel singuli milites seorsim: si primum, succumbet sine dubio omnibus, qui prosternere potuisset singulos: si secundum, dico postquam vnum superauit, si vires adhuc sint integræ, posse eum secundum, ac tertium, adeoque omnes sigillatim deuincere. Idem ergo est de intellectu, tantùm enim abest, vt vnam superando difficultatem vis eius natiua obtundatur, vt acuatur potiùs, & ad alias superandas aptior reddatur. Sicut enim *scribendo disces scribere*, ita speculando speculari.

Scribendo disces scribere.

IX. *Logica actualis artificialis est ad actus aliquos aliarum scientiarum moraliter necessaria.*

Quarta conclusio: Logica tamen actualis artificialis ad aliquas conclusiones aliarum scientiarum est moraliter necessaria, sicque nulla scientia integra potest hoc sensu scientificè haberi sine Logica. Probatur conclusio: qui enim scientificè aliquid cognoscit, vel determinari ad assentiendum debet ex vi materiæ quod fit in omni materiâ facili, & manifestâ alicuius scientiæ, vel si sit in materiâ obscurâ & difficili, vbi non videt manifestam connexionem terum, vt sine formidine & dubio procedat, seu vt habeat scientiam, non opinionem, determinari debet ex vi formæ, ergo scire debet bonitatem illationis, & certò se inferre conclusionem, sed hoc sine Logicâ artificiali, saltem actuali, scire quis semper moraliter non potest: ergo.

X. *Obij. hinc sequi ad Logicam, aliã dari debere Logicam. Resp. vnam partem Logicæ ad aliam præsupponi.*

Obiicitur primò: si Logicâ artificialis moraliter necessaria sit ad alias scientias, ergo & ad ipsam Logicam, cùm ipsa sit scientia: ergo est prior seipsâ: vnde, ad Logicam alia dari debet Logica, & sic in infinitum. Resp. vnam partem Logicæ ad aliam esse necessariam, & ea plerumque est, quæ demonstrationis faciendæ modum præscribit, non quidem tota, sed quoad modos quosdam faciliores, & euidentiores, quæ solo naturali lumine haberi possunt ob euidentiam, & per hos addiscuntur cæteri: aliqua etiam alia accedunt, quæ spectant ad prima principia & lumine naturæ sunt nota.

XI. *Logica est simul scientia, & sciendi modus.*

Vrgebis, ergo & partes aliarum scientiarum mutuò se ad plenam eiusdem scientiæ cognitionem acquirendam iuuant, sicque necessaria non erit Logica. Nego sequelam: hoc enim est peculiare Logicæ, (quæ scientia simul est, & sciendi modus) vt scilicet vna eius pars ad alteram certo quodam ordine supponatur. Vnde sicut aliis, ita sibi etiam regulas præscribit, suisque vtitur instrumentis, sicut & Mechanicæ quædam, fabrilis v. g. quæ regulâ, vel lineâ à se factâ, ad alia eiusdem artis opera conficienda vtitur. Quare Logica: sicut aliarum scientiarum est est artifex, ita & est artifex sibi.

Logica scientiarum artifex.

XII. *Philosophi ante Aristotelẽ scientias imperfectè tradiderunt, defectu Dialecticæ.*

Obiicies secundò, multi ante Aristotelem Philosophi scientias naturales tradiderunt sine Logica, ergo Logica non adeò est necessaria. Resp. Philosophos istos tradidisse quidem illas scientias, sed imperfecto modo, & mille erroribus permixtas, defectu Dialecticæ, vt testatur Aristoteles 4. Metaph. tex 8. Imò iam etiam cum subsidio Logicæ videmus nullum ad perfectam illarum notitiam pertingere, quanto minùs dum hac Logicæ ope erant destituti.

SECTIO II.

An Logica sit prior alijs scientijs.

I. *Prioritas triplex naturæ, doctrinæ, & perfectionis.*

PRioritas in scientiis quoad præsens triplex est, *naturæ, doctrinæ, & perfectionis*: *naturæ*, quando vna ab aliâ in esse pendet: *doctrinæ*, quando vna prius alterâ est addiscenda: *perfectionis*, quando vna vel circa perfectius obiectum, vel perfectiori modo versatur, quàm altera.

II. *Logica est prior alijs scientijs, quæ perfectè procedunt.*

Prima conclusio: Logica est naturâ prior alijs scientiis, quæ perfectè procedunt definiendo, diuidendo, ac demonstrando. Videtur certa, nam, esto ad faciliores aliquos actus illarum scientiarum, qui solo naturæ lumine acquiri possunt, non sit necessaria, plures tamen sunt actus obscuri, qui pendent à Logica, ergo saltem ad melius esse, seu secundùm quid est illis prior.

III. *Logica ordine doctrinæ est prior alijs scientijs.*

Secunda conclusio: ordine doctrinæ, prior est Logica alijs perfectis scientiis. Probatur, prius debet artifex habere parata instrumenta quàm operetur, sed Logica parat instrumenta ad alias scientias, quorum scilicet vsu vel simpliciter, vel facilius addiscantur, ergo; & licèt quidem simul cum aliis scientijs tradi posset Logica, quod & præstiterunt nonnulli, quam proinde vocabant Logicam cum rebus concretam vel coniunctam, difficiliùs tamen fit, & non nisi magna cum confusione. Vnde, inquit Aristoteles: *absurdum est simul scientias quærere, & modum sciendi*. id est, Logicam cum scientiis realibus addiscere.

IV. *In scientiis addiscendis à facilioribus, per se loquendo, incipiendũ.*

Dices, secundùm eundem Aristotelem 3. Metaph. c. 1. in tradendis disciplinis *à facilioribus est incipiendum*: Logica autem secundùm D. Tho. opusc. 7. q. 6. a. 1. est aliis scientiis difficilior. Respondetur cum eodem D. Th. loco citato, ordinem quidem doctrinæ petere plerumque, vt à facilioribus incipiatur, nisi quando faciliora, vt addiscantur, à difficilioribus pendent, vt hic contingit, cum nulla scientia integra sine ope ac præsidio Logicæ haberi commodè possit.

V. *Logica, perfectione nec prima est inter scientias, nec postrema.*

Tertia conclusio: Logica in perfectione nec prima est inter scientias, nec postrema: non prima, quia nobilius obiectum habent Theologia, & Metaphysica, ipsum scilicet Deum: item Metaphysica perfectius versatur circa suum obiectum, quoad multas enim demonstrationes, innititur principiis vniuersalissimis, & planè euidentibus, quas dignitates vocant: Logica verò sua, vt plurimùm, principia à Metaphysica mutuatur. Non tamen est postrema, nam eius obiectum, nempe operationes intellectus, perfectius est quantitate, quæ est obiectum Mathematicæ, & actibus voluntatis, qui obiectum sunt philosophiæ Moralis.

DISPVTATIO XII.

Quomodo ad alias scientias concurrat Logica?

LOgica, vt supra vidimus, instrumentalis scientia est, & vt aliis subseruiat scientiis natura sua ordinata, quo ergo pacto, eas iuuet, suamque iis opem & operam præstet, in præsenti inquirimus.

SECTIO I.

Vtrum Logica effectiuè ad aliarum scientiarum actus concurrat, an solùm directiuè?

I. *In omni actu artificioso aliarum scientiarum apparent quædã lineamenta Logica.*

NOtandum primò, in actu omni artificioso aliarum scientiarum lineamenta quædam Logicæ elucere: siue enim componant, siue diuidant, siue rerum naturas suis quamque perfectionibus delineēt, siue proprietates certo inde ordine, ac serie deducant, Dialectici semper aliquid artificij suis actibus inserunt. Denique nullam omnino telam texunt, cui filum aliquod Logicæ non interiexant.

II. *Differentia inter modū concurrendi directiuè, & effectiuè.*

Notandum secundò: modùm directiuè concurrendi ab efficientia in hoc differre, quod dirigens, regulas tantùm præscribat, intellectum scilicet illustrando, & rationem ac methodum qua res fiat, ostendendo. e. g. qui puerum pingere docet aut scribere, duobus id modis præstare potest, vel exemplar ei proponendo, & instruendo verbis, vel manum ducendo, vnaque characteres cum eo formando: primus modus est directiuè tantùm concurrere, secundus effectiuè.

III. *Logica duplex est, Actualis. & habitualis.*

Notandum tertiò Logicam duplicem esse, *habitualem* & *actualem*: hæc aliud nihil est quam actus quispiam modum ac methodum ostendens actum artificiosum, puta, Definitionem, Diuisionem aut Argumentationem ad Logicæ præscriptum conficiendi, estque ipsa regula, quam intuentes quasi aliæ scient æ faciunt quidquid artificiosè faciunt, vel vt magis propriè loquar, quam intuens intellectus aliarum scientiarum habitibus instructus, ad illius rectitudinem & artificium actus suos effingit. *Habitualis Logica*, est qualitas quædam ab actibus logicis producta, & veluti semen quoddam in intellectu relictum ad similes postea actus eliciendos. De vtraque hic disputandum.

IV. *Logica actualis ad actus aliarum, cum tantum concurrit tantùm directiuè. S. Thomas.*

Dico primò: Logica actualis ad actus aliarum scientiarum directiuè tantùm concurrit, non effectiuè: ita Aristoteles, primo Rhetoricorum c. 1 P. Hurtado d. 2 Log. s. 3. P. Arria. d. 3. Log. s. 5. & authores communiter contra Recentiores quosdam contrariu n sentientes. Idem tenet S. Thomas 1. 2. q. 57. a 3 vbi pulchrè explicat differentiam inter artes liberales & seruiles, seu Mechanicas, quòd illæ ad animam, quæ libera est, ordinentur, hæ exerceantur à corpore, quod animæ seruit, estque eius quoddam veluti mancipium.

V. *Ratio est quia ars, seu cognitio practica obiectum physicè non attingit.*

Probatur conclusio primò: argumento ex Aristotele loco citato & S. Thoma deducto. Logica est ars, ars autem & scientia practica obiectum suum non efficit, sed ad illius effectionem, potentiam tantùm executricem dirigit, ergo. Probatur Minor, actus enim intellectus Architecti domum physicè non facit, nec cognitio fabri serram conficit, aut clauum. Confirmatur, Prudentia & Philosophia Moralis actus aliarum virtutum physicè non producunt, sed voluntati facem quasi præferendo, eam illuminant, vt ipsa per se actus illos virtuosos efficiat.

Quomodo concurrat Prudentia, & Philosophia Moralis.

Dices; actus virtutum moralium, sunt in diuersa potentia, nempe voluntate, prudentia verò informat intellectum, sicque nil mirum, quòd ad eos prudentia non concurrat, at verò scientiæ in eâdem sunt potentiâ cum Logica, nempe intellectu. Contra primò, potentiæ fortè inter se non distinguuntur. Contra secundò, nulla enim assignari ratio potest, cur non æqua intellectus, instructus præsertim aliarum scientiarum habitibus possit earum actus, dirigente Logicâ, elicere, ac voluntas sola actus virtutum cum directione prudentiæ, vel potentiæ executrices effectus fagiles producere ex directione artium.

VI. *Nil refert quòd illa sint in diuersa potentijs.*

VII. *Habitus Logicæ ad aliarum scientiarum actus physicè non concurrit.*

Dico secundò: habitus Logicæ non influit physicè in aliarum scientiarum actus. Ratio à priori est, quia habitus ad alios actus non concurrunt nisi eorum similes à quibus sunt producti, habitus v. g. ex hoc actu logico generatus; *Definitio constat ex genere & differentia*, ad alios actus his similes postea physicè concurrit, ad alias vero definitiones conficiendas, vt in Physicâ, *homo constat ex anima & corpore*, vel Metaphysica, *homo est animal rationale*, vel etiam in Logica, vt *Diuisio est oratio explicans rem per partes separatim sumptas*, immediatè ac physicè non concurrit, sed actum solum producit ad huiusmodi definitionum structuram dirigentem. Confirmatur, habitus practicus non concurrit ad effectum nisi per actum, repræsentando scilicet factibilitatem obiecti, sed actus non concurrit physicè, vt conclusione superiore dictum est, talis enim concursus esset omnino superfluus cum intellectus principium illorum actuum sufficiens in se contineat, ergo.

Habitus practicus ad effectum non concurrit, nisi per actum.

SECTIO II.

Obiectiones contendentes Logicam physicè ad aliarum scientiarum actus concurrere.

I. *Causa exemplaris cur reducatur ad efficientē.*

OBiicitur primò, causa exemplaris ab Aristotele reducitur ad efficientem, ergo effectiuè concurrit. Respondetur negando consequentiam, ideo enim reduci dicitur ad causam efficientem, quia tenet se ex parte principij, non tamen propterea verè influit, sicut nec approximatio in igne, nec actus intellectus respectu actus voluntatis.

II. *Obij. ob nouā formalitatem in effectu nouū semper requiri principium.*

Obiicitur secundò rectitudo est formalitas in actu, sed ob nouam formalitatem in effectu nouum semper requiritur principium ex parte causarum, sic enim in visione Beata ob supernaturalitatem requiritur lumen gloriæ tanquam principium supernaturale simul cum intellectu ad illius productionem concurrens, ergo hic nouum statui debet principium ob formalitatem rectitudinis. Sed contra, hoc enim probaret nullum dari actum scientificum posse sine concursu Logicæ, quod tamen supra ostendimus esse falsum, cum primi Logicæ inuentores, scientificos actus ante inuentam Logicam habuerint. Cum ergo rectitudo hæc in actibus simpliciter haberi possit sine Logica, nulla est necessitas statuendi nouum principium, sicut est necessarium ad visionem, quæ sine lumine gloriæ, aut alio aliquo illius locum supplente, elici omnino non potest.

Resp. sufficere nouum principium directiuum.

III. *Obi. actus aliarum scientiarum esse in quibusdam prædicatis similes actibus Logicis.*

Obiicitur tertiò: actus aliarum scientiarum similes sunt actibus Logicis, sed habitus producere semper possunt actus suis similes, ergo. probatur maior, actus aliarum scientiarum similem habent formam syllogisticam, similem præmissarum dispositionem, & huiusmodi, ergo. Confirmatur, probabilis est multorum sententia, habitum naturalem fidei, simul cum habitu supernaturali ad eliciendos actus fidei supernaturales concurrere, idque non alia de causa, nisi quia actus naturales fidei sunt similes supernaturalibus, ergo, &c.

IV. *Non quævis conuenientia in prædicatis sufficit, vt habitus vnius scientiæ ad actus alterius concurrat.*

Ad argumentum Respondetur, non quamcunque conuenientiam ad hoc sufficere, vt habitus aliquis ad actum alterius scientiæ concurrat, sic enim habitus omnium scientiarum, ad cuiusuis scientiæ actum concurrerent, cum omnium scientiarum actus in quibusdam prædicatis conueniant, vitalitate scilicet, spiritualitate, repræsentatione obiecti &c. Aliarum ergo scientiarum actus actibus Logicis simpliciter sunt dissimiles, cùm in obiecta ferantur diuersissima, sola enim terminorum dispositio, seu forma syllogistica, exigua est conuenientia, vt propterea dicatur habitus Logicæ ad illarum scientiarum actus physicè concurrere. præsertim cùm concursus directiuus, ad illorum productionem cum scientiarum illarum habitibus abundè sufficiat. Ad confirmationem dico, si habitus naturalis fidei simul cum supernaturali ad actum fidei concurrat, rationem esse quod actus fidei naturalis & supernaturalis in multis conueniant, in intentione scilicet, ac modo tendendi, & repræsentandi idem obiectum. quæ conuenientia inter Logicæ & aliarum scientiarum actus non reperitur.

Cur habitus naturalis fidei cum supernaturali concurrat ad actũ fidei.

V. *Obi. argumentando frequenter in vna materia facilitatem acquirimus in alia.*

Obiicitur quartò: quotidiana constat experientia, nos rectè in vna aliqua materia frequenter argumentando dexteritatem quandam, & facilitatem acquirere ad argumentandum in alia, sed facilitas in actibus arguit concursum physicum, hoc enim solo nomine probamus concursum effectiuum in habitibus, quod scilicet vbi frequẽter nos in aliqua materia exercuerimus, facilitatem experiamur in similibus postea actibus eliciendis; ergo tunc habitus Logicæ ad actus illos concurrit efficienter. Confirmatur, eandem facilitatem acquirimus ad promptè in quacunque materia argumentandum, si solùm exerceamus nos in literis, vt *omne A est B, sed omne C est A, ergo omne B est C.* ergo hoc in habitum aliquem vniuersalem refundi debet, qui cum omnibus scientiis concurrat.

Dandus videtur habitus quidam vniuersalis.

VI. *Resp. facilitatem inde prouenire, quod præcepta logica promptius menti occurrant.*

Ad argumentum Respondetur, facilitatem illam alio modo explicari posse quàm per concursum effectiuum, dum enim frequenter nos in aliqua materia exercemus, sæpius animo recurrunt præcepta logica, & intensos sui in intellectu habitus generant, qui postea multò perfectiores dirigendi actus eliciunt, sicque maiorem claritatem producendo & intellectum indies maiore luce Logicâ illustrando, per clariorem hanc directionem & lucem actus aliarum scientiarum, multò maiore cum facilitate producit. Ratio autem cur inferamus habitus aliarum scientiarum & voluntatis facilitare concurrendo effectiuè est, quia concurrere nequeunt directiuè quòd tamen potest Logica.

VII. *Per frequens exercitiũ intenduntur habitus regularum Logicæ, & hinc crescit facilitas.*

Idem dico ad confirmationem, intenduntur enim per frequens exercitium habitus regularum logicarum, qui postea actus *dirigentes* intensiores multò producendo, ad similes actus in omni materia facilitant, cum forma syllogistica & artificium logicum in omnibus sit idem, Quo autem magis habitus regulatum crescit, difficultas decrescit, & tantam tandem facilitatem in forma syllogistica acquirunt homines, vt non solùm non difficulter, sed alia etiam omnia agentes artificiosè discurrant, vbi materiæ difficultas non obsistit.

VIII. *Artifex operatur in quantum artifex, dum præscriptum artis, & regulas sequitur.*

Obiicitur quintò: artifex artis suæ opera producit in quantum artifex, sed est artifex formaliter per artem, ergo per artem opera illa producit ergo ars concurrit effectiuè. Contra, hoc enim probaret sartorem intellectu æquè ac acu vestes consuere, & fabrum non malleo magis quàm mente ferrum contundere. Respondetur itaque, operari in quantùm artificem, esse operari ex directione artis, seu illius præscriptum & regulas sequi, artis namque est, vt aiunt, *tradere certas, & errare non patientes vias*, non autem physicè producere.

IX. *Artificium Logicum in actibus physicis producitur physicè ab habitu Physico Logica dirigente.*

Obiicitur sextò: artificium logicum identificatum reperitur cum actibus physicis e.g. ergo habere debet principium aliquod formale productiuum, sed habitus physicus non potest esse illius principiũ formale: nullus enim habitus ferri potest in obiectum formale alterius, ergo. Respondetur artificium illud physicè produci ab habitu Physicæ Logicâ dirigente; Artificium autem illud in actibus physicis repertum, licet hoc sensu sit Logicum, id est, ex Logicæ præscripto productum, non tamen est Logicum, seu quod ad habitum Logicæ spectat; tales enim solùm sunt regulæ, seu actus rationem modi sciendi præscribentes.

X. *Habitum Logica, & physica ad quosdam actus videtur simul physicè concurrere. Probabilius tamen est contrarium.*

Quòd si aliquando contingit conclusionem aliquam ad duas simul scientias spectare, & partim vnius esse, partim alterius, vt in hoc syllogismo, *Omnis definitio constat ex genere & differentia, sed animal rationale est definitio, ergo animal rationale constat ex genere & differentia*: in hoc, inquam, casu dici fortè posset vtrumque habitum, & physicum scilicet & Logicum ad conclusionem illam concurre, vel potiùs neutrum, sed ad aliam aliquam scientiam spectare, ab vtraque distinctam, sicut conclusio Theologica, cuius altera præmissa semper est actus fidei, altera naturalis, vt, *omnis homo est substantia, Christus est homo, ergo Christus est substantia*, conclusio, inquam, hæc, nec fidei est, nec scientiæ naturalis, sed Theologiæ ab vtraque distincta.

SECTIO III.

Discutiuntur reliqua ad Proœmialia Logicæ spectantia.

I. *Actus Logicæ Docentis, seu dirigentes, nobis non aduertentibus, menti occurrunt.*

QVæres primò, cùm experientia constet facilitate maximâ subinde nos in materiâ physicâ aut metaphysicâ artificiosè discurrere, etsi nullus menti tunc obuersetur actus, seu regula logica quodnam in hoc casu sit facilitatis illius principium. Respondetur primò actum Logicæ Docentis menti, nobis etiam non aduertentibus, frequenter occurrere, & ad actus illos imperceptibiliter disponere, & intellectum ad eorum effectionem dirigere, vt in pulsante citharam constat.

II. *Ad facilitatem illam sufficere aliquando solum habitum Physica.*

Secundò, dico habitum Physicæ solum, per actus ex directione Logicæ elicitos productum ad hoc sufficere posse in illa materia, in qua quis similes actus frequenter elicuit. Sicut si quis per Logicam naturalem, seu vim natiuam intellectus, ante Logicam artificialem inuentam, hunc syllogismum sæpiùs elicuisset. *Omne totum est maius sua parte, sed corpus est totum, ergo est maius sua parte*, facilitatem in eo maximam acquireret, nihilominus nullo modo hic concurreret Logica, quam suppono necdum inuentam.

III.

Tertiò, dico sicut in pulsante citharam & artes mechanicas exercente ad effectus illos promptè & expeditè producendos, non parum confert laxitas quædam neruorum, ac dispositio, ita hic sæpiùs in vna

Ad facilitatem conducunt memoriæ, ac phantasiæ promptitudo.

vna aliqua materia discurrendo, specialis quædam memoriæ, ac phantasiæ promptitudo ingeneratur, ac dexteritas, quibus ad eiusmodi postea actus ita promptus, ac facilis redditur intellectus, vt leuissimâ datâ occasione, in eos subinde, nobis etiam ferme incogitantibus prorumpat.

V. *Causa efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis Logicæ.*

Quæres secundò: sitne Logica dicenda vna scientia? Respōdetur cum P. Hurt. d. 11. Log. s. 4. n. 54. P. Atia. d. 3. Log. f. 6. & alijs, esse aggregatione vnam, vtpote quæ ex varijs habitibus heterogeneis, vt vrbs ex multis domibus coalescit.

Quæres tertiò: quæ sint causæ Logicæ? Respondetur efficientem esse intellectum, vtpote qui actus Logicos efficit, & idem etiam causa illius est materialis, quippe qui actus eosdem in se recipit. Causa formalis est rectitudo illa, & artificium quod in actus tanquam formam inducit Logica, & ab actuū essentia non distinguitur. Finalis tandem est veritas, ad quam in rebus inuestigandā intellectum & scientias speciali quoddam modo iuuat. Meritò proinde eidem hæc ascribitur Epigraphe, *Dialectica veritatis indagatrix scientia.*

VI. Quæres quartò: quomodo Logica ab aliis scientiis distinguatur? Respondetur à Grammatica & Rhetorica obiecto distingui: Logica enim internas voces considerat, illæ externas, Grammatica vt correctè, & emendatè, Rhetorica vt copiosè, & ornatè quis loquatur, & apposité ad persuadendum. Ab Animastica fine distinguitur, & tendendi modo, illa siquidem intellectus actus speculatinè considerat, vt qualitates sunt spirituales, vitales &c. Logica practicè, vt nimirum in modos sciendi formari possunt & ad obiecta artificiosè, ac vere repræsentando sunt dirigibiles.

Logica internas voces considerat. Grammatica, & Rhetorica externas.

Quomodo Logica distinguatur ab Animastica.

De dignitate & proprietate Logicæ diximus d. 11. s. 2. si quis plura hac de re cupiat, habet quos consulat, Conimb. q. 3. proœm. art. 2. & alios. VII.

Tandem aptè definiri mihi videtur hoc modo posse Dialectica: *est ars ad scientias in suis operationibus ad veritatem indagandam dirigendas, ordinata.* VIII.

Logica Definitio

Diuidi Philosophia solet in *Rationalem, Naturalem*, & *Moralem*, seu *Logicam, Physicam*, & *Ethicam*. In hac trina partitione, media speculatiua est, prima & postrema practicæ: intelligendi illa, hæc viuendi norma est, illa mentem, hæc mores dirigit. IX.

Philosophia tripartita. Rationalis, Naturalis, Moralis.

DISPVTATIO XIII.

De Ente Rationis.

Ens rationis vnde dictū.

NVllibi tenuiùs filum net mens humana, nusquam subtiliùs speculatur, quàm dum hoc ens fabricat, ideo Rationis dictum quod esse suum, quale illud cunque fuerit, rationi acceptum referat. Cum ergo nullius in toto cursu philosophico maior vel fama sit, vel expectatio, suis illud hic coloribus adumbrabimus: ortum eius, causas, lineamenta, indolem describemus.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam ad entis Rationis cognitionem spectantia.

I. *Primum in vnoquoque genere mensura est reliquorum.*

PRimum in vnoquoque genere mensura est reliquorum. Deus ergo cum primum Ens sit, Ens Entium, qui à se, necessariò, & actu semper existit, res aliæ quo à Deo propius absunt, quo, inquam, in aptitudine ad existendum ad eum magis accedunt, eo in suo vnaquæque gradu perfectius rationem Entis participat.

II. *Deum primum Ens longo sequuntur interuallo creaturæ existentes.*

Deum itaque primò hoc in genere sequuntur, sed longo sequuntur interuallo creaturæ actu existentes, vtpote quæ verè sunt, contingenter tamen, ac dependenter ab alio, suisque limitibus circumscriptæ: tot demum imperfectionibus refertæ, vt Primi Entis vix vmbra censeri possint.

III. *Mox sequuntur res possibiles.*

Tertium in ratione Entis locum obtinent possibilia, quæ quamuis actu non sint, in prædicatis tamen eorum essentialibus aptitudo cernitur ad existendum.

IV. *Vltimo demum loco veniunt Entia rationis.*

Quarto demum, & vltimo loco statuuntur Entia Rationis, & meritò, quæ nimirum quicquid habent entitatis, & existentiæ, ab intellectu emendicant, itaque ab eius actibus pendent ita, inquam, eius intuitu quasi, & conspectu viuunt (vtpote quorum esse, est cognosci) vt, si oculos tantillum auerterit, illicò euanescant.

V. *Quid sit Ens Rationis effectiuè.*

Secundò Notandum, Ens Rationis tripliciter ab auctoribus sumi, *effectiuè, subiectiuè*, & *obiectiuè*. Ens Rationis *effectiuè*, est illud omne quod quouis modo ab intellectu producitur, mediate vel immediate, vt actus ipsi intellectus & voluntatis, effectiuè vel directiuè, quo sensu artificiosus motus manus in pingendo, scribendo & aliis huiusmodi, imò opera omnia ex directione artis producta, effectiue ab intellectu procedere dicuntur.

VI. *Ens Rationis subiectiuè.*

Ens rationis obiectiuè illa omnia censentur, quæ intellectui quouis modo tanquam subiecto insunt, vt actus intellectus, species intelligibiles &c. Imò obiecta omnia, etiam realia & existentia, prout ab actibus eorum repræsentatiuis ad intellectum quasi attrahuntur & in eodem mediis actibus subiectantur (quo sensu Aristoteles l. 3 de Anima, *intellectus*, inquit, *intelligendo fit omnia*) Rationis Entia frequenter appellantur.

Intellectus intelligendo fit omnia.

VII. *Ens rationis obiectiuè primario, & secundariò.*

Obiectiuè Ens Rationis primariò dicitur, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, qualia sunt Hippoceruus, homo leo & similia, quæ in se nullum habent, nec habere possunt, cum in se prædicata semper contradictoria inuoluant, dum verò cognoscuntur, esse quoddam intentionale iis ab intellectu communicatur. Ens Rationis obiectiuè secundariò illud omne est, quod quouis modo intellectui obiicitur, sed hoc impropriè. Vnde si actus intellectus producatur qui supra se reflectit, omnes has tres in se rationes complectetur, vt enim producitur, erit effectiuè ab intellectu, vt recipitur, subiectiuè, obiectiuè tandem vt repræsentatur, estque obiectum sui.

Actus intellectus supra se reflexus, tripliciter dicitur Ens Rationis.

VIII. *Ens Rationis est, quod tantū habet esse obiectiuè in intellectu.*

Ens rationis itaque illud est, quod ita est obiectum intellectus, vt aliud esse non habeat, nec habere possit, quàm mere esse obiectiuè in intellectu: in quo differt à rebus aliis, quæ intellectui obiiciuntur, sicque hoc sensu sunt obiectiuè in intellectu, nō tamen tantùm obiectiuè, sed aliunde suum esse habent, si existant, vt sol, cœlū, terra & huiusmodi, vel habere possunt, si solùm sint possibilia, vt Antichristus, alius mundus & similia, quæ ideo entia rationis non sunt, quia totum suum esse non habent ab intellectu.

IX. *Obiij si detur Ens Rationis esse duo contradictoria simul vera.*

Hinc soluitur illud quod opponunt aliqui: sequitur enim, inquiunt si detur ens rationis, dari duo contradictoria simul vera, esse scilicet ens rationis.

& non esse, negatio enim entis rationis potest cognosci, ipso facto autem quod cognoscatur, fit, inquiunt, ens rationis, cum sit obiectiuè in intellectu, ergo simul est ens rationis, & entis rationis negatio.

X. *Ostenditur quomodo ex Ente Rationis non sequantur duo contradictoria.*

Sotus ob hoc argumentum in eas est redactus angustias, vt concedendum necessariò assereret duo contradictoria in hac materia esse simul vera. Sed respondetur facilè, non eo ipso quod quid cognoscatur, fieri Ens Rationis, sed vt sit ens Rationis requiri vlterius, vt ita sit obiectiuè in intellectu, vt aliud esse nõ habeat, nec habere possit, alioqui negatio omnis cognita esset ens rationis, sicque Deus perpetuo faceret entia rationis, cum nouerit talpam esse cæcam, ignem non esse frigidum, aërem noctu esse tenebrosum, & huiusmodi. Negatio ergo Entis Rationis nemine cogitante est, & suo modo à parte rei existit, nemine enim cogitante lapis, equus, leo non sunt entia rationis.

Negatio Entis Rationis, cognita non est Ens Rationis.

XI. *S. Thomas. Diuersus modus tendendi intellectus, & voluntatis.*

Ad vlteriorem existentiæ huius obiectiuæ, quam res ab intellectu accipiunt, declarationem, notandum secundum communem omnium conceptum obiecta cognita per cognitionem, & repræsentationem esse aliquo modo in anima. Quod vt explicet S. Thomas l. 4. contra Gentes c. 19. aduertit diuersum esse tendendi modum intellectus & voluntatis, seu potentiarum cognoscitiuarum, & appetitiuarum, hæ enim ex modo tendendi exeunt aliquo modo & effundũt quasi se ad bonum seu obiectum suum, quod in rebus extrinsecis reperiunt, vnde ortum dictum illud, *anima magis est, vbi amat, quam vbi animat*. At vero intellectus ex modo operandi res externas ad se quasi attrahit, vnde res repræsentata esse dicitur tamquam in imagine, imo subinde imago vocatur res ipsa per imaginem repræsentata: sic Cæsarem dicimus esse in imagine Cæsaris, imò Cæsaris imaginem Cæsarem appellamus, ostensa enim imagine dicimus, est Cæsar. Insitum ergo omnibus est, vt res per intellectionem peculiari modo existiment esse in anima, quod idem est ac esse obiectiuè in intellectu. Quod notandum accuratè pro iis quæ de existentia Entis Rationis postea dicemus.

Anima magis est, vbi amat, quàm vbi animat.

Res per intellectionem dicuntur peculiari modo esse in anima.

SECTIO II.

An detur Ens Rationis, seu obiectum aliquod impossibile à possibilibus distinctum.

I. VT in Entis cuiusque realis disquisitione, ita & in Rationis, quod ad realis similitudinem fingitur, quatuor illa *An sit*, *Quid sit*, *Quale sit*, *Propter quid sit*, inquirenda. In præsenti ergo quærimus, detur, nec ne *obiectum* aliquod verè *impossibile* à possibilibus distinctum, vel vtrum quicquid fingitur Chimærarum, vt Hyppocentauri, &c. ex parte obiecti nihil aliud inuoluant præter res possibiles, alio tamen & alio modo, vel per actum intellectus solũ, vel per vniones reales, quæque à parte rei existunt, vel existere possunt inter se coniunctas?

Detur ne obiectum impossibile.

II. *Aliqui ante actum intellectus dari volunt Ens Rationis.*

Aliqui ita Ens Rationis dari volunt, vt illud etiã ante intellectus operationem existere affirment: ita P. Fonseca 5. Metaph. c. 6. qu. 7. f. 5. Bannes 1. p. qu. 17. Molina 1. p. & alij nonnulli.

III. *Non datur Ens Rationis ante operationem intellectus.*

Contraria tamen sententia, si propriè loquamur, videtur omnino certa. Ratio est manifesta, nam Ens Rationis, vt ipsum nomen præsefert, illud est, quod esse suum à ratione, seu mentis operatione desumit, ergo quod ante intellectus operationem existit, Ens Rationis dici nullo modo potest, cum entitatem suam aliunde, non per rationem accipiat.

IV. Dices primò, obiectum præcedere debet cognitionem, & ad eam præsupponi, ergo esse suum ab ea recipere non potest, magis quàm causa ab effectu. Respondetur primò negando antecedens, Deus enim & se, & res omnes ab æterno cognouit. Omnis etiam actus practicus, est causa sui obiecti, sicque illo prior. Respondetur secundò, obiectum intellectus duplex esse, motiuum & terminatiuum primarium illud, hoc secundarium. Obiectum itaque motiuum, quod per se vel speciem sui mouet intellectum ad sui cognitionem, prius illo sit necesse est, cum mediate vel immediate sit illius causa. Obiectum vero solùm terminatiuum, quodque per alienas tantum species cognoscitur, & nullo modo in cognitionem influit, simul naturâ cum illa est frequenter, subinde posterius, nunquam prius.

Obiectum non semper præcedit cognitionem.

V. *Videntur nemine cogitante dari multa Entia Rationis.*

Dices secundò, nemine cogitante dantur negationes & priuationes, Petrus enim est cæcus, aër tenebrosus, etiamsi nullus aut visus priuationem aut lucis ijs affingat. Confirmatur, etsi nullus quidquam fingat, moneta suum habet valorem, Paulus est dominus, Ioannes seruus, &c. ergo.

VI. *Negationes, & priuationes non sunt Entia Rationis.*

Ad argumentum Respondetur, negationes & priuationes entia omnino non esse, sed remotiones entium, vt postea dicemus. Sed quidquid sunt, entia certe rationis esse nequeunt, ob definitionem Entis Rationis toties repetitam, *cuius totum esse sit esse obiectiue in intellectu*: negationes autem, & priuationes, vt fatetur argumentum, qualecumque illud esse sit, quod habent, ante intellectum habent. Ad Confirmationem dico, illa quæ ibidem enumerantur denominationes esse extrinsecas, primam ex voluntate imponentis, reliquas ex contractu inter eos inito & non reuocato, procedentes.

Valor monetæ est denominatio extrinseca.

VII. *Prima sententia negat Ens Rationis seu obiectum impossibile.*

Prima itaque sententia negat Ens rationis: ita Mirandulanus in expositione prædicamentorum f. 8. Iandunus 6. Metaphy. q. 7. Valesius Contro. 30. Gabriel in 1. d. 2. q. 8. quam sententiam defendit P. Erice 1. p. d. 8. c. 1. quem aliqui sequuntur ex recentioribus, qui fortasse cum Patre Erice soli sunt, qui hanc sententiam in sensu quæstionis propositæ defendunt.

VIII. *Dicunt quando de Ente Rationis cogitamus, nihil menti obuersari præter Entia realia.*

Asserunt ergo hi auctores, quando de Hyppocentauro, Tragelapho, aut alia huiusmodi Chimæra quis cogitat, nihil aliud menti obuersari præter res possibiles, & quantumuis res impossibiles videamur animo reuoluere, non minùs tamen hac in parte falli intellectum affirmant, quàm visum deludi, dum remum media ex parte aquæ immersum quasi curuum aut fractum cernit.

IX. *Communis sententia docet admittenda esse entia impossibilia.*

Secunda sententia, quæ omnium ferme Theologorum ac Philosophorũ est, dari affirmat Ens, quod Rationis vocamus, in quam opinionem ita conspirant omnes, vt superuacaneum sit auctores recensere, cum vna omnium prope vox sit, admittenda necessariò entia aliqua impossibilia, nec dum de Chimæris cogitamus, posse intellectus nostri actibus obiecta sola possibilia semper assignari: ita Suarez. d. 54. metaph. s. 1. n. 4. Hurt. d. 19. Metaph. Rouius in Log. trac. de Ente Rat. q. 1. Murcia d. 2. de Vniuer. q. 1. §. *Vera tamen*. Ouiedo con. 12. met. p. 2. num. 5 7. & 8. Arriaga d. 6. Metaph. s. 1. & alij. Est etiam expressa sententia antiquorum, qui Ens rationis *ens in anima*, seu ens cognitionis, ens vero reale *ens extra animam* vocabant, seu ens naturæ. Ego quid hac in re sentiam, dicam sectionibus sequentibus.

Ens in anima, Ens extra animam.

SECTIO III.

Dari potest obiectum impossibile, compactum ex puris possibilibus.

I. *Status quæstionis aperitur.*

SEnsus est, obiectũ aliquód in intellectũ existere posse, ita ex puris compactũ possibilibus, vt nec pars

pars vlla illius, nec vnio sit impossibilis, & tamen totum ipsum, seu complexum sit quid impossibile. Et hac in parte veram existimo primam sententiam. Verùm vt meliùs intelligatur, & probetur Conclusio.

II. *Res aliqua ita inter se pugnant, vt in eodem subiecto existere nullo modo possint.*

Notandum res quasdam esse ita inter se pugnantes & oppositas, vt nullo modo vel in rerum natura, vel saltem in eodem subiecto, aut potentia existere simul possint. Huiusmodi sunt res, & illius negatio, assensus & dissensus, amor & odium eiusdem omnino obiecti, gratia & peccatum mortale secundùm multos, peccatum & visio beatifica vel vnio hypostatica, paritas & imparitas in stellis, & sexcenta similia.

III. *Probatur dari obiectum impossibile, conflatum ex possibilibus.*

Probatur itaque Conclusio, &, vt in vno aliquo figamus pedem, ponamus gratiam & peccatum mortale in eadem anima simul existere non posse. Potest Petrus eodem vel diuersis actibus gratiam & peccatum apprehendere in anima Pauli in instante A, sed hoc obiectum seu complexum est impossibile, & tamen neutra illius pars, nec vnio, nec aliud quidquam est impossibile, ergo existere obiectiuè in mente potest obiectum impossibile, cuius nulla pars sit impossibilis.

IV. *Potest quis simul apprehendere contradictoria.*

Maior probatur, licet enim iudicium, seu assensus & dissensus de eodem obiecto simul esse nequeat, vt tamen quis contradictoria simul apprehendat, nulla est difficultas: sic enim dum vnum audit quis dicentem stellæ sunt pares, Antichristus existit, aut aliquid huiusmodi, alium eodem tempore dicentē stellæ sunt impares, Antichristus non existit, vtriusque obiectum simul apprehendit, nec in hoc quidquam apparet repugnantiæ.

V. *Potest quis iudicare vnum, & apprehendere illius contradictorium.*

Secundò probatur minor illa propositio: potest quis iudicare vnum, & apprehendere illius contradictorium, ergo à fortiori apprehendere duo contradictoria, cum iudicium non minus sit repræsentatio rei, & apprehensio, quam sit ipsa apprehensio, licèt non sit apprehensio simplex, sed vlteriùs ad alteram se partem determinet: antecedens patet dum quis disputat contra hæreticos, Monothelitas e.g. credit ipse firmissimè, esse in Christo duas voluntates, duabus Christi naturis correspondentes, & tamen apprehendit contrarium, dum scilicet dicta ab iis, vel scripta legit: vnde negat propositiones ab iis prolatas, nihil autem affirmare quis vel negare potest, quod mente non concipit. Confirmatur: hoc namque indies contingit, si enim quis contrariæ opinionis in hoc ipsum incidat, quod istic scribo, licèt iudicet forte contrarium esse verum; quid tamen hic velim concipit; ergo vtrumque contradictoriū simul in mente habet.

VI. *Potest quis efficaciter velle vnum, & complacere in contrario.*

Tertiò probatur: potest quis efficaciter velle vnum & simul complacere de contrario, vt in eo constat qui in tempestate merces in mare proiicit, quas tamen seruare libenter vellet, si salua vita posset; ergo à fortiori potest quis de duobus bonis oppositis simul complacere, & consequenter apprehendere. Confirmatur, licet enim Deus peccatum & gratiam in anima, paritatem & imparitatem in stellis ponere simul non possit, nós tamen hoc possumus imaginari, *latius enim patet imaginabile quam ens possibile.*

Latius patet ens imaginabile, quàm ens possibile.

VII. *Ostenditur obiectum horum actuum esse impossibile.*

Minor itaque quoad primam partem, quod scilicet obiectum hoc sit impossibile, probatur: illud est impossibile, quod per nullam potentiam à parte rei poni potest prout cōcipitur, sed nulla potētia simul à parte rei ponere potest Antichristum & eius negationem, paritatem & imparitatem in stellis, gratiam in anima & mortale peccatum, vt supponimus; ergo est obiectum seu complexum simpliciter impossibile.

VIII. *Ostenditur etiam omnes eius partes esse reales.*

Secunda etiam pars minoris, quod scilicet omnes huius complexi partes sint reales, probatur; concipit enim Paulum verè esse in gratia, & verè ac propriè peccare, si enim vt dixi duos hos dicentes audiat, illorum obiecta concipit. Confirmatur, si Petrus iudicet Paulum in instāte A esse in gratia, Ioannes esse Paulum eodem instante in peccato, Angelus ex Dei permissione vtrumque actum videns, cognoscit vtriusque obiecta: sed vterque ille actus obiectum habuit reale, realem scilicet gratiam, & peccatū reale, ergo Angelus eadem cognoscit obiecta, alioqui non illos actus cognosceret, sed alios. Et ad hoc probandū omnia conferunt, quæ in probatione maioris proximè attulimus, de complacentia circa duo obiecta contradictoria, disputatione cum hæretico, aut contrarium in quæstione aliqua Philosophica, aut Theologica, vel alterius cuiuscunque materiæ opinante: nec enim de ficta aut Chimærica proiectione & retentione mercium complacet, sed de vera, & sic de cæteris.

Angelus obiecta illa opposita cognoscit esse realia.

IX. *Ostenditur concipi gratiam, & peccatum simul in anima Pauli.*

Dices, gratiam quidem illum realem & reale peccatum simul concipere in Pauli anima sed non concipere simul. Contra, concipit vtrumque in anima Pauli existere in instante A, ergo concipit simul, sicut audiens aliquem dicentem Antichristus iam existit, non solum concipit seu apprehendit Antichristum, & hunc diem, vel instans, sed Antichristum in hoc instante, seu huic instanti coniunctum.

X. *Ostenditur simultatem obiectiuam gratiæ, & peccati, in anima Pauli esse realem.*

Dices secundò: partes quidem esse reales, gratiam scilicet & peccatum realia, sed simultas est fictitia, & ratione illius totum seu complexum est chimæricū & impossibile, sicut homo ratione vnionis generatur, licèt & corpus creetur, & anima. Contra, simultas illa seu coniunctio eorum obiectiua in instāte A in anima Pauli nihil aliud est præter vnionem gratiæ, & vnionem peccati cum anima, duas vbicationes & duas durationes eorumdem homogeneas seu respectu eiusdem loci & temporis. sed hæc omnia sūt realia, ipso enim facto quod quis hæc apprehendat, nullo plane alio superaddito concipit illa esse simul in eodem subiecto, loco & tempore. Hæc ergo simultas realis est, & aliud nihil quam vera simultas, quæ ita inter se diffident, vt conciliari per nullam potentiam possint.

XI. *Vbicationes aliæ obiectiuæ durationes, & vniones, sunt reales.*

Nec tandem est, cur vniones istas, vbicationes, aut durationes dicat quis esse Chimæricas: cum enim nō magis inter se pugnent, quam partes ipsæ quarum sunt affectiones, qui partes ponit reales, vniones aut vbicationes nequicquam dixerit esse fictitias. Deinde argumenta omnia, quæ supra posui ad probandum gratiam & peccatum esse realia, hic recurrunt, & pari efficaciâ idem probant de vnionibus vbicationibus, & durationibus.

XII. *Obij: implicare vt quicquid complexum aliquod constituit, sit reale, complexum tamen impossibile.*

Obijcies implicationem esse in terminis vt partes omnes, & vniones reliquusque ad complexum aliquod componendum apparatus sit realis, & possibilis, complexum tamen ipsum impossibile: perinde enim est ac si quis diceret, hominem esse nigrum cuius omnes partes sunt albæ, virgam curuam, cuius partes omnes sunt rectæ, librum falsum, cuius omnes propositiones sunt veræ: & sic de alijs. Respondetur hanc argumentationem plerumque tenere, & propterea d. 3. de gratia sec. 3. hinc contra recentiores aliquos deduxi, eum qui tentationes superare singulas potest, posse omnes.

XIII. *Ostenditur posse complexum impossibile componi ex possibilibus.*

Ad argumentum itaque dico, diuersissimam esse rationem de exemplis in obiectione allatis, & in nostro casu, in ijs enim partes eodem modo, & ad eamdem denominationem promouendam tendunt hîc vero vna alteri est planè opposita, sicque cùm sibi inuicem ita repugnēt, quid mirū si totum, quod in se omnes complectitur, impossibile sit, cum tamen

nulla eius pars sit impossibilis, sed poni sigillatim à parte rei omnes possint. Quod, vt dixi, peculiare est in eiusmodi compositis, quæ partes continent sibi inuicem repugnantes, quæ proinde à parte rei poni non possunt, mente tamen concipi possunt. Verum ergo est, quod initio sectionis dixi, dari nimirum obiectum, seu totum aliquod impossibile in mente posse, cuius singulæ partes, vniones, & reliqua ad illius constructionem necessaria, sint possibilia.

SECTIO IV.

Admitti necessariò debent obiecta impossibilia ab omnibus possibilibus distincta.

I. *Datur obiectum impossibile, in quo nihil reale, sim possibile inuoluitur.* HAnc Conclusionem statuo cum auctoribus secundæ sententiæ sect. 2. relatæ, sicque Ens Rationis in sensu proprio & maximè rigoroso dari existimo, pure scilicet ab intellectu confictum, in quo vel nihil inuoluatur reale, vel saltem aliquid reperiatur ab obiectis omnibus realibus seu possibilibus planè ac plenè distinctum, quod quidquid entitatis habet, ab intellectu mere fingente habet, sicque totum eius esse, est esse obiectiuè in mente. Hæc est expressa sententia Aristotelis, tum alibi, tum l. 5. Metaph. c. 7. vbi inter Entis diuisiones Ens rationis numerat. 6. etiam Metaphy. c. 2. Ens rationis ab obiecto Metaphysicæ aliquo sensu excludit, quia, inquit, veram entis rationem non participat, sed fingendo fit, & totum eius esse, est esse obiectiuè in intellectu. *Aristo. tenet obiecta merè impossibilia.*

II. *Varia assignantur obiecta impossibilia.* Probatur primò, multa indies, vt quotidianâ cõstat experientiâ, hominibus animo obuersantur, quæ non solùm actu non sunt, sed nullo modo esse possunt, vt Hippoceruus, Tragelaphus, Myrmicoleon, & similia, quæ quisque fingit ac fabricat pro libitu, & fabricata facile dissoluit.

III. *Secundò probatur ex hac propositione,* intercedit identitas inter equum, & ceruum. Secundò probatur, in hac & similibus propositionibus *equus identificatur cũ ceruo,* vel *intercedit identitas inter equum & ceruum.* quisquis vel has profert, vel proferentem audit, identitatem concipit inter illa duo intercedere, sed hæc identitas est quid mere fictitium, quodque nec est, nec esse à parte rei vllo modo potest: ergo.

IV. *Ostenditur hoc non concipi identitatem realem.* Dices primò concipi hic & affirmari identitatem realem, nempe Leonis, & per hanc asserit loquens equum cum ceruo in vnam entitatem coalescere. Contra primò: non magis in hoc casu concipit idẽtitatem Leonis, quàm Leporis, aut canis, vel alterius rei cuiuscumque: ergo concipit res omnes, & omnium identitates de illis prædicat, vel in ijs apprehendit, ergo ista propositio equus est ceruus, & hæc Leo est Lepus, habent adæquate idem obiectũ: cùm vtraque pro obiecto habeat res omnes: & idem est de omnibus eiusmodi propositionibus.

V. *Non concipiuntur hic equus, ceruus, & leo disparatè, sed intrinsecè identificati.* Contra secundò: qui propositiones illas elicit vel audit, non merè concipit equum, ceruum & leonem disparatè, sed entitatem vel identitatem leonis concipit, vt illos duos intrinsecè afficientem, & identificantem, ergo vel leonem hic chimæricum fingit, cùm nullus leo realis hoc possit, vel saltem leoni reali formalitatem nouam identificationis affingit, ergo hæc saltem formalitas est quid merè fictitium, & impossibile, cum ad hanc equi & cerui identificationem non sufficiat identitatem leonis concipere vtcumque, sed vt eos inter se identificantẽ, seu intrinsece afficientem.

VI. *Necessariò hic interuenit, vel vnio, vel formalitas fictitia.* Dices secundò: nihil aliud requiritur vt identificati concipiantur præter entitates ipsas equi & cerui immediatè interse connexas. Cõtra; ergo chimæricus equus & ceruus chimæricus concipitur, vel vnio aliqua aut formalitas ipsis chimærica appingitur, vt proximè diximus de leone, cum nullus equus aut ceruus possibilis hoc habeat.

VII. *Alia vnio hic requiritur præter actum intellectus.* Dices tertio actus intellectus, quo in hac propositione *equus est ceruus*, equus prædicatur de ceruo, illos vnit per se. Contrà primò intellectus vnit tantùm extrinsecè, hîc autem, dum dicit quis, equus intrinsecè identificatur cum ceruo, non intercedit tãtùm vnio in actu exercito & extrinseca, sed in actu signato, & intrinseca; ergo aliquid tenens se ex parte obiecti, identitas nimirum chimærica. Confirmatur in hac propositione, *leo & lepus sunt identificati*, identitas tenet se ex parte prædicati, ergo intellectus illam repræsentat & prædicando affirmat de leone & lepore, ergo in illa propositione repræsentatur obiectum impossibile.

VIII. *Clarius constat in hac propositione, equus & ceruus identificantur intrinsecè.* Confirmatur secundò, in hac propositione *equus & ceruus identificantur intrinsecè*, prædicatur de ijs identitas, ergo est alia identitas præter actum intellectus. actus enim non repræsentat nec prædicat se de illis. Deinde identitas quæ hic prædicatur est intrinseca, actus autem illis est extrinsecus. Confirmatur tertiò in hac propositione *identitas inter leonem & equum est chimærica* repræsentatur idẽtitas de qua prædicatur quod sit chimæra, ergo concipitur obiectũ impossibile. Deinde propositio illa est vera, ergo identitas illic repræsentata nõ est actus intellectus, tunc enim propositio esset falsa, cum actus intellectus non sit chimæra.

IX. *Hac propositione: Deus per suam entitatem excludit alium Deũ clarè probatur dari obiectũ impossibile.* Tertio probatur Conclusio, hæc propositio est vera, *Deus per suam entitatem excludit alium Deum*, ergo hîc ex parte obiecti repræsentatur alius Deus, nempe falsus & chimæricus. Dices repræsentari verum Deum & veram alietatem. Contra, ergo propositio est falsa, hæc enim non excludit verus Deus, sed ijs coëxistit. Dices, non coëxistit ijs vnitis. Contra, ergo ex parte obiecti repræsentatur vnio aliqua ficta. Dices, vnio est actus intellectus, veram alietatem vero Deo intentionaliter coniungens. Contra primò, ergo propositio illa est falsa, cùm omni veræ alietati, reali actui intellectus, & vero Deo Deus coëxistat. *Alius Deus dicit quid impossibile, alioquin posset dari à parte rei.* Contra secundò, si alius Deus nihil in conceptu suo aliud dicat, præter veram alietatem, verum Deum, & realem actum intellectus, ergo datur à parte rei alius Deus, hæc enim omnia à parte rei existunt.

X. *Conceptus alterius Dei, non est verus Deus, vera alietas, & actus falsus.* Dices, alius Deus in conceptu suo dicit verum Deum, veram alietatem, & actum intellectus falsum, seu falsò illa intentionaliter vnientem. Contra, hinc non euitatur difficultas, verus enim Deus, vera alietas, & actus falsus, illa falso vniens existunt à parte rei, si ergo conceptus alterius Dei obiectiuus nihil in se aliud quàm hæc inuoluat, datur à parte rei alius Deus.

XI. *Si dicatur consistere in diuerso modo, recurrit prius argumentum.* Dices existunt quidem vnus Deus & alietas, sed non eo modo quo per actum repræsentantur. Contra primò, alius ille modus vel est quid possibile, vel impossibile, si secundum, ergo datur obiectum impossibile, si primùm, recurrit difficultas; omni enim possibili coëxistit Deus, ergo alium Deum non excludit, ergo hæc propositio *Deus excludit alium Deum* erit falsa, quæ tamen est certissima, alioqui contradictoria erit vera, Deus non excludit alium Deum, quę est plane falsissima.

XII. *Modus ille diuersus non tenere se potest ex parte obiecti, nec actus.* Contra secundò, modus ille vel tenet se ex parte obiecti, vel actus, non primum, vt ostensum est: si secundùm, cùm non distinguatur ab entitate actus, modus ille existit à parte rei, ergo quicquid est de conceptu essentiali & intrinseco alterius Dei à parte rei existit, ergo alius Deus existit à parte rei, quod tamen orthodoxi omnes auersantur, dicente Deo.

per

per Prophetam, Deuter. 32. v. 39 *Non est alius Deus praeter me*: cuius propositionis obiectum si inquirerem, ægrè illud assignarent aduersarij. Plurima ad hoc intentum adduci adhuc possent, sed hæc abundè, vt existimo, sufficiunt ad necessitatem obiecti impossibilis ostendendam.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta Obiectum impossibile negantia.

I. *Impossibilia omnes actus explicari per obiecta possibilia.*

OBijcitur primò: actus omnes intellectus, quos affirmamus nos versari circa obiecta impossibilia, explicari possunt de possibilibus, ergo frustra ponuntur obiecta impossibilia. Contra primò, sectione enim præcedente ostendimus multos esse actus, qui sine obiectis impossibilibus explicari omnino non possunt. Contra secundò, hic ipse actus quo aduersarij negant requiri obiecta impossibilia, habet ea pro obiecto, & verè illa repræsentat, cùm de ijs aliquid neget, ergo illa negando astruunt.

II. *Dices loquimur verò de inconceptibili, quod tamen non potest concipi. Sequeretur etiam dari aliquid præter possibile & impossibile.*

Dices hoc argumentum nobis etiam esse soluendum, loquimur etenim de intelligibili, & inconceptibili, nihilominus nec incôceptibile concipimus, nec intelligimus inintelligibile, quippe quæ intelligi & concipi non possunt. Confirmatur, hunc actum formamus omnes: *nihil dari potest præter possibile & impossibile, quod non vel positiuum sit, vel negatiuum*; ergo aliquid concipimus à possibili & impossibili, positiuo & negatiuo distinctum.

III. *Hinc nouū deducitur argumentū ad probandū dari entia impossibilia.*

Ex hac replica, quamuis nonullam, fateor, habeat difficultatem, existimo nouum pro nostra sententia argumentum deduci. Inquiro enim ab aduersaria quodnam sit huius propositionis obiectum, *inconceptibile non potest concipi*, aliquod namque habere obiectum debet, propositio enim sine obiecto tam esset Chimæra, quàm quidquid vsquam Chimærarum finxit Gentilitas, aut in bicipiti Poëtæ somniarunt Parnasso. Dices, pro obiecto habet omnia conceptibilia, & possibilia. Contra, non illa habet sola: primò, quia conceptibilia possunt concipi, ergo falsa esset propositio hoc de illis negans: secundò, quia conceptibile & inconceptibile sunt contradictoria, non minùs quàm visibile & inuisibile, effabile ineffabile, & similia, vel inquiro quid sit contradictorium conceptibili. Dices, concipi in illa propositione conceptibilia & possibilia, non quomodocunque sed instar inconceptibiliū, & impossibilium. Contra, ergo verè in mente quia habet inconceptibilia & impossibilia, sicut cùm Deum quis instar lucis, Angelum instar iuuenis cognoscit, vere lucem, & colores illos ac figuram apprehendit.

IV.

Ad replicam ergo nu. 2. propositam Respondeo inconceptibile in actu signato posse esse conceptibile in actu exercito. Dico itaque inconceptibilitatem esse negationem fictam, cui inconceptibilitatem fingendo tribuo, & conceptibilitatem: omnis enim Chimæra duo in se contradictoria inuoluit, qua de causa rarissimè fit per iudicium, vt iudicium est, vt postea dicam: contradictoria autem in eadem re solum pugnant in ordine ad realem existentiam, non fictitiam, & per intellectum, qui quæuis prædicata, quantumuis inter se opposita componit, & intentionaliter vnit.

Inconceptibile in actu exercito.

V. *Quomodo concipiatur inconceptibile.*

Concipimus ergo inconceptibile, quod simul est conceptibile, vtpote cui, illud concipiendo, damus inconceptibilitatē chimæricam, & eâdem operâ conceptibilitatem: intellectus namque inconceptibilitatem illam, seu negationem conceptibilitatis repræsentando & concipiendo, eam fingit, ergo conceptibilis seu repræsentabilis simul sit necesse est. Si, cut in hac propositione in chartâ scriptâ, *Ego non habeo obiectum*, in actu signato non habet obiectum, hoc enim verba sonant, at in actu exercito habet, negando enim habere se obiectum, se sibi obijcit.

Hæc propositio, Ego non habeo obiectum, se sibi obijcit.

VI. *Quodnam sit obiectum huius propositionis Nihil dari potest præter possibile, & impossibile.*

Ad confirmationem eodem modo respondeo, actus scilicet illos nouam Chimæram cudere, quæ in se prædicata illa fictitia complectitur: quæ proinde à parte rei esse non potest. Et hic eâdem ratione applicari omnia possunt, quæ proximè in argumenti solutione allata sunt. Secundò dici potest, sensum illarum propositionum esse, quidquid est, vel positiuum est, vel negatiuum, possibile vel impossibile, sicque tam ex parte subiecti quàm prædicati sub disiunctione habent possibilia omnia & impossibilia, positiua & negatiua.

VII. *Quid sit Petrum, & Paulum vniri impossibiliter.*

Obijcitur secundò, Petrus & Paulus excludunt se essentialiter, ergo per se vniuntur impossibiliter, ergo frustra fingitur vnio distincta, cùm effectus illius alius non sit, quàm vt illos vniat impossibiliter. Contra, saltem Chimæræ simplices necessariò sunt ponendæ, vt alius Deus, quarta persona in Trinitate, & similes. Resp. itaque Petrum & Paulum seipsis non vniri, sed disiungi & ab inuicem separari, & vniri impossibiliter aliud nihil est quam vniri non posse: per vnionem verò fictam in vnum compositum fictitium coniunguntur.

VIII. *Obij. Equus, & ceruus distinguuntur, ipsis, ergo, accedente actu vniuntur seipsis.*

Obijcitur tertiò: Equus & ceruus per suas entitates meras à se inuicem distinguuntur, ergo actus quo affirmo equum & ceruum distingui, aliud nihil pro obiecto habet præter duas illas entitates: ergo è contra, actus quo assero Equum & Ceruum non distingui, nihil ex parte obiecti aliud habet quàm duas illas entitates, id enim solum hîc nego, quod priùs affirmabam, ergo sicut seipsis distinguuntur, ita seipsis accedente actu, vniuntur, seu identificantur. Sed contra, ergo contra aduersarios non vniuntur per actum, cùm per actum non distinguantur, sed seipsis.

IX. *In hoc actu equus, & ceruus se inuicem excludūt, semper inuoluitur identitas fictitia.*

Ad argumentum itaque Resp. dum dicimus Equum & Ceruum seipsis distingui, seu per suas se entitates excludere, si propius hunc actum intueamur, & illius obiectum accuratè disquiramus identitatem semper fictitiam in obliquo inuolui reperiemus. Dum ergo dicimus, Equus excludit Ceruum, sensus non est excludere è rerū natura, simul enim existunt, nec è loco, dimirius enim penetrari possunt, nec quidquam huiusmodi, sed solùm excludere ab identitate, ergo actus quo Equū & Ceruum distingui diximus, seu se excludere, semper pro obiecto habet identitatem, sicque neganda est prima consequentia argumenti. E contrario itaque actus quo Equum cum Ceruo identificari asserimus, eandem identitatem affirmet necesse est, quam prior actus negabat, alioqui non erit illi contradictorius.

X. *Dices ergo hic actus, Leo est Lepus, est verus.*

Obijcitur quartò: si detur obiectum impossibile, hic actus *Leo est Lepus* erit verus. obiectum enim eius per nos est Leo chimæricus, & Lepus chimæricus, sed hi identificantur, ergo actus conformis est suo obiecto, ergo verus. Respondetur actum hunc non affirmare Leonem hunc & Leporem chimæricè identificari, sed verè & realiter, sicque est falsus, sicut e contra actus qui identitatem in homine inter animal & rationale affirmaret esse fictam, foret falsus. Vnde hic actus licet ex parte obiecti veram & realem identitatem inter Leonem & Leporem non habeat, cum nulla talis sit possibilis, quia tamen fingit veram vbi vera non est, est falsus. Hoc vero habet actus ex modo tendendi & sua entitate peculiari ab alijs actibus distincta.

Resp. actū illum esse falsū, quia fingit verā ibi identitatem, vbi nulla talis est possibilis.

SECTIO

nulla eius pars sit impossibilis, sed poni sigillatim à parte rei omnes possint. Quod, vt dixi, peculiare est in eiusmodi compositis, quæ partes continent sibi inuicem repugnantes, quæ proinde à parte rei poni non possunt, mente tamen concipi possunt. Verum ergo est, quod initio sectionis dixi, dari nimirum obiectum, seu totum aliquod impossibile in mente posse, cuius singulæ partes, vniones, & reliqua ad illius constructionem necessaria, sint possibilia.

SECTIO IV.

Admitti necessariò debent obiecta impossibilia ab omnibus possibilibus distincta.

I. *Datur obiectum impossibile, in quo nihil reale, seu possibile inuoluitur.*

HAnc Conclusionem statuo cum auctoribus secundæ sententiæ sect. 2. relatæ, sicque Ens Rationis in sensu proprio & maximè rigoroso dari existimo, purè scilicet ab intellectu confictum, in quo vel nihil inuoluatur reale, vel saltem aliquid reperiatur ab obiectis omnibus realibus seu possibilibus planè ac plenè distinctum, quod quidquid entitatis habet, ab intellectu mere fingente habet, sicque totum eius esse, est esse obiectiuè in mente. Hæc est expressa sententia Aristotelis, tum alibi, tum l. 5. Metaph. c. 7. vbi inter Entis diuisiones Ens rationis numerat. 6. etiam Metaphy. c. 2. Ens rationis ab obiecto Metaphysicæ aliquo sensu excludit, quia, inquit, veram entis rationem non participat, sed fingendo fit, & totum eius esse, est esse obiectiuè in intellectu.

Aristo. sonat obiecta merè impossibilia.

II. *Varia assignantur obiecta impossibilia.*

Probatur primò, multa indies, vt quotidianâ cõstat experientiâ, hominibus animo obuersantur, quæ non solùm actu non sunt, sed nullo modo esse possunt, vt Hippocentaurus, Tragelaphus, Myrmicoleon, & similia, quæ quisque fingit ac fabricat pro libitu, & fabricata facile dissoluit.

III. *Secundò probatur ex hac propositione,* intercedit identitas inter equum, & ceruum.

Secundò probatur, in hac & similibus propositionibus *equus identificatur cũ ceruo*, vel *intercedit identitas inter equum & ceruum*. quisquis vel has profert, vel proferentem audit, identitatem concipit inter illa duo intercedere, sed hæc identitas est quid mere fictitium, quodque nec est, nec esse à parte rei vllo modo potest: ergo.

IV. *Ostenditur hoc non concipi identitatem realem.*

Dices primò concipi hîc & affirmari identitatem realem, nempe Leonis, & per hanc asserit loquens equum cum ceruo in vnam entitatem coalescere. Contra primò: non magis in hoc casu concipit identitatem Leonis, quàm Leporis, aut canis, vel alterius rei cuiuscumque: ergo concipit res omnes, & omnium identitates de illis prædicat, vel in ijs apprehendit, ergo ista propositio equus est ceruus, & hæc Leo est Lepus, habent adæquatè idem obiectũ: cùm vtraque pro obiecto habeat res omnes: & idem est de omnibus eiusmodi propositionibus.

V. *Non concipiuntur hic equus, ceruus, & leo disparatè, sed intrinsecè identificati.*

Contra secundò: qui propositiones illas elicit vel audit, non merè concipit equum, ceruum & leonem disparatè, sed entitatem vel identitatem leonis concipit, vt illos duos intrinsecè afficientem, & identificantem, ergo vel leonem hic chimæricum fingit, cùm nullus leo realis hoc possit, vel saltem leoni reali formalitatem nouam identificationis affingit, ergo hæc saltem formalitas est quid merè fictitium, & impossibile, cum ad hanc equi & cerui identificationem non sufficiat identitatem leonis concipere vtcumque, sed vt eos inter se identificantẽ, seu intrinsece afficientem.

VI. *Necessariò hic interueniret, vel vnio, vel formalitas ficta.*

Dices secundò: nihil aliud requiritur vt identificati concipiantur præter entitates ipsas equi & cerui immediatè inter se connexas. Cõtra; ergo chimæricus equus & ceruus chimæricus concipitur, vel vnio aliqua aut formalitas ipsis chimærica appingitur, vt proximè diximus de leone, cum nullus equus aut ceruus possibilis hoc habeat.

VII. *Alia vnio hic requiritur præter actum intellectus.*

Dices tertiò actus intellectus, quo in hac propositione *equus est ceruus*, equus prædicatur de ceruo, illos vnit per se. Contrà primò: intellectus vnit tantùm extrinsecè, hîc autem, dum dicit quis, equus intrinsecè identificatur cum ceruo, non intercedit tãtùm vnio in actu exercito & extrinseca, sed in actu signato, & intrinseca; ergo aliquid tenens se ex parte obiecti, identitas nimirum chimærica. Confirmatur in hac propositione, *leo & lepus sunt identificati*, identitas tenet se ex parte prædicati, ergo intellectus illam repræsentat & prædicando affirmat de leone & lepore, ergo in illa propositione repræsentatur obiectum impossibile.

VIII. *Clarius constat in hac propositione, equus & ceruus identificantur intrinsecè.*

Confirmatur secundò, in hac propositione *equus & ceruus identificantur intrinsecè*, prædicatur de ijs identitas, ergo est alia identitas præter actum intellectus, actus enim non repræsentat nec prædicat se de illis. Deinde identitas quæ hic prædicatur est intrinseca, actus autem illis est extrinsecus. Confirmatur tertiò in hac propositione *identitas inter leonem & equum est chimærica* repræsentatur identitas de qua prędicatur quod sit chimæra, ergo concipitur obiectũ impossibile. Deinde propositio illa est vera, ergo identitas illic repręsentata nõ est actus intellectus, tunc enim propositio esset falsa, cum actus intellectus non sit chimæra.

IX. *Hac propositio:* Deus per suam entitatem excludit alium Deũ *clarè probat dari obiectũ impossibile.*

Tertiò probatur Conclusio, hæc propositio est vera, *Deus per suam entitatem excludit alium Deum*, ergo hîc ex parte obiecti repræsentatur alius Deus, nempe falsus & chimæricus. Dices repræsentari verum Deum & veram alietatem. Contra, ergo propositio est falsa, hæc enim non excludit verus Deus, sed ijs coëxistit. Dices, non coëxistit ijs vnitis. Contra, ergo ex parte obiecti repræsentatur vnio aliqua ficta. Dices, vnio est actus intellectus, veram alietatem vero Deo intentionaliter coniungens. Contra primò, ergo propositio illa est falsa, cùm omni veræ alietati, reali actui intellectus, & vero Deo Deus coëxistat. Contra secundò, si alius Deus nihil in conceptu suo aliud dicat, præter veram alietatem, verum Deum, & realem actum intellectus, ergo datur à parte rei alius Deus, hæc enim omnia à parte rei existunt.

Alius Deus dicit quid impossibile, alioquin posset dari à parte rei.

X. *Conceptus alterius Dei, non est verus Deus, vera alietas, & actus falsus.*

Dices, alius Deus in conceptu suo dicit verum Deum, veram alietatem, & actum intellectus falsum, seu falsò illa intentionaliter vnientem. Contra, hinc non euitatur difficultas, verus enim Deus, vera alietas, & actus fallus, illa falso vniens existunt à parte rei, si ergo conceptus alterius Dei obiectiuus nihil in se aliud quàm hæc inuoluat, datur à parte rei alius Deus.

XI. *Si dicatur consistere in diuerso modo, recurrit prius argumentum.*

Dices existunt quidem verus Deus & alietas, sed non eo modo quo per actum repræsentantur. Contra primò, alius ille modus vel est quid possibile, vel impossibile, si secundum, ergo datur obiectum impossibile, si primum, recurrit difficultas; omni enim possibili coëxistit Deus, ergo alium Deum non excludit, ergo hæc propositio *Deus excludit alium Deum* erit falsa, quæ tamen est certissima, alioqui contradictoria erit vera, Deus non excludit alium Deum, quę est plane falsissima.

XII. *Modus ille diuersus non tenere se potest ex parte obiecti, nec actus.*

Contra secundò, modus ille vel tenet se ex parte obiecti, vel actus, non primum, vt ostensum est: si secundum, cùm non distinguatur ab entitate actus, modus ille existit à parte rei, ergo quicquid est de conceptu essentiali & intrinseco alterius Dei à parte rei existit, ergo alius Deus existit à parte rei, quod tamen orthodoxi omnes auersantur, dicente Deo.

per

per Prophetam, Deuter. 32. v. 39 *Non est alius Deus praeter me*: cuius propositionis obiectum si inquirerem, aegrè illud assignarent aduersarij. Plurima ad hoc intentum adduci adhuc possent, sed haec abundè, vt existimo, sufficiunt ad necessitatem obiecti impossibilis ostendendam.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta Obiectum impossibile negantia.

I. *Non possunt omnes actus explicari per obiecta possibilia.*

OBijcitur primò: actus omnes intellectus, quos affirmamus nos versari circa obiecta impossibilia, explicari possunt de possibilibus, ergo frustra ponuntur obiecta impossibilia. Contra primò, sectione enim praecedente ostendimus multos esse actus, qui sine obiectis impossibilibus explicari omnino non possunt. Contra secundò, hic ipse actus quo aduersarij negant requiri obiecta impossibilia, habet ea pro obiecto, & verè illa repraesentat, cùm de ijs aliquid neget, ergo illa negando astruunt.

II. *Dices loquimur etiam de inconceptibili, quod tamen non potest concipi. Sequitur etiam dari aliquid praeter possibile, & impossibile.*

Dicet hoc argumentum nobis etiam esse soluendum, loquimur etenim de intelligibili, & inconceptibili, nihilominus nec incóceptibile concipimus, nec intelligimus inintelligibile, quippe quae intelligi & concipi non possunt. Confirmatur, hunc actum formamus omnes: *nihil dari potest praeter possibile & impossibile, quod non vel positiuum sit, vel negatiuum*; ergo aliquid concipimus à possibili & impossibili, positiuo & negatiuo distinctum.

III. *Hinc nouum deducitur argumentum ad probandum dari entia impossibilia.*

Ex hac replica, quamuis nonullam, fateor, habeat difficultatem, existimo nouum pro nostra sententia argumentum deduci. Inquiro enim ab aduersarijs quodnam sit huius propositionis obiectum, *inconceptibile non potest concipi*, aliquod namque habere obiectum debet, propositio enim sine obiecto tam esset Chimaera, quàm quidquid vsquam Chimaerarum finxit Gentilitas, aut in bicipiti Poëtae somniarunt Parnasso. Dices, pro obiecto habet omnia conceptibilia, & possibilia. Contra, non illa habet sola: primò, quia conceptibilia possunt concipi, ergo falsa esset propositio hoc de illis negans: secundò, quia conceptibile & inconceptibile sunt contradictoria, non minùs quàm visibile & inuisibile, effabile ineffabile, & similia, vel inquiro quid sit contradictorium conceptibili. Dices, concipi in illa propositione conceptibilia & possibilia, non quomodocunque sed instar inconceptibiliũ, & impossibilium. Contra, ergo verè in mente quis habet inconceptibilia & impossibilia, sicut cùm Deum quis instar lucis, Angelum instar iuuenis cognoscit, verè lucem, & colores illos ac figuram apprehendit.

IV. Ad replicam ergo nu. 2. propositam Respondeo inconceptibile in actu signato posse esse conceptibile in actu exercito. Dico itaque inconceptibilitatem esse negationem fictam, cui inconceptibilitatem fingendo tribuo, & conceptibilitatem: omnis enim Chimaera duo in se contradictoria inuoluit, qua de causa sanissimè fit per iudicium, vt iudicium est, vt postea dicam: contradictoria autem in eadem re solum pugnant in ordine ad realem existentiam, non fictitiam, & per intellectum, qui quaeuis praedicata, quantumuis inter se opposita componit, & intentionaliter vnit.

Inconceptibile in actu exercito.

V. *Quomodo concipiatur inconceptibile.*

Concipimus ergo inconceptibile, quod simul est conceptibile, vtpote cui, illud concipiendo, damus inconceptibilitatē chimaericam, & eâdem operâ conceptibilitatem: intellectus namque inconceptibilitatem illam, seu negationem conceptibilitatis repraesentando & concipiendo, eam fingit, ergo conceptibilis seu repraesentabilis simul fit necesse est. Si-

cut in hac propositione in chartâ scriptâ, *Ego non habeo obiectum*, in actu signato non habet obiectum, hoc enim verba sonant, at in actu exercito habet, negando enim habere se obiectum, se sibi obijcit.

Haec propositio, Ego non habeo obiectum, se sibi obijcit.

VI. *Quodnam sit obiectum huius propositionis Nihil dari potest praeter possibile, & impossibile.*

Ad confirmationem eodem modo respondeo, actus scilicet illos nouam Chimaeram cudere, quae in se praedicata illa fictitia complectitur: quae proinde à parte rei esse non potest. Et hîc eâdem ratione applicari omnia possunt, quae proximè in argumenti solutione allata sunt. Secundò dici potest, sensum illarum propositionum esse, quidquid est, vel positiuum est, vel negatiuum, possibile vel impossibile, sicque tam ex parte subiecti quàm praedicati sub disiunctione habent possibilia omnia & impossibilia, positiua & negatiua.

VII. *Quid sit Petrum, & Paulum vniri impossibiliter.*

Obijcitur secundò, Petrus & Paulus excludunt se essentialiter, ergo per se vniuntur impossibiliter, ergo frustra fingitur vnio distincta, cùm effectus illius alius non sit, quàm vt illos vniat impossibiliter. Contra, saltem Chimaerae simplices necessariò sunt ponendae, vt alius Deus, quarta persona in Trinitate, & similes. Resp. itaque Petrum & Paulum seipsis non vniri, sed disiungi & ab inuicem separari, & vniri impossibiliter aliud nihil est quam vniri non posse: per vnionem verò fictam in vnum compositum fictitium coniunguntur.

VIII. *Obij. Equus, & ceruus distinguuntur seipsis, ergo, accedente actu vniuntur seipsis.*

Obijcitur tertiò: Equus & ceruus per suas entitates meras à se inuicem distinguuntur, ergo actus quo affirmo equum & ceruum distingui, aliud nihil pro obiecto habet praeter duas illas entitates: ergo è contra, actus quo assero Equum & Ceruum non distingui, nihil ex parte obiecti aliud habet quàm duas illas entitates, id enim solum hîc nego, quod priùs affirmabam, ergo sicut seipsis distinguuntur, ita seipsis accedente actu, vniuntur, seu identificantur. Sed contra, ergo contra aduersarios non vniuntur per actum, cùm per actum non distinguantur, sed seipsis.

IX. *In hoc actu equus, & ceruus se inuicem excludũt, semper inuoluitur identitas ficta.*

Ad argumentum itaque Resp. dum dicimus Equum & Ceruum seipsis distingui, seu per suas se entitates excludere, si propius hunc actum intueamur, & illius obiectum accuratè disquiramus identitatem semper fictitiam in obliquo inuolui reperiemus. Dum ergo dicimus, Equus excludit Ceruum, sensus non est excludere è rerũ natura, simul enim existunt, nec è loco, diuinitus enim penetrari possunt, nec quidquam huiusmodi, sed solùm excludere ab identitate, ergo actus quo Equũ & Ceruum distingui diximus, seu se excludere, semper pro obiecto habet identitatem, sicque neganda est prima consequentia argumenti. E contrario itaque actus quo Equum cum Ceruo identificari asserimus, eandem identitatem affirmet necesse est, quam prior actus negabat, alioqui non erit illi contradictorius.

X. *Dices ergo hic actus, Leo est Lepus, est verus.*

Obijcitur quartò: si detur obiectum impossibile, hic actus *Leo est Lepus* erit verus, obiectum enim eius per nos est Leo chimaericus, & Lepus chimaericus, sed hi identificantur, ergo actus conformis est suo obiecto, ergo verus. Respondetur actum hunc non affirmare Leonem hunc & Leporem chimaericè identificari, sed verè & realiter, sicque est falsus, sicut econtra actus qui identitatem in homine inter animal & rationale affirmaret esse fictam, foret falsus. Vnde hic actus licet ex parte obiecti veram & realem identitatem inter Leonem & Leporem non habeat, cum nulla talis sit possibilis, quia tamen fingit veram vbi vera non est, est falsus. Hoc vero habet actus ex modo tendendi & sua entitate peculiari ab alijs actibus distincta.

Resp. actũ illum esse falsũ, quia fingit verã ibi identitatem, vbi nulla talis est possibilis.

SECTIO

SECTIO VI.

Obiectiones reliquæ contra Ens rationis.

I. *Actus non semper obiectum sui præsupponit.*

OBiicies primò: actus suum semper obiectum præsupponit, ergo hoc ab actu accipere esse suum non potest. Hæc obiectio soluta est supra s. 2. n. 4 & præter ibi dicta constat esse hoc falsum in actu supra se reflectente.

II. *Omne obiectum actus realis non est reale. Intelligibilitas per proprias species, est passio entis realis, non intelligibilitas per species alienas.*

Obiicies secundò: obiectum potentiæ realis est reale, sed Ens Rationis est obiectum potentiæ realis, ergo. Confirmatur, intelligibilitas est passio entis realis sed Ens Rationis est intelligibile, ergo. Ad argumentum distinguo maiorem, obiectum primarium potentiæ realis est quid reale, concedo maiorē, secundarium, nego. Ad Confirmationem distinguo etiam maiorem, intelligibilitas intrinseca seu per proprias species est passio entis realis, concedo maiorem, intelligibilitas extrinseca, seu per species alienas, nego. Vnde vt ostendi in Introductione d.2.s.6.nu.5 Intelligibile est terminus supertranscendens.

III. *Veritas non est conformitas actus cum obiecto in esse entis, sed tantum in esse signi, & repræsentationis.*

Obiicies tertiò: veritas est conformitas cum obiecto, ergo à potentia & actu reali cognosci nequit obiectum non reale. Respondetur distinguendo antecedens, est conformitas in esse signi seu repræsentationis, ita scilicet vt obiectum exprimat sicuti est, seu tamquam vera imago illius intentionalis, concedo antecedens, est conformitas cum obiecto in esse entis, nego: sic enim datur vera cognitio falsi, perfecta imperfecti, positiua negatiui, supernaturalis rei naturalis, Dei creaturæ.

IV. *Quomodo sit intelligendũ. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.*

Obiicies quartò: *Nihil est in intellectu quod non priùs fuerit in sensu*, sed ens rationis nunquam fuit in sensu ergo. Sed contra, hoc enim probaret nec Deum, nec Angelos, nec gratiam, nec quidquam quod sensum fugit, cognosci à nobis posse. Distinguo itaque maiorem, nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu vel per se, vel per aliud ad cuius similitudinem formatur, concedo maiorem, per se directè & formaliter, nego. Cognoscit ergo intellectus per notitiam à sensibus habitam res varias, equum, leonem ceruum &c. vniones etiam varias discursu nouit, vt inter materiam & formam, substantiam & accidens. Ex cognitione ergo equi, cerui, & vnionis, vel aliarum rerum quas videmus separatas, occasionem sumit intellectus illas vel illis similes inter se intentionaliter vniendi. Hippocerui ergo propriam speciem, saltem cum illum primò apprehendit, non habet intellectus, sicque per se non est intelligibilis, sed per aliud.

Chimæra quomodo non sint intelligibiles per se.

V. *Quæ sensus actus specificentur ab obiectis.*

Obiicies quintò: actus suam sumunt speciem ab obiectis, ergo actuum realium obiecta realia sint necesse est. Respondetur negando consequentiam, vt enim actus speciem sumant ab obiectis, non requiritur influxus aliquis realis, & physicus obiecti in actum, sed solùm vt actus imago illius sit, & repræsentatio, quas certum est respectu diuersarum rerū, quas repræsentant, esse diuersas, ac specie vel numero pro obiectorum varietate distingui.

DISPVTATIO XIV.

Quid sit Ens Rationis.

SECTIO I.

An denominatio omnis extrinseca sit Ens Rationis.

I. *Denominationes extrinseca alia, alia intrinseca. Denominatio intrinseca duplex, per formam. & per identitatem.*

NOtandum primò, denominationes alias esse intrinsecas, extrinsecas alias, denominatio enim est quasi nominis ratio. Intrinsecæ sunt illæ, quæ à forma proueniunt intrinseca, id est, inhærente alicui subiecto, & illud physicè immutante, seu quibus ratio nominis, id est, denominationis est intrinseca, vt denominatio albi, albedo enim verè inhæret parieti, & illum denuminat album. Aliquæ etiam dicuntur denominationes intrinsecæ per identitatem, vt homo est rationalis, Deus est misericors, &c.

II. *Quid sit denominatio extrinseca.*

Extrinsecæ denominationes sunt, quæ à forma proueniunt extrinseca, id est, quæ non necessariò suo inhæret subiecto, sed solum ad illud terminatur. Dixi necessariò, ad rationem scilicet denominationis, aliunde enim potest hæc forma verè inhærere, vt si intellectus aliquis seipsum cognoscat, actus per quem cognoscitur, verè illi inhæret, sed hoc non ratione denominationis cogniti, sed cognoscentis, quæ est denominatio intrinseca, & merè per accidens se habet ad denominationem cogniti, cùm aliud obiectum, cui non inhæret cognitio, æquè propriè dicatur cognitum. Idem est cum oculus per species à speculo refractas sese reflexè intuetur. Ratio à priori est, quia denominationes illæ ex natura sua non afficiunt subiecta, quibus insunt, sed obiecta circa quæ versantur. Vnde nulla distantia inter actum & obiectum, huic denominationi obstat, nam ab actu Intellectus Angeli in cælo existentis denominatur Petrus in terra, vel Iudas in inferno cognitus, licèt actus ille in cælo sit, cùm sit immanens. Sic ab actione in auro intra terræ viscera recepta denominatur sol & cœlum agens, licèt actio nec in sole sit, nec in cælo, cùm sit transiens, ad quod intelligendum.

Quando intellectus cognoscit se, est denominatio extrinseca, & intrinseca.

Nulla distantia impedit denominationes extrinsecas.

III. *Differentia inter actus immanentes & transeuntes.*

Notandum secundò: actiones vnde denominationes proueniunt, in duplici esse differentia, immanētes alias, alias transeuntes. Immanētes illæ sunt, quæ ex natura sua petunt inesse principio à quo efficiuntur; vt actus omnis intellectus, voluntatis, & sensuum qui nihil intrinsecè in obiectis ponunt, vel in terminis, sed perficiunt intrinsecè potentias in quibus sūt, vnde *honor, vt ait Aristoteles, est in honorante.* Actiones transeuntes sunt, quæ non potentiam à qua procedunt, sed effectum, seu terminum perficiunt, vt quando ignis producit ignem, actus non igni producenti inest, sed producto. Eadem ergo actio, secundum ordinem ad diuersa, duplicem simul tribuit denominationem, actiuam & passiuam; potentiam, à qua elicitur, denominat actiuè operantem, obiectum verò vel terminum cognitum, amatum, productum passiuè; cum hac tamen differentia, quòd actiones immanentes potentias intrinsecè denominent cognoscentes, amantes, &c. obiecta verò extrinsecè amata & cognita: transeuntes è contra denominant potentias extrinsecè operantes, vel producentes, & effectus intrinsecè productos, vtpote quæ in terminis recipiuntur, non in agentibus.

Honor est in honorante.

Eadē actio diuersis diuersam dat denominationem.

IV. *Vt forma denominet, non est opus vt vel insit, vel fingatur inesse subiecto.*

Vnde reiicienda est opinio Fonsecæ quinto Metaphysicæ, capite septimo, quæstione sexta, & aliorum qui dicunt, vt forma aliqua denominet, debere eam vel reipsa inhærere subiecto, vel fingi inhærere.

rere. Vnde afferunt, vt paries, exempli gratia, dicatur visus, fingere oportere visionem illi inhærentem, alioqui aiunt fundamentaliter tantùm esse visum. Falsum, inquam, est hoc, per eandem enim intellectionem vel visionem qua intellectus aut potentia visiua dicitur intrinsecè videns, vel intelligens, dicitur obiectum extrinsecè visum vel cognitum: ita Scotus in primo distinc. 36. q. 1. Suarez d. vltima Met. s. 2. & d. 6. s. 7. fine, & alij communiter.

V. *Sicut per visionem, nullo superaddito, denominatur homo videns, ita & obiectum videtur.*

Probatur simul & explicatur: cognitio est tendentia potentiæ cognoscitiuæ in obiectum, ergo per cognitionem potentia fertur formaliter & terminatur ad obiectum, ergo nullo superaddito intelligitur obiectum terminare cognitionem, ergo & esse cognitum. Confirmatur primò, per visionem formaliter seclusa omni fictione homo videt, ergo per eandem formaliter vel videt aliquid, vel non; si non, ergo nihil videt, ergo non videt, implicat enim hominem videre & non aliquid videre: tum sic, si homo per visionem formaliter aliquid videt, ergo per eandem formaliter aliquid videtur, ergo aliquid est visum, ergo per eandem formaliter visionem per quã dicitur homo intrinsecè videns obiectum extrinsecè dicitur visum, seu terminans visionem, nec alia requiritur vnio visionis cum subiecto ad denominationem hanc extrinsecam, quàm extrinseca actus in obiectum tendentia. Id tamen hic aduertendum, aliud esse, formam esse extrinsecam subiecto, aliud concreto: cùm enim concretum dicat essentialiter vtramque partem, forma, licet subiecto extrinseca, toti tamen est intrinseca: quæstio ergo nostra est de forma respectu subiecti, non respectu totius seu cõcreti tam enim concretum cogniti intrinsecè dicit cognitionem tanquam partem ex qua componatur, quam concretum albi albedinem.

Per eandem visionem, per quam homo dicitur intrinsecè videns, obiectum dicitur extrinsecè visum.

VI. *Omnis denominatio extrinseca non est Ens Rationis, cum omnes eius partes existant simul à parte rei.*

Hinc facilis est resolutio quæstionis initio propositæ. Dicimus enim contra quosdam omnem denominationem extrinsecam non esse Ens Rationis. Probatur apertè, id non est Ens Rationis cuius omnes partes sunt reales, quodque realiter à parte rei existit, sed in denominatione extrinseca omnes partes sæpe sunt reales realiter existentes, ergo omnis denominatio extrinseca non est Ens Rationis: maior & consequentia sunt notiores quàm vt egeant probatione, cùm Ens Rationis sit illud quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu: minor probatur, visum est concretum ex visione & pariete, agens concretum ex sole, vel igne & actione, vbi vtraque pars, vt constat, est realis: idem est cùm homines vel bruta aliquid audiunt, volunt, vel appetunt, vniuersim ergo denominatio omnis extrinseca non est Ens Rationis.

VII. Dices, saltem denominationes Generis, Speciei, & similes, quas secundas intentiones vocant, erunt Entia Rationis. Obiectioni huic satisfiet postea d. 17. s. tertia.

SECTIO II.

Vtrum Ens Rationis sit Negatio?

I. *Status præsentis controuersiæ.*

NOn est quæstio in præsenti num Negatio aliqua ficta Ens esse Rationis possit, de hoc enim, quidquid sit de Negationibus ijs quæ sunt, vel esse possunt, de Negatione certè impossibili si fingatur, dubium esse non potest, vt in his propositionibus, *non est Deus, animal in homine à parte rei non est rationale.* Negatio enim Dei quæ cognoscitur, nec est, nec esse potest, ac proinde fingitur, & est purum Ens Rationis.

II. Difficultas ergo est, vtrùm Chimæra, Hippoceruus, & huiusmodi alia Rationis Entia sint Negationes. Qua in quæstione dico, Hippoceruum & huiusmodi non esse Nagationes, sed entia positiua ficta. Probatur primò experientia ipsa qua experimur ferri nos in diuersum conceptum cùm hæc cogitamus, quàm cum Negationem aliquam repræsentamus, lucis, verbi gratia, vel alterius rei; ferimur namque in entitatem ex partibus quibusdam compositam. Confirmatur, cùm apprehendimus Chimæram, non apprehendimus non esse alicuius rei, sed esse.

Multa entia rationis non sunt negationes, vt constat experientia.

III. *Non potest ostendi cuius rei negatio sit Hippoceruus, ergo non est negatio.*

Probatur secundò, descendendo & in particulari inquirendo, quænam negatio sit Ens Rationis, nam negatio alicuius est negatio, ergo si cognoscitur particularis negatio, cognosci debet vt alicuius negatio. Dicunt aliqui negationem illam quam cognoscimus quando cognoscimus Chimæram, esse negationem Chimæræ. Contra primò, hæc negatio Chimæræ non est quid impossibile, est enim negatio necessaria, & quæ tolli omnino non potest, ergo cognitio illius non est cognitio alicuius impossibilis, ergo non facit Ens Rationis, cùm omnis cognitio faciens Ens Rationis cognoscere debeat aliquid impossibile. Contra secundò, negatio Chimæræ est negatio, ergo Chimæra non est negatio, sic enim negatio daretur negationis, quod est contra communem sensum, cùm duæ negationes vnum faciant positiuum. Contra tertiò, cognitio hæc secundùm illos nihil fingeret, sed solùm cognoscit id quod erat; ergo obiectum illius actus non est quid fictũ, ergo vel obiectum illius non est Chimæra, vel Chimæra non est quid fictum, sed erat ab æterno, quod est manifestè falsum, cùm vnio inter illas partes non fuerit ab æterno, sicut nec partes ipsæ.

IV. *Hippoceruus non est negatio equi realis, & cerui realis.*

Dici posset secundò, Hippoceruum esse negationem equi realis & cerui realis. Contra, hæ duæ negationes erant ab æterno, & tamen Hippoceruus non erat ab æterno, ergo Hippoceruus non est duæ illæ negationes. Dices, erant quidem ab æterno, sed non vnitæ ab æterno. Contra, ergo iam fingitur vnio, hæc autem est quid positiuum tam fictum, ergo saltem inadæquatè Hippoceruus est quid positiuum, æquè ac vnio, ergo non negatio. Dices, etiam vnionem illam esse negationem. Contra, inquiro cuius? Dices, vnionis realis inter illas partes. Contra, dum vnionem inter Equum concipimus & ceruum, concipimus vniri eos, non vnionis negationem, copulatos, inquam, eos concipimus, non disiunctos. Contra secundò, vnio illa identitatis realis inter equum & ceruum est impossibilis, ergo negatio illius non est impossibilis, sed necessaria.

V. *Ostenditur vlterius Hippoceruum non esse negationem.*

Deinde si Hippoceruus sit negatio equi, inquiro cuius equi non est maior ratio vnius quàm alterius, ergo est negationes omnium equorum, quod, præterquam quod sit contra communem conceptum omnium, sic impugnatur. Possum imaginari hippoceruum in eodem loco cum vero aliquo equo, seu illi intimè præsentem, ergo hippoceruus non est negationes omnium equorum, patet, in illo loco est hippoceruus, sed non sunt in illo loco negationes omnium equorum, ergo hippoceruus non est negatio omnium equorum; patet minor, in illo loco est equus, ergo ibi non est negatio illius equi, ergo non omnium equorum, falsum enim est dicere ibi nullum esse equum. Quod à fortiori vrget si dicatur hippoceruus esse negatio alicuius equi in particulari, potest enim eodem loco fingi vbi est ille ipse equus particularis, sicque sequetur contradictio.

VI. *Chimæra, Hippoceruus, & similia entia rationis sunt quid positiuum.*

Dico ergo Chimæram (idem est de omnibus aliis Entibus Rationis) esse quid positiuum fictum, quod habet entitatem quandam non veram & realem, sed metaphoricam, illi ab intellectu communicatam, & tunc primum esse incipere cum cogitatur

seu

seu fingitur, & cessare seu desinere esse, dum cessat cognitio, quæ est causa illius productiua & conseruatiua.

VII. *Chimæra, licèt explicetur per negationem non tamen est negatio, magis quàm res alia positiua sunt negationes.* Dices, Chimæra non est ens reale, ergo est negatio entis realis. Contra, sic Petrus non est Paulus, ergo est negatio Pauli, quod tamen est falsum cùm Petrus sit entitas positiua. Sic visus non est cæcitas, non tamen hinc inferas, ergo est negatio cæcitatis, hoc enim implicat in terminis, negatio namque vera contradictoria negationis dari non potest, sed est quid positiuum, licèt per negationem explicetur, de quo tamen postea. Sic dico Chimæram non esse ens reale per suam quantulamcunque entitatem, non tamen est propterea entis realis negatio, licèt per negationem explicetur.

SECTIO III.

De materia particulari Entis Rationis.

I. *Status quæstionis.* Diximus generatim Ens Rationis illud esse, quod nec est, nec esse à parte rei potest. Hic ergo ad perfectiorem entis huius notitiā particulares quasdam quæstiones de variis Rationis Entibus, præcipuè circa materiam ex qua conficiuntur, proponemus.

II. *Sola extrinseca appositio partium incompossibilium non sufficit ad Ens Rationis.* Certum ergo est primò, appositionem solùm localem & extrinsecam, seu aggregationem rerum, vel partium physicè incompossibilium non sufficere ad Ens Rationis cùm id factu sit facillimum. Secundò etiam est certum, formam solùm, seu figuram extrinsecam diversorum animalium coniunctam ad hoc parum referre, cùm Deus mutare possit figuram capitis equi in figuram capitis leonis, cæteris equi partibus eadem figura permanentibus imò totum equum vel taurum in leonis formam aut elephantis. Tertiò, certum est, solam accidentium, seu colorum coniunctionem ad hoc non esse satis, cum id pictor præstet Chimæram delineans in tabula.

III. *Vnio continuatiua formarum per se disjunctarum est quid impossibile.* Primò ergo dubitari potest de vnione continuatiua, vtrum caput elephantis, corpus leonis, & pedes equi, dum inter se vniuntur, sint Ens Rationis, cùm omnes partes sint reales. Respondeo primo, quidquid sit de partibus, vnionem ex parte formarum esse Ens Rationis, licèt non fortasse ex parte materiæ, vt cùm surculus vnius arbo is, alterius trunco inseritur. Vnio verò ex parte formarum est impossibilis, & sic, etiam admittendo partes esse reales, illud totum in ratione totius est impossibile, & consequentes Ens Rationis. Secundò & magis fortasse probabiliter dici potest ipsas etiam partes esse impossibiles, cum tales cogitemus, quæ ex se, seu natura sua, vniri inter se ne;ueant, ad vnum aliquod animal componendum, quales nullæ sunt possibiles. Idem iudicium esto si fingat quis duos Angelos inter se, vel Angelum cum alia quapiam re per continuationem coniungi, tunc enim non reputatur Angelus verus, sed talis qui connaturaliter vniri per continuationem alteri Angelo possit, vel alij rei cuicunque, qualis dari nullus potest. *Probabiliter etiam ipsæ partes esse impossibiles.*

IV. *Vnio informationis inter duos Angelos est ens rationis.* Secundò de vnione informationis, vt si quis Angelum concipiat informantem sole n, vel duos Angelos inter se tanquam actum vniri & potentiam, idque per vnionem realem, ei similem quæ intercedit inter corpus & animam. Respondeo, hic multis nominibus fieri Ens Rationis. In primo sit de vnione, quæ verè fingatur cos inter se ea ratione vnire, tunc enim non concipitur vnio realis, quam dico esse Petri, sed alia Chimerica & impossibilis: sicut cùm volens concipere hominem, concipio animal hinnibile, non hominem concipio sed equum, non magis enim est illius vnionis essentia vnire duos Angelos, quàm hominis esse animal hinnibile.

V. *Angelus sub hoc modo conceptus est quid impossibile.* Idem cum proportione dicendum de extremis, cùm per nullam potentiam vniri possint vnione informationis, vel etiam seipsis, cùm incompleta non sint, ac proinde dum incompleta finguntur, non illa, sed alia, eaque Chimerica cogitantur. Idem etiam est de entibus incompletis, si inter se proportionem non habeant, vt si quis fingat duas animas vel materias se mutuò informare.

VI. *Vnio identitatis inter equum & leonem est Ens rationis.* Tertia difficultas est de vnione identitatis, vt dum leonem & equum vnum esse realiter animal & identificatos concipimus; & ex omni Entium Rationis genere hæc sunt manifestissima si enim duo aliqua vniri repugnet, multo magis identificari.

VII. *Quæ Relationes & Negationes sint Entia Rationis.* Quarto circa Relationes, Negationes, & Priuationes. De Relationibus vniuersim dico quodcunque relatio vel esse fingitur, vel inhærere, vbi nec esse nec inhærere potest, vt in Deo ad creaturas, in animali ad sensitiuum, in homine ad rationale, & similibus, est Ens Rationis. De Negationibus verò & Priuationibus, vt si cæcitas vel tenebræ per modum nubis apprehendantur, dico non fieri Ens Rationis. Quod si nubecula oculum informare vel aërem apprehendatur, eruenda responsio est ex secundo dubio supra posito, & dicendum esse ens Rationis.

VIII. *Quando concipiendo corpus per modum spiritus fiat Ens Rationis.* Dum verò spiritum per modum corporis concipimus, non fit Ens Rationis, partes enim illas, & figuram extrinsecè solùm ei adesse concipimus. Quod si circumscriptiuè inhærere illi si gantur, fit Ens Rationis. Quod etiam de Deo dicendum, si verè in eo partes esse apprehendantur.

DISPVTATIO XV.

De modo producendi Ens Rationis.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Ens Rationis sit concretum ex cognitione & obiecto ficto, vel ipsum solum obiectum.

I. *Duobus modis, e habet cognitio circa suum obiectum.* Notandum primò, cognitionem duplici modo circa obiectum suum versari posse, vel cognoscendo illud ex parte obiecti, vt vere se habet, siue reales & positiuè, si sit Ens positiuum, siue semouendo si negatio: vel secundò, cognoscendo ex parte obiecti rem aliter quàm in se est, addendo scilicet, aliquid quod stare cum rerum, quæ cognoscuntur, essentia non potest, seu aliquid impossibile fingendo, vt si quis ex hirco & ceruo vnum identicè obiectū conficiat. Dixi ex parte obiecti, nam vt optimè P. Suarez disp. 54. Metaph. sect. 2. nu 21. ex parte actus nihil interest alites cognosci, cùm Deus, qui omnia perfectissimè cognoscit, cognoscat mutabilia immutabiliter, & nos materialia immaterialiter, substantias accidentaliter, id est, actu immateriali, seu spirituali, & accidentali, nec enim esse debet proportio inter actum & obiectum in essendo, sed repræsentando. *Inter actum & obiectum non requiritur proportio in essendo, sed in repræsentando.*

II. Notandum secundò, non esse dubium quin ex hoc

Datur praesentis difficultatis.

hoc secundo cognoscendi modo, sicut ex primo resultet concretum cogniti, cùm non minùs cognoscatur ens illud fictum, quàm verum. Quaestio ergo est in praesenti, an Ens Rationis, cuius hic essentiam inquirimus, in hoc concreto consistat, & vt partem sui includat cognitionem, an in solo illo obiecto ficto.

III. *Prima sententia Ens rationis asfirmat consistere in concreto.*

Prima sententia, quae plurimum apud recentiores in scholis inualuit, Ens Rationis in hoc concreto consistere affirmat, ac proinde cognitionem inuoluere tanquam partem sui: ita moderni non pauci, qui varia pro se sanctorum Patrum testimonia cōgerunt. Citari pro hac sententia solet Vasq. 1. par. disp. 104. num. 15. & 18. sed non rectè: Sotus q. 3. vniuersalium: ar. 1. dub. 2. & alij.

IV. *Conclusio Ens Rationis est quid adaequatè distinctum à cognitione.*

Contraria tamen sententia, vt auctoritatis, ita rationum momentis magis stabilita, à nobis amplectenda est. Dicimus itaque, licèt ad Ens Rationis conficiendum necessaria sit cognitio fingens, Eos tamen Rationis non illam inuoluere vt partem sui constitutiuam, sed adaequatè in entitate illa ficta consistere, quae intellectui per cognitionem repraesentatur. Ita Suar. disp. vlt. Metaph. sec. 2. num. 15 Fonseca 5. Metap. c. 7. q. 6. sec. 2. Conimb. q. 6. art. 2. in praefationem Porphyrij. Rub. hic num. 9. & 21. Complutenses d. 2. Log. q. 2. num. 10. & alij. Desumi videtur ex sancto Thoma Opusc. 42 cap. 1. dum ait, tunc effici Ens Rationis, *quando intellectus nititur id apprehendere quod non est, & ideo fingit illud aliquo modo ens:* Et clariùs his verbis *Ens Rationis effectiuè est intellectus, actus vel habitus, obiectiuè ipsum obiectum seu ens quod vocamus rationis.*

S. Thomas Ens Rationis constituit adaequatè in obiecto.

V. *Ex ipsa natura concreti probatur Ens Rationis consistere in solo obiecto.*

Probatur primò, omne concretum essentialiter includit duas partes, sed hoc cognitum ex intellectione & obiecto ficto est concretum, ergo: minor conceditur ab aduersarijs, maior probatur, omne concretum est compositum, compositum autem sine duobus extremis intelligi non potest, cum compositio sit distinctorum vnio, tum sic, ergo vtraque pars debet habere aliquod esse, vel verum vel fictum, ergo illud obiectum vt distinctum à cognitione habet aliquod esse, cùm vt distinctum à cognitione componat concretum, componunt enim vt duo, ergo vt distincta, sed illud esse intrinsecum non est verum, ergo fictum & communicatum illi à cognitione.

VI. *Quando quis concipit Hircocerui, aut quid simile, non habet merè nihil pro obiecto.*

Dices, cognitum esse concretum ex cognitione & obiecto reali quando datur, & ex nihilo, quando non datur obiectum reale. Contra, cum duos Angelos vniri apprehendo vnione informationis, vel inter se identificari, diuersum habeo obiectum atque quando fingo relationē realem in Deo ad creaturas vel equum, ceruum, & leonem vnitos, ergo ex parte obiecti est aliqua diuersitas, ergo id quod apprehendo non est purè nihil, ergo aliquid, ergo ens, non verum, ergo fictum seu factum ab intellectu, ante enim hunc actum Angeli illi non erant vniti, nec partes animalium diuersorum inter se coniunctae. Confirmatur primò, nam si per illum actum apprehendo nihil, ergo nullum obiectum apprehendo cùm tamen implicet dari repraesentationem quae nullius sit repraesentatio, est enim essentialis ordo ad aliquem terminum. Confirmatur secundò, manifesta constat experientia diuersa in mente esse obiecta dum quis diuersas sibi Chimaeras fingit, ergo ex parte obiecti non habet merè nihil, sic enim nulla esset diuersitas.

VII. *Actus reflexus supra Ens Rationis reflectit supra solum obiectum.*

Confirmatur, actus reflexus, qui reflectit supra Ens Rationis factum à priori actu, non in illum solum actum fertur, ergo in aliquid aliud: imò quando quis vult reflectere supra Ens Rationis factum, nunquam fertur in actum suum vel alienum, sed in obiectum, ergo solùm obiectum vt distinctum abactu, est Ens Rationis.

VIII. *Ens Rationis est cuius totum esse, est esse tantùm obiectiuè in intellectu, ergo cōsistit in solo obiecto ficto.*

Probatur secundò, Ens Rationis est illud cuius totum esse, est esse obiectiuè tantùm in intellectu, sed cùm primò fit Ens Rationis, actus quo fit non est obiectiuè tantùm sed subiectiuè & realiter in intellectu, ergo vel actus ille non est pars Entis Rationis, vel totum esse Entis Rationis non est esse obiectiuè tantùm in intellectu. Confirmatur primò, si cognitio constituat Ens rationis in genere causae formalis, ergo constituit vt pars, ergo est etiam altera pars quae suam habet partialem & intrinsecā entitatem & essentiam, sed pars illa altera est Ens Rationis, nam nullo modo potest esse à parte rei, ergo datur Ens Rationis distinctum à cognitione, & ab illa factum, ante illam namque partes illae Chimaerae non erant vnitae. Confirmatur secundò, existentia apud omnes aliud nihil est quàm actualitas, & quasi exercitium essentiae, seu quod idem est, existere est essentiam actu esse, ergo quod actu est per existentiam realem, est actu & existit realiter, ergo si existit per cognitionem tanquam per existentiam, existit realiter. Confirmatur tertiò, quia si Ens Rationis essentialiter in se includat cognitionem realem vt partem sui, ergo iam non est purum Ens Rationis, sed mixtum, rationis partim, partim reale.

IX. *Aliud est esse obiectum, aliud esse obiectiuum.*

Ad solutionem verò argumentorum contrariae sententiae quae postea referemus, notandum aliud esse, esse obiectum, aliud esse obiectiuum; esse obiectum prouenit formaliter ab actu circa aliquid versante, esse verò obiectiuum est entitas illa quae obijcitur, & à nonnullis non incongruè dicitur obiectū specificatiuè, sic enim dicimus visionem ferri in obiectum intellectus, dum simul aliquid intelligimus & videmus, licèt visus in actum ipsum intellectus non feratur, ac proinde non in obiectum reduplicatiuè sed specificatiuè.

X. *In quo differant Entia Rationis ab Entibus realibus.*

In hoc ergo Ens Rationis differt ab alijs entibus, quòd alia esse quidem obiecta ab actibus intellectus recipiant, esse verò obiectiuum, seu entitatem suam habent aliunde, nempe à suis causis: entia verò Rationis non esse obiecta solùm, sed ipsum etiam esse obiectiuum, seu esse actuale, & possibile habent ab intellectu, eaque de causa Entia Rationis vocantur, quod vndequaque & secundùm totum suum esse à ratione procedant, illiusque proles quasi, ac partus sint.

SECTIO II.

Quae sit causa Entis Rationis, & in quo genere.

I. *Aperitur difficultas.*

QVod aliquam habere debeat causam est manifestum, nam esse illud, qualecunque demum sit, accipit de nouo, verum enim est dicere, iam est Ens Rationis, antea non fuit, ergo transit de non esse ad esse, hic ergo quae sit illa causa, inquirimus.

II. *Intellectus est causa efficiens Entis Rationis.*

Prima conclusio, intellectus est causa efficiens Entis Rationis. Hoc clarum est in omni sententia, nam intellectionis quae est immediata causa Entis Rationis, siue illud producat efficienter, siue in genere causae formalis constituendo intellectus est causa efficiens: quia efficit intellectionem: sicut sol vel ignis est causa efficiens ignis producti, licèt forma ignis quae productiuè constituat alterum ignem in genere causae formalis.

III. *Ens Rationis non solum modo habet causam, quo est, verum...*

Notandum tamen primò, cum P. Suarez Disp. vlt. Metaph. s. 2. num. 2. quaestionem hanc iuxta subiectam materiam accipiendam esse, cùm enim Ens Rationis propriè non sit, propriam sui causam habere non potest: eo tamen modo quo est, & causam à qua hoc esse recipiat, habere debet, non quidem pro-

pe metaphorice.

propriè sed metaphoricè, id est, sicut se habet realis causa ad effectum realem, ita & causa metaphorica ad effectum metaphoricum.

IV. *Intellectio non dicitur propriè causa realis Entis Rationis.*

Secundò notandum, nec intellectum, nec intellectionem dici posse causam realem respectu Entis Rationis, denominatio quippe causæ realis non ab entitate causæ in quantum ens est, desumitur, sed in quantum causa, ac proinde vt ordinem dicit ad effectum. Vt ergo causa denominetur talis, debet aliquid in effectu illi correspondere vnde illam denominationem desumat. Sic Deus non dicitur causa vitalis respectu lapidis, nam esto in se vitalis sit, vt causa tamen hic & nunc non est vitalis, quia nil in effectu est vitale: sic in præsenti. Vnde aliud est producere per physicam & realem virtutem, aliud physicè & realiter producere, primum enim hic tribuitur cognitioni, & propter ipsam intellectui, secundū minimè, nihil enim dici potest physicè & realiter producere nisi effectum physicum & realem producat. Et sicut causa finalis licèt entitatiuè seu in essendo sit subinde quid metaphoricum, vt cùm quis rem appetit impossibilem, in ratione tamen causæ seu in causando, dicitur causa realis, quia effectum realem causat; sic è contrario causa in essendo realis potest in causando esse metaphorica respectu effectus metaphorici.

Aliud est producere per realem, & physicam virtutem, aliud physicè & realiter producere.

V. Dices, causalitas intellectus hic est realis, ergo intellectus hic erit causa realis, quia denominatur agens & causa formaliter à causalitate. Respondeo duplicem hic interuenire causalitatem, prima est ipsa actio quâ intellectus actum seu verbum mentis producit, & hæc est realis, terminata scilicet ad effectum realem, nempe hoc verbum mentis productū, & respectu huius intellectus est causa realis. Altera causalitas est hoc ipsum verbum mentis, quod vocari solet actio intentionalis seu grammaticalis, quia est tendentia potentiæ in obiectum, & via ad illud, tribuitque potentiæ denominationem agentis, videlicet intelligentis, repræsentantis &c. Hæc ergo causalitas quamuis entitatiuè sit realis, vt tamen formaliter respicit effectum non est realis, ac proinde intellectus vt potentia per eam hic operans, non est realis. De quo postea iterum redibit sermo.

Duplex causalitas interuenit in productione Entis Rationis physica, & intentionalis.

VI. *Cognitio fingens causat Ens Rationis in genere causæ efficientis.*

Secunda Conclusio. Cognitio fingens causat Ens Rationis in genere causæ efficientis, non veræ sed metaphoricę: ita Scotus q.4. vniuersal. ad 3. Conimbr. in Præfat. ad Prędicab. Porphyrij. q.6. ar.1. ad primū P. Suar. cit. num.4. Complutenses disp.2. Log. q.2. n.10. & docti quidam recentiores, & vt fatetur P. Herice 1 par. d.8. n.1. est magis communis.

VII. *Ratio est, nā Ens Rationis est aliquo modo Ens, ergo habere debet aliquā causam efficientem.*

Probatur primò à priori. Ens Rationis habet aliquod esse, vt in confesso est apud omnes, & est aliquod ens, sed non est ens à se, cùm hic sit proprius conceptus Dei, ergo est ens ab alio, cum nō detur medium inter esse à se & esse ab alio, si res existat, ergo est ab aliqua causa efficiente, probatur, nam esse à se, est non esse ab alio vt à causa efficiente, quod patet, causalitas etenim materiæ est *esse in alio*, causalitas formæ *esse per aliud*, vnde si homo quispiam per impossibile eandem haberet materiam & formam, quam iam habet, & non produceretur ab aliqua causa efficiente, diceretur propriè illa habere à se, & esse ens à se, causalitas ergo materialis & formalis non obstat conceptui entis à se: causalitas etiā causæ finalis est *esse propter aliud*, ergo esse *ab alio* arguit causalitatem causæ efficientis.

Esse ab alio arguit causalitatem causæ efficientis.

VIII. *Ens Rationis nunc est, antea non fuit, ergo aliquā habere debet causam efficientem.*

Confirmatur, Ens Rationis nunc est, antea non fuit, ergo nunc primò incipit esse, ergo ab aliqua causa efficiente, quæ semper inter causas quando simul ad eundem plures effectum concurrunt, censetur à philosophis prima: vnde ait Aristot. 2. Phys. tex. 29. & 5. Metaph. c.5. *efficiens est principium primum dans esse effectui*, seu vt eius verbis vtar, *primum principium motus & quietis*. In aliquibus ergo effectibus deest causa formalis, vt si materia producatur sine omni forma, in aliquibus materialis, vt si produceretur anima separata à corpore, in alijs vtraque, vt dū creatur Angelus, in nonnullis finalis, vt in actionibus brutorum & inanimatorum, quæ non agunt propriè propter finem, nunquam tamen deest vel deesse potest efficiens: vnde aiunt philosophi, sicut finalis causa est prima in intentione, ita efficiens est prima in executione, ergo primò dat esse omni effectui qui primò esse incipit. Quod ipsa vis verbi insinuare videtur, cum effectus secundùm etymologiam nominis ab efficiendo dicatur, &, si ad aliarum etiam causarum terminos applicetur effectio, fit per *catachresin* vel abusionem, & ideo est quia aliæ causæ nunquam operantur sine concursu causæ efficientis.

Causæ aliæ possunt deesse, non tamen causa efficiens.

IX. *Ostenditur cognitionem non posse dare esse Enti Rationis in genere causæ formalis extrinsecæ.*

Probatur secundò, quia cognitionem dare esse cognitum in genere causæ formalis, quod aiunt, extrinsecæ & tamen constituere Ens Rationis inintelligibile videtur, quod sic probo, dat hoc esse cognitum in genere causæ formalis, ergo dando se, ergo ipsa est ratio formalis, qua denominatur obiectum cognitū, ergo licèt obiecto secundū se sit extrinseca cognitio, cognito certè est intrinseca, ergo si Ens Rationis cōsistat in hoc cōcreto, cognitio Enti Rationis est intrinseca; præterea si esse Entis Rationis sit cognosci formaliter, cū esse suū cuiq; rei sit intrinsecum, cognosci erit illi intrinsecum, sed cognosci prouenit formaliter à cognitione, ergo cognitio erit Enti Rationis intrinseca, si consistat in concreto.

X. *Si cognitio sit forma, id respectu cuius est forma, debet habere aliquod esse.*

Confirmatur primò, si cognitio est forma extrinseca ergo respectu alicuius est forma, illud ergo respectu cuius est forma vel habet aliquod esse distinctum à forma hac extrinseca vel non, si non, ergo hæc cognitio realis est totum Ens Rationis: si habet aliud esse, ergo hoc prouenire nō potest à cognitione in genere causæ solùm formalis, nam in genere causæ vel formalis vel materialis nihil causat aliud adæquatè, sed partialiter tantùm quatenus scilicet dat vnam partem compositi, nempe se: sic anima rationalis in genere causæ formalis inadæquatè causat hominem, visio respectu visi est causa eius partialis, & sic de cæteris.

XI. *Si nihil aliud existat præter cognitionem, cum cognitio sit realis, totum quod existit erit reale.*

Confirmatur secundò, cognitio non alio modo potest causare in genere causæ formalis, quàm dando se, ergo nil accipit à cognitione aliud quàm ipsā cognitionem, sed cognitio est realis, ergo totum esse quod accipit à cognitione est reale, ergo si non habeat aliud esse quàm id quod accipit à cognitione, non habet aliud esse quàm reale. Quod fortius vrgebit si formetur argumentum de existentia, iam enim existit Ens Rationis, antea non existebat, sed iā per cognitionē, si illud causet in genere causæ solùm formalis, nil accipit nisi cognitionem, ergo existit adæquatè per existentiam cognitionis, ergo adæquata eius existentia est realis, vel, si aliam habeat, vt nos asserimus habere, sibi intrinsecam, illam accipit necessariò à cognitione in genere causæ efficientis.

XII. *Actus dicens Chimæra existit, non habet se pro obiecto.*

Confirmatur tertiò, Ens Rationis vt existens, est obiectum cognitionis fingentis, sed cognitio hæc nō habet se pro obiecto, ergo cognitio non est eius existentia. Confirmatur quartò, hic actus quo quis dicit *Chimæra existit* facit Chimæram, sed hic actus non magis habet se pro obiecto quàm actus qui dicit *Petrus existit*, ergo aliam in Chimæra existentiam cōcipit, & dat quàm seipsum.

XIII. *Cognitio per se efficit Ens Rationis.*

Tertia conclusio, cognitio non per aliam aliquam actionem à se distinctam, etiam ratione nostra ex parte obiecti, efficit Ens rationis, sed per se immediatè: Illud proinde repræsentando efficit, & efficiendo repræsentat.

Du-

XIV. *Duplex est respectus actionis fingentis respectu Entium Rationis, causæ scilicet efficientis, & formalis.*

Duplex ergo ratione nostra in fictione distingui debet respectu Entium Rationis habitudo & respectus, causæ efficientis alter, alter formalis, seu ordo vt ad effectum & subiectum extrinsecum, & hunc ille prioritate aliqua antecedit, tum quia secundùm philosophos, vt diximus, efficiens inter causas simpliciter censetur prima, tum quia forma vt forma supponit aliquid cui vniatur, nam vt forma formaliter illud non efficit, sed tantùm informat & perficit. Tota igitur cognitio vt efficiens probabiliter dici potest prioritate aliqua prior se tota vt obiectum informante, non prioritate temporis, nec in quo, sed solùm prioritate aliqua dependentiæ, & quasi à quo. Sicut nec conceptu nostro intelligere possumus actionem produci, & non terminari ad effectum, cùm sit essentialis dependentia effectus à causa & tamen actio aliquo modo prior est suo effectu, sicque vt effectio est prior se vt in termino recepta, seu in genere causæ efficientis quàm formalis. Vnde & econtra duplex etiam est obiecti habitudo ad fictionem, vt ens est, & vt obiectum: & sicut in omnibus alijs obiectis, vt entia, sunt priora se vt obiectis, ita & hic, cum hoc tamen discrimine, quod in illis, *esse* tempore potest præcedere *obiecta esse*, hic verò neutiquam, & hoc sibi habet singulare fictio rigorosè sumpta, inter omnes cognitiones, ideo dicta fictio, quod obiectum suum repræsentando illud faciat.

Actio physica vt efficiens est prior se vt recepta.

XV. *Probabile est in actione, tam physicâ, quàm intentionali, concomitanter se habere respectum causæ efficientis, & formalis.*

Si cui tamen fortè videatur difficile (vt reuera ob implicatas illas prioritates non admodum est facile) prioritatem illam vel in actione physica vel intentionali defendere ad se vt informantem, seu in genere causæ formalis concurrentem, dicat omnino concomitanter se habere, etiam ratione sicut reipsa. Mihi tamen longè probabilius videtur, nec vnam actionem, nec alteram propriè dici posse concurrere in genere causæ formalis respectu sui termini, sed solùm ad concretum cogniti & producti. In hoc tamen sensu dici possunt concurrere in genere causæ formalis quòd producant terminos se illis vniendo, vnde concurrunt non in genere causæ efficientis solùm, sed etiam formalis, nec in genere causæ formalis tantùm, sed efficientis, non enim respiciunt subiecta & terminos vt purè subiecta, vel purè terminos, sicut albedo parietem vt purè subiectum respicit, vtpote in quo nihil efficit, sed vt subiecta simul & effectus.

XVI. *Ostenditur productionem sui termini non repugnare cognitioni.*

Quod verò rationi cognitionis non repugnet productio sui termini patet, nam Pater æternus repræsentando, verbum Diuinum producit vt verum illius principium: si ergo principium reale productiuum idque perfectissimum repræsentando producat & producendo repræsentet, cur id causæ metaphoricæ negemus respectu effectus metaphorici.

SECTIO III.

Refelluntur argumenta contendentia Ens Rationis consistere in concreto.

I. *Obiectum, fictum, cognitum &c. duobus modis sumi possunt.*

VT faciliùs obiecta ab aduersarijs refellamus, id præcipuè recolendum, quod supra insinuauimus sect. prima fine, Obiectum, cognitum, fictum, esse obiectiuum, & huiusmodi alia æquiuoca esse, & bifariam sumi posse, complexè, seu in concreto ac reduplicatiuè, & incomplexè seu specificatiuè; complexè entitatem significant quæ intelligitur & simul cognitionem, incomplexè entitatem solam, seu id quod obijcitur vel cognoscitur, quod idem contingit in denominatione reali producti, facti, creati, & similibus.

II. *Licèt in productione Entis Rationis semper sit concretum, in eo tamen Ens Rationis non consistit.*

Notandum secundò: non negare nos in productione Entis Rationis consurgere concretum ex cognitione & obiecto ficto, sed quod dicimus, est adæquatum Entis conceptum reperiri in obiecto ipso vt à cognitione distincto. Quod aliquid sit necesse est, cùm sit pars altera huius concreti, non aliquid reale, ergo rationis. Sicut in productione Ignis vel alteriùs rei resultat semper concretum producti, adæquata tamen ratio effectus, seu ignis distinguitur ab actione illum producente. Hæc si accuratè notentur non erit laboriosum obiecta dissoluere.

III. *Ens Rationis est esse cognitum specificatiuè & incomplexè, non reduplicatiuè & complexè.*

Obijciunt ergo primò, esse Entis Rationis est *esse cognitum*, sed hoc habet à cognitione in genere causæ formalis, ergo non efficienter. Distinguo maiorem: esse cognitum specificatiuè, seu illa entitas quæ cognoscitur est Ens Rationis, concedo maiorem, cognitum complexè est Ens Rationis, nego; nam altera eius pars, nempe obiectum separatim sumptum, quodque distinguitur à cognitione, est Ens Rationis, quod cum de nouo incipiat, eo modo quo entitatem, causam etiam effectricem habere debet alioqui erit à se. Vnde cum dicitur, Ens Rationis non habet aliud esse quàm *esse cognitum*, si sensus sit, non habere aliud esse quàm à cognitione, fateor, si non aliud esse quàm cognitionem, nego: sicut cum dicitur, effectus realis non habet aliud esse quam esse productum, id est, quàm per productionem, est verum, quia non est à se, si autem sensus sit, non habet aliud esse quam productionem, est falsum. Productio verò sicut respectu illius effectus realis habet se & in genere causæ formalis, & efficientis, nam informando efficit, & efficiendo informat, ita in præsenti, cùm fictio hac in parte imitetur factionem. Sic cum dicitur, esse Ens Rationis est esse obiectiuè, causaliter concedo, formaliter nego, id est, esse ipsius est huiusmodi quod non potest esse nisi obiectiuè in intellectu, hoc est, non potest produci nisi per cognitionem.

Explicatur exemplo effectus realis, cuius esse est esse productum.

IV. *Intellectio respectu Entis Rationis, licèt sit causa realis in essendo, non tamen in causando.*

Obijciunt secundò, intellectus est causa realis, ergo non potest habere effectum non realem. Hæc obiectio soluta est supra in probatione primæ conclusionis, vbi dixi eo modo esse causam quo exigit effectos, licèt entitatiuè causa realis sit. Nec adeò hoc mirum videri debet, cum in communi sententia substantia producat accidens, causa supernaturalis effectum naturalem, Deus rem quamque imperfectissimam. Licèt ergo causa effectum se perfectiorem efficere sola non possit, potest tamen imperfectiorem, cùm non necessariò totam semper exerat virtutem, sed iuxta capacitatem effectus.

V. *Ens Rationis est esse repræsentati specificatiuè.*

Obijciunt tertiò, Ens Rationis non habet aliud esse quam esse repræsentatum. Nego antecedens nisi causaliter sumatur, vt supra dixi, habet enim esse sibi intrinsecum, ceruus namque & equus vniti vnione ficta aliquid sunt, alioqui cognitio illa vel repræsentatio ferretur in nihil.

VI. *Licèt Entia Rationis habeant existentiam sibi intrinsecam, non tamen est realis, sed Metaphorica.*

Obijciunt quartò, si Entia Rationis habeant existentiam sibi intrinsecam, ergo tribuitur ipsis esse simpliciter, ergo simpliciter sunt. Nego vtramque consequentiam, licèt enim tribuatur ipsis ab intellectu existentia intrinseca, non tamen tribuitur physicè, sed intentionaliter tantùm, vt autem dicatur aliquid esse simpliciter, habere debet existentiam realem sibi realiter communicatam, quòd hic deest, alio quippe modo communicat intellectus existentiam suis actibus, alio modo Entibus Rationis, licèt ambo sint eius effectus, illis nempe physicè & realiter, his intentionaliter & metaphoricè.

VII. *Actus fingens respectu sui obiecti non est repræsentatio tantum, sed etiam effectio.*

Obijciunt quintò, cognitio tantùm est Imago & repræsentatio obiecti, ergo nihil in eo producit, alioquin etiam dum ens reale repræsentat, aliquid efficiet. Respondetur, cognitio repræsentans rem vt

est in se, seu rem veram, tantùm est imago sui obiecti, concedo antecedens, repræsentans aliter quàm est, vel esse possit, seu fingens est tantùm imago, nego, simul enim est imago seu repræsentatio & effectio, à qua obiectum non solùm accipit *esse cognitum*, sed *esse*, nec tantum esse obiectiuum extrinsecum, sed esse intrinsecum, seu ipsam entitatem, fictio siquidem non repræsentat obiectum secundùm id quod habet in se, sed aliquid apponit de nouo, non sic mera repræsentatio quæ rem concipit vel prout est, vel esse possit. Cum ergo rem realem repræsentans nullam aliam in ea existentiam repræsentet præter realem, & hæc cùm physica sit, produci per aliam actionem quam physicam nequeat, intellectus nihil illius per operationem intentionalem, seu metaphoricam producere potest.

Cur intellectus non possit intentionaliter producere rem aliquam realem.

VIII. Quod autem objiciunt aliqui, cum nulla detur actio, ad quam non debeat Deus concurrere, debere etiam concurrere ad hanc; negamus consequentiam, licèt enim Deus concurrere debeat ad omnem actionem realem, non tamen metaphoricam, cum enim cognitio sit productio metaphorica formaliter vt cognitio est (producimus enim Ens Rationis illud cognoscendo) Deus autem licet physicè ad cognitionem creatam concurrat; cum tamen per eam non intelligat, non potest immediatè & metaphoricè cum intellectu concurrere ad Entis Rationis productionem, quod, vt dixi, non producitur nisi cognoscendo. Nec tandem sequitur Ens Rationis non esse ens solùm intra animam, ens namque intra animam idem sonat atque ens, quod nisi per actum intellectus seu animæ esse non potest.

Cur Deus simul cum intellectu creato non producat Ens Rationis.

Quo sensu Ens Rationis sit ens intra animam.

DISPVTATIO XVI.

A quibus potentijs produci possit Ens Rationis.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm sensus, appetitus, aut voluntas faciant Ens Rationis.

I. Prima conclusio, sensus externi Entia Rationis facere non possunt. Est manifestum, quia licèt errent fortassis aliquando, & in obiecta aliter ferantur quam sint à parte rei, vt dum Irim in nubibus, vel in collo columbæ colores videmus apparentes, aut baculum in aqua curuum, qui tamen est in se rectus, non tamen feruntur in obiecta aliter quàm esse possint, imò probabiliter cum aliquibus affirmare possumus non falli sensus nec errare, sed tantùm intellectui occasionem errandi præbere, vt nimirum aliter obiectum concipiat quam in se est, vel in obiectum aliquod feratur quod non est,

Sensus externi nequeunt facere Ens Rationis.

II. Secunda conclusio, nec appetitus, nec voluntas facit Ens Rationis. Ratio à priori, quia voluntas in sua operatione necessariò præsupponit actum intellectus, & in illud solùm obiectum fertur quod ei ab intellectu proponitur, ergo ex modo suo tendendi inuenit obiectum factum, ac proinde non illud facit. Sicut ob eandem rationem, intellectus dum cognoscit ens reale existens, non dat illi aliquam existentiam de nouo, sed solùm illam quam habuit, repræsentat.,

Nec appetitus, nec voluntas facit Ens Rationis.

III. Dices, voluntas potest ferri in bonum apparens & quod reuera non est, item in obiectum vniuersale, supra suum etiam actum reflectere, & illum amare; potest item tendere in obiectum quia præceptum, quidni ergo & facere poterit Ens Rationis? Respondeo ferri quidem posse in vniuersale, at non à se sed ab intellectu factum, & illi propositum, in bonum item apparens fertur, non tamen à voluntate, sed ab intellectu propositum qui fingit bonitatem vbi non est, nec supra actum suum reflectit illum considerando, sed intellectus illum concipit, & voluntati proponit: fertur etiam in actum præceptum quia præceptum, sed apprehensum priùs per intellectum, nihil enim volitum quin præcognitum,

Voluntas fertur in vniuersale, non à se, sed ab intellectu factum.

SECTIO II.

Vtrum per Imaginatiuam fiat Ens Rationis.

I. P. Suarez disp. 54. Metaph. s. 2. nu. 18. existimat per imaginatiuam hominis, si non omnia, aliqua saltem Entia Chimærica fingi posse, ea scilicet quæ aliquod in rebus fundamentum habent, quo sensu dici solet *ens imaginabile latiùs patet, quàm ens possibile* participat enim hac in re imaginatio aliquo modo vim rationis, seu vim componendi & separandi quæ composita in se, aut separata non sunt.

Putant aliqui Imaginatiuam hominis posse facere Ens Rationis.

II. Prima conclusio; probabilius tamen videtur Imaginatiuam hominis solam nunquam huiusmodi entia Chimærica conficere. Probatur primo ex S. Thoma de veritate, vbi sic habet: *Nomen intellectus sumitur ex hoc, quod intima rei cognoscit, est enim intelligere quasi intus legere, sensus enim & imaginatio, sola accidentia exteriora cognoscunt.* Solus ergo intellectus iuxta S. Thomam sua sagacitate intima rei penetrat, imaginatio verò vtpote materialis & imperfecta, externa tantùm lustrat, & hæret quasi in cortice.

Dicendum Imaginatiuam hominis solam nunquam facere Ens Rationis.

III. Ratio est, quia Imaginatiuæ seu phantasiæ munus est phantasmata, seu materiales earum rerum imagines conseruare, quæ à sensibus percipi possunt, cùm ergo sensu corporeo percipi nihil possit non reale, & possibile, Imaginatiua ex his solùm imagines varias, & phantasmata, ac monstrosas combinationes per se solam formare potest.

Ratio est, quia Imaginatiua non habet species nisi earum rerum, quæ percipiuntur sensibus.

IV. Secunda Conclusio, mihi tamen probabile videtur Imaginatiuam seu phantasiam vnà cùm intellectu posse, imò frequenter Entia Chimærica effingere. Ratio est, quia, cùm simul cum intellectu, pro hoc statu operetur, ab eo eleuatur vt cum illo præstare id queat, quod sola nequiret. Et hoc sensu capi potest id quod dicitur, *latius patet Ens Imaginabile quàm Ens Possibile*, licèt imaginatio, pro simplici apprehensione frequenter ab auctoribus sumatur, & hoc etiam modo axioma illud explicetur.

Potest imaginatiua simul cum intellectu formare vera Entia Rationis.

V. Tertia Conclusio, hinc à fortiori patet Imaginatiuam aliorum animalium Entia hæc Chimærica facere non posse, licèt enim somnient, vt videmus in canibus, qui subinde in somnis latrant, sicque aliqua tunc imaginentur, & forsan monstrantem cum imaginem vident in pariete depictam ex capite leonis, corpore capræ, & pedibus equi, fugiunt vel prosequuntur, ergo aliquid huiusmodi tunc imaginatione sibi formant, sicut etiam ludicris quibusdam spectans aues à frugibus & arboribus arceri cernimus, in his tamen omnibus non formant Ens Rationis, seu Chimæricum, sed externam tantùm earum rerum figuram concipiunt, quæ non est Ens impossibile, cùm illam pictor penicillo assequatur. Vt verò fiat ibi Ens fictum, apprehendi illæ partes debent vt intra se habitudinem dicentes, & vt vnione

Imaginatiua brutorum facere nequeunt Entia Rationis.

Canes somniantes quæ sibi monstra forment.

ficta coniunctæ, quod etiam hominis imaginatiuæ sine rationis cooperatione repugnat, vt diximus: licèt dici fortasse posset, perfectiorem esse hominis imaginatiuam imaginatiua aliorum animalium, vtpote quæ non solùm immediatè ad actus intellectus disponit, sed semper cum intellectu operatur, sicut & intellectus cum illa.

SECTIO III.

Vtrum per Apprehensionem, & Iudicium fiat Ens Rationis.

I. EXclusimus sectione præcedenti voluntatem à confectione Entis Rationis, quia nihil tribuit obiecto aliud præter denominationem extrinsecam realem amati, voliti &c. & entitatem obiecti, siue ea vera sit siue ficta, semper præsupponit: intellectus verò quidlibet fingendo præstat, concipiendo enim aliquid vt bonum quod bonum non est, bonitatem illi fictam dat, seu apparentem, coruum concipiendo vt album dat illi intentionaliter albedinem, niuem vt nigram dat ei nigredinem, concipiendo aliquid vt ens dat illi entitatem, & licèt à parte rei aliquando nec per diuinam potentiam esse possit. Cum ergo miram hac in parte vim habeat effectricem, quærimus per quos actus hanc suam virtutem exerat.

Proponitur status præsentis difficultatis.

II. Dico primò, per Apprehensionem tam complexam quàm incomplexam fieri potest Ens Rationis. Prima pars constat, per Apprehensionem enim complexam, vel prædicatum coniungitur cum subiecto, vt cum dicimus *equus est leo*, vel partes inter se per intellectum vniuntur, quæ tamen nulla potentia vniri possunt, vt caput leonis, corpus cerui, pedes aquilæ: in hoc ergo casu obiectum fit impossibile.

Apprehensio tam complexa, quàm incomplexa facit Ens Rationis.

III. Secunda etiam pars probatur primò auctoritate S. Thomæ supra citati, Opusc. 42. cap. 1. vbi ait, *tunc effici Ens Rationis quando intellectus nititur apprehendere quod non est & ideo fingit illud aliquo modo vt ens.* Deinde si quis apprehendat alium Deum, vel duos simul Deos, est apprehensio incomplexa, cuius tamen obiectum est Ens Rationis. Eo igitur ipso quod quis côcipit Chimæram, eam facit, nec ad hoc necessarium est vt in actu signato & explicitè eam repræsentet vt existentem, sed sufficit quod mente apprehendat, apprehendendo quippe vnionem fictam inter illa extrema eam fingimus, & facimus Ens Rationis, illa enim fictio in actu exercito entitatem illi communicat & illius est causalitas seu factio.

Ostenditur Apprehensionem etiam incomplexâ facere Ens Rationis.

IV. Quæres vtrum per actum quo quis veluti dubitanter inquirit, possitne fieri Chimæra, fiat necne? Respondetur, duplici modo de Chimæra dubitare aliquem posse, diuisim vel coniunctim, diuisim, vt si quis inquirat possitne leo coniungi cum dracone per vnionem fictam, & per hunc actum, dico non fieri Chimæram, patet, nam non apprehenduntur partes vnitæ, ergo nec concipitur Chimæra, sicut nec hominem quis concipit, si inquirat possitne anima rationalis vniri materiæ per vnionem realem, licet enim dum apprehendo vnionem, necessariò in obliquo apprehendam partes vt ab illa connotatas, non tamen in recto, nullus enim dicit quoties de vnione disputamus hominem concipi. Dico nihilominus in priori conceptu fieri Ens Rationis respectu vnionis, non respectu Chimæræ, vnio siquidem quam apprehendo est ficta.

Si quis diuisim inquirat an fieri possit Chimæra, licet non faciat Chimæram, facit tamen Ens Rationis.

V. Coniunctim concipi Chimæram est partes illas vnitas apprehendi, & per hanc apprehensionem dico fieri Chimæram. Si quis verò tunc dubitet vtrum Chimæra illa sit possibilis, inquirit solùm sit ne possibilis realiter, nec enim si reflectat quid agat, dubitabit num fieri per intellectum possit, cum id de quo in actu signatu dubitat, faciat in actu exercito. Sicut si quis loquendo inquirat num possint homines loqui, vel secum discurrendo quærat, vtrum possit homo discurrere.

Siquis coniunctim repræsentet Chimæram repræsentando facit.

VI. Dices in Apprehensione non est falsitas, ergo per eam non potest fieri Ens Rationis. Nego consequentiam, licet enim in Apprehensione falsitas esse nequeat, cum non respiciat obiectum vt à parte rei, sicut iudicium quod affirmat vel negat de obiecto vt est à parte rei, fieri tamen potest per Apprehensionem Ens Rationis. Apprehensio verò est illi in repræsentando conformis, ac proinde non falsa, licet enim aliter repræsentetur obiectum quam sit à parte rei, imo obiectum subinde quòd nec est, nec esse potest, Apprehensio tamen illud non vt à parte rei respicit, sed vt ei obijcitur, sicque obiecto suo est côformis, eo modo quo quis errorem alterius apprehenderet, quæ tamen apprehensio est vera.

Quamuis in Apprehensione esse nequeat falsitas, potest tamen facere Ens Rationis.

Apprehensio, qua quis errorem alterius apprehendit, est vera.

VII. Dico secundò, si per Apprehensionem, quæ iudicium antecedit, proponantur partes Chimæræ diuisim, fit Chimæra & Ens Rationis per iudicium. Patet, tunc etenim per iudicium vniuntur primò partes, & de se mutuo affirmantur, iudicium siquidem non minùs est imago & repræsentatio quàm Apprehensio, sed vniuntur primò seu vnitæ repræsentantur partes illæ per iudicium, ergo tunc fit Ens Rationis per iudicium, vt in his & similibus propositionibus, *lapis est homo, leo est hinnibilis.*

Si Apprehensio partes Chimæræ repræsentat diuisim, fit Ens Rationis per iudicium.

VIII. Dico tertiò, quandocunque Apprehensio præcedens iudicium repræsentat partes coniunctim, non fit Chimæra per iudicium. Probatur, iudicium namque hîc non dat obiecto esse obiectiuum, seu entitatem suam intrinsecam, sed solùm esse obiectiuè, seu denominationem cogniti fertur quippe in illud iam ab alio actu factum, & vel approbat vel improbat quod præcedens actus fecit. Sicut ergo ob eandem rationem affirmat communis sententia à voluntate non fieri Ens Rationis, quia, cum necessariò actum intellectus prærequirat, in obiectum fertur ab eo factum, sicque non ponit, sed præsupponit obiectum, sic cum iudicium necessariò præsupponat Apprehensionem, seu obiectum apprehensum, quod dum apprehenditur fit, iudicium pari ratione non illud facit, sed in hoc casu factum accipit ab Apprehensione.

Quando Apprehensio repræsentat partes Chimæræ coniunctim, non fit Chimæra per iudicium.

IX. Dices, ergo si duo homines alter hic, alter Romæ eandem simul Chimæram apprehendant, quod factu non videtur difficile, si simul huic studeant materiæ, vel de ea disputent, aut saltem in pluribus eodem loco studentibus facile id continget, alter ex ijs Ens Rationis non faciet, imò nec alius, cum non sit maior ratio vnius quàm alterius: patet, nam vterque obiectum apprehendit quod habet esse aliunde, nempe per actum alterius, ergo neuter dat illi esse. Respondetur primò, non posse fortassis illos eandem Chimæram concipere, cum enim fingant pro libito vix videtur possibile vt in eandem vnionem fictam ex infinitis incidant. Sed quidquid sit de hac solutione. Respondetur secundò, nullam inter illos reperiri subordinationem, nec vnum accipere obiectum ab altero, sed perinde se habere vnius cognitionem respectu cognitionis alterius, atque si non esset. Non sic res se habet inter apprehensionem & iudicium, intellectum & voluntatem, vt constat. Vnde vterque in eo casu facit Ens Rationis.

Quæres, si plures disparatè apprehendant eandem Chimæram quis eam faciat.

Resp. omnes Chimæram illam facere, cum nulla inter eos sit subordinatio.

X. Dico quartò, si detur aliquis actus iudicij sine præuia apprehensione obiectum proponente, quod aliqui putant possibile, imò videtur sæpe contingere, quando post primam apprehensionem longa series iudiciorum quasi concatenata per discursum contexitur, tunc, inquam, per iudicium fieri potest Ens

Si detur iudicium sine apprehensione præuia, per illud fiet Ens Rationis.

Rationis, vt si primus actus quem quis elicit sit hic, *equus est rationalis.*

SECTIO IV.

Vtrum actus verus vnquam faciat Ens Rationis.

I. *Fit quandoque Ens Rationis per iudicium verum.*

NEgat P. Hurtado disp. 19. Metaph. s. 5 num. 82. sit tamen Conclusio affirmatiua. Probatur, ponamus enim hoc iudicium, *Chimæra est quid fictum*, elici sine eo quod per apprehensionem præuiam repræsentetur illa Chimæra, tunc primò vniuntur hæ partes per iudicium, & Chimæra habet esse primò in intellectu per illud, hoc tamen iudicium est verum, vt constat, ergo.

II. *Actus faciens Ens Rationis non debet esse difformis suo obiecto, sed rei vt est in se.*

Dices primò, actus per quem fit Ens Rationis, repræsentare obiectum aliter debet quam est in se, ergo difformis esse debet obiecto, ergo falsus. Distinguo primum consequens, debet esse difformis obiecto prout est à parte rei, concedo consequentiam, debet esse difformis suo obiecto, nego, obiectum enim apprehensionis, vt diximus, non est obiectum vt est in se, seu realiter, sed vt obijcitur intellectui. Sic cum quis apprehendere vult erroneum obiectiuum, erraret potius si apprehenderet tam vt vere est à parte rei, quam apprehendendo aliter quam est, nam obiectum illi præfixum est error, seu res erronea & falsa, si ergo rem apprehenderet vt verè est, non haberet pro obiecto id quod intendebat, sed aliud, rem scilicet veram: vnde neganda est vltima consequentia.

III. *Iudicium omne duas in se formalitates continet, iudicij, & apprehensionis virtualis.*

Dices secundò, actus iudicij quo dico *Chimæram est quid fictum*, destruit Chimæram, ergo non illam facit, implicat siquidem eundem actum simul idem facere & destruere. Ad solutionem, notandum, iudicium omne dupliciter considerari posse, vel vt actus iudicij est, vel vt apprehensio virtualis, omne enim iudicium duas in se continet formalitates, repræsentare scilicet subiectum & prædicatum, & illa de se inuicem prædicare seu vnire intentionaliter, affirmando scilicet vel negando. Hoc vltimum præstat vt iudicium formaliter, primum vt virtualis apprehensio, apprehensionis quippe est proprium obiecta repræsentare. Hoc posito, non difficilis est argumenti solutio, actus enim ille vt virtualis est apprehensio repræsentat & facit Chimæram, vt enim apprehensio, est ratione nostra prior se vt iudicio, dum ergo ibi apprehendit & ponit vnionem fictam, facit Chimæram.

Hic actus Chimæra est quid fictum, facit Chimæram vt est virtualis apprehensio.

IV. *Hic actus Chimæra est quid fictum non destruit Chimæram vt est iudicium.*

Hic verò actus vt iudicium est, Chimæram non destruit, cum enim vt iudicium non tollat à se quin minùs sit repræsentatio illius obiecti, seu virtualis apprehensio, non tollit quo minùs illas inter se partes connectat. Sicut si apprehensio esset realiter à iudicio distincta, iudicium in eo casu vnionem illam non tolleret: licet enim neget iudicatiue esse à parte rei vnionem illam fictam, non tamen impedit quo minus apprehendatur, nec negat apprehendi, sic enim actus esset falsus. Quod ex eo confirmatur, nam licet Deus iudicet Ens Rationis non esse à parte rei, quod ego apprehendo vel iudico esse, non propterea destruit Deus Ens Rationis à me factum, cum adhuc perseueret actus meus illud faciens: alioqui nunquam fieret Ens Rationis, cum nullo vnquam instante apprehendat homo vel iudicet Chimæram à parte rei esse quin Deus iudicet non esse. Quantum ergo est ex se actus ille Chimæram tollit, non tamen simpliciter, cum simpliciter eam relinquat. Alioqui dum quis hunc actum elicit, *Omnis Chimæra est quid fictum*, nullus Chimæram facere posset.

Deus iudicando non esse à parte rei Chimæram, quam homo iudicat esse, non destruit Chimæram ab homine illo factam.

V. *Impossibile est, vt hic actus, Chimæra est quid fictum, destruat Chimæram.*

Imo impossibile videtur, vt hoc iudicium Chimæram destruat, destrui siquidem non potest quod non est, sed ante hunc actum Chimæra non erat, nec per illum fit, vt P. Hurtado, ergo per hunc actum non potest destrui. Imo licet diceretur fieri per hunc actum, non posset per illum destrui, sic enim idem simul esset & non esset. Concludo itaque hoc iudicium, *Chimæra est quid fictum*, Chimæram aliquando facere, nunquam destruere.

SECTIO V.

An omnis actus falsus faciat Ens Rationis.

I. *Prima sententia affirmat omnem actum falsum facere Ens Rationis.*

AFfirmat P. Hurtado d. 19. Met. s. 5. num. 8. quem sequitur P. Arriaga d. 6. Met. s. 3. num. 11. vnde inquiunt, si Petro non currente dicat quispiam, *Petrus currit*, facit Ens Rationis, cum cursus Petri aliud esse non habeat quàm per intellectum. Ad quam sententiam defendendam duplex distinguunt Ens Rationis, Chimæricum & non Chimæricum, quasi dicerent fictitium & reale.

II. *Omnis actus falsus non facit Ens Rationis.*

At sanè, cùm, vt ipsi fatentur, quæstio sit de solo modo loquendi, & hactenus *Ens Rationis reale* ab auctoribus non sit vsurpatum, loquamur cum communi, & dicamus Ens Rationis tunc solùm, & semper fieri quando aliquid impossibile mente reuoluimus, non quando realia & possibilia. Sequeretur præterea etiam per actus veros in rebus possibilibus fieri Entia Rationis, quoties scilicet de rebus vel præteritis iudicamus, vel futuris, vt Adam peccauit, Antichristus nascetur, & similibus, cum nec præteritio eorum nec futuritio nunc existet, sicque hoc sensu sint obiectiuè tantùm in intellectu; vnde dum historiam aliquam, vel ipsam sacram scripturam legimus, in qua futura multa, plurima continentur præterita, quot periodos oculis percurrimus, tot mente assentiendo Entia formaremus Rationis. Præstat itaque cum communi dicere illud tantum esse ens Rationis, quod esse suum ita accipit ab intellectu, vt extra eum seu animam nec sit nec esse possit. Sed de nomine satis.

Sequeretur iudicia de rebus præteritis & futuris facere Ens Rationis.

III. *Dicunt aliqui omnem actum falsum habere obiectum impossibile.*

Recentiores aliqui quæstionem hîc de re instituunt, ita siquidem actus omnes falsos Ens Rationis facere affirmant, vt illos obiectum semper habere dicant impossibile. Sic ergo philosophantur, quisquis studere Petrum asserit, eo non studente, obiectum habet impossibile, studere namque eum affirmat eo instante quo non studet, studium autem eo instanti quo existit negatio studij, tam est impossibile quàm Hippocentaurus, Tragelaphus, aut alia quæuis Chimæra, simul enim existerent duo contradictoria.

IV. *Ostenditur omnem actum falsum non habere obiectum impossibile.*

Hanc sententiam latiùs postea impugnabo d. 44. sec. 6. dum de veritate & falsitate actuum: ex hoc enim principio inferunt hi auctores posse actum mutare obiectum, cum hic actus *Petrus nunc loquitur*, qui profertur eo loquente, & est verus, proferri potuisset eo tacente, tunc autem, inquiunt, mutasset obiectum, habuisset enim pro obiecto sermonē Petri eo tacente, sicque sermonem impossibilem. Sed contra, quantumuis enim Petrum loqui dicam Petro tacente, hoc tamen totum, obiectum actus mei non ingreditur, sed sermo tantùm, qui est possibilis. Hoc pro præsenti sufficit, loco enim citato fusiùs hoc impugnabitur.

SECTIO

SECTIO VI.

Vtrum Deus formet Entia Rationis.

I. *Prima sententia affirmat Deum facere Ens Rationis.*

ASserunt aliqui, vt Henricus in summa, arti. 68, q.15. Fonseca 7. Met.ca.8.q 2.16. Gilius To.p. l.2.tract.6.c.vlt. Ægidius Lusitanus To.p.in p.2.q.6, ar.10. Illi etiam hoc tenere videntur qui aiunt posse Deum efficere distinctionem rationis, inter quos est Torres de Trinit.q.28.art.2.d.2.dub.2. Mol.ibidem d.5.conclul.§.

II. *Secunda sententia negat Deum cognoscere Ens Rationis.*

P. Vasquez in primam part. To.2.d.118.c.4. ita ab hac sententia refugit, vt nec Deum facere Entia Rationis concedat, neget cognoscere, cui ex recentioribus sui non desunt sequaces.

III. *Tertia sententia docet Deum cognoscere, sed non facere Entia Rationis.*

P. Suares d.54. Met.s.2.nu.19. & deinceps, media, quæ communiter est tutior, procedit via, & affirmat, vt diuino intellectu indignum est Chimæras illas commentitias fingere, ita impossibile esse eum à nobis fictas non cognoscere: cuius tanta fuit vel auctoritas viri, vel momenta rationum, vt recentiores prope omnes ad se pellexerit; quam sententiam latè probat P. Hurtadu d. 19. Met.s.6. & P. Arriaga d.6. Met.s.4.

IV. *Dupliciter res aliqua cognoscitur, primariò, & secundariò.*

Hic solùm notandum pro præsenti, posse duplici modo aliquid cognosci, primario & secundario. Primario quando in se immediate res percipitur ex parte obiecti, hoc est, non medio alio obiecto cognito, sic Deus, sic sancti per visionem beatificam Deum intuentur. Secundariò dicitur illud cognosci quod per aliud tanquam per medium ex parte obiecti cognoscitur, sic Deus creaturas in seipso, Beati easdem in Deo vident, licet per aliam scientiam ad creaturas immediatè terminatam illa cognoscat Deus, sicut & Angeli. Hæc autem cognitio directè ad creaturas terminata potest tam in Deo quam Angelis respectu aliquarum rerum esse primaria, respectu aliarum secundaria, vt si effectus in causa cognoscatur, obiectum in acto, causa & actus cognoscuntur immediatè & primario, obiectum & effectus secundario.

Eadem cognitio respectu diuersarum rerum potest esse primaria & secũdaria.

V. Quæstio hæc Theologica est, & multis difficultatibus metaphysicis de possibilitate rerum intermixta. Dico ergo mihi probabilius videri Deum secundario cognoscere Entia Rationis, seu in actibus creatis illa fingentibus, cognoscit enim perfectè actus illos, ergo vt terminantur ad obiecta. Deinde actus est imago obiecti, qui vero perfectè imaginem alicuius rei cognoscit, rem illam simul cognoscat necesse est. Præterea incredibile videtur dum nos disputamus de Chimæris, Deum nescire de quibus obiectis sit disputatio, si verò nouit, vt nosse ipsum necesse est, ergo obiecta illa cognoscit. Item nouit Deus actum qui fingit relationem in Deo fictam vt differt ab acto fingente Hippoceruum, ergo nouit illos vt terminantur ad obiecta, in eo enim solum differunt quod diuersum obiectum repræsentent, ergo obiecta ipsa ficta cognoscit Deus secundario. Nec propterea inferas Deum fingere, sicut enim non errat repræsentando aliorum errores, ita nec fingit cognoscendo fictiones, non enim fertur in hæc obiecta nisi vt facta vel ficta ab intellectu humano, non ergo magis quoad hoc illa facit, quàm voluntas amans Chimæram sibi ab intellectu propositam.

Deus secundariò cognoscit Entia Rationis, seu in actibus creatis.

Ostenditur Deum cognoscere Entia Rationis.

Sicut Deus non errat cognoscendo hominum errores, ita nec fingit cognoscendo eorum fictiones.

VI. *Deus cognoscens Chimæram in actu possibili, non facit Ens Rationis.*

Vlterius dum cognoscit Deus Ens aliquod Rationis in actu possibili, probabilius videtur eum non facere Ens Rationis, cum non det illi Chimæræ totum suum esse, esse enim possibile illius supponitur ad cognitionem diuinam quod habetur ab illo acto in quo illud cognoscit Deus, per illum enim actum habent extrema illa esse vnita quoad essentiam. Dum verò Deus immediatè videt obiectum impossibile, vt vnionem inter equum & ceruum esse impossibilem, nihil est incommodi si concedatur eum facere Ens Rationis, saltem secundum quid, non fingendo, sed negando vnionem talem esse possibilem: ita præter citatos num. 1. Albertinus septimo principio Philosoph. corol. 1. Arriaga sec. 4. nu. 45. & multi ex recentioribus.

Deus non facit Ens Rationis, nisi secundum quid.

VII. *Angelus potest facere Ens Rationis.*

De intellectu Angelico, dico in ijs quæ Angelus abstractiuè solùm cognoscit, & per discursum, mihi probabilius videri posse facere Entia Rationis, secus in ijs quæ clare videt & intuitiue.

DISPVTATIO XVII.

Reliqua de Ente Rationis.

SECTIO PRIMA.

Discutiuntur quædam difficultates particulares, quæ ad plenam Entis Rationis notitiam spectant.

I. *Quæres vbi sit Ens Rationis.*

PRima est, vbi sit, cum enim per nos sit aliquid, aliquo certè in loco esse debet, *quod enim nusquã est, non est.* Quæ ergo horum monstrorum sedes? vbi tandem gentium ea reperiemus ut dicemus? Respondetur, cum Ens Rationis ad arbitrium sit fingentis, sicut esse, ita & in loco esse, & sicut essentiam, ita & proprietates ab illo accipiet. Erit ergo vbicunque illud finxerit, vel fixerit cognoscens.

Resp. ibi esse, vbi illud fingit cognoscens.

II. *Potest Ens Rationis Chimæricè moueri.*

Secunda difficultas est, possitne Ens Rationis moueri. Respondeo, sicut in loco per Chimæricam præsentiam esse potest, ita & loco per motum Chimæricum moueri, quidni enim quis imaginari vel fingere possit Chimæram volare, vel Hippoceruum currere?

III. Tertia difficultas est de accidentibus quibusdam quæ Enti Rationis inesse apprehenduntur, vt de albedine, & huiusmodi alijs. Respondetur accidentia illa non esse realia, cùm huiusmodi fingantur, quæ Chimæram informent, talia autem nulla dari possunt à parte rei.

Albedo, & similia, quæ in Chimæras fingimus, non sunt realia.

IV. *Quæres, an duæ Chimæræ sint sibi similes ante cognitionem fingentem inter eas Relationem. Resp. esse ipso facto similes.*

Quarta difficultas est vtrum vna Chimæra sit similis alteri, vel dissimilis ante cognitionem reflexam, & relationem inter illas fingentem; si enim sint similes, iam emerget aliqua relatio inter illas, quæ cum non possit esse realis, cùm nihil reale fundari possit in aliquo non reali, erit Ens Rationis, ergo iam dabitur aliquod Ens Rationis sine operatione intellectus. Resolutio huius difficultatis pendet ab illa quæstione vtrum relatio distinguatur à fundamento, si enim non distinguatur, poterunt esse similes sine vlla relatione emergente, & sic cessat difficultas, sed de hoc disp. 11. Metaphysicæ. Aliæ multæ hîc excogitari possent difficultates, nam sicut nullus fingendi, ita nec difficultates circa figmenta proponendi est modus: per has tamen quas proposuimus, reliquas facilè omnes solutum iri existimo.

Rationis, vt si primus actus quem quis elicit sit hic, *equus est rationalis.*

SECTIO IV.

Vtrum actus verus vnquam faciat Ens Rationis.

I. *Fit quandoque Ens Rationis per iudicium verum.*

NEgat P. Hurtado disp. 19. Metaph. l. 5 num. 82. sit tamen Conclusio affirmatiua. Probatur, ponamus enim hoc iudicium, *Chimæra est quid fictum,* elici sine eo quod per apprehensionem præuiam repræsentetur illa Chimæra, tunc primò vniuntur hæ partes per iudicium, & Chimæra habet esse primò in intellectu per illud, hoc tamen iudicium est verum, vt constat, ergo.

II. *Actus faciens Ens Rationis non debet esse difformis suo obiecto, sed vt est in se.*

Dices primò, actus per quem fit Ens Rationis, repræsentare obiectum aliter debet quam est in se, ergo difformis esse debet obiecto, ergo falsus. Distinguo primum consequens, debet esse difformis obiecto prout est à parte rei, concedo consequentiam, debet esse difformis suo obiecto, nego, obiectum enim apprehensionis, vt diximus, non est obiectum vt est in se, seu realiter, sed vt obijcitur intellectui. Sic cum quis apprehendere vult errorem obiectiuum, erraret potiùs si apprehenderet rem vt vere est à parte rei, quam apprehendendo aliter quam est, nam obiectum illi præfixum est error, seu res erronea & falsa, si ergo rem apprehenderet vt verè est, non haberet pro obiecto id quod intendebat, sed aliud, rem scilicet veram: vnde neganda est vltima consequentia.

III. *Iudicium omne duas in se formalitates continet, iudicij, & apprehensionis virtualis.*

Dices secundò, actus iudicij quo dico *Chimæram est quid fictum,* destruit Chimæram, ergo non illam facit, implicat siquidem eundem actum simul idem facere & destruere. Ad solutionem, notandum, iudicium omne dupliciter considerari posse, vel vt actus iudicij est, vel vt apprehensio virtualis, omne enim iudicium duas in se continet formalitates, repræsentare scilicet subiectum & prædicatum, & illa de se inuicem prædicare seu vnire intentionaliter, affirmando scilicet vel negando. Hoc vltimum præstat vt iudicium formaliter, primum vt virtualis apprehensio, apprehensionis quippe est proprium obiecta repræsentare. Hoc posito, non difficilis est argumenti solutio, actus enim ille vt virtualis est apprehensio repræsentat & facit Chimæram, vt enim apprehensio, est ratione nostra prior se vt iudicio, dum ergo ibi apprehendit & ponit vnionem fictam, facit Chimæram.

Hic actus Chimæra est quid fictum, facit Chimæram vt est virtualis apprehensio.

IV. *Hic actus Chimæra est quid fictum non destruit Chimæram vt est iudicium.*

Hic verò actus vt iudicium est, Chimæram non destruit, cum enim vt iudicium non tollat à se quo minùs sit repræsentatio illius obiecti, seu virtualis apprehensio, non tollit quo minùs illas inter se partes connectat. Sicut si apprehensio esset realiter à iudicio distincta, iudicium in eo casu vnionem illam non tolleret: licet enim neget iudicatiue esse à parte rei vnionem illam fictam, non tamen impedit quo minus apprehendatur, nec negat apprehendi, sic enim actus esset falsus. Quod ex eo confirmatur, nam licet Deus iudicet Ens Rationis non esse à parte rei, quod ego apprehendo vel iudico esse, non propterea destruit Deus Ens Rationis à me factum, cum adhuc perseueret actus meus illud faciens: alioqui nunquam fieret Ens Rationis, cum nullo vnquam instante apprehendat homo vel iudicet Chimæram à parte rei esse quin Deus iudicet non esse. Quantum ergo est ea se actus ille Chimæram tollit, non tamen simpliciter, cum simpliciter eam relinquat. Alioqui dum quis hunc actum elicit, *Omnis Chimæra est quid fictum,* nullus Chimæram facere posset,

Deus iudicando non esse à parte rei Chimæram, quam homo iudicat esse, non destruit Chimæram ab homine illo factam.

V. *Impossibile est, vt hoc actu, Chimæra est quid fictū, destruat Chimæram.*

Imo impossibile videtur, vt hoc iudicium Chimæram destruat, destrui siquidem non potest quod non est, sed ante hunc actum Chimæra non erat, nec per illum fit, vt P. Hurtado, ergo per hunc actum non potest destrui. Imo licet diceretur fieri per hunc actum, non posset per illum destrui, sic enim idem simul esset & non esset. Concludo itaque hoc iudicium, *Chimæra est quid fictum,* Chimæram aliquando facere, nunquam destruere.

SECTIO V.

An omnis actus falsus faciat Ens Rationis.

I. *Prima sententia affirmat omnem actum falsum facere Ens Rationis.*

AFfirmat P. Hurtado d. 19. Met. l. 5. num. 8. quem sequitur P. Arriaga d. 6. Met. l. 3. num. 11. vnde inquiunt, si Petro concurrente dicat quispiam, *Petrus currit,* facit Ens Rationis, cum cursus Petri aliud esse non habeat quàm per intellectum. Ad quam sententiam defendendam duplex distinguunt Ens Rationis, Chimæricum & non Chimæricum, quasi dicerent fictitium & reale.

II. *Omnis actus falsus non facit Ens Rationis.*

At sanè, cùm, vt ipsi fatentur, quæstio sit de solo modo loquendi, & hactenus *Ens Rationis reale* ab auctoribus non sit vsurpatum, loquamur cum communi, & dicamus Ens Rationis tunc solùm, & semper fieri quando aliquid impossibile mente reuoluimus, non quando realia & possibilia. Sequeretur præterea etiam per actus veros in rebus possibilibus fieri Entia Rationis, quoties scilicet de rebus vel præteritis iudicamus, vel futuris, vt Adam peccauit, Antichristus nascetur, & similibus, cum nec præteritio eorum nec futuritio nunc existat, sicque hoc sensu sint obiectiuè tantùm in intellectu; vnde dum historiam aliquam, vel ipsam sacram scripturam legimus, in qua futura multa, plurima continentur præterita, quot periodos oculis percurrimus, tot mente assentiendo Entia formaremus Rationis. Præstat itaque cum communi dicere illud tantum esse ens Rationis, quod esse suum ita accipit ab intellectu, vt extra eum seu animam nec sit nec esse possit. Sed de nomine satis.

Sequeretur iudicia de rebus præteritis & futuris facere Ens Rationis,

III. *Dicunt aliqui omnem actum falsum habere obiectum impossibile.*

Recentiores aliqui quæstionem hic de re instituunt, ita siquidem actus omnes falsos Ens Rationis facere affirmant, vt illos obiectum semper habere dicant impossibile. Sic ergo philosophantur, quisquis studere Petrum asserit, eo non studente, obiectum habet impossibile, studere namque cum affirmat eo instante quo non studet, studium autem eo instanti quo existit negatio studij, tam est impossibile quàm Hippocentaurus, Tragelaphus, aut alia quæuis Chimæra, simul enim existerent duo contradictoria.

IV. *Ostenditur omnē actum falsum non habere obiectum impossibile.*

Hanc sententiam latiùs postea impugnabo d. 44. sec. 6. dum de veritate & falsitate actuum: ex hoc enim principio inferunt hi auctores posse actum mutare obiectum, cum hic actus *Petrus nunc loquitur,* qui profertur eo loquente, & est verus, proferri potuisset eo tacente, tunc autem, inquiunt, mutasset obiectum, habuisset enim pro obiecto sermonē Petri eo tacente, sicque sermonem impossibilem. Sed contra, quantumuis enim Petrum loqui dicam Petro tacente, hoc tamen totum, obiectum actus mei non ingreditur, sed sermo tantùm, qui est possibilis. Hoc pro præsenti sufficit, loco enim citato fusiùs hoc impugnabitur.

SECTIO VI.

Vtrum Deus formet Entia Rationis.

I. *Prima sententia affirmat Deum facere Ens Rationis.*

ASserunt aliqui, vt Henricus in summa, arti. 68, q. 15. Fonseca 7. Met. ca. 8. q 2. s 6. Gilius To. p. l. 2. tract. 6. c. vlt. Ægidius Lusitanus To. p. in p. 2. q. 6. at. 10. Illi etiam hoc tenere videntur qui aiunt posse Deum efficere distinctionem rationis, inter quos est Torres de Trinit. q. 28. art. 2. d. 2. dub. 2. Mol. ibidem d. 5. conclus. §.

II. *Secunda sententia negat Deum cognoscere Ens Rationis.*

P. Vasquez in primam part. To. 2. d. 118. c. 4. ita ab hac sententia refugit, vt ne Deum facere Entia Rationis concedat, neget cognoscere, cui ex recentioribus sui non desunt sequaces.

III. *Tertia sententia docet Deum cognoscere, sed non facere Entia Rationis.*

P. Suares d. 54. Met. s 2. nu. 19. & deinceps, media, quæ communiter est tutior, procedit via, & affirmat, vt divino intellectu indignum est Chimæras illas commentitias fingere, ita impossibile esse eum à nobis fictas non cognoscere: cuius tanta fuit vel auctoritas viri, vel momenta rationum, vt recentiores prope omnes ad se pellexerit; quam sententiam latè probat P. Hurtadu d. 19. Met. s. 6. & P. Arriaga d. 6. Met. s. 4.

IV. *Dupliciter res aliqua cognoscitur, primariò, & secundariò.*

Hic solùm notandum pro præsenti, posse duplici modo aliquid cognosci, primario & secundario. Primario quando in se immediate res percipitur ex parte obiecti, hoc est, non medio alio obiecto cognito, sic Deus, sic sancti per visionem beatificam Deum intuentur. Secundariò dicitur illud cognosci quod per aliud tanquam per medium ex parte obiecti cognoscitur, sic Deus creaturas in seipso, Beati easdem in Deo vident, licet per aliam scientiam ad creaturas immediatè terminatam illa cognoscat Deus, sicut & Angeli. Hæc autem cognitio directè ad creaturas terminata potest tam in Deo quam Angelis respectu aliquarum rerum esse primaria, respectu aliarum secundaria, vt si effectus in causa cognoscatur, obiectum in acto, causa & actum cognoscuntur immediatè & primario, obiectum & affectus secundario.

Eadem cognitio respectu diversarum rerum potest esse primaria & secundaria.

V. Quæstio hæc Theologica est, & multis difficultatibus metaphysicis de possibilitate rerum intermixta. Dico ergo mihi probabilius videri Deum secundario cognoscere Entia Rationis, seu in actibus creatis illa fingentibus, cognoscit enim perfectè actus illos, ergo vt terminantur ad obiecta. Deinde actus est imago obiecti, qui vero perfectè imaginem alicuius rei cognoscit, rem illam simul cognoscat necesse est. Præterea incredibile videtur dum nos disputamus de Chimæris, Deum nescire de quibus obiectis sit disputatio, si verò novit, vt nosse ipsum necesse est, ergo obiecta illa cognoscit. Item novit Deus actum qui fingit relationem in Deo fictam vt differt ab actu fingente Hippocervum, ergo novit illos vt terminantur ad obiecta, in eo enim solum differunt quod diversum obiectum repræsentent, ergo obiecta ipsa ficta cognoscit Deus secundario. Nec propterea inferas Deum fingere, sicut enim non errat repræsentando aliorum errores, ita nec fingit cognoscendo fictiones, non enim fertur in hæc obiecta nisi vt facta vel ficta ab intellectu humano, non ergo magis quoad hoc illa facit, quàm voluntas amans Chimæram sibi ab intellectu propositam.

Deus secundariò cognoscit Entia Rationis, seu in actibus creatis.

Ostenditur Deum cognoscere Entia Rationis.

Sicut Deus non errat cognoscendo hominum errores, ita nec fingit cognoscendo eorum fictiones.

VI. *Deus cognoscens Chimæram in actu possibili, non facit Ens Rationis.*

Vlterius dum cognoscit Deus Ens aliquod Rationis in actu possibili, probabilius videtur eum non facere Ens Rationis, cum non det illi Chimæræ totum suum esse, esse enim possibile illius supponitur ad cognitionem divinam quod habetur ab illo actu in quo illud cognoscit Deus, per illum enim actum habent extrema illa esse vnita quoad essentiam. Dum verò Deus immediatè videt obiectum impossibile, vt vnionem inter equum & cervum esse impossibilem, nihil est incommodi si concedatur eum facere Ens Rationis, saltem secundum quid, non fingendo, sed negando vnionem talem esse possibilem: ita præter citatos num. 1. Albertinus septimo principio Philosoph. corol. 1. Arriaga sec. 4. nu. 45. & multi ex recentioribus.

Deus non facit Ens Rationis, nisi secundum quid.

VII. *Angelus potest facere Ens Rationis.*

De intellectu Angelico, dico in ijs quæ Angelus abstractivè solùm cognoscit, & per discursum, mihi probabilius videri posse facere Entia Rationis, secus in ijs quæ clare videt & intuitive.

DISPVTATIO XVII.

Reliqua de Ente Rationis.

SECTIO PRIMA.

Discutiuntur quadam difficultates particulares, qua ad plenam Entis Rationis notitiam spectant.

I. *Quæres ubi sit Ens Rationis.*

PRima est, vbi sit, cum enim per nos sit aliquid, aliquo certè in loco esse debet, *quod enim nusquã est, non est.* Quæ ergo horum monstrorum sedes? vbi tandem gentium ea repertum iri dicemus! Respondetur, cum Ens Rationis ad arbitrium sit fingentis, sicut esse, ita & in loco esse, & sicut essentiam, ita & proprietates ab illo accipiet. Erit ergo vbicunque illud finxerit, vel fixerit cognoscens.

Resp. ubi esse, vbi illud fingit cognoscens.

II. *Potest Ens Rationis Chimaericè moveri.*

Secunda difficultas est, possitne Ens Rationis moveri. Respondeo, sicut in loco per Chimæricam præsentiam esse potest, ita & loco per motum Chimæricum moveri, quidni enim quis imaginari vel fingere possit Chimæram volare, vel Hippocervum currere?

III. Tertia difficultas est de accidentibus quibusdam quæ Enti Rationis inesse apprehenduntur, vt de albedine, & huiusmodi alijs. Respondetur accidentia illa non esse realia, cùm huiusmodi fingantur, quæ Chimæram informent, talia autem nulla dari possunt à parte rei.

Albedo, & similia, quæ in Chimæra fingimus, non sunt realia.

IV. *Quæres, an dua Chimæra sint sibi similes ante cognitionem fingentem inter eas Relationem. Resp. esse ipso facto similes.*

Quarta difficultas est vtrum vna Chimæra sit similis alteri, vel dissimilis ante cognitionem reflexam, & relationem inter illas fingentem; si enim sint similes, iam emerget aliqua relatio inter illas, quæ cum non possit esse realis, cùm nihil reale fundari possit in aliquo non reali, erit Ens Rationis, ergo iam dabitur aliquod Ens Rationis sine operatione intellectus. Resolutio huius difficultatis pendet ab illa quæstione vtrum relatio distinguatur à fundamento, si enim non distinguatur, poterunt esse similes sine vlla relatione emergente, & sic cessat difficultas, sed de hoc disp. 11. Metaphysicæ. Aliæ multæ hic excogitari possent difficultates, nam sicut nullus fingendi, ita nec difficultates circa figmenta proponendi est modus: per has tamen quas proposuimus, reliquas facilè omnes solutum iri existimo.

SECTIO II.

Sitne rectè assignata diuisio Entis Rationis in Negationem, Priuationem, & Relationem.

I. *Non videtur rectè assignata diuisio Entis Rationis in Negationem, Priuationem, & Relationem.* NOn rectè assignata videtur hæc diuisio. Primò, quia mera fictio sine vllo fundamento est species Entis Rationis, & tamen sub hac diuisione nequaquam continetur. Secundò, quia sicut entia realia diuiduntur in decem prædicamenta, quidni etiam Entia Rationis, quæ ad eorum similitudinem fingi possunt, in totidem diuidantur, sicut ea diuisit Pythagoras, & viginti prædicamenta constituit? ad similitudinem quippe substantiæ finguntur Chimæræ, Hippocerui, & alia huiusmodi Entia Rationis, quæ finguntur quasi per se stantia. Per modum quantitatis fingitur extensio horum Entium Rationis, vel spatium imaginarium & similia: per modum qualitatis, vt si fingamus Angelum album, illa enim albedo fingitur inesse Angelo, cum tamen Chimærica sit, nulla siquidem à Deo creari albedo potest, quæ petat naturaliter Angelo inhærere.

II. *Hac diuisio solùm complectitur Entia Rationis quæ ad scientias deseruiunt.* Dico ergo diuisionem hanc rectè assignatam esse pro Entibus Rationis tantùm doctrinalibus, sub qua proinde diuisione non continentur merè fictitia, quæque nihil ad scientias deseruiunt, nec ad entis realis cognitionem quidquam conducunt: fingi siquidem Entia Rationis innumera possunt quæ prædicamenta omnia transcendant. Fictionem aliqui ad negationem reducunt, quia, inquiunt, quæ finguntur entia, nulla sunt, ad quid enim fingerentur si essent? Alij tandem Ens Rationis diuidunt in Fictionem, Negationem, & Relationem, Priuationem autem ad negationem reducūt. Sed hæc est de nomine, nos vt solemus, loquemur cum communi.

III. *Quomodo differat Relatio rationis à Negatione & Priuatione.* Differt Relatio Rationis à Negatione & Priuatione, quod illa (nisi merè Chimærica sit, vt inter duas Chimæras) positiuum aliquid & absolutè pro fundamento supponat, cui denominationem dat respectiui, cum *esse ad* & *esse in* ratione nostra distingui possint: Negationes verò pro fundamento supponunt negatiuum quid, licet concipiantur ad modum positiui. Ratio Entis Rationis ab omnibus Entibus Rationis abstracta, analoga sit, an vniuoca, dicam dum de ente reali, eadem enim vtriusque est ratio, cum non minor, imò haud paulo fortasse maior generum ac specierum sub ente ficto copia sit, & varietas quàm sub vero.

IV. *Relatio rationis ex triplici capite oriri potest.* Relatio vero rationis ex triplici oriri capite potest. Cum enim ad relationem realem tria requirantur, subiectum reale, ratio fundandi, & terminus realis realiter existens, defectu primi Relatio prædicamentalis Dei ad creaturas ficta est, & Ens rationis, quia Deus relationis realis de nouo aduenientis capax non est, sicut nec mutationis. Defectu secundæ omnes relationes quæ consequi finguntur denominationes extrinsecas, dicuntur esse rationis, vt relatio domini, serui, visi ad videntem, de quibus suo loco. Defectu tertij, relatio Adami ad Antichristum, vel Petri existentis ad eundem Antichristum est ficta, sicut à fortiori relatio parietis ad Chimæram; si enim relatio realis ad terminum non existentem dari nequeat, multo minùs ad impossibilem.

V. *De Negationibus, & Priuationibus dicetur dein sequente.* Circa secundum diuisionis huius membrum, Negationes scilicet & Priuationes, cùm multa sint dicenda, peculiarem hîc de ijs instituemus disputationem, licèt enim à multis de ijs in Physicis disputetur, commodior tamen hîc immediatè post Ens Rationis videtur de ijs tractandi locus.

SECTIO III.

Quid sit prima, quid secunda intentio: vbi vtrum secunda intentiones sint Entia Rationes.

I. *Quid sit intentio.* INtentio licèt propriè loquendo sit actus voluntatis quo tendimus in finem, latiùs tamen nihilominus hic pro actu intellectus per quem tēdimus in obiectum, seu illi attendimus.

II. *Intentio est duplex, formalis & obiectiua.* Duplex est, *formalis* & *obiectiua*: formalis est ipse actus, obiectiua obiectū ab actu cognitū, sicut fides dicitur vel actus quo credimus, vel res ipsa credita, sicut etiam dicimus definitio formalis, & definitio obiectiua.

III. *Dicuntur præterea Intentio in primam, & secundam.* Intentio tum formalis tum obiectiua duplex est, prima & secunda. Intentio formalis prima, est actus directus, seu ille qui ita tendit in obiectum, vt alium actum non supponat, sicque primo tendit, & obiectiua quā prima actum terminat. Secunda intentio formalis, est cognitio reflexa tendens in priorem aliquem actum, vt cum quis scit se aliquid scire. Non tamen est semper necessarium ad hoc vt actus sit reflexus quod feratur in actum præcedentem, sed sufficit ferri in obiectum illius, supponendo actū præcessisse, sic actus comparans naturam abstractam cū suo inferioribus est reflexus, quia licet feratur in naturam, supponit tamen præcessisse actum abstrahentem. Obiectum huius secundi actus vocatur secunda intentio. Prima ergo intentio formalis constituit subiectum, prædicatum, definitionem &c. secunda eaque constituta cognoscit.

IV. *Non omnis prima intentio est ens reale, nec omnis secunda ens Rationis.* Hinc infero, nec omnem primam intentionem obiectiuam esse Ens reale, vt cùm primò concipit quis Chimæram, ac proinde non semper requiritur secunda intentio ad Ens Rationis formandum: nec etiam omnem secundam intentionem obiectiuam esse Ens Rationis, vt constat cum supra aliquid reale, vel supra actus intellectus nostri reflectimus, quæ certè Entia Rationis non sunt, nisi subiectiuè, de quo tamen genere Entium Rationis hîc non est sermo.

DISPVTATIO XVIII.

De Negationibus.

Negationes Entibus Rationis sunt affines. ENtibus Rationis affines sunt Negationes, imò eodem, vt multi putant, ortu genitæ, fictione scilicet intellectus; vnde sicut illa, Rationis *entia*, ita Negationes Rationis *non entia* vocari volunt: vtque illa *suum esse*, ita suam has *non esse* intellectu debere dictitant. Alij tamen, quamuis existimis eas, & tenuis, vt ita dicam, stirpis esse fateantur, figmenta nihilominus esse pernegant. Quidquid sit, rebus certè positiuis perniciosæ, ac fatales sunt, vtpote quarum semper occasu oriuntur, nascuntur interitu, morte viuunt. De his ergo præsens erit disceptatio.

SECTIO

SECTIO I.

Vtrum dentur Negationes Auctorum sententia.

I. *Propositur status difficultatis.*

IN hoc totius cardo disputationis vertitur, vt, sint necne in rerum naturâ huiusmodi negationes, ostendamus: res enim non vsqueadeo certa, exploratáque vel in vnam partem est, vel alteram. Negationes siquidem improbant nonnulli, pleríque supponūt, hactenus ex industriâ probauit, quod sciam, nemo. Quærimus ergo in præsenti, dentur necne huiusmodi Negationes, seu remotiones entium, quæ rebus positiuis extremè, seu contradictoriè opponantur, sintque formalis earum è rerum naturâ expulsio: Nonnulli enim ob difficultates, quas ex negationibus prouenire arbitrantur, eas reijciunt vt impossibiles.

II. Contrà factum oportuit: nec propterea negationes ablegandæ sunt, quod nonnihil secum molestiæ ferant, sed astruendæ potius, cum stabilita semel earū doctrina, res quasque intricatissimas faciles reddat & expeditas: & quamuis aliquo sensu tenebræ ipsæ sint, rebus tamen alijs non parum lucis adferūt. Quod vel inde constat; illi enim ipsi, qui hic negationes impugnant maximè, ijdem postea maximè vtūtur, nec explicare quidquam in hoc genere possunt, quin in eas incogitantes, imò nolentes incidant. Conari ergo debet Philosophus, vt principiū potiùs aliquod stabiliat quamuis nonnihil in eo difficultatis occurrat, &, eo opposito, clarè postea procedat, quàm vt eo negato, omnia tenebris inuoluat. Difficultates verò, si quæ insurgant, complanandæ sunt, non fugiendæ.

Negationes, quamuis aliquo modo tenebræ, rebus tamen alijs lucem afferunt.

III. *Prima sententia negat dari Negationes, & Priuationes.*

Prima itaque sententia negat dari à parte rei Negationes, & priuationes, easque aliud nihil esse asserit, quàm res ipsas positiuas possibiles. Hucusque auctores huius sententiæ conueniunt, in modo tamen eam explicandi differunt. Aureolus Gabriel, Sotus, & alij quibus subscribit Pater Moncæus d.1.c.3. negationes, & priuationes, aiunt esse res possibiles cōnotando propositionem de ipsis negatiuam veram. Sed contra: hæc enim est manifesta petitio principij, contraria enim sententia contendit, propositionem negatiuam quæ de ipsis per modum positiuæ tendentiæ formatur, vt *aer est tenebrosus*; veram esse non posse, nisi dentur negationes, vt latiùs ostendam sectione sequente.

IV. *Docti cuiusdam recentioris circa Negationes sententia.*

Doctus ergo quidam recentior ait; Negationes aliud nihil esse, quam formas, seu res positiuas possibiles connotantes volitionem, vel nolitionem diuinam vt existant, Petrus ergo purè possibilis, est, inquit, entitas Petri, & vel nolitio diuina vt existat omnino, vel volitio vt tali tempore existat, & tunc, inquit, adueniente illo tempore, transit ipso facto Petrus à possibili ad actualem.

V. *Secunda sententia asserit dari Negationes, & Priuationes.*

Secunda sententia omnium ferè aliorum est, dari huiusmodi Negationes, & priuationes, & suo modo à parte rei existere, tamquam remotiones rerum positiuarum, ijsque contradictoriè opponi, itaque ipsis aduersari, vt nullâ potentiâ cum ijs componi, aut simul existere possint: ita Scotus, Caiet. Molina, Suarez d. 54. Metaph. s. 4. & 5. Vasq. 1. p. d. 61. c. 1. & 2. Rubius, Mursia, Conimb. Hurta. d. 3. Phy. Arriaga d. 11. Phy. s. 12. & alij passim, licet hi omnes supponant potiùs Negationes dari, quam probent.

VI. *Tertia sententia media ait rerum contingentium dari Negationes, non impossibilium.*

Tertia sententia media inter duas præcedentes affirmat rerum quidem contingentium, seu quæ existere, & non existere possunt, dari negationes, rerum verò impossibilium, seu quæ existere essentialiter repugnant, nullas, dari. Dicunt itaque negationes tollibiles de facto dari; intollibiles nec esse, nec esse posse. ita recensiores aliqui.

SECTIO II.

Quid circa Negationes sentiendum.

I. *Conclusio: dantur Negationes à rebus possibilibus distinctæ.*

DIcendum cum Auctoribus secundæ sententiæ sectione præcedente relatis, concedendas necessariò esse Negationes à formis, seu rebus possibilibus distinctas, & ijs contradictoriè oppositas, nec tollibiles tantùm, sed etiam intollibiles. Ad Conclusionis declarationem simul & probationem.

II. *In Negationibus reperitur necessitas, impossibilitas, & contingentia.*

Notandum, sicut in rebus positiuis, ita & in Negationibus tria reperiri, necessitatem, impossibilitatem, & contingentiam, sed modo fermè opposito, vbi enim res est necessaria, Negatio est impossibilis: vbi res impossibilis, Negatio necessaria: demum vbi res contingens, Negatio similiter contingens. Ens solum necessarium est Deus Optimus Maximus, cuius proinde quisquis Negationem cōcipit, Chimæram concipit, omnium, quæ fingi possunt, maximam, rerum scilicet omnium impossibilium (si magis & minùs in impossibilibus reperiatur) maximè impossibilem. Res impossibiles sunt Hippocentaurus, Homo leo, & similes, quorum Negationes ita existunt, vt necessariò existant Res tādem contingentes sunt, Lux, ignis, calor, & huiusmodi, quorum, ijs non existentibus, existunt negationes, ijs positis euanescunt, rebus verò iterum prodeuntibus, denuò emergunt negationes: & mori faciles, & renasci.

III. *Si Negatio non distinguatur à re possibili sequitur idem simul esse, & non esse.*

Probatur Conclusio primò ex principio illo per se noto, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, sed in hac sententiâ sequeretur, idem simul esse, & non esse; ergo. Probatur minor, Negatio secundùm hos auctores non distinguitur à re possibili, nec hæc ab actuali, ergo Negatio rei est idem cum esse possibili, & actuali, ergo non esse rei, est idem cum ipsâ re, ergo idem est esse & non esse eiusdem rei, cuius tamen oppositum statuitur pro principio per se, & lumine naturæ noto.

IV. *Non exercetur contradictio tantùm in actibus, sed etiam in obiectis.*

Confirmatur primò: non minùs datur obiectum à parte rei in quod fertur hæc propositio, *alius mundus non est*, quàm in quod fertur propositio affirmās, hæc enim tam est veritas cognoscibilis, quàm oppositum, & contradictio non solùm exercetur in actibus assensus & dissensus, sed etiam in obiectis, sicque datur non solùm formalis contradictio, sed obiectiua, quo sensu dicunt omnes, nō posse idem simul esse & non esse. Vnde Aristoteles c. de opposit. t. 9. *vt affirmatio, inquit, veluti sedet negationi, seu non sedet, opponitur: sic & res quæ sub vtrumque cadunt, sedere, inquam, & non sedere sibi mutuò aduersantur*. Ergo clarissimè docet Aristoteles contradictoria existere à parte rei.

Aristoteles contradictoria statuit in obiectis.

V. *Clarissimum S. Augustini testimonium ad probandū dari Negationes, & Priuationes.*

Confirmatur secundò, ex S. Augustino, qui to. 6. l. de natura boni, contra Manichæos, c. 15. fine clarissimè hanc sententiam tradit, vbi de Priuationibus loquens addit: *quæ tamen etiam priuationes rerum sic ordinantur in vniuersitate naturæ, vt sapienter considerantibus, non indecenter vices suas habeant; nam & Deus certa loca, & tempora non illuminando, tenebras fecit tam decenter quam dies: si enim nos continendo vocem, decenter interponimus in loquendo silentium, quantò magis ille quarundam rerum priuationes decenter facit, sicut rerum omnium perfectus artifex.* Quid clarius? & toto libro idem prosequitur argumentum, vbi tam plenè, tam pulchrè, tam clare, hanc nostram de Negationibus sententiam tradit, vt adiquemus moderatum Negationum impugnatorem conuertendum sufficiat.

Secun-

VI. *Non minus à parte rei verum est hominem mori, esse cæcum &c. quàm vivere & videre, ergo est aliquid à parte rei vnde denominationes illæ proveniant.* Secundò probatur: non minùs à parte rei, & nemine cogitante verum est hominem mori, ignem extingui, Petrum non sedere, non legere, Paulum esse cæcum, & sexcenta huiusmodi, quàm hominem viuere, Petrum videre &c. ergo aliquid esse à parte rei debet, à quo hæ illi denominationes proueniant, sed nihil excogitari aliud potest præter negationes, quæ has denominationes negatiuas tribuunt, sicut formæ positiuæ denominationes tribuunt positiuas, ergo. Confirmatur primò; tam visione intuitiuâ nouit Angelus lucem non esse, quàm esse. Confirmatur secundò; sine negationibus explicari hæ & similes propositiones nequeunt, Anti-Christus non existit, sol non lucet quæ sunt diuersæ veritates obiectiuæ.

VII. *Si Anti-Christus non sit per merè nihil, ergo idem est à parte rei Anti-Christus non est & alius mundus non est.* Nec dici potest, quod insinuant aliqui, Anti-Christum, seu rem non existentem esse nihil, seu non esse per nihil: vel enim volunt nihil illud per quod non existit Anti-Christus; esse Anti-Christi negationem, & tunc conuenimus; vel esse simpliciter nihil, & hoc dici nullo modo potest, sic enim à parte rei idem esset *Anti-Christus non existit*, & *alius mundus, vel lux, ignis, calor non existunt*; si enim per nihil non existant, in non existendo nihil differunt, & tamen manifestum videtur non esse idem à parte rei, *Anti-Christus non existit*, & *alius mundus non existit*. Si verò confugiant, ad formas possibiles, impugnabuntur sectione sequente.

VIII. *Hæc omnia faciliè explicantur in sententia astruente Negationes.* At verò in sententiâ astruente negationes, hæc omnia quoad hoc facillimè explicantur: sicut enim res quæuis est per suam entitatem (quodque enim sibi est suum esse) ita res omnes non sunt per negationem quam res quæuis habet sibi peculiarem respondentem: vnde Anti-Christus non esse denominatur per negationem Anti-Christi, lux per negationem lucis, & sic de cæteris. Cum ergo hic explicandi modus sit clarissimus, non video cur quispiam nouis insistendo vijs, vltro se velit in tenebras conijcere. Quid verò sit existere, dicam in Metaphysicâ.

SECTIO III.

Negationes non sunt res, aut formæ possibiles.

I. *Modus explicandi Negationes per formas possibiles.* Nlet opiniones, quæ hodie tollunt negationes maximè probabilis, ex ijs quos vidi, propositiones negatiuas explicandi modus, est per formas possibiles, vt negatio caloris, lucis, Anti-Christi, sit calor, lux, & Anti-Christus possibiles. Hunc itaque propositiones negatiuas explicandi modum hac sectione peculiariter impugnabo.

II. *Hæ, & similes propositiones Negatio lucis est in aere, non possunt verificari per formas possibiles.* Contrà ergo est primò: In his propositionibus *aer est tenebrosus, priuatus luce, seu negatio lucis est in aëre* (idem est de his, *Petrus est innocens*, *Beatissima Virgo immunis fuit ab omni peccato*, & similibus) per negationem non potest intelligi forma possibilis, ergo. Probatur antecedens, non est idem dicere, negatio lucis est in aëre, &, est in aëre lux possibilis, hæc enim diuersa sunt obiecta, & diuersæ veritates cognoscibiles, quarum vna cognosci potest sine aliâ, multa enim scimus non esse, quæ possibilia sint necne, dubitamus: sic mundum ab æterno non fuisse certò scimus, potuerit necne esse ab æterno, dubitamus, imò multi negant, ergo non est idem *mundus non fuit ab æterno*. &, *mundus potuit esse ab æterno*.

III. Dices; negatio lucis non est lux possibilis quomodocumque, sed lux purè possibilis. Contrà, ergo lux purè possibilis aliquid aliud includit præter lucis possibilitatem, quod aliud esse nequit, præter lucis negationem.

IV. Contrà est secundò: hæc propositio est vera, *lapis à parte rei habet carentiam visus, seu non videt*, & tamen sensus esse nequit, *lapis potest videre*, sic enim propositio esset falsa, ergo negatio non est forma possibilis, hic enim negatio de lapide affirmatur, forma verò possibilis non affirmatur. Dices; fingitur ibi negatio visus inesse lapidi. Contrà: obiectum huius propositionis est à parte rei, nemine enim cogitante *lapis non videt*, nullâ ergo hîc opus fictione vt propositio sit vera, imò esset falsa si negationem visus ebinatiticam lapidi affingeret, cùm nulla talis in eo à parte rei existat. Nec etiam sensus huius propositionis est, quod aliqui asserunt, *lapis non potest videre*, esto enim verum id sit, per hanc tamen propositionem non enunciatur, sed sunt diuersa obiecta, & diuersæ veritates cognoscibiles. *Sequeretur sensum huius propositionis Lapis non videt, esse Lapis potest videre.* *Nec sensus alterius propositionis est, Lapis non potest videre.*

V. *Est de fide tenebras fuisse supra faciem Abyssi, lucem illic fuisse possibilem, non est de fide.* Contra est tertiò. Potest vnum reuelari, & esse de fide, non alterum, ergo non sunt idem, consequentia est clara, antecedens probatur ex his & similibus propositionibus ex sacrâ scripturâ desumptis, *Tenebræ erant super faciem Abyssi. Gen. 1. v. 2.* *Non peccauit Iob labijs suis 1. Iob c. 1. v. 22.* vbi tenebras super faciem Abyssi fuisse est de fide, lucem illic fuisse possibilem nullus, opinor, diceret esse articulum fidei.

VI. *Christum non peccasse certum est, potuisse Christum peccare omnes merito refugiunt concedere.* Confirmatur: Christum non peccasse certum est, & fidei calculo firmatum, testante scripturâ 1. Pet. 2. v. 22. *Qui peccatum non fecit*, posse Christum peccare, tantum abest vt sit de fide, vt ratio, & pietas, & communis Theologorum consensio perneget, Patrum authoritate innixa, qui copiosis adeo granitatis, & Diuinitatis rote persuasum sanctissimam illam animam fuisse pronunciant, vt non peccatum tantùm, sed omnem ab eâ peccandi potentiam excluserint: vt latiùs ostendi d. 14. de Incarnatione s. 5. & 3. Ergo manifestum videtur non esse idem rei vel formæ negationem, & tamipsam possibilem.

VII. *Negatio mundi non est mundus possibilis.* Contra est quartò. Deus per actum positiuum vult non esse alium mundum, ergo vult illius negationem, seu illum non esse, sed illa negatio non est mundus possibilis, mundus enim non est possibilis per voluntatem Dei, sed per sua prædicata intrinseca, nec enim volendo efficere posset Deus Chimæram esse possibilem, ergo volendo illius negationem, aliud vult à mundi possibilitate. Confirmatur: etiam huius mundi vult Deus possibilitatem, ergo velle mundum esse possibilem non est nolle mundum existere.

VIII. *Velle mundum esse purè possibilem est aliquid præter illius possibilitatem.* Dices; velle alium mundum non existere, est velle illum esse purè possibilem. Contrà primò, ergo esse mundum purè possibilem dicit aliquid aliud præter possibilitatem, nempe formalè exclusionem seu remotionem existentiæ, vel ipsius rei, hæc autem est negatio. Contrà secundò, velle mundum purè esse possibilem penndet, ac velle eum esse possibilem tantùm, ergo vult exclusionem alicuius actualitatis. Sicut velle parietem esse album tantùm, est velle ei inesse albedinem, & negationes omnium aliarum qualitatum, differunt enim ex parte obiecti velle parietem esse album, & velle esse tantùm album, hoc ergo secundum superaddit carentiam, seu exclusionem aliarum qualitatum. Quod clarius constat in vno actu intellectus quo quis diceret hac est album, & in alio quo idem affirmaret, est album tantùm.

IX. *Vt hæc propositio aer est tenebrosus sit vera debet necessario esse aliquam negatio.* Dices ad summum hæc ostendere, quando quis dicit *aer est tenebrosus*, vel *Deus vult alium mundum non existere*, tenebras, & non existentiam non esse merè lucem, aut alium mundum possibilem, sed esse illa connotando propositionem negatiuam de ipsis veram. Contrà primò, vt propositio sit vera, debet esse conformis suo obiecto, ergo cum affirmet aërem à parte rei esse tenebrosum, debet obiectum illud existere à parte rei, sed non est mera possibilitas, ergo negatio, cùm aliud assignari nequeat. Contrà secundò obiectum

dò obiectum huius actus, *aër est tenebrosus* est adæquatè ab hac propositione distinctum, nec enim propositio illa habet se pro obiecto, ergo illud per quod aër est tenebrosus, est adæquatè distinctum ab actu hoc affirmante, ergo actus ad hoc nullo modo conducit. Verum est quidem si actus sit verus, arguitiuè sequitur obiectum ita se habere, sed argumentum contendit, nisi ex parte obiecti sit aliquid aliud præter meram possibilitatem lucis, propositionem veram esse non posse.

X. Quæ hactenus diximus eodem modo vigent cõtra tertiam sententiam sectione secundâ relatam, eorum scilicet, qui rerum quidem possibilium & contingentium negationes admittebant, non impossibilium. Contra hos auctores idem formo argumentum, quando quis per actum positiuè reodentem dicit; *Chimæra non est*, sensus non est Chimæra est possibilis, sed nec sensus est Chimæra est impossibilis. quamuis namque illud verum sit, per propositionem tamen illam non enunciatur, ergo necessariò admittenda est Chimæræ negatio.

Has argumenta probant dari negationem etiam verè impossibilium.

SECTIO IV.

Ex alio capite impugnatur sententia tollens negationes: vbi de Ente diminuto.

I. SExtò itaque impugnatur sententia tollens negationes, & simul stabilitur nostra Cõclusio: Negationes rerum erant ab æterno, nam lux, calor, sol, cœlum, & reliqua non erant ab æterno, ergo eorum negationes erant, sed formæ possibiles non erant ab æterno secundùm aliquid intrinsecum, ergo negationes non sunt res possibiles. Maior certa est, & ab omnibus admissa: minor probatur, si ab æterno fuerint res possibiles secundùm aliquid positiuum quantumuis diminutum sit, ergo vel illud communicatum sibi habuerunt à Deo, vel non: non primum, nam esse illud ijs vel necessariò communicauit, vel liberè, non liberè, fide enim certum est Deum liberè operari primò cœpisse in tempore; nec necessariò, certum namque similiter est Deum nihil operari ad extra necessariò.

Negationes erant ab æterno, formæ autem possibiles secundùm aliquid sui non erant ab æterno.

II. Nec etiam dici potest positiuum illud, quod res ab æterno habent secundùm hanc sententiam, non esse ijs à Deo communicatum: primò, quia sic secundùm aliquid sui essent à se. Secundò, quia Deus nihil propriè creare diceretur, cum creationes priùs sint secundùm aliquid sui, sicque non simpliciter producerentur ex nihilo. Tertiò, nec posset Deus quidquã propriè annihilare, cùm res semper secundùm aliquid sui maneant, iuxta hanc sententiam, sicque nunquam rediguntur ad nihilum.

Si res ab æterno fuissent secundùm aliquid sui, Deus nihil propriè crearet, vel annihilaret.

III. Dices, esse illud possibile, est solùm esse quoddam diminutissimum, quod proinde non obstat creationi. Contrà, obstat esse illud diminutissimum, quo minùs dicatur res fieri ex nihilo simpliciter, ergo quo minùs creetur. Antecedens probatur, minùs siquidem illa res haberet, quæ nec esse quidem hoc, quantumuis minutum haberet, ergo esse istud diminutum non est simpliciter nihil. Dices, est quasi nihil. Contrà, ergo actio Dei est quasi creatio, quantùm enim rei tribuis, tantùm actioni demis.

Res non fiunt ex nihilo simpliciter, ergo non propriè creantur.

IV. Respondent quidam, *esse hoc diminutum*, quod res habent ab æterno, & status possibilitatis est status quidam sterilis, in quo res ad nulla ferme munia sunt aptæ, sicque est ferè nihil. Conueniemus, credo, tãdem, ita enim esse illud suum minutulum paulatim extenuant, vt leui flatu in negationem dissandum videatur. Contra tamen est primò, si esse illud diminutum sit tantùm ferè nihil, ergo actio Dei est tantùm ferè creatio. Contrà secundò, sterilis ille status tot incommoda parere visus est Patri Suario d. 31. Metap. s. 2. num. 3. vt nec Scotum (qui à nonnullis pro hac sententiâ citari solet) illum tenuisse asserat, nec in mentem alicuius doctoris catholici venire potuisse, si sermo sit de re. Vnde, vt bene aduertit P. Suarez ibidem, vnanimis sanctorum Patrum vox est, quicquid à Deo factum non est, aut Deum esse, aut nihil. Dices, tantùm loqui Patres de esse aliquo reali, quod rebus ab æterno tribui sine errore non posse asserunt, non de esse diminuto. Contrà, negãt expressè vllum esse quantumcunque minutũ creaturis ab æterno concedi posse, & ipso facto quod esse huiusmodi haberent, illud aiunt fore reale.

Si esse illud, diminutum, quodquam sit, quantumuis exiguum, obstat creationi.

Quicquid à Deo factum non est, aut Deum est, aut nihil.

V. Respondent aliqui secundò, produci modo creaturas ex nihilo existentiæ, & hoc ad creationem sufficere, licèt non producantur ex nihilo essentiæ. Cõtrà, produci ex nihilo existentiæ est produci ex nihilo simpliciter, vel non: si ita, ergo esse illud essentiæ nihil est, sicque non datur ab æterno hoc esse diminutum; si non, ergo res simpliciter non creantur, sicque redit prius argumentum. En quo se cunque vertunt aduersarij in quos scopulos impingũt, quos nunquam vitabunt, nisi fateantur, quod res est, esse hoc diminutum, & possibilitatem rerum nihil esse positiuum, sed meram negationem.

Non sufficit dicere Deum producere creaturas ex nihilo existentiæ, non ex nihilo essentiæ.

VI. Id verò in hac sẽtentia maximè difficile est, quod explicari in eà nullo modo possit, quid sit creaturas produci, & transire de non esse ad esse. Est, inquiunt, dari ipsis in tempore existentiam, quam ab æterno non habuerunt. Contrà, nam præterquam quod falsum sit existentiam distingui ab essentiâ, vt suo loco ostendam, idem argumentum formo de existentiâ; hæc namque ab æterno non fuit, ergo eius negatio fuit ab æterno, ergo hæ saltem negationes necessariò sunt admittendæ.

In sententiâ tollente negationes explicari nequit quomodo res transeant de non esse ad esse.

VII. Respondent alij rem actu existere esse ens illud diminutum connotans talem voluntatem Dei. Contrà, ergo res omnes quæ de facto existunt, extiterunt ab æterno, nam secundùm hos auctores esse illud diminutum fuit ab æterno, sed etiam talis voluntas Dei fuit ab æterno, ergo adæquata ratio existentiæ rerum fuit ab æterno: ergo res ipsæ ab æterno extiterunt. Dicunt esse voluntatem Dei ad tale tempus determinatam, seu quâ dicit, volo vt sol, aut ignis tali die, vel horâ existant, vnde tali die vel horâ adueniente, ipso facto sol & ignis de non esse transeunt ad esse, & ponuntur à parte rei. Contrà, eadem enim difficultas est de ipso tempore, inquiro enim quid sit talem diem, vel horam existere, si nihil aliud nec positiuum, nec negatiuum sit, quàm voluntas Dei, & dies ille, vel hora possibilis, ergo dies ille, & hora fuerunt ab æterno, tam enim dies & hora possibilis secundùm illos, quam voluntas hæc Dei fuit ab æterno. Dices, voluntas quidem hæc Dei fuit ab æterno, sed non terminata pro æternitate. Contrà, ergo terminatio illa passiua aliquid aliud est præter tempus illud possibile, hoc ergo inquirimus quid sit. Velint nolint, concedere debebunt negationem. In quo verò conceptu sita sit possibilitas rerum, dicam suo loco.

Ex hoc modo tollendi negationes sequitur res omnes extitisse ab æterno.

Sequitur hunc diem vel horam fuisse ab æterno.

SECTIO V.

Argumentis contra Negationes satisfit.

I. OBijciunt primo sanctum Thomam 1. p. q. 15. a. 3 ad primum, vbi ait malum, per quod intelligit priuationem, non habere in Deo ideam propriam, sed cognosci per bonum oppositum. Contrà primò, vel hinc probatur S. Thomam agnouisse negationes, vocat enim priuationes oppositas bono, priuatio

Ostenditur S. Thomam tenuisse negationes.

uatio ergo gratiæ, vel lucis non est lux, aut gratia possibilis, hęc siquidem non est opposita luci, & gratiæ existenti. Contrà secundò, eodem articulo negat S. Doctor materiam primam habere ideam propriam, sed cognosci ait solum per idæam totius, ergo pari modo quis diceret S Thomam negare materiam primam. Ideo ergo ait S. Thomas priuationem cognosci per formam oppositam, non quod cognoscatur per eam tamquam per medium, sed quia non potest primario, quà talis, obijci menti, quin simul obijciatur forma qua priuat, vt bene Granado 1. p. tract. 4. d. 5 num. 7. sed hoc est alterius loci.

Quo sensu dicat S. Thomas priuationes cognosci per formas oppositas.

II. Obijciunt secundò Aristotelem 1. post. c. 2. dicentem, quod non est non scitur. Confirmatur, affirmat idem, *esse visum esse lucis & tenebrarum.* Contrà, de mente enim Aristotelis satis constat supra ex sectione tertia. Ad argumentum itaque respondeo solùm velle Aristotelem id quod est falsum cognosci non posse, Deus enim non nouit hominem esse equum, nec nosse potest, licet, vt benè S. Thomas, sciat hanc propositionem, nullum totum est maius sua parte, esse falsam, sed hoc non est falsum, sed verum. Nunquam autem negat Aristoteles cognosci negationes, & priuationes. Ad Confirmationem dico, non posse intelligi Aristotelem quasi velit sensu percipi tenebras, cum dicat ipse, & cum eo communis Philosophorum sententia, obiectum formale visionis esse colorem & lucem, sicut obiectum auditus sonum. Deinde ait *auditum esse audibilis & non audibilis,* quod certum est in omni rigore sumi non posse, si enim audibile non sit, audiri certè, & sensu percipi non potest. Nec in vllâ sententiâ dici potest videri priuationem, licèt admitteremus priuationem lucis esse lucem possibilem, tunc enim lux purè possibilis existeret realiter, cum exercere deberet munus reale, nempe emittere species.

Quo sensu dicat Aristoteles id quod non est, non sciri.

In nulla sententia dici potest tenebras videri.

III. Ad hunc ergo locum Aristotelis dico intelligendum eum esse distributione, vt aiunt, accomoda seu secundùm capacitatem subiectorum, visum scilicet esse circa lucem propriè, seu eam percipiendo, circa tenebras verò solùm occasionaliter, quatenus scilicet, dum lucem non percipit, occasionem intellectui præbet colligendi lucem illic non esse, seu quod, eodem recidit, lucis priuationem esse, quam occasionem ex visu peculiariter, non ex alio sensu desumit. Sicut cum Propheta tenebras ad Deum laudandum inuitat, vult vt eum laudent occasionaliter, id est hominibus Deum laudandi occasionem præbeant. In tantùm etiam Deus creare dicitur tenebras, quatenus suspendit concursum lucis conseruatiuũ, luce verò sublatâ, resultat illius priuatio, sicque producuntur quasi tenebræ indirectè.

Quà ratione affirmet Aristoteles visum esse lucis & tenebrarum.

Quo sensu Propheta tenebras ad Deum laudandum inuitet.

IV. Obijciunt tertiò: lux existit, seu est per se, ergo & quando non existit, non est per se: Nego consequentiam: imò est implicatoria in terminis, sic enim idem esset simul & non esset, hominem exempli gratia mori formaliter, & ignem extingui, esset formaliter hominem viuere, & ignem etiamnum existere.

Licèt lux existat per se non tamen potest non existere per se.

SECTIO VI.

Præcipuum argumentum contra Negationes.

I. OBijciunt quarto, & fortiùs. si res sicut esse suum habet per se sine vllo superaddito, ita & non esse suum non habeat per se, & nullo superaddito; sequitur duas propositiones contradictorias esse simul falsas, nempe *iam Anti-christus est per seipsum sine super addito,* quæ propositio est falsa, & *iam Anti-christus non est per se sine super addito,* quæ secundùm nos est etiam falsa, cum falsum sit secundùm nos Anti-christum non esse per se, & sine superaddito. Respondetur secundam propositionem *iam Anti-christus non est per se sine super addito,* duobus posse modis intelligi, primò vt sensus sit purè negatiuus, negans scilicet Anti-christum iam esse per se, & hoc sensu opponitur priori propositioni; sensus enim est Negatio Anti-christi iam est, quod est verum: sin verò sensus sit, Anti-christus non est per se, id est, est suum non esse, est propositio falsa, sed non contradictoria præcedentis, cum vtraque sit affirmatiua.

Hæc propositio Iam Anti-christus non est per se sine superaddito facit duplicem sensum.

II. Obijciunt quintò: affirmatio & negatio esse debent de eodem obiecto sed si negatio qua quis dicit Petrus non currit, pro obiectu habeat negationem cursus, non est de eodem obiecto de quo est hic actus, Petrus currit, cum actus vnus sit circa negationem, alter circa entitatem positiuam, ergo. Respondetur Aristotelem c. de Oppositis paulò ante medium expressè docere obiecta propositionis affirmatiuæ, & negatiuæ æquè opponi, ac propositiones ipsas, *sedere enim,* inquit *& non sedere æquè sibi ex parte obiecti aduersantur, ac propositiones ipsæ, quibus hæc affirmamus & negamus.* Dico itaque, vt affirmatio & negatio sint circa idem, sufficere vt propositio affirmatiua repræsentet id, cuius negationem repræsentat negatiua, hoc enim modo sunt virtualiter circa idem obiectum, sic enim vna intentionaliter tollit, quod altera ponit, &, si physicè facere possent, quod faciũt intentionaliter, seu repræsentatiuè, verè vna à parte rei tolleret obiectum alterius.

Obj. affirmatio & negatio debent esse de eodem obiecto.

Resp. primò cum Arist. affirmationem & negationem esse de eodem obiecto.

III. Secundò Respondetur, actum huiusmodi affirmatiuum, *negatio Petri est*, duplicem in se virtualiter rationem complecti, licèt à parte rei inseparabilem, est enim affirmatio simul & negatio, vnde & duplex etiam habet obiectum, directum alterum, alterum indirectum, directum est negatio quam affirmat, indirectum, res illa cui negatio opponitur. Dum ergo dicitur *negatio cursus est in Petro*, & per alium actũ *Petrus currit*, idem est obiectum saltem inadæquatum vtriusque actus, vterque enim cursum habet pro obiecto, directè alter, alter indirectè.

Hic actus Negatio Petri est est simul affirmatio, & negatio.

IV. Affirmando itaque obiectum directum, negationem scilicet cursus, negatur indirectum, sicque idem habent obiectum affirmatio & negatio, directè vna, alia indirectè, & cursum quem vna ponit altera tollit. Sicut ipso facto quod quis per motũ localem accedit ad Occidentem, recedit ab Oriente, & sic idem indiuisibilis motus dum est accessus ad vnum terminum, est recessus ab opposito. Idem in accessu & recessu intentionali contingit, affirmatione scilicet & negatione, idem enim indiuisibilis actus seu motus intentionalis, vt accedit ad negationem formæ, recedit à formâ. Ad argumentum itaque in forma, distinguo maiorem, affirmatio & negatio esse debent de eodem obiecto directo, nego maiorem; directo vel indirecto; concedo: vel, esse debent de eodem obiecto æquiualenter, concedo maiorem; formaliter, nego, nisi actus negatiuus sit purus recessus, seu fuga, tunc enim idem est obiectum adæquatum vtriusque actus, cursus scilicet, negatio autem cursus obiectum talis actus nullo modo ingreditur.

Propositio illa affirmando obiectum directum, negat indirectum.

Affirmatio & Negatio non debent necessario esse de eodem obiecto directo.

V. Obijciunt sextò, & arguunt à conglobatis: sequeretur, inquiunt, dari Negationem quam Deus tollere non potest, nempe negationem Chimææ. Secundò, fuisse negationes hasce ab æterno. Tertiò, fuisse aliquid non productum à Deo. Quartò, daretur negatio quæ melior, & maioris pretij esset, quàm res aliquæ positiuæ, vt negatio peccati melior est odio Dei, negatio pœnæ inferni est melior errore, & similia. Quintò, res positiua esset negatio, cùm non minùs remoueat negationem, quàm negatio rem. Sextò, hinc occasio præbetur hæretico alicui

Argumenta varia contra negationes in vnum congesta.

dicendi

dicendi res etiam positiuas fuisse ab æterno. Contrà, hæc omnia à fortiori vrgent in ente diminuto.

VI. Respondetur itaque ad primum nil in eo esse incommodi, cùm aliud non sit non posse Deum Chimæræ negationem tollere, quàm non posse Chimæram producere. Ad secundum nil in eo est mali, reipsa enim solùm est, res positiuas ab æterno non fuisse. Ad tertium, nego id ex negationibus deduci, negationes quippe non sunt aliquid, hoc enim positiuum sonat. Secundò, dico negationes causam habere sibi proportionatã, cum enim effectus non sint, sed defectus, causam habent, non efficientem, sed, vt ita dicam, deficientem, suspensionem scilicet, vel nõ exhibitionem concursus, sicque fieri ipso facto dicuntur, quod res positiuæ non fiant. Ad quartum, distinguo antecedens, daretur negatio quæ esset physicè melior rebus positiuis, nego antecedens; moraliter melior concedo, sicut aurum & argentum multis, non viuentibus tantùm, sed sensitiuis etiam præferuntur. Ad quintum, res positiua non est pura remotio, sed multa habet munia realia, ex quibus positiua eius entitas dignoscitur.

Negationes, cum non sint effectus, sed defectus, nõ habẽt causam efficientem, sed deficientem.

VII. Ad sextum tandem dico, si ratio illa valeat, nullam debere homines amplius artem vel scientiam docere, cum nihil tam sanum, tam sanctum sit, ex quo aranea venenum, peruersi perniciem non hauriant. Eloquentiâ aliqui, Poëtica non pauci, Musicâ (arte præstantissimâ, & ad animos ad omnem pietatis sensum permouendos aptissimâ) plurimi abutuntur, ita vt nullibi verius sit, *Corruptio optimi pessima:* harum igitur, opinor, artium tractatione supersedendum. Veritatem sequimur omnes, veritas, vbicunque inuestigare eam possumus, syncerè & liberè aperienda, si quis ea in suam abutatur perniciem, præstare nequit Philosophus.

Veritas aperienda: si quis ea abutatur, sibi imputet.

SECTIO VII.

De distinctione specifica. & numerica Negationum.

I. DIco primò: Carentiæ multiplicantur specie secundùm diuersitatem specificam formarum, quibus opponuntur. Ratio est, cum enim in eo solum sita sit earum essentia, vt aliud nihil sint quàm remotiones formarum, pari cum iis passu procedunt, & ad earum distinctionem distinguuntur, vt enim esse illud qualecunque quod habent, in ordine ad formas habent, quibus priuant, ita & distinctionem, sicque vt esse, ita & distinctas esse, ex proportione ad formas accipiunt.

Carentiæ variantur specie pro diuersitate specifica formarum iis oppositarum.

II. Dico secundò: Negationum numerus à formarum seu rerum quas remouent numero desumendus est. Probatur ex separabilitate reali, quæ realis distinctionis manifestum indicium est, negatio Petri tolli potest manente negatione Pauli, negatio lucis, vel caloris A. manente negatione lucis, aut caloris B. ergo distinguuntur.

Numero etiam variantur negationes pro numero rerum, quas remouent.

III. Dices, tenebræ sunt vnica priuatio; sed non sunt priuatio vnius tantum lucis, sed omnis, ergo pro diuersitate numericà rerum non multiplicantur negationes. Respondetur negando maiorem, tenebræ enim ex variis negationibus sunt quasi compositæ, vnde quot gradus lucis non existunt, tot suo modo existunt graduum lucis negationes, sicque tenebræ aggregatione tantùm sunt vna priuatio. Vnde crescente luce, tenebræ decrescunt, luce decrescente, intenduntur: licèt in ratione tenebrarum formaliter consistant in indiuisibili, cum enim tenebræ simpliciter, & antonomasticè sumptæ, omnem lucem excludant, si vel minimùm illucescat, tenebræ sub hoc conceptu cessant, & tantùm remanet obscuritas: licèt communis vsus obscuritatem frequenter cum tenebris confundat, & nihil inter auctores vsitatius, quàm vt crepusculum vespertinum primæ tenebræ vocentur.

Tenebræ sintne vna negatio, an plures.

Tenebræ in ratione tenebrarum formaliter consistunt in indiuisibili.

IV. Dico tertiò: vnius formæ in eodem subiecto vna tantùm numero est priuatio, seu carentia. Ratio est, sicut enim non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita & non entia, sed ad formam plenè & integrè tollendam vna sufficit negatio, seu carentia, nil ergo est cur ponantur plures, magis quàm cur plures actiones totales ponantur respectu eiusdem numero effectus. Confirmatur, producta in aëre luce A. vel omnes eius priuationes tolluntur, vel non: si non, ergo aliqua priuatio simul cum luce sibi contradictoriâ in eâdem manet parte subiecti, quod implicat; sin verò re posita omnes illico tollantur, negationes, cur fini plures ponuntur, cum vna æque formam excludat, ac mille. Confirmatur secundò, sicut cuiusque rei esse vnum est, ita & non esse.

Vnius formæ in eodem subiecto vna tantùm est carentia.

SECTIO VIII.

Num ad subiectorum multiplicationem multiplicentur Negationes

I. REspondetur negatiuè, sed vnius rei, seu formæ vna tantùm, per se loquendo, est negatio, sed diuisibilis, quæ proinde, re vel formâ posita, non tota tollitur, sed illa tantùm negationis pars, quæ loco, vbi res, vel forma producitur, aut locatur, respondet. Explico Conclusionem, rem, vel formam non esse, est priuationem illius, negationem, seu carentiam (hic enim promiscuè pro eodem accipimus) esse: vnde cum anima Petri, exempli gratia, & illius vnio nõ fuerint ab æterno, illarum negationes ab æterno suo modo fuisse necessarium est, alterum enim ex contradictoriis omni loco, & tempore existere debet.

Vnius rei vna tantùm per se tantum vniuersum est negatio, sed diuisibilis.

II. Dum ergo anima illa creatur corpori vnita hic, seu in hac parte spatij, probabilius mihi videtur non totam animæ & vnionis negationem, seu vbique tolli, sed illam solùm eius partem quæ parti spatij in qua anima creata est respondet, manente adhuc negatione in reliquis omnibus spatij partibus, in quibus non existit anima. Vnde vlterius dico, quando aër in mundi exordio à Deo sine luce producebatur, nullam ideo nouam lucis negationem coëpisse, seu carentiam, per quam denominaretur priuatus luce, sed suffecisse priorem lucis, & vnionis carentiam. Et idem esset si Deus aliquam modò aëris particulam sine luce produceret in spatiis supra cœlos imaginariis.

Productâ re aliquâ, non tota eius negatio tollitur, sed vna tantùm illius pars. In aëre obscuro initio mundi producto, nulla noua emersit lucis negatio.

III. Varias habet partes conclusio. Primò itaque postremam hanc eius partem probo, nempe, vt aër in eo casu denominetur priuatus luce, non opus esse vt noua emergat negatio, sed negationem priùs suo modo existentem, ad id munus sufficere: *sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate,* vt diximus sect. præcedente, *ita neque non entia,* sed nulla est necessitas nouam hic statuendi negationem emergentem: ergo. Probatur minor, productâ illâ supra cælos aëris particulâ, priore stante lucis carentiâ in ea parte spatij in qua est aër, non potest aër, ne quidem diuinitus, habere lucem, ergo per illas lucis & vnionis carentias denominatur nõ habens lucem; illæ quippe negationes per suam essentiam lucem omnem ab illâ aëris & spatij parte, quamdiu manent, excludunt; ergo præstant hæ, quod nouæ præstarent si emergerent, ergo non est, cur eas quis emergere affirmet.

Sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita neque non entia. Aër, si crearetur supra cælos, denominaretur per carentiam lucis priùs ibi existentem.

IV. *Implicat vt simul in eadē parte spatij sit res, & illius negatio.*

Quòd verò stante priore negatione, implicet aërem illum habere lucem, probatur, res enim & illius negatio in eâdem parte spatij esse non possunt; sic enim res esset simul & non esset, ergo quod impedit quo minùs lux sit in illa spatij parte, impedit quo minùs insit aëri, qui in illâ parte spatij existit. Confirmatur, ideo dari naturaliter nequit duplex actio totalis, quia altera esset superflua, sed noua hæc negatio in subiecto emergens esset superflua, vt ostensum est, ergo.

V. *Nouâ emergente illic negatione, prior esset superflua.*

Secundò probatur: nouâ in aëre illo emergente negatione seu carentiâ, vel manet prior carentia, vel perit. si maneat, altera, vt dixi, erit superflua, cùm vtraque aërem æquè priuet luce; Nec etiam est cur pereat, cùm enim æquè potens sit ad effectum illum præstandum, ac noua illa priuatio emergens, quidni potiùs illius resultantiam per hanc impediri dicemus, quàm hac emergente priorem euanescere?

VI. *An quis dici possit cæcus per aliquid extrinsecum.*

Obicies primò, hinc sequi, Petrum esse cæcum per aliquid extrinsecum; vtraque enim hæc negatio, & visûs scilicet, & vnionis illius visûs, est Petro extrinseca. Resp. primò, esse eum cæcum per nihil; sic enim negationes communiter appellantur, quidni ergo & cæcus esse potest per aliquid extrinsecum? Secundò dico, debere eas aliquo modo Petro esse intrinsecas, nempe intimè ei præsentes, quod sufficit, vt dixi, ad aliquid intrinsecum ab eo tollendum.

VII. Obicies secundò: *Priuatio est carentia formæ in subiecto apto*, ergo debet esse in subiecto. Respondetur primò, priuationem esse aliquo modo in subiecto; intimè scilicet illi præsentem, alioqui effectum suum habere, & lucem ab aëre, visum ab oculo tollere non potest. Respondetur secundò, dictum illud ita intelligi, vt scilicet denominatio carentis, si sit priuatiua, cadat supra subiectum aptum ad formam, qua carētia hæc illud priuat, & ad effectum illius formalem recipiendum, non supra subiectum ad hæc non aptum. Quare si Angelus cum aëre tenebroso penetraretur, tā non esset lucidus quàm aër, hic tamen priuationem lucis habere diceretur, cùm sit subiectum lucis capax, Angelus negationem, quia subiectum est ad hanc formā & denominationem recipiendam incapax. Vnde ipso facto quòd ponatur subiectum aptum, dici potest priuatio præexistens illi inesse.

Si Angelus penetraretur cū aëre tenebroso, aër haberet priuationem lucis, Angelus negationem.

VIII. *Quis sit verus sensus illius dicti, Priuatio est carentia formæ in subiecto apto.*

Respondetur tertiò, & præcipuè: dictum illud, *Priuatio est carentia formæ in subiecto apto*, hoc modo debere intelligi, nempe, Priuationem esse *non esse formæ in subiecto apto habere formam*, seu est formam non esse in subiecto apto, quod perinde sonat ac si dicatur, Priuatio est exclusio formæ à subiecto apto formam illam habere. Non est ergo dicti huius sensus, Priuationem debere esse in subiecto, si propriè loquamur; tum quia priuatio propriè in subiecto esse non potest, tum quia effectum suum non minùs propriè præstat, quàm si inesset.

IX. *Nulla duæ res habere possunt eādem priuationem adæquatè.*

Obicies tertiò: hinc sequi, si duæ animæ in inferno, vel dæmones inter se, aut dæmon cum animâ penetretur, eandem habere eos gratiæ priuationem. Distinguo antecedens, sequitur eandem habere eos gratiæ priuationem inadæquatè, concedo antecedens; adæquatè, nego. Priuatio siquidem adæquatè sumpta, cùm sit carentia formæ in subiecto apto, seu formæ tali subiecto vnitæ, non formæ solùm, siue ea substantialis sit, siue accidentalis, carentiam dicit, sed etiam vnionis.

X. *Ostenditur vlteriùs nulla duo subiecta habere posse eandem priuationem.*

Cùm ergo, licèt eadem gratia in vno Angelo, vel animâ esse possit, & in aliâ, eadem verò vnio non possit, vtpote quæ suum, & tantùm suum subiectum respicit, sequitur apertè nulla vnquam duo subiecta priuatum iri per eandem priuationem adæquatè sumptam, vtpote quæ duas in se partiales carentias, vt dixi, complectitur, formæ scilicet, & vnionis, hæc autem posterior in vno tantùm subiecto effectum suum habere potest, cuius nimirum vnius respectu est priuatio, respectu aliorum, negatio.

XI. *Priuatio & Negatio adæquatè sumptæ differunt essentialiter.*

Vnde Priuatio & Negatio adæquatè sumptæ differunt essentialiter: licèt enim altera Priuationis pars, nempe carentia formæ absolutæ, sit eadem numero in diuersis successiuè subiectis, & esset in pluribus simul, si penetrarentur, pars tamen altera priuationis, nempe carentia vnionis, essentialiter respicit vnionem qua priuat, & consequenter respicit solùm subiectum illius vnionis.

XII. *An duæ res possint successiuè habere eādē priuationem.*

Et hinc soluitur quod obici posset, nempe, si duæ aliquæ res eodem se tractu, seu ordine localiter sequantur, aqua v.g. & aër antliâ per tubum plumbeū attracta, ex hac explicatione sequi res illas eâdem lucis priuatione successiuè denominari luce priuatas. Hoc tamen nullo modo hinc sequitur, cum enim priuatio completè sumpta non formæ tantùm carētiam inuoluat, sed vnionis, vnio verò apta lucem vnire aëri, non sit apta illam vnire aquæ nec econtra; consequenter carentia vnionis aptæ vnire lucem aquæ non denominabit aërem priuatum luce, nec econtra. Vnde stante vnione lucis cum aqua, etiamsi aqua illa lucida intimè penetretur cum aëre, aër tamen non erit lucidus, nec habebit in se lucem quoad effectum illius formalem, nisi etiam vnio huius lucis ponatur illic similiter cum aëre.

XIII. *Duæ illæ carentiæ partiales insinuantur in ipsa definitione Priuationis.*

Hæ vero duæ partiales carentiæ, ex quibus vna integra Priuatio conflatur, in ipsa Priuationis definitione clarè insinuantur, *Priuatio est carentia formæ in subiecto apto*: primæ particulæ innuunt formæ carentiam, *In* carentiam vnionis, sicut enim forma per vnionem est in subiecto formaliter, ita per vnionis priuationem, tribuendo singula singulis formaliter desinit esse in subiecto.

XIV. *Quo sensu forma, & priuatio tollant se mutuò formaliter.*

Obicies quartò: priuatio tollit formam formaliter, & econtra, ergo vtraque esse debet in subiecto. Distinguo antecedens, tollunt se formaliter, id est immediatè & non per aliquid intermedium, sicut formam tollit causa efficiens, dum vel suspendit cōcursum, vel aliquid producit cum formâ incompossibile, concedo antecedens; sin vero per tollere se formaliter intelligatur in genere causæ formalis, hoc nec necessarium est, nec possibile: non necessarium, quia sine hoc effectum suum præstat negatio formam scilicet è subiecto expellendo, vt ostensum est; non possibile, quia priuatio propriè inesse subiecto non potest, sed esse illius in subiecto, est formam in subiecto non esse.

XV. *Specialis ratio de negationibus quibusdam liberis.*

Solum nobis peculiarem fortè esse rationem de omissione purâ, & negationibus liberis, si quæ huiusmodi admittantur, hæc enim, licèt propriè esse in subiecto non possint, cùm tamen exercitia sint potentiæ liberæ, aliquo modo præ reliquis inesse debent suis subiectis.

SECTIO IX.

Vtrum re vel formâ positâ pereat tota earum Negatio, & Priuatio.

I. *Prima sententia affirmat, productâ re, totam eius negationem vbique tolli.*

DIximus sectione præcedente vnius rei vnā tantùm, per se loquendo, esse negationem, diuisibilem tamē, & per omnia spatia diffusam: Quorumdam itaque opinio est si hic, verbi causa, in materiâ palmari forma aliqua ignis, vel calor, albedo, aut aliud quodcunque accidens producatur, horum negationes non eò solùm loco desinere, vbi res illæ producuntur, sed vbique, sicque si res in minimo loco producatur, Angelus, exempli gratia, in puncto, tollitur, inquiunt, vbique eius negatio.

Con-

II.

Probabilius est negationem solo loco tolli, quo res producitur non alibi.

Conclusio: quando res aliqua producitur, negatio illius eo tantùm loco tollitur vbi res producitur, non alibi. Probatur, quando entitas aliqua, Petrus exempli gratia producitur Londini, vel negatio eius est Romæ, vel non: si est, habeo intentum; si non, ergo Petrus simul est Romæ, vbicumque enim non est res positiua, debet esse illius negatio, cum vbique esse debeat alterum ex contradictoriis. Dices ideo Petrum non esse Romæ, quia non habet vbicationem Romanam, non quia negatio Petri Romæ existat. Contrà, & sit Confirmatio conclusionis: Petrum esse Romæ dicit duo, entitatem scilicet Petri, & entitatem vbicationis, nec sufficit existentiam Petri esse vbicunque, sed ad hunc effectum esse debet Romæ: vnde si per impossibile vbicatio Petri sola statueretur Romæ, & entitas alibi, Petrus non esset Romæ, ergo similiter Petrum non esse Romæ dicit duo, negationem scilicet entitatis Petri, & negationem vbicationis Romanæ. Confirmatur secundò, Petrus Romæ, est complexum positiuum, ergo & non Petrus Romæ, si adæquatè sumatur, est complexū negatiuum, ex negationibus earum rerum compactū, ex quibus constabat complexum illud positiuum.

Ratio est, quia vbique esse debet res, aut illius negatio.

Sicut Petrum esse Romæ dicit duo, ita Petrum nō esse Romæ dicit similiter duo.

III.

In negatione solius vbicationis clarius ostenditur eam, producta vbicatione, nō tolli vbique.

Secundò probatur, & efficaciùs in sola vbicatione, Quando vbicatio A producitur Cantabrigiæ, vel negatio huius vbicationis tollitur vbique, vel non: si non, intentum; si ita, Contrà, ergo illa vbicatio est Oxonij, Parisijs, Leodij, cum non sit verum dicere illam non esse in vllo ex his locis, rem enim in aliquo loco non esse, & eius negationem ibi esse, sunt synonyma, ergo falsum est dicere vbicationem illam A non esse Oxonij, cum tamen ex suppositione producatur tantum Cantabrigiæ. Hic autem recurrere non possunt ad negationem vbicationis (qua ratione vtcunque eludent prius argumentum) cum eadem sit negatio vbicationis, & negatio rei, cum res, de qua hic agitur, sit ipsa vbicatio, quæ per se, non per aliam vbicationem est, vbicunque est.

IV.

Cum negatio sit diuisibilis, tolluntur variæ eius partes prout res ijs applicatur.

Objicies primò: esse cuiusque rei est vnum, ergo & non esse. Distinguo consequens, ergo & non esse est vnum diuisibile, concedo consequentiam; est vnum indiuisibile, nego. Vnde variæ illius negationis partes tolluntur, prout res cuius est negatio illi successiuè applicatur. Vrgebis, esse rei est indiuisibile, ergo & non esse, seu negatio. Distinguo consequens, ergo non esse est indiuisibile intensiuè, concedo cōsequentiam; est indiuisibile extensiuè, nego. Vnde negatio puncti, vel arenulæ est infinitè diffusa, & quando producitur punctum aliquod hic, perit quidem negatio totius puncti, sed non tota negatio, hæc enim duo sunt diuersissima.

V.

Obij: ergo res simul est, & non est, cum existat simul cum sua negatione.

Objicies secundò: ergo res simul est & non est, cum secundùm vos res simul in rerum naturâ sit cū sua negatione. Nego sequelam si absolutè loquamur & simpliciter, nam vt res dicatur simpliciter non esse debet illius negatio esse vbique, res verò non omnino existere. Vrgebis, vt res sit simpliciter, sufficit eā vel vno in loco esse, nec est opus vt sit vbique, ergo etiam vt res non sit simpliciter, sufficit illius negationem vllibi esse, nec est opus vt sit vbique. Nego cōsequentiam, disparitas est clara, cum enim Non malignantis, vt aiunt, sit naturæ, vt res aliqua dicatur simpliciter non esse, debet nullibi esse, si enim vel vno in loco sit falsum est dicere non est, sed ad summum non est hîc, non est ibi, non hoc vel illo loco. Sic, vt res simpliciter sit possibilis, sufficit vel vnā esse causam quæ possit eam producere, vt vero non sit possibilis, non sufficit negatio vnius alicuius causæ potentis eam producere, sed omnium causarum negationes requiruntur. Sic, vt paries dicatur albus, anima vnita, ignis productus, sufficit vna albedo, vnio, & productio, vt paries non sit albus, anima non vnita, ignis non productus, requiritur omnis albedinis vnionis, & productionis negatio.

Resp. negādo sequelā, vt enim res simpliciter nō sit, debet nullibi, seu nō omnino esse.

VI.

Non sunt proprie vnquam simul res, & eius negatio.

Cum verò dicitur simul esse rem, & eius negationem, falsum est, non enim sunt simpliciter simul hoc enim omnimodam simultatem sonat, nec temporis tantùm, sed loci. Quod de vbicatione omnibus fatendum est, vt ostendi in secundâ probatione, vbicatio enim Petri Londini existentis non est hîc, ergo debet hic esse forma, per quam denominetur non esse hîc, sed ista sola est vbicationis illius negatio, ergo.

VII.

Obij. saltē sequi rem simpliciter esse in rerū naturâ, & simpliciter non esse.

Objicies tertiò: saltem sequitur, si, repositâ, non tollatur tota illius negatio, sequitur, inquam, rē simpliciter esse in rerum naturâ, & simpliciter non esse in rerum naturâ, cum æquè potens sit negatio ad tribuendam denominationem non existentis, ac res ad denominationem existentis. Respondetur negando consequentiam, nam non esse in rerum naturâ est, non solùm hoc vel illo loco non existere, sed non existere omnino propter naturam negationum, vt supra dixi. Verum ergo est rem simpliciter esse, & negationem rei similiter esse simpliciter, non tamē hinc sequitur rem non esse simpliciter, ad hoc enim non sufficit illius negationem vno aliquo loco esse, sed esse debet vbique, seu ita vt rei nullum relinquat locum, sed è rerum naturâ planè eam excludat. Cum ergo rerum natura, seu vniuersum sit diuisibile, nil mirum si in vnâ eius parte existat, aliâ non existat, seu quod res in vno loco existat, in alio rei negatio. Quod si totum spatium est & vnicum punctum, tunc per nullam potentiam posset simul existere res, & eius negatio.

Resp. vt res simpliciter non sit in rerum naturâ, debere illius negationē esse vbique.

VIII.

Necessariū est, vt vbique sit alterum ex contradictorijs.

Objicies quartò: vt res dicatur non esse hic, sufficit hic esse negationem vbicationis, licèt non sit negatio rei. Contrà primò, saltem vbicationem Lōdinensem non esse hîc, est eius negationem esse hîc, vt ostensum est. Contrà secundò, vbicunque res non est, debet eius negatio esse, cum euidens videatur vbique debere esse alterum ex contradictorijs. Respondetur ergo, si sumatur rem non esse hîc inadæquatè, seu pro negatione solius rationis formalis per quam res est hîc, concedo antecedens; si sumatur adæquatè, nego sicut enim res hîc, est complexum ex re & vbicatione, ita & rem non esse hic, si completè sumatur, est complexum ex negatione tam vbicationis, quam rei.

IX.

Ostenditur quomodo per ablationē solius vbicationis Leodiensis Petrus completè dici nequeat non esse Leodij.

Vrgebis ablatâ solâ vbicatione aufertur illud complexum, ergo per solam negationem vbicationis Petrus non est Leodij. Distinguo antecedens, aufertur in ratione complexi formaliter, seu reduplicatiuè, concedo antecedens; specificatiuè seu adæquatè, nego. Sic solâ sublatâ vnione, vel vno palmo, tollitur homo & vlna in ratione hominis & vlnæ formaliter, non tamen propterea totum tollitur, quod in homine erat & in vlnâ. Verum est quidem sublatâ vbicatione tolli necessariò rem, cùm esse sine vbicatione non possit, non tamen tollitur formaliter per negationem vbicationis, sed per negationem propriæ entitatis. Vnde positâ solâ negatione vbicationis Leodiensis, non tollitur totum id per quod Petrus erat Leodij, seu illius complexi, Petri nimirum Leodij existentis.

X.

Res successiuè mota tollit successiuè diuersas partes suæ negationis.

Petrus ergo quando primò producitur non totam tollit sui negationem, sed illam tantum eius partem, quæ illo in loco erat vbi producebatur, dum verò aliis & aliis negationis suæ partibus successiuè applicatur, eas successiuè tollit, emergentibus statim nouis negationis partibus in partibus illis spatij, quas successiuè relinquit, cum vbique esse debeat alterum ex contradictoriis, res scilicet, vel rei negatio.

SECTIO X.

Alia quædam ad Negationum & Priuationum naturam spectantia.

I. *Negationes opposito ferè modo se habent ad res quas tollunt.*

PRimum est Negationes opposito ferè modo se habere ad res quibus priuant, seu quas impediunt, vel tollunt. Rei enim supernaturalis negatio est naturalis, rei finitæ negatio suo modo infinita, rei temporaneæ æterna, negatio rei indiuisibilis diuisibilis, rei demum impossibilis negatio est necessaria.

II. *Formarum inter se repugnantiũ non repugnant negationes.*

Secundùm est formarum inter se pugnantium negationes non eo inter se modo opponi, quo opponuntur sibi inuicem ipsæ formæ; calor enim & frigus in summo naturaliter, amor & odium efficax supernaturaliter in eodem subiecto simul esse nequeunt, eorum tamen negationes, eo modo quo sunt, in eodem simul subiecto sunt naturaliter.

III. *Eadem carentia formæ cũ carentiâ diuersæ vnionis constituit negationem vel priuationem.*

Tertium est priuationem strictè sumptam esse concretum, & consistere in carentiâ formæ & carentiâ vnionis. Eadem ergo carentia formæ cum carentiâ diuersæ vnionis constituit negationem vel priuationem. Sic negatio animæ rationalis & negatio vnionis cum materiâ est priuatio, eadem negatio animæ & negatio vnionis ad Angelum, est negatio strictè sumpta. Sicut ergo materia prima cum formâ leonis constituit leonem, cum formâ ignis ignem, ita eadem carentia seu negatio formæ absolutæ cum negatione vnionis ad subiectum aptum, Priuationem constituit, cum negatione vnionis ad subiectum non aptum, Negationem strictè sumptam. Licèt inadæquatè & incompletè carentia solius formæ absolutæ dici priuatio possit, vel Negatio respectu diuersorum subiectorum.

IV. *Priuatio duobus modis sumitur, transcendentaliter, & prædicamentaliter.*

Quartum est Priuationem duobus modis sumi, transcendentaliter, & prædicamentaliter: Priuatio transcẽdentaliter sumpta nihil aliud est quàm complexum illud ex negatione formæ & negatione vnionis, respectu subiecti ex naturâ suâ apti eiusmodi vnionem & formam recipere. Addo tamen ad rationem priuationis sufficere si subiectum etiam supernaturaliter formæ illius capax sit, & simul capax effectus eius formalis: vnde negatio gratiæ, & negatio vnionis illius cum animâ, vel Angelo, est priuatio, negatio eadem gratiæ, & negatio vnionis respectu lapidis est negatio: esto enim gratia in lapide diuinitus collocari possit, lapis tamen effectum formalem gratiæ recipere non potest, nec denominari gratus.

Ad priuationẽ sufficit supernaturalis capacitas subiecti respectu formæ.

V. *Quid dicat Priuatio prædicamentaliter sumpta.*

Priuatio prædicamentaliter sumpta præter duas illas negationes formæ & vnionis, varias requirit circumstantias, vt existentiam subiecti, varias dispositiones, exigentiam etiam subiecti pro tempore aliquo determinato, vt catulus nono die visum exigit, ante quod tempus, esto non videat, cæcus tamen non est. Nonnunquam etiam conditiones aliquas morales includit, sic priuatio gratiæ licèt physicè semper sit priuatio respectu animæ, quia anima subiectum semper est gratiæ, & effectus illius formalis physicè capax, in statu tamen puræ naturæ carentia gratiæ & vnionis in animâ, vel Angelo non fuisset priuatio, sed negatio moraliter, quod nimirum in eo statu, esto esset capacitas ad gratiam, nulla tamen fuisset eam habendi obligatio nec vllo modo erat animæ debita. Priuatio itaque prædicamentaliter sumpta, siue ea physica sit, siue moralis, in negationem transire potest, & econtra, non sic priuatio sumpta transcendentaliter, imò priuationes transcendentaliter sumptæ suo modo erant ab æterno, & quæ semel sunt tales, sunt semper tales.

Priuatio prædicamentaliter sumpta potest transire in negationem, & econtra.

VI. *In necessariis nũquã datur priuatio prædicamentalis strictè sumpta.*

Quintum est in necessariis numquam dari priuationem prædicamentalem strictè sumptam, in his enim, positis omnibus ad formam requisitis, ponitur necessariò semper forma, sicque nunquam datur illius priuatio. In liberis tamen datur, ibi namque positis omnibus requisitis, potest subiectum operari, & non operari, habere, & non habere formam.

VII. *Ad priuationẽ vulgariter sumptã non requiritur vt planè omnia ponantur ad formæ inductionem necessaria.*

Ad priuationem ergo communi modo acceptam non est opus vt omnia omnino ponantur ad formæ inductionem requisita, sic enim nullus vnquam esset cæcus, cum in cæco nunquam sint omnes dispositiones ad visum necessariæ, sic enim poneretur visus, & cæcitas cessaret, nec tenebræ nocte in nostro essent hemisphærio, dum sol est apud antipodas, & multò minùs essent tenebræ in cauea aliquâ subterraneâ obscurâ. Et hæc de priuatione prædicamentaliter sumptâ, si enim priuatio sumatur transcendentaliter, vbicunque est negatio formæ & negatio vnionis respectu subiecti apti, est priuatio, & si sumatur completè, pro complexo scilicet ex negatione formæ & negatione vnionis, est ita essentialiter priuatio, vt transire in negationem non possit.

De priuatione transcendentaliter sumpta.

VIII. *Negationes quoad intensionem, & remissionem sequuntur naturam formarum quibus opponuntur.*

Sextum est priuationes formarum quæ suscipiunt magis & minus, suas hac in parte formas imitari, & intendi aliquo modo ac remitti, ita vt quò forma est intensior, vt plus lucis in aëre, eò priuatio sit remissior, seu minus tenebrarum, & econtra, quò minùs lucis, eò intensior eius priuatio, & plus tenebrarum. Formarum verò earum quæ nec intenduntur, nec remittuntur, quales sunt omnes substantiales, priuationes magis & minùs non recipiunt, nec vllam omnino intensionem habet negatio formæ equi, leonis, vel aquilæ.

SECTIO XI.

An priuatio & forma immediatè opponantur; vbi an detur Negatio Negationis.

I. *Priuatio & forma immediatè opponũtur.*

QVoad primum Respondetur, Priuationem & formam immediatè inter se opponi. Ratio est, quia cæcitas est priuatio visus, priuatio autem visus est non visus, nihil autem magis immediatè opponitur alteri, quam esse & non esse opponantur inter se.

II. *Quomodo nõ cæcus opponatur cæco, & an nõ cæcus idem sit ac videns.*

Dices, non cæcus opponitur priuatiuè cæco. Respondetur ita esse, sed non cæcus si sit circa idem subiectum in quo erat cæcitas, idem est ac videns. Vrgebis, lapis non est cæcus, & tamen non videt, ergo non cæcus & videns non sunt idem. Distinguo consequens, non sunt idem in subiecto visus non capace, concedo consequentiam; in subiecto visus capace, nego. Hoc autem non arguit quidquam inter cæcitatem & visum mediare, vbicunque est cæcitas, sed solùm visum duas habere negationes inadæquatè disparatas, ratione diuersarum vnionum, quibus tollitur in diuersis subiectis, & complexum illud negationum quod respicit subiectum aptum, est Priuatio, quod verò subiectum respicit visus incapax, seu non aptum, est mera Negatio.

III. *Qua ratione lapis nec sit cæcus, nec videns.*

Lapis ergo dũ non est cæcus, non habet negationem contradictoriam cæcitati, sed est non cæcus per negationem quasi contrariam cæcitati, seu per negationem disparatam. Est itaque lapis non cæcus per eandem negationem, per quam est non videns, secundùm diuersas formalitates negatione illâ inclusas; in quantum enim negatio illa tollit, seu excludit visionem à lapide, lapis est non videns: in quantum verò eadem negatio connotat subiectum incapax visus, dicitur lapis non cæcus, cum cæcitas semper connotet in subiecto aptitudinem ad visionem.

nem. Quod si quis cum communi dicere malit priuationem & formam, respectu subiecti formæ non capacis, opponi inter se solùm mediatè, quia subiectum illud nec cæcum est, nec videns, per me licet, tum teneinus, loquatur quisque vt lubet.

IV. *Dari negationes negationum contradictoria.* Quoad secundum: dico contra P. Salas 1.2. d.18. sec.7. non dari Negationem Negationis, negationem, inquam, contradictoriam, non contrariam, aut disparatam, has enim certum est æquè inter negationes dari, ac inter res positiuas, cùm non minùs tenebræ non sint cæcitas, ac Petrus non sit Paulus. *Ratio est, quia contradictoria sunt, quæ maximè distant.* Ratio est quia contradictoria sunt quæ maximè distant, sed quod maximè distat à negatione est res positiua, ens scilicet, & non ens, ergo. Confirmatur, negatio per formam positiuam destruitur, vtpote quæ cum eâ ne quidem diuinitus stare possit, quorsum ergo alia fingitur negatio priori contradictoria? sanè si qua secundæ huius negationis sit necessitas, vt opponatur primæ, erit & eadem tertiæ necessitas, vt opponatur secundæ, & sic dabitur processus in infinitum, quod in per se subordinatis censetur ab omnibus inconueniens.

V. *Licet in pariete non sit cæcitas, non tamen est in pariete negatio contradictoria cæcitatis.* Dices: in Petro est priuatio visus, seu cæcitas, sed in pariete non est hæc priuatio, seu cæcitas, & tamen nec est in pariete visus, ergo in pariete est negatio, seu priuatio priuationis visus, seu cæcitatis. Distinguo consequens, est in pariete negatio disparata, vel contraria cæcitatis, concedo consequentiam; est ita eo negatio cæcitatis contradictoria, nego. Est ergo in pariete negatio contradictoria solius visus, disparata, vel ad summum contraria cæcitatis, nihil enim contradictorium negationis præter formam positiuam esse potest, quippe quæ sola maximè ab eâ distat. Vnde econtra rei etiam positiuæ contradictorium nihil est præter negationem, sicque nullæ duæ res positiuæ sibi propriè sunt contradictoriæ, nec enim immediatè tollunt, nec maximè distant.

Vrgebis, vbicunque non est forma, est negatio formæ, sed cæcitas non est in pariete, ergo in pariete esse debet negatio cæcitatis. Respondetur dictum illud vbicunque non est forma, est negatio formæ, intelligi de forma propriè dictâ, seu de formâ positiuâ, certum enim est, vbicunque non est aliqua negatio, non esse ibi negationem illius condictionam, sed solùm contrariam, alteram scilicet eiusdem rei positiuæ negationem quæ impedit quò minùs alia illa negatio sit in hoc subiecto, cùm vna ad effectum exclusionis formæ positiuæ sufficiat. Et eodem modo soluitur quod obiici posset, nempe vbique esse debere alterum ex contradictoriis: dico enim vbicunque non est forma positiua, esse aliquam eius negationem, & vbicunque nulla est rei alicuius positiuæ negatio, est res ipsa positiua, non tamen intelligi hoc ita debet, quasi vbicunque non est particularia aliqua negatio, illic esse statim debeat forma positiua opposita, sed vbique esse debere vel formam, vel aliquam eius negationem. VI. *Dictum illud, vbicunque non est forma, est negatio formæ intelligi debet de formâ propriè dictâ, seu positiuâ.*

DISPVTATIO XIX.

De Distinctionibus in genere.

Tractatus de distinctionibus tractatus de vniuersalibus necessariò præmittendus. Distinctio claritatem, confusio tenebras parit. Ad graues ergo & implexas illas, quæ crebræ in vniuersalibus occurrunt, difficultates enodandas hunc de Distinctionibus tractatum præmittunt Dialectici vt illius præsidio intellectus abstrusa illa, ac tenebris quibusdam inuoluta, quæque à sensibus remota, vnius mentis obtutibus subiciuntur, promptiùs & expeditiùs percurrat: vt, inquam, in re obscurâ certiùs, in incertâ securiùs in lubricâ firmiùs figat pedem.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Distinctio formaliter sita sit in negatiuo, an positiuo.

I. *Sermo est de rebus positiuis, negationes enim negationibus distingui certum est.* De rebus positiuis est sermo, Negationes enim Negationibus, hoc est seipsis distingui certum est, ante mundum quippe conditum negatio solis distinguebatur à negatione lunæ, nemine enim cogitante negatio solis non erat negatio lunæ, sicut nec modo negatio Bucephali est negatio Anti-Christi. Negationes tamen dum inter se distinguuntur, non sibi inuicem opponuntur contradictoriè, sed vel contrariè, vel disparatè, negationi enim solis non opponitur contradictoriè negatio lunæ, sed sol. Vnde res positiuæ poterunt inter se distingui, licet non opponantur sibi contradictoriè. Circa res ergo positiuas.

II. *Prima sententia res positiuas distingui per relationem prædicamentalem.* Prima sententia est res duas positiuas, putà solem & lunam, distingui per relationem quandam prædicamentalem, ad rei cuiusque existentiam emergentem, quam disquiparantiæ vocant: ita Mastr. in 1. d.8. q.2. Bassolis d.22. q.4. a.4. §.1. & alij.

III. Sed contrà, pro illo priori antequam emergeret relatio illa disquiparantiæ inter equum & leonem existentes, existebant entitates illæ vt duæ, existebant enim vt fundamentum & terminus huius relationis, ergo leo & equus, Petrus & Paulus pro illo priori existebant vt duo, ergo vt distincti, ergo non distinguuntur per relationem. Vnde cum Angelus pro illo priori entitates illas intuitiuè inspiciens, vnam tamquam aliud quid ab alterâ videret, distinguuntur pro illo priori non fundamentaliter tantùm, sed formaliter. Quod argumentum æquè probat res istas non distingui per negationes. *Cùm à pro aliquo priori ad relationem illam Petrus & Paulus distinguantur.*

IV. *Secunda sententia distinctionem omnem realem in negatione statuit.* Secunda & maximè inter recentiores recepta opinio est, distinctionem omnem realem in negatione de identitate sitam esse. Distinctio itaque pro materiali extremum dicit quod distinguitur, pro formali verò negationem, quæ, inquiunt, est ratio formalis per quam vna res distinguitur ab alia: ita Suares d.7. Met. s. 1. n.2. Fonsec. & idem tenere videtur Arriaga d.1. Metaph. s. 4. n.94. & alij.

SECTIO II.

Res positiuæ seipsis distinguuntur, non per negationes.

I. *Distinctio in rebus positiuis nihil aliud est nisi eaxum entitas.* Ita Gabriel in 1. d. 2. Okam in 2. q.2. P. Hurtado d.6. Met. s.5. §.3. & alij, qui distinctionem esse rei cuiusque entitatem asserunt, non negationem, licèt per negationem explicetur, negatio enim hæc tam in suo esse constitutam supponit, & consequitur, quæ proinde per negationem illam distingui non potest, vt sec. præcedente n. 3. diximus de relatione illâ disquiparantiæ.

II. *Ratio est, res enim positiuæ distinguuntur per suas differentias, hæ autem sunt quid positiuum.* Omissis verò rationibus P. Hurtado, quarum pleræque cum nostris principiis stare vix possunt, Probatur primò: Differentia rei positiuæ vt differentia,

SECTIO X.

Alia quædam ad Negationum & Priuationum naturam spectantia.

I. *Negationes opposito ferè modo se habent ad res quas tollunt.*

PRimum est Negationes opposito ferè modo se habere ad res quibus priuant, seu quas impediunt, vel tollunt. Rei enim supernaturalis negatio est naturalis, rei finitæ negatio suo modo infinita, rei temporaneæ æterna, negatio rei indiuisibilis diuisibilis, rei demum impossibilis negatio est necessaria.

II. *Formarum inter se repugnantiũ non repugnant negationes.*

Secundùm est formarum inter se pugnantium negationes non eo inter se modo opponi, quo opponuntur sibi inuicem ipsæ formæ; calor enim & frigus in summo naturaliter, amor & odium efficax supernaturaliter in eodem subiecto simul esse nequeunt, eorum tamen negationes, eo modo quo sunt, in eodem simul subiecto sunt naturaliter.

III. *Eadem carentia formæ cũ carentiâ diuersæ vnionis constituit negationem vel priuationem.*

Tertium est priuationem strictè sumptam esse concretum, & consistere in carentiâ formæ & carentiâ vnionis. Eadem ergo carentia formæ cum carentiâ diuersæ vnionis constituit negationem vel priuationem. Sic negatio animæ rationalis & negatio vnionis cum materiâ est priuatio, eadem negatio animæ & negatio vnionis ad Angelum, est negatio strictè sumpta. Sicut ergo materia prima cum formâ leonis constituit leonem, cum formâ ignis ignem, ita eadem carentia seu negatio formæ absolutæ cum negatione vnionis ad subiectum aptum, Priuationem constituit, cum negatione vnionis ad subiectum non aptum, Negationem strictè sumptam. Licèt inadæquatè & incompletè carentia solius formæ absolutæ dici priuatio possit, vel Negatio respectu diuersorum subiectorum.

IV. *Priuatio duobus modis sumitur, transcendentaliter, & prædicamentaliter.*

Quartum est Priuationem duobus modis sumi, transcendentaliter, & prædicamentaliter: Priuatio transcẽdentaliter sumpta nihil aliud est quàm complexum illud ex negatione formæ & negatione vnionis, respectu subiecti ex naturâ suâ apti eiusmodi vnionem & formam recipere. Addo tamen ad rationem priuationis sufficere si subiectum etiam supernaturaliter formæ illius capax sit, & simul capax effectus eius formalis: vnde negatio gratiæ, & negatio vnionis illius cum animâ, vel Angelo, est priuatio, negatio eadem gratiæ, & negatio vnionis respectu lapidis est negatio: esto enim gratia in lapide diuinitus collocari possit, lapis tamen effectum formalem gratiæ recipere non potest, nec denominari gratus.

Ad priuationẽ sufficit supernaturalis capacitas subiecti respectu formæ.

V. *Quid dicas Priuatio prædicamentaliter sumpta.*

Priuatio prædicamentaliter sumpta præter duas illas negationes formæ & vnionis, varias requirit circumstantias, vt existentiam subiecti, varias dispositiones, exigentiam etiam subiecti pro tempore aliquo determinato, vt catulus nono die visum exigit, ante quod tempus, esto non videat, cæcus tamen non est. Nonnunquam etiam conditiones aliquas morales includit, sic priuatio gratiæ licèt physicè semper sit priuatio respectu animæ, quia anima subiectum semper est gratiæ, & effectus illius formalis physicè capax, in statu tamen puræ naturæ carentia gratiæ & vnionis in animâ, vel Angelo non fuisset priuatio, sed negatio moraliter, quod nimirum in eo statu, esto esset capacitas ad gratiam, nulla tamen fuisset eam habendi obligatio nec vllo modo erat animæ debita. Priuatio itaque prædicamentaliter sumpta, siue ea physica sit, siue moralis, in negationem transire potest, & econtra, non sic priuatio sumpta transcendentaliter, imò priuationes transcendentaliter sumptæ suo modo erant ab æterno, & quæ semel sunt tales, sunt semper tales.

Priuatio prædicamentaliter sumpta potest transire in negationem, & econtra.

VI. *In necessariis nũquã datur priuatio prædicamentalis in strictè sumpta.*

Quintum est in necessariis numquam dari priuationem prædicamentalem strictè sumptam, in his enim, positis omnibus ad formam requisitis, ponitur necessariò semper forma, sicque nunquam datur illius priuatio. In liberis tamen datur, ibi namque positis omnibus requisitis, potest subiectum operari, & non operari, habere, & non habere formam.

VII. *Ad priuationẽ vulgariter sumptã non requiruntur vt planè omnia ponantur ad formæ inductionem necessaria.*

Ad priuationem ergo communi modo acceptam non est opus vt omnia omnino ponantur ad formæ inductionem requisita, sic enim nullus vnquam esset cæcus, cum in cæco nunquam sint omnes dispositiones ad visum necessariæ, sic enim poneretur visus, & cæcitas cessaret, nec tenebræ noctu in nostro essent hemisphærio, dum sol est apud antipodas, & multò minùs essent tenebræ in caueâ aliquâ subterraneâ obscurâ. Et hæc de priuatione prædicamentaliter sumptâ, si enim priuatio sumatur transcendentaliter, vbicunque est negatio formæ & negatio vnionis respectu subiecti apti, est priuatio, & si sumatur completè, pro complexo scilicet ex negatione formæ & negatione vnionis, est ita essentialiter priuatio, vt transire in negationem non possit.

De priuatione transcendentaliter sũpta.

VIII. *Negationes quoad intensionem, & remissionem sequuntur naturam formarum quibus opponuntur.*

Sextum est priuationes formarum quæ suscipiunt magis & minus, suas hac in parte formas imitari, & intendi aliquo modo ac remitti, ita vt quò forma est intensior, vt plus lucis in aëre, eò priuatio sit remissior, seu minus tenebrarum, & econtra, quò minùs lucis, eò intensior eius priuatio, & plus tenebrarum. Formarum verò earum quæ nec intenduntur, nec remittuntur, quales sunt omnes substantiales, priuationes magis & minùs non recipiunt, nec vllam omnino intensionem habet negatio formæ equi, leonis, vel aquilæ.

SECTIO XI.

An priuatio & forma immediatè opponantur; vbi an detur Negatio Negationis.

I. *Priuatio & forma immediatè opponũtur.*

QVoad primum Respondetur, Priuationem & formam immediatè inter se opponi. Ratio est, quia cæcitas est priuatio visus, priuatio autem visus est non visus, nihil autem magis immediatè opponitur alteri, quam esse & non esse opponantur inter se.

II. *Quomodo nõ cæcus opponatur cæco, & an nõ cæcus idem sit ac videns.*

Dices, non cæcus opponitur priuatiuè cæco. Respondetur ita esse, sed non cæcus si sit circa idem subiectum in quo erat cæcitas, idem est ac videns. Vrgebis, lapis non est cæcus, & tamen non videt, ergo non cæcus & videns non sunt idem. Distinguo consequens, non sunt idem in subiecto visus non capace, concedo consequentiam; in subiecto visus capace, nego. Hoc autem non arguit quidquam inter cæcitatem & visum mediare, vbicunque est cæcitas, sed solùm visum duas habere negationes inadæquatè disparatas, ratione diuersarum vnionum, quibus tollitur in diuersis subiectis, & complexum illud negationum quod respicit subiectum aptum, est Priuatio, quod verò subiectum respicit visus incapax, seu non aptum, est mera Negatio.

III. *Qua ratione lapis nec sit cæcus, nec videns.*

Lapis ergo dũ non est cæcus, non habet negationem contradictoriam cæcitati, sed est non cæcus per negationem quasi contrariam cæcitati, seu per negationem disparatam. Est itaque lapis non cæcus per eandem negationem, per quam est non videns, secundùm diuersas formalitates negatiuæ illâ inclusas; inquantum enim negatio illa tollit, seu excludit visionem à lapide, lapis est non videns: inquantum verò eadem negatio connotat subiectum incapax visus, dicitur lapis non cæcus, cum cæcitas semper connotet in subiecto aptitudinem ad visionem.

nem. Quod si quis eum communi dicere malit priuationem & formam, respectu subiecti formæ non capacis, opponi inter se solùm mediatè, quia subiectum illud nec cæcum est, nec videns, per me licet, rem tenemus, loquatur quisque vt lubet.

IV. *Dari ne-quit nega-tio nega-tionis con-tradicto-ria.*

Quoad secundum: dico contra P. Salas 1.2. d.18. sec.7. non dari Negationem Negationis, negationem, inquam, contradictoriam, non contrariam, aut disparatam, has enim certum est æquè inter negationes dari, ac inter res positiuas, cùm non minùs tenebræ non sint cæcitas, ac Petrus non sit Paulus. Ratio est quia contradictoria sunt quæ maximè distant, sed quod maximè distat à negatione est res positiua, ens scilicet, & non ens, ergo. Confirmatur, negatio per formam positiuam destruitur, vtpote quæ cum eâ ne quidem diuinitus stare possit, quorsum ergo alia fingitur negatio priori contradictoria? sanè si qua secundæ huius negationis sit necessitas, vt opponatur primæ, erit & eadem tertiæ necessitas, vt opponatur secundæ, & sic dabitur processus in infinitum, quod in per se subordinatis censetur ab omnibus inconueniens.

Ratio est, quia con-tradictoria sunt, quæ maximè distant.

V. *Licet in pariete non sit cæcitas, non tamen est in pariete nega-tio contra-dictoria cæcitatis.*

Dices: in Petro est priuatio visus, seu cæcitas, sed in pariete non est hæc priuatio, seu cæcitas, & tamen nec est in pariete visus, ergo in pariete est negatio, seu priuatio priuationis visus, seu cæcitatis. Distinguo consequens, est in pariete negatio disparata, vel contraria cæcitatis, concedo consequentiam; est in eo negatio cæcitatis contradictoria, nego. Est ergo in pariete negatio contradictoria solius visus, disparata, vel ad summum contraria cæcitatis, nihil enim contradictorium negationis præter formam positiuam esse potest, quippe quæ sola maximè ab eâ distat. Vnde econtra rei etiam positiuæ contradictorium nihil est præter negationem, sicque nullæ duæ res positiuæ sibi propriè sunt contradictoriæ, nec enim immediatè tollunt, nec maximè distant.

VI. *Dictum illud, vbicunque non est forma, est negatio formæ intelligi debet de formâ propriè dictâ, seu positiuâ.*

Vrgebis, vbicunque non est forma, est negatio formæ, sed cæcitas non est in pariete, ergo in pariete esse debet negatio cæcitatis. Respondetur dictum illud vbicunque non est forma, est negatio formæ, intelligi de forma propriè dictâ, seu de formâ positiuâ, certum enim est, vbicunque non est aliqua negatio, non esse ibi negationem illius contradictoriam, sed solùm contrariam, alteram scilicet eiusdem rei positiuæ negationem quæ impedit quò minùs alia illa negatio sit in hoc subiecto, cùm vna ad effectum exclusionis formæ positiuæ sufficiat. Et eodem modo soluitur quod obiici posset, nempe vbique esse debere alterum ex contradictoriis: dico enim vbicunque non est forma positiua, esse aliquam eius negationem, & vbicunque nulla est rei alicuius positiuæ negatio, est res ipsa positiua, non tamen intelligi hoc ita debet, quasi vbicunque non est particularis aliqua negatio, illic esse statim debeat forma positiua opposita, sed vbique esse debere vel formam, vel aliquam eius negationem.

DISPVTATIO XIX.

De Distinctionibus in genere.

Tractatus de distinctionibus tractatum de vniuersalibus necessariò præmittendus.

Distinctio claritatem, confusio tenebras parit. Ad graues ergo & implexas illas, quæ crebræ in vniuersalibus occurrunt, difficultates enodandas hunc de Distinctionibus tractatum præmittunt Dialectici vt illius præsidio intellectus abstrusa illa, ac tenebris quibusdam inuoluta, quæque à sensibus remota, vnius mentis obtutibus subiciuntur, promptiùs & expeditiùs percurrat: vt, inquam, in re obscurâ certiùs, in incertâ securiùs in lubricâ firmiùs figat pedem.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Distinctio formaliter sita sit in negatiuo, an positiuo.

I. *Sermo est de rebus positiuis, negationes enim negationibus distingui certum est.*

De rebus positiuis est sermo, Negationes enim Negationibus, hoc est seipsis distingui certum est, ante mundum quippe conditum negatio solis distinguebatur à negatione lunæ, nemine enim cogitante negatio solis non erat negatio lunæ, sicut nec modo negatio Bucephali est negatio Anti-Christi. Negationes tamen dum inter se distinguuntur, non sibi inuicem opponuntur contradictoriè, sed vel contrariè, vel disparatè, negationi enim solis non opponitur contradictoriè negatio lunæ, sed sol. Vnde res positiuæ poterunt inter se distingui, licet non opponantur sibi contradictoriè. Circa res ergo positiuas.

II. *Prima sententia docet res positiuas distingui per relationem prædicamentalem.*

Prima sententia est res duas positiuas, putà solem & lunam, distingui per relationem quandam prædicamentalem, ad rei cuiusque existentiam emergentem, quam disquiparantiæ vocant: ita Mairo. in 1. d.8. q.2. Bassolis d.22. q.4. a 2. §.1. & alij.

III. *Contrà: pro aliquo priori ad relationem illam Petrus & Paulus distinguuntur.*

Sed contrà, pro illo priori antequam emergeret relatio illa disquiparantiæ inter equum & leonem existentes, existebant entitates illæ vt duæ, existebant enim vt fundamentum & terminus huius relationis, ergo leo & equus, Petrus & Paulus pro illo priori existebant vt duo, ergo vt distincti, ergo non distinguuntur per relationem. Vnde cum Angelus pro illo priori entitates illas intuitiuè inspiciens, vnam tamquam aliud quid ab alterâ videret, distinguuntur pro illo priori non fundamentaliter tantùm, sed formaliter. Quod argumentum æquè probat res istas non distingui per negationes.

IV. *Secunda sententia distinctionem omnem realem statuit in negationibus.*

Secunda & maximè inter recentiores recepta opinio est, distinctionem omnem realem in negatione identitatis sitam esse. Distinctio itaque pro materiali extremum dicit quod distinguitur, pro formali verò negationem, quæ, inquiunt, est ratio formalis per quam vna res distinguitur ab alia: ita Suares d.7. Met. s. 1. n.2. Fonseca. & idem tenere videtur Arriaga d.1. Metaph. s. 4. n.94. & alij.

SECTIO II.

Res positiuæ seipsis distinguuntur, non per negationes.

I. *Distinctio in rebus positiuis nihil aliud est nisi earum entitas.*

Ita Gabriel in 1. d. 2. Okam in 2. q.2. P. Hurtado d.6. Met. s. 5. §.3. & alij, qui distinctionem esse rei cuiusque entitatem asserunt, non negationem, licèt per negationem explicetur, negatio enim hæc rem in suo esse constitutam supponit, & consequitur, quæ proinde per negationem illam distingui non potest, vt sec. præcedente n. 3. diximus de relatione illâ disquiparantiæ.

II. *Ratio est 1 res enim positiua distinguitur per suam differentiam, hæc autem sunt quid positiuum.*

Omissis verò rationibus P. Hurtado, quarum pleræque cum nostris principijs stare vix possunt, Probatur primò: Differentia rei positiuæ vt differentia,

rentia est quid positiuum, sed per differentiam suam vt differentia est distinguitur à qualibet aliâ re, ergo distinguitur per quid positiuum. Maior est certa, manifestum est enim rem positiuam non constitui intrinsecè per negationem, nec cum ea identificari, cum differant plus quam duæ res positiuæ. Qua de causa inter cæteras definitionis proprietates à dialecticis communiter assignatas, vna est vt non tradatur per negationem, sic enim non explicaret essentiam rei quæ positiua est, nec quid res sit diceret, sed quid non sit. Minor etiam primi syllogismi constat, conceptus enim differentiæ vt differentiæ est facere rem diuersam ab aliâ formaliter, ergo distinguere formaliter, distingui enim & differre idem est, nam si differunt propriè, eâdem operâ distinguantur necesse est: cum nihil differat à seipso.

III. *Conceptum differentiæ est constituere per modũ differentiæ, nempe distinguẽdo.*

Dices, conceptum differentiæ solum esse constituere. Distinguo, constituere vtcumque, nego; per modum differentiæ, concedo: nam differentia vt differentia cõstituit diuerso modo à genere, quod non minùs constituit quàm differentia, hoc tamen inter vtrumque interest, quod genus ex suo conceptu constituat aliquid in quantum cum alio conuenit, differentia verò in quantum differt & distinguitur: animal verbi gratiâ constituit hominem vt conuenit cum equo, leone, & cæteris animalibus, rationale vero vt ab iis omnibus distinguitur. Et idem est de omni alia differentia rei positiuæ.

IV. *Dices, hinc sequi differentiã esse solum distinctionem fundamentalem.*

Dices secundò, hoc quidem probare per differentiam suam distingui rem vnam ab aliâ, non tamen formaliter, sed solùm fundamentaliter, id est, esse radicem vnde oriatur formalis distinctio, nempe negatio, ex eo enim quòd Petrus sit homo, sequitur non esse equum, leonem, &c. & ex eo quod sit Petrus, sequitur eum non esse Paulum, non tamen ipso facto a Paulo distinguitur. Sed contrà, differentia secundum positiuam suam entitatem est differentia formaliter, & non tantùm fundamentaliter, ergo facit differre formaliter, & non solùm fundamentaliter, dat enim suum effectum formalem. Sicut ergo albedo, quia est albedo formaliter, quandocunque est in subiecto apto non potest non illud per se reddere album formaliter, & non per aliquid superadditum; ita nec potest differentia non reddere diuersum, seu distinctum per se, cum non minùs sit effectus formalis differentiæ reddere diuersum formaliter, quam albedinis reddere album, vel caloris calidum, quæ tamen nemo dicet hoc solùm fundamentaliter præstare. Distinguitur ergo Petrus à Paulo, & leone per suam entitatem intrinsecam, non per aliquid superadditum.

Resp. cùm differentia sit formaliter talis, facit formaliter differre.

V. *Res positiua à negatione distinguitur per suam entitatem.*

Probatur secundò: non solùm distinguitur paries verbi gratia, vel quælibet res positiua, ab aliâ re positiuâ, sed etiam à negationibus & priuationibus, quæro ergo per quid differat paries à negatione equi? si dicas, per negationem negationis equi, iam ponis negationem negationis reiectam disp. præcedenti s. vltimâ. Deinde tibi contradicis, cùm duæ negationes faciant vnam affirmationem, seu rem positiuam. Tertiò non soluitur difficultas, nam demus negationem negationis esse quid negatiuum, sic vlteriùs arguo, paries non est idem cum illâ negatione negationis equi, ergo distinguitur ab illâ: per quid inquiro? si dicas, per aliam negationem, de illâ iterum quæro per quid distinguatur paries ab illâ, vel dicere tandem debes distingui formaliter per quid positiuum, vel processum concedere in infinitum.

VI. *Negationes nõ sunt more nihil.*

Dices, ab eo quod est aliquid, debere rem differre, non autem ab eo quòd est nihil. Contrà, si negatio nihil est, ergo non potest paries distingui ab equo per negationem, si enim negatio est nihil, per nihil differt, ergo non differt, nihil enim differre & non differre, idem sunt, sic enim vera est hæc propositio, Petrus per nihil differt à se, quia à se non differt, imò hæc est falsa, Petrus per nihil differt ab equo.

VII. *Ostenditur vlterius distinctionem non consistere in negatione.*

Probatur tertiò: ponamus in quantitate A esse calorem A, vel visionem in oculo, adhuc quantitas illa distinguitur ab illo calore, oculus à visione, & tamen non est negatio vel priuatio illius caloris in quantitate, nec visionis in oculo, cùm contradictoria simul existere non possint, ergo non distinguitur quantitas vel oculus ab illo calore & visione per caloris illius vel visionis negationem. Quantitas ergo illa per suam entitatem formaliter à calore, distinguitur, non per negationem.

VIII. *Dices non per quamcũque negationem res distingui, sed per negationem identitatis.*

Dices (& est communis responsio aduersariorum, ac fundamentum contrariæ sententiæ) non quamcunque negationem, sed negationem identitatis hominis verbi gratia cum leone, hominem à leone distinguere, per illam quippe maximè distat ab identitate cum leone. Sed contrà: ergo iam non distinguitur homo à leone per negationem leonis, sed per negationem Chimæræ, quod probo, nam identitas hominis cum leone est Chimæra, quanta cogitari potest maxima, res nimirum omnino ficta & impossibilis, ergo illius negatio est negatio Chimæræ, ergo si per negationem identitatis cũ leone distinguitur homo à leone, distinguitur ab ipso per negationem Chimæræ, quod tamen est falsum, per hanc enim negationem non maximè distat homo à leone, cùm negatio Chimæræ non contradictoriè opponatur leoni, sed Chimæræ, per negationem ergo leonis magis distaret à leone, cùm illa leoni contradictoriè opponatur, ergo in hac sententiâ deberet potiùs distingui à leone per negationẽ leonis, quam per negationem identitatis cum leone, seu per negationem Chimæræ, cùm per hos auctores per id vnaquæque res ab aliâ distinguatur per quòd maximè ab illâ distat, sed per negationem leonis non distinguitur homo à leone, vt ostendimus, ergo.

Contrà: ergo Petrus & Paulus distinguuntur per negationem Chimæræ.

IX. *Res positiua non distinguitur per negationes, sed per fundamentum negationum.*

Licet ergo concedamus in vnaquaque re, præter entitatem positiuam, per quam distinguitur ab aliâ, esse etiam negationem identitatis cum illâ, dicimus tamen per hanc negationem non formaliter distingui hominem à leone verbi gratia, vel Petrum à Paulo, sed per fundamentum huius negationis, differentiam scilicet vltimam hominis, quæ licèt sit fundamentum huius negationis, non tamen fundamentum distinctionis, sed ipsa formalis distinctio, priùs enim intelligi debent homo & leo, quàm hæc negatio, quæ in sui cognitione ab vtriusque naturâ pendet, cum subiectum sit ratione prius negatione, quia hæc in eo fundatur, ergo vt concipiatur hæc negatio, debent concipi homo & leo, ergo homo diuersus à leone, ergo distinctus.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contendentia distinctionem consistere in negatione.

I. *Multa per negationes explicantur, quæ vere negationes non sunt.*

AD argumentorum, quæ varia hic proponi solent (quæ tamen in modo ferè loquendi omnia fundantur) solutionem, notandum, multa nos per negationes explicare, quæ reipsa nihil minùs sunt quam negationes: sic intimam præsentiam, vel etiam dum res duæ sibi sunt proximæ, vt duæ sphæræ cælestes, indistantiam vocamus, licèt aliud nihil sint quàm duplex præsentia positiua: sic punctum dicimus quod partes non habet, quamuis entitas sit positiua. De quo plura in solutione primæ obiectionis. Et hoc sensu ait Angelicus Doctor in 1. d. 5. q. 1. a.

s. ad

1. ad primum, *vbicunque est distinctio, ibi oppositionem esse contradictoriam.*

II. Obicies primò: per id formaliter distinguitur vna res ab alia per quod maximè distat ab identitate cum illâ, sed per negationem identitatis maximè distat ab identitate, ergo per eam formaliter distinguitur ab illâ. Respondetur negando minorē, per illud enim maximè distat aliquid ab identitate, quod est ratio & causa cur non sit idem cum alia re, ratio autem hæc est ipsa differentia, per quam formaliter differt, & est alia res ab omni alio, negatio autem illa oritur ab hac differentiâ positiuâ, quæ, vt dixi, licèt sit radix huius negationis, non tamen est radicalis distinctio, sed formalis, explicari tamen non potest nisi per negationem, sicut nec alia multa quæ licèt negationem sonent, re tamen verâ entia sunt positiuâ: sic irrationale idem sonat ac non particeps rationis, cùm tamen quid positiuum sit, & differentia bruti constitutiua: sic subsistentia dicitur incommunicabilitas, & explicatur per negationem communicabilitatis, licèt modus positiuus sit.

Non per negationē identitatis res vna maximè distat ab identitate cum aliâ.

III. Obicies secundò: possum concipere differentiā constituentem Petrum verbi gratia, & tamen non concipere Petrum distingui à Paulo, vel aliis rebus, ergo non distinguitur formaliter per illam differentiam: patet consequentia, nam sicut non possum cōcipere albedinem in subiecto apto, quin concipiam reddentem illud album, ita non possem concipere differentiam in aliquo, quin concipiam facientem differre, cum hic non minùs sit effectus formalis differentiæ, quàm ille albedinis. Respondetur distinguendo antecedens, si concipiam differentiam adæquatè, nego antecedens; si inadæquatè, concedo. Sic & in albedine non semper concipimus eam vt disgregatiuam visus, licet verè & realiter sit talis, nec materiam primam semper concipimus vt emanatiuam quantitatis, sufficit ergo quod à parte rei differentia hoc habeat formaliter vt differentia est, id enim solùm contendimus, licèt possit subinde à nobis inadæquatè concipi, & non secundùm omne munus quod habet ratione nostrâ distinctum.

Obij. possū concipere differentiā Petri, & tamen non concipere Petrum distingui à Paulo.

Resp. non posse hoc fieri, si concipiatur differentia Petri adæquatè.

IV. Obicies tertiò: Petrum non esse Paulum est formaliter distingui à Paulo, sed non est Paulus formaliter per negationem Pauli, ergo distinctio est formaliter negatio. Respondetur negando Maiorem, illa enim negatio propriè non est distinctio, sed sequitur distinctionem factam, ideo enim non est Paulus quia ab illo distinguitur, & est alius ab eo, esse ergo distinctum à Paulo, est esse alium à Paulo, quod est primum munus differentiæ, vt suprà diximus. Verum quidem est hoc sine negatione explicari commodè non posse, & sic distinctio quoad modum loquendi est negatio, non tamen in re, vt suprà de irrationali diximus, de subsistentiâ, puncto, & aliis.

Distingui Petrum à Paulo non est formaliter eum non esse Paulū, sed esse alium à Paulo.

V. Obicies quartò: in illo priori ad negationem, vel Petrus est Paulus, vel non est Paulus: si pro illo priori sit Paulus, ergo falsum est quod dicimus pro illo priori distinctionem iam esse factam, & Petrum à Paulo distingui; si pro illo priori non sit Paulus, ergo in illo priori inuoluitur negatio, ergo distinctio in negatione consistit. Respondetur pro illo priori Petrum distingui, & esse alium à Paulo, ita vt Angelus illos videns, etsi nullam videat negationem, dicere posset hic est vna entitas, ibi alia, sol est substantia, lux accidens, homo quid perfectum, calor res imperfecta, & sic de cæteris, quæ sine dubio alietatem arguunt, & distinctionem. Pro illo tamen priore non potest Petrus dici formaliter non esse Paulus, quia pro illo priore needum intelligitur forma huius denominationis, nempe negatio.

Obij. in illo priori ad negationē Petrus est Paulus vel non est Paulus.

Resp. pro illo priori Petrū esse alium à Paulo, non tamen propriè nō esse Paulum.

VI. Vrgebis: si Petrus pro illo priore dici nequeat non esse Paulus, sequitur duo contradictoria esse simul falsa, nempe Petrus pro illo priore est Paulus, quod est falsum, & Petrus pro illo priore non est Paulus, quod proximè concessimus similiter esse falsum. Respondetur propositiones contradictorias non esse metiendas penes signa rationis, quæ in quouis instanti reali duo vel plura per intellectum distinguuntur, sed pro toto instante reali, alioqui in omni ferme re duo inueniemus contradictoria simul falsa. Exempli gratia, Angelus primo creationis suæ instante se cognouit per actum intellectus à se elicitum. Hic ergo idem conficiam argumentum, pro illo priori quo Angelus est, erat illa cognitio, est falsum, cum effectus nunquam in eodem priori naturæ sit cum suâ causa; pro illo priori non erat cognitio, seu erat negatio illius cognitionis, similiter falsum est, sic enim in eodem instanti reali fuisset cognitio illa, & non fuisset. Dico itaque pro illo priori nec Petrum esse Paulum, nec non esse Paulum, sed ab vtroque præscindere, quod in actu respectu potentiæ liberæ, & sexcentis aliis in Philosophiâ, & Theologiâ passim occurrentibus est dicendum. Contradictoria autem vt vera sint, vel falsa, secundum totum instans reale spectari debent, non secundùm prioritates, & signa rationis.

Pro illo priori Petrus nec est Paulus, nec non est Paulus.

Explicatur hoc exēplo Angeli se primo creationis instāte cognoscentis.

VII. Obicies quintò: per id constituitur distinctio formaliter, per quod formalissimè tollitur identitas, sed per negationem identitatis tollitur formalissimè identitas, sicut per negationem caloris tollitur calor, per negationem lucis lux, & sic de cæteris, ergo. Respondetur negando maiorem: cum enim negatio illa non sit negatio veræ & realis identitatis (vtpote quæ inter Petrum & Paulum non est possibilis) sed solum Chimæricæ, sicut per identitatem Chimæricam non identificarentur, ita nec per illius negationem de facto distinguuntur. Aliud est de negatione caloris & lucis, ac similium quæ sunt quid reale.

Non cōstituitur distinctio formaliter per id, per quod tollitur formaliter idētitas, sed per illius radicem.

VIII. Dices, negatio identitatis non Chimæricam tantùm inter Petrum & Paulum identitatem excludit, sed realem. Contrà, identitas, vel aliud quodcunque quod est reale, debet esse possibile, cùm reale & possibile conuertantur, est ergo implicatio in terminis dicere, excludere realem identitatem inter Petrum & Paulum, cum nulla talis sit possibilis. Quod si quis identitatem inter eos realem intercedere fingat, multa sequentur contradictoria, vno enim falso posito sequuntur mille, rami enim radicem, riuuli fontem referunt.

Nulla negatio tollit realē identitatem inter Petrum & Paulū, cum nulla talis sit possibilis.

rentia est quid positiuum, sed per differentiam suam vt differentia est distinguitur à qualibet aliâ re, ergo distinguitur per quid positiuum. Maior est certa, manifestum est enim rem positiuam non constitui intrinsecè per negationem, nec enim ea identificari, cum differant plus quam duæ res positiuæ. Qua de causa inter cæteras definitionu proprietates à dialecticu communiter assignatas, vna est vt non tradatur per negationem, sic enim non explicaret essentiam rei quæ positiua est, nec quid res sit diceret, sed quid non sit. Minor etiam primi syllogismi constat, conceptus enim differentiæ vt differentiæ est facere rem diuersam ab aliâ formaliter, ergo distinguere formaliter, distingui enim & differre idem est, nam si differunt propriè, eâdem operâ distinguantur necesse est: cum nihil differat à seipso.

III. *Conceptum differentiæ est constituere per modũ differentiæ, nempe distinguẽdo.* Dices, conceptum differentiæ solum esse constituere. Distinguo, constituere vtcumque, nego; per modum differentiæ, concedo: nam differentia vt differentia cõstituit diuerso modo à genere, quod non minùs constituit quàm differentia, hoc tamen inter vtrumque interest, quòd genus ex suo conceptu constituat aliquid in quantum cum alio conuenit, differentia verò in quantum differt & distinguitur: animal verbi gratiâ constituit hominem vt conuenit cum equo, leone, & cæteris animalibus, rationale vero vt ab iis omnibus distinguitur. Et idem est de omni alia differentia rei positiuæ.

IV. *Dices, hinc sequi differentiã esse solum distinctionem fundamentalem.* Dices secundò, hoc quidem probare per differentiam suam distingui rem vnam ab aliâ, non tamen formaliter, sed solùm fundamentaliter, id est, esse radicem vnde oriatur formalis distinctio, nempe negatio, ex eo enim quòd Petrus sit homo, sequitur non esse equum, leonem, &c. & ex eo quod sit Petrus, sequitur eum non esse Paulum, non tamen ipso facto a Paulo distinguitur. Sed contrà, differentia secundum positiuam suam entitatem est differentia formaliter, & non tantùm fundamentaliter, ergo facit differre formaliter, & non solùm fundamentaliter, dat enim suum effectum formalem. *Resp. cum differentia sit formaliter talis, facit formaliter differre.* Sicut ergo albedo, quia est albedo formaliter, quandocunque est in subiecto apto non potest non illud per se reddere album formaliter, & non per aliquid superadditum; ita nec potest differentia non reddere diuersum, seu distinctum per se, cum non minùs sit effectus formalis differentiæ reddere diuersum formaliter, quam albedinis reddere album, vel caloris calidum, quæ tamen nemo dicet hoc solùm fundamentaliter præstare. Distinguitur ergo Petrus à Paulo, & leone per suam entitatem intrinsecam, non per aliquid superadditum.

V. *Res positiua à negatione distinguitur per suam entitatem.* Probatur secundò: non solùm distinguitur paries verbi gratia, vel quælibet res positiua, ab aliâ re positiuâ, sed etiam à negationibus & priuationibus, quæro ergo per quid differat paries à negatione equi? si dicas, per negationem negationis equi, iam ponis negationem negationis reiectam disp. præcedenti s. vltimâ. Deinde tibi contradicis, cùm duæ negationes faciant vnam affirmationem, seu rem positiuam. Tertiò non soluitur difficultas, nam demus negationem negationis esse quid negatiuum, sic vlteriùs arguo, paries non est idem cum illâ negatione negationis equi, ergo distinguitur ab illâ: per quid inquiro? si dicas, per aliam negationem, de illâ iterum quæro per quid distinguatur paries ab illâ, vel dicere tandem debes distingui formaliter per quid positiuum, vel processum concedere in infinitum.

VI. *Negationes nõ sunt mere nihil.* Dices, ab eo quod est aliquid, debere rem differre, non autem ab eo quòd est nihil. Contrà, si negatio nihil est, ergo non potest paries distingui ab equo per negationem, si enim negatio est nihil, per nihil differt, ergo non differt, nihil enim differre & non differre, idem sunt, sic enim vera est hæc propositio, Petrus per nihil differt à se, quia à se non differt, imò hæc est falsa, Petrus per nihil differt ab equo.

VII. *Ostenditur vlterius distinctionem non consistere in negatione.* Probatur tertiò: ponamus in quantitate A esse calorem A, vel visionem in oculo, adhuc quantitas illa distinguitur ab illo calore, oculus à visione, & tamen non est negatio vel priuatio illius caloris in quantitate, nec visionis in oculo, cùm contradictoria simul existere non possint, ergo non distinguitur quantitas vel oculus ab illo calore & visione per caloris illius vel visionis negationem. Quantitas ergo illa per suam entitatem formaliter à calore, distinguitur, non per negationem.

VIII. *Dices non per quamcũque negationem res distingui, sed per negationem identitatis.* Dices (& est communis responsio aduersariorum, ac fundamentum contrariæ sententiæ) non quamcunque negationem, sed negationem identitatis hominis verbi gratia cum leone, hominem à leone distinguere, per illam quippe maximè distat ab identitate cum leone. Sed contrà: ergo iam non distinguitur homo à leone per negationem leonis, sed per negationem Chimæræ, quod probo, nam identitas hominis cum leone est Chimæra, quanta cogitari potest maxima, res nimirum omnino ficta & impossibilis, ergo illius negatio est negatio Chimæræ, ergo si per negationem identitatis cũ leone distinguitur homo à leone, distinguitur ab ipso per negationem Chimæræ, quod tamen est falsum, per hanc enim negationem non maximè distat homo à leone, cùm negatio Chimæræ non contradictoriè opponatur leoni, sed Chimæræ, per negationem ergo leonis magis distaret à leone, cùm illa leoni contradictoriè opponatur, ergo in hac sententiâ deberet potiùs distingui à leone per negationẽ leonis, quam per negationem identitatis cum leone, seu per negationem Chimæræ, cùm per hos auctores per id vnaquæque res ab aliâ distinguatur per quòd maximè ab illâ distat, sed per negationem leonis non distinguitur homo à leone, vt ostendimus, ergo. *Contrà: ergo Petrus & Paulus distinguuntur per negationem Chimæræ.*

IX. *Res positiua non distinguitur per negationes, sed per fundamentum negationum.* Licet ergo concedamus in vnaquaque re, præter entitatem positiuam, per quam distinguitur ab aliâ, esse etiam negationem identitatis cum illâ, dicimus tamen per hanc negationem non formaliter distingui hominem à leone verbi gratia, vel Petrum à Paulo, sed per fundamentum huius negationis, differentiam scilicet vltimam hominis, quæ licèt sit fundamentum huius negationis, non tamen fundamentum distinctionis, sed ipsa formalis distinctio, priùs enim intelligi debent homo & leo, quàm hæc negatio, quæ in sui cognitione ab vtriusque naturâ pendet, cum subiectum sit ratione prius negatione, quia hæc in eo fundatur, ergo vt concipiatur hæc negatio, debent concipi homo & leo, ergo homo diuersus à leone, ergo distinctus.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contendentia distinctionem consistere in negatione.

I. *Multa per negationes explicantur, quæ vere negationes non sunt.* AD argumentorum, quæ varia hic proponi solent (quæ tamen in modo ferè loquendi omnia fundantur) solutionem, notandum, multa nos per negationes explicare, quæ reipsa nihil minùs sunt quam negationes: sic intimam præsentiam, vel etiam dum res duæ sibi sunt proximæ, vt duæ sphæræ cælestes, indistantiam vocamus, licèt aliud nihil sint quàm duplex præsentia positiua: sic punctum dicimus quod partes non habet, quamuis entitas sit positiua. De quo plura in solutione primæ obiectionis. Et hoc sensu ait Angelicus Doctor in 1. d. 5. q. 1. a.

1. ad

1. ad primum, *vbicunque est distinctio, ibi oppositionem esse contradictoriam.*

II. *Non per negationem identitatis res vna maximè distat ab identitate cum alia.*

Obicies primò: per id formaliter distinguitur vna res ab alia per quod maximè distat ab identitate cum illâ, sed per negationem identitatis maximè distat ab identitate, ergo per eam formaliter distinguitur ab illâ. Respondetur negando minorē, per illud enim maximè distat aliquid ab identitate, quod est ratio & causa cur non sit idem cum alia re, ratio autem hæc est ipsa differentia, per quam formaliter differt, & est alia res ab omni alio, negatio autem illa oritur ab hac differentiâ positiuâ, quæ, vt dixi, licèt sit radix huius negationis, non tamen est radicalis distinctio, sed formalis, explicari tamen non potest nisi per negationem, sicut nec alia multa quæ licèt negationem sonent, re tamen verâ entia sunt positiuâ: sic irrationale idem sonat ac non particeps rationis, cùm tamen quid positiuum sit, & differentia bruti constitutiua: sic subsistentia dicitur incommunicabilitas, & explicatur per negationem communicabilitatis, licèt modus positiuus sit.

III. *Obij possū concipere differentiā Petri, & tamen non concipere Petrum distingui à Paulo.*

Obicies secundò: possum concipere differentiā constituentem Petrum verbi gratia, & tamen non concipere Petrum distingui à Paulo, vel aliis rebus, ergo non distinguitur formaliter per illam differentiam: patet consequentia, nam sicut non possum cōcipere albedinem in subiecto apto, quin concipiam reddentem illud album, ita non possem concipere differentiam in aliquo, quin concipiam facientem differre, cum hic non minùs sit effectus formalis differentiæ, quàm ille albedinis. Respondetur distinguendo antecedens, si concipiam differentiam adæquatè, nego antecedens; si inadæquatè, concedo. Sic & in albedine non semper concipimus eam vt disgregatiuam visus, licèt verè & realiter sit talis, nec materiam primam semper concipimus vt emanatiuam quantitatis, sufficit ergo quod à parte rei differentia hoc habeat formaliter vt differentia est, id enim solùm contendimus, licèt possit subinde à nobis inadæquatè concipi, & non secundùm omne munus quod habet ratione nostrâ distinctum.

Resp. non posse hoc fieri, si concipiatur differentia Petri adæquatè.

IV. *Distingui Petrum à Paulo non est formaliter eum non esse Paulū, sed esse alium à Paulo.*

Obiicies tertiò: Petrum non esse Paulum est formaliter distingui à Paulo, sed non est Paulus formaliter per negationem Pauli, ergo distinctio est formaliter negatio. Respondetur negando Maiorem, illa enim negatio propriè non est distinctio, sed sequitur distinctionem factam, ideo enim non est Paulus quia ab illo distinguitur, & est alius ab eo, esse ergo distinctum à Paulo, est esse alium à Paulo, quod est primum munus differentiæ, vt suprà diximus. Verum quidem est hoc sine negatione explicari commodè non posse, & sic distinctio quoad modum loquendi est negatio, non tamen in re, vt suprà de irrationali diximus, de subsistentiâ, puncto, & aliis.

V. *Obijcis in illo priori ad negationē Petrus est Paulus vel non est Paulus.*

Obiicies quartò: in illo priori ad negationem, vel Petrus est Paulus, vel non est Paulus: si pro illo priori sit Paulus, ergo falsum est quod dicimus pro illo priori distinctionem iam esse factam, & Petrum à Paulo distingui; si pro illo priori non sit Paulus, ergo in illo priori inuoluitur negatio, ergo distinctio in negatione consistit. Respondetur pro illo priori Petrum distingui, & esse alium à Paulo, ita vt Angelus illos videns, etsi nullam videat negationem, dicere possit hic est vna entitas, ibi alia, illa est substantia, lux accidens, homo quid perfectum, calor res imperfecta, & sic de cæteris, quæ sine dubio alietatem arguunt, & distinctionem. Pro illo tamen priore non potest Petrus dici formaliter non esse Paulus, quia pro illo priore necdum intelligitur forma huius denominationis, nempe negatio.

Resp. pro illo priori Petrū esse alium à Paulo, non tamen propriè non esse Paulum.

VI. *Pro illo priori Petrus nec est Paulus, nec non est Paulus.*

Vrgebis: si Petrus pro illo priore dici nequeat non esse Paulus, sequitur duo contradictoria esse simul falsa, nempe Petrus pro illo priore est Paulus, quod est falsum, & Petrus pro illo priore non est Paulus, quod proximè concessimus similiter esse falsum. Respondetur propositiones contradictorias non esse metiendas penes signa rationis, quæ in quouis instante reali duo vel plura per intellectum distinguuntur, sed pro toto instante reali, alioqui in omni ferme re duo inueniemus contradictoria simul falsa. Exempli gratia, Angelus primo creationis suæ instante se cognouit per actum intellectus à se elicitum. Hic ergo idem conficiam argumentum, pro illo priori quo Angelus est, erat illa cognitio, est falsum, cum effectus nunquam in eodem priori naturæ sit cum suâ causa; pro illo priori non erat cognitio, seu erat negatio illius cognitionis, similiter falsum est, sic enim in eodem instanti reali fuisset cognitio illa, & non fuisset. Dico itaque pro illo priori nec Petrum esse Paulum, nec non esse Paulum, sed ab vtroque præscindere, quod in actu respectu potentiæ liberæ, & sexcentis aliis in Philosophiâ, & Theologiâ passim occurrentibus est dicendum. Contradictoria autem vt vera sint, vel falsa, secundum totum instans reale spectari debent, non secundùm prioritates, & signa rationis.

Explicatur hoc exemplo Angeli se primo creationis instāte cognoscentis.

VII. *Non constituitur distinctio formaliter per id, per quod tollitur formaliter idētitas, sed per illius radicem.*

Obicies quintò: per id constituitur distinctio formaliter, per quod formalissimè tollitur identitas, sed per negationem identitatis tollitur formalissimè identitas, sicut per negationem caloris tollitur calor, per negationem lucis lux, & sic de cæteris, ergo. Respondetur negando maiorem: cum enim negatio illa non sit negatio veræ & realis identitatis (vtpote quæ inter Petrum & Paulum non est possibilis) sed solum Chimæricæ, sicut per identitatem Chimæricam non identificarentur, ita nec per illius negationem de facto distinguuntur. Aliud est de negatione caloris & lucis, ac similium quæ sunt quid reale.

VIII. *Nulla negatio tollit realē identitatem inter Petrum & Paulū, cum nulla talis sit possibilis.*

Dices, negatio identitatis non Chimæricam tantùm inter Petrum & Paulum identitatem excludit, sed realem. Contrà, identitas, vel aliud quodcunque quod est reale, debet esse possibile, cùm reale & possibile conuertantur, est ergo implicatio in terminis dicere, excludere realem identitatem inter Petrum & Paulum, cum nulla talis sit possibilis. Quod si quis identitatem inter eos realem intercedere fingat, multa sequentur contradictoria, vno enim falso posito sequuntur mille, ramienim radicem, riuuli fontem referunt.

DISPVTATIO XX.

Quotuplex sit Distinctio.

SECTIO I.

Generalis Distinctionum diuisio.

I. *Distinctio diuiditur primo in distinctionem realem & rationis.*

DIstinctio communissimâ diuisione in distinctionem realem & rationis diuiditur. Distinctio realis illa dicitur quæ datur ante omnẽ operationem intellectus fingentem distinctionem, vt inter duas res positiuas, Petrum verbi gratia & Paulum, & vocatur distinctio positiua, inter Petrum etiam existentem & Anti-christum, vel inter duas res possibiles: licèt aliqui has duas distinctiones vocent non reales simpliciter, sed solùm in potentiâ, sicut distinctionem inter duas negationes vocant negatiuam. Sed in hac communi acceptione dicendæ sunt reales, vtpote ante omnem operationem intellectus fingentem, vel facientem, distinctionem, negatio enim Angeli non est negatio solis, & Petrus possibilis non est Anti christus. Imò duo entia rationis in hoc sensu realiter distinguuntur nam licèt esse suum ab intellectu habeant fingente, alio tamen non egent actu intellectus ab eo per quem fiũt, vt distinguantur, verè enim Tragelaphus quem fingit Paulus, non est Hippocentaurus quem fingit Petrus, etiam nullo super obiecta illa reflexè cogitante, & distinctionem inter illa fingente.

Duo entia Rationis distinguuntur realiter.

II. *Quid sit distinctio rationis.*

Distinctio rationis est quæ per intellectum seu rationem fit, ea scilicet intentionaliter, seu mente diuidendo, quæ realiter identificantur. Cum ergo medium dari nequeat inter distingui ante operationẽ intellectus, & non distingui, sed solùm post & per illum, diuisio hæc erit adæquata.

SECTIO II.

De signis Distinctionis realis.

I. *Signa distinctionis realis.*

LIcèt ex parte extremorum sit diuersitas, vt vidimus, in iis quæ realiter isto illo modo distinctionis realis distinguuntur, ex parte tamen distinctionis nulla est, cum distinguantur omnia ante operationem intellectus fingentem, vel facientem distinctionem. Nunc ergo signa, quæ hanc distinctionem indicant, proferemus.

II. *Primum signum distinctionis realis est quod vnũ producat alterum.*

Primum afferri solet, vt videre est apud P. Suarez d. 7. Met. l. 2. quando vnum est realiter producens alterum, nihil enim causare potest seipsum, & hoc argumento vtuntur Theologi cum D. Augustino, primo de Trinit. capit. 1. vt probent Diuinas Personas realiter distingui, quia Pater producit Filium, Pater simul & Filius Spiritum Sanctum. Vnde loco citato sic loquitur S. Augustinus: *Qui autem putat eius potentiæ esse Deum, vt seipsum ipse genuerit, eò plus errat, quòd non solùm Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura: nulla enim omnino res est quæ seipsam gignat vt sit:* Ita S. Doctor. limitant tamen hoc signum aliqui, vt intelligatur de primâ productione, cum Christus in probabili opinione seipsum producat in Eucharistiâ. Et idem, vt aliqui putant, potest eleuari ad se conseruandum, licèt verius sit ibi totale agens distingui partialiter semper à totali producto, cum Deus in omni actione simul cum creatura concurrat.

S. Augustinus.

Intelligi tamẽ debet hoc signum de primâ tantũ productione.

III. Secundum signum est, quando in diuersis locis sunt, vel subiectis. Quod etiam naturaliter intelligi oportet, Petrus enim diuinitus potest in diuersis simul locis constitui, & Christus de facto est sub diuersis hostiis, & eadem albedo diuinâ potentiâ in duobus collocari subiectis posset loco dissitis.

Secundum signum est, quãdo sunt in diuersis locis, vel subiectis.

IV. Tertium, quæ diuersâ actione producuntur, (naturaliter intellige) & diuersâ corruptione corrumpuntur, realiter distinguuntur. Quod etiam verũ est in animâ respectu suarum potentiarumq; si ab eâ distinguantur, & in re quauis respectu suarum passionum, quæ saltem per emanationem fiunt, licèt non habeatur hæc propria actio.

Tertiũ signũ, quãdo diuersâ actione producuntur.

V. Quartum, & ex præcipuis est, quando vnum perire potest altero manente, vno enim pereunte totum quod cum eo realiter idem est, vnà cum eo pereat necesse est: si enim idem sit realiter, non est aliquid & aliquid realiter, ergo non potest aliquid illius realiter perire, & aliquid realiter manere. Et sane in mutuò separabilibus est clarum, vt Petrus Paulo manente perire potest, & Petro manente Paulus, & vterque simul separatus existere. Est ergo difficultas quando, licèt vnum reperiri possit sine altero, non tamen alterũ vicissim sine illo, vt Petrus reperiri sine visione potest visio sine Petro non potest: Difficultas, inquam, est vtrum hoc sit signum sufficiens distinctionis realis. Dico esse: ita Aristoteles 7. Top. c. 1. loco 1. & 15. his verbis; *amplius, si potest alterum sine altero esse, non erit idem.* D. etiam Augustinus 6. de Trin. c. 6. probat magnitudinem, colorem, & figuram distingui inter se, quia corrupto colore manet eadem magnitudo, & figura.

Quartũ, distinguuntur realiter, quãdo vnum perire potest, altero manente.

Distinguuntur etiam realiter, licet non detur inter illa separatio mutua.

VI. Ratio est, quia si vnum perit, & alterum manet, est vnum & aliud ante operationem intellectus, ac proinde distinguuntur realiter. Antecedens patet, nam vna & eadem simplicissima entitas non habuit entitates duas, ergo non habuit vnam quæ periret, alteram quæ maneret, sic enim fuissent ibi duæ entitates saltem inadæquatæ, & non vna simplex. Confirmatur, quod perit, non est, quod manet, est, sed non potest eadem entitas esse simul & non esse realiter, cùm hoc sit omnium primum principium traditum ab Aristotele l. 4. Metap. c. 3. *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Exempla separationis non mutuæ sunt, compositum & partes, Relatio & terminus, creatura & Deus, actio vitalis & vitalis potentia, modus & res cuius est modus: in quibus licèt vnum esse possit sine altero, non tamen è contra alterum sine illo.

Ratio est, quia si vnũ perit, & alterum manet, est vnũ & alterũ. Alioqui sequeretur idem simul esse, & non esse.

VII. Quæres, vtrum omnia quæ distinguuntur realiter, saltem per diuinam potentiam separari ita possint, vt vnum maneat altero pereunte? sicut licèt visio non possit esse sine Petro, Petrus tamen sine visione potest. Affirmat Scotus in 2. dist. 1. & 3. dist. 2. q. 2. Suar. d. 7. Metap. s. 2. num. 20. licèt ipse loquatur solùm vt plurimum. Vasq. 1. par. To. 2. di. 173. cap. 3. & 4. & alij.

An omnia quæ distinguuntur realiter possint ab inuicem separari.

VIII. Existimo tamen cum Caietano 1. par. q. 28. art. 2. §. in respons. ad 2. Greg. de Valentia 1. par. d. 2. generali q. 13 punct. 1. aliqua distingui realiter quorum neutrum à se inuicem, nec per diuinam potentiam, separari potest. Exemplum sit primo in personis seu Relationibus Diuinis, quas licèt fide certum sit realiter distingui, cum tres sint, nulla tamen ratione separari possunt, tum quia entia omnino necessaria, tum quia cum Naturâ diuinâ intimè identificatæ, tum etiam quia relatiuæ inter se, & in mutuo respectu

Resp. non posse omnia separari, quæ distinguuntur realiter.

Variæ Relationes realiter distinctæ, nequeunt separari.

ctu consistentes. Secundò probatur in creatis, relationes duorum extremorum inter se vnitorum distinguuntur realiter, & tamen separari ab inuicem non possunt. Idem est de relationibus producentis & producti per emanationem, item relatio creaturæ ad Deum, sine qua entitas creaturæ esse non potest, nec illa sine entitate creaturæ. Hæc tamen exempla desumpta ex creatis aliqui probabiliter putãt solùm probare naturaliter loquendo, cum diuinitus forte separari possint. Ratio verò est non causalitas aliqua physica, sed connexio quædam quasi essentialis & intrinseca rei vnius respicientis alteram, ac proinde sine sese mutuo reperiri nunquam possunt.

Idem probant aliqui in partibus quantitatis, quæ licèt realiter distinguantur, separari tamen omnes non possunt, quia sic daretur pars quæ esset simul pars & indiuisibilis, quia non haberet partes in quas diuideretur, cum omnes à se inuicem essent separatæ. Item in punctis continui, quæ licèt omnia distinguantur realiter, separari tamen omnia non possunt, sic enim omnes partes separarentur, quod implicat, vt vidimus. IX.

Partes quantitatis realiter omnes distinguuntur, & tamen nequeunt omnes separari.

DISPVTATIO XXI.

De Distinctione Modali.

SECTIO PRIMA.

An sit minor Distinctione rei à re.

I.

Quid sit distinctio modalis.

DIstinctio modalis illa est, quæ vel inter rem & modum, vel inter duos modos intercedit. Ad cuius intelligentiam, notandum, cùm res creatæ sint imperfectæ, ac proinde vel dependẽtes, vel limitatæ, vel compositæ, aut secundùm varios status mutabiles, hæc habere per entitates aliquas debent à se distinctas, per quas in his rationibus perficiantur, vt per actionem dependent, per vnionem componuntur &c. Has entitates modos vocamus, quia ita tenuis sunt entitatis, vt & immediatè subiectis suis sint affixi, & ab ijs separari nullà potentià possint, ita vt permaneãt separati, quod tamen in accidentibus non repugnat, quantitas siquidem in Eucharistià conseruatur sine subiecto, & albedinem conseruare vel calorem potest Deus destructâ quãtitate, niue, & igne.

Quid hic intelligamus per modos.

II.

Prima sententia affirmat distinctionem modalem nõ esse propriè realẽ.

P. Suarez ergo d. 7. Metaph. sect. 1. n. 16. quem multi sequuntur ex recentioribus, existimat distinctionem inter rem & modum non esse vocandam propriè realem, sed mediam quamdam, aut modalem. Ratio illius est primò nam hic modus ex natura rei, & nemine cogitante distinguitur à re cuius est modus, nemine enim cogitante albedo non est inhærentia, nec homo sua vbicatio, sed non distinguuntur hæc vt res à re, vel realitas & entitas ab entitate, modus enim nec res nec entitas est, sic enim aliquo alio egeret quo subiecto suo affigeretur. Secundò, quia modi tam intimè vniuntur rebus quarum sunt modi, vt nullâ potentiâ separati conseruari possint, quod signum est illam coniunctionem esse quemdam modum identitatis, quò autem plus identitatis, eo minùs distinctionis.

III.

Modus & res distinguuntur ante operationem intellectus.

Dico primò: modus & res ante omnem intellectus operationem distinguuntur, & hoc sensu realiter ita omnes communiter, nec abnuit P. Suarez. Ratio est manifesta, quia ita separari possunt, vt modus pereat manente re cuius est modus, manet enim materia & anima Petri, destructà vnione.

IV.

Distinctio modi à re non est minor distinctione reali.

Dico secundò: modus verè & propriè distinguitur à re cuius est modus, ac proinde hæc distinctio non est minor reali. Ratio est, quia modus verè est ens, licèt imperfectum, nam est aliquid, cùm non sit nihil, ergo est etiam res, licèt imperfecta.

V.

Modus, licèt sit res minùs perfecta, quã subiectum, non tamen est minùs res quàm illud.

Ad cuius intelligentiam, notandum, licèt subiectum modi sit perfectius ens, vel perfectior res quã modus, non tamẽ est magis ens, vel magis res quàm ille. Sicut licèt Christus homo sit longè alijs perfectior, non tamen est magis homo, nam ipso facto quod quis essentiam habet seu conceptum hominis, est homo, essentiæ enim rerum consistunt in indiuisibili. Sic ergo licet modus sit imperfectior re cuius est modus, non tamen est minùs res, nec minùs ens quàm illa, cum non minùs sit, vel esse possit quàm res quæuis perfectissima.

Quod verò imperfectio vnius extremi distinctionem non faciat minorem, probatur, sic enim magis distinguerentur duæ substantiæ, quàm substantia & accidens, equus verbi gratia & leo, quàm equus & albedo, quod tamen per se videtur falsum. Nec obstat quod modus ordinetur ad aliud, sic enim ordinatur accidens ad substantiam, cum sit *entis ens*, & ens multis gradibus substantià imperfectius. VI.

Imperfectio vnius extremi non facit distinctionem minùs perfectam.

SECTIO II.

Distinctio modi à re est maior quàm vnius rei ab aliâ.

DIco itaque Distinctionem inter rem & modum maiorem communiter esse quàm inter duas res absolutas. Hanc conclusionem licèt à nemine affirmatam videam, existimo tamen ab eorum nullo negatum iri, qui mediam hanc distinctionem, P. Suarij non admittunt. I.

Distinctio modi à re est maior distinctione inter duas res absolutas.

Ante probationem, Notandum primò, aliud esse aliqua duo distingui, aliud separari, vel diuidi, nam res aliquæ, etiam dum non diuiduntur, nec separantur, sed perfectissimè vniuntur, adhuc sunt distinctæ, vt anima & corpus in homine. Et idem est de omnibus compositis, id enim in iis necessariò contingit, cum compositio sit distinctorum vnio. II.

Notandum secundò, ad tollendam æquiuocationem, dupliciter dici posse distinctionem maiorem vel perfectiorem, materialiter scilicet & formaliter. materialiter illa distinctio est perfectior, quæ reperitur inter duas entitates perfectiores: sic duo Angeli perfectiorem dici possunt habere distinctionem, quàm duæ formicæ, aut duo leones, quia distinctio, vt diximus, est ipsa differentia, si ergo differentia sit perfectior, distinctio est hoc sensu perfectior. Et hoc modo distinctio inter duo entia rationis non est distinctio realis, sed rationis. III.

Duobus modis distinctio dicitur maior.

Distinctio maior materialiter.

Formaliter illa distinctio est perfectior, & maior, quæ res inter se entitatiuè magis disiungit, & maiorem quasi distantiam in perfectione efficit; sic distingui aliqua dicimus numero tantùm, alia specie, alia genere: quo sensu magis distinguitur Angelus Gabriel à calore, vel albedine, quàm à Michaële, licèt Michaël res sit entitatiuè longe perfectior calore, vel albedine. Hoc ergo sensu, & formali distinctione contendimus magis distingui rem à modo, quam à re aliâ absolutâ. IV.

Distinctio formaliter maior.

Probatur ergo conclusio, illa magis distinguuntur & differunt, quæ minùs conueniunt, sed res & V.

modus

Modus minus conueniunt cũ re, quàm vna res cum alia.

modus sæpe minùs conueniunt, quàm duæ res absolutæ, res enim sæpe est substantia, modus accidens, vnde nec genere conueniunt: res est quid completum, modus semper incompletus; sic etiam per se loquendo accidens magis distinguitur à substantiâ quàm vna substantia ab aliâ. Quare omnium maxima distinctio est inter ens & non ens, à quibus non solùm abstrahi non potest ratio aliqua generica, sed nec ratio entis, sicque nec in ratione omnium communissimâ conueniunt.

VI. *Differentia rei & modi magis differunt, quam differentia duarum rerum.*

Confirmatur ex communi illo axiomate suprà relato, *per id res qualibet ab aliâ distinguitur, per quod in suo esse constituitur*, sed constituitur res quælibet per suam differentiam, ergo per eandem distinguitur, ergo cùm differentia constitutiua substantiæ, & differentiâ constitutiua modi, præsertim accidentalis, plus inter se differant quàm duæ differentiæ substantiæ, plus distinguetur substantia à suo modo accidentali, quàm ab aliâ substantiâ sibi in perfectione æquali.

VII. *Modus verè est ens, licèt ens imperfectum.*

Ad primùm argumentum pro sententiâ P. Suarij sect. præcedente, n. 2. allatũ, Respondetur constare ex dictis modum esse ens, cum verè existat, & habere entitatem licèt imperfectam, quod negare nemo potest, cum producantur de nouo modi, & destruantur manente subiecto, ergo aliquid tunc producitur & perit, ergo res, ergo ens. Nec sequitur hinc, egere modos aliquo alio quo suis subiectis affigantur, quia modus ex essentiâ suâ est intima affectio, & modificatio sui subiecti.

DISPVTATIO XXII.

De Distinctione Includentis & Inclusi, & ex natura rei.

SECTIO PRIMA.

An, & quid sit Distinctio Inadæquata, & Includentis & Inclusi.

I. *Distinctio inadæquata duobus modis contingit.*

Distinctio Inadæquata duobus potest modis contingere: primò, quando duo composita vnam habent partem vtrique communem, vt manus & pes in homine, vbi in vtroque eadem indiuisibilis est anima. Secundò, quando plura inter se realiter distincta, cum vno tamen tertio identificantur, quod solùm reperitur in sacrosancto Trinitatis mysterio, vbi tres Personæ Diuinæ inter se realiter distinctæ, cum eâdem naturâ identificantur.

II. *Distinctio includentis & inclusi, & contra.*

Distinctio Includentis & Inclusi illa est, qua totũ distinguitur ab alterâ sui parte, Petrus verbi gratia à suâ animâ, quam in se includit, & ei aliquid superaddit, nempe materiam. E contra, Distinctio partis à toto, Distinctio vocatur Inclusi ab Includente. De hac distinctione præcipuè hic nobis est sermo.

III. *Negant aliqui distinctionem includentis, & inclusi. Contrà diuersa prædicata realia conueniũt parti & toti, ergo realiter distinguuntur.*

Negant aliqui hanc distinctionem, & dicunt animam Petri solùm distingui ab eius materiâ non autem à Petro, seu toto. Sed contrà, verum est dicere, anima Petri non est Petrus, seu pars non est totum, non minùs quàm anima non est materia, hæc pars non est illa. Confirmatur, pars est quid incompletum, totum completum, pars, vt materia, vel anima rationalis creatur, totum generatur, pars manet, perit totum Petro moriente, vbi licèt maneat eius anima, non tamen manet Petrus: quæ omnia manifesta sunt signa distinctionis realis. Confirmatur secundò, eadem est essentia physica & essentia metaphysica, nec enim duplex est eiusdem rei essentia, sed vna duabus definitionibus explicata, physicâ nimirum & metaphysicâ, sed materia non est essentia metaphysica hominis, quis enim dicet materiam esse animal rationale, ergo non est homo, ergo distinguitur ab homine.

IV. *Negari nullo modo potest distinctio includentis ab incluso.*

Dico itaque hanc admittendam esse distinctionem, & vnam partem includentis distingui ab includente, ratione alterius partis quam præter hanc includit. Ita P. Suarez d. 7. Metaph. s. 1. n. 23. & tenent recentiores communiter. Sufficienter probata manet hæc conclusio argumentis in sententiæ prioris impugnatione positis. Solùm ergo restat argumento cuidam respondeamus quod facessere solet in hac materiâ negotium, quod tamen meo iudicio plus perplexi habet quam solidi.

V. *Obij. hinc sequi partem, materiã ex. gr. inadæquatè distingui à se.*

Dicet itaque aliquis hinc sequi, materiam verbi gratia, inadæquatè distingui à se, patet sequela, totum nihil aliud est quam vtraque pars cum vnione, sed distinguitur materia à toto, ergo ab vtraque parte, sed altera pars est ipsa materia, ergo materia distinguitur, inadæquatè saltem à seipsa, non enim alia materia, sed ipsa est in hoc toto. Primò, vt ostendam non tantam habere vim hoc argumentum quantam præ se fert, simili plane formâ aliud effingam: materia est causa partialis compositi, seu constituit compositum, vt omnes fatentur, sed compositum nihil aliud est quàm vtraque pars cum vnione, seu materia & forma vnitæ, ergo materia saltem inadæquatè causat & constituit seipsam: en eâdem formâ argumentum, & tamen est falsum, vt primo statim intuitu apparet. Facilè expediuerit se quis ab argumento, si cum aliquibus concesserit totum, qui non existimant inconueniens idem posse hoc modo inadæquatè distingui à seipso; qui tamen mihi videntur dum vim primi argumenti effugiunt, vrgeri secundo.

Contra: eâdem enim formâ argumentum probaret quis materiam inadæquatè causare se.

VI. *Resp. ergo nihil probare hoc argumentum, cum semper mutetur suppositio.*

Respondetur ergo secundò, non distingui vnam partem inadæquatè à se, licèt enim distinguatur à toto, id est, à materiâ, formâ, & vnione simul sumptis, malè tamen hinc arguitur distingui à se, mutatur enim suppositio, nam eo ipso quod capitur materia sigillatim, iam sumitur aliud à toto, ab illo autem alio non distinguitur materia, cum sit ipsa; totum autem non est materia, hæc enim est falsa propositio *totum est materia*, sed est materia & forma vnitæ. Quando ergo capitur materia sola, non capitur totum, nec includens, sic cum dicimus *materia vnita distinguitur à forma*, non est distinctio includentis & inclusi, quia materia non includit formam, nec è contra, sed est distinctio rei à re. Totum ergo est vtraque pars simul, & nisi sumatur hoc modo, non est totum, nec distinctio includentis & inclusi. Vnde malè arguitur, distinguitur à materiâ & formâ vnitis, ergo à materiâ sigillatim sumptâ, nam materia & forma vnitæ sunt aliud obiectum à materiâ, nempe compositum, materia autem sola, est quid incompletum, nec vllo modo à se distinguitur, sicut secundùm Aristotelem *duo non sunt bis vnum sed semel duo*, & vnum licet distinguatur à duobus, non tamen à se nec inadæquatè.

Duo non sunt bis vnum, sed semel duo.

VII. *Non rectè dicunt aliqui includens plus distingui ab incluso, quã inclusum ab includente.*

Quòd verò hic aliqui dicunt, plus includens distingui ab incluso, quàm è contra, mihi acutiùs dictum videtur, quàm veriùs: æquè enim repugnat solam materiam esse totum compositum, atque totum compositum esse solam materiam, vnde formalis distinctio erit æqualis. Dices, aliquid habet

includens

includens quod adæquatè est extra inclusum, inclusum verò nihil habet quod sit extra includens, ergo includens plus distinguitur ab eo, quàm illud ab includente. Respondetur negando consequentiam, nam perinde est quoad hoc siue mutatio aut varietas sit ex parte vnius extremi, siue alterius, æqualiter enim inter ea augetur diuersitas. Perinde ergo est siue augeatur res distincta siue terminus. Et pari ratione dicere quis posset, plus differre hominem à planta, quàm plantam ab homine, cum homo habeat in se gradum vitæ vegetatiuæ, & superaddat gradum vitæ sensitiuæ, ac rationalis: imò & Deum plus differre à creaturis, quam creaturas à Deo.

SECTIO II.

Detur ne Distinctio ex natura rei.

I. *Celeberrima in scholis opinio de distinctione ex naturâ rei.*

CElebris in scholis est opinio, mediam quandam distinctionem in rebus reperiri contendens, quæ ideo, secundùm hanc sententiam, non est distinctio rationis, quia datur in rebus ante operationem intellectus, nec tamen eam esse vult realem, sed formalem vocat, seu ex naturâ rei. Hoc modo distingui affirmat hæc opinio Attributa Diuina inter se, vt *Misericordiam à Iustitiâ*, *Relationes* ab *Essentiâ* &c. Gradus item metaphysicos in creatis, vt *animal* & *rationale*, *ens*, *substantiam*, *corpus*, *viuens*: vnitatem etiam specificam à numericâ: quam proinde sententiam discutere nonnulli solent in tractatu de vniuersalibus, vbi necessariò de eâ iterum recurret sermo.

II. *Hæc sententia communiter ascribitur Scoto, quamuis id nonnulli negent.*

Hanc sententiam tribuunt aliqui Scoto, quem tamen, quia ambiguè videtur loquutus, quidam ex sectatoribus, imò ex insectatoribus aliqui arbitrantur nihil differre à communi sententiâ: P. Suares itaque l.4. de Trinit. c. 4. n. 2. & 5. & fusè P. Hurtado d. 6 Met. s. 3. n. 26. & deinceps ab hac opinione subtilissimum Scotum vendicare conantur. Tenent tamen Scotistæ penè omnes. Anton. Andreas 7. Metaph. q. 17. Anton. Trompetta in 9. Metaph. Ioannes Baptista Molerius in tract. de vniuersalibus. Mayronis quodlib. 7. dub. 1. Philip. Faber in sua Theologia l. 1. distinct. 2. q. 7. & dist. 19. & 20. sed nullus acriùs quam P. Fonseca 5. Metaph. c. 6. q. 6. & 7. in creatis, non verò in Diuinis propter auctoritatem Concilij Rhemensis, vbi damnatus fuit Gilbertus Porretanus Pictauorum Episcopus negans has propositiones, *Deus est sapientia*, *Deus est veritas*, quas tamen, inquit, sequeretur negari posse, si Sapientia Diuina ante intellectus operationem à Deo distingueretur.

III. *Probabilius est non dari distinctionem ex naturâ rei. Probatur primò ex Aristotele.*

Conclusio: non datur huiusmodi distinctio ex naturâ rei media realem inter & rationis. Ita reliqui Theologi hodie & Philosophi propè omnes: Suarez d. illa 7. Metaph. s. 1. no. 14. Vasq. 1. p. d. 116. cap. 4. & 5. Hurt. d. 6. Metaph. s. 3. Arriaga d. 5 Log. s. 1. subs. 2. num. 6. Ouiedo contr. 4. Met p. 2. n. 11. & alij. Probatur primò ex Aristotele 4. Metaph. texto 4. & 5 vbi ait, *omne ens vel esse idem, vel diuersum* sine vllo medio, item alijs locis vt 6. Metaph. ait, omne ens vel esse reale, vel rationis, cuius quasi rationem reddere videtur 4. Metap. circa initium, dum ait; *omne ens vel est in se, & sic est reale, vel est in apprehensione, & sic est rationis*, ergo etiam omnis distinctio, secundum Aristotelem, est vel realis, vel rationis, patet consequentia, omnis distinctio vel est in se, & sic est realis, sicut ens, vel est ex apprehensione, & sic est rationis, sicut etiam ens, ergo nullum datur medium in distinctione, sicut nec in ente, quæ est fundamentalis ratio huius sententiæ: quam proinde vlterius explico &c.

IV. *Secundò hæc distinctio est ante operationem intellectus, ergo est realis.*

Secundò probo conclusionem: hæc distinctio est distinctio vnius ab alio ante omnem operationem intellectus, ergo est distinctio realis, hæc enim est definitio distinctionis realis: cum ergo hæc distinctio actu à parte rei existat ante omnem operationem intellectus, erit realis, sicut enim ens est illud quod independenter ab actu intellectus existit à parte rei, ita & distinctio realis erit illa quæ existit à parte rei independenter ab operatione intellectus: quando enim dicere volumus aliquid non esse, dicimus à parte rei non dari.

V. *Siclusio omni actu intellectus vna entitas non est alia, ergo distinguuntur realiter.*

Dices, hæc esse vnum realiter, animal, verbi gratia, & rationale, sed distingui ex naturâ rei. Contrà, hi sunt termini implicatorij, distingui enim ex naturâ rei est distingui secundùm naturas & existentias rerum, ergo si distinguantur ante operationem intellectus ex naturâ rei, distinguuntur realiter, ergo non possunt esse vnum realiter, verè enim ante operationem intellectus vna entitas non est alia, ergo ante operationem intellectus distinguitur ab aliâ, ergo realiter, nam non sunt idem realiter cùm vna non sit alia, hæc enim negatio, vt suprà dixi, esto in eâ non consistat formalis distinctio, est tamen signum infallibile non esse aliqua identificata realiter, ergo signum est ea distingui. Confirmatur, distinctio necessariò est inter duo, nihil enim distinguitur à seipso, ergo si est distinctio ante operationem intellectus, sunt duo ante operationem intellectus, ergo distincta ante operationem intellectus, ergo realiter.

VI. *Dices: hæc distinctio tantùm est inter formalitates.*

Dices secundò, licèt hæc distinctio sit ante operationem intellectus, non tamen esse realem, quia non est inter res, sed formas seu formalitates, & sic aptè vocatur distinctio formalis. Contrà, hæ formæ vel aliquid sunt vel nihil, vt suprà argumentabamur de modis, si nihil, nihil ad præsens institutum; si aliquid, ergo res, ergo entia, & ante operationem intellectus, ergo duæ res ante operationem intellectus, ergo realiter distinctæ ergo non formalitates tantùm, sed realitates, nec medius vllus modus medius huius distinctionis, inter distinctionem realem potest & rationis assignari, cum non sit medium inter existere ante operationem intellectus, & ante eam non existere cum sint contradictoria.

Contrà: hæ formalitates distinguuntur ante operationem intellectus, ergo sunt realitates.

VII. *Sequitur Iustitiam in Deo habere negationem Deitatis.*

Tertiò Probatur Conclusio; si ante operationem intellectus, Iustitia Dei distinguatur ex naturâ rei à Deo, ergo habet in se negationem Deitatis, ergo non est Deus, ergo creatura, cùm non sit medium; vel enim est maior Deo, vel minor: quòd sit maior, dici nequit, *Deus enim est quo maius aut melius cogitari nihil potest*; nec æqualis, ergo minor, ergo etiam ex hoc capite creatura. Confirmatur primò, si Sapientia Dei ante vllam operationem intellectus distinguentis non est Deus, ergo pari modo Deus non est Sapientia, quæ est propositio Gilberti damnata in Concilio Rhemensi.

VIII. *Ex distinctione ex naturâ rei sequi videtur realis compositio in Deo.*

Confirmatur secundò, sequitur ex hac opinione manifesta compositio realis in Deo. Patet sequela, hæc attributa, Iustitia, Misericordia, Intellectus, Voluntas distinguuntur à parte rei ante operationem intellectus, & nec sunt idem inter se nec cum essentiâ Diuinâ ergo realiter distinguuntur, ergo realiter componunt, cùm enim compositio sit distinctorum vnio, eo modo quo est distinctio, est compositio, vbi ergo distinctio realis, compositio realis, ergo Deus iustus, vel Deus bonus est compositum reale, sicut homo iustus vel bonus, & sola differentia est, quod ibi sit Iustitia & Bonitas increata, hic creata. Quòd si quis tandem ideo hæc omnia res esse negauerit, quia existere non possunt separata, nihil effecerit, sic enim nec tres Personæ Diuinæ existere possunt separatæ, nec creatura separari potest

ita

ita à Deo, vt non destruatur si illi non coëxistat, & alia huiusmodi, quæ supra attulimus in signis distinctionis realis. Nec Gilbertus Porretanus dicebat posse Attributa Diuina à Deo existere separata, & tamen damnatus fuit à Concilio.

IX. *Argumenta pro distinctione ex natura rei soluuntur disp. 28. sect. 2. & 3.* Argumenta pro hac opinione in duplici sunt differentiâ: aliqua enim procedunt de distinctione graduum metaphysicorum, quæ tractatu de vniuersalibus proponemus, cum illic proprius sit quæstionem hanc discutiendi locus. Alia conficiuntur in Attributis Diuinis, quæ Theologica cum sint, Theologis relinquam: per distinctionem tamen virtualem facilè commodè possunt, hæc enim distinctio in Diuinis ob eminentiam essentiæ & perfectionum Diuinarum ita efficax est, vt fundare possit prædicata quasi contradictoria, vt *Relatio Filiationis producitur, Essentia non producitur*, & alia huiusmodi. Sed hoc peculiare est Deo, & mysterium Trinitatis fundat & Incarnationis: quare de hac opinione in præsenti sit satis, plura de ea dicemus infra Disput. 28.

DISPVTATIO XXIII.

De Distinctione rationis

SECTIO PRIMA.

Variæ Distinctiones rationis.

I. *Duo entia rationis distinguuntur realiter.* Non est hic sermo de illâ distinctione rationis quæ propterea talis dicitur quod versetur inter extrema quæ sunt entia rationis, hæc enim licèt per denominationem sumptam ab extremis vocetur distinctio rationis, re tamen verâ est realis, quippe quæ detur ante operationem intellectus fingentem, vel facientem nouam distinctioné: si enim loqui de illa distinctione vellemus vt denominationem accipit ab extremis, tot distinctionum quot rerum haberemus diuersa genera: sic enim *Distinctiones denominatiuæ.* distinctio inter duas res spirituales, esset spiritualis, inter corporeas corporea, inter negationes negatiua, & infinita huiusmodi. De hac ergo distinctione rationis non procedit præsens quæstio, cum realia distingui etiam per rationem possint.

II. *Sermo hic est de distinctione, de qua ratiocinans, quæ fit ab intellectu.* De illâ ergo distinctione hic disputatur, quæ cùm in rebus ante rationem, vel intellectus operationem non sit, per ipsam fit, & propterea dicitur rationis: ratio enim non semper fingit quoad esse ea quæ distinguit, sed quæ re idem sunt, concipit inadæquatè, & vt distincta, sicque sola distinctio, non esse rei prouenit ab intellectu, vt cum in homine, verbi gratia, distinguit animal à rationali, supponit hominem, nō fingit, quem tamen in partes illas metaphysicas distinguit. Prouenit porrò hæc distinctio ab intelle*Prouenit hoc distinctio ab intellectu, vel ob imperfectionē intellectus, vel perfectionem.*ctu vel ob eius imperfectionem, qui limitatæ virtutis cùm sit, rationes omnes & formalitates in re aliquâ clausas, vt Attributa omnia in Deo, simul repræsentare non potest, sicque inadæquatis ea conceptibus sigillatim repræsentat; vel prouenit ab intellectu ob eiusdem perfectionem, qui si licet non materiali modo in obiectum suum ferrur, vt potentiæ sensitiuæ, sed spirituali magis & subtili ratione, sicque illud in se vnum, diuidere intentionaliter, & in formalitates varias partiri potest.

III. *Distinctio rationis diuiditur in Fundamentalem, & Formalem.* Primò ergo, distinctio rationis diuiditur in *Fundamentalem*, & *Formalem*. *Fundamentalis* distinctio, quæ & virtualis dicitur, nihil est aliud quam entitas rei apta distingui, eiusmodi nimirum quæ plures in se perfectiones vnitas & identificatas continet. Res enim quò perfectior, eò per se loquendo plures perfectiones in se habet, vnde ratio entis omnium est imperfectissima, & ob suam imperfectionem in duas diuidi formalitates non potest, vt potest ratio substantiæ, vel viuentis; species verò infima in plurimas distingui potest, cum rationes omnes superiores in se veluti in nodum quendam collectas contineat.

IV. Hæc ergo eminentia & fœcunditas obiecti, quod perfectiones in rebus aliis dispersas, in se realiter vnitas & identificatas habet, præbet intellectui fundamentum, vt in eâdem re plures perfectiones distinguat formaliter, quæ tamen realiter identificantur. Propriè tamen loquendo, hæc fundamentalis distinctio, distinctio rationis non est, sed solùm distinctionis fundamentum, cùm à parte rei detur ante omnem operationem intellectus seu rationis, & propterea dicitur virtualis distinctio rationis, non formalis ita loquitur P. Suarez l. 4. de Trinit. c. 4. Fonseca 5. Metap. c. 6. q. 6. & auctores communiter. Aliis verò nominibus vocatur *potentialis distinctio*, *aptitudinalis*, & *inchoata*. Formalis autem distinctio rationis est distinctio actu ab intellectu seu ratione facta & exercita. *Distinctio Fundamentalis nō est propriè distinctio, sed fundamentum.* *Formalis distinctio rationis.*

V. *Distinctio Rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ.* Secunda distinctionis rationis Diuisio est in *distinctionem rationis ratiocinantis*, & *rationis ratiocinatæ*. Distinctio rationis ratiocinantis est cum intellectus absque vllo fundamento in re, diuersos de eodem format conceptus, vel diuersis illud nominibus synonimis appellat, vt cum rem eandem *vestem* appellamus & *vestimentum*, *gladium* & *ensem*, ita vt tota distinctionis ratio in intellectum refundatur. Hæc distinctio potiùs se tenet ex parte modi concipiendi, quàm obiecti cogniti, cùm communiter nulla apprehendatur diuersitas ex parte rei repræsentatæ, sed ideò vtrobique totum concipitur, vt cum dico, *Petrus est Petrus*, vbi ipsum eundem Petrum nunc vt subiectum concipio, nunc vt prædicatum.

VI. *Distinctio rationis ratiocinantis non est in mente, sed in solâ voce.* Existimo ergo cum P. Vasq. 1. p. Tu. 1. d. 17. nu. 8. & d. 129. nu. 16. & 17. & P. Hurt. d. 6. Metaph. l. 5. §. 76. distinctionem hanc non esse in mente, sed in solâ voce reperiri, conceptus enim sunt synonimi, & solùm vocatur distinctio quia quis dicendo *ego sum Petrus*, vel, *Petrus est Petrus*, ita secum vel cum alio se gerit, ac si ipse à se, vel Petrus à Petro esset alius, cùm tamen in mente alius non sit, sed idem vtrobique ex parte rei concipiatur. Nec est subiectum vel prædicatum propriè loquendo, sed solùm voce tenus, ad hoc enim requiritur habitudo aliqua ex parte rei conceptæ, cùm subiectum sit quasi materia, vt docent Dialectici, indifferens ex se & indeterminatū, quodque determinatur per prædicatum tanquam per formam habentem aliquam ad hoc habitudinē. Hic verò nulla concipitur habitudo, nec idem eodem modo conceptum potest esse forma, vel quasi forma respectu subiecti, cum æquè determinatum sit subiectum ac prædicatum, & è cōtra, quod enim posteriori loco ponatur, nihil facit, prædicatū enim non ideo est prædicatum quia ponitur vltimo loco, sed quia habet ex parte obiecti aliquam ad hoc habitudinem; sic in hac propositione, *est album paries*, album est prædicatum & paries subiectum, quantumcunque situ & collocatione inuertatur ordo: vt dixi in Introductione, d. 1. s. 1. n. 1.

VII. *Alius modus explicandi distinctionem rationis ratiocinantis.* Alij hoc modo, & bene, explicant distinctionem *rationis ratiocinantis*, tunc enim dicunt eam contingere

gere cum eadem omnino res ex parte obiecti duabus cognitionibus sese inuicem clarioribus explicatur, vt cum duo, quorum alter acutiorem habet intellectum altero, eandem rem eodem modo concipiunt.

VIII. *Quid sit distinctio Rationis ratiocinata.*

Distinctio *rationis ratiocinatæ* est illa, quæ fit ab intellectu cum fundamento in re, in qua ex parte obiecti diuersitas aliqua affertur, vt cum hominem per conceptus inadæquatos repræsentamus, quorum nullo exhauritur tota quidditas & ratio eius obiectiua, vt cum vno conceptu repræsentamus rationem animalis, alio rationem rationalis, vbi facilè apparet maior diuersitas ex parte obiecti, quàm cum prædicatur idem formaliter de eodem, vt dum quis dicit, *homo est homo, Petrus est Petrus* &c. & de hac distinctione, tota reliqua procedet Disputatio.

SECTIO II.

Quotuplex sit distinctio rationis ratiocinatæ.

I. *Quatuor species distinctionis rationis ratiocinatæ. Prima inter duos conceptus obiectiuos.*

IN quatuor plerumque species diuiditur hæc distinctio. Prima est & præcipua quæ inter duos reperitur conceptus obiectiuos, seu perfectiones sese non includentes, vt *animal* & *rationale* quæ est maxima distinctio, respondetque distinctioni reali rei à re. Quapropter sicut ex partibus realiter & physicè distinctis fit compositio realis & physica, ita ex conceptibus istis obiectiuis per rationem distinctis fit compositio propriè metaphysica. Hæc inter genus reperitur & differentiam, & vocari absolutè solet distinctio formalis & essentialis, quia tam genus quàm differentia habet suam essentiam sibi peculiarem, & non se inuicem, nec inadæquatè includentem.

II. *Secunda, quado datur abstractio non mutua.*

Secunda minor priori, est inter duas rationes formales, quarum licèt vna includatur in alterâ, non tamen è contra: sic ratio entis includitur in substantiâ quæ est formaliter ens per se, non tamen è contra substantia in conceptu entis. Hæc distinctio vocari solet *abstractio non mutua*, respondetque distinctioni reali includentis & inclusi.

III. *Tertia penes explicitum & implicitum.*

Tertia quæ dicitur penes explicitum & implicitum, sicut & sequens, est inter rationes quasdam quæ se mutuò formaliter includunt, vt secundùm probabilem sententiam contingit in Attributis Diuinis inter se, & cum essentiâ; vnde cùm concipimus Voluntatem Diuinam, & de eâ formamus conceptum inadæquatum, concipimus implicitè Essentiam, vel intellectum licèt de iis non cogitemus explicitè, id est, cogitatione nostrâ formaliter non explicemus sub ratione Essentiæ, & Intellectus. Sic licèt homo formaliter in se includat ens, non tamen quoties concipit quis hominem, concipit explicitè, id est, concepto suo explicat formaliter ens, sed solùm implicitè. Vnde licèt vocetur communiter hæc distinctio rationis ratiocinatæ, à nonnullis tamen, & fortè melius, vocatur penes explicitum & implicitum.

IV. *Quarta species distinctionis rationis ratiocinata est inter definitionem & definitum.*

Quarta demum & vltima distinctio est inter definitionem & definitum, vt cum dico, *homo est animal rationale*. Hæc autem distinctio aliquo modo spectat ad distinctionem rationis ratiocinatæ, quia aliqua varietas importatur etiam ex parte obiecti, saltem quoad modum concipiendi, cùm in definito partes non importentur vt partes formaliter, sed solum implicitè, in definitione verò explicitè cogitantur vt partes. Alij tamen dicunt hanc distinctionem vix vocari posse rationis ratiocinatæ, cùm in definitione non considerentur partes præcisè, sed vt vnitæ, partes autem vnitæ formaliter sunt totum vt totum formaliter. Vnde qui concipit definitionem obiectiuam formaliter, concipit definitum formaliter, ac proinde vix vlla hîc intercedit distinctio. Quod mihi videtur non improbabile.

V. *Duæ postrema sunt valde imperfecta distinctiones.*

Hæ tamen vltimæ distinctiones sunt valde imperfectæ, ac proinde dicunt Doctores communiter, inter conceptus in his tribus vltimis distinctionibus expressos non reperiri compositionem metaphysicam.

DISPVTATIO XXIV.

Dentur nécne Præcisiones Obiectiuæ.

NVlla celebrior hodie, quàm de Præcisionibus, in scholis quæstio; nulla, maiore vel argumentorum, vel animorum contentione disputata, quasi vt ille olim *nodus*, Phrygiæ, ita hic Philosophiæ fatum foret. Acris igitur instituitur disceptatio, strenuè inter se concertantibus vtriusque partis auctoribus, summâque vi ac conatu, & suæ stabilire fundamenta sententiæ, & alterius conuellere contendentibus. Quam nos partem secuturi simus, huius decursu disputationis constabit.

SECTIO PRIMA.

Status quæstionis proponitur, & Auctorum sententiæ referuntur.

I. *Status quæstionis.*

ANimal & rationale in homine inter se à parte rei identificari certum est, & non duo realiter, sed vnum esse. Quod & de aliis etiam prædicatis Metaphysicis, *Ente viuente*, *substantiâ*, *corpore*, *viuente*, & cæteris, non minùs firmiter est statuendum. Quæstio ergo præsens est, quo pacto, cùm re sint idē, ratione distinguantur. Hic præsentis disputationis scopus.

II. *Quidā recentes distinctionem inter Animal & Rationale admittunt, re ipsâ negant.*

Nonnulli ita hac in re philosophantur, vt, quicquid verbis asserant, omnem tamen hæc inter prædicata distinctionem tollant: talem nimirum excogitarunt dicendi modum, qui licèt voce præ se distinctionem ferat, re tamen verâ nihil minùs quàm distinctio est. Asserunt ergo hi auctores, dum *animal* quis cogitat, non solùm sentiendi principium menti illius obiici, sed totum hominem, animal nimirum simul & rationale in ordine ad sensationes conceptum. Dum etiam *rationale* mente concipit, totus, inquiunt, idem homo menti obuersatur, in ordine ad rationis operationes expressus. Idem ergo, secundum hunc philosophandi modum, vtrobique menti obiicitur, & tota diuersitas ex parte conceptuum reperitur, seu in distinctionibus, vt aiunt, formalibus.

III. *Hanc Nominalium sententiam luci restituerūt quidam recentiores.*

Hæc sententia Nominalibus passim tribuitur: quā à scholis propè iam relegatam, & obliuione sepultam luci denuò restituerunt docti quidam recentiores, & ita eam suâ illustrarunt industriâ, vt cultiorem longè reddiderint quàm cùm olim à Nominalium incude recens prodierat. Hæc sententia, vt dixi, tribuitur Nominalibus, Okamo, Gabrieli, Gregorio, & reliquis illius classis hominibus, præter quos

ex antiquis non facile quenquam inueneris, qui huius sententiæ patronus iure censeri possit, imò ex scholis planè videtur fuisse exterminata. Vnde P. Arriaga, qui tamen acriter hanc sententiam propugnat d.5. Log. s.2. nu.24. candidè fatetor eam paucos abhinc annis fuisse omni patrono destitutam. Ex recentioribus eam tenet P. Hurt. d.6. Metaph. s.4. P. Valen. l.1. de Trinit. c.3. P. Zuniga d.2. de Trinit. d.4. nu.2. P. Herice tra.2. d.2. num.5. P. Arriaga citatus, P. Ouiedo Cont.4 Met. p.8. quos alij sequuntur.

Nominalium sententia paucis ante annis caruit patrono.

IV. *Secunda sententia ait Animal & Rationale diuidi in duos conceptus obiectiuos.*

Secunda sententia affirmat cùm *animal* quis, vel *rationale* considerat, non totum hominem menti obijci, sed entitatem à parte rei simplicem in duos conceptus obiectiuos inadæquatos intentionaliter diuidi, ita vt dum *animal* cogitat, solum principium sentiendi illius menti obuersetur, dum *rationale*, solum principium ratiocinandi, sicque in distinctione rationis non solùm duos dari conceptus, qui rem eandem in ordine ad diuersas operationes & connotata exprimant (quamuis id fortè subinde fieri posse non neget) sed vlteriùs ait, intellectum duas perfectiones realiter identificatas partiri intentionaliter, repræsentando scilicet vnam alterâ per illum actum omnino non repræsentatâ, & hanc veram & genuinam vocat distinctionem rationis ratiocinatæ. In hoc ergo à priori sententia dissentit, quòd illa distinctionem rationis in eo sitam esse dicat, quòd res eadem per diuersos actus intellectus in ordine ad diuersas operationes, seu connotata repræsentetur, nullâ omnino apparente diuersitate in obiecto: hæc verò ita obiectum per duos aut plures actus inadæquatos repræsentari posse affirmat, vt in tot conceptus obiectiuos intentionaliter diuidatur, quot conceptibus diuersis formalibus exprimitur.

In quo hæc sententia differat à præcedente.

V. *Hæc est sententia sancti Thomæ, eiusque scholæ.*

Hæc est clarissima sententia Sancti Thomæ, de cuius mente plura postea sect.3. & 5. quem Thomistæ sequuntur omnes, Caietanus, Heruæus, Capreolus, Soncinas Soto apud Suarium d.6. Metaph. s.9. num. 9. eandem tenet idem Suarez tum ibi, tum alibi, idque tam clarè, vt mirum sit in mentem aduersarijs venire potuisse, vt eum in suam sententiam pertraherent. præsertim, cùm vt ipse fatetur P. Hurtado d.6. Met. s.4. subiect. num.93. P. Suarez Nominalium hac in re sententiam impugnet: quod verò addit ibidem Hurtado, eum hoc solùm vocetenus facere, re tamen ipsa eam sequi, quis non videt quàm parum sit verosimile? cur enim eam impugnaret si illius doctrinam probaret. Multo verò magis mirum est, quòd Patrem etiam Vasquez velit Nominalium sententiam amplecti, quem tamen ibidem asserit acerbè eam mordere: certè suas opiniones nec mordere homines, nec impugnare solent. Pari quis iure ipsum Patrem Hurtado pro sententiâ præcisiones obiectiuas astruente citauerit: quamuis enim acerrimè eam impugnet, in promptu responsio est, id solùm voce tenus præstat: re ipsa sincerus Præcisionum amicus est, quicquid præ se verbis ferat.

Malè citantur Suarez & Vasquez pro sententiâ Nominalium.

P. Hurtado solùm voce tenus præcisiones impugnat.

VI. *P. Suarez Nominal. sententiam, non laudat, sed ad summum veniâ dignam iudicat.*

Quod verò Pater Suarez ab Hurtado num. illo 93. citatus Nominales excuset, non arguit ipsum illorum sententiam amplecti, nec eam laude, sed ad summũ veniâ dignam iudicare. Tandem dum eam ad communem, hoc est S. Thomæ, & illius sequacium, opinionem reducit, non ipse ad Nominalium sententiam accedit, sed eos perducit ad suam. Tenet ergo hanc sententiam Suarez citatus, Molina quæst.28. disp.3. Vasquez 1.p. d.117. cap.1. vbi Nominalium sententiam ex proposito impugnat, & d.158. cap.2. P. Granado 1.p. q.3. d.6. Albertin. in prædic. Relat. d. vn. q.6. nu.36. Tannerus 1.p. d.2. quæst.2. d.4. & alij passim, licèt ex his nonnulli solùm loquantur de perfectionibus diuinis.

VII. Ego (vt, quid hâc in re sentiam, declarem) licèt priorem sententiam ob inuentorum, vel restitutorum potius auctoritatem probabilem esse non diffitear, secundam tamen & subtiliorem iudico, & ob auctoritatis & rationum momenta longè probabiliorem, quodque caput est, ad grauissimas, quæ passim tùm in Philosophiâ, tùm Theologiâ occurrunt, difficultates enodandas accommodatissimam. Quod vel ex eo constat, aduersarij siquidem ipsi, quamuis acerrimè in eam hîc inuehantur, sine eius tamen adminiculo nihil explicare clarè possunt, vnde nihil apud ipsos frequentius quàm ad diuersas in obiecto formalitates recurrere, vt passim in P. Hurtado, P. Arriaga & aliis quiuis animaduertet.

Iudicium meum de vtraque sententia circa præcisiones.

VIII. *Actus negans præcisiones est actus omnia confundens.*

Hoc ergo nomine præferenda est hæc sententia, quòd summam lucem ac claritatem rebus afferat, cùm tamen contraria, vel ipsis aduersariis fatentibus, omnia confundat, actum enim quo genus, quo speciem, quo gradus omnes Metaphysicos ipsi conficiunt, actum vocant confusum, & actum omnia confundentem. Actu ergo quo dicunt *Animal*, omnia animalia, quo *Homo*, homines omnes, & se inter reliquos confundunt. At verò sententia astruens Præcisiones Obiectiuas, clarè, distinctè, dilucidè procedit, res per sua prædicata, gradus, formalitates euoluit, perfectiones omnes suis quamque coloribus adumbrat. Nec confusionem, vt altera; sed claritatem rebus, scientiis perspicuitatem affert.

Actus tenens præcisiones omnia distinguit, & rebus lucem affert.

IX. *Opinio astruens præcisiones, semper in scholis viguit.*

At licèt ista in hac sententiâ deessent, ob antiquitatem certè & canos mihi videretur præferenda, præsertim cùm per tot annorum seriem primum illum suum vigorem, ac vires ad hæc vsque tempora integras retinuerit, vbi altera, licèt fuerit ætate pene par, in ipsa prope iuuentute defecerit, & per multos iam annos velut extincta iacuerit: quod verò postliminio reuixerit, suis debet Æsculapius. Sed ad rem ipsam accedamus.

SECTIO II.

Præfertur, & probatur sententia statuens Præcisiones Obiectiuas, & contraria impugnatur.

I. *Dantur in creatis Præcisiones obiectiuæ.*

CONclusio: *Dantur Præcisiones obiectiuæ*, id est, dantur actus intellectus, seu conceptus in repræsentando inadæquati, ita obiectum realiter indiuisum seu identificatum partientes in plura prædicata se mutuo non includentia, vt vnum ex parte obiecti prædicatum repræsentent, alio per actum illum omnino non repræsentato: ita scilicet vt animal ex parte obiecti cognoscatur, non cognito rationali, natura sine differentiis indiuiduantibus, & sic de cæteris. Ita auctores secundæ sententiæ.

II. *Probantur præcisiones obiectiuæ ex Aristotele.*

Probatur primò, ex Aristotele 3. Metaph. t. 10. & alibi passim dicente differentias esse extra conceptum generis, & econtra. & in hoc Aristoteles compositionem statuit Metaphysicam, ex diuersis partibus ratione distinctis compactam, sicut compositio Physica ex partibus coalescit realiter ac Physicè distinctis, ergo secundùm Aristotelem inter *animal & rationale* ex parte obiecti datur aliqua distinctio, compositio enim est distinctorum vnio, vnde eo modo quo est compositio, esse debet inter extrema illa quæ componuntur distinctio.

III. *Compositio Metaphysica constare nequit ex conceptibus formalibus.*

Dices, compositionem illam de actibus intellectus genus & differentiam repræsentantibus intelligi, seu de genere & differentiâ formalibus. Contrà primò, docet Aristoteles hominem ex partibus Metaphysicis, genere scilicet & differentiâ componi, ergo aliud sunt quàm actus intellectus, ex his enim nemo, opinor, dicet hominem componi. Contrà secundò, sic

enim

enim hæc propositio, *homo est animal rationale* esset falsa, cum vnus actus non sit alius. Contrà tertiò, qui genus definiunt dicunt esse *id quod prædicatur de pluribus differentibus specie*, quod manifestum est de prædicato Metaphysico obiectiuo intelligi debere.

IV. Dices secundò, hominem vt relatum ad operationes sentiendi componere secum vt refertur ad operationes rationis. Contrà primò, docet Aristoteles genus esse tantùm partem hominis, & idem est de differentiâ, ergo genus non est totus homo. Contrà secundò, relatio enim illa non sufficit ad compositionem Metaphysicam, sic enim homo dormiens componere cum seipso posset vigilante. Contrà tertiò, operationes non ingrediuntur vel genus vel differentiam hominis, sic enim distinguerentur realiter, si autem sermo sit de solo recto, nulla erit secundùm hanc responsionem inter genus & differentiam discrepantia.

Homo vt relatus ad operationes sentiendi non potest componere secum vt refertur ad operationes intellectuales.

V. Secundò probatur ex eodem Aristotele, is enim sententiam Platonis impugnans de naturis separatis, quas Plato collocabat extra singularia, hoc nomine illam reiicit, quod à parte rei id statuat, quod nisi per intellectum fieri nequit: dicit ergo Aristoteles, id per intellectum fieri intentionaliter quod Plato posuit à parte rei, sed Plato, vt ait Aristoteles, naturas specificas separatas posuit à differentiis indiuidualibus, ergo.

Efficaciùs adhuc ex Aristotele probantur præsiones obiectiuæ.

VI. Tertiò argumentor ratione: datur actus qui cognoscat animal, non cognoscat rationale, ergo per hunc actum aliqua ex parte obiecti inter animal & rationale fit distinctio. Ante probationem antecedentis notandum, omnem nostram cognitionem abstractiuam hîc esse & imperfectam, sicut enim Diuina cognoscimus per speculum in ænigmate, ita quicquid cognoscimus in naturalibus, sensuum ministerio cognoscimus, sicque spiritualia per corporea, substantiam per accidentia, nec aliter discernimus. Vnde nullius rei pro hoc statu notitiam comparamus nisi per sensus, quoduis ergo obiectum in tantum solum cognoscimus, in quantum per externa nobis signa innotescit.

Ratione etiam ipsa dari præcisiones obiectiuas.

VII. Nunc ergo probo antecedens, dum video hominem à longè, nulla video indicia principij ratiocinandi, ergo per notitiam hinc habitam non possum cognoscere rationale, sed solùm animal, seu principium sentiendi. Antecedens probatur, solas video operationes sensitiuas, vt suppono, sed hæ solam producunt speciem principij sentiendi, non ratiocinandi, vnde perinde quoad hunc actum est, ac si principium ratiocinandi ibi non esset, sed id quod illic mouetur esset equus, vel leo, ergo per hunc actum possum solùm cognoscere animal seu principium sentiendi, non rationale, ergo per hunc actum ea inter se distinguo.

Dū hominem video à longè nulla habeo indicia principij ratiocinandi.

VIII. Mirum est in quot se partes versent aduersarij; vt huius argumenti vim declinent. Dicunt aliqui cùm principium ratiocinandi sit illic identificatum cum principio sentiendi, cognoscendo explicitè & clarè principium sentiendi, cognosco implicitè & obscurè principium ratiocinandi. Contrà primò cognoscere idem clarè & explicitè, & non cognoscere illud clarè & explicitè non minùs sunt contradictoria, quàm cognoscere & non cognoscere, ergo cùm animal & rationale identificentur, æquè poterit cognito animali non omnino cognoscere rationale, ac cognito explicitè animali, non cognoscere explicitè rationale.

Tam sunt contradictoria cognoscere idem clarè & nō clarè, ac cognoscere & non cognoscere.

IX. Contrà secundò, nullum in hoc casu habet intellectus indicium rationalis, cum nullas videat operationes ratiocinandi, vnde si obiectum illud esset solum animal, eodem modo afficeretur intellectus, ergo nullas habet species rationalis, ergo solum cognoscere in hoc casu potest principium sentiendi, & sic præscindere, vel neutrum principium cognoscere. Sicut oculo corporeo nihil in re vllâ spirituale videmus, licèt enim ibi sit ratio entis, & aliæ communes cum rationibus, seu prædicatis aliarum rerum, tamen quia vnum illic videre prædicatum oculo corporeo non possumus, nullum possumus. Idem est in gratiæ, & rerum supernaturalium cognitione respectu virium naturalium intellectus Angelici. Sic qui vires solùm habet vt quatuor, & pondus aliquod leuandum sit vt sex, si duos illos gradus separare à reliquis non possit, cùm totum pondus leuare nequeat, nihil illius leuabit. Sic ergo in præsenti, si intellectus in nostro casu separare intentionaliter nequeat principium sentiendi à principio ratiocinandi, nihil cognoscet, cùm vires sufficientes intellectuales, comprincipium scilicet ex parte obiecti sufficiens ad rationale cognoscendum non habeat, nempe species, cùm eæ quas habet, ad solum cognoscendum animal conducant, vtpote à solis operationibus sentiendi abstractæ.

Nullū hic habet vestigium principij ratiocinandi, ergo neque illud cognoscere.

X. Dicunt alij secundò, non ex eo deduci animal distingui à rationali, quòd discernere nequeat intellectus sentiendi principium hîc esse principium ratiocinandi, sic enim rusticus nouit aliquem esse hominem, quem tamen non nouit esse animal rationale, & tamen etiam iuxta nos homo ab animali rationali non distinguitur. Ad exemplum illud distinguo, antecedens, non nouit rusticus illum esse animal rationale quoad rem conceptam, nego antecedens; quoad vocem, id est, nescit quid animal rationale significet, concedo. si enim quis à rustico petat possitne homo sentire & intelligere respondebit posse, & quo gradu nouit esse hominem, nouit posse sentire & intelligere. Quod si hæc nesciat, non nouit esse animal rationale, sed nec nouit esse hominem, nisi vocetenus, & secundùm figuram, seu signa quædam externa, quo etiam modo lupus & canis norunt hominem, dum ille eo conspecto fugit, hic ad herum accedit. Aliæ huic argumento sunt respondendi viæ, sed quia minùs quàm duæ iam propositæ satisfaciunt, eas prætermitto.

Rusticus, qui nouit aliquē esse hominem, nouit eum esse animal rationale quoad rem, licèt non quoad vocem.

XI. Quartò probatur Conclusio: in hoc actu *homo vt animal est principium sentiendi*, inquiro quis huius propositionis sit sensus? Dices sensum esse hominem vt comparatum ad operationes sensitiuas esse animal. Contrà primò, comparatio illa est actus intellectus, actus autem propositionem illam formans non reflectit supra se. Contrà secundò, in aliis omnibus propositionibus reduplicatiuis, vt cum dico, *paries vt albus disgregat visum, sol vt lucidus fugat tenebras*, actus non reflectunt supra se, nec se reduplicant, sed aliquid intrinsecum obiecto: omnino ergo gratis diceretur actum hîc reduplicare se. Contrà tertiò & præcipuè, in illâ propositione reduplicatur sola virtus sentiendi, sed actus intellectus nullo modo est principium, seu virtus sentiendi, ergo.

Hic actus, Homo, vt animal, est principium sentiendi, *probat apertè præcisiones obiectiuas.*

XII. Quintò probatur Conclusio: Quando quis dicit *ignis est productiuus caloris*, cognoscit solum ordinem quem dicit ignis ad productionem caloris, non ordinem quem dicit ad productionem lucis, vel ignis, ergo præscindit. Dices cognoscit, sed non exprimit. Contrà, exprimit ordinem quem dicit ignis ad productionem caloris, ergo si sit idem ordo etiam ad lucem, & ignem, eundem ordinem exprimit & non exprimit, sed hæc æquè sunt contradictoria ac cognoscere & non cognoscere, ergo.

Hic actus, Ignis est productiuus caloris, *præscindit obiectiuè.*

XIII. Confirmatur, quando vno actu cognosco ignem & calorem, & deinde alio actu cognosco ignem vt productiuum caloris, nouum prædicatum in igne cognosco, quod antea non cognoscebam. Quod si

Aliud est cognoscere ignem & calorem, aliud cognoscere ignem vt productiuum caloris.

dicat quid fuisse cognitum prædicatum hoc, sed obscurè. Contrà, ignis vt ignis cognoscebatur antea clarè, ergo cum hoc prædicatum sit idem cum igne idem cognoscebatur clarè, & non cognoscebatur clarè, certum enim est hoc prædicatum non fuisse per priorem actum cognitum clarè, potest enim quis clarè nosse ignem quoad substantiam, & tamen dubitare an sit productiuus caloris, maximè ad extra, multi enim hoc negant.

XIV.
Ex contrariâ sententiâ sequitur vel nullam esse distinctionē, vel esse realem.

Sextò & præcipuè probatur, nam omnis distinctio secundùm aduersarios consistit in actibus, ergo cum actus repræsentans animal realiter distinguatur ab actu repræsentante rationale, distinctio vel nulla est vel realis, complexum siquidem ex toto homine & actu eum comparante ad operationes sensitiuas distinguitur realiter à complexo ex toto eodem homine & alio actu eum comparante in ordine ad operationes intellectuales. Homo autem idem semper est in vtroque complexo, ergo animal vel non omnino distinguitur à rationali, vel distinguitur realiter, sicut vna manus distinguitur ab alterâ, in quibus est eadem anima, sicut hic idem homo sub duobus actibus realiter distinctis.

SECTIO III.

Ostenditur S. Thomam tenuisse Præcisiones Obiectiuas.

I.
Frustra laborant aduersarij vt probent S. Thomam negasse præcisiones obiectiuas.

NVllum non mouet lapidem P. Hurtado, vt suam sententiam fundet in doctrinâ S. Thomæ, vt videre licet d.6. Metaph. s.4. subs.3. sed frustra: primò siquidem loquitur ibi S. Doctor de attributis & perfectionibus Diuinis, quæ in probabili sententiâ, vt suprà vidimus distinguuntur solùm secundùm implicitum & explicitum. Secundò, multi admittentes Præcisiones obiectiuas non negant posse subinde totum obiectum per intellectum ad aliquas operationes & connotata referri: S. Thomas ergo vnum faciendo, non negat alterum, vt ex locis statim citandis constabit. Aliquando verò vult non ita fieri distinctionem rationis, vt in actu signato repræsentetur in Deo aliqua diuersitas, sic enim supponeretur in Deo ante actum distinguentem. Hoc tamen non obstat quo minùs per actum inadæquatè cognoscentem distinctio fiat in actu exercito.

II.
Primus locus S. Thomæ clarissimus pro præcisionibus obiectiuis.

Primum ergo testimonium, ad ostendendum S. Thomam sententiam de præcisionibus obiectiuis tenuisse, desumitur ex 1.p.q.85.a.1. ad 1. & 2. vbi cum duos modos præcisionis obiectiuæ posuisset, negatiuæ, qua scilicet negatur vnum esse aliud, quod tamen in re est illud, & hanc dicit esse falsam: & præcisiuæ, quando nimirum non negamus vnum de alio, sed solùm intelligimus vnum, nil considerando de alio, *quam*, inquit, *abstractionem quia non considerauit Plato, posuit naturas rerum separatas secundùm rem.* Hic ergo S. Doctor idem dicit per intellectum fieri, & intentionaliter, quod Plato posuit Physicè, & à parte rei, sed notissima est illa sententia Platonis, species, seu naturas ponentis separatas à singularibus. Hinc ergo apertè constat asserere S. Thomam naturas à singularibus per actum intellectus obiectiuè distingui, & præscindi.

Idem fieri dicit per intellectum S. Thomas, quod Plato posuit à parte rei.

III.
Secundus locus eiusdem sancti Doctoris.

Deinde 1.p.q.40.a.3. corpore hac de re loquens, sic habet: *Respondeo dicendum quod duplex fit abstractio per intellectum, vna quidem secundùm quod vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine, & in hac abstractione non remanet id in quo fit abstractio, remotâ enim ab homine differentiâ rationali, non remanet in intellectu homo, sed solùm animal.* Non video quo modo clarioribus verbis S. Doctor Præcisiones obiectiuas exprimere potuisset.

IV.
Tertius locus S. T. vbi absolutè dicit cognosci vnum, aliud non cognosci.

Singularis etiam ad hoc probandum locus est 3. p. q.3. a.3. corp. vbi loquens de cognitione abstractiua qua intellectus cognoscit Deum per modum suum, nempe ipsius intellectus, *per quam cognitionem*, inquit S. Doctor, *multipliciter & diuisim cognoscit intellectus id quod in Deo est vnum, & per hunc modum potest*, inquit, *intellectus noster intelligere bonitatem & sapientiam diuinam non intellecta Paternitate vel Filiatione, & abstractâ Personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam.*

V.
Quartus locus S. T. vbi expressè docet sententiam Nominalium.

Item in primo d.2.q.1.a.3. sic habet: *quidam dicunt quod ista attributa, misericordia & iustitia diuina non differunt, nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse.* Ibidem etiam ait, *pluralitatem Diuinorum Nominum, seu Perfectionum non esse solum ex parte intellectus secundùm diuersas conceptiones quæ dicuntur diuersæ rationes, sed etiam ex parte ipsius Dei.* Sed non est nostri instituti Theologica ista ita ad amussim discutere. Plura hac de re dixi 1.p.d.2.s.5. & hîc quædam adiiciam infra s.5.

VI.
Satisfit iis, quæ contra præcisiones ex S. Tho. afferuntur.

Ad illa vero quæ in contrarium, ex angulis quibusdam operum S. Thomæ, affert P. Hurtado nempe ex opusculis. Respondeo in primis opuscula illa non esse æqualis auctoritatis cum reliquis Angelici Doctoris operibus, vnde in editione Romana diuerso ab aliis charactere habentur, vt notat Bellarminus de scriptor. Ecclesiast. qua de causa à multis dubiæ fidei censentur. Deinde dico dum affirmat S. Thomas distinctionem esse in intellectu, intelligit distinctionem distinguentem, vel quasi actiuam, cui alia passiua respondeat ex parte obiecti, dum rem in se vnam intellectus inadæquatè repræsentat, vt infrà latiùs videbimus.

VII.
Prouoco à S. Thoma ad sanctum Thomam.

Prouoco ergo, à S. Thoma ad S. Thomam: à S. Thoma in operibus dubiis, ad S. Thomam in certis & ab omnibus pro S. Doctoris libris admissis: à S. Thomâ in locis quibusdam obscuris, ac veluti librorum eius appendice, ad S. Thomam in nobilissimis illius operibus, totoque orbe celeberrimis: denique à S. Thoma semel aliquid insinuante, ad S. Thomam contrarium variis locis, diuersisque ad id probandum adductis rationibus clarè & constanter asserentem. Accedit, quod Thomistæ hoc modo Magistrum suum explicent, quod non leui mihi est argumento hanc S. Doctoris veram esse sententiam.

SECTIO IV.

Referuntur modi quidam Præcisiones obiectiuas defendendi.

I.

SVppono cum Theologis propè omnibus & Philosophis, contradictoria propriè & rigorosè sumpta, nec in Diuinis admitti debere, nec creatis. Quare vitio ab omnibus hodie vertitur Okamo, qui in 1.d.1.q.5. contradictoria concedi non debere asserit, *nisi vbi Ecclesia, Scriptura, vel aliqua ex fide deducta consequentia ad hoc nos cogit.* Quasi verò fides, quæ est regula veri, ad contradictoria, quorum altera semper pars est falsa, vnquam cogat. Quare non possum non mirari recentiores aliquos, qui, dum hanc S. Thomæ & nostram de Præcisionibus obiectiuis sententiam impugnant, integras in eo argumento paginas scribendo implent, vt probent, contradictoria admitti non debere. Quos impugnant? Hi lapidibus Patris sui Okami caput petunt, qui id ex suâ sequi sententia in Diuinis vidit, & sine tergiuersatione fassus est. Qui verò admittunt Præcisiones obiectiuas, clarissimè contradictoria effugiunt, vt videbimus: imò propterea hanc in obiecto distinctionem statuunt, ne in hunc contradictoriorum scopulum impingant, in quem, ductu suæ sententiæ, impegisse se fatetur Okamus.

Okamus iure reprehenditur à Theologis.

Frustra constituunt quidam, ex Præcisionibus sequi contradictoria.

Inge-

II. Ingeniosi ergo aliqui recentiores, vt hanc de præcisionibus sententiam defendant, varios excogitauerunt modos, quos hîc referam. Qua verò via ego incedendum putem, aperiam sectione sequente.

III. *Primus modus defendendi Præcisiones obiectiuas.* Primus itaque modus est, obiectum respectu diuersæ cognitionis esse virtualiter duplex, ita vt sub hac duplici ratione cognosci possit, & non cognosci, sicque propositiones in speciem contradictorias terminare, quæ tamen hîc & nunc contradictoriæ non sunt, cùm non in idem omnino obiectum ferantur, sed in tale, quod virtualiter sit duplex, sicque æquiualenter duo obiecta. Ita tamen hoc asserit hic modus, vt totum dicat obiectum semper cognosci. Quòd dari possit huiusmodi obiectum capax propositionum in speciem contradictoriarum, clarè ostenditur in probabili multorum sententiâ, de homine, qui in diuersis locis diuinitus constitutus, viuere potest & mori, esse in gratiâ & peccato, & similibus, & omnes fateri debent de eodem homine, Petro, exempli gratia, in diuersis temporibus; hodie enim est in gratia, cras peccat, hodie viuit, cras moritur, & sic de cæteris.

IV. *Hæc via explicandi præcisiones probabilis est, non tamen plenè satisfacit.* Hic explicandus modus probabilis est, & sufficientem in obiecto distinctionem ponit ad vitanda contradictoria. In eo tamen displicet, quòd Præcisiones non statuat propriè obiectiuas. S. Thomas enim, vt vidimus, & alij qui has propriè & in rigore statuunt, dicunt debere obiectum cognosci diuisim: vnum attributum, perfectionem, prædicatum repræsentari, altero relicto, vno verbo, per intellectum fieri debere intentionaliter, quod Plato posuit Physicè, naturas scilicet à singularibus, genus à differentiâ, vnam perfectionem ab aliâ per intellectum separando. Cùm verò hic modus totum semper obiectum cognosci affirmet separationem hanc obiectiuam non satis declarat, sicque genuinam Angelici Doctoris mentem, & huius opinionis candorem, non plenè videtur assequutus.

V. *Secundus modus defendendi præcisiones obiectiuas.* Secundus modus est eorum, qui gradus Metaphysicos, prædicata item omnia, & perfectiones, quæ in rebus inueniuntur, distingui ante omnem intellectus operationem asserunt, per ordinem scilicet ad actum intellectûs possibilem, sicque facilè explicant quomodo per actum postea præscindentem vnum obiecti prædicatum cognoscatur, alio non cognito.

VI. *Hic modus clarè procedit, licèt difficultate penitus non careat.* Hic etiam modus suam habet probabilitatem, & claram prædicatorum à se inuicem separationem ponit. Ita tamen hoc facit, vt multo plus faciat; Vnde vereor ne, dum distinctionem rationis in obiecto statuere velit, statuat realem. Si enim ante omnem intellectus operationem, seu à parte rei gradus Metaphysici inter se distinguantur, quantumuis in ordine ad actum intellectus possibilem id fieri dicatur, ægrè hoc à distinctione reali excusabitur.

VII. Bene tamen de re Philosophicâ meriti sunt hi recentiores, vtpote qui felici industriâ conati sunt illam opinionem illustrare, qua, vt ego existimo, nulla in toto cursu Philosophico maiorem scholis lucem affert.

SECTIO V.

Vera ratio explicandi Præcisiones obiectiuas.

I. *Ante actû præscindentem nulla est actualis distinctio in obiecto.* Dico itaque, ante operationem intellectus, seu actum præscindentem, nullam in obiecto actualem fuisse distinctionem, sed solùm aptitudinalem, seu fundamentalem, vel, vt alij vocant, virtualem, intellectus verò suâ sagacitate prædicata hæc realiter identificata intentionaliter separat ac diuidit, ita vt vno repræsentato seu cognito, aliud non repræsentetur, sed perinde se habeat, atque si in obiecto omnino non esset, non quidem abstractione negatiuâ, seu negando rationale esse vnitum animali, hoc enim esset falsum vt rectè S. Thomas citatus l. 3. num. 2. sed præcisiuâ, cognoscendo scilicet animal, nullâ per illum actum factâ mentione rationalis. In duobus igitur fundatur hæc conclusio, fœcunditate obiecti, & intellectus subtilitate. Ad cuius explicationem.

Notandum primò, rem quamuis, quò præstantior est, eò plures in se perfectiones realiter identificatas continere, quæ in aliis inueniuntur dispersæ: sic planta perfectior est lapide, vtpote quæ gradui corporis superaddit gradum viuentis; animal perfectius est planta, quod cæteris gradibus in eâ inclusis gradum addit sensitiuum; Homo denique animal in perfectione excedit, quia præter sensitiuum, rationalis gradum includit. Hinc fit vt cum perfectiones varias realiter in aliis rebus distinctas, in eadem re identificatas videamus, & in vnum veluti nodum collectas, præbeatur intellectui fundamentum vt vnam distinguat, & intentionaliter quasi separet ab aliâ. Quare si quid adeo imperfectum sit, vt vnum in se solummodo prædicatum contineat (quales communiter statuuntur duo cuiusque rei termini, Ens scilicet, & indiuidualis differentia) licèt illud abstrahi ab aliis possit, in eo tamen vlterior abstractio seu separatio fieri nequit, cùm duas in se rationes non contineat quæ separentur, separatio autem nisi inter duo fieri non potest. II. *Res, quo perfectior, eo plura in se prædicata continet.* *Hinc fundamentum sumit intellectus vnum prædicatum ab alio distinguendi.*

Notandum secundò, actum intellectus duplicem quasi in se rationem continere, formæ Physicæ & intentionalis; vt Physica qualitas est, inest subiecto, vt intentionalis fertur in obiectum, vt Physica inhæret, vt intentionalis repræsentat, vt Physica petit proportionatum sibi subiectum, spirituale scilicet, vitale &c. vt intentionalis nullam cum obiecto postulat proportionem, sed æqualiter fertur in corpus, spiritum, substantiam, accidens, creatum, increatum, ens, non ens, in omnia indiscriminatim. Denique vt qualitas est Physica determinatam habet sphæram, & certis quibusdam terminis ac limitibus circumscribitur, vt intentionalis nullis continetur limitibus, non alligatur circumstantiis loci ac temporis, sed tam obiectum absens repræsentat quàm præsens, tam præteritum quàm futurum, imò quod nec est, nec esse potest. III. *Differentia intellectionis vt est forma physica, & intentionalis.*

Actus ergo intellectus, cùm, vt qualitas intentionalis est, non seruet leges aliarum qualitatum, sed modo longè subtiliore procedat, vt ostensum est, non est cur obiectum etiam in se Physicè indiuisum diuidere nequeat intentionaliter, cùm in repræsentando vim, vt vidimus, habeat illimitatam. Cùm ergo hac ratione repræsentare possit obiectum quod omnino non est, ita & inadæquatè repræsentare quod est. IV. *Maior est vis intellectionis vt est qualitas intentionalis, quam vt est Physica.*

Hinc ortum habuit dictum illud, quod, vt commune Philosophorum ad hanc ipsam rem affert P. Granado l. 1. in 1. p. tr. 2. d. 6. n. 5. *Intellectus potest diuisa adunare & adunata diuidere.* Quod etiam docet Suarez d. 6. Metaph. s. 9. n. 12. hoc tribuens subtilitati intellectus: *hec est*, inquit, *vis intellectus, vt præscindat, & abstrahat, quæ in re non sunt actu distincta aut præcisa*, nempe realiter, nam si realiter distincta essent, non magnam sanè argueret vim aut subtilitatem intellectus vnum sine altero cognoscere, sicut nec rem eandem nunc ad has nunc illas operationes comparare, hoc enim, per se loquendo, factu facilius est, quàm simul referre ad omnes, præsertim cùm tot sint tamque variæ, vt ægrè, nisi à sagacissimo intellectu res ad omnia simul distinctè referri possit. V. *Intellectus potest diuisa adunare, & adunata diuidere.* *P. Suarez præcisiones obiectiuas refundit in subtilitatẽ intellectus.*

VI. *Idem facit P. Vasq. & acerrimè impugnat sententiam Nominalium.*

Idem clariùs adhuc, fusiùs & neruosius docet P. Vasquez 1.p.d.117.c.5. per totum, vbi alios multos in hanc eandem rem citat. Loco igitur citato disertis verbis ait, intellectum nostrum rem omnino simplicissimam in varios diuidere conceptus obiectiuos, & rem simplicem & indiuiduam nobis quasi per partes obiicere. Et tandem sub finem capitis sic concludit: *Cognitio, inquit, & qualitas in intellectu expressa hanc habet virtutem, vt, licèt non attingat rem ipsam externam, intus tamen faciat illam præsentem, & diuerso modo apparere: ac proinde aliquando repræsentatione diuidat & distinguat, quod reipsa indiuisum est.* Vbi nostram conclusionem, & axioma illud à P. Granado allatum totidem ferè verbis tradit, & acerrimè impugnat Nominales asserentes hoc fieri per comparationem ad diuersa connotata. Et licèt sermo illic præcipuè sit de attributis diuinis, addit tamen P. Vasquez nu.2. idem in multis rebus creatis contingere.

VII. *P. Granado etiam clarè docet præcisiones obiectiuas, & acriter impugnat Nominales.*

Præterea P. Granado loco citato l.1.in 1.p.tr.2.d. 6. ait hanc de præcisionibus obiectiuis esse communem sententiam, diuersitate, inquit ipse, apparente in ipso obiecto, prout cadit sub intellectum. Vbi etiam acriter impugnat Nominales hoc fieri asserentes per connotationem diuersorum effectuum. Deinde num.5. ait iuxta commune axioma Philosophorum intellectui inesse vim adunata diuidendi, non realiter, sed obiectiuè. Et multa alia ibidem hunc in finem adducit.

VIII. *Clarissimè nostram sententiam de præcisionibus tradit Doctor Angelicus.*

Tandem, qui mihi est instar omnium, D. Thomas hanc nostram sententiam clarissimè tradit 1. contra Gen, cap.54. *Intellectus, inquit, ea quæ sunt in esse coniuncta interdistinctim accipere potest, quando vnum eorum in alterius rationem non cadit, & propter hoc in ternario considerare potest binarium tantùm, & in animali rationali, id quod est sensibile tantùm.* En eodem modo docet S. Doctor posse sensibile concipi sine rationali in homine, quo binarium sine tertio numero in ternario.

IX. *Clarius adhuc in eandem rem loquitur S. Doctor.*

Hoc verò ipsum multò clariùs perfectioni intellectus supra sensum tribuit 1.p.q.12.a.4. corp. his verbis: *Anima nostra duas habet virtutes cognoscitiuas, vnam quæ est actus alicuius corporei organi, & huic connaturale est cognoscere res secundùm quod sunt in materiâ indiuiduali, vnde sensus non cognoscit nisi singularia: Alia verò virtus cognoscitiua eius est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis; Inde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quæ quidem non habent esse nisi in materiâ indiuiduali, non tamen secundùm quod sunt in materiâ indiuiduali, sed secundùm quod abstrahuntur ab eâ per considerationem intellectus. Vnde secundùm intellectum possumus cognoscere huiusmodi res in vniuersali, quod est supra facultatem sensus.* Quibus verbis clariùs potuisset S. Doctor intellectum, & modum eius cognoscendi extollere supra sensum, eiusque perfectioni tribuere abstractionem naturæ à singularitate?

X. *Aquam aliqui in profluente quæritant.*

Quare non possum non mirari non neminem, qui, velut aquam in profluente quæritans, auctores, qui intellectum vim habere res adunatas intentionaliter diuidendi, produci postulat, cum Suarez, Vasquez, Grana. &. quod caput est, Doctor ipse Angelicus id apertissimè asseuerent, vt vidimus. Multò verò magis miror dixisse aliquem hoc axioma nullius esse auctoritatis, cum primò Pater Granado testetur esse commune Philosophorum, communis autem Philosophorum auctoritas sine dubio alicuius momenti est. Desumptum verò est ex Auerroe 12. Metaph.com. 39. quodque Aureolus, Gregorius & alij Nominales olim conati sunt explicare, vt fatetur P. Hurtado, licèt frustra. Deinde P. Suarez, Vasquez, & alij quoad hanc partem adunata diuidendi, doctrinam in eo contentam tradunt & elucidant, vt vidimus.

XI. Omnium verò maximè miror dixisse quempiam, non ad hunc finem axioma illud attulisse Patrem Granado, nempe ad probandum posse intellectum rem Physicè indiuisam diuidere obiectiuè, quod tamen euidentissimum est eum fecisse, vt locum citatum intuenti constabit. Licèt enim l.2.in 1.p t.3.d 5. num 10. dicat contra nonnullos. à parte rei, seu ante distinctionem per intellectum factam, quidquid de vna perfectione dicitur, dici debere de aliâ omni cum eâ identificatâ, secus tamen asserit d 6. num. 5. contingere factâ distinctione per intellectum, & acriter, vt dixi, ibidem impugnat Nominales attributa & perfectiones in ordine ad connotata extrinseca & effectus explicantes. *Parum sincerè quidam auctores citant.*

SECTIO VI.

Declaratur magis hic modus Præcisiones obiectiuas defendendi.

I. *Declaratur magis duplex actio intellectionis.*

Diximus sectione præcedente actum intellectus duplicem in se rationem continere, Physicæ scilicet formæ, & intentionalis, & vt Physica qualitas est subire leges aliarum qualitatum, vt verò est intentionalis, seu in repræsentando, non esse modulo aliarum qualitatum metiendam, & sub hac ratione posse eum adunata diuidere, & rem realiter indiuisam intentionaliter separando, in varia prædicata obiectiuè distinguere.

II. *Duplex hæc virtus intellectionis clarè cernitur in exemplo animæ elicientis actum præcisiuum circa seipsam.*

Vtraque hæc ratio clarè cernetur in hoc exemplo: Ponamus animam hic in corpore existentem elicere actum præcisiuum circa seipsam, concipiendo scilicet rationem animæ tantùm, non concepta differentia indiuiduali. Hic actus vt intentionalis est, terminatur ad solam rationem animæ, non ad differentiam indiuidualem, sicque has rationes à se inuicem in mente separat: vt verò Physica qualitas est, nullam inter eas rationes facit distinctionem, sed inest æqualiter vtrique tanquam subiecto, cum Physicè & à parte rei non sint duæ rationes, sed vna; nec sub hac ratione magis diuidit rationem animæ à differentiâ indiuiduali, quàm albedo in pariete rationem parietis vt sic à ratione huius parietis. Et ratio est clara, cum enim vt Physica qualitas est, insit animæ tanquam subiecto, & Physicè, si diuisionem vllam faceret, faceret Physicam, quod implicat, sic enim esset eadem Physicè res, & non esset, quia esset Physicè diuisa.

III. *Cur detur virtualis distinctio ad cognosci & non cognosci, non tamen ad currere & non currere.*

Hinc manifestum apparet discrimen quare dari possit virtualis, seu fundamentalis distinctio in ordine ad cognosci & non cognosci, seu vt vnum prædicatum repræsentetur, non repræsentato alio cum eo identificato, non tamen virtualis distinctio in ordine ad currere & non currere, destrui & non destrui, existere & non existere, hæc enim Physica cùm sint, non intentionalia, & materiali, non perspicaci illo, ac subtili modo procedant, quo intellectus, si rem diuiderent, diuiderent Physicè, & realiter, quod implicat, sic enim eadem res realiter esset duæ realiter. Si autem implicet actualis distinctio seu diuisio realis eiusdem rei realiter, implicat etiam aptitudinalis seu virtualis, sicut si implicaret actualis visio, implicaret similiter potentia visiua.

IV. *Nulla est contradictio quod res Physicè eadem, intentionaliter diuidatur.*

At verò contradictoria non sunt esse rem aliquam Physicè ac realiter eandem, & intentionaliter distinctam, seu diuisam, hoc enim aliud nihil est, quam eam inadæquatè cognosci ex parte obiecti, seu non totam simul, sed sigillatim, & quasi per partes obiici, sicque repræsentari secundùm diuersas rationes, quæ licèt à parte rei sint idem, & conflent eandem Physicam entitatem, intellectus tamen suâ sagacitate

vnam

vnam ex illis percipere potest, aliâ non perceptâ, quod est præcisiuè diuidere obiectum, seu præscindere obiectiuè.

V. *Omnes ferme, intellectum hac in re subtilitatē agnoscunt.*

Dices, intellectus noster qui contrariam sequitur sententiam non est adeo subtilis vt vnam rationem seu perfectionem separet ab aliâ, ergo ficitia est hæc subtilitas. Contrà primò, intellectus Philosophorum propè omnium, qui rem hanc hactenus tractarunt, fuit adeo subtilis vt id præstaret, vt constat tum ex axiomate illo ab iis statuto, quod suprà retulimus: tum quia prædicata in obiecto diuidunt in mutuo sese includentia, & non se mutuo includentia, cui ergo sub tenebras præieaunt.

VI. *Qui verbotenus Præcisiones obiectiuas negant, reipsa maxime agnoscunt.*

Contrà Secundò, quid ergo volunt hæ passim apud eos repertæ voces, *causa adæquata est, quæ continet omnes formalitates effectus*: quid illæ, *vitalitas actus formaliter refunditur in causam vitalem*, *supernaturalitas in supernaturalem, repræsentatio in speciem*, & huiusmodi? quis clariùs perspicit, quis acutiùs formalitates in obiecto diuidit ac distinguit? Vnde qui hîc debilitatem visus causantur, vbi vel ad naturam causæ adæquatæ, vel rationem effectus vitalis peruenerint, vno verbo, vbicunque eorum interest (interest autem quoties clarè quidquam explicare volunt) *tam cernunt acutùm, quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius*. Cui ergo bono hi eam pro viribus impugnant sententiam, ad quam tam ipsi quàm quotquot vel scribunt, vel loquuntur Philosophi, in grauissimis quibusque difficultatibus explicandis coguntur confugere?

VII. *Agnoscunt aduersarij varias formalitates in obiecto.*

Contrà tertiò, dicunt aduersarij duas in iudicio distinguendas esse formalitates, repræsentationis alteram, alteram connexionis, in definitione vnam artificij, quæ ad Logicam spectat, aliam veritatis, quæ ad alias scientias. Inquiro quo pacto distingui hæ formalitates debeant, si distingui nequeant? sed nobis fortè, non sibi has regulas præscribunt.

VIII. *Dices, ergo Deus potest obiectiuè præscindere.*

Dices, hinc sequi Deum posse obiectiuè præscindere, si enim hoc in perfectionem intellectus refundamus, Deus qui intellectum habet omnium perfectissimum, hoc omnium maximè præstabit. Confirmatur, ergo etiam id præstabunt Angeli, qui acutiùs multò vident hominibus.

IX. Ad argumentum dico, eâ item quis argumentatione probaret posse Deum discurrere cum hoc in hominibus perfectionem arguat supra sensus, & homines, quo sagaciores, eo id acutius præstent. P. Arriaga d. 5. Log. s. 4. subs. 3. concedit Deum etiam obiectiuè præscindere. Ego existimo tamen Deum propriè non præscindere, & ratio in meis principiis est clara, præscindere enim est rem inadæquatè cognoscere, seu vnum in obiecto repræsentare, non repræsentato alio, Dei autem cognitio respectu cuiusque rei necessariò est adæquata, sicut nec aduersarij, opinor, dicent Deum præscindere formaliter, quod secundùm ipsos est hominem ex. g. in ordine ad solas operationes sensitiuas comparare, quod Deo non competit, qui eum semper in ordine ad omnes cognoscit. Non ergo infinitam cognitionem diuinam ad curtæ nostræ debemus & imperfectæ normam exigere, nec immensum illum scientiæ Oceanum nostris captiunculis metiri. Quod, si quis in actu cognitionis diuinæ tot esse dicat prædicata virtualiter distincta, quot sunt in obiecto fundamentaliter distinctæ formalitates, & singulis hisce formalitatibus singula in Dei scientia respondere prædicata, ac propterea Deum præscindere; quæstionem fecerit de nomine. Ita verò cum auctoribus 1. 5. citatis vim præscindendi obiectiuè in intellectus perfectionem refundo, vt aliquid asseram admisceri debere imperfectionis, nempe limitationem.

Resp. Deū non præscindere obiectiuè, quia nullū obiectū cognoscit inadæquatè.

Modus quo defendi possit Deum præscindere obiectiuè.

X. Ad confirmationem dico, Angelum in iis quæ cognoscit abstractiuè, non minùs obiectiuè præscindere posse, quam hominem. Vtrum autem per actus intuitiuos fieri possit præcisio, dicetur postea. *Angeli possūt præscindere obiectiuè.*

SECTIO VII.

Quo pacto in præcisionibus obiectiuis inueniatur distinctio ex parte obiecti.

I. *Per præcisiones obiectiuas nulla fit Physica mutatio in obiecto.*

IN primis notandum, si quis per actum intellectus distinguentem obiectiuè, realem velit, aut Physicam in obiecto mutationem produci, frustra id facit, nullus enim auctor, quod sciam, id docet, sed solùm volunt huius sententiæ auctores fieri hanc distinctionem intentionaliter. Vnde, vt notat P. Vasquez suprà citatus, est quæstio penè de nomine an obiectum intrinsecè diuidi dicatur, an extrinsecè, dummodo concedatur illum in se realiter indiuisum separari intentionaliter, & inadæquatè ex parte obiecti repræsentari, ac diuidi, vt loquitur ipse, in diuersos conceptus obiectiuos. Scopus ergo præsentis sectionis est vt ostendam quomodo obiectum per actus præcisiuos distingui, diuidi, ac mutari dicatur intrinsecè.

II. Sic ergo arguunt aduersarij: Obiectum antea vt adæquatè distinctum à cognitione, non erat distinctum vel diuisum, ergo si per cognitionem distinguatur, cognitio ponit vel producit aliquid ex parte obiecti intrinsecum, per quod distinguatur, quod tamen intelligi nullo pacto potest. Respondeo obiectum ante cognitionem distinctum fuisse fundamentaliter, correlatiua quippe sunt posse cognitionem diuidere obiectum, & obiectum diuidi posse per cognitionem. Nego tamen per actum distinctionem vllam poni aut produci in obiecto. Vrgebis, ergo nulla omnino est distinctio actualis ex parte obiecti, patet, antea non erat, vt fatemur, nec fit ab intellectu; ergo nulla est. Distinguo minorem, non fit per actum intellectus positiuè, concedo minorem; præcisiuè, nego, seu, quod eòdem recidit, non fit per actum intellectus aliquid ponentem in obiecto, concedo, aliquid tollentem, nego, dum enim principium sentiendi concipit non concepto rationali, tollit præcisiuè principium ratiocinandi à principio sentiendi, quod nimirum in ordine ad hunc actum perinde se habet, ac si non esset realiter à parte rei identificatum cum principio sentiendi: tollit, inquam, illud, non Physicè, sed intentionaliter, non positiuè, vel potius negatiuè, seu vt loquitur S. Thomas, concipiendo non esse illud vnitum principio sentiendi, hoc enim esset falsum, cum tamen iuxta Aristotelem *Præscindentium non fit mendacium*, sed præcisiuè, id est non concipiendo illud quicum à parte rei coniungitur.

Distinctio hæc obiectiua nō fit aliquid ponēdo in obiecto, sed illud inadæquatè repræsentādo.

Declaratur quomodo fiat præcisio.

Præscindētiū non est mendaciū.

III. Res hoc exemplo fiet clarissima. Ponamus intellectum repræsentare parietem sine omni colore, repræsentet postea albedinem ei inhærentem, iam aliter se habet paries intrinsecè respectu intellectus quàm antè, vtpote qui iam varias de illo formare potest propositiones, quas antea non poterat, & voluntatem mouere ad varios circa illum actus de nouo exercendos. Idem è contrario est de diuisione, seu separatione. Concipiat e. g. intellectus Petrum sine visu, aut solem non concepta in eo luce, verè respectu intellectus separatur, visus à Petro, lux à sole, & aliter se habent intrinsecè iam respectu intellectus, quàm quando repræsentabatur, hic cum luce, ille cum visu.

Potest aliquid habere se aliter intrinsecè respectu intellectus, licet nō mutetur physicè.

IV. Dices, actus intellectus est obiecto extrinsecus, ergo facere in eo nequit diuersitatem intrinsecam. Distinguo consequens, non potest facere in eo di-

Quomodo actus intellectus, licet obiecto extrinsecus, faciat in eo posse mutationem intrinsecam.

versitatem intrinsecam immediatè, seu per se; concedo consequentiam; mediatè, seu per terminum, quem intentionaliter apponit vel tollit ab obiecto, nego. Sicut cum parietem nunc cum albedine, nunc sine ea repræsento, paries aliter se habet intrinsecè obiectiuè in vno casu quàm in alio, non per actum intellectus immediatè, sed per albedinem quam intentionaliter parieti apponit, vel parietem sine ea repræsentans, eodem modo tollit. Sicut enim, si Deus subtrahat concursum Physicum, albedo amplius non erit in pariete Physicè, sic, si intellectus subtrahat concursum intentionalem, seu eam repræsentare desinat, non erit in pariete intentionaliter, seu respectu intellectus.

V. *Fit hæc diuisio per actum intellectus in genere causæ formalis defectiuæ.*

Fit porro hæc diuisio ex parte obiecti per actum intellectus in genere causæ formalis defectiuæ, actus enim eam faciens duo necessariò inuoluit, & positiuam repræsentationem vnius prædicati, puta animalis, & negationem repræsentationis alterius quam proinde ipso facto tollit præcisiuè ex parte obiecti, seu nulla de altero facta mentione, vnde licèt rationale Physicè & realiter sit cum eo identificatum, perinde tamen est hic & nunc respectu intellectus, ac si cum eo non esset identificatum. Addo vlterius etiamsi rationale redderetur impossibile, si tamen animal remaneret possibile, actus hic intellectus eodem modo persisteret.

VI. *An obiectum dici debeat diuidi per intellectionem intrinsecè, quæstio est de nomine.*

Vtrum autem dici debeat obiectum intentionaliter diuisum diuidi intrinsecè, de nomine est controuersia, si enim sumatur causatiuè, vt aiunt, seu referatur ad causam diuidentem, est falsum, quia negatio actus intellectus tam est obiecto extrinseca, quàm actus aliud prædicatum repræsentans, quorum vtrumque, vt numero præcedente diximus, causam huius diuisionis integram constituit. Si verò sumatur obiectiuè, id est referatur ad extrema ipsa diuisa, dici potest obiectum intrinsecè diuisum & distinctum, quia verè tollitur ab eo aliquid ei intrinsecum nempe differentia illius constitutiua, quid autem rei magis intrinsecum, quàm illius differentia, vtpote quæ est pars essentiæ. Propriissimè vero loquutus fuerit, qui per actum præscindentem diceret aliquid obiecto intrinsecum tolli extrinsecè.

Propriissima loquutio in hac materia.

VII. *Angelus obiectum præcisum immediatè intuens, nullam in eo videbit mutationem.*

Ad clariorem huius distinctionis vnius prædicati ab alio intelligentiam quæret aliquis, vtrum, dum animal quis per actum præscindentem à rationali in homine distinguit, ac diuidit, vtrum, inquam, Angelus mutationem aliquam, distinctionem, aut diuisionem in obiecto videret? Respondeo, si Angelus hominem seu obiectum diuisum immediatè intueatur, nullam in eo videbit mutationem, sicut nec videret si Petrum intueretur dum quis eum repræsentaret sine brachio, fertur enim Angeli cognitio in obiecta prout sunt à parte rei, non prout subsunt nostris conceptibus. Si verò intueatur actum præscindentem, cognoscet obiectum solùm inadæquatè, quia id per actum cognoscit tanquam per medium cognitum, ac proinde non plus per hunc actum suum cognoscet quàm actus præscindens ei monstrat, sed solùm monstrat *animal*, ergo illud solùm Angelus cognoscet, sicque eosdem obiectiuos habebit limites Angelus suæ cognitionis, quos homo suæ. Actus ergo Angeli respectu actus hominis præscindentis est intuitiuus, & immediatus, respectu obiecti præcisi, abstractiuus & mediatus.

Videbit intuens actum præscindentem.

VIII. *Quid in suo conceptu inuoluat videre animal solùm.*

Præscindere ergo seu cognoscere animal solum, est cognoscere animal sine rationali, negatione se tenente ex parte intellectus, non obiecti, nec enim dum cognosco animal tantùm, sensus est me cognoscere animal & negationem rationalis sic enim non cognoscerem animal tantùm, sed negationem vnà cum animali cognoscerem: sicut etiam dum dicitur quis vidisse aut occidisse Petrum solum, non est sensus quod viderit vel occiderit Petrum & negationem Pauli, cæterasque aliarum omnium rerum negationes, sed quod non viderit vel occiderit alium à Petro. In præcisione autem negatiuâ negatio tenet se ex parte obiecti, vt dum quis dicit, animal non est rationale, seu cum animali coniuncta est negatio rationalis.

SECTIO VII.

Argumenta soluuntur quæ ex hoc præcisiones explicandi modo peculiariter oriri possunt.

I. *Quomodo non animal præscindatur à rationali, hoc præscindatur ab illo.*

OBiicies primò, si per actum inadæquatè cognoscentem animal præscindatur à rationali, rationale eàdem operâ præscindetur ab animali, sed non præscinditur, ergo: probatur minor, nam, vt supponimus, non cognoscitur. Respondetur, rationale in eo casu ab animali præscindi solùm negatiuè, seu non cognosci vnitum.

II. *Intellectio forma extrinseca quomodo faciat mutationem intrinsecam in obiecto.*

Obiicit secundò P. Hurtado d.6. Met. s.4. subs. 4. num.106. Distinctio est forma extrinseca tribuens se obiecto, ergo vbi obiectum est vnum, non potest tribuere se nisi vni, multò minùs in eo facere distinctionem intrinsecam. Sed ad hoc abundè responsum est supra sec. 6. & 7. diximus enim actum intellectus vt intentionalis qualitas est, distinctionem intentionalem intrinsecam facere in obiecto, non aliquid ponendo, sed tollendo, vt ibi explicatum est, sicque vt intentionalis qualitas est, posse adunata diuidere, & dare se vni parti obiecti intentionaliter, hoc ipso distincti, quod in illud tendat intellectus inadæquatè, seu in vnam partem, non in aliam. Cuius ratio à priori est, quam suprà assignauimus, quia intellectus non est principium per se completum intelligendi sine specie, cum ergo speciem habeat à solis operationibus sentiendi abstractam, principium ratiocinandi omnino non cognoscet, vt suprà ostendimus sec. 2. num. 6.

III. *Explicatur magis ratio actus præscindentis obiectum.*

Cùm ergo immediata ratio cur vnum obiectum cognoscatur, non aliud, sit, quia intellectus hac specie instructus est, non aliâ, vel quia vti hac vult, non aliâ, mediata ratio refunditur in obiectum ipsum, cuius vicaria est species, & ab obiecto producitur in ordine ad actum eliciendum quo cognoscatur, ac proinde eo modo petit obiectum cognosci, quo producit instrumentum huius cognitionis, nempe speciem sui, sed hanc producit inadæquatè, vt loco citato ostensum est, ergo petit & potest cognosci inadæquatè. Si quis verò dicat, species à Deo produci, Deus tamen vt auctor naturæ iuxta rerum exigentias operatur, & talem infundit speciem, qualem obiectum petit: sicut hac specie vel numero actione concurrit, quia effectus hanc numero vel specie actionem requirit.

IV. *Obiectum realiter [illegible] diuiditur intentionaliter.*

Obiicies tertiò: obiectum quod est à parte rei terminat, sed illud est indiuisibile, ergo totum terminat, nam ex parte obiecti non est aliquid & aliquid. Respondetur distinguendo minorem, obiectum est indiuisibile Physicè, concedo minorem; intentionaliter, nego. Sicut enim intellectus vt agens intentionale respicit obiectum, & potest illud diuidere, vt suprà ostensum est, ita vicissim obiectum eodem modo respicit intellectum, & speciem sui, vt proximè ostensum est, producit inadæquatam.

V. *Realis entitas terminat actum præscindentem, sed terminat inadæquatè.*

Obiicies quartò: realis entitas obiecti terminat, sed realis entitas non diuiditur, ergo tota terminat, & cognoscitur, ergo nulla fit diuisio. Distinguo maiorem, realis entitas terminat adæquatè, & secundùm

dùm

dùm se totam, nego maiorem; inadæquatè, concedo: obiectum enim terminat pro exigentiâ actus, non vt Physica, sed vt intentionalis qualitas est, vt sic autem longè alio modo tendit actus intellectus, quàm vt est forma Physica, vt sec. 5. extrà ostendi. Distinguo item minorem, realis entitas obiecti non diuiditur Physicè, concedo minorem; non diuiditur intentionaliter, nego: aliòqui quo pacto esset compositio Metaphysica, si nulla ex parte obiecti esset distinctio? licèt enim hæc compositio formaliter fiat per actum intellectus, obiectum tamen est quod componitur, quod tamen nullâ ratione componi posset ex partibus Metaphysicis, si antea saltem per aliquem actum partes illæ non fuissent distinctæ, ac diuisæ.

VI. *Ex parte obiecti præcisio non sunt duæ realitates.* Vrgebis; tota realitas quæ est à parte rei terminat & cognoscitur, dum cognoscitur animal, vel non: si ita, ergo nulla est diuisio nec distinctio; si non, ergo aliqua realitas manet cognoscenda, ergo sunt duæ realitates, nempe realitas cognita, & realitas non cognita. Respondetur, si realitas nil aliud sonet quàm prædicatum reale, esse intentionaliter duas realitates, re tamen verâ aliud sonat, nempe esse duo realiter distincta. Negandum itaque simpliciter esse duas illic esse realitates, sed eadem realitas cognoscitur inadæquatè, & in duas diuiditur formalitates, seu prædicata per intellectum, sicque formaliter distincta.

VII. *Obj. si animal præscindi posset à rationali, posset præscindi à se.* Obiicies quintò: si animal intentionaliter diuidi possit à rationali, ergo & animal à se, vel rationale à se diuidi potent, nec enim minùs rationale intrinsecum est animali, quàm animal sibi. Contrà, inquiro an animal iuxta aduersarios per præcisiones formales distingui à se possit, sicut secundùm illos distingui per eas potest à rationali? en par vtrique sententiæ difficultas, vbi enim ipsi formales præcisiones statuunt per actus confusos, nos per actus claros statuimus obiectiuas.

VIII. *Resp. non sequi eo quod vnû prædicatû separari possit, posse separari omnia.* Sed vt rem vlteriùs declarem, certum est non sequi ex eo quod vnum prædicatum ab alio separari possit, posse propterea separari à se omnia, nec enim idem vbique est fundamentum, diuersis scilicet series operationum, compositio Metaphysica, & alia distinctionis signa suprà posita. Qua de causa Aristoteles 7. Metaph. cap. 12. t. 43. licèt distinctionem inter alios gradus Metaphysicos statuat, differentiam tamen vlterius diuidi ait non posse. Quod, vt suprà dixi, de Ente similiter mihi dicendum videtur. Addo tamen licèt animal (idem est de rationali, rugibili, & aliis differentiis) in gradus diuidi Metaphysicos non posset, seu tanquam in superius & inferius: sicut tamen partes Physicas, materia & forma equi e. g. licèt in plures partes Physicas, aliam nempe materiam, & formam aliam diuidi nequeat, extensiuè tamen in plures partes integrales diuidi Physicè possunt, idem dico de partibus Metaphysicis intentionaliter, quatenus nimirum huius vel illius in actu primo operationis radix animal concipitur, vt verò radix concipitur omnium, integrum constituit genus, & partem Metaphysicam completam. *Per Præcisionem dividi formalitates potest in partes integrantes.*

IX. *Quomodo actus præscindens det intellectus, in trinsecam denominationem cognoscentis, & non cognoscentis.* Obiicies sextò: licèt actus præscindens, obiecto sit extrinsecus, intellectus tamen est intrinsecus, ergo dat illi intrinsecas denominationes contradictorias, cognoscentis scilicet intrinsecè, & non cognoscentis idem obiectum. Distinguo consequens, cognoscentis & non cognoscentis idem obiectum adæquatè, nego consequentiam, inadæquatè, concedo. Vt autem propositiones sint propriè contradictoriæ, non sufficit secundùm Aristotelem & Philosophos vt ferantur actus in idem obiectum quomodocunque, sed in idem secundùm idem, vnde si vlla sit distinctio in obiecto, propositiones nunquam sunt contradictoriæ. Nec in hoc est maius mysterium in intrinsecis denominationibus quàm extrinsecis; cum in neutris, vt dixi, verificentur propriè contradictoria. Si quidem probaret obiectio actum aliquem intellectus posse vnum animæ, cui inest, prædicatum insormare, non aliud, aliquid efficeret. De quo latè suprà s. 6. n. e.

Obiicies septimò: actus qui terminatur ad animal non potest terminari ad rationale, nec econtra, ergo rationale non potest terminare actum qui repræsentat animal, nec econtra, ergo animal & rationale differunt intrinsecè, sicque rationale habet prædicatum quod non habet animal, & animal prædicatum quod non habet rationale. Distinguo secundo consequens, differunt intrinsecè à parte rei, nego consequentiam; respectu intellectus post & per actum præscindentem, transeat, vt latè ostendi s. septimâ. Nullus siquidem; qui admittit præcisiones obiectiuas, negat, quin prædicata quæ abstrahuntur, aliquando numero differant, vt cùm consideratur Petrus vt elicitiuus actus A & actus B numero tantùm distinctorum, ignis vt productiuus huius vel illius caloris: aliquando specie, vt cum concipitur Petrus vt elicitiuus affectus & dissensus, apprehensionis & iudicij, ignis vt productiuus caloris & lucis: aliquando etiam genere, vt cum repræsentatur ignis vt productiuus ignis & caloris, pro diuersitate enim effectuum est diuersitas heterogenea in principiis formalibus per intellectum abstractis. X. *Ex eo quòd animal terminet vnum actũ, rationale aliũ, nõ sequitur hac duo differre à parte rei.*

XI. *Obiectio hac committit fallaciam accidẽtis.* In eo verò peccat hoc argumentum, quod mutet suppositionem, à statu præcisionis arguens ad statum realem, sicque committit *fallaciam*, vt aiunt, *accidentis*. Notandum itaque à parte rei nec animal dari nec rationale, nec hominem, nec equum prout his nominibus importantur, hæc enim omnia præcisionem & intellectus actum aliquo modo inuoluunt. A parte rei ergo sola sunt singularia, Petrus, Paulus, Ioannes, Bucephalus, Rhoebus, &c.

XII. *Explicatur vlterius quomodo ratione non sequi à præscindentis animal & rationale non distingui realiter.* A parte rei itaque est Petrus aptus cognosci inadæquatè per vnum actum, qui principium repræsentet sentiendi, & per alium qui repræsentet principium ratiocinandi, quæ à parte rei non differunt nisi fundamentaliter: posito verò actu quo repræsentetur animal tantùm, qui actus non potest repræsentare rationale, non sequitur animal & rationale distingui realiter, cùm tota distinctio quam habent proueniat ab intellectu intentionaliter operante; vnde licèt habeant essentias distinctas, non tamen realiter & à parte rei, cùm à parte rei sint idem, nẽpe Petrus, sed solùm formaliter, sicque mutatur suppositio. Nec sequitur animal in mente includere negationem rationalis, sic enim actus esset falsus, nec sensus huius propositionis *cognosco animal tantùm*, est cognosco animal & negationem rationalis, sicut propositionis huius *Petrus occidit Paulum tantùm*, sensus non est, occidit Paulum & negationem Ioannis, Antonij & aliorum omnium, sed occidit Paulum, & non occidit alium. Sic in præsenti sensus est cognosco animal tantùm, id est, cognosco animal, & non cognosco rationale, negatione se tenente ex parte actus vel intellectus, non obiecti, vt suprà ostendi s. 7. fine.

XIII. *Nõ est idem de prædicatis Physicis, & intentionalibus.* Obiicies octauò: ergo animal currere poterit, rationali non currente. Nego consequentiam, sic enim sequeretur rem esse Physicè eandem, & Physicè diuersam, nil autem incommodi vt quid sit Physicè idem, & intentionaliter diuersum. Dices, hoc esse petere principium, cùm animal & rationale esse intentionaliter diuersa, aliud nihil sit, quam animal cognosci, rationale non cognosci. Contrà primò, non petitur principium licèt idem respondeatur quod antea dictum est, si hoc secundum clariùs rem explicet, vt si petenti cuipiam cur Petrus sit homo, respondeat

quia

quia est animal rationale. Contrà secundò, nunquam petitur principium dum redditur ratio illius quod asseritur, varias autem supra huius rei rationes assignaui s.2.5.& 6.& in probatione nostræ sententiæ, & impugnatione contrariæ.

XIV. *Ostenditur vlterius differentia inter prædicata Physica, & intentionalia.* Dico ergo ex eo quod intentionaliter diuidatur obiectum, seu animal cognoscatur non cognito rationali, nihil sequi incommodi, si nimirum feratur cognitio in vnum prædicatum non in aliud, sequitur enim solùm cognosci illud inadæquatè: at verò si curreret animal, produceretur, vel destrueretur, non currente, nec producto rationali, sequeretur idem realiter distingui à se, sicque esse rem realiter eamdem, & non esse realiter eamdem. Deinde habemus fundamentum vnius, non alterius, vt suprà ostensum est. Sanè miror cur hîc clament aduersarij peti principium, nisi fortasse velint hîc sua peti principia, & ita peti, vt labefactentur. Quod si ita sit, nil mirum quod exclament, & querantur peti principium.

SECTIO IX.

Reliqua argumenta contra Præcisiones obiectiuas.

I. Obiicit nonò, P. Arriaga d.5. Log. s.2. subs.2. nu. 25. non minùs contradictoriè opponuntur *cognosci & non cognosci*, quàm *existere & non existere*, sed implicat animalitatem hominis existere, rationalitatem non existere, ergo & animalitatem cognosci, non cognita rationalitate.

II. *In diuinis est cognosci & non cognosci, non tamen esse & non esse.* Contrà admittit ipse s.4. num. 56.& 57. distinctionem virtualem in diuinis, & ait Essentiam cognosci posse, non cognitâ Relatione, & econtra, & tamen nec ipse, nec vllus eam illic admittit in ordine ad existere & non existere, ergo non sequitur potest idem cognosci & non cognosci, ergo existere & non existere. Dico itaque diuersissimam esse rationem de prædicatis Physicis & intentionalibus, vt ostendi in fine sectionis præcedentis, & s.6.n.3. nec ea hic necesse est repetere.

III. *Idem potest realiter cognosci, & non cognosci inadæquatè.* Obiicies decimò: ex nostrâ sententia sequi idem realiter cognosci & non cognosci, animal enim realiter cognoscitur, rationale realiter non cognoscitur, sed animal & rationale sunt idem realiter, ergo. Distinguo maiorem, idem realiter cognoscitur & non cognoscitur adæquatè, nego maiorem; inadæquatè, concedo: hæc autem non sunt contradictoria, quia non feruntur cognitio & negatio cognitionis in idem omnino obiectum, seu, vt loquitur Aristoteles, *in idem secundùm idem*.

IV. Obiicies vndecimò: si intellectus cognoscat vnam formalitatem, & non aliam, ergo est vna & alia, ergo duæ formalitates per actum distinguuntur, ergo verum est dicere animal non est rationale, & econtra, ergo in animali est negatio rationalis, ergo distinguuntur realiter. *Quomodo intellectus distinguat obiectum in formalitates.* Admissis cæteris, & negatâ vltimâ consequentia, distinguo penultimam, in animali est negatio rationalis Physicè & negatiuè, nego consequentiam; intentionaliter, & præcisiuè, concedo: licèt enim à parte rei idem sint, intellectus tamen inadæquatè rem concipiendo, vnum præcisiuè tollit ab alio, seu non dat ei totum conceptum obiectiuum, quem à parte rei & realiter habet, vt latè declaratum est suprà.

Obiicies duodecimò: ex nostrâ sententiâ destrui formam syllogisticã, vt patet in hoc syllogismo expositorio, *hoc animal cognoscitur, sed hoc rationale est hoc animal, ergo hoc rationale cognoscitur*, vbi si concessis præmissis negetur consequentia, destruitur forma syllogistica, nam quæ sunt eadem vni tertio, non sunt eadem inter se. Confirmatur, eodem modo negari posset consequentia in hoc syllogismo, *hoc animal currit, sed hoc rationale est hoc animal, ergo hoc rationale currit*. V. *Obijc. destrui formam syllogisticam.*

Respondetur primò, non esse mirum si negetur consequentia in primo syllogismo, cùm in huiusmodi propositionibus semper mutetur suppositio, sicque lateat æquiuocatio in illis terminis *hoc animal* & *hoc rationale*, dum à sensu & statu præcisionis transferuntur ad statum realem. Vnde in his syllogismis semper sunt quatuor termini, quia omnis terminus æquiuocus est virtualiter seu æquiualenter plures, vt constat si formetur syllogismus ex hoc termino canis. Respondetur secundò distinguendo maiorem, hoc animal cognoscitur adæquatè, nego maiorem; inadæquatè, concedo. Distinguo item minorem, *hoc rationale est hoc animal*, si hoc animal sumatur adæquatè, & pro omni eo quod dicit à parte rei, concedo minorem; si inadæquate, nego. VI. *Resp. per præcisiones nõ derogari formæ syllogisticæ, cùm semper mutetur suppositio.*

Per quæ patet ad Confirmationem, cursus enim cùm non sit qualitas intentionalis, sed Physica, necessariò applicatur toti prout à parte rei, sicque sumi omnia debent in sensu reali, seu prout à parte rei: subiecta enim, vt dicunt Dialectici, determinantur à prædicatis. Actus verò intellectus, cum sit qualitas intentionalis, diuidere potest obiectum intentionaliter, sicut & tendere in obiectum quod omnino non est, imò quod est impossibile, quod cursui & aliis qualitatibus Physicis non conuenit. VII. *Aliud in forma syllog. est de prædicatis intentionalibus & Physicis.*

Obiicies decimotertiò: obiectum vt distinctum ab actu, non habet formalitates, ergo actus nullas in eo attingere potest, nec enim attingi potest quod non est. Respondetur, in obiecto nullas esse formalitates ante cognitionem, nisi fundamentaliter, cognitio verò tendens in obiectum præcisiuè, formalitatem facit, non quidquam cernendo in obiecto quod non est, sed inadæquatè cernendo quod est, & illud intentionaliter segregando. Nec intellectus in actu signato videt plures formalitates in obiecto, sed in actu exercito in obiectum tendendo inadæquatè, ipso facto formalitatem facit, quæ illud est quod huic actui præcisè respondet, quam proinde facit non aliquid in obiecto ponendo, sed intentionaliter & in actu exercito tollendo, vt suprà s.7. fusè est declaratum. VIII. *Intellectus inadæquatè cognoscens obiectum, facit formalitatem.*

Quomodo species inadæquatas comparet intellectus ad obiectum inadæquatè cognoscendum, iam aliquid diximus in superioribus; plena autem huius rei discussio spectat ad libros de Animâ, in tractatu de speciebus. IX. *Vnde species inadæquatæ.*

An, & qua ratione dentur præcisiones in diuinis non est præsentis instituti, cùm quæstio sit merè Theologica, & eam disputaui 1.p.d.2.s.4.5.& 6. dum de visione vnius Personæ sine aliâ. Aliquid etiam hac de re addam disputatione sequente. X. *Præcisiones in Diuinis.*

DISPVTATIO XXV.

Vtrum per actus intuitiuos fieri possit Præcisio obiectiua.

Visio intuitiua duplex, spiritualis & corporea.

VIsio intuitiua duplex est, spiritualis, & corporea: illa in mente, & intelligendi vi sita est, hæc materiali organi termino circumscripta: Illa in Deo, in Angelis, in hominibus reperitur, hæc homini cum animantibus cæteris est communis: Illa in res etiam remotissima fertur, nullis loci vel temporis circumstantiis definita, hæc certam sphæram, certos sibi præfixos habet limites: Illa abstrusa quæque & abdita rimatur, ad intimam cuiusque rei naturam ac medullam penetrat, hæc obtusior externam tantùm rerum speciem ac superficiem intuetur, & hæret velut in cortice. De his ergo in præsenti inquirimus præscindant necne, vel præscindere possint obiectiuè.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Intellectus per actus intuitiuos præscindere possit obiectiuè.

I. *Quatuor cognitionũ genera.*

VT clariùs hac in re procedamus Notandum data re quauis cognitionum quatuor haberi genera posse, vt in gradu perfectionis, ita in cognoscendi modo diuersa: cognitionem scilicet *Abstractiuam, intuitiuam, Quidditatiuam, & Comprehensiuam.*

II. *Quid sit cognitio abstractiua.*

Abstractiua cognitio est, quæ vel abstrahit à rei existentiâ. vt dum de Anti-christo quis cogitat secundùm se, seu non cogitando existat necne: vel rem per species cognoscit à rebus aliis abstractas, vt cum spiritum per species à rebus corporeis, Deum per species cognosci à rebus creatis abstractas, ideo dicta abstractiua.

III. *Cognitio intuitiua.*

Intuitiua cognitio huic è diametro opposita duo præstat, rem scilicet existentem videt vt existentem, deinde eam vt in se est, non instar aliarum rerum, vt spiritum non instar corporis, sed vt spiritum intuetur, seu per proprias species, quæ proinde immediata & perfecta repræsentatio est & idæa, suisque rem quamque, vt ita dicam, coloribus adumbrat.

IV. *Cognitio quidditatiua.*

Quidditatiua cognitio (quæ vt propria sit, debet esse intuitiua) est actus qui ita in quidditatem seu essentiam rei fertur, vt eam ab omni aliâ, etiam simillimâ distinguat. Vnde qui quidditatiuam habet rei alicuius cognitionem, si illâ amotâ, alia simillima illius loco substituatur, mutationem discernet.

V. *Cognitio comprehensiua.*

Comprehensiua tandem cognitio, & omnium perfectissima est, quæ totam rei cognoscibilitatem exhaurit, clarè nimirum sciendo quænam sit illius essentia, quæ & quanta virtus eius operatiua; quos terminos respiciat, alia huiusmodi, vno verbo, *quæ rem cognoscat quantum cognoscibilis est.*

VI. *Actus intuitiuus potest præscindere obiectiuè.*

Dico primò, actus clarus & intuitiuus potest præscindere ex parte obiecti: vnde Relatio in diuinis clarè potest & intuitiuè videri non visâ essentiâ. Ratio est, quia cum ex vna parte nulla huius rei assignari possit repugnantia, ex aliâ verò Trinitatis mysterium & Incarnationis hoc non leuiter indicare videantur, nulla ratio est cur visioni id intuitiuæ non concedatur.

VII. *Dices: visio intuitiua videt rem prout est in se, ergo non præscindit.*

Dices primò, est peculiaris repugnantia in visione intuitiuâ, per eam enim videtur Relatio prout est in se, in se autem & realiter est vnita essentiæ, Respondetur sensum illius loquendi modi esse, non per visionem intuitiuam videri sicut est in se, id est immediatè, seu per species proprias, non alienas, & instar aliarum rerum quas abstractiuè cognoscimus. Ad obiectionem ergo distinguo antecedens, per visionem intuitiuam videtur prout est in se adæquatè, seu ita vt omnia cum ea identificata per visionem illam exprimantur, nego antecedens; videtur prout est in se inadæquatè, concedo.

Res videtur vt est quidditatiuè, vt inadæquatè, sed non adæquatè.

VIII. *Relatio in Diuinis nõ videtur in actu signato vt distincta ab essentiâ, sed solùm in actu exercito.*

Dices secundò, Relatio à parte rei, & vt est in se non est distincta ab Essentiâ, ergo si videatur vt est in se, non potest videri vt distincta. Distinguo consequens, non potest videri in actu signato vt distincta, concedo consequentiam; non potest videri in actu exercito vt distincta, seu per hanc visionem non distinguitur, nego: visio enim, sicut & cognitio abstractiua tendendo inadæquatè in obiectum, diuidit illud intentionaliter, licet à parte rei seu realiter sit idem, & hoc modo illud distinguit. Deinde Relatio in diuinis est virtualiter distincta ab Essentiâ.

IX. *Quomodo formalitas præcisa possit videri distincte.*

Dices tertiò, non potest videri Petrus sine Petro, ergo nec Relatio sine Essentiâ, cùm non minùs identificentur, quàm Petrus secum. Distinguo antecedens, non potest videri Petrus adæquatè sine Petro, concedo antecedens; inadæquatè, nego. Sic suprà d. 24 f.8 in solutione quintæ obiectionis dixi posse animal videri inadæquatè, & in varias distingui formalitates tanquam in partes extensiuas, quæ omnes vnum integrum gradum Metaphysicum constituunt.

X. *Quo sensu res simplex, vel tota sciatur, vel tota ignoratur.*

Dices quartò, affirmare Aristotelem id quod simplex est, vel totum sciri, vel totum ignorari, Deus ergo, simplicissimus cùm sit, diuidi intentionaliter non potest. Respondetur vel loqui Aristotelem de re aliquâ omni modo, etiam virtualiter simplice, quale supra diximus probabiliter esse prædicatum Entis, & differentiæ indiuidualis: vel loqui ipsum de cognitione, non præcisiuâ, sed positiuâ, quâ scilicet aliquid iudico, seu affirmo, & hoc modo vel scitur res de qua fertur iudicium, vel ignoratur, dum enim dicit quis Petrus est homo, vel hoc totum scit, vel totum ignorat, cùm consistat in indiuisibili.

XI. *Per cognitionem etiã quidditatiuam fieri potest præcisio obiectiua.*

Dico secundò: per cognitionem quidditatiuam fieri etiam potest præcisio obiectiua. Ratio est, quia ad conceptum cognitionis quidditatiuæ sufficit, quòd ex vi illius ita rem cognoscat, vt ab alia omni re etiã simillima possit eam discernere, hoc autem facere potest, licèt vnum aliquod illius prædicatum lateat cognoscentem.

XII. *Fieri potest præcisio per cognitionẽ aliquam comprehẽsiuam.*

Dico tertiò: per cognitionem comprehensiuam vulgarem fieri potest præcisio obiectiua, non per plenam comprehensionem, & perfectam. Prima pars probatur, comprehensio enim vulgaris est quæ rem cognoscit in ordine ad effectus tantùm illos qui, secundùm communem cursum & naturas rerum ab eo produci possunt, hoc tamen non obstante, multa alia in re illa esse possunt prædicata in ordine ad effectus supra aut præter naturam, qui sub cognitionem illam non cadunt. Per perfectam autem & omnimodam comprehensionem, cùm omnia omnino sciantur, fieri Præcisio non potest.

SECTIO II.

Vtrum visio corporea præscindat obiectiuè.

I. *Negat S. Thomas sensum posse præscindere.*

Recolenda hîc verba quæ supra s.5.nom.9.ex S. Thoma 1 p.q.12.a.4.corp.attuli, vbi duas in homine virtutes statuit cognoscitiuas, intellectualem alliam, aliam organi corporalis, & primam ait cognoscere res posse abstractas à singularibus, *quod*, inquit, *est supra facultatem sensus*. Quæ S. Doctoris verba ideo hic præfigo, vt si quis me inconsequentiæ arguat, quod intellectui vim præscindendi tribuam, oculo negem, vt, inquam, videat in quem eâdem operâ hoc telum contorqueat.

II. *Nec oculum corporeum, nec vllum sensum præscindere obiectiuè.*

Dico itaque cum S. Thoma loco citato Oculum corporeum (idem est de aliis sensibus, vnâ forte imaginatiuâ exceptâ) obiectiuè non præscindere. Ratio à priori est, nam sensus materialis semper potest percipere totum obiectum, ergo semper totum percipit, probatur consequentia, est causa naturalis seu, naturaliter agens, sed causa naturalis semper præstat necessariò totum quod præstare potest, sicut ignis quandocunque comburere potest, comburit necessariò. Antecedens primum, quod scilicet semper possit videre totum obiectum, probatur, quandocunque habet speciem obiecti habet speciem totius obiecti; ergo quandocunque potest videre obiectum potest videre totum obiectum. Antecedens patet, habet speciem immediatè emissam & productam ab obiecto, & quæ ab illo procedit vt quid physicum est & agens naturale seu necessarium, sic enim operatur obiectum & speciem producit.

III. *Nec sola ratio communis coloris potest producere speciem, nec ratio communis speciei visionem.*

Dicet forsan aliquis, licèt producatur in oculo tota species, non tamen totam operari, sed rationem solam communem. Contrà primò, tam repugnat solam rationem communem speciei operari, quàm solam rationem communem coloris, cùm sit realiter eadem, sic enim idem operaretur & non operaretur, cùm operetur physicè. Contrà secundò, differentia vltima speciei est essentialiter operatiua, nam est repræsentatio virtualis seu virtutis productiua repræsentationis suipsius, ergo potest illam producere, ergo producit, cùm operetur necessariò Contrà tertiò, differentia vltima indiuidualis secundùm hos auctores nunquam potest per oculum videri, cùm nunquam distingui hic color possit ab alio planè simili, cum tamen secundùm ipsos distingui posset si videretur vltima illius differentia, ergo datur vbique virtus actiua quæ nunquam habebit effectum, ac proinde otiosa, quod in natura concedi non debet.

IV. *Omnia prædicata coloris producunt speciem.*

Confirmatur ratio à priori prius assignata: si qua ratio in obiecto etiam secundùm contrarium sentientes, non produceret in magna saltem distantiâ speciem sui, esset differentia vltima specifica, cùm à longè. vt aiunt, illam vix percipere possimus nec discernere sitne huius speciei color an alterius, sed illa maximè producit speciem sui ergo. Probo minorem, differentia specifica est maximè operatiua, quod probatur, nam differentia specifica in metaphysicis comparatur à Philosophis formæ in Physicis, forma autem in Physicis est quæ dat speciem & operatur, vt anima in homine, ergo & differentia in Metaphysicis. Vnde calor producit calorem, non quia qualitas est vel accidens, sic enim omnes qualitates & accidentia calorem producerent, sed quia calor. Differentia ergo specifica caloris est ratio cur potius calorem producat quàm frigus.

V. Probatur secundò: sensus materialis non habet subtilitatem illam qua pollet intellectus, qui in res quaslibet spirituales tempore distantes, imo etiam impossibiles fertur, quæ in sensum non cadunt. Fertur ergo in obiectum sensus materiali & sibi proportionato modo, totum semper obiectum sibi propositum adæquatè percipiendo, cùm species inadæquatas nec habeat nec habere possit, vt diximus.

Ex eo quod intellectus præscindat, ab sequitur præscindere sensum.

VI. *Si sensus præscindat sequitur aliquando videre tantùm formalitatem entis.*

Probatur tertiò: aliquando ita imperfectè videtur obiectum, vt aliud distinguere non possimus nisi esse ens, & sic solùm dicimus est aliquid, nec ex vi visionis discernere possumus sitne substantia an accidens, color an aliud quidpiam, ergo tunc solùm videret oculus rationem seu formalitatem entis. Patet consequentia, ideo secundùm aduersarios non videt oculus differentiam vltimam vel specificam coloris, sed colorem tantùm in communi, quia non potest illam intellectus discernere, seu quis color sit affirmare, sed solùm esse colorem, sed nec potest hic discernere sitne substantia, an accidens, an aliud quidpiam, sed solùm esse ens, ergo solùm videt formalitatem entis.

VII. *Sequitur videre subinde quid commune entis & non entis.*

Confirmatur, aliquando videtur aliquid à longè tam imperfectè vt discernere non possimus sitne aliquid an non, seu ens an negatio entis seu nihil, ergo tunc videt negationem secundùm aduersarios, vel saltem rationem aliquam communem abstractam ab ente & non ente, qualis nulla est possibilis, ac proinde oculus videret Chimæram, vel dicere debent aliquid videri cuius rationem intellectus reddere ex vi illius visionis non potest.

VIII. *Sequitur odoratû olfacere, & gustû gustare odorem aut saporem in communi.*

Probatur quartò: si visus non percipiat vltimas differentias, ergo nec alij sensus, visus enim inter omnes sensus est sagacissimus, ergo omnes sensus potentes præscindere, ergo cùm aliquid olfacimus, & dubitamus sitne hic odor an alius, nec possumus distinguere quis odor in particulari sit, sentimus solùm odorem in communi, & olfactus faciet vniuersale. Idem cum quis arborem aut parietem tangit, aut cibum aliquem gustat quem ab alio non discernit. Ergo non valet argumentum, intellectus non potest distinguere vnum ab alio ex vi visionis, aut alterius sensationis, ergo visus vel sensus non percipit vltimam differentiam.

SECTIO III.

Obiectiones contendentes oculum præscindere obiectiuè.

I. Arguitur primo; oculus videt rationem coloris, non videt rationem qualitatis vel accidentis, ergo. Confirmatur, color relationem transcendentalem dicit causæ ad speciem, quam producit, tanquam ad suum effectum, sed oculus licèt videat colorem, illam tamen relationem non videt, ergo præscindit. Ad argumentum distinguo antecedens, oculus videns colorem, non videt rationem qualitatis tantùm, concedo antecedens; non videt simul cum aliis, nego: videt enim rationem qualitatis, entis, & accidentis contractam, illius enim totius habet speciem, cum totus color necessariò speciem sui in oculo producat, vt diximus. Ad confirmationem dico, oculum videntem colorem necessariò videre illam relationem, quia nihil aliud est quàm ipsa realis entitas coloris, vnde si colorem videt, relationem videat necesse est, cùm etiam illius speciem necessariò habeat, sicut & coloris.

Oculus videns colorem, videt et rationem qualitatis, accidentis & cætera.

II. *Aliud est videre aliquid, aliud comparare.*

Ad vtramque autem solutionem stabiliendam notandum, aliud esse videre aliquid, aliud ad ea quibuscum connexionem habet comparare, primum facit sensus, secundum non potest cùm non sit comparatiuus vel reflexiuus, sed simplici quodam ductu

in

in obiectum tendat, alioquin oculus nihil omnino videret cum nihil videat comparatiuè. Cognoscit ergo relationem illam, licèt non comparatiuè, tunc enim deberet terminum cognoscere, qui tamen est extra sphæram oculi, sæpe enim, imò plerumque est tantùm quid possibile, ad multas enim species possibiles relationem dicit color.

III. *Obij: dum videtur color à longè non discernitur quis color sit, ergo videtur ratio communis.*

Arguitur secundò: cum video colorem à longè, discernere nequeo sitne cæruleus, viridis flauus &c. ergo oculus non videt differentiam eius specificam, nam si videret, repræsentaret illam intellectui, qui consequenter differentiam illam discerneret, & sic videns, etiam à longè, sciret determinatè quis color esset. Dices videt differentiam specificam, sed implicitè, genericam autem clarè. Contrà, à parte rei eadem est ratio generica & specifica, nam tantùm est hic color, nec vlla distinctio, ergo videt idem clarè, & idem clarè non videt, quæ sunt apertè contradictoria.

IV. *Aliud est cernere, aliud discernere.*

Hoc argumentum fateor est difficile, ad cuius proinde solutionem notandum primò, aliud esse rem cernere, aliud discernere. Sensus itaque præsertim externus, licèt rem aliquam cernere possit, non tamen potest discernere hoc enim vni conceditur intellectui, vel ad summum sensui interno, discernere quippe aduertentiam quamdam requirit & reflexionem, saltem virtualem, oculus autem corporeus non est reflexiuus, vnde obiecta etiam quæ clarissimè videt, non discernit.

V. *Clara perceptio sensitiua obiectorum non est penes hoc metienda, quod intellectus vnum discernat ab alio.*

Notandum secundò, non semper claram vel non claram perceptionem sensitiuam obiectorum esse penes hoc metiendam, quòd intellectus vnū discernat ab altero, sed in facilitatem refundi debet vel difficultatem obiectorum, quorum aliqua, licèt æqualiter à sensibus percipiantur, facilius tamen aut difficilius ab intellectu discernuntur. Exempli gratia, ponamus Petrum & Paulum voces habere quā simillimas, alius quispiam qui vtrumque perfectè nouit, audiat clausis oculis Petrum propter se loquentem, intellectus tamen ipsius discernere non poterit sitne Petrus qui illic loquitur, an Paulus, non quod vocem Petri clarè non audiat, cum vltimas etiam illius syllabas articulatim distinguat; refundi ergo debet in difficultatem obiecto insitam. Idem est in duobus floribus, duabus aquis, vel coloribus planè similibus proximè oculo propositis, vbi licèt differentias etiam vltimas eorum percipiat oculus, cum debitè proponantur, & clarè totum obiectum cernatur, adhuc intellectus vnum ab altero non poterit discernere, licet facilè flores distingueret, vel aquam ab omni non flore & non aquâ; vnde si Angelus eorum ordinem inuerteret, vel loco vnius alium planè similem sufficeret, non id perciperet intellectus abstractiuè cognoscens. Videtur proinde manifestum non esse idem, clarè aliquid percipi sensu, & ita percipi, vt intellectus id distinguat, aut discernat ab alio.

VI. *Non pari passu procedunt oculum clarè cernere, & intellectum clarè discernere.*

Hoc in imperfectâ etiam visione cerni potest; ponantur enim simul à longè cæruleus color & violaceus in tantâ distantiâ, vt intellectus vnū nequeat discernere ab alio, sed putet eiusdem esse coloris, (quod factu facilius est si sibi mutuo intertexantur, vt in opère fit tessulato seu segmentato) tollatur deinde color violaceus, & in eadem distantiâ illius loco viridis sufficiatur, vel niger, discernet facilè intellectus non esse eiusdem coloris, non quod perfectius videat oculus cæruleum colorem quàm antea, sed ob facilitatem discretionis ex parte obiectorum, discerneret enim illos intellectus licèt oculus minùs perfectè vtrumque cerneret, quàm antea, vt si paulò remotius statuantur. Non ergo pari passu procedunt clarè oculum cernere, & clarè intellectum discernere.

VII. *Dum oculus minùs clarè cernit, intellectus facilius sæpe discernit.*

Confirmatur, ponatur in aliquâ distantiâ nix & lac, non discernet intellectus vnius colorem à colore alterius, sufficiatur obtusus aliquis color, vel fuscus loco lactei. & vterque ponatur remotiùs, facilè illum discernet intellectus, non quòd clariùs cum cernat oculus, nam remotiùs est positus quàm antea, & lacteus color magis est actiuus, perfectioresque emittit species, quàm fuscus, & consequenter clariùs videtur.

VIII. *Quid sit oculum clarè cernere.*

Quæres, quid ergo sit clarè oculum cernere? Respondetur, clarè cernere obiectum, est ita cernere, vt non solum percipiat terminos totius, sed terminos etiam partium; in aceruo lapidum, exempli grana, vel tritici, non solùm videat quousque totus ille aceruus extendatur, sed singulorum etiam lapidum vel granorum terminus per speciem percipiat modificatam, ita vt vnusquisque in particulari lapis vel granum, quantum sit cernat, & minutissima in iis contenta. nec vt omnes solùm partes videat, sed singulas, seu sigillatim, &, vt verbo dicam, vt modus visionis sit modus non totius tantùm, sed singularum etiam partium.

IX. *Potest idem obiectum clarius & clarius videri, licet nihil in eo noui cernatur.*

Id tamē notandum, posse clariùs & clariùs idem obiectum videri, licèt noui nihil in eo percipiatur, ex eo solùm quòd quis acuto iis visu illud aspiciat. Quid enim magis repugnat obiectum idem clariùs & clariùs videri, licet nihil in eo noui percipiatur, quàm intensiùs idem & intensiùs amari, licet aliud in eo nihil secundo actu ametur, quā primò? quidni enim æquè possit intellectus idem planè obiectum clariùs intelligere, atque voluntas intensiùs amare? Confirmatur primò, pono aliquem ita videre albedinem sibi proximè ex aduerso in eâ distantiâ propositam, vt omnia in eâ cernat, accedat alius qui acutiorem habet visum, clariorem eliciet actum, & albedinem denominabit clariùs visam, ac proinde clarius illam totam cernet, nihil tamen in eâ videbitur quod alter non vidit, cùm alter videret, vt supponimus, omnia; tota ergo diuersitas est ex parte actus.

X. *Hoc ostenditur in omni visione albedinis.*

Confirmatur secundo: etiam ab ipsis aduersariis hoc admitti debet, nam cùm quis videt albedinem aliquantulum remotam, licèt secundùm ipsos cùm propiùs accedit, nouam semper formalitatem videat, quàm antea non videbat, negare tamen non poterunt quin ipsam etiam rationem coloris vt sic clariùs videat quàm antea, nam meliùs proponitur obiectum ac illa ratio communis, & species illius sicut qualitates omnes actiuæ meliùs, per se loquendo, & fortiùs in propinquo operantur quàm in remoto, ergo ipsam rationem coloris quam antea videbat, clariùs videbit & perfectiùs, certiusque dicet intellectus esse colorem quàm antea.

XI. *Clarè ostenditur non semper aliquid noui videri, quoties res clarius cernitur.*

Confirmatur tertiò: cùm quis ita remotè aliquid videt, vt possit solùm dicere est color, secundùm aduersarios videt tantùm rationem communem coloris, quia intellectus reddere rationem nequit nisi illius tantùm: accedat paulò propiùs, adhuc non poterit discernere quis color sit, nec intellectus adhuc reddere rationem nisi coloris in genere, & tamen clariùs rationem illam videt quàm antea, nam est meliùs propositum obiectum, vt supra diximus: ergo etiam iuxta aduersarios potest aliquid clariùs videri, seu clariori actu perspici licèt nihil in eo noui cernatur.

XII. *Dum quis paulò propius accedit, nulla noua formalitas cernitur in obiecto.*

Dices, nouam semper formalitatem in eo obiecto cerni. Contrà, intellectus nouæ formalitatis rationem reddere non potest, nec plus dicere quàm antea, sed solùm illic esse colorem, ergo vel non videt nouam ibi formalitatem, vel si videat, quidni etiam videre poterit vltimam differentiam? saltem nō

exinde probatur oculum eam non videre quod intellectus rationem illius reddere, seu eam discernere non possit, hîc enim nouam concedunt videri formalitatem, cuius tamen rationem reddere intellectus non potest, non ergo valet, intellectui non potest discernere, ergo oculus non potest cernere.

XIII. *Circa idẽ obiectum elicitur conclusio opinatiua, & scientifica.* Confirmatur quartò: circa idem omnino obiectum possumus elicere conclusionem opinatiuam & scientificam, sed conclusio illa est repræsentatio seu cognitio eiusdem planè obiecti, & tamen scientifica cognitio est clarior opinatiuà, ergo idem omnino obiectum clariùs potest & clariùs internosci.

XIV. *Eadem claritate, quâ videtur vna formalitas, videntur omnes.* Dico itaque eâdem claritate qua videtur ratio communis coloris, videtur etiam differentia specifica, imò & indiuidualis, atque adeo tota albedo. Quòd autem intellectus non possit colorem illum ab omni alio internoscere, non ex eo prouenit quòd aliquid in obiecto non cernat oculus, sed quòd totum eâ claritate non cernat, vt possit illud ab omni alio colore discernere, ad quod maior claritas ex parte actus requiritur, quàm ad discernendum ab omni non colore, vt diximus.

XV. *Resp. in formâ ad argumentum numero tertio propositũ.* Ad argumentum ergo in formâ, nego consequentiam, ad probationem, dico tam videri differentiam specificam & hunc colorem, quàm rationem coloris, cùm obiectum tam speciem vnius producat quàm alterius, producit enim speciem vt à parte rei, à parte rei verò non est vnum & aliud. Quia tamen species est admodum imperfecta, non clarè repræsentat obiectũ, sed solùm confusè. Quod autem intellectus colorem illum ab omni alio non distinguat, inde prouenit, quòd difficilius sit colorem à coloribus discernere, quàm à non coloribus. Imò aliquando ita confusè aliquid cernitur, vt non possit plus percipere intellectus, quam esse ens, vt supra diximus, non tamen dicent, opinor, aduersarij oculum non percipere plus quam rationem entis, quia hoc esset oculum tendere extra obiectum suũ adæquatum.

XVI. *Vnde fiat, vt si sensus non præscindat, præscindat intellectus.* Dices, ergo nec intellectus præscindet rationem coloris vt sic à differentiâ vltimâ, cùm enim totum colorem videat oculus totum etiam repræsentabit apprehensio, ac proinde non præscindet. Respondeo primò, apprehensionem illam omnium primã, & quasi surreptitiam, quæ necessariò visum & omnes sensus comitatur, fortè nõ præscindere, probabile est enim nil eam differre à visione nisi quòd hæc materialis sit, illa spiritualis, ac proinde instar visionis materiali quodam modo in obiectum fertur, non subtilitate illâ & sagacitate propriâ intellectus. Postea tamen intellectus aduertens conuenientiam & disconuenientiam inter colores, abstrahere rationem coloris potest in qua conueniunt, à rationibus particularibus in quibus differunt, & tunc etiam primò cum colorem videt à longe, rationem coloris vt sic à differentiâ particulari poterit præscindere, De quo plura in libris de Anima, dum de speciebus.

XVII. *Species totum semper obiectum repræsentat.* Ad conclusionem huius quæstionis, notandum, licèt species qualitas sit paulatim defectiua, sicut impulsus & in propinquo actiuior quàm remoto, non tamen ita se habet virtus hæc defectiua, vt remotè rationis solùm communis sit repræsentatiua, in vicino particularis, cùm enim sit species totius, immediatè à toto proueniens, necessariò totum repræsentat. Ratio ergo defectiui in specie in eo sita est, quòd à longè totum confusè repræsentet, & quò propius quis accedit, repræsentet idem totum clariùs, vt suprà diximus.

SECTIO IV.

Sitne Distinctio rationis Ens rationis.

I. *Ratio quatuor modis sumitur.* NOtandum, varijs modis accipi rationem. Primò enim intellectum significat, qui & dicitur ratio. Secundò naturam, essentiam, seu quidditatem rei quæ definitione explicatur, & dicitur ratio rei. Tertiò, sumi ratio solet pro conceptu formali, seu cognitione quam intellectus circa obiectum elicit. Quartò, pro obiecto talis conceptus, & dici solet ratio obiectiua, sicut & cõceptus obiectiuus. Aliquando etiam vocatur ratio formalis, non simpliciter, sed cum addito, nempe obiectiua. Sermo ergo præsens est de hoc vltimo, conceptu scilicet illo obiectiuo qui actui præcisiuo respondet.

II. *Distinctio rationis non est ens rationis.* Conclusio negatiua. Ratio à priori: illud solùm est ens rationis quod ita totum est, vel saltem aliquid in se habet per intellectum, vt sine illo nec sit, nec esse vllo modo possit à parte rei, ac proinde totum suum esse accipiat ab intellectu fingente, sed animal non est huiusmodi, ergo. Probatur minor, intellectus dum animal concipit, non fingit id quod non est, sed concipit inadæquatè quod est, nam verè à parte rei est principium sentiendi, licèt non tantùm, seu prout hoc nomine significatur. Verum quidem est si intellectus conciperet positiuè negationem identitatis cum rationali, faceret ens rationis, fingeret siquidem negationem quæ nec est, nec esse potest.

III. *Nullus actus præscindens, quà præscindens potest facere ens rationis.* Vnde mihi videtur implicare contradictionem, vt vllus actus præscindens, quà præscindens præcisè (quod addo, quia si præscindat in entibus rationis, vt rationem Chimæræ vt sic ab hac & illa Chimæra, erit ille ens rationis) faciat ens rationis, quia cùm præscindat in entibus realibus, quidquid illi actui obiicitur, est necessariò ens reale, nil enim considerat quod non sit pars alicuius entis realis, ergo non fingit, *præscindentium* enim, vt cum Aristotele asserit tota Philosophorum Schola, *non est mendacium* seu fictio: in ente autem reali implicat vt sit aliquid rationis, seu fictum, cum tota eius entitas sit ante opus intellectus, ac proinde adæquatè realis.

IV. *Non quidquid aliter repræsentatur, quàm esse possit, est ens rationis.* Dices, aliter per actum illum repræsentatur obiectum quàm à parte rei est, vel esse possit, ergo fingit actus, & facit ens rationis. Distinguo antecedẽs, aliter se habet præcisiuè, concedo antecedens, positiuè, nego: hoc est, non illud omne quicum est adæquatè idem à parte rei, concipitur simul cum illo, non tamen aliquid cum eo concipitur, quod à parte rei non habet.

V. *Animal per præcisionem non aliter se habet positiuè, sed tantùm præcisiue.* Vrgebis, licèt non concipiatur cum aliquo quod non habet, concipitur tamen sine aliquo quod habet, sed non minùs repugnat rem existere sine aliquo sibi essentiali, quàm cum aliquo fictitio sibi non essentiali, ergo. Distinguo secundam partem maioris; concipitur sine aliquo quod habet positiuè, seu negatiuè, vt aiunt, concipiendo scilicet animal non esse idem realiter cum rationali, vel ponendo in animali negationem rationalis, nego; concipitur præcisiuè, seu concipiendo rationem animalis, merè habendo se negatiuè circa rationale, seu præscindendo ab illo, concedo; hoc autem non est facere ens rationis, quia obiectum illius actus, seu conceptum obiectiuum nihil ingreditur fictum, vel quod existere à parte rei non possit,

VI. *Animal conceptum sine rationali non magis est ens rationis, quàm ignis conceptus sine actione.* Instabis, obiectum illud prout concipitur per hunc actum, nec existit nec existere potest, ergo est rationis. Respondeo, si illud *prout* reduplicet modum aliquem per cognitionem obiecto insitum, negandum esse suppositum, nam nullus est huiusmodi

di modus; si autem *prius* nihil aliud velit, quam animal non posse à parte rei existere sine rationali, vel aliâ aliquâ differentiâ, est verum: hoc autem non magis arguit esse ens rationis animal hac ratione conceptum, quam punctum, vel quemcunque alium modum quem præcisiuè concipimus sine subiecto, aut sine actione eius productiuâ vel conseruatiuâ, cùm sine illâ nec sit nec esse possit. Imò in sanctissimâ Trinitate quoties cogitamus de Patre, vel Filio, aut Spiritu Sancto sigillatim, faceremus ens rationis.

VII.
Quomodo differat distinctio in actu signato, & distinctio in actu exercito.

Hæc solutio eadem forte cum illâ est, quæ aliis terminis à quibusdam tradi solet nempe *in actu signato, & in actu exercito.* Distinctio *in actu exercito* illa est, quæ exercetur seu fit, non cognoscitur, vt cum de capite solo in actu signato cogitamus illud *in actu exercito* à reliquo corpore ex parte obiecti intentionaliter præscindimus, & diuidimus, licèt supra diuisionem factam non reflectamus, nec affirmemus illud vnitum corpori non esse. Distinguere *in actu signato* est distinctionem ipsam in obiecto repræsentare, seu cogitare à parte rei distinctionem esse inter animal & rationale, quod si fieret esset ens rationis, illa siquidem distinctio à parte rei, seu realis, nec est nec esse potest. Prior explicandi modus nostræ Præcisiones explicandi rationi est conformior.

DISPVTATIO XXVI.

De Vniuersali in Communi.

I.
Scientia est de vniuersalibus.

SCientia, teste Aristotele, *est de vniuersalibus:* cùm ergo indagatrix veritatis Dialectica ad eam præcipuè tanquam ad scopum collineet, operæ hîc pretium arbitror hunc de Vniuersali tractatum attexere. Quanti verò fuerit difficillimæ huic disputationi quæstionem de distinctionibus præmisisse, quantumque præcisiones obiectiuæ ad claram illius resolutionem conducant, resipsa monstrabit. Tot enim, tamque spinosi hic nodi ac nexus occurrunt, vt clarè omnes euoluere per sanè sit difficile, sine præcisionum verò ac distinctionum præsidio fermè impossibile.

Ad vniuersalis cognitionem plurimum conducunt præcisiones obiectiuæ.

II.
Reprehendit Philosophos Canus, quod de vniuersali tã serio disputent.

Imò verò res hæc nonnullis olim ita facessebat negotium, vt Melchior Canus l.9. de locis Theolog. c.7. licet se ingenij non omnis tardi esse dicat, quæstionem tamen de vniuersali, (quamuis in eâ multum se desudasse, temporisque non parum ac diligentiæ posuisse testetur) nunquam se capere potuisse fateatur. Vitio proinde vertit Philosophis quòd eâ in re tantum vel laboris, vel otij impendant, quæ vtilitatis parum, molestiæ plurimum ferat, quodque rem tam parui momenti tanto sudore compararent.

III.
Tractatus de vniuersali vtilis, & necessarius.

At sanè quidquid de labore sit ac diligentia, quæ in Vniuersali addiscendo ponenda est, tractatus iste apprimè vtilis est, ne dicam necessarius. Quo enim pacto Dialecticæ studiosi suas conficient Demonstrationes ac Syllogismos, in quibus Vniuersalia frequenter includuntur, si, quid vniuersale sit, eos lateat? Quo pacto per Definitionem, genere constantem & differentia, naturas rerum peruestigabunt, si, quid Genus, quid Differentia sit, nesciant? Genus autem scire nequeunt, si Vniuersale, quod Generis Genus est, ignorent.

IV.
Ex Dialecticæ spinis scientiarum omnium rosæ nascuntur.

Quod si quis Vniuersale, quod spinosum sit, reformidet, is Dialecticæ studio omnino abstineat, vtpote quæ tota spinis est consita, ex quibus tamen, si excolatur, scientiarum omnium rosæ enascuntur.

SECTIO I.

Refellitur sententia Platonis.

I.
Vniuersale in causando, significando, repræsentando, essendo, & prædicando.

CVm vniuersale ex generali vocis acceptione idem sonet quod commune pluribus, quot modis aliquid commune fuerit, tot erit vniuersale. Primùm ergo, causa quæ plures effectus producit, vel producere potest, vt *Deus & sol*, vniuersalis dicitur in causando: vox quæ plura significat, vt *canis, sanum, visus*, vel vnum commune pluribus vt *homo animal, substantia*, vniuersalis est in significando: Imago quæ plura simul repræsentat, vt *tabula geographica, globus calestis* &c. vel vnum commune pluribus, vt conceptus repræsentans *animal, viuens, substantiam*, vniuersalis est in repræsentando. Id tandem quod ordinè dicit ad plura quibus inest, & de quibus prædicatur, vt *natura humana de Petro, Paulo, & cæteris hominibus*, vniuersale in essendo dicitur & prædicando.

II.
Plato naturas rerum posuisse fertur à singularibus separatas.

Celebris hac in re est, sententia dixerim, an somnium Platonis, qui, vt refert Aristoteles 1. Metaph. c.6. tex.6. & c.7. item 7. Metaph. t.8. posuit naturas rerum omnium specificas separatas à singularibus, ingenerabiles & incorruptibiles rerum omnium, quæ in mundo sublunari sunt effectrices, easque in cornibus lunæ constituit, & Idæas nuncupauit, quarum participatione res omnes singulares constant, & tunc primum existere desinunt & corrumpuntur cùm ab Idæarum participatione desistunt; quæ proinde quia à multis participantur, vniuersales vocantur. aliudque vniuersale Plato non admisit.

III.
Rosa Platonica.

Rosam ergo in communi, exempli gratia, statuebat Plato spinis in communi cinctam, colore sine dubio in communi, & odore, aliisque in communi accidentibus ornatam, & cuius aspectu homo in communi illic existens mirè oblectabatur. Hanc, inquam, statuebat rosam rosarum sublunarium productricem, quas ita producebat, vt producendo constitueret, ita constituebat vt se iis totam imprimeret, ita demum tota inerat singulis, vt tota inesset vniuersis. Meritò hoc nomine rosa dicta vniuersalis.

IV.
Rationes, quas pro suâ sententiâ afferebat Plato.

Ratio eius erat primò, vt essent scientiæ, quæ sine obiecto ad hoc apto, nempe incorruptibili, & necessario, esse non possunt, singularia etenim omnia fluxa & corruptibilia sunt, ac contingentia, cùm in dies pereant, ac dilabantur. Secundò, quia videmus effectus sæpe produci quorum nulla particularis assignari causa potest, vt ignis, rana, & similes. Dari ergo debet ignis vniuersalis qui ignem producat in iis circumstantiis, & rana in communi incorruptibilis & à nostris sensibus remota, quæ ranam hanc progignat.

V.
Multi Platonem ab hoc errore vendicant.

Multique grauissimi auctores Platonem ab errore hoc ridiculo vendicant, asseruntque eum per Idæas non intellexisse substantias vniuersales separatas, sed Idæas omnium rerum in mente diuinâ, vbi rerum omnium cognitiones, infinitosque scientiarum thesauros habet reconditos: ita D. August. & alij, quos videre licet apud Conimb. q.1. d. vniuersali art.3. Imò arbitrantur nonnulli Aristotelem magistro suo Platoni hanc doctrinam falsò imposuisse,

fuisse, quod & alias sæpè fecisse fertur in doctrinâ Socratis & Platonis, vt haberet quod maiori facilitate ac plausu impugnaret.

VI. Exinde tamen mihi probabile videtur Platonem sententiam illam tenuisse, quod S. Thomas 1.p.q.85. a.1.ad primum & secundum & q.84.a.1.corp & alibi sæpe hoc ei placitum ascribat.

VII. *Hæc Platonis sententia aduersatur lumini naturæ.* Prima conclusio: hæc sententia fuerit Platonis necne, falsa planè & naturæ lumini repugnans. Ita communis Philosophorum sententia apud Conimb. loco proximè citato. Probatur primò, illa natura vniuersalis separata à singularibus vel est in illis vel non: si non, ergo non constituit illa, cùm nihil magis esse debeat intrinsecum rei quàm ipsa rei essentia; vnde si Petrus in terra esset, & Petri essentia in cornibus lunæ, Petrus homo non esset, quia in se essentiam & naturam hominis non haberet. Deinde si natura hominis sit in Petro & Paulo, ergo vel eadem numero in vtroque est, vel diuersa: si diuersa, ergo non est vna vniuersalis sed duæ, vel plures particulares, numero distinctæ, & numericæ; si eadem realiter in vtroque, primò, repugnat rem vnam realiter esse in tot realiter distinctis, deinde Petrus & Paulus erunt idem numero, nam in creatis *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

VIII. *Duo realiter distincta non possunt realiter identificari.* Confirmatur, Natura hæc vniuersalis iam non est realiter identificata cum singularitate Anti-christi, ergo nunquam cum eâ poterit identificari; duo enim realiter distincta, nunquam in vnam realiter entitatem possunt coalescere. Et eodem modo probatur singularitatem Petri iam existentis, quæque, vt supponitur, cum naturâ illâ identificatur, nunquâ ab eâ posse separari, nec Petrum destrui.

IX. *Rana in communi distingui necessariò debet ab omni rana particulari.* Confirmatur secundò, inter producens & productum esse debet distinctio realis, ergo si Ideæ illæ in cornibus lunæ, vel si velis in Epicuri Intermundiis existentes, rerum sublunarium sint productrices, vt rana in communi ranæ particularis, rana illa ab hac sublunari distinguatur necesse est, ergo vnam cum eâ ranam non potest constituere.

X. *Quidquid à parte rei existit, determinatum esse debet, & singulare.* Probatur secundò, quidquid à parte rei distinctum existit ab alio, aliquid determinatum est & certum, certain ac determinatum habens existentiam, impossibile quippe est *vt realis* entitas alicuius rei indifferens sit vt realiter sit entitas alterius, ergo est limitata ex naturâ suâ, & ad vnum determinata, ergo singularis, alioquin vna res posset esse alia. Cōfirmatur. existentia est vltimus actus entis, ergo non aduenit illi nisi completo in omni alia ratione, nempe Entis. Substantiæ. Corporis, Viuentis, Animalis, Rationalis, & Singularitatis, ergo. Confirmatur secundò, illa entitas est producta, ergo per actionem determinatam, ergo effectus est determinatus, vtpote à quo actio specificatur.

XI. *Scientia est de rebus, non physicè, sed Metaphysicè incorruptibilibus.* Nec vllius momenti sunt rationes in contrarium: non prima, nam ad rationem scientiæ non requiritur vt sit de rebus physicè incorruptibilibus, sed metaphysicè, siue de propositionibus quibus connexio extremorum est æterna, seu æternæ, vt aiunt, veritatis, & indefectibilis, nam de rebus physicè defectibilibus datur scientia, scimus enim quod sint physicè defectibiles, sed sub hac ratione sunt metaphysicè indefectibiles. Pereunt ergo res omnes possunt creatæ quoad esse physicum, non tamen quoad esse metaphysicum, seu connexionem prædicamentorum essentialium; licèt enim homines omnes submersi in diluuio Noë fuissent, adhuc verum esset dicere, *homo est animal rationale.* Ad secundam rationem dicemus in Physicis non solùm dari causas vniuocas, sed etiam æquiuocas à quibus tunc effectus illi producantur. Diuisio autem illa in *vniuersale ante res, in rebus, & post res*, explicari solet de Deo, vniuersali fundamentaliter, & vniuersali formaliter. *Vniuersale ante res, in rebus, & post res.*

XII. *Vniuersale est prædicatū quod inest suis inferioribus, & in eis multiplicatur.* Secunda conclusio: vniuersale de quo hîc agimus, est natura, seu prædicatum, quod secundùm se totum multiplicatur, & inest suis inferioribus, ac de iis in recto prædicatur tanquam eorum essentia. Secunda pars conclusionis, sequitur ex primâ, ideo enim potest aliquid in rectò prædicari de aliquo, quia inest ei; & si ei non insit tanquam quid essentiale, & cum eo realiter identificatum, prædicari de eo in rectò non potest: vnde licèt dicere possimus, *homo est albus, homo est animatus*, non tamen, homo est albedo, homo est anima, quia anima & albedo realiter ab homine distinguuntur. Prima conclusionis pars constabit ex sectione sequenti.

SECTIO II.

Refertur P. Fonseca opinio de vniuersali.

I. *Qui negat vniuersale consentur hæreticus in Dialectica.* Dari naturas aliquo modo vniuersales ita omnium animis insedit, vt quisquis id negauerit, Philosophi eum è logicorum numero exterminandum, aquâ & igni Dialectico interdicendum putent. Vnde S. Anselmus l.de Incarn.c.2.eos, qui naturas vniuersales omnino negant, *hæreticos in Dialecticâ* appellat. Et Galenus brutis stupidiores esse ait, qui ita omnia intra singularium limites restringunt, vt vniuersalia penitus tollant.

II. *Tres in quauis natura status ponit P. Fonseca.* P. Fonseca ergo l.5. Metaph.c.28.s.2.l.7.c.12.q.2.vt has censuras effugiat, nouam ac miram viniuersale statuendi viam iniuit. Tres itaque in vnaquaque naturâ status ponit, *secundùm se, existentia realis, & existentia obiectiua.* Primus naturæ status, *seu secundùm se*, est quo natura præcedit contradictionem ad singularia. Secundus status est ipse status contradictionis, quò scilicet natura à parte rei in ipsis singularibus existit. Tertius demum status est, quo natura per intellectum ab indiuiduis præscinditur, & sit vniuersalis.

III. *Statum indifferentiæ, in natura sit vniuersalis, vel singularis.* In primo ergo statu naturam ait nec vniuersalem esse, nec singularem, sed in statu quodam aptitudinis, & indifferentiæ vt vel singularis fiat per realem contradictionem ad differentias indiuiduales, vel vniuersalis per abstractionem intellectus.

IV. Hanc sententiam latè impugnat P. Suarez & P. Hurtado, ille d.6.Met.s.3 hic d.5 Met.s.6. Conimb. Arriaga d.4.log.s.2.& alij.

V. *Sed contrà: hæc indifferentia esset realis, semperque reperiretur in indiuiduis.* Omissis varijs quæ contrà hanc sententiam afferri possent, hoc vnico argumento sufficienter eam refutari existimo, Sequeretur banc indifferentiam naturæ pro illo priori esse realem, cùm antè omnem intellectus operationem eidem insit, sed non est realis, ergo. Probatur minor, si esset realis, natura eam in indiuiduis iam existens retineret, sed non retinet, ergo Maior videtur certa, illa enim aptitudo erat prædicatum reale, realiter identificatum cum naturâ, ergo si eam semel natura habuerit, semper eam habeat necesse est, cum implicet id quod semel cum re aliquâ realiter est identificatum, non semper cum eâ identificari. Quod verò aptitudinem illam naturam in indiuiduis non retineat, fatetur ipse P. Fonseca; dicens eam in indiuiduis vniuersalitatem illam aptitudinalem amittere.

VI. *Hæc indifferentia non potest existere à parte rei.* Secundò impugnatur hæc aptitudo; si sit realis, debet posse existere à parte rei, sed non potest existere à parte rei, ergo. Maior est certa, hic enim est conceptus entis realis. Minor probatur, nec enim aptitudo illa existere potest separata ab indiuiduis, sic namque incideret Fonseca in opinionem Platonis, nec in indiuiduis, aut enim Fonseca eam per contractionem ad indiuidua tolli, ergo.

Dices

VII. *Natura singularis, potest fieri vniuersalis per intellectum.*

Dices primò, si natura ex se esset singularis, nunquam fieri posset vniuersalis, ergo cum constet eam posse fieri vniuersalem, concedi necessariò debet huiusmodi status naturæ secundùm se. Respondetur distinguendo antecedens, non posset fieri vniuersalis physicè & realiter, concedo antecedens; intentionaliter & per intellectum, nego: intellectus enim sine singularitatibus concipere eam potest, sicque reddere vniuersalem.

VIII. *In naturâ nulla est physica aptitudo vt contrahatur ad indiuidua.*

Dices secundò: natura humana (idem est de alijs) antequam contraheretur ad indiuidua, erat apta & indifferens vt ad illa contraheretur, *ab actu enim ad potentiã valet consequentia*, de facto iam contrahitur, ergo poterat contrahi. Respondetur, nullam in ea physicam ad hoc fuisse aptitudinem seu potentiam, sed solùm logicam, vt aiunt, seu quòd natura in conceptu suo obiectiuo nullam inuolueret repugnantiã vt pluribus indiuiduis inesset, & in ijs multiplicaretur, quam tamen repugnantiam dicit Natura Diuina, sicque per intellectum vniuersalis fieri non potest.

IX. *Genera & species ante intellectum solum sunt fundamentaliter.*

Dices tertiò, cum Fonseca, asserere Aristotelem genera & species independenter ab intellectu conuenire rebus. Respondetur, solùm velle Aristotelem illa rebus ante intellectum conuenire fundamentaliter, cum ipsemet Aristoteles dicat *vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse*, nempe post operationem intellectus.

X. *Quo sensu iuxta Aristotelem obiectum sit prius actu.*

Dices quartò, obiectum iuxta Aristotelem 1. de anima tex. 33 est prius actu, ergo vniuersale aliquo modo debet actum intellectus antecedere. Respondetur antecedere fundamentaliter, plures namque dantur naturæ similes, & hac ratione aptæ vt secundùm illam rationem abstrahantur à differentijs indiuiduantibus, & constituant vniuersale. Ad summũ autem illo loco vult Aristoteles actum pendere ab obiecto, obiectum tamen hoc non obstante potest sub conceptu vniuersalis esse vel posterius, vel simul cum actu præscindente, sicut actio in physicis à termino pendet, quem tamen physicè producit.

SECTIO III.

Inferuntur quædam circa Naturam secundum se.

I. *Quæ prædicata competant naturæ secundùm se.*

INfero primò, prædicata illa dici competere Naturæ secundùm se, quæ in vtroque statu in eo reperiuntur, vt in Natura humana *esse animal, substantiam, rationale*; &c. hæc enim æqualiter naturæ humanæ competunt, siue vniuersalis sit, siue singularis.

II. *A parte rei non datur natura secundum se.*

Infero secundò, naturam secundùm se à parte rei dari non posse, nec enim existere potest nisi in indiuiduis, & per singularitates contracta.

III. *In actu, quo natura consideratur secundum se, fit vniuersalis.*

Infero tertiò, licet Natura ab intellectu considerari in actu signato possit secundùm se, hoc est, ita vt nihil in mente signetur seu repræsentetur aliud, quã prędicata eius essentialia, (quo sensu intelligi debet celebre illud dictum Auicennæ, *Equinitas est tantùm Equinitas, nec vna, nec plures*) in actu tamen exercito per hunc ipsum actum redditur vniuersalis, denudatur etenim à differentiis indiuiduantibus, sicque est indifferens vt de varijs per prædicationem affirmetur: licèt nonnulli, vt sit proximè prædicabilis & vniuersalis logicè, requirant actum aliquem reflexum, qui sciat naturam esse ab indiuiduis abstractã, & aptam de ijs prædicari. De quo posteà.

IV. *Natura vt in intellectu nec est determinatè singularis, nec vniuersalis.*

Infero quartò, licèt naturæ à parte rei non competat nisi determinatè esse singularem, at verò vt est in intellectu, nec ei determinatè competit singularẽ esse nec vniuersalem, sed alterum tantùm, idque necessariò, sicut numero necessariò conuenit *par* vel *impar*: vel enim natura cum singularitatibus concipitur, & per eas restricta, sicque est in mente singularis, vel sine illis præcisiuè, & fit vniuersalis.

SECTIO IV.

Soluuntur axiomata quædam circa Naturam Vniuersalis: & an detur vniuersale in indiuiduis.

VT expeditiùs in Vniuersali explicando progrediamur, dicta quædam seu axiomata ex Aristotele desumpta hìc statim ab initio sunt declaranda ne negotium postea facessant, & impedimento sint, quò minùs inchoata semel materiæ huius disputatio clarè ac liquidè procedat. I.

Primum est, *Vniuersalia esse priora singularibus*: quod certum est intelligi non debere de prioritate reali, quia à parte rei nulla est distinctio, ergo nec prioritas, idem enim non potest esse realiter prius seipso. Solùm ergo sunt priora quia Vniuersaliora, simpliciora, & subsistendi, vt aiunt, consequentiâ quæ distinctionem rationis supponunt per intellectum factam. Priora ergo sunt quia vniuersaliora, nam incipiendo ab ente (vnde semper ducitur initium) numerare prædicata essentialia, priùs ad magis vniuersalia deuenitur, vt discurrenti patebit. Priora sunt quia simpliciora, simpliciora enim secundùm Aristotelem semper sunt priora, quia minùs communia, ea in se includunt, & aliquid aliud superaddũt, priùs enim semper sunt partes ratione nostra quàm totum. Sicut priùs est procurare ligna, lapides &c. quàm domum extruere. Priora tandem sunt subsistendi consequentiâ, valet enim ab inferiore ad superius, non è contra, vt *est homo, ergo animal*, non verò, *est animal, ergo homo*, qua de causa prius dicitur aliquid animal quã homo prioritate subsistendi consequentiâ.

II. *Quo sensu intelligendum Vniuersalia esse priora singularibus.*

Secundum axioma est, *prædicata essentialia conuenire singularibus ratione Vniuersalium*, vt quia homo est risibilis, Petrus est risibilis &c. *contingentia verò vniuersalibus conueniunt ratione indiuiduorum*, vt quia Petrus currit, homo currit, animal currit, substantia, viuens, corpus: quia Paulus est albus, homo est albus, niger, calidus. Nulla tamen hic est causalitas realis, sicut nec distinctio, idem enim esset causa respectu sui sed solùm est causalitas quædam ratione nostra, redditur enim ratio vnius per alterum operatione intellectus distinctum, sicut etiam dicitur est homo quia est animal rationale, licèt nulla sit à parte rei distinctio.

III. *Quo pacto essentialia conueniant singularibus ratione vniuersalium.*

Ratio vero huius dicti est, quia cùm omnia inferiora conueniant in prædicatis essentialibus, tribuuntur tanquam radici alicui rationi in qua omnia conueniunt, non singularitatibus, quibus differunt, idque independenter ab actuali existentia; Prædicata verò contingentia tã positiua quàm negatiua, vt loqui, studere, currere, non esse album, & reliqua, quia supponunt existentiam quæ contingẽs est, & non exercentur nisi in indiuiduo, indiuidualibus rationibus ascribuntur, suntque, sicut illæ diuersa in diuersis, non eadem vel similia in omnibus, vti priora, quod enim sequitur ad quid contingens, firmum esse nequit & fixum, sed principio, vnde procedit, simile. Si autem aliquod ex istis prædicatis, etiam negatiuis conueniret naturæ non ratione singularium, conueniret illi per se *posterioristicè*, vt aiunt, seu necessario, quod tamen hìc non contingit.

IV. *Redditur ratio axiomatis proximè positi.*

Tertium axioma ex prioribus deducitur, nempe, *Nec generari vniuersalia nec corrumpi*. Quod si absolutè sumatur, falsum est, vt supra diximus, cum cer-

Qua ratione verum sit vniuersalia nec generari nec corrumpi.

tum omnino sit, producto vel destructo indiuiduo, produci vel destrui omnia eius prædicata essentialia quia sunt idem cum illo. Intelligi ergo debet nō generari nec corrumpi vniuersalia per se primo, sed ratione indiuiduorum, quo etiam sensu dicit Aristoteles *secundas substantias existere in primis, & ratione illarum*, non quod vt vniuersales formaliter, vel generentur vel corrumpantur; quia actiones physicæ exercentur tantùm in indiuiduo, ac propterea primariò & per se dicuntur terminari ad indiuidua, vel singularitates, secundariò & consequenter ad naturas communes specificatiuè sumptas.

VI. *Dicunt aliqui dari vniuersale in indiuiduis.* Quoad secundum, affirmat Albert. tract. 2. de Prædicab. cap. 2. Maior in 2. d. 34. qu. 2. Paul. Venetus; quam etiam sententiā nonnulli tribuunt Scoto in 2. d. 3. q. 1. sed. malè, vt ait Hugo Cauellus ibidem, cum absolutè neget Scotus dari Vniuersale ante operationem, seu præcisionem intellectus.

VII. *Vnde esse volunt vniuersale à parte rei.* Volunt ergo hi auctores dari Vniuersale à parte rei, quia natura & vna est ex se, & multiplex ratione indiuiduorum, eo ferè modo quo anima rationalis indiuisibilis, in diuersis corporis partibus vna reperitur & eadem.

VIII. *Non potest dari vniuersale à parte rei.* Dicendum tamen à parte rei nec dari de facto, nec dari posse Vniuersale. Ratio videtur clara, natura enim vt vniuersalis sit, esse & vna debet & multiplex, hoc autem fieri nullo pacto potest, eandem enim rem & vnam esse & simul plures, implicantia est in terminis.

IX. Exemplum autem illud de animā in pluribus corporis partibus nihil probat; anima enim in ijs omnibus semper est eadē, nec à se numero distincta, sicut nec esset si in pluribus poneretur corporibus adæquatè inter se distinctis, & loco dissitis.

X. *Implicat rem eandē à parte rei esse diuisā, & indiuisā.* Secundò probatur conclusio; vnum & indiuisum idem sunt, multiplicitas autem in suo conceptu essentiali diuisionem includit, implicat autem rem eandem à parte rei in eādem ratione & diuisam esse & non diuisam, seu indiuisam, sicut finitam & infinitā seu non finitam, calidam & non calidā, ergo. Hæc sentententia latiùs impugnabitur postea d. 28. sec. 1.

SECTIO V.

Quæ sit Definitio Vniuersalis.

I. *Duæ definitiones vniuersalis.* ARistoteles duas tradit Vniuersalis definitiones, t. Perihermenias. c. 5. initio, vbi res Vniuersales & singulares describēs ait: *Vniuersale dico quod de pluribus aptum est prædicari, quale homo, singulare autem id quod talem legem subire nequit, quale est Callias.* Altera habetur 7. Metaph. c. 13. his verbis, *id vniuersale dicitur, quod in pluribus natura aptum est esse.*

II. *Vniuersale est vnum in multis.* Hinc à Philosophis omnibus colligitur hanc esse naturam Vniuersalis, vt sit *vnum commune pluribus in quibus est, tanquam essentiale illorum prædicatum*, & de quibus dicitur, in rectō, vt *Homo est animal, Vinū, Substantia. Petrus est Homo* &c. vnum, inquam, per intellectum, in multis à parte rei. quælibet enim res habet aliquid in quo cum aliā conueniat, quod prorsus de commune dicitur vtrique (intellige fundamentaliter) & aliquid per quod ab eā differat; & ratione cuius constituatur hæc entitas numero & singularis, diuersa ab aliā. Cum ergo intellectus similem in duabus vel pluribus rebus singularibus rationem aduertit, fundamentum habet vt concipiat id in quo conueniunt, relicto eo in quo differunt; sicque ratio illa à singularitate præcisa fit in intellectu vna.

III. *Quomodo vniuersale sit vnum in intellectu.* Sicut ergo vnū physicē est illud in quo nulla est diuisio, ita & illud vnum est intentionaliter, seu metaphysicē, in quo nulla apparet intellectui differentia vel diuersitas, quod hic cernitur vbi illa ratio cōsideratur, nullis conceptis differentijs, esto illas à parte rei habeat, sitque à parte rei multiplex in quo nulla est repugnantia, sicut nec vt Petrus sit à parte rei integer, & mutilus per intellectum, qui eum sine brachio concipit vel pede. Nulla etiam hic intercedit falsitas, nam *præscindentium, vt suprà vidimus iuxta Aristotelem, non est mendacium*: falsum autem esset si quis negaret à parte rei esse illic differentias, sicut si Petro brachium negaret aut pedem.

IV. *Tota natura vniuersale debet esse in singulis indiuiduis.* Vniuersale ergo est *vnum in multis*. Vnde infertur primò totam naturam vniuersalem esse debere in singulis inferioribus adæquatè, & non ita vt pars sit in vno, pars in alio, sic enim mare, vel aliud huiusmodi totum, esset vniuersale, cùm sit vnum, & inadæquatè in singulis partibus.

V. *Anima rationalis in corpore non est vniuersale.* Infertur secundò non sufficere ad vniuersale, vt eadem forma sit in diuersis partibus eiusdem corporis, vel in diuersis etiam corporibus, aut eadē albedo in diuersis partibus tum quia forma illa singularis est, & habet vbique differentiam suam numericam, tum quia subiecta non sunt inferiora, de quibus forma illa prædicetur in rectō, nec enim dicimus *corpus est anima, paries est albedo*, sicut dicimus *homo est animal, albedo est color*.

VI. *Natura Diuina non est vniuersale.* Infertur tertiò, Naturam Diuinam non esse Vniuersalem, quia est essentialiter singularis. Licèt verò communicetur tribus Personis Diuinis tanquam tribus suppositis, non tamen sunt tres Personæ Diuinæ plures in naturā Diuinā, sicut Petrus & Paulus in humanā, sic enim essent tres Dij non minùs quàm Petrus, Paulus & Ioannes sunt tres homines, quod tamen necessariò est ad Vniuersalis constitutionē, nempe vt inferiora in ea ratione sint multiplicia, in qua illud est vnum.

VII. *Vniuersale Metaphysicum, & Logicum.* Vniuersale, *Metaphysicum* aliud, seu in essendo, cui posterior competit vniuersalis definitio suprà ex Aristotele assignata, quæ datur per inesse, aliud *Logicum*, seu in prædicando, cui conuenit prior definitio, quæ datur per prædicari, naturæ enim rerum ad Metaphysicam spectant, prædicationes ad Logicam.

VIII. *Essentialis vniuersalis definitio est, quæ datur per inesse.* Quæres vtra ex his definitionibus sit essentialis. Respondetur, illa quæ datur per *inesse*, ideo enim de pluribus potest prædicari, quia ijs potest inesse, ac proinde prædicabilitas aliquo modo est passio Vniuersalis Metaphysici, estque indifferentia naturæ in esse cognito, vt tam de vno quàm pluribus indiuiduis per iudicium affirmari possit. De quo latiùs postea.

DISPV-

DISPVTATIO XXVII.

De vnitate Vniuersalis.

SECTIO PRIMA.

Praenotantur quaedam circa Vnitatem Vniuersalis.

I. *Vnitas numerica pugnat cum natura vniuersalis.*

CErtum apud omnes est ad Vniuersale non requiri vnitatem numericam, haec enim cum Vniuersalis naturâ apertè pugnat, Vniuersale siquidem est commune & indeterminatum, haec esse onaliter singularis, incommunicabilis & ad vnū determinata, nec communis inferioribus, sic enim esset species, licèt possit communicari diuersis suppositis, vt Natura Diuina, vel subiectis, vt eadem numero albedo supernaturaliter tribus parietibus. Quâ de causa dicitur vnitas numerica maxima vnitas, quia vel minimā, imò omnem excludit diuisionem. Minor ergo aliqua requiritur vnitas ad Vniuersale, quae secum aliquam saltem in rationibus particularibus admittat distinctionem, & propterea vocatur minor vnitas, quia non includit omnimodam indiuisionem, seu non excludit omnem diuisionem, sicut excludit indiuiduum.

Vnitas numerica maxima vnitas.

II. *Species tamen vna est vnā vniuersale.*

Aduertendum tamen hîc quod acutè notat P. Suarez d.6.Met.s.2.n. 12. posse hanc vnitatem Vniuersalem reuocari aliquo modo ad numericam, non quae absolutè realis sit, sed intentionalis seu rationis & obiectiua: species enim abstracta hominis vel equi in ratione speciei & vniuersalis ita est vna, vt ternarium vel quaternarium numerum componat cum alijs speciebus, ternarium autem constat ex vnitatibus; vnde species hominis, leonis, & equi sunt tres species, sicut Socrates, Plato, & Callias sunt tres homines.

III. *Differunt vniuersalia specie & genere.*

Distinguuntur etiam vniuersalia formaliter seu secundò intentionaliter sumpta, specie & genere, vnde ab illis quae specie differunt, abstrahi vnitas potest generica, sicut specifica ab ijs quae tantùm numero distinguuntur, vt in praedicabilibus latiùs declarabitur.

SECTIO II.

Deturne in rebus à parte rei aliqua vnitas minor singulari.

I. *Datur à parte rei vnitas aliqua minor numerali.*

COnclusio; Datur in rebus à parte rei vnitas formalis aliquo modo à numerali distincta, realiter tamen cum illâ identificata, & multiplicata per multiplicationem indiuiduorum. Est contrà P. Hurtad.d.5.Met.s.9.Rub.q. 3. de vniuersali. conclus.3. & aliquos recentiores: communis tamen est omnibus ferè tum in D.Thomae schola tum Scoti: tenet Caie. de ente & essent: cap.4.s.6. Soncinas, Iauellus, & alij Scotus.2. dist. 3.q. 1.cum suis: P. Suar.1. Met.d. 6.s.1.n.8 & 9 dicens in hoc omnes auctores conuenire, Fonseca 5 Met. q.3.l.2.& alij.

II. Notandum ex Aristotele. 5. Met. tex.11. Vnitatem esse negationem diuisionis, (quod verum sit in omni rigore accipiendum, vel quod solùm velit in ordine ad talem negationem explicari, non est praesentis negotij) vnitas ergo est *indiuisio, seu non diuisio in plura*, & vnū definiri solet quod sit *indiuisū in se, & diuisum à quolibet alio*. Prima ergo pars cōclusionis probatur ratione à P. Suar. loco citato adducta. Cū vnitas sit indiuisio, quot sunt diuisionum genera, tot erunt & vnitatum illis oppositarum, sed in rebus non reperitur indiuidualis tantùm seu materialis diuisio inter eiusdem speciei indiuidua Petrum v.g. & Paulum, sed formalis etiam, & essentialis inter duas species, hominem scilicet & equum, ergo non solùm dabitur vnitas materialis eiusdem indiuidui non diuisi in plura indiuidua, sed formalis etiā omnium indiuiduorum eiusdem speciei, quae non diuiduntur in plures essentias seu formas: non minùs enim Petrus non est diuisus in plures essentias specie distinctas, (quae sola vocatur diuisio essentialis, diuisio enim naturae humanae in Petrum & Paulum est solùm diuisio essentiatum, non essentialis) quàm in plura indiuidua: sicque non materialiter tantùm sed etiam formaliter est vnus, nempe indiuisus specie sicut numero, seu non diuisus in plures essentias specie distinctas, sicut diuisus non est in plura indiuidua numero tantùm distincta.

Quot sunt diuisionum genera tot sunt vnitatum ei opposita.

Alia est diuisio essentiarū, alia diuisio essentialis.

III. *Vnitas formalis multiplicatur in singulis indiuiduis.*

Secunda pars, quod multiplicetur haec vnitas realiter in singulis indiuiduis, constat, sicut enim vnitas vt sic, est passio entis vt sic, ita talis vnitas talis entis, cùm ergo natura humana multiplicetur realiter in singulis indiuiduis, multiplicabitur etiam formalis vnitas illam consequens, alioquin eadem numero realiter passio esset in diuersis realiter subiectis tēpore & loco desiunctis. Singulis proinde indiuiduis sua inest vnitas formalis, & non est vna omnibus communis, nisi fundamentaliter.

IV. *In quouis indiuiduo est vnitas formalis, & numerica.*

Sicut itaque in Petro e g. & quolibet alio indiuiduo est differentia specifica & numerica, quamuis à se inuicem non distinctae, ita & vnitas formalis fundata in differentia specificâ, & vnitas numerica fundata in differentiâ indiuiduali. Tribuendo ergo singula singulis per id Petrus formaliter esse dicitur indiuisus in plures essentias. per quod descendendo ab ente inuenitur primò dicere repugnantiam cum illis, sed descendendo ab ente inuenitur dicere repugnantiam cum illis per rationem aliquam priùs quam perueniatur ad singularitatem ergo non per singularitatem formaliter, ergo per aliud aliquo modo ab eâ distinctum & prius illâ.

V. *Descendendo ab ente reperitur indiuisio & vnitas ante vnitatem numericam.*

Minor itaque probatur, descendendo ab ente antequam perueniatur ad differentiam numericam inuenitur repugnantia communicabilitatis in Petro pluribus essentiis, ergo & ratio inuenietur diuidendi eum ab illis, ergo indiuisio formaliter sequetur ad illam rationem. Antecedens patet, per rationale vel rationem suam specificam dicit essentialem repugnantiam natura humana in Petro, vt diuidatur in plures essentias specie distinctas, implicat enim vt natura humana sit natura equina, leonina, ceruina &c. ergo ob rationale formaliter est natura humana indiuisa in plures essentias, ergo vnitas sequitur ad rationale formaliter, & est passio vel quasi passio illius, ergo prius intelligitur haec vnitas quàm differentia numerica, ergo à fortiori est prior vnitate numerica quae est passio differentiae numericae & consequenter illâ posterior, ergo vnitas formalis aliquo modo distinguitur ab vnitate numericâ, non quidē realiter, quia sic omnia sunt vnum, sicut animal etiam est idem cum rationali, sed fundamentaliter seu virtualiter.

VI. Eo vero modo quo entitas, vnitas etiam quae ad

Vnitas sequitur entitatem.

illam consequitur, composita dici potest nimirum ex vnitate formali & numericâ. & vnitas formalis, essentiam sequitur, numeralis sequitur singularitatē, & quò entitas præcisa est latior, eò est latior vnitas, sicque vnitas substantiæ est latior quàm corporis, corporis quàm viuentis, viuentis quàm animalis, animalis quàm hominis, hominis quàm Petri seu singularitatis, quæ nullam omnino admittit latitudinem, aut diuisionem, eaque de causâ dicitur vnitas simpliciter.

VII. *Vnitas formalis per se non sufficit ad vniuersale.* Tandem notandum, hanc vnitatem formalem per se, & nisi abstrahatur ab vnitatibus numericis, nō sufficere ad vniuersale, quia non est communis sed singularizata, multiplicata nimirum in singulis indiuiduis, & realiter eadem cum vnitate indiuiduali, vnde per eam non potest natura reddi communis nisi per intellectum ab vnitatibus indiuidualibus abstrahatur. Manet tamen vnitas formalis in intellectu simul cum vniuersalitate, quod vnitati numericæ repugnat.

D I S P V T A T I O XXVIII.

Vtrum hæc vnitas, à numerica & gradus Metaphysici inter se distinguantur ex natura rei.

S E C T I O P R I M A.

Proponitur & impugnatur sententia affirmans.

I. *Argumenta pro distinctione ex naturâ rei non exiguam continent difficultatē.*

TRactatu de distinctionibus d.22.s.2.impugnauī obiter sententiam ponentem distinctionem actualem ante operationem intellectus inter attributa Diuina, & prædicata Metaphysica in homine, rebusque aliis creatis, cuius pleniorem discussionem quoad gradus Metaphysicos ad hunc locum remisi præsertim circa argumentorum solutionem, quæ absque dubio difficultatem continent non exiguā. Vnde licèt multi putent sententiam hanc, Scoti non esse, ob argumentorum tamen, quæ ad eius probationem adduci solent, subtilitatem in id propendeo vt eam verè ipsius esse existimem; tela enim tam acuta ex qua incude prodierunt, facilè apparet.

II. *Opinio subtilissimi Scoti circa distinctionē ex natura rei.*

Doctor ergo subtilis cum sua Schola, licèt naturas non statuat reipsa ab indiuiduis separatas cum Platone, ait tamen vnitatem formalem (quam nos d. præcedente s.2. multiplicari asseruimus in singulis indiuiduis) vnam & eandem perfectè esse, & ex natura rei ante omnem intellectus operationem distingui ab vnitate numericâ, & quod nos per & post intellectus præcisionem fieri dicimus, hoc ponit ipse ante. Dicunt ergo Scotistæ esse vnam & eandem humanitatem seu humanam naturam in multis indiuiduis non propriè multiplicatam, eodem ferè modo ac si materia quæ habet potentiam ad varias formas, esset simul vna & eadem sub illis.

III. *Distinctio ex natura rei impugnatur ex Aristotele.*

Quæ sanè sententia licèt ingeniosè à suis auctoribus defendatur, plurima tamen videtur in se continere in Philosophia difficilia: & præter dicta loco supra citato impugnatur primò: Aristoteles enim 1. de Ani.tex.8. ait, *Vniuersale aut nihil est, aut posterius est*, nempe operatione intellectus, ergo non datur ante illam secundùm Aristotelem, daretur autem secundùm hanc sententiam, si natura ante intellectus operationem à singularibus distingueretur.

IV. *Sequitur Petrum & Paulum nō esse duos homines.*

Secundò, hinc sequitur Petrum & Paulum non esse duos homines, cùm in illis non multiplicetur humanitas, licèt diuersæ sint in illis singularitates, nō magis quàm tres Personæ Diuinæ sunt tres dij, licèt personalitates constituentes Personas multiplicentur.

V. *Hæc distinctio in res creatas inducit Mysterium Trinitatis.*

Tertiò: quia inducit in res creatas mysteriū Trinitatis, eadem enim humana natura est in Petro & Paulo, nec magis potest distingui numero per hæcceitates, quàm Natura humana esset simul in gratia & peccato, beata & damnata, & reliqua huiusmodi.

VI. *Secundus quorundā modus defendendi distinctionē ex natura rei.*

Alio modo à nonnullis defenditur hæc distinctio ex naturâ rei, non vt asserant eandem numero naturam esse in Petro & Paulo, sed ita gradus Metaphysicos distinguunt, vt quantum est ex se potuerit ens vel substantia in Angelo aut lapide, esse in homine, iam autem non posse quia sunt determinata ad hæc indiuidua. Contra primò, ergo quidquid est in Angelo, non est spirituale, nec materiale quidquid est in lapide, nam ens & substantia in Angelo potuisset esse in lapide, & è contra, ergo rationes illæ in se nec spirituales formaliter sunt, nec corporeæ. Imò ratiō entis in Deo secundùm ipsos quantum est ex se potuisset esse in creaturâ, & ens in lapide potuisset esse in Deo, sicque quidquid est in Deo nō est increatum essentialiter, nec quicquid in creatura creatum. Quæ tamen & dignitati Dei, & veræ Philosophiæ mirum quantum sint dissona. Antequam proponamus argumenta Scotistarum.

VII. *Natura à parte rei non habet medium statū inter vniuersale & singulare.*

Recolendum quod suprà notaui d.26.s.5. n.3. licèt non sit necessarium naturam vt vniuersalē concipi vel singularem reduplicatiuè, sed secundum se, vt aiunt, non tamen propterea medium habere statum potest & nec vniuersalis esse nec singularis, nā ipso facto quòd secundū se consideratur non consideratis differentiis indiuiduantibus, fit vniuersalis, licet in actu signato & reflexè vt talis non repræsētetur. Si autem cum differentia aliqua cognoscatur, est singularis, medium vero inter hæc dari, nullo modo potest. Exempli gratia, non est necessarium concipere parietem vt album nec vt non album, si tamen concipitur paries, necessariò concipitur habens vel non concipitur habens albedinem specificatiuè, id est, vel concipitur vel non concipitur in eo albedo. Natura ergo ex eo quod concipiatur secundùm se, ipso facto fit vniuersalis, licèt reduplicatiuè vt talis non consideretur.

VIII. *Voces frequenter significant res vt concipitur.*

Notandum secundò, voces cùm sequantur conceptus, non semper significare res vt sunt parte rei & adæquatè, sed prout in mente, vt enim res concipimus, ita loquimur, ac proinde cum eas inadæquatè subinde concipiamus, voces etiam ad inadæquatos illos conceptus obiectiuos exprimendos imponimus, & proferimus. Hic facilis datur æquiuocationis occasio, dum statum rerum in mente ad statum realem transferimus, seu vt sunt à parte rei, vel à sensu formali ad sensum realem, qui fallax est argumentandi modus, cùm mutetur suppositio: vt latiùs notaui suprà d. 24.s.8. in solutione septimi argumenti.

SECTIO

SECTIO II.

Soluuntur argumenta pro diſtinctione ex natura rei.

I. *Obij. natura humana nõ eſt eſſentialiter indiuidua; ergo differentia indiuidualis diſtinguitur ex natura rei.*

ARguitur primò, natura humana ſecundùm ſe & eſſentialiter non eſt indiuidua, ergo cùm indiuidua ſit in Petro & Paulo, habebit hoc non ab eſſentiâ, ſed ob aliquo alio extra eſſentiam illi addito, differentiâ ſcilicet indiuiduali, ergo illa ex naturâ rei à naturâ diſtinguitur: primum antecedens probatur, quia ſi ſecundùm ſe & eſſentialiter indiuidua ſit & ſingularis, non poteſt fieri vniuerſalis & communicabilis, quando enim vnum per ſe ſeu neceſſariò alicui conuenit, contrarium nec per accidens eidem poteſt competere, quam ob cauſam Natura Diuina vniuerſalis eſſe non poteſt. Confirmatur primò, implicat vllibi eſſe quidquam ſine ſuâ eſſentiâ, ſed humana natura reperitur in Petro ſine differentia indiuidua Pauli, & è contra, ergo non ſunt illæ differentiæ de eſſentiâ naturæ humanæ. Confirmatur ſecundò, Petrus & Paulus conueniunt ſpecie, & differunt numero, ergo eandem habent eſſentiam, non eandem indiuiduationem, ergo eſſentia eorum & indiuiduatio diſtinguuntur.

II. *Reſp. naturam à parte rei eſſe eſſentialiter ſingularem.*

Ad argumentum Reſpondeo primò, negando ſuppoſitum, dari ſcilicet à parte rei naturam ſecundùm ſe, ſi autem per naturam ſecundùm ſe intelligatur natura ſecundùm ſe conſiderata & ſine indiuiduis, dico eam eſſe vniuerſalem, idque eſſentialiter pro eo ſtatu, iuxta primum notabile in fine ſectionis præcedentis. At verò à parte rei natura eſt ſingularis & indiuidua, idque eſſentialiter, poſito quod producatur, quia à parte rei neceſſariò eſſe debet ſingularis, cum exiſtere nil poſſit non ſingulare, & id quod eſt ſingularitas eſt ipſamet realis eſſentia. Non tamen propterea repugnat illi vniuerſalem eſſe per intellectum, quia intellectus poteſt id intentionaliter ſeparare quod eſt realiter idem cum alio. Non ergo ſunt hæc contradictoria, cum contradictoria eſſe debeant eiuſdem de eodem, non reſpectu diuerſi, vt hic contingit, nam à parte rei neceſſariò eſt ſingularis, in mente vniuerſalis.

III. *Petrus & Paulus habent diuerſas eſſentias, non tamen differunt eſſentialiter.*

Dices, natura humana eadem eſt in Petro & Paulo, & ſola differentia eſt in ſingularitatibus. Nego antecedens. Vrgebis, ergo Petrus & Paulus differunt eſſentialiter. Nego conſequentiam, licèt enim habeant naturas & eſſentias numero diuerſas, non tamen eſt hæc eſſentialis differentia, ſed tantùm materialis, illa enim ſola differre dicuntur eſſentialiter & formaliter, quæ non habent conuenientiam in eſſentiâ, ſeu à quibus abſtrahi nequit vna ratio eſſentiæ omnibus communis. Si tamen per differre eſſentialiter ſolùm velit quis habere eſſentias numero diuerſas, & per differre formaliter, diuerſas vnitates formales rem tenes, impropriè loquitur.

IV. *Non poteſt eſſe eadem à parte rei natura Petri & Pauli.*

Per quæ patet ad confirmationem, natura enim Petri differt realiter à naturâ Pauli, & Petreitas non eſt realiter de eſſentia naturæ Pauli, nec è contra. Nec habent Petrus & Paulus realiter ſeu à parte rei eandem eſſentiam, ſed ſolùm fundamentaliter. Imò ſi eſſet, eadem, non poſſet per intellectum fieri vniuerſalis ſicut ob eam cauſam vniuerſalis eſſe nequit Natura Diuina. Ad ſecundam confirmationem, dico Petrum & Paulum habere eſſentias numero diſtinctas, nec conuenire ſpecie niſi fundamentaliter, quia ſpecies ſupponit actum intellectus abſtrahentem.

V. *Obij. quæ differunt definitione differunt in re.*

Arguitur ſecundò, quæ differunt definitione, differunt in re & eſſentialiter, ſed animal & rationale homo & Petreitas differunt definitione, habẽt enim diuerſas definitiones, ergo. Confirmatur; Ariſtoteles 4. Met. tex. 10. & 7. Met. tex. 3. ad definitionem requirit vt res definienda habeat vnitatem, ſed ſingularitates non habent vnitatem, ergo definitur ſola natura, ergo ſingularitates diſtinguuntur à naturâ à parte rei.

VI. *Reſp. ea ſolâ differre in re quæ differũt definitione adæquatâ.*

Ad argumentum diſtinguo maiorem, quæ differunt definitione adæquatâ differunt in re, concedo maiorem; quæ definitione ſolùm differunt inadæquatâ, nego: quæ enim hoc modo definiuntur, ſupponunt operationes intellectus ipſa ab inuicem ſeparantes, & vt diſtincta per intellectum definientes, non vt ſunt à parte rei, nec enim definiri poteſt Petrus Paulus, & cætera indiuidua, indiuiduales quippe rationes ſeu vltimæ differentiæ, numericæ cognoſci non poſſunt, ac proinde nec definiri: quo ſenſu præcipuè dicitur ſcientiam non eſſe de ſingularibus.

VII. *Quæ vnitas in obiecto requiratur ad definitionẽ.*

Ad confirmationem dico, ad definitionem faciendam ſufficere in obiecto vnitatem fundamentalem ante actum intellectus, ſeu conuenientiam in prædicatis eſſentialibus, & ſimilitudinem omnium vnitatum formalium in ſingulis indiuiduis repertarum, quâ ſolâ repræſentatâ intellectus concipit rationem vnam & eam definit.

VIII. *Obij. natura humana nemine cogitãte eſt Ens, ergo vnum.*

Arguitur tertiò, Natura humana nemine cogitante eſt ens, ergo vnum, quod eſt paſſio entis, ſed non vnum vnitate indiuiduali, ſic enim multiplicari non poſſet, ergo alia ab indiuiduali diſtincta. Confirmatur, vbi eſt multitudo ſunt vnitates ex quibus conſtat, ſed à parte rei natura humana, equina, & leonina ſunt plures naturæ & eſſentiæ, ergo habent ſuas vnitates, nec ſolùm indiuiduales, quia differunt plus quàm numero, ergo formales.

IX. *Reſp. naturam humanam à parte rei non eſſe niſi multiplicatam.*

Ad argumentum dico, naturam & omnes gradus metaphyſicos ſuas habere vnitates ſibi correſpondentes, ſed eo modo diſtinctas quo entitates, nempe fundamentaliter ante operationem intellectus, nam à parte rei omnia ſunt vnum, formaliter verò poſt intellectum. Ad confirmationem reſpondeo, non alio modo à parte rei dari, vel differre illas ſpecies, niſi in indiuiduis. Plus ergo differunt illa realiter loquendo quorum indiuidua magis inter ſe diſtant, & conſequenter præbent fundamentum intellectui vt vnam rationem ſpecificam vel genericam ab iis abſtrahat. Nec dantur à parte rei natura humana & equina vt his nominibus ſignificantur, quia vt ſic ſunt vniuerſales, cùm non conſiderentur in indiuiduis, ſed ab illorum differentiis abſtractæ.

X. *Natura à parte rei non eſt magis communicabilis, quàm ſingularitas.*

Arguitur quartò, natura eſt communicabilis, ſingularitas non eſt communicabilis, ergo diſtinguuntur, cum contradictoria eidem à parte rei competere non poſſint. Reſpondetur ſi natura ſemper ſumatur eodem modo, & non varietur ſuppoſitio, non vrget argumentum, ſi enim ſumatur natura ſingulariſata, tam eſt incommunicabilis quàm ſingularitas, quia idem eſt cum illa. Si verò ſumatur ſola, ſupponitur præceſſiſſe præciſio intellectus, & à ſenſu præciſiuo arguitur ad realem.

XI. *Quomodo natura cõmunicetur à parte rei pluribus.*

Vrgebis, natura à parte rei eſt communicabilis, patet, communicatur, ergo eſt communicabilis, conſtat hoc antecedens, quia eſt in Petro, Paulo, Iuanne & cæteris, ergo communicatur illis. Diſtinguo vltimum conſequens, communicatur illis, id eſt, vnuſquiſque habet naturam ſibi propriã, concedo conſequentiam; communicatur, id eſt, natura aliqua à parte rei exiſtens communis eſt in illis, nego conſequentiã, ſed in vnoquoque eſt ſua ſingularis. A parte rei ergo, & realiter tam natura eſt radix incommunicabilitatis quàm ſingularitas, quia à parte rei & realiter natura eſt ſingularitas.

Dices,

XII. *Cur falsum sit Petrum esse incommunicabilẽ, quia habet naturam humanam.*

Dices, hæc est falsa propositio, Petrus est incommunicabilis, quia habet naturam humanam. Respondetur, in illa propositione esse præcisionem aliquam, ac proinde non est mirum, cum procedat in sensu formali, supposito aliquo modo distinctione intellectus. At si propositio procedat in sensu reali, tam est verum esse incommunicabilem Petrum quia habet naturam humanam, quàm quia habet Petreitatem, idem enim affirmatur vtrobique, nam natura Petri est natura cum Petreitate, ergo realiter est Petreitas.

XIII. *Obij. non per idem constituitur Petrus in esse hominis, & in esse Petri.*

Arguitur quintò, non per idem formaliter constituitur Petrus in esse hominis & in esse Petri, quod patet, nam Petrus per idem constituitur in esse hominis per quod constituitur Paulus, non tamen in esse Petri. Confirmatur, prædicata necessaria conueniunt indiuiduo ratione essentiæ, ideo enim Petrus est risibilis quia homo est risibilis, prædicata vero contingentia, vt esse corruptibile, conueniunt iis ratione indiuidui, ergo ante intellectum & à parte rei hæ rationes sunt distinctæ.

XIV. *Resp. realiter per idem in vtroque constitui.*

Ad argumentum respondetur negando antecedens, si sermo sit ante omnem operationem intellectus, Petrus enim à parte rei per idem constituitur in esse hominis & in esse Petri; nec per idem à parte rei constituitur Petrus & Paulus in esse hominis realiter, sed vnusquisque naturam habet distinctã. Ad confirmationem dico, prædicata necessaria & passiones conuenire indiuiduis à parte rei ratione essentiæ, non vt sic, sed contractæ, nam à parte rei non datur essentia vt sic: vnde à parte rei tam habet Petrus prædicata necessaria ratione Petreitatis, quã naturæ, & contingentia tam ratione naturæ quàm Petreitatis, vt supra dictum est d. 26. s. 4. numer. tertio.

XV. *Petrus à parte rei nõ est homo per naturam distinctam à Petreitate*

Dices, Petrus à parte rei est homo per naturam suam. Distinguo antecedens, per naturam distinctam à Petreitate, nego antecedens, per eandem cum illa, concedo. Contrà, inquis, nec propositio dicit esse Petrum hominem à parte rei per naturam distinctam à Petreitate, sic enim esset falsa, hæc tamen propositio secundùm omnes est vera. Respondetur, licèt propositio non affirmet in actu signato Petrum esse hominem per humanitatem à Petreitate distinctam, in actu tamen exercito naturam distinguit à Petreitate priusquam hoc enuntiet. Si verò non præscindat, sed reduplicet humanitatem vt à parte rei, & adæquatè sumptam, dico ex parte rei conceptæ tam esse formaliter hominem per Petreitatem, quàm per naturam.

XVI. *Prædicata communia quo sensu sint incorruptibilia.*

Arguitur sextò, vniuersale, seu prædicata communia sunt incorruptibilia, ergo distinguuntur aliquo modo à singularitatibus. Respondetur, physicè loquendo & vniuersale & prædicata essentialia esse corruptibilia, imò quoad esse physicum corrumpi, moriente enim Petro vnà perit *ens*, *substantia*, *corpus*, *viuens*, *animal*, *homo*, incorruptibilitas autem vniuersalis est solùm metaphysicè, & per intellectum, qui naturam abstrahit à conditionibus indiuiduantibus sitque hoc modo incorruptibilis.

XVII. *Intellectus prædicata vniuersalia non facit incorruptibilia.*

Quæ tamen non ita capienda sunt quasi intellectus hoc modo abstrahens eruat naturam hominis à corruptione, sed quod respectu intellectus homo eodem se habeat modo, ac si non fuisset corruptus, nam format de eo intellectus secundùm essentiam præcisam propositiones æternæ veritatis, vt *homo est animal rationale*, & huiusmodi. Vnde quantumcunque physicè corrumpatur, eadem tamen manet quoad intellectum connexio prædicatorum essentialium, quæ antea.

SECTIO III.

Argumentum Scotistarum præcipuum, ex similitudine & dissimilitudine.

I. *Obij. Petrus est similis Paulo in natura, dissimilis in indiuiduatione, ergo distinguuntur.*

Septimò & vltimò arguitur, estque quasi fundamentum huius sententiæ. Petrus ante omnem intellectus operationem est similis Paulo in naturã humanã, & dissimilis in ratione indiuiduali, ergo hæ rationes ante intellectum distinguuntur, nam implicat idem respectu eiusdem esse simile simul & dissimile secundùm idem, cùm sint contradictoria. Confirmatur primò, implicat idem respectu eiusdem esse simul æquale & inæquale, ergo. Confirmatur secundò, si Petrus à parte rei sit similis & dissimilis equo, sequeretur esse similem illi per rationalitatem, nam rationalitas & animalitas in Petro sunt idem, sed est similis equo per animalitatem, ergo & per rationalitatem, ergo etiam irrationalitati equi est similis per suam rationalitatem.

II. *Resp. idem respectu eiusdem posse esse simile & dissimile.*

Ad argumentum, negatur consequentia. Ad probationem dico, non esse inconueniens concedere idem respectu eiusdem esse simile & dissimile simul à parte rei, licèt non omnimodã similitudine & dissimilitudine, quamuis similitudo hæc & dissimilitudo explicari per diuersas debeat formalitates in eo repertas.

III. *Declaratur in quo consistat ratio similitudinis & dissimilitudinis.*

Similitudo ergo non consistit in indiuisibili sicut æqualitas, sed solùm dicit conuenientiam duorum in aliqua ratione, licèt in illa mutuò se excedant. Per id ergo in quo aliqua duo conueniunt, sunt similia, per id in quo differunt, dissimilia, similitudo enim est conuenientia seu participatio alicuius prædicati, siue hæc participatio sit per identitatem siue non, & dissimilitudo est participatio prædicati diuersi, non negatio participationis eiusdem, licèt dum hæc prædicata nominamus, ipso facto, faciamus distinctionem rationis. Sicut ergo in eodem subiecto possunt esse calor & frigus in gradibus remissis, vel lux & obscuritas, ita similitudo & dissimilitudo, nam cum suscipiant magis & minus, quod in calore & luce facit diuersitas graduum, in similitudine facit multiplicitas fundamentalis prædicamentorum essentialium. Vnde deduco, nihil reale esse quod alteri non sit simile saltem in ratione entis, cum omnia prædicatum illud participent, & res quo plura participant prædicata eo sibi sunt similiores: vnde propriissima ratio similitudinis censetur ratio specifica, vtpote in qua plura includuntur prædicata.

IV. *Differentia inter similitudinem, & æqualitatẽ.*

Ad primam confirmationem, manifesta est disparitas, æqualitas enim non solùm dicit conuenientiam in aliqua proportione, sed negat excessum, si enim vel minimum vnum excedat alterum, nõ sunt æqualia, vt constat in duabus lineis, æqualitas enim idem sonat ac perfecta adæquatio mutua; similitudo autem hoc non dicit. Æqualitas ergo & inæqualitas sunt contradictoria, inæqualitas enim est idem ac non æqualitas, non sic similitudo & dissimilitudo.

V. *Petrus à parte rei est similis Paulo per Petreitatem.*

Ad secundam confirmationem dico, si argumentum procedat à parte rei, seu in sensu reali, non esse inconueniens illa omnia concedere, cùm à parte rei omnia sint idem: Si verò per intellectum & in sensu formali, sunt falsa, nam sic falsa est hæc propositio, *Petrus est similis Paulo per Petreitatem*, vel *homo est similis equo per rationalitatem*, sensus enim esset, ratio formalis disconuenientiæ præcisa, est ratio formalis conuenientiæ. Hoc tamen materialiter loquendo, & à parte rei seu identicè non magis est inconueniens quàm eandem entitatem simplicem esse simul

se simul

se simul animal & rationale, seu diversa habere prædicata in se identificata.

VII. *A parte rerum denominantur animalitas & rationalitas, ut his nominibus significantur.* Dices. Petrus ante opus intellectus est similis Bucephalo in animalitate & non est similis in rationalitate, ergo vel distinguuntur ante opus intellectus in Petro animalitas & rationalitas, vel verificantur contradictoria de eodem. Respondeo negando suppositum, animalitas enim & rationalitas imponuntur ad significandas has rationes ut præcisa, & operationem supponunt intellectus. Deus ergo Petrum intuens, non videt aliquid in quo sit similis Bucephalo, & aliquid in quo sit dissimilis, sed videt totum Petrum esse illi similem, & totum dissimilem, idque ratione totius suæ naturæ, seu entitatis, licèt intellectus abstrahens singula singulis tribuat, & Deus videt esse in illa entitate à parte rei fundamentum ut hoc præstet.

DISPVTATIO XXIX.

De æqualitate, similitudine, & identitate.

SECTIO PRIMA.

Quid sint, & quomodo differant æquale, simile, & idem.

I. *Æquale, simile, idem.* ARistoteles 5. Met. c. 15. ait *illa esse similia, quorum una est qualitas, illa eadem, quorum una est substantia, illa æqualia quorum una est quantitas.*

II. *Similitudo non consistit in solis qualitatibus.* Licet verò similitudinem ille, solis tribuat qualitatibus, ex communi tamen acceptione, & usu similitudo applicari hodie solet etiam substantiis, sic leonem & equum similes in animalitate esse dicunt Philosophi, igneum & aquam in substantia, homines omnes sibi in natura similes esse dicuntur, unde generatio substantialis ab Aristotele tradita est quod sit *origo viventis à vivente in similitudinem naturæ*: ergo secundùm hanc definitionem homo homini, equus equo in natura est similis, ergo vel ipso teste Aristotele latiùs extenditur similitudo, quàm ad qualitates.

III. *Æquale hic intelligitur tam de quantitate virtutis, quam molis.* Circa illud verò quod ait Aristoteles, *æqualia esse quorum eadem est quantitas*, intelligendus est non de quantitate solùm molis, sed virtutis, ut optimè notavit S. Thomas 1. p. q. 42. a. 1. ad 1. Sic res variæ æqualis dicuntur perfectionis, homines æqualis auctoritatis, potestatis, virium. Imò Personæ tres Divinæ à Sanctis Patribus æquales sibi invicem appellantur: unde in S. Athanasij symbolo sic habetur, *Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Ex quibus constat æqualitatem non ad solam extendi quantitatem molis, sed etiam virtutis.

IV. *De identitate, seu unitate in substantia.* Tandem circa illud, *eadem esse quorum una est substantia*, notandum eò perfectius hæc dici posse eadem, quo substantia est magis una: unde magis & perfectiùs eadem censeri debent quæ unitatem habent formalem, seu specificam (utpote quæ solis differentiis individualibus distinguuntur) quàm quæ tantùm genericam, Petrus scilicet & Paulus, quàm Petrus & Bucephalus.

V. *Identitas perfectissima competit solis Personis Divinis.* Hinc sequitur esse idem perfectissimè solis competere Personis Divinis, quæ (stupente naturâ) tres sunt & unum, utpote quæ secundùm Relationes Personales inter se realiter distinctæ, naturam habent numero eandem, sicque homousios, id est, eiusdem esse naturæ iis propriissimè convenit, non ... seu similis naturæ, quam vocem astu, fraude, scelere Arrianorum ad Divinitatem Christi, & consequenter Mysterium Trinitatis fidelium mentibus abolendum inventam, orthodoxi omnes execrantur.

SECTIO II.

Vtrum plura subiecta eandem numero habentia qualitatem essent similia.

I. *Status controversiæ.* SEnsus est, utrum v. g. duo parietes eandem numero habentes albedinem, essent inter se in ratione albedinis similes, an ad similitudinem requiratur distinctio in ipsa ratione quæ similitudinem fundat.

II. *Affirmant aliqui parietes illos fore similes, alij negant.* Affirmant nonnulli similes fore, imò similitudinem habituros perfectissimam. Unde tres Personas Divinas sicut in naturâ idem, ita & perfectissimè in eâ similes esse pronuntiant. Alij tamen negant, & ad similitudinem requiri aiunt, ut ratio similitudinis in utroque pariete sit distincta.

III. *Ad similitudinem extrema debent esse realiter distincta.* Dico primò ad similitudinem requiri ut extrema ipsa quæ in se similitudinis denominationem recipiunt, sint realiter inter se distincta. Hoc probat commune illud & à Philosophis omnibus receptum axioma *Nullum simile est idem, & nihil potest esse simile sibi.* Ratio verò est, nam alioquin idem essent similitudo & identitas, quæ tamen ab omnibus censentur distincta.

IV. *Non requiritur, ut ratio fundandi sit eadem.* Dico secundò, ad similitudinem non esse necessarium ut qualitas seu ratio fundandi similitudinem, sit numero eadem in utroque extremo seu subiecto. Ratio est clara, alioqui nullæ duæ res creatæ unquam essent similes, cum in se nunquam eandem numero habeant qualitatem.

V. *Possunt esse similia, quorum ratio fundandi est eadem numero.* Dico tertiò, ad similitudinem non requiri, ut ratio, in qua aliqua duo sunt similia, realiter distinguatur; quare duæ candelæ eandem numero habentes lucem, duo parietes eandem habentes albedinem essent, hi in albedine, illæ in luce similes. Unde Tres Personæ Divinæ eandem numero habentes Essentiam, sunt in ea similes.

VI. *Idem hac in re est de similitudine, & de æqualitate.* Ratio est primò, quia non magis à Philosophia ad similitudinem requiritur ut id in quo duo sunt similia realiter distinguatur, quàm requiritur ad æqualitatem, sed ad æqualitatem non requiritur, ergo nec ad similitudinem. Probatur minor, Tres Personæ Divinæ sunt æquales, ut vidimus sectione præcedente, idque ut ait S. Anselmus, *quia unaquæque est perfecta & summa Essentia*, ergo ad æqualitatem non requiritur illius distinctio quod fundat æqualitatem.

VII. *Filius in Divinis est similis Patri in Essentia.* Secundò probatur, Filius in Divinis secundùm fidem est imago Patris, sed imago essentialiter includit similitudinem, & superaddit processionem, ut optimè ex S. Augustino ostendit Suarez l. 9. de Trinit. c. 8. n. 3. & Tanner. d. 4. de Trinit. q. 4. dub. 2. n. 20. ubi varia ad hoc affert sacræ Scripturæ loca, ergo. Dices sunt similes in Relationibus, non in Essentia,

sentia. Contrà, in Relationibus potiùs sunt dissimiles. Pater enim est innascibilis, productiuus duarum Personarum, generans, & alia in se babens quæ non conueniunt Filio.

VIII. *Idem probatur ex generatione viuentis.*

Tertiò probatur, Generatio secundùm Aristotelem & Philosophos est *origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ*, ergo filius ex vi processionis est similis in natura Patri, ergo similitudo non requirit distinctionem in ratione fundante similitudinem.

IX. *Perfectissima similitudo est, quando ratio fundamentalis est eadem numero.*

Dico quartò, perfectissima similitudo illa est, in qua ratio quæ fundat similitudinem, est eadem numero in vtroque extremo. Ratio est, quia perfectissima similitudo est illa quæ in ea ratione in qua duo sunt similia, omnem excludit dissimilitudinem, sed talis nulla est quandò ratio fundans similitudinem, distincta est in vno extremo & in altero, illa enim duo (albedo A verbi gratia, & albedo B) cum inter se sint dissimiles ob differentias numericas, quas in se diuersas includunt, perfectam fundare similitudinem, seu nullam in se babentem dissimilitudinem non possunt, ergo.

X. *Hac similitudo valent creatis naturaliter competere non potest.*

Hinc infero Personas Tres Diuinas esse perfectissimè in naturâ similes, similitudine nimirum omnem dissimilitudinem excludente, quæ in creatis naturaliter inueniri non potest. Dixi naturaliter, nam si Deus in duabus stellis verbi causa, eandem numero lucem collocaret, essent perfectissima bac similitudine similes. Et licèt ad relationem similitudinis requiratur distinctio extremorum quæ referuntur, non tamen est necesse vt ratio fundandi sit realiter distincta.

XI. *Subiectum cum eadem qualitate in duobus locis non esset sibi simile.*

Quæres, vtrum è contrà si idem subiectum in duobus locis constitutum diuersam in vtroque haberet qualitatem numero distinctam, calorem scilicet, esset sibi in calore simile. Respondeo negatiue, similitudo enim ex suo conceptu formali nisi inter duo reperiri non potest, nihil enim, vt supra dixi, est simile sibi.

DISPVTATIO XXX.

De Obiecto actus constituentis vniuersale.

SECTIO PRIMA.

Refertur & impugnatur opinio affirmans vniuersale esse omnia singularia.

I. *Prima sententia docet obiectum actus vniuersalis esse omnia singularia.*

PRima sententia hac in re est Nominaliũ Gregorij, Okami, Gabrielis & aliorum quos citat & sequitur P. Hurtado d.5 Met.s.10.subsect. 3.& P. Arriaga d.1.Log.s.6.subs.3. quam etiam multi ex Recentioribus amplectuntur. Asserunt ergo hi auctores obiectum actus vniuersalis esse omnia singularia. Exempli gratia, dum concipimus, inquiunt, animal, obijciuntur animo immediatè omnia singularia animalis, non præsentia solum & præterita, sed etiam possibilia, non quidem in particulari, sed vt conueniunt generatim in operationibus sensitiuis, & vt modo quodam confusissimo repræsentantur. Sed quia variè hoc à diuersis explicatur, singulorum modos sigillatim rescetam.

Variè procedunt hi auctores.

II. *Dicunt aliqui obiectũ vniuersalis esse plura vt similia. Varijs modis refellitur hac sententia.*

Primò igitur P. Hurt. citatus ait obiectum vniuersalis esse plura indiuidua cognita vt similia. Sed contrà, similia vt similia essentialiter dicunt distinctionem & pluralitatem, vt etiam concedit ipse, *nihil enim est simile sibi*, & secundùm omnes, vt supra vidimus, *nullum simile est idem*, ergo si cognoscuntur vt similia, cognoscuntur vt aliquo modo distincta, ergo actus sic cognoscens non ea distinguit, ergo non denominat indistincta, ergo non vnum, ergo non dat illis vllam vnitatem, ergo non constituit vniuersale. Confirmatur primò, hic actus respectu illorum est distinctio, cognoscit enim plura vt similia, & consequenter vt plura: ergo potest reddere rationem plurium, ergo respectu illorum non est indistinctio, ergo non vnitas.

III. *Hic actus fuceret vniuersale, homines sunt similes.*

Confirmatur secundò, secundùm ipsum P. Hurt. & communem Philosophorum, bic actus, omnes homines sunt similes in naturâ humanâ, non constituit vniuersale, quia repræsentat plura vt plura, & tamen idem est obiectum huius actus & illius qui repræsentat plura vt similia, nam hic repræsentat plura vt similia.

IV. *Dicunt alij obiectum vniuersalis esse omnia singularia cognita vt vnum.*

Secundò asserunt alij obiectum actus vniuersalis esse omnia indiuidua sed cognita vt vnum, & tamen ex parte obiecti vnitatem negant, & solùm aiunt habere illa obiecta vnitatem ab actu tanquam à formâ. Contrà, vnitas secundùm hos auctores est solus actus intellectus, denominans illa singularia vnum, ergo ille actus si obiectum cognoscat vt vnum sese cognoscat & se pro obiecto babeat necesse est: patet, cognosci aliquid vt vnum, est cognosci vt informatum vnitate, sicut cognosci vt album est cognosci vt informatum albedine, sed vnitas, est ipsemet actus, ergo si cognoscat obiecta illa vt vnum cognoscit vt informata illo actu, ergo cognoscit se.

Reijcitur etiam hac sententia.

V. *Non posse hoc assignari vt quis actus faceret vniuersale.*

Dices primum actum qui illa plura repræsentat, non constituere vniuersale, quia non cognoscit illa vt vnum, cùm se non possit cognoscere, constituunt tamen actus sequentes, qui supra obiecta illa vt à priori actu cognita reflectunt, & actum illa informantem repræsentant. Contrà, si primus actus non constituat vniuersale, nec constituent sequentes, patet, si primus actus non fecit illa obiecta vnum, ergo non poterunt sequentes obiecta illa repræsentare vt vnum, patet consequentia, non vt vnum in se, seu à parte rei, quia sunt essentialiter plura, non vt facta vnum per hos ipsos actus sequentes, nam sic hi actus repræsentarent se & rediret prima impugnatio, nec demum vt facta vnum per primum actum, nã non fecit ea vnum, vel si fecit, ergo ad faciendum vnum non est necessarium cognosci ea vt vnum, ergo nec necessarium est ad faciendum vniuersale secundùm hunc modum vniuersale defendendi.

SECTIO II.

Alius modus defendendi omnia singularia esse materiam vniuersalis.

I. *Tertius modus est plura ita confusè cognosci, vt actus inter ea non distinguat.*

TErtiò alij hac incedunt viâ; Nec cognoscuntur, inquiunt, plura vt similia, sic enim necessariò cognosci deberent vt plura, vt diximus, nec etiam vt vnum, sed cognoscuntur plura specificatiuè, ita vt nequeat intellectus per hunc actum ob summam actus confusionem reddere rationem pluralitatis, licèt reuera cognoscantur plura, sicque hic actus non distinguit, vel, quod eodẽ recidit, indistinguit illa obiecta, ac proinde denominat indistincta ergo vnum, cum vnitas & indistinctio sint idem. Ita Arriaga d.6.Log s.4.& s.6.subsec.3.& multi ex recẽtioribus.

II. Impugnatur hic modus primò. Hic actus non est indistin-

Contra: Angelus intuens hunc actū dignoscit ex vi illius plura vt plura, ergo hic actus non facit ea vnum.

indistinctio, ergo non denominat obiectum indistinctum & vnum. Consequentia est euidens, antecedens probatur; hic actus potest reddere rationem plurium, ergo non est simpliciter indistinctio, patet antecedens, ex vi huius actus possunt dignosci plura qua plura, ergo, patet, Angelus videns hunc actum, videt esse repræsentationem plurium, cùm dicat actus ordinem transcendentalem ad illa, Angelus enim nouit hunc actum non repræsentare vnū tantùm vel duo, sed plura & omnia, ergo Angelus ex vi huius actus cognoscit & distinguit esse plura, ergo hic actus simpliciter non est indistinctio.

III. *Idem ostenditur in hominibus.* Confirmatur, ponamus Petrum elicere actū quo confusissimo, hoc modo repræsentet tres leones A. B. C. & alium quo vel simul vel successiuè repræsentet alios tres leones D. E. F. primus actus non est indistinctio illorum trium, cùm ex vi illius distinguat Petrus leonem A à leone D. & sic de alijs duobus leonibus in vtroque actu repræsentatu, ergo, &c.

IV. *Declaratur vlterius hic actus non facere vniuersale.* Dices, distinguit quidem per primum actum tres primos leones à tribus postremis, non tamen primos tres inter se. Contrà primò, clarius cognosceret tres primos leones per illum actum quàm eosdem cognosceret, si simul vno actu omnes sex confusè cognosceret, per hunc enim actum tres primos leones ab alijs tribus non discerneret, ergo cum aliqua claritate illos per primum actum cognoscit, sicque aliquo modo distinguit, cùm distinctiùs per primū actum illos cognoscat, quàm per secundum, quo omnes sex simul repræsentat.

V. *Idem ostenditur ex actu super hos duos actus reflectente.* Contrà secundò, Angelus duos illos actus intuens videbit quo modo inter se differant, ergo & obiecta eorum videbit, & si loco primi actus substituatur alius qui duos tantùm leones repræsentet, Angelus aduertet mutationem, ergo differentiam videbit huius actus à præcedente, ergo prior actus Angelo repræsentabat tres leones vt tres, nam in eo solo differt primus à secundo.

VI. *Clarius hoc idem declaratur.* Contrà tertiò, si loco primi actus repræsentantis tres illos leones A. B. C. substituatur alius qui repræsentet leones A. B. & F. Angelus aduertet mutationem, licèt vterque repræsentet tres leones, & sola mutatio sit facta in leone C. cuius loco substituitur leo F. ergo actus ille repræsentat leonem C. vt talem, ergo non confusissimo illo modo quo volunt aduersarij, sed ita vt Angelus discernere possit eum peculiariter hîc repræsentari, & idem est de alijs leonibus in his actibus repræsentatis.

VII. *Homines etiam ex vi horum actuum discernent plura vt plura.* Idem est si Petrus eliciat actum quo confusissimo hoc modo cognoscat vnum aliquem hominem, putà Franciscum, si per alium actum simul confusè cognoscat Ioannem, Angelus videbit in quo hi actus differant, ergo. Imò Petrus ipse aduertet in his duobus actibus differentiam. Quòd si quis contendat non posse actu hoc confuso vnum indiuiduum cognosci, quin cognoscantur omnia numero tantùm ab eo distincta, incurret in impugnationem sectione sequente ponendam; idem enim argumentum in visione formari potest, & actibus aliorum sensuum.

VIII. *Nec refert quòd Angelus actū illum comprehendat.* Dices Angelum comprehēdere illum actum, vnde nil mirum si ex vi illius plus percipiat quàm homo. Contra primò, Angelus ex vi sola actus, vt repræsentatiuus est, percipit plura formaliter vt plura, ergo actus ille in se, & vt forma denominans obiectum, est distinctio plurium, Angelus enim videt obiectum illius actus esse plura, sicque ex vi illius in quantum repræsentatio est, reddere potest rationem plurium.

IX. Impugnatur secundò, non solùm Angelus comprehensiuè cognoscens illum actum, sed is etiam qui elicit, si supra suum actum reflectat, & nos etiam omnes de eo hîc disputantes, distinguimus per eum plura, ergo etiam respectu nostri non est indistinctio, ac proinde nec vnitas. Patet antecedens, in præsenti enim dum de actu illo disputamus, scimus esse repræsentationem plurium, imò omnium singularium, ergo nobis reddit rationem plurium, ergo distinguit nobis plura, ergo non est indistinctio seu vnitas. Confirmatur, dum intendunt aduersarij vniuersale suum conficere, elicere volunt actum qui plura, imò omnia repræsentet, ergo sciunt se hîc repræsentare plura, & hunc actum differre ab eo, quo solùm repræsentarent sex aut viginti.

Is qui actū elicit, plura vi pluralis ex vi actus percipit.

Dices, licèt sciamus esse repræsentationem plurium, non tamen in particulari distinguimus illa plura per hunc actum cognoscendo Petrum & cæteros sigillatim, ergo adhuc est indistinctio, nam non distinguit vnum ab altero. Contrà sic nec per hunc actum, omnis homo, Petrum distinguimus à Paulo, & cæteris sigillatim, & tamen secundùm aduersarios hic actus non est indistinctio respectu illorum, nam verè aliquo modo ea distinguit, nec constituit vniuersale, aut denominat obiectum indistinctum & vnum, ergo vel vterque actus constituit vniuersale, vel neuter. X.

X. Nec obstat quòd illa plura non cognoscamus sigillatim.

SECTIO III.

Alia impugnatio sententiæ statuentis obiectum vniuersalis esse omnia singularia.

Tertiò impugnatur idem explicandi modus, quia secundùm hāc sententiam equus aut aliud brutum quodcunque facere potest vniuersale, patet, nā equus videre vnum, aut plures potest colores à longè ita confusè, vt distinguere non possit qui sint, nec discernere ab alijs, ergo oculus equi tunc indistinguit, & denominat obiectum illud indistinctum & vnum, ergo vniuersale, quamuis non logicum seu prædicabile, hoc enim fit per solum intellectum, qui à prædicatione illud denominat prædicabile. I.

I. In hac sententia sequitur bruta facere vniuersale.

Imò præterea equus dum à longè videt colorem hoc obscuro modo, videt secundùm hāc sententiam colores omnes qui iam sunt in quacunque mundi parte, in centro terræ, apud antipodas &c. Imò destructos etiam, & merè possibiles, nam æquè indistinguit ab illis omnibus, atque ab existentibus. Quæ licèt concedant nonnulli ex aduersariis, & vt inconuenientia contra ipsos inferantur, vltro ex suis ipsi hæc deducant principijs, vt videre licèt apud P. Hurt. d. 5. Metaph. s. vlt per totam, ita tamen vel ipsis sensibus, & communi Philosophorum doctrinæ repugnare videntur, vt quiuis vel hoc nomine ab amplectenda hac sententia deterreri meritò debeat. II.

II. Sequitur etiam equum cognoscere colores videndo destructos.

Quam hîc vlteriùs impugno, & inquiro sitne vera hæc propositio, equus confusè videns colorem aliquem à longè, tam videt colorem qui fuit in pomo quod comederunt primi parentes, quàm colorem hîc oculis obiectum? Negare non possunt, nam si distinctiùs videt colorem hîc obiectum, non tam videt illum quàm hunc, ergo distinguit hunc ab illo, ergo non indistinguit. Si verò concedant, vt reuera concedit P. Hurt. qui primarius est sententiæ huius patronus, mirari desinamus stupēda illa quæ de lynceo feruntur, cum acutiores longe oculi equis nostri temporis tribuantur, vtpote qui non parietem solùm possint visu traijcere, vel naues centum & amplius milliaribus distantes cernere, vt ille, sed res quasque minutissimas in ipso terræ centro, imò à multis annorum millibus destructas. III.

III. Concedunt equum videntem colorem confusè, videre omnes colores possibiles.

Confirmatur primò, sequeretur etiam actum elarum IV.

Sequitur etiam actu clarum facere vniuersale. rum facere vniuersale, homo enim videns albedinem etiam in propinquo non ab aliis eiusdem intensionis distinguit, ergo videt omnem albedinem etiam possibilem eiusdem intensionis cum albedine quam intuetur.

V. Confirmatur secundò, homo subinde aliquid à longè ita confusè videt, vt discernere non possit nisi solùm esse aliquid, vel ens, quod perinde est, ergo illud ex vi huius visionis ab aliis omnibus entibus non distinguit, nec enim reddere potest rationem nisi solùm entis, & dicere, est aliquid: ergo in hoc casu si ratio aduersariorum valeat, confusè videt omnia entia, & ferret visio illa corporea extra obiectum suum adæquatum. *Sequitur vlteriùs eunum in illo casu videre omnia entia.* Quod idem de visione equi probari non difficulter poterit, cum non sit maior ratio vnius quàm alterius. Argumenta huius sententiæ proponentur postea cum solutionibus.

VI. *Idem ferè sequitur in sententia præcisione sensibus tribuente.* Quòd liquis inferat idem sequi in sententia admittente præcisiones: Videriot ij, qui sensibus præcisionem ascribunt. Ego qui supra d.25. s.2. cum S. Thoma negaui sensus præscindere, his telis non petor. Imò hæc omnia contra illam sententiam vt incommoda inde sequentia loco citato intuli.

SECTIO IV.

Vera sententia de vnitate vniuersalis.

I. *Actus sanctus vniuer, ale, nullum individuum obiicitur, sed sola natura abstractè præcisa.* Secunda itaque & vera sententia affirmat actui qui præscindit & facit vniuersale non obiici immediatè plura singularia, sed solam naturam. Immediatè, inquam, nam mediatè, & veluti consequenter dici forsan possunt singularia esse obiectum illius actus, quia id immediatè est obiectum, quod à parte rei multiplicatum existit in singularibus, & est idem realiter cum illis. Hæc tamen impropria est locutio, cum intellectus suâ vi ita rationem communem præscindat à singularibus, vt singularitates seu differentiæ nullo modo per actum illum attingantur: ita Toletus q. 3. Conimbric. q. 2. ar. 2. Rubius & recentiores communiter qui præcisiones admittunt, & præcipuè P. Suarez sæpe, maximè verò d.6. Met. s. 3. num. 11. & s. 5. propè finem, vbi hanc sententiam ita expressè tenet, negans formam vniuersalis esse actum intellectus, vt miretur à P. Hurt. illum pro contrariâ citari.

II. *Obiectum ergo actus vniuersalis non sunt plura.* Dico igitur primò: obiectum actus vniuersalis non sunt plura, & consequenter non omnia singularia: ita auctores pro secunda sententia citati. Probatur primò, impugnationibus præcedentibus sectionibus contra oppositam sententiam allatis, quæ præcipua est huius conclusionis probatio.

III. *Clarè docet S. Thomas per abstractionem facientem vniuersale non cognosci singularia.* Secundò ex S. Thoma 1. p. q. 40. ar. 3. in corp. vbi sic habet: *Respondeo dicendum quòd duplex fit abstractio per intellectum, vna quidem secundùm quod vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine, & in hac abstractione non remanet id à quo fit abstractio, remotâ enim ab homine differentiâ rationali, non remanet in intellectu homo, sed solùm animal.* Quid clarius? Ex his ergo verbis Angelici Doctoris habemus primò dari abstractionem vniuersalis à particulari, quod cum cognitione immediatâ particularium seu singularium stare nullo modo potest. Secundò habemus non cognosci singularitates per actum quo abstrahitur natura specifica, nec differentias specificas per eū quo cognoscitur sola generica, per enim est vtriusque ratio. Tertiò habemus per verbum illud *remota*, ex mente S. Thomæ posse aliquid præcisiuè remoueri, & ab alio intentionaliter diuidi, vt suprà latiùs dum de præcisionibus. Sed de mente S. Thomæ circa vniuersalia, plura postea.

IV. Ratio verò à priori conclusionis est, per actum facientem vniuersale non cognoscitur pluritas, ergo non cognoscuntur plura. Consequentia est clara, sicut enim implicat cognosci hominem non cognitâ humanitate, vel album non cognitâ albedine, ita implicat cognosci plura non cognitâ pluralitate, tam enim pluralitas est forma plurium, quàm humanitas hominis, vel albedo albi: antecedens ergo probatur tum ex iis quæ suprà dixi d. 24. s. 2. 8. & 7. tum ex verbis S. Thomæ proximè citatis, per actum abstrahentem animal (idem est de naturâ specificâ respectu differentiarum particularium) remouetur rationale, & remanet in intellectu solùm animal, ergo per hunc actum non cognoscuntur differentiæ animalis, ergo non pluralitas, differentiæ enim sunt formaliter quæ faciunt plura in metaphysicis, sicut formæ in physicis, quæ dant vltimum esse & distinguunt. Confirmatur, est namque contra omnem experientiam cùm concipimus hominem dicere concipere nos omnes homines in particulari, sed solùm concipimus naturam, seu prædicata hominis essentialia, ergo in conceptu illo nullatenus inuoluuntur singularia. *Ratio à priori cur per actum vniuersalem non cognoscantur singularia.*

V. *Obiectum actus vniuersalis est obiectiuè vnum: & quomodo.* Dico secundò: obiectum actus vniuersalis est vnum. Probatur, obiectum huius actus est natura abstracta à differentiis indiuiduantibus, seu natura sola, sed natura sic concepta est indistincta, ergo vna. Minor patet, differentia & distinctio sunt idem, sed præscinditur ab omni differentiâ, ergo ab omni distinctione, ergo habet indistinctionem, ergo vnitatem. Confirmatur primò, natura sine differentiis nō est multiplex, n. multiplicatur enim formaliter per differentias, sed obiectum actus abstrahentis seu facientis vniuersale, est natura sine differentiis, ergo vt sic non est multiplex, ergo in mente est vna. Vnde positâ sententiâ de præcisionibus, hæc quæstio de vnitate vniuersalis facillimè & clarissimè resoluitur, in quantas enim quantùm laborent aduersarij vidimus s. 1. 2. & 3. & in quos scopulos impegerint.

VI. *Nec hinc sequitur naturam abstractam esse vnam numero realiter.* Dices hoc argumentum si quid probet, probare naturam abstractam esse vnam numero singularem realiter, nam natura abstracta non est multiplex realiter, ergo vna numero realiter, non-multiplicitas enim & vnitas sunt idem. Nego consequentiam, procedit enim argumentum de subiecto non supponente, sicut si quis diceret, in sole non est multiplicitas graduum caloris, vel non sunt gradus particulares caloris, ergo est vnitas seu vnus gradus caloris: nulla consequentia, est enim de subiecto non supponente, calor namque non est omnino in sole. Vt ergo rectè inferatur consequentia, addi debet, in sole est calor, non multiplex, ergo vnus, benè sequitur, sed maior est falsa. Sic in præsenti addi deberet, natura abstracta habet vnitatem numericam realem, non multiplicem, ergo vnam, sed maior statim apparet falsa, per abstractionem enim præscinditur ab omni vnitate & differentiâ numericâ,

VII. *Est tamen natura abstracta vnum numero vniuersale.* Vocari tamen posset natura abstracta aliquo modo vna seu vnum numero, sed cum addito, nempe vnum numero vniuersale, quam tamen vnitatem non habet à parte rei seu realiter, sed tantùm per intellectum. Quòd autem vocari possit vnum numero vniuersale probatur; naturæ enim abstractæ hominis, equi, & leonis sunt tria vniuersalia, & numerum componunt ternarium, omnis autem vnitas quæ numerum conficit, sub eâ ratione dici potest numerica, vt optimè aduertit P. Suarez d.6. Met. s.2. numer. 12. vbi id declarat exemplo vniuersalium Platonicorū, si enim naturæ à parte rei separatæ existerent à singularibus, ac proinde vniuersales, essent tamen singulæ à se distinctæ, & dicere possemus, ibi est natura vniuersalis hominis, ibi leonis, ibi equi, essentque numerabiles sigillatim. Certè existimo positis præcisionibus

sionibus obiectiuis, has duas conclusiones esse euidentes.

SECTIO V.

Quomodo natura abstracta sit vniuersalis.

I. *Natura obiectiuè præcisa est vniuersalis.*

DIco tertiò: natura sic præcisa, est vniuersalis. Probatur, per hoc præcisè quòd concipiatur natura sola, seu præscindatur à differentiis indiuidualibus, est vniuersalis, ergo. Probatur antecedens, est *vna, apta inesse pluribus*, ergo vniuersalis: prior pars antecedentis, quòd sit vna, constat, vnum enim & indiuisum sunt idem, sed natura sic abstracta, est quoad intellectum indiuisa, vt ostensum est sec. præcedente, conclusione secunda, ergo. Secunda etiam antecedentis pars quòd sit apta inesse pluribus, patet, illa enim natura iam abstracta, & facta vna specie, vt sic nón est determinata, ergo indeterminata & indifferens, ergo habet aptitudinem vt adæquatè, vel inadæquatè secundùm diuersos explicandi modos tota intentiuè communicetur pluribus, auferuntur enim intentionaliter per abstractionem impedimenta, nempe differentiæ limitantes, quibus soluta, fit vna & superior apta communicari suis inferioribus. Sicut materia præcisâ per intellectum omni formâ, habet præcisiuè priuationes omnium formarum, quia intentionaliter seu quantum ad intellectum formas illas non habet.

Ratio est, quia est vna in multis.

II. *Natura cũ vnitate formali à singularibus præcisa est vniuersalis.*

Dices, natura sic concepta aliud nihil est quàm natura cum suâ vnitate formali, sed natura cum solâ vnitate formali, non est vniuersalis, ergo natura sic concepta non est vniuersalis. Respondeo distinguendo maiorem, natura sic concepta nihil aliud est quàm natura cum vnitate formali quomodocunque, nego maiorem; quàm natura cum suâ vnitate formali præcisâ, concedo: natura autem præcisa ab inferioribus est vt sic indiuisa in illa, nec enim magis Petri est quàm Pauli, quoad intellectum, imò nullius, sicque apta est vt tota intensiuè modo proximè dicto communicetur, & consequenter est vniuersalis.

III. *Stat vnitas vniuersalis cũ aptitudinali diuisione.*

Hoc autem differt vnitas vniuersalis à numericâ, quòd licèt vtraque naturam reddat actu & formaliter indiuisam, vniuersalis tamen vnitas ita eam actu facit indiuisam, vt relinquat aptitudine diuisibilem seu communicabilem, numerica vero facit eam essentialiter incommunicabilem. Stat ergo vniuersalis vnitas cum aptitudinali diuisione, non sic numerica. Hoc tamen noto, si vniuersale sumatur vt vnum numero vniuersale, est etiam incommunicabile pluribus vniuersalibus, sed hoc sensu vnitas vniuersalis non est tam vniuersalis quàm numerica, vt dictum est in fine sectionis præcedentis.

IV. *Explicatur vlteriùs quomodo per actum obiectiuè præscindentem fiat vniuersale.*

Confirmatur & explicatur conclusio, quo dicit actus præscindens, vt suprà latè ostendi d.24.l.6. & 7. nempe repræsentare vnum, & non repræsentare aliud, naturam scilicet, non differentias; obiectum ergo est illud tantùm quod actus repræsentat, sed cùm vt præscindens est, essentialiter etiam petat aliquid non repræsentare, habet annexam sibi negationem per quam differt ab alio actu qui repræsentat eandem naturam, sed vnitam singularitatibus, per hanc ergo negationem, formaliter est actus præscindens, per hanc enim habet separare vnum ab altero, vt loquitur S. Thomas loco sec. præcedente in primâ Conclus. citato, quod actus, qui adæquatè cognoscit Petrum non facit, quia negationem illam non habet, sed simul cum naturâ repræsentat differentias seu naturam contractam. Actus ergo præscindens secundùm positiuum quod dicit, repræsentat naturam, secundùm negationem non repræsentat, seu non apponit differentias, ac proinde illas præcisiuè tollit & relinquit naturam intentionaliter liberam, & quantùm ad intellectum suo modo communicabilem omnibus.

V. *Quomodo actu obiectiuè præscindente naturam, sit negatio differentiarum.*

Nec hinc inferas, dum repræsentatur animal tantùm, est negatio intentionaliter ex parte obiecti, ergo repræsentatur negatio, hoc enim non magis sequitur quàm si quis dicat, video Petrum tantùm, ergo video Petrum, & negationes omnium aliarum rerum. Negatio ergo illa differentiarum est intentionaliter ex parte obiecti, non per repræsentationẽ sui, sed per non repræsentationem, vel nõ appositionem intentionalem differentiarum: vnde secundùm omnes Philosophos animal abstractè conceptum est incompletum, & complebile per suas differentias, ergo illas vt sic non habet, non enim potest quid esse incompletum ad id quod habet.

VI. *Sunt potius priuationes differentiarum, quàm negationes.*

Magis tamen propriè loqueretur, qui diceret animal præcisum habere priuationes differentiarum quàm negationes, quia est quasi subiectum aptum ad illas habendum. Est ergo distinctio ex parte obiecti solùm in actu exercito, non in actu signato, scilicet non repræsentando distinctionem sed faciendo per non repræsentationem alterius partis,

VII. *Vniuersale per præcisiones facto non obstat vniuersalis prædicatio.*

Contra hanc conclusionem P. Arriaga d. 6 Log. sec. 2. opponit primò Natura obiectiuè præcisa non potest prædicari intrinsecè de quolibet indiuiduo, ergo non est vniuersalis. Contrà primò, multò minùs prædicari de vnoquoque indiuiduo possunt omnia singularia, hæc enim propositio est falsa, Petrus est hic & ille & ille homo, & tamen hoc est vniuersale ab ipso statutum, ergo non sequitur, non potest prædicari de quolibet indiuiduo, ergo non est vniuersale. Contrà secundò, dicunt passim aduersarij vniuersale amittere in prædicatione vniuersalitatem, si ergo ego idem dicam, argumentum non vrget, vt constat. Quid autem de prædicatione vniuersalis sentiam, dicam infra d. 32. s. 2. & tertia.

VIII. *Potest aliquid esse obiectiuè vnum, & diuidi realiter in plura.*

Opponit Arriaga secundò, & principaliter. Repugnat aliquid esse vnũ in se realiter, & diuidi realiter in plura, ergo & esse obiectiuè vnum & diuidi à parte rei in plura realiter distincta. Nego consequentiam, vt enim aliquid obiectiuè sit vnum non est opus vt vnitas aliqua physica ei appingatur, sed solùm, vt ait S. Thomas, *vt intentionaliter amoueantur* seu non repræsententur *differentiæ* quibus hoc modo amotis manet natura respectu intellectus vna. Eâdem autem facilitate quâ per intellectum præcisiue amouebantur differentiæ, iterum redduntur, sicque rursum per eas intentionaliter diuiditur natura, sibique redditur.

SECTIO VI.

Obiectiones nonnullæ contra hanc vniuersale explicandi viam.

I. *Recentiorũ quorundã obiectiones.*

COntrà hunc quo olim vniuersale explicabam modum, ingeniosi quidam Recentiores calore quodam philosophico impulsi, varias proposuere difficultates, quarum vt & vis clariùs innotescat, & solutio, sententiam quam tota hac disputatione fusè tradidi, hic paucis ascribam.

II.

Inprimis suppono ex d.24. posse intellectum naturam à singularibus obiectiuè præscindere, nam etiam hoc admisso, P. Hurtado d. 5. Metaph. s. 10. sub. 7. num. 170. P. Arriaga d.6. Log. sect. 2. num. 6. & P. Ouiedo contro. 3. Log. p. 5. 5. 1. qui præ reliquis hanc Nominalium sententiam illustrarunt, nostram opinionem impugnant.

III. *Natura præcisa est vna.* Hoc ergo posito, vlteriùs assero, naturam sic abstractam esse respectu intellectus vnam, actus enim præscindens, ab omni eam differentiâ separat: sicque & respectu huius actus est vna in actu exercito, & respectu actus reflexi in actu signato, poterit enim actus super obiectum prioris actus reflectens dicere, prior actus fecit naturam communem.

IV. *Non ei vnitas appingitur ab intellectu.* Dico itaque naturam humanam sic abstractam esse vnam, non vnitate aliqua nouâ adueniente intrinsecè (hanc siquidem non puto quenquam naturæ appingere. vel si faciat, ei hac in re non assentior) nec enim intellectus per actum præcisiuum concipit aliquid in obiecto quod non est, sed solùm inadæquatè concipit quod est, sed est vna tum positiuè per vnitatem formalem, seu indiuisionem in plures naturas specie distinctas, equinam, leoninam, & alias, quam adhuc in mente natura retinet; tum quasi negatiuè per remotionem scilicet præcisiuam differentiarum, quibus amotis, nulla apparere potest in naturâ differentia, seu distinctio, & consequenter hoc sensu est in eâ respectu intellectus vnitas.

V. *Est etiam natura præcisa vniuersalis.* Tandem dico naturam sic abstractam esse vniuersalem, est enim in intellectu vna modo explicato, & à parte rei multiplex, sicque vna in multis, & tota in singulis intensiuè non extensiuè, vt postea latiùs declarabo. d. 33. s. prima.

VI. *Quidam pro demonstrationibus apparentibus vera conficiunt sophismata.* Id etiam monitos velim qui hanc impugnaturi sunt sententiam, ne (quod procliue est in hac materiâ vt s. 8. num. 8 latiùs ostendam) ne, inquam, à naturâ in vno statu, ad eandem arguant vt in altero, à naturâ scilicet abstractâ ad eam vt à parte rei; cùm sit in vtroque hoc statu natura quasi virtualiter duplex, ne mutando suppositionem, incidant in fallacias, & pro demonstrationibus apparentibus vera conficiant sophismata.

VII. *Obij: actū terminari ad aliquid à Petro distinctum, & ad aliquid cum eo identificatum.* Arguitur itaque primò, in naturâ præcisâ ab indiuiduis aliquid repræsentatur cum singulis indiuiduis identificatum, & aliquid à singulis indiuiduis distinctum, nec enim actus concipiens hominem vt sic, est actus concipiens solum Petrum; ergo terminatur actus ille ad aliquid idem cum Petro, & ad aliquid à Petro distinctum, ergo ad plura indiuidua.

VIII. *Resp. à parte rei quidem ita esse, non vt est in intellectu.* Respondetur distinguendo antecedens, repræsentatur aliquid quod à parte rei identificatur cum singulis indiuiduis, & quod à singulis vt à parte rei distinguitur, concedo antecedens; vt in intellectu, nego; cùm enim in intellectu præscindatur ab omni differentiâ indiuiduali, & solùm maneat cum formali vnitate, nulla in intellectu est in naturâ diuersitas actu, sed solùm aptitudine.

IX. *Natura in qua nulla relucet multiplicitas, non potest respectu intellectus esse multiplex.* Ex quo hoc conficio argumentum, natura in qua nulla relucet diuersitas seu multiplicitas non est respectu intellectus multiplex aut diuersa, sicut paries quem intellectus concipit sine albedine, non est respectu intellectus albus, sed admissis præcisionibus obiectiuis nulla in naturâ humanâ relucet diuersitas, cum actus abstrahens præscindat intentionaliter naturam ab omni differentiâ, vt iam supponimus, ergo in naturâ præcisâ nulla relucet diuersitas. Admissis præcisionibus non video quid horum negari possit.

X. *Actus vniuersalis terminatur ad plura indiuidua inadæquatè.* Vnde etiam distinguo vltimum consequens, terminatur actus ad plura indiuidua inadæquatè, seu ad id quod vnum specie in intellectu existit in pluribus indiuiduis à parte rei multiplicatum per diuersas differentias numericas, concedo consequentiam; ad plura indiuidua adæquatè, nego consequentiam: abstrahit enim actus ille naturam, vt supponimus, ab omni differentiâ numericâ. Præterea hoc argumentum arguit à naturâ vt in vno statu ad eandem vt in altero, sicque impingit in id quod paulò ante cauendum monueram.

XI. *Obij. actum non dare naturæ vnitatem intrinsecam.* Arguitur secundò, non datur à parte rei natura vna, & pluribus communis, sed actus intellectus nullam facit in eâ intrinsecè nouam vnitatem, ergo nulla etiam post actum est vnitas sufficiens ad vniuersale.

XII. *Resp. vnitatem tribui naturæ, non aliquid ei appingendo, sed differentias numericas tollendo.* Respondetur distinguendo Maiorem, non datur à parte rei natura formaliter & completè vna, & pluribus communis, concedo Maiorem; fundamentaliter vna & communis, nego. A parte rei ergo datur in naturâ humanâ vnitas formalis seu indiuisio illius in plures naturas specie distinctas, per differentias tamen numericas multiplicata, vt suprà ostendi d. 27. sec. 2. quæ differentiis ablatis manet omnino mentaliter indiuisa, sicque vna, quæ vnitas non fit, nouum ei quidquam appingendo, vt concipere videntur aduersarij, sed solùm aliquid naturæ extrinsecum per actum præcisiuum tollendo, vt latè explicui suprà d. 24. s. 6. & 7. nec opus est, quæ ibi tradita sunt hîc repetere.

XIII. *Obij. sequi naturam esse vnam, & non esse vnam.* Arguitur tertiò; posito actu intellectus præscindente fit secundùm nos natura vna, ergo duo sequuntur contradictoria, esse nimirum aliquid à parte rei vnum & indiuisum, quod tamen à parte rei est diuisum. Mirus sane videtur hîc argumentandi modus, est aliquid vno modo in intellectu præscindente, seu inadæquatè rem concipiente, alio modo à parte rei nempe adæquatè, ergo res diuerso modo simul existit à parte rei, adæquatè scilicet & inadæquatè: Quod perinde est ac si quis diceret, Petrus actu præcisiuo concipit Paulum sine brachio, aut capite, ergo Paulus à parte rei cum capite simul existit & sine capite.

XIV. *Resp. esse vnam in intellectu, multiplicē à parte rei.* Respondetur itaque nullam hîc posito actu præcisiuo nouam in natura emergere vnitatem, sed naturam esse vnam ablatis differentiis, eâdem enim operâ omnis ei aufertur intentionaliter diuersitas, cùm differentia tam sit formalis ratio diuersitatis, quàm albedo albi. Est ergo natura in intellectu vna præcisiuè multiplex à parte rei. Quæ hîc vmbra contradictionis?

XV. *Explicatur vlteriùs vnitas præcisiua in obiecto.* Arguitur quartò; in indiuiduis humanis nulla est vnitas, ergo nulla ab iis abstrahi potest vnitas, magis quàm ab iisdem indiuiduis abstrahi potest hinnibilitas. Inprimis nego antecedens, vt latè ostendi d. 27. s. 2. est enim in natura humana in indiuiduis multiplicata vnitas formalis. Hac vero multiplicitate per intellectum amotâ (accisis scilicet intentionaliter differentiis) manet natura in intellectu indiuisa, non in diuersa solùm specie indiuiduâ, sed etiam numero. Sicque omni ex parte manet vna.

XVI. *Non nobis à nobis concipitur vnitas hac obiectiua.* Deinde dico, licèt nulla esset in indiuiduis humanis vnitas, fieri tamen ab intellectu præscindente potest in actu exercito, non repræsentando illic vnitatem, sed tollendo omnem differentiam, vt dixi. In eo verò falluntur aduersarij, quod nescio quam vnitatem putent naturæ ab intellectu de nouo appingi, in quo tamen toto cælo à nostris principiis aberrant.

XVII. *Obij: non posse abstrahi vnā rationē de omnibus prædicabilem. Resp. multò minùs prædicari posse de omnibus vniuersale Nominalium.* Arguitur quintò; quod abstrahitur à Petro non est identicè affirmabile de Paulo, nec econtrà, ergo ab omnibus abstrahi nequit vna ratio de omnibus prædicabilis. Contrà aperiè, multò minùs de Petro affirmari potest vniuersale aduersariorum consarcinatum ex omnibus indiuiduis, si enim dici nolunt Petrus habet naturam omnibus hominibus communem, multò certè minùs dici potest Petrus est omnes homines. Quidquid ipsi responderint, respondeo & ego. Sed de prædicatione vniuersalis postea d. 33. s. 2. hæc enim quæstio ab eâ plane est independens. Ad obiectionem tamen dico, quod abstrahitur à Petro non posse idem numero affirmari

de

de Paulo, posse tamen idem specie. Argumentum autem hoc, sicut pleraque ex præcedentibus statum præcisionis confundit cum statu reali, & mutat suppositionem.

XVIII. *Obij. per actu præscindentem nulla cernitur aptitudo.* Arguitur sexto; per actum præscindentem naturam à differentiis indiuiduantibus nulla cernitur in naturâ sic abstractâ aptitudo vt communicetur indiuiduis, magis quàm ineptitudo; ergo per hunc actum non fit vniuersale, seu vnum aptum esse in multis. Contrà, si per actum qui omnino non repræsentat differentias nulla appareat in obiecto aptitudo, quomodo per illum actum apparebit qui repræsentat differentias, cùm differentiæ sint tota ineptitudinis huius causa, ergo si ad hanc ineptitudinem intentionaliter tollendam, sufficiat actus ille obscurus ab aduersariis statutus, quia non clarè repræsentat differentias indiuiduales, à fortiori sufficiet actus qui eas omnino non repræsentat. En quomodo suis se telis induant aduersarij, vix quidquam opponunt, quod reponi nequeat cum fœnore.

Contrà: multò minus cernitur per alium confusum.

XIX. *Ostenditur quomodo actus præscindes sufficiat ad prædicationem vniuersalis.* Respondetur itaque ad prædicationem sufficere, vt stante actu præscindente eliciatur ab intellectu actus repræsentans, seu applicans subiectum, Petrum verbi causâ, nam eo ipso quod hoc fiat, apparebit conuenientia inter eum & naturam humanam, quod sufficit ad prædicationem. Addo secundò, plerumque interuenire alium actum qui super priorem reflectat, & in actu signato aduertat ineptitudinem (nempe differentias) esse sublatam. Ad quas solutiones confugere etiam coguntur aduersarij in suo vniuersali confuso.

XX. Hæc præcipua sunt quæ contra nostram sententiam proponi video, quæ vt veritatis indagandæ gratiâ obiecta esse non dubito, ita ad eandem veritatem magis illustrandam eorum solutionem nolui omittere.

SECTIO VII.

Obiectiones aliæ contra vniuersale per præcisiones obiectiuas factum.

I. *Obij. obiectum actus vniuersalis esse saltē omnes naturas.* Obicitur primò, & si obiectum actus vniuersalis non sint singularitates, sunt tamen omnes naturæ, ergo obiectum illius actus non est vnum sed plura. Confirmatur, actus dicit respectum transcendentalem ad suum obiectum, & non ad aliud, & illo mutato mutatur, sed si esset impossibile vnum ex indiuiduis, non maneret idem actus, ergo respicit omnia & singula indiuidua, vt indiuidua, sicque ipsas singularitates. Respondetur distinguendo antecedens, obiectum actus vniuersalis sunt omnes naturæ, vel natura quæ à parte rei est multiplicata per omnia indiuidua, concedo antecedens; quæ in intellectu est omnes, nego antecedens. Cum enim terminus omnis distribuat terminum immediatum cui apponitur, vt in Introductione habetur, idem sonat omnes naturæ, atque hæc, & hæc, & illa natura, at vero hæc, & hæc non est in mente, quia præscindit cognitio ab omni hæcceitate, seu singularitate, cùm iuxta S. Thomam, vt vidimus, deputetur ab hic & nunc, seu principiis indiuiduantibus. Vnde nulla in particulari natura est in intellectu, sed ratio naturæ vt sic ab omnibus abstracta.

Resp. in intellectu non esse vllam singularem naturam, quâ talem.

II. *Quo loco sit obiectū actus Homo.* Dices, obiectum actus quo dico *homo*, est alicubi, ergo in aliquo indiuiduo, non vno solo, ergo omnibus. Respondetur esse in omnibus à parte rei multiplicatum per differentias numericas & eodem loco cum illis, non tamen vt sic obiicitur intellectui, sed sola natura secundùm se, & ab omni singularitate præcisa: ac proinde non est multiplex in intellectu sed vna.

Ad confirmationem dico, si reddito impossibili vno, imò pluribus indiuiduis posset manere eadem natura, mansurum eundem actum, vtpote qui specificetur ab obiecto tantùm immediato, sed quia manere nequit natura, si esset impossibile vnum illius indiuiduum, quia non esset eadem, nec eodem modo scibilis & communicabilis sicut antea, ideo mutaretur actus; sicut si subiectum omne materiale destrueretur, periret visio, non quod à subiecto illo specificetur; sed quia illo pereunte perit necessariò color, vtpote accidens, quod sine subiecto existere non potest, nec sine colore visio. III. *Implicante vno indiuiduo implicaretur actus immediatè.*

Obicitur secundò: materiale vniuersalis est totum, ergo habet partes, sed partes sunt inferiora, ergo materiale vniuersalis sunt inferiora, ergo inferiora cognoscuntur per actum facientem vniuersale. Confirmatur, quod diuiditur habet partes, in quas diuidatur, sed vniuersale diuiditur in indiuidua, ergo ea continet, totum enim in suas diuidi partes debet, non alienas. IV. *Obij. vniuersale est totum, ergo habet partes.*

Dico vniuersale esse totum, non simpliciter; sed totum potentiale, seu potestatiuum, vt loquuntur Dialectici, non quòd actu componatur ex speciebus vel indiuiduis, seu quòd contineat ea tanquam partes, implicat enim idem simul actu componi ex rationibus contrariis & repugnantibus, vt ex rationali & irrationali: solùm ergo continet ea tanquam inferiora, quo sensu dicit Aristoteles *sub genere latere æquiuocationes*, id est plures latere species inæquales. Hinc ad confirmationem distinguo Maiorem, quod diuiditur per separationem vel destructionem vnionis inter partes, habet in se partes in quas diuidatur, concedo Maiorem; quod diuiditur per multiplicationem, seu participationem habet partes in se, nego. V. *Resp. vniuersale esse solùm totum potestatiuum.* *Quodnam totū habeat partes.*

Obiicies quartò: hinc sequi Petrum & Paulum esse vnum hominem, patet sequela, *quæ vniuntur vni tertiò vniuntur inter se*, sed Petrus & Paulus vniuntur in vniuersali, ergo & inter se. Respondetur illos esse vnum hominem specie, non numero, nam secundùm differentias numericas non sunt in naturâ abstractâ, quippe quæ ab iis præscinditur. Principium autem illud intelligi debet, quando tertium illud est vnum numero. VI. *Petrus & Paulus sūt vnus homo specie, non numero.*

Obicies quintò: implicare in terminis aliquid esse vnum, & posse multiplicari, cùm vnum & plura opponantur. Respondetur implicare vt quid vnum singulare sit & multiplicabile, non tamen vnum vniuersale, nam ipso facto quod aliquid est vniuersale, est commune & communicabile, seu aptum prædicari de multis, & propterea Natura Diuina esse vniuersale non potest, quia communicari nequit aliis tanquam inferioribus. VII. *Vnū, vniuersale, & multiplicabile non opponūtur.*

SECTIO VIII.

Corollaria quædam: vbi, per quas potentias fiat vniuersale.

Hinc deduco primò, in omni effectione vniuersalis duplex reperiri vniuersale, alterum in repræsentando, ipsum scilicet actum intellectus, qui naturam cognoscit, alterum in essendo, ipsam scilicet naturam sine differentiis indiuiduantibus conceptam. Vnde licèt in ratione cogniti si sumatur concretè, necessariò inuoluatur cognitio, vt in producto productio, sicque proinde forma illius concreti, sicut tamen res producta habet suum esse distinctum à productione, ita & vniuersale suum distinctum à cognitione, licèt illam necessariò conno- I. *Duplex semper est vniuersale, in repræsentādo, & in essendo.*

notet vt conditionem, nec potest fieri absque eo quod interueniat denominatio extrinseca cogniti, cùm fiat per cognitionem, sicut nec fieri ignis potest sine denominatione producti.

II. *Non multiplicatur vniuersale pro varietate actuũ illud facientium.* Deduco secundò, animal verbi gratia, idem semper esse numero vniuersale, quantumuis diuersi simul homines loco quantumcunque dissiti illud abstrahant & faciant vniuersale: imò licèt id præstent successiuè, idque siue abstractio seu actus intellectus sit forma vniuersalis, siue non, ita P. Suar. d. 6. Met. s. 3. n. 11. & 12. in his enim varietas non desumitur à formà, sed supposito seu subiecto. Sicut si idem pariès simul cognosceretur aut videretur à decem hominibus, non essent decem cognita vel visa, sed vnum, & dicitur homo aliquis vnus artifex, licèt multas artes calleat.

III. *Vniuersale non est ens rationis.* Tertiò vniuersale non esse ens rationis, nisi per ens rationis intelligatur ens quocunque modo à ratione dependens. Ratio est, quia in obiectum vniuersalis nihil ingreditur fictum, ergo non est ens rationis, consequentia est clara, antecedens abundè probatum est à nobis in distinctionibus, d. 25. s. 4. vbi ostendimus coocipere inadæquatè id quod est, non esse fingere, fingere siquidem est concipere quod nec est, nec esse potest: Vbi etiam ostendimus tam esse ens rationis aduersariorum animal confusum, quàm nostrum præcisum.

IV. *Voluntas non facit vniuersale.* Quartò, voluntatem non facere vniuersale, sed ab intellectu factum recipere, & aversari illud vel prosequi.

V. *Vniuersale fit per Apprehensionem, & abiudicando per iudicium.* Quintò vniuersale plerumque fieri per apprehensionem, licèt nonnunquam fiat per iudicium, vt in his actibus sine præuiâ apprehensione elicitis *Homo est animal rationale, leo est viuens,* sicut supra in simili dixi d. 16. s. 4. & plura addam d. sequente sec. 2. dum de prædicatione vniuersalis.

VI. *Deus non facit vniuersale.* Sextò, certum est Deum vniuersale facere non posse, idque siue vniuersale per actum præcisiuum fiat, siue confusum, cum Deus non mutilo quodam aut imperfecto modo res cognoscat, sed plenè, clarè, perfectè, adæquatè.

VII. *De vniuer. a's intendo loquendum quasi realiter ab inferioribus distinguatur.* Deduco septimò, ad euitandas innumeras æquiuocationes quæ in hac materia fieri possent & solent, de naturâ abstractâ sermonem instituere non posse, atque si esset realiter ab indiuiduis distincta, cùm enim intellectus per præcisionem nouum ei statum communicet, & cudat quasi nouum ens, diuersas habet proprietates & passiones ratione nostrà à se vt est in indiuiduis, abstracta enim est communicabilis, in illis incommunicabilis, abstracta vniuersalis, in illis particularis, abstracta vna, in illis multiplex, & similia.

VIII. Cùm autem quæritur vtrum sit vniuersale idem realiter cum indiuiduis, dicendum specificatiuè & à parte rei esse, cùm sit ipsa indiuidua; si verò sensus sit de vniuersali vt in intellectu, negandum suppositum, esse scilicet omnino realiter, pront hoc nomine significatur, idem quippe sonat esse realiter & à *Loquendo de vniuersali sæpe mutatur suppositio.* parte rei: quare mutatur suppositio à sensu formali & statu mentis, ad sensum realem. Est ergo natura multiplex realiter, intentionaliter seu obiectiuè vna & vniuersalis.

SECTIO IX.

Vtrum per visionem corpoream fiat vniuersale.

I. *Prima sententia est negatiua.* NEgat S. Thomas variis locis. vt 1. par. q. 12. a. 4. corp. & 1. p. q. 5. a. 1. ad primum & q. 55. & 56. & alibi, de cuius mente hac in re dixi d. 24. s. 5. & infra latius dicam d. 32. sec. 3.

II. *Secunda affirmatiua.* Affirmat P. Hurt. d. 5. Met. s. 12. n. 199. & P. Arriaga d. 6. Log. s. 7. n. 40. aliter tamen & aliter vt mox dicam. Opinionem Patris Hurtado, qui, vbi color aliquis confusè videtur, asserit colores omnes possibiles videri, impugnaui supra s. 3.

III. *Tertia sententia ait sex colores confusè visos esse vniuersale.* Alio modo procedit P. Arriaga, tunc enim solùm per visionem fieri ait vniuersale quando plura, decem scilicet vel duodecim obiecta, ita videntur obscurè, vt inter ea oculus distinguere non possit, nec vnum ab alio discernere. Actum verò hunc ad plura quàm decem illa obiecta ait non extendi. Vnde si res variæ in tabellâ depictæ cernantur à longè, ait oculum in eo casu facere vniuersale.

IV. *Hac sententia confirmatur proceditur ad sua principia.* Et certè puto in principiis illius sententiæ negari hoc omnino non posse, sicut enim obiecta illa cognita actu confuso intellectus fiunt vniuersale, nempe vnum in intellectu, & à parte rei plura, ita visa actu confuso erunt vnum in visione, cùm visio æquè ea indistinguat, & consequenter vniat, atque actus confusus intellectus, ergo similiter sunt vnum in oculo, & multa à parte rei, ergo vniuersale.

V. *In illa sententia non requiritur ad vniuersale, vt videantur omnia.* Dices, visionem, dum decem colores confusè repræsentat, non facere vniuersale, quia de conceptu vniuersalis est, vt non aliqua tantùm indiuidua per actum confusum repræsententur, sed omnia, seu infinita. Contrà, conuenit iis definitio vniuersalis, ergo sunt vniuersale. Antecedens probatur, sunt per hunc actum vnum in multis, definitio autem vniuersalis non est, *vnum aptum inesse omnibus*, sed, *vnum aptum inesse multis.* Confirmatur, visio hæc est indistinctio, ergo vnitas, ergo colores illos denominat indistinctos, ergo in principiis aduersariorum sufficientem dat iis vnitatem.

VI. *Maior vel minor numerus indiuiduorũ parùm refert ad conceptum vniuersalis.* Contrà secundò, maior vel minor numerus indiuiduorum parum refert ad conceptum vniuersalis, vnde secundùm omnes Philosophos ideo Natura Diuina non est vniuersalis, quia non multiplicatur numero in Tribus Personis, quod si fieret, esset vniuersalis, vnde si sint duo tantum indiuidua numero distincta, sufficient ad constituendum vniuersale. Contrà tertiò, si omnes alij colores redderentur impossibiles præter decem illos in tabella depictos, sufficerent ad vniuersale. Contrà quartò, quia gratis & sine fundamento dicitur ad vniuersale constituendum requiri vt omnia vel infinita indiuidua cognoscantur.

VII. *In hac tamen sententia sequitur bruta facere vniuersale.* Impugnatur ergo hæc sententia primò, si enim visio corporea faciat vniuersale, sequitur, equos, canes, mures, adeoque bruta omnia animantia facere vniuersale, cum colores in tabellâ depictos æquè confusè & indistinctè videre possint ac homines, ergo tribuunt illi vnitatem ab aduersariis ad vniuersale requisitam.

VIII. *Sequitur etiam per gustũ & naribus fieri vniuersale.* Secundò, omnes alij sensus facerent vniuersalia, si enim quis in horto omni florum genere consito obambulet, odores illos confusè adeo sentire poteſt, vt vnum ab alio non internoscat, quidni enim æquè olfactus confunderet odores poterit, ac visus colores? ergo nares conficient vniuersale. Dices, non logicum. Contrà primò, nec ego hoc obiicio. Contrà secundò, saltem Metaphysicum, aliud enim præter hæc duo vniuersalium genera non agnoscunt Philosophi.

IX. *Vel sequitur narib. fieri vniuersale, vel ne fieri intellectu.* Hanc difficultatem subodoratus non nemo ait, sensum odores illos diuisim solùm repræsentare, non collectiuè. Sed contrà, eodem modo visio colores, odoratus odores repræsentat, quo apprehensio has sensationes subsequens eosdem exprimit, ergo tam tribuunt iis indiuisionem & vnitatem extrinsecam, atque actus intellectus, seu simplex apprehensio, ergo hoc non obstante nares confusum aduersariorum facient vniuersale.

Idem

X. *Idem est de auditu, gustu, & aliis sensibus.*

Idem est de auditu, gustu, imò & tactu, vt si in vase aliquo varij misceantur liquores, aqua, vinum, &c. si quis digitum in vas illud inserat, vnum certè liquorem ab alijs non discernet, ergo faciet vniuersale: sicque aduersarij logicam quæ vniuersalis structuram & conficiendi modum edocet, ex arte liberali mechanicam prope, ne dicam fabrilem, faciunt, dum nimirum digitos vniuersalium fabros constituunt, artemque hanc eos ad vnguem callere dictitant.

XI. *Conclusio: nullus sensus externus potest facere vniuersale.*

Dicendum itaque cum S. Thoma initio sectionis citato nec visum, nec sensum vllum corporeum vniuersale facere posse: ita Philosophi prope omnes. Ratio est quia, vt d. 25. s. 2. probaui, sensus ob materialem & crassum tendendi modum obiectiuè præscindere non potest, subtilis enim hæc tendentia solius intellectus est, vt ostendi totâ d. 24.

XII. *Notandum contra mentem sancti Thomæ.*

Hic solùm noto, cùm S. Thomas locis citatis sensus neget conficere vniuersalia ob imperfectum tendendi modum, manifestum esse non existimasse ipsum vniuersale fieri per actum illum confusum à contrariæ sententiæ fautoribus statutum, tunc enim ratio ipsius nulla fuisset, cùm sensus, fatentibus etiam aduersarijs, æquè confusè obiecta cognoscere possit ac intellectus. Imò sensus quò magis imperfectus & obtusus eò obiecta faciliùs confundit, & aduersariorum vniuersalia conficit. Ideo ergo negat S. Doctor sensum conficere vniuersalia, quia nequit obiectiuè præscindere, hoc enim, vt ait ipse, suâ sagacitate solus præstat intellectus.

DISPVTATIO XXXI.

Per quem actum intellectus fiat vniuersale, abstrahentem an comparantem.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam.

I. *Abstractio duplex, formalis & virtualis.*

Abstractio duplex est, formalis, & virtualis. Formalis est inadæquata imago seu repræsentatio obiecti, naturæ scilicet sine singularitate. Virtualis est species intelligibilis & vicaria obiecti, seu comprincipium effectiuum simul cum intellectu ad talem abstractionem producendam, nam *ex obiecto & potentia* vt aiunt, *paritur notitia*, vnde obiectum cùm per se non potest, concurrit per speciem vicariam sui, quæ proinde abstractio & repræsentatio dicitur, non formalis, sed effectiua, & producitur ab intellectu agente; cuius munus est abstrahere species à phantasmatibus, & illas spirituales reddere. Hæc ergo cùm non sit formalis repræsentatio, non potest intellectus agens eam producendo dici abstrahere naturam ab indiuiduis, vel facere vniuersale, nisi remotè, sed solùm abstrahere species à phantasmatibus, per quas eliciatur actus intellectus abstrahens, & faciens vniuersale.

II. *Comparatio etiam est duplex occasionalis & actualis.*

Comparatio etiam duplex est, prima est quasi præuia ad abstractionem, vt cùm consideramus & conferimus habitudinem indiuiduorum similium, & inde occasionem sumimus ad naturam, in qua sunt similes, ab ijs abstrahendam. De hac comparatione non est in præsenti sermo, cùm certum sit per hanc non fieri vniuersale: tantùm enim est consideratio multorum singularium. Secunda ergo comparatio est, cùm id quod significatur per terminum *homo*, comparamus ad Petrum, Paulum, & reliquos, vt cùm dicimus, *homo est vniuersale, seu quid superius ad Petrum, Paulum, & alios* vt ad inferiora, & de hac comparatione præsens procedit difficultas.

SECTIO II.

Resoluitur quæstio circa actum abstrahentem.

I. *Triplex hac de re auctorum sententia.*

Circa actum quo fit vniuersale, tripartiti sunt auctores. Prima sententia ait, vniuersale metaphysicum seu in essendo fieri posse per abstractionem, vniuersale verò logicum necessariò expectare comparationem: ita Soncinas, Nipus, Canariensis & alij apud Rubium q. 5. vniuersal: Secunda affirmat vtrumque, id est, tam metaphysicum quàm logicum fieri per comparationem: ita Scotus septimo Met. q. 11. cum suis: P. Hurt. d. 5. Met. s. 8. Tertia demum sententia è contrario asserit vtrumque fieri per abstractionem; ita P. Arriaga d. 6. log. s. 8. n. 48. & alij.

II. *Vniuersale Metaphysicum fit per abstractionem.*

Prima conclusio: vniuersale Metaphysicum, seu in essendo, fieri potest per abstractionem. ita P. Suarez d. 6. Metaph. s. 6. n. 11. & alij. Quod primò probatur auctoritate S. Thomæ, Opusc. 55. vbi ait, *naturam quia antea erat singularis, fieri vniuersalem per actionem intellectus depurantis eam ab hic & nunc, & cæteris conditionibus indiuiduantibus*, sed hoc est abstrahere, ergo.

III. *Ratio est, quia per abstractionem natura fit vna.*

Ratio à priori: eo ipso quòd natura abstrahatur à differentijs indiuiduantibus & limitantibus, est vna, indifferens, & illimitata, & consequenter apta vt communicetur multis, ergo est vniuersale. Confirmatur, vniuersale secundum Aristotelem est *vnum in multis*, seu *vnum aptum esse in multis*, sed natura sic considerata est vna in intellectu, nam separatur ab omni multiplicitate, & in multis à parte rei, saltem aptitudinaliter, si enim solùm dari posset vnum indiuiduum, vt Deus, vel Michaël, aut aut Gabriel, in probabili sententiâ, non foret vniuersale, ergo. Et hoc modo explicat S. Thomas naturam vniuersalis. Opusc. 56. Isthæc hac de re pro præsenti sufficiunt, toto enim sermone discursu hactenus factu hoc probauimus.

IV. *Vniuersale etiam logicum fit per abstractionem.*

Secunda conclusio: etiam vniuersale aliquo modo logicum seu prædicabile fit per abstractionem, ac proinde non requiritur formalis comparatio. Probatur primò, natura sic abstracta est vna & apta per prædicationem affirmari de multis, nam est indifferens ad omnia cùm nullius sit propria, vnde nil requiritur aliud ex parte naturæ vt sit prædicabilis, nihil enim mediat inter abstractionem & prædicationem quo reddatur humana natura prædicabilis de Petro, ergo redditur formaliter talis per abstractionem.

V. *Ad prædicationem non requiritur aliquis actus reflexus.*

Dices requiri vt actu reflexo apprehendatur conuenientia Petri & Hominis, hæc autem est notitia comparatiua. Nego antecedens: nam eo ipso quòd apprehendatur ratio hominis, & Petrus, de ipso potest prædicari homo sine aliquo actu reflexo, per actum enim directum videt in vtroque extremo eandem rationem & prædicata, & id quod continetur in prædicato, contineri etiam in subiecto, & è contrà,

trà, ac proinde in actu exercito aduertit inter ea conuenientiam. Quòd si quis hanc aduertentiam vocauerit comparationem, quæstionem fecerit de nomine.

VI. *Vt tamen sit proximè aptum vsibus logicis, requiritur comparatio.*

Tertia Conclusio, nihilominus vt natura sit perfectè logicè prædicabilis, & fiat propriè vniuersale logicum, seu aptum vsibus logicis, intercedere necessariò debet actus comparans per quem sciatur esse vniuersalis. Probatur, nam licèt ipso facto quòd aduertatur conuenientia inter naturam & Petrum posset rudis quispiam illam affirmare de Petro & dicere, Petrus est homo, imò & casu conficere definitionem ac syllogismum, vt tamen artificiosè & scientificè procedatur, ac secundùm regulas logicas, scire priùs debet naturam esse vniuersalem, vel animal esse genus: patet, nam regulæ logicæ docent in definitione poni debere genus & differentiam, non ergo possumus artificiosè & scientificè conficere definitionem nisi rationem abstractam sciamus esse vniuersalem & genus, licèt casu subinde & materialiter fieri possit definitio hoc non cognito.

VII. *Idem actus potest esse abstractiuus, & comparatiuus.*

Dices, quidni eodem actu, quo quis naturam abstrahit, sciat eam esse vniuersalem? Esto, sed tunc actus ille non est purè abstractiuus, sed simul comparatiuus. & quà talis, est reflexus, & supponit vniuersale à se factum, vt est abstractiuus, quod autem dicimus, est, per actum purè abstractiuum non fieri vniuersale perfectè logicum, seu prædicabile prædicabilitate proximà & propriâ logicæ, seu non esse omnino expeditum & aptum vsibus logicis. Natura igitur vt connotans actum hunc vt abstrahentem, est vniuersalis, & aliquo modo prædicabilis, non tamen scitur vt vniuersalis, quod si sciatur, erit ille actus, vt dixi, abstractiuus simul & comparatiuus secundùm diuersas quas in se complectitur formalitates.

SECTIO III.

Vtrum per actum comparantem fiat vniuersale.

I. *Actus comparans vniuersale natura non repugnat.*

Dico primò, esto, ad vniuersale conficiendum nō requiratur comparatio, omnis tamen comparatio cum eius confectione non repugnat. Prima pars satis constat ex dictis. secundam negare videtur Arriaga d. 6. Log. sect. 8. num. 46. & multi ex recentioribus, sed probatur, vniuersale est superius suis indiuiduis, ergo actus qui affirmaret vniuersale esse illis superius, verum diceret, sed hic est comparatiuus, ergo. Confirmatur primò, qui proferret definitionem Aristotelis, & diceret, *Vniuersale est vnum aptum inesse multis*, compararet illud ad multa, sed tunc non proferret quidquam repugnans vniuersali, cùm per definitionem affirmetur sola rei essentia, essentia autem rei illi non repugnat, vnde sicut definiens hominem quòd sit *animal rationale*, habet hominem in intellectu, ita & vniuersale in mente habet qui illud definit.

Alioqui nō posset vniuersale definiri.

Confirmatur secundò, hinc sequeretur non posse vniuersale cognosci sicut est, quia ipso facto, secundùm hos auctores, destrueretur. Confirmatur tertiò, natura vniuersalis est contrahibilis & communicabilis, ergo alicui communicabilis, ergo potest hoc quis affirmare quin aliquid affirmet contrarium naturæ vniuersalis & illud destruat.

II. Dices, hinc sequi naturam abstractam dicere relationem ad inferiora, hi enim omnes termini respectum sonant, sed nulla est relatio huiusmodi realis, ergo ficta, ergo vniuersale semper includit ens rationis strictè sumptum. Respondeo, sicut res positiua frequenter explicatur per negationem, vt vidimus, sic & absoluta per quid respectiuum, nulla ergo ibi vera est realis relatio, nec prædicamentalis, quæ requirit terminos actu existentes, nullo autem omnino indiuiduo existente, fieri potest vniuersale; nec transcendentalis, quæ licèt quid absolutum sit, dicit tamen quendam ordinem ad effectum vel terminum à se distinctum, quorum neutrum hic reperitur. Est ergo respectus quasi transcendentalis, quia licèt indiuidua in re à naturâ non distinguantur, quoad prædicationes tamen eodem modo de ijs philosophamur, atque si distinguerentur, & de naturâ, atque si diceret aliquem ordinem ad illa, cùm tamen nullum verum dicat, ordo etenim verus non est nisi inter realiter diuersa.

Vniuersale non est propriè relatum ad inferiora, licèt per relationem explicetur.

III. *Potest vniuersale primò fieri per actum comparantem.*

Dico secundò: licèt communiter vniuersale non fiat per actum comparantem, aliquando tamen illud primò per eum fieri nil vetat. Prima pars est contra P. Hurt. d. 5. Metaph. s. 8. numer. 103. & alios. Probatur, comparatio est actus iudicij quo quis iudicat naturam abstractam ab inferioribus esse illis superiorem, & communem, aptamque de ijs prædicari, sed actus huiusmodi iudicij communiter supponit apprehensionem abstrahentem naturam & facientem eam vniuersalem, ergo non fit per iudicium; sicut suprà diximus Ens rationis quod factum est per apprehensionem præuiam ad iudicium, non fieri per iudicium illud, quia iam est factum.

IV. *Quando factum est per apprehensionem, non fit iterum per iudicium.*

Dices cum P. Hurt. num. 104. posse iterum fieri per iudiciū, licèt enim cùm res physicè fit, non possit, dum est, iterum fieri, ne actum agatur, sic tamen, cùm solùm intentionaliter, hoc enim genus effectionis aliud nihil est quàm repetita eiusdem obiecti cognitio. Respondeo, licèt per repetitas cognitiones disparatas non repugnet rem iterum, & sæpius fieri, si simul quis habeat varios huiusmodi actus, vel si duo homines independenter à se mutuo de eodem cogitent obiecto, sic tamen per actus & cognitiones subordinatas, quarum ea est natura, vt priorem cognitionem supponant, & obiectum ab eâ accipiant. Hoc contingit inter apprehensionem & iudicium de eâdem re, item cognitionem inter & volitionem eiusdem obiecti: qua de causa supra dixi d. 16. sect. 1. voluntatem nunquam facere Ens Rationis, sed factum supponere ab intellectu in quod feratur, sicut ob eandem rationem asserit P. Hurtado Deum Ens Rationis non facere.

V. *Ostenditur posse vniuersale primò fieri per actum comparatiuum.*

Secunda conclusionis pars, quòd possit nonnunquam vniuersale primò fieri per actum comparatiuum, patet, nam licèt cōmuniter apprehensio præcedat iudicium, id tamen semper non est necessariū, præsertim cùm quis habet habitum conclusionis, ergo potest quis primò, seu nullâ præcedente apprehensione hunc actum elicere, *natura humana est vniuersalis*, sed per hunc actum fit vniuersale, patet, hic actus repræsentat naturam humanam non singularisatam, ergo facit vniuersale, & tamen etiam hic actus est comparatiuus, vt constat, ergo per actum comparatiuum fieri potest vniuersale. Confirmatur, iam natura est vniuersalis, antea non erat, ergo per aliquem actum fit vniuersalis, sed non per alium quàm hunc, suppono enim nullum alium actum elici, ergo per hunc, nam actus hic est verus.

VI. *Hinc tamē non sequitur Deum facere vniuersale.*

Dices cum Arriaga num. 47. ergo Deus facit vniuersale, cum talem actum possit elicere, verè enim Deus nouit naturam abstractam esse vniuersalem, nouit enim omnem veritatem cognoscibilem. Nego consequētiam, sicut nec præscindit, etiamsi præcisionem in intellectu ante factam in actu illo cognoscat. Actum ergo hunc non elicit Deus nisi vidēdo priùs naturam per intellectum creatum ab inferioribus esse separatam, & redditam vniuersalem. At primus actus quem homo elicit his actibus assuetus,

esse

esse potest hic, *natura humana est vniuersalis*, cùm ergo verum dicat, facit eam vniuersalem, nam antea vniuersalis non erat.

VII. *Non semper ante iudicium comparatiuum præcedit apprehensio comparatiua.*

Dices secundò, præcedere apprehensionem comparatiuam. Contrà primò, non est necessarium vt præcedat semper, vt ostendimus, præsertim cùm omne iudicium sit virtualis apprehensio seu repræsentatio sui obiecti, & quà talis est prior se vt affirmatio est vel negatio. Contrà secundò, præcesserit apprehensio, ergo per illam fiat vniuersale, sed illa non est minùs comparatio quàm iudicium, ergo adhuc fiet vniuersale per comparationem.

VIII. *Licèt aliquando præcesserint apprehensiones, tamen fit vniuersale per iudicium comparans.*

Dices tertiò; hic actus supponit apprehensionem simplicem aliquando præcessisse, per quam fuit abstracta natura. Quid inde? licèt enim similes in initio fieri non potuerint sine huiusmodi apprehensionibus præuiis, sicut nec sine sensationibus, hic & nunc tamen sine illis eliciuntur, & naturam quæ immediatè ante hoc instans non erat vniuersalis, faciũt in mente vniuersalem. Apprehensiones autem simplices quæ antea præcesserunt, solùm sunt conditiones remotæ ad confectionem vniuersalis, sicut auditio vel pia affectio in initio ad actum fidei. Vrgebis, recordamur etiamnum earum. Contrà, apprehensio non cogitata sed existens repræsentat. Vnde esto recordemur aliquando fuisse naturam factam vniuersalem per illas apprehensiones, tam tamen non faciunt illam vniuersalem, quia iam non existunt, & consequenter non præscindunt.

IX. *Comparatio ad inferiora non est prædicatio vniuersalis de illis.*

Dices quartò: prædicatio tollit vniuersalitatem; sed comparatio est prædicatio ergo. Omissa pro præsenti maiori, nego minorem, per comparationem enim solùm affirmamus esse vnum aptum inesse & prædicari de multis, ergo affirmamus esse vniuersale, ergo est tale, nam actus quo dicimus, *natura abstracta est vniuersale*, secundùm omnes non est falsus, sed verus. Hoc autem non est eam prædicare de inferioribus, aliud enim longè est dicere, *homo est vniuersale ad sua inferiora*, ac dicere, *Petrus est homo Paulus est homo* &c. Vel secundò dic comparationem esse prædicationem arguitiuè tantùm & consequenter, non expressè & formaliter, nam qui diceret, natura humana est vniuersalis, post aliquot fortè deductiones & consequentias argueretur dicere esse in indiuiduis, nam dicit habere inferiora, & consequenter iis inesse, sicut qui dicit, *baculus est in angulo*, arguitiuè & consequenter dicit, *Deus est in cælo*.

Comparatio est prædicatio tantùm arguitiuè.

X. *Hic actus, Natura est vnum in multis, nõ destruit vniuersale.*

Vrgebis, cùm dico, *natura humana est vnum in multis*, eam prædico de multis, & consequenter affirmo esse naturam multiplicatam, ergo singularem, ergo non est vniuersalis. Contrà primò, sicut dico esse in multis, ita dico esse vnum, ergo abstractum, ergo vniuersale. Contrà secundò, ergo falsa est definitio Aristotelis, qui hanc tradidit pro vniuersali, nam ipsa definitio destrueret vniuersale, seu definitum. Respõdeo ergo esse ibi duplex obiectum, vel idem sub diuerso statu, & affirmari esse naturam vnam in intellectu, multiplicem à parte rei, ac proinde licèt sit comparatio, non tamen est prædicatio nisi modo proximè dicto. Respondeo secundò, definitionem illam, *Vniuersale est vnum in multis*, idem sonare ac aptum esse in multis, *verba enim in definitionibus non actum significant, sed potentiam.*

SECTIO IV.

Obiectiones contendentes ad vniuersale semper requiri actum comparantem.

I. Obijciunt primò, vniuersale actu, est prædicabile actu, sed non est prædicabile actu sine comparatione, ergo. Probatur minor, non est prædicabile actu nisi sit subijcibile actu, sed non est subijcibile actu, nisi cognoscatur esse tale, ergo. Respondeo primò distinguendo maiorem, vniuersale est prædicabile quoad intrinsecum quod dicit prædicabile, id est, habet aptitudinem intrinsecam, vt de multis affirmetur, concedo maiorem, quoad conditionem requisitam, nempe apprehensionem & applicationẽ subiecti, sicut ignis requirit vt comburat, nego. Ad actus tamen propriè logicos requiritur comparatio, vt dixi sec. 2. conclusione 3.

Obij. vniuersale actu esse prædicabile actu, ergo requirit actum comparantem.

Resp. vniuersale esse prædicabile solùm remotè.

II. *Datur prædicabile actu, licèt nõ semper sit subijcibile actu.*

Secundò, & faciliùs respondeo, omissâ maiori negando minorem, ad probationem negatur maior, cùm enim vniuersale & prædicabile sint ad modũ relationis transcendentalis, non requirunt terminum actu existentem, sed sufficit enim esse possibilem; sic dari potest potentia visiua actu licèt nullum visibile existat actu, alioquin homines noctu semper perderent potentiam visiuam, & redderentur cæci.

III. *Aliud est de prædicato respectu subiecti, & de prædicabili respectu subijcibilis.*

Dices, non potest dari prædicatum actu nisi sit subiectum actu, ergo nec prædicabile actu nisi sit subijcibile actu. Nego consequentiam, disparitas est, quia prædicatum & subiectum sunt correlatiua, & actualem dicunt coëxistentiam vnius respectu alterius, & exercitium in actu secundo, nam omnis affirmatio est copulatio, ergo essentialiter inter duo, alterum quod affirmatur, alterum de quo affirmatur vt est manifestum.

IV. *Superius per modum vniuersalis non requirit inferium actu.*

Vrgebis, non est superius actu nisi sit inferius actu. Distinguo, superius localiter, concedo; superius per modum vniuersalis, vel prædicabilis, nego. Disparitas est, quia superioritas vniuersalis semper explicatur per verba importantia, non actum, sed potentiam, vt esse *prædicabile, communicabile, contrahibile, aptum inesse multis*, & similia, quæ sonant relationem transcendentalem, non sic superius localiter, fit enim tale formaliter ex eo quòd alterum actu ei supponatur. Superioritas verò vniuersalis aliud nihil est quàm aptitudo vt communicetur multis. Addo tamen, vt sit vniuersale propriè logicum, intercedere debere actum comparantem, vt dixi s. 2. conclus. 3.

V. *Natura per abstractionem est species subijcibilis respectu generis, & prædicabilis respectu indiuiduorum.*

Obijciunt secundò, natura abstracta tam apta est vt sit species subijcibilis respectu animalis & generis, quàm species prædicabilis respectu indiuiduorũ, ergo eget comparatione determinante. Respondeo, habere vtramque rationem per eandem abstractionem, & esse speciem prædicabilem simul & subijcibilem respectu diuersorũ, sicut Petrus eadem numero quantitate est maior vno, & minor altero. Numerus item ternarius per se est binario maior, minor quaternario; sic natura abstracta, per se est magis latè patens quàm indiuidua, & consequenter quid illis superius, minùs latè patens quàm genus, sicque illi quid inferius.

VI. *Album per diuersas abstractiones pertinet ad diuersa prædicabilia.*

Obijciũt tertiò nisi interueniat comparatio, cùm dicimus *album*, nesciemus ad quod prædicabile spectet, si enim comparetur ad inferiora, quidditatiuè erit species, si accidentaliter, erit vel proprium si albedo referatur ad niuem & cygnum, vel accidens si ad parietem, hominem, & chartam. Respondeo primò, hoc ad summum probare, vt vniuersale sit propriè logicum, seu aptum ad vsus logicos, requiri cõparationem seu notitiam aliquam reflexam, iuxta dicta sec. 2. concl. 3. Secũdo respondeo posse id prouenire à diuersa abstractione ab his aut illis inferioribus, seu à modo illud ab ijs abstrahendi; vt si quis sublimo abstrahere velit album ab ijs in quibus albedo connexionem habet necessariam cum subiecto, vel è contrà, ita vt ipsa connexio, vel non connexio ingrediatur conceptum illum obiectiuum: sicut si natura humana ita abstraheretur ab hominibus existentibus, vt existentia ingrederetur conceptum

illum

illum obiectiuum, non conueniret hominibus non existentibus. Hic ergo modus abstrahendi, qui funditur, vt constat, in rem ipsam, facit proprium, vel accidens.

DISPVTATIO XXXI.

De Prædicabilitate & Prædicatione vniuersalis.

SECTIO PRIMA.

An Prædicabilitas sit de essentia vniuersalis.

I. *Vniuersale duplex, Metaphysicum seu in essendo, & Logicum seu in prædicando.*

NOtandum primò, quod suprà dixi d.26.sec.5. n.7 vniuersale duplex esse, *in essendo*, & *Prædicando*, seu vt communiter loquuntur Dialectici, *Metaphysicum & Logicum*. Vniuersale *Metaphysicum* seu *in Essendo* est ipsa natura iam per abstractionem facta vna in intellectu, & multiplex à parte rei. Vniuersale *Logicum* seu *in prædicando*, est eadem ipsa natura abstracta, prout concipitur alio actu reflexo conuenientiam inter ipsam & singularia percipiente, per quem actum apta redditur natura vt de illis affirmetur, seu prædicetur.

II. *Prædicabilitas vniuersalis etiam duplex, extrinseca, & intrinseca.*

Notandum secundò, prędicabilitatem naturæ esse duplicem, extrinsecam & intrinsecam: extrinseca est denominatio ab actu illo reflexo prouenięns, per quem actum, vt proximè dixi, natura redditur prædicabilis de singularibus. Prædicabilitas intrinseca est ipsa aptitudo naturæ quæ eam de inferioribus reddit prædicabilem. Sic substantia intrinsecè apta est vt prædicetur de Angelo, quam intrinsecam, aptitudinem non habet animal, sicut nec habet viuens vt prædicetur de lapide.

III. *Essentia cuiusque rei est primus eius conceptus determinatus.*

Notandum tertiò, Essentiam cuiusque rei esse *primum eius conceptum determinatum*, per quem incipiendo ab Ente primo ab aliis omnibus differt, sicque in suo esse completè constituitur. Homo, exempli gratia, per animal & prædicata omnia superiora cum brutis conuenit, per rationale ab iis differt, vnde ex animali quod prædicata omnia superiora in se complectitur, & rationali, completè consistit hominis essentia. Quidquid verò essentiam iam constitutam sequitur, proprietas est, seu passio, vel physica, si realiter ab essentiâ distinguatur & ab eâ dimanet, vt lux à sole, calor ab igne, intellectus & voluntas secundùm multos ab animâ: vel Metaphysica, si realiter ab essentiâ non distinguatur, sed ratione tantùm nostra eam sequatur, vt risibilitas in homine, verum & bonum respectu entis, & alia huiusmodi.

Passio physica, & Metaphysica.

IV. *Prædicabilitas remotissima, remota, & proxima.*

Quartò tandem notandum, Prædicabilitatem in naturâ triplicem considerari posse, *remotissimam, remotam, & proximam*. *Remotissima* est ipsa natura in indiuiduis à parte rei multiplicata, seu ante abstractionem. *Remota* est eadem natura iã per simplicem apprehensionem abstracta, sicque paulò propiùs accedens ad aptitudinem proximam vt possit de indiuiduis prædicari. *Proxima* demum est natura eadem abstracta, prout in eâ per actum aliquo modo reflexum consideratur conuenientia quam cum indiuiduis habet à quibus abstrahitur.

V. *Prædicabilitas proxima non est de essentia vniuer. alias Metaphysici.*

Dico primò: Prædicabilitas *proxima* non est de essentiâ vniuersalis Metaphysici, seu *in essendo*. Ratio est clara, nam ipso facto quòd natura abstrahitur ab indiuiduis, fit vniuersale Metaphysicum, seu vnum in multis, necdum tamen habet prædicabilitatem proximam, quæ vlteriùs requirit actum reflexum, seu cognitionem conuenientiæ eius cum indiuiduis. Vnde sicut non est de essentiâ ignis vt sit combustiuus proximè, quia hunc conceptum ingreditur applicatio seu approximatio eius ad passum, stuppam, verbi causa, vel rem aliam combustibilem, ita & in præsenti de vniuersali.

VI. *Prædicabilitas proxima est de essentia vniuer. alias Logici.*

Dico secundò: Prædicabilitas *proxima* est de essentiâ vniuersalis logici. Ratio est quia vniuersale logicum est vniuersale *in prædicando*, seu vniuersale iam proximè aptum vsibus logicis, nempe ad conficiendas definitiones ac demonstrationes per propositiones vniuersales, & similia, vt dixi d. præcedente s. 2. conclus. 3. Vniuersale autem Metaphysicum sine actu illo reflexo non est ad id munus proximè aptum, sicut nec ignis proximè ad comburendum aptus sine approximatione. Vnde sicut licèt, vt dixi, approximatio non sit de essentiâ ignis, est tamen de essentiâ ignis vt proximè combustiui, ita & in præsenti.

VII. *Prædicabilitas proxima non est propriè passio vniuersalis Metaphysici.*

Dico tertiò: Prædicabilitas etiam hæc proxima non est propriè passio seu proprietas rigurosè sumpta vniuersalis *in essendo*, seu *Metaphysici*. Ratio est, nam passio seu proprietas strictè dicta illa est quæ naturam seu essentiam necessariò sequitur, saltem naturaliter, Prædicabilitas autem hæc proxima non necessariò consequitur naturam abstractam, integrum enim ei est qui naturam abstrahit, velit necne secundum actum elicere quo eam vel cum inferioribus comparet, vel illius cum iis conuenientiam consideret. Dum ergo passim dicitur vniuersale *logicum* proprietatem esse vniuersalis *Metaphysici*, vel intelligitur negatiuè, hoc est quòd non sit de illius essentiâ, vel quòd sit proprietas primo modo sumpta, id est, quòd *soli* vniuersali Metaphysico, seu prædicato ab inferioribus abstracto conueniat, non tamen *omni*, postquam enim quis naturam ab inferioribus abstraxit, vlteriùs frequenter non procedit, nec eam ad inferiora comparat.

Quo sensu vniuersale Logicum sit passio vniuersalis Metaphysici.

VIII. *Prædicabilitas remotissima non est de essentia, nec proprietas vniuersalis.*

Dico quartò: Prædicabilitas remotissima nec est de essentiâ, nec proprietas vniuersalis. Prima pars probabitur conclusione sequente, eadem enim vtriusque est ratio. Secunda itaque pars probatur, remotissima prædicabilitas nihil aliud est quàm ipsa natura prout à parte rei multiplicata existit in indiuiduis, ergo antecedit vniuersalis constitutionem, ergo proprietas vniuersalis esse nequit, cùm proprietas sit quid, vel realiter & physicè, vel saltem ratione, & metaphysicè subsequens essentiam.

IX. *Prædicabilitas remota est tantùm passio vniuersalis.*

Dico quintò: Prædicabilitas remota, seu quæ est in naturâ iam per apprehensionem simplicem abstractâ non est essentia, sed proprietas tantùm vniuersalis, seu conceptus illius secundarius, & essentiam ratione nostrâ subsequens. Ratio à priori est, quia vniuersale definitur ab Aristotele & Philosophis *vnum in multis, seu vnum aptum inesse multis*, ergo hic est primus vniuersalis conceptus, ac proinde eius essentia iuxta dicta n. 3. ergo prædicabilitas est tantùm passio vel proprietas illius, sicut *verum & bonum* Entis, & *risibilitas* hominis. Confirmatur, concipi potest vniuersale non conceptâ prædicabilitate, vt ostensum est, ergo prædicabilitas non est de illius essentiâ, nihil enim concipi potest sine sua essentiâ, Confirmatur secundò, ideo prædicari natura potest de multis, quia inest multis, non è contrà, ergo aptitudo ad existendum in multis est vniuersalis essentia, prædicabilitas passio.

Obii-

X. Obijcies cum P. Hurt. qui d. 3. logicæ s. 2. oppositum sentit: Actus abstrahens naturam à singularibus, disponit saltem remotè intellectum ad illius prædicationem, tam enim est essentiale actui abstrahenti disponere ad iudicium, quo natura abstracta prædicetur de indiuiduis, quàm illam naturam abstrahere, aut repræsentare confusè. Vnde quisquis hunc actum adæquatè concipit, vtramque in eo rationem deprehendet. Contrà, eadem entitas hominem rationalem constituit & risibilem, ens aptum existere & cognosci, & tamen iuxta omnes risibilitas est proprietas metaphysica hominis, veritas seu cognoscibilitas entis.

Obij. actus abstrahens disponit ad prædicationem, ergo prædicabilitas est de essentia vniuersalis.

XI. Respondetur itaque, sicut quia actus rationis seu intellectus præcedit actum risus, rationale censetur hominis essentia, risibilitas passio, licèt à parte rei identificentur, & ex reali distinctione ac prioritate actuum arguitur formalis distinctio & prioritas ratione nostra in principiis; ita cùm natura priùs vna esse debeat, quàm de aliis actu prædicetur (ideo enim prædicari de multis potest quia vna est in multis, vt diximus, non è contrà) ita actus in quantum naturam illam constituit vnam, est prior ratione nostra seipso vt est radix remota prædicationis. Duæ proinde in actu illo distingui debent formalitates, duobus his muneribus respondentes, & vna est radix metaphysica alterius, sicut Ens veri, rationalitas risibilitatis.

Resp. hoc non sequi, sicut rationale, non risibile est de essentia hominis.

SECTIO II.

Quomodo prædicetur vniuersale.

I. NOtandum primò, varia esse prædicationum genera: primum est, cùm subiectum est æquè latè patens ac prædicatum, vt cùm dicitur, *homo est animal rationale*, & vocatur prædicatio æqualis de æquali. Secundùm cùm vniuersale magis latè patens prædicatur de alio minùs latè patente, sed tamen vniuersali, vt *homo est animal, animal est substantia.* Tertium, cùm prædicatur vniuersale de aliquo indiuiduo, vt *Petrus est homo, Bucephalus est animal,* & de hoc vltimo præcipuè procedit quæstio.

Varia sunt prædicationum genera.

II. Notandum secundò, hanc quæstionem ab illâ planè independentem esse, vtrum vniuersale constituatur per actum clarum obiectiuè præscindentem, an obscurum singularia omnia confundentem; sicut enim hi licèt vniuersale constitui dicant per actũ singularia collectiuè repræsentantẽ, in prædicatione tamen, aiunt, singularia illa non importari collectiuè, sed disiunctiuè, vt sensus huius propositionis *Petrus est homo* sit, Petrus est aliquis homo, seu vnus ex indiuiduis humanis: ita & qui vniuersale constituunt per præcisiones obiectiuas, per quas natura à parte rei multiplicata in indiuiduis, præcisa per actũ abstrahentem fit in intellectu vna, dicere possunt sensum huius propositionis *Petrus est homo*, esse, Petrus habet aliquam naturam humanam, prædicando de ipso omnes naturas disiunctiuè, sicut alij de ipso disiunctiuè prædicant omnia indiuidua.

Hæc quæstio communis est & opinioni de præcisionibus, & de actu confuso.

III. Prima igitur sententia est nonnullorum, qui cùm quis dicit *Petrus est homo* affirmant dicere ipsum formaliter *Petrus est Petrus*. Contrà primò, *Petrus est homo*, non est prædicatio identica. Contrà secundò, cum dico, *Petrus est homo*, sensus est, *habens Petreitatem est habens humanitatem*, ergo ex parte prædicati non asseritur expresse Petreitas, nec per hos terminos, *habens humanitatem* dico idem expresse, ac *habens humanitatem & Petreitatem.*

Prima sententia facit prædicationem identicam.

IV. Secundò alij, vt quàm longissimè ab hac sententia diffugiant, dicunt formaliter prædicari naturam vt vniuersalem, & vniuersale asserunt esse, quod est *vnum in multis & singulis*, non multa in multis. Ratio præcipua videtur esse quia vniuersale est *vnum aptũ inesse multis*, ergo debet posse inesse multis vt vnum, & non destruendo vnitatem, implicat enim dari potentiam, inquiunt, ad actum sibi repugnantem. At sanè ratio hæc non vrget, & manifestam habemus instantiam in continuo, lignum verbi gratia bipalmare habet aptitudinem vt diuidatur in duas medietates vnius palmi, actus verò est repugnans aptitudini, implicat enim vt simul stet lignum illud bipalmare cum illa actuali diuisione, sed necessariò destruitur, & non remanet bipalmare. Axioma ergo illud solùm intelligendum est de potentiâ reali & physicâ, physicæ alicuius rei effectrice, quæ cùm influat in suum actum, necessariò simul cum illo esse debet, cùm nihil non existens possit influere.

Secunda sententia ait prædicari vniuersale vt vniuersale.

V. Tertiò, P. Hurtado P. Arriaga, & multi ex recentioribus affirmant sensum huius propositionis *Petrus est homo* esse, *Petrus est vel Petrus vel Paulus, vel Ioannes &c.* Commodiùs tamen vt dixi n. 2. hoc explicaretur si diceretur, *Petrus habet hanc, vel illam, vel illam naturam humanam*, sensus enim huius propositionis *Petrus est homo*, est, *habens Petreitatem est habens humanitatem*, quod, si inuoluantur expresse singularitates, explicari commodè non potest.

Tertia opinio prædicationem individui vagi.

SECTIO III.

Alius modus explicandi prædicationem vniuersalis.

I. DIco primò: in hac propositione *Petrus est homo* & similibus, non prædicatur vniuersalitas licèt prædicetur natura, seu, quod eòdem recidit, prædicatur res, non status. Probatur, nil potest prædicari per hunc actum nisi quod per eum repræsentatur, estque prædicabiliter in intellectu, sed non repræsentatur vniuersalitas, ergo non prædicatur. Consequentia est clara, maior ab omnibus admissa, cùm enim prædicare sit mente dicere vel repræsentatiuè vnum affirmare de alio, non potest quis repræsentatiuè affirmare id quod omnino non repræsentatur, seu quod non est prædicabiliter in intellectu, seu in actu signato, sed solùm in actu exercito. Minor itaque probatur, vt natura sit vniuersalis non est opus in actu signato considerare eam esse præcisam, sed solùm considerare naturam, non consideratis differentiis indiuiduantibus, sed tunc non repræsentatur vniuersalitas, sed solùm fit in actu exercito per non repræsentationem differentiarum, ergo. Confirmatur, aliud est obiectum actus, & vocis animal, cùm dicitur, *homo est animal*, ac cum dicitur, *animal est vniuersale*, vel *genus*, sed non ob aliud nisi quia in secundâ propositione inuoluitur vniuersalitas, in primâ verò non, ergo.

In prædicatione vniuersalis prædicatur natura, nõ vniuersalitas.

II. Dico secundò: in hac propositione *Petrus est homo*, non prædicatur in actu signato & expresse natura vt singularis & contracta. Probatur, ex parte prædicati non repræsentatur singularitas formaliter, sed solùm natura, ergo non prædicatur expresse & formaliter, cùm prædicare sit repræsentando affirmare, ac proinde nihil affirmatur quod non repræsentatur.

Nõ prædicatur natura vt singularis.

III. Dico tertiò: per illam propositionem nec prædicatur natura de Petro formaliter vt est vniuersalis, nec vt singularis, sed solùm prædicatur natura secundùm se, nec secundùm hunc statum formaliter, nec secundùm illum. Per illam itaque propositionẽ solùm affirmamus inesse Petro prædicata essentialia hominis, abstrahendo sintne prædicata illa vniuersalia, an singularizata, nil enim ex vi huius propositionis curat qui prædicat, vtrum natura illa in Petro

In hac propositione Petrus est Homo, prædicatur natura secũdùm se.

Petro vniuersalis sit an particularis, sed solùm quòd illi insit, sicque prædicat naturam secundùm se, Non ergo qui dicit *Petrus est homo*, dicit, *Petrus est species*, vel *Petrus est vniuersalis*, nec etiam, *Petrus est Petrus*.

IV. *Prædicatur natura vniuersalis ex modo significandi, argumentiue particularis.* Dico quartò: licèt ex modo significandi, seu formaliter natura ex parte prædicati sit vniuersalis, argumentiuè tamen seu consequenter inferri posset esse particularè in re, cum affirmetur in esse indiuiduo singulari. Hanc conclusionem desumpsi ex D. Thoma Opusc. 56. circa medium, vbi eandem totidem penè verbis tradit dicens; *homo secundùm quod particularis non prædicatur de Sorte, sed ipse terminus homo significat naturam humanam, absque omni participatione, & particulari ratione, ergo sic prædicabit eam, non tamen vniuersaliter*, scilicet ipsam vniuersalitatem, vbi S. Doctor requirit vniuersalitatem ex parte prædicati tanquam conditionem vt prædicatio sit formalis & vniuersalis, & tamen paulò ante ait, *homo qui prædicatur de Sorte, idem est quod Sortes, & homo qui prædicatur de Platone, idem est quod Plato, cum prædicatum insit subiecto*, & alia huiusmodi: quæ verba manifestè probant & hanc & præcedentem conclusionem, prædicant scilicet naturam de Petro, quæ à parte rei est singularis, & in intellectu vniuersalis, non tamen reduplicatiuè vel vt singularem prædicari, vel vt vniuersalem, sed specificatiuè, hoc est, illam quæ & singularis est & vniuersalis diuersis modo sumpta nempe naturam secundùm se.

V. *Prædicatur tota natura humana intensiuè non extensiuè.* Cùm ergo dico, *Petrus est homo*, est prædicatio vniuersalis, & sensus est, *Petrus habet naturam humanam*, semper inuoluendo hanc tacitam conditionem, quantùm eam habere potest, seu intensiuè totam, extensiuè verò & in actu exercito suam. Prædicatum itaque ex modo vel vi formalis significati est vniuersale, quia ex parte prædicati nulla apparet limitatio seu particularis ratio, id verò quod prædicatur, est à parte rei singulare, quia ex parte subiecti prouenit illi limitatio, talia enim sunt prædicata qualia permittuntur à suis subiectis iuxta communem doctrinam Philosophorum docentium & prædicata à subiectis limitari, & subiecta à prædicatis, vt etiam in hac propositione cernitur, *canis latrat*, vbi subiectum est tale quale permittitur à prædicatu.

VI. *Dices, ergo natura Petri prædicatur de Paulo.* Obijcies; in hac propositione, *Petrus est homo*, vel prædicatur tota natura humana de Petro, vel aliquid solùm illius & partis aliquid solù, ergo in vniuersali sunt partes, & distinctio, ac proinde tota vnitas est extrinseca & solùm in actu intrinsecè; si tota prædicetur, falsa est propositio, prædicatur enim tota natura humana, & consequenter natura Pauli de Petro. Contrà, à fortiore hoc vrget in contrariam

Contrà: hoc magis sequitur in contrariã sententiã. sententiam statuente vniuersale esse omnia singularia, sic enim quando dico *Petrus est homo*, prædicarem omnes homines de Petro.

VII. *Prædicatur tota natura essentialiter, non integraliter.* Respondeo itaque distinguendo primam partem antecedentis, prædicatur tota natura extensiuè, nego antecedens; intensiuè, concedo: vel aliter, prædicatur tota natura essentialiter, seu tota secundùm id quod includit in essentiali suo conceptu, concedo; tota integraliter, vel accidentaliter, nego: essentialis enim conceptus naturæ humanæ ille solus est, vt sæpe dixi, qui conuenit ipsi in vtroque statu, vel qui ab ea separari cogitatione non potest.

VIII. *Quid sit tota natura intensiuè, & extensiuè.* Tota ergo natura humana intensiuè est natura secundùm hunc conceptum essentialem, sicque cætum homines non magis habent naturam humanam, nec sunt magis homo, quàm vnus, sunt tamè extensiuè, hoc est, maiorem extensionem in illis habet natura humana, quàm in vno solo vel duobus: intensio enim, seu essentialis conceptus consistit in indiuisibili, *species* namque secundùm Aristotelem *sunt sicut numeri*. Totus ergo conceptus essentialis hominis prædicatur de Petro, totus enim inest singulis indiuiduis, specie idem, numero diuersus. *Species esse sicut numeros.*

IX. *Alius sensus propositionis Petrus est Homo.* Secundò, sensus huius propositionis *Petrus est homo*, esse potest, Petrus participat naturam humanam vbi licèt actus ille in quantum iudicium, faciat restrictionem, in quantum tamen est virtualis apprehensio, repræsentat pro aliquo priori naturam præcisiuè & sine limitatione.

SECTIO IV.

Nonnulla de mente S. Thomæ circa vniuersale, & præcisiones obiectiuas.

I. *Mens Angelici Doctoris circa vniuersale.* Sicut suprà de præcisionibus, ita in hac de vniuersali controuersiá omni conatu contendunt aduersarij S. Thomam asserere illud non per præcisionem fieri naturam à differentiis abstrahentem, sed per actum confusum singularia omnia obscurè repræsentantem. Quare vbi ad ea quæ ex S. Thoma obiiciunt, respondero, quæ in hac re Doctoris sancti mens sit, aperiam.

II. *Quæ ex S. Thoma proferri solent quæ vrgent illos.* Obiiciunt itaque nonnulla ex S. Thoma, tum ex Metaphysicum alibi, quæ videre licet apud P. Hurt. d. 5. Met. l. 10. subs. 2. Sed in ferè omnibus tam vrgentur aduersarij quàm nos, nam nunc dicit actu facientem vniuersale, repræsentari omnia singularia vt vnum, nunc vt similia, quorum neutrum admittunt aduersarij. Respondetur ergo primò, dum S. Thomas asserit actum facientem vniuersale terminari ad multa singularia, intelligi posse in primâ indagatione, vel (vt eius, & Aristotelis ab eo citati Opusc. 55. circa initium verbis vtar) *venatione vniuersalis, quod venatur sensus*, vt loquitur ille, *via memoria & experientia*: quod tamen potius spectat ad vniuersale in actu signato, quàm exercito, id est, vt sciatur vniuersale quàm vt fiat. Imò ad hunc finem præcipuè videtur huiusmodi actum requirere S. Thomas, nam alioquin, inquit, non scimus, sitne genus an species, nisi comparemus ad varia inferiora. *Loquitur S. Thomas de prima inuestigatione vniuersalis.*

III. *Solùm vult S. Thomas actu illum ferri ad plura mediatè.* Respondetur secundò, explicari posse S. Thomã vt velit actum ferri ad multa singularia mediatè, id est, in quantum feratur immediatè ad naturam, quæ est à parte rei multiplicata per plura indiuidua. Imò hoc videtur innuere Opusc. illo 55. dum ait, *vniuersale non continere inferiora actu, sed potentiâ*, vnde addit ibidem, *qui scit animal, non scit rationale nisi potentiâ*, & ob eam causam vniuersale vel genus à Dialecticis vocatur *totum potentiale* respectu inferiorum suorum, quod nimirum potentia illa includat, non actu.

IV. *Quid intelligat S. Thomas per naturã intra animam.* Nec quòd dicat S. Thomas *indiuiduum esse extra animam*, sequitur, vt voluntaliqui, intelligere ipsum per naturam abstractam seu *intra animam* actum abstrahentem, tum quia ipsa verba reclamãt, tum quia ait naturam *intra animam* esse prædicabilem de indiuiduis, de quibus tamen actus prædicari non potest. Item vocat *naturam intra animam secundas substantias*, quod tamen manifestum est alicui ab actu distincto competere. Tandem ens rationis vocatur ab Aristotele & Philosophis *ens in animâ*, & tamen nullus, opinor, dicet ens rationis esse actum intellectius, sitem adæquatè. Est ergo modus loquendi S. Thomæ, qui dicit in hoc differre intellectum & voluntatem in modo operandi, quòd intellectus dum intelligit, res ad se attrahit, vnde intelligere secundùm ipsum est quasi *intra se legere*: voluntas verò è contrà fertur ad obiecta non trahendo res ad se, sed effundendo se quasi ad illas, qui modus loquendi satis explicat quid velit S. Doctor per *esse naturã intra animam*, quod latius explicui suprà d. 13. s. 1. fine.

Quod

V. Quod verò S. Thomas per præciſiones obiectiuas vniuerſale fieri aſſeruerit clarè conſtat ex iis quæ in hanc rem ſuprà attuli d.24.ſ.3 & 5. & idem hîc vlteriùs oſtendam.

VI. Nullibi ergo clariùs hac de re loquitur S. Thomas quàm Opuſc. 49. vbi ait, *licèt natura realiter non poſſit exiſtere ſine materiâ indiuiduali, ſeu differentiis numericis, vt volebat Plato, poteſt tamen abſtrahi per intellectum & conſiderari illis non conſideratis, quod cùm fit*, inquit ille, *eſt vnum de multis* (nempe prædicabile) *prout intelligitur præter principia indiuiduantia, & vnum in multis, vt in indiuiduis, vel inferioribus, quæ in ſuperiori ſunt vnum.* In quo Opuſc. ferè per totum declarat hanc noſtram ſententiam, & oſtendit, actum præſcindentem genus à ſpeciebus (quod eſt, vt ait, *intelligere naturam generis, non intelligendo differentias* (& ſpeciem ab indiuiduis) quod ſecundùm ipſum eſt *conſiderare naturam ſpeciei, non intelligendo principia indiuiduantia*) non eſſe falſum.

Ait. S. Thomas id fieri per intellectum circa vniuerſale, quod Plato ponebat à parte rei.

VII. Idem habet S. Doctor l.1.contr. Gentes, c.26.n 4. libro etiam 2.contr.Gentes c.52.n.2.noſtram tum de vniuerſali, tum de præciſionibus ſententiam clariſſimè tenet. *Natura communis*, inquit, *ſi ſeparata intelligatur, non poteſt eſſe niſi vna, quamuis habentes naturam illam plures poſſunt inueniri: ſi enim natura animalis per ſe ſeparata ſubſiſteret, non haberet ea quæ ſunt hominis, iam enim non eſſet animal tantùm, ſed homo vel bos: remotis autem differentiis conſtitutiuis ſpecierum remanet natura generis indiuiſa*, &c. Quid clarius?

Idem docet primo contra Gentes.

VIII. Omnium verò clariſſimè hoc docet Opuſc. 43.c. 6. vbi ait. *In potentiis ſenſitiuis licèt aliqua ſint coniuncta ſecundùm rem, tamen illorum ſic coniunctorum viſus vel alius ſenſus poteſt vnum apprehendere alio non apprehenſo, vt viſus apprehendit colorem pomi, qui tamen ſaporem colori coniunctum non apprehendit, ſic multò fortiùs poteſt eſſe in potentiâ intellectiuâ, quia licèt principia ſpeciei & generis nunquam ſint niſi in indiuiduis, tamen poteſt apprehendi vnum non apprehenſo altero, vnde poteſt apprehendi animal ſine homine, & aliis ſpeciebus, & poteſt apprehendi homo non apprehenſo Sorte, vel Platone, & caro & oſſa non apprehenſis his carnibus & oſſibus, & ſic intellectus formas abſtrahit, id eſt, ſuperiora ſine inferioribus intelligit, nec tamen falſum intelligit* &c.

Omnium clariſſimè Opuſc. 43.

IX. Tandem quantumcunque contendant pro auctoritate S. Thomæ, non producunt ex ipſo aduerſarij hanc propoſitionem, in qua tota ipſorum nititur ſententia, nempe, *non poteſt animal cognoſci & rationale non cognoſci*: imò expreſſis verbis ſæpiſſimè habet contrarium, vt patet ex variis locis ex ipſo à nobis toto huius materiæ decurſu citatis, & latiùs ſuprà d.24.ſ.3.& 5. ſic enim prima parte, q.40.art.3.corp.ait, *cum concipitur mente animal, non manet in intellectu homo, ſed ſolum animal*: item Opuſc.49. per totum, præcipuè his verbis, *intellectus abſque falſitate abſtrahit genus à ſpeciebus in quantum intelligit naturam, non intelligendo differentias*, & idem eodem loco ait de abſtractione ſpeciei ab indiuiduis. Imò in primo, d.2.q.1.art.3.ait, prædicata per intellectum abſtracta non poſſe in ordine ad connotata explicari.

Expreſſis verbis docet ſæpe S. Thomas vniuerſale fieri per præciſiones obiectiuas.

X. Dices, aſſerit S. Thomas non poſſe contradictoria dari de eodem. Contrà, hoc apertè facit pro nobis: aſſerit S. Thomas dari contradictoria non poſſe de eodem, ſed expreſsè ait *poſſe cognoſci animal, non cognoſci rationale, apprehendi naturam, non apprehendi ſingularitatem*, ergo cenſet S. Doctor hæc non eſſe contradictoria. Cuius ratio eſt, quia actus cognoſcens animal non cognito rationali, tendit diſtinguendo, & tendendo diſtinguit, præſcindendo ſcilicet in actu exercito animal à rationali, ſicque actus hi non tendunt in idem ſecundùm idem, quod ab Ariſtotele, S. Thoma, & communi Philoſophorum ſcholâ requiritur ad contradictoria.

S. Thomas cenſet non eſſe contradictoria, cognoſci animal, non cognoſci rationale.

XI. Non ergo video qua ratione dicere poſſint aduerſarij S. Thomam eorum opinionem tenere, niſi velint S. Doctorem inter Cœlites aſcriptum iam mutaſſe ſententiam. Sed quæ ea cunque ſit quam modo ſequitur ſententia, certum eſt eum ad aduerſariorum opinionem de actu confuſo non acceſſiſſe: nec enim in cælo, vbi ſummus ordo, confuſio placere vlla poteſt.

Concluſio de mente S. Thomæ circa vniuerſale, & præciſiones obiectiuas.

DISPVTATIO XXXIII.

De Quinque Prædicabilibus.

I. POrphyrius natione Phœnix, patria Tyrius, vel, vt malunt quidam, Iudæus, Chriſtianorum primùm inſtitutis imbutus, ab eorum poſtea caſtris transfuga deſciuit, & ex amico hoſtis factus, acerbiſſimis religionem Chriſtianam ſcriptis conuellit, totumque in eam virus phrenetico ſpiritu effudit. Sanctiſſimi proinde illius temporis Patres, nefarij huius apoſtatæ audaciam vt retunderent, eruditiſſimos edidere tractatus, quibus ita furioſos hominis importuni conatus ac rabiem fregerunt, vt vituperia in commendationem, contumeliæ in honorem, conuitia in gloriam, labes denique quas Eccleſiæ aſpergere tentabat, in decus ei ceſſerint, ac ſplendorem.

Porphyrius qualis.

II. Is ergo talis cum fuerit, quamuis mereatur vt ne nominis quidem illius vlla apud Chriſtianos fiat mentio, hic tamen quem de vniuerſalibus ſcripſit, tractatus cùm vtilis inprimis ſit, in ſcholis auditoribus prælegi paſſim ſolet. Quem proinde de more hîc explicandum ſuſcipimus.

Indignus qui in ſcholis Chriſtianorum nominetur.

SECTIO PRIMA.

De Primo Prædicabili. Definitur Genus,

DEfinitio à Porphyrio hoc capite pro Genere aſſignata eſt, *Genus eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid.* Quæ definitio optima eſt, tum quia ab omnibus probata, tum quia quod generis proprium eſt, clarè explicat, & illud ab omni alio diſtinguit: ab *indiuiduis*, quia non ſunt prædicabilia de pluribus: à *ſpecie*, quia non eſt prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie, ſed ſolùm numero, vt homo de Petro, & Paulo & reliquis: Genus etiam non prædicatur falſè de indiuiduis completis vt tota eorum quidditas & eſſentia, ſicut ſpecies, ſed vt pars eſſentiæ, quæ differentia in illis verbis continetur, *de pluribus differentibus ſpecie*, vna enim totalis eſſentia abſtrahi nequit à pluribus eſſentiis, eo enim ipſo quòd abſtrahatur ab eſſentiis relinquitur aliquid illarum, nempe differentia. Indiuidua verò cùm non differant eſſentialiter, quidquid eſt in illis eſſentiæ, eſt in ſpecie, quæ proinde de illis prædicari poteſt vt tota eorum eſſentia, quod enim ſuperaddit illi indiuiduatio, non eſt eſſentia formaliter. At I.

Definitio generis.

Optima eſt hæc generis definitio.

quæ differunt specie, differunt essentialiter & id quo differunt est pars essentiæ, nimirum differentia, à qua præcisiuè abstrahitur Genus, sicque est tantùm pars essentiæ.

II. *Quomodo differat Genus à Differentia, Proprio, & accidente.*

Per ly *in quid* secernitur à *differentiâ*, quæ prædicatur in *quale quid*, per modum scilicet adiacentis, à *proprio* etiam & *accidente* quæ prædicantur *in quale simpliciter*. Genus verò prædicatur *in quid* seu essentialiter, & per modum per se stantis, non alteri adiacentis, si enim quæratur quid sit homo, rectè responderis, *animal, viuens, substantia*, non *rationalis, albus*, &c. Si verò quæratur qualis sit, malè ille responderet, qui diceret esse *animal* aut *substantiam*: sed responderi debet, esse *albus, niger, rationalis*.

III. *Explicatur vlterius definitio Generis.*

Loco generis in hac definitione ponitur ly *quòd prædicatur*, in qua conueniunt omnia quinque Prædicabilia, & est idem ac *quod est prædicabile*, verba enim in definitionibus iuxta Dialecticos, *non actum significant, sed aptitudinem*, estque hæc definitio essentialis quia definitur hîc genus prædicabile, prædicabili autem quà tali essentialis est prædicabilitas, sicut homini albo quà albo essentialis est albedo, non tamen est essentialis prædicabilitas naturæ, quæ est genus, præcisè sumptæ, seu generi Metaphysico. Notandum porrò, per particulam *de pluribus differentibus specie* denotari tam ea quæ specie differunt subalternâ, quam infimâ.

IV. *Genus debet esse quid vniuocum, & nō transcendens.*

Ad rationem Generis requiritur primò, vt non sit quid transcendens: ita Aristoteles 4. Topic. sic enim non faceret compositionem Metaphysicam, genus enim priùs inclusum fuisset in differentiis. Deinde vt sit vniuocum, non æquiuocum vel analogum: ita Aristoteles 2. Topic. c. 2. Genus enim & omnia Prædicabilia sunt vnum perfectè & simpliciter, sunt enim vniuersalia, vniuersale autem definitur *esse vnum*: analoga verò tantùm sunt vnum secundùm quid; æquiuoca nullo modo sunt vnum, nisi solo nomine.

V. *Quomodo prædicetur Genus de differentibus specie.*

Dices, non possumus affirmare *homo est genus, equus est genus*, ergo Genus non prædicatur de pluribus differentibus specie. Respondetur, non posse prædicari per terminos qui applicant formale, sed materiale, licèt formale requiratur vt materiale prædicetur per modum communis & Generis, vt ostendi disp. præcedente sec. 3.

VI. *Quæ differunt triplici differentia.*

Aduertendum cum Toleto hîc q. 4. & aliis, desumiturque ex Aristotele 5. Metap. c. 10. in triplici esse differentiâ ea quæ specie differunt. Primò sunt species infimæ, vtpote quæ subsunt Generi infimo, scilicet animali, vt *homo, leo, equus*, & dicuntur differre specie atomâ. Secundò, dicuntur aliqua differre specie subalternâ, ea nimirum quæ non subsunt Generi infimo sed subalterno, & sunt reuera Genera vlterius diuisibilia in suas species, sic tamen se habent vt ex æquo sub illo Genere contineantur, & neutrum altero latiùs pateat, vt *animatum* & *inanimatum* sub *corpore*. Tertiò, ita vt non æqualiter sub vno Genere nec immediatè contineantur, sed vnum latiùs pateat altero, vt *homo*, & *planta*, planta enim licèt latiùs pateat, quàm homo, non tamen est illi quid superius, sic enim foret Genus respectu hominis, & de illo prædicaretur in recto, quod tamen videmus esse falsum, non enim dicimus, *homo est planta*.

SECTIO II.

Obiectiones aliquæ contra definitionem Generis.

I. Obiicies primò; bona definitio debet competere omni definito, hæc non competit, ergo: Probatur minor, dantur Genera quæ prædicantur de pluribus differentibus Genere, vt substantia de planta & animali: item animal & alia Genera prædicantur de indiuiduis & differentibus solo numero, dicimus enim *Petrus est animal, Paulus est animal*, ergo est diminuta definitio Generis. Respondeo, per speciem in definitione Generis positam intelligi non infimam tantùm sed subalternam, quæ Genus esse potest, vt diximus. Quod verò prædicetur de indiuiduis, nihil refert, imò aliquo sensu est necessarium, nam eo ipso quod prædicetur de speciebus immediatè, prædicari mediatè saltem debet de indiuiduis, species verò infima ita prædicatur de differentibus numero, vt non nisi de solo numero differentibus prædicari possit, seu de indiuiduis tantùm.

Obiic. dantur Genera, quæ prædicantur de differentibus genere.

Resp. per speciem in definitione Generis intelligi etiã subalternam, quæ est Genus.

II. *Color respectu suorũ inferiorum non est quintum Prædicabile, sed Primum.*

Obiicies secundò; Color prædicatur in quid de albedine & nigredine, & tamen est accidens, ergo definitio conuenit aliis à definito, conuenit siquidem quinto Prædicabili. Respondeo, colorem & alia accidentia respectu suorum inferiorum non esse accidentia Metaphysica, nec constituere quintum Prædicabile, sed primum vel secundum, Genera scilicet vel species, & prædicari in quid, cum verò constituunt quintum prædicabile, non in abstracto sumuntur, sed concreto, in ordine scilicet ad subiecta quibus adiacent, & de quibus prædicantur in quale. Quod de differentiis, & aliis etiam Prædicabilibus verum est.

III. *Alter prædicatur pars Physica, alter Metaphysica.*

Obiicies tertiò; pars Physica non potest prædicari in recto de toto, nec enim dicimus *homo est anima, homo est corpus seu materia prima*, ergo nec Metaphysica. Nego consequentiam, disparitas est, quia pars Physica realiter distinguitur à toto, non sic Metaphysica. Deinde dico in concreto posse etiam partem Physicam prædicari de toto, vt *homo est animatus*.

IV.

Obiicies quartò; omnia Genera non conueniunt vniuocè in ratione Generis, ergo definiri vnâ definitione non possunt, antecedens probatur, ens rationis æquè est Genus atque ens reale, sed enti reali & rationis nihil dari potest commune vniuocum, ergo.

V. *Genera entium realium & rationis, conueniunt vniuocè in ratione Generis.*

Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, licèt ens rationis (idem est de negationibus) & ens reale non conueniant vniuocè in ratione entis, cùm alterum ens sit tantùm ens apparens & Metaphoricum, & non verè ens, possunt tamen conuenire vniuocè in ratione aliquâ accidentali: sicut licèt sol, & aër in ratione substantiæ & corporis specie differant & Genere, in ratione tamen lucidi conueniunt specie, quia lucem eiusdem rationis in se habent. Sic ergo, licèt ens rationis & reale, positiuum & negatiuum dissimilia sint in ratione entis, in hoc tamen quod est esse superius ad sua inferiora eodem modo se habent, sicut enim animal prædicatur in quid de homine, leone, & reliquis, ita chimæra in quid de hippocentauro prædicatur, tragelapho, & cæteris.

VI. *Quo sensu possit Ens per accidẽs definiri.*

Obiicies quintò; Genus in concreto, seu sumptum pro materiali & formali simul est ens per accidens, sed ens per accidens definiri non potest, ergo nec Genus. Distinguo minorem, ens per accidens non potest definiri definitione aliquâ declarante vtramque partem sigillatim, seu secundùm se, admitto minorem; prout conueniunt inter se ad faciendum aliquod vnum, nego: sub hac enim ratione definiri potest ens per accidens, exercitus siquidem, & aceruus lapidum diuersam habent essentiam à domo vel naui, ergo hæc essentia explicabilis est aliquâ definitione. Dictum ergo illud *ens per accidens definiri non posse*, intelligendum est de ente per accidens, id est fortuito, seu casu contingente, quod cùm

nullam

nullam causam certam habeat, ita nec cognosci certò nec definiri potest.

VII. *Genus definitur vt sumitur in actu signato.*

Obiicies sextò; communis ratio Generis respectu huius & illius Generis est species infima, ergo definiri non potest definitione Generis magis quàm homo definitione equi. Respondeo distinguendo antecedens, est species in actu exercito, concedo antecedens; in actu signato, nego. Definitur autem secundùm id quod dicit in actu signato, ratio verò quam dicit in actu signato, est *ratio prædicabilis de pluribus differentibus specie in quid.* Hæc enim ratio definitione explicatur & exprimitur ex parte obiecti, licèt in actu exercito, respectu suorum inferiorum præcisè secundò intentionaliter sumptorum, sit species infima, cùm Genera in quantum talia, solo numero differant, sicut & omnia Prædicabilia dicuntur species infimæ, quia inferiora eorum quà talia, non differunt nisi materialiter seu numero.

SECTIO III.

Præcipua difficultas circa definitionem Generis.

I. *Obij. sequi Genus definiri per seipsum.*

OBiicies septimò; si datur definitio Generis, Genus definitur per seipsum, cùm necessariò in omni definitione ponatur Genus, sed hoc implicat, ergo: Maior probatur, quia in Genere vt sic, continentur omnia genera particularia, ergo si definitur Genus vt sic per hoc Genus, particularia omnia Genera per idem Genus definiuntur, sed hoc Genus est vnum ex illis, ergo definitur per seipsum.

II. *Ostenditur quomodo genus non definiatur per seipsū.*

Res hæc intricatissima est, & in qua vnusquisque diuersâ ferè incedit viâ. Omissis aliorum solutionibus, Respondetur, negando maiorem, id enim quod ponitur in definitione non est ratio Generis vt sic, sic enim idem esset definitum & vna pars definitionis, sed quoddam Genus particulare, vniuersale scilicet in communi, quod, vt particulare Genus est, continetur sub illâ ratione communi, Genus autem in communi non continet in se, sed sub se particularia Genera, & potiùs in iis continetur, ex quo constat, licèt definiatur Genus vt sic per hanc definitionem, non tamen definiri hoc Genus per se sumptum, quia nullum Genus in particulari definitur. Sicut viuens sensibile non est definitio hominis vel equi.

III. *Quid censeatur per definitionē aliquam definiri.*

Dices, conuenit huic Generi definitio posita, ergo per eam definitur. Distinguo antecedens, conuenit ei definitio potestatiuè seu tanquam alicui sub Genere in communi contento, concedo antecedens; conuertibiliter, nego, nihil autem propriè dicitur definitione aliqua definiri, nisi cui conuertibiliter conueniat definitio & adæquatè, vna enim ex conditionibus bonæ definitionis est, vt conuertatur cum definito. Sic homini conuenit hæc definitio *animal rationale*, rectè enim infertur, *est homo, ergo est animal rationale, est animal rationale, ergo homo*, quod est cum aliquo conuerti. Petrus verò non dicitur simpliciter per illam definitionem definiri, quia per eam non explicatur vltima Petri differentia seu singularitas & licèt valeat, *est Petrus, ergo animal rationale*, non tamen è contrà, *est animal rationale, ergo Petrus*, quod est potestatiuè definitionem hominis ei conuenire, non conuertibiliter.

IV. *Dices, ex hac Generis definitione sequi idē esse superius & inferius sibi.*

Vrgebis, hinc sequi, idem esse simul superius & inferius sibi, nam quod est superius alteri, est superius illi omni cui illud est superius: sicut quod est superius homini, est superius Petro, sed ratio Generis est superior vniuersali vt sic, ergo & sibi, quia ipsa est inferior vniuersali vt sic, cùm sit particulare vniuersale. Respondeo primò, sub diuersâ ratione id non est magis inconueniens, quàm quod idem sub diuersâ ratione sit sibi prius & posterius, quod tamen ratione nostrâ commune est in omni re quæ passiones habet à se non distinctas & sic ens vt ens, est prius se vt est vnum, vt vnum posterius se vt ens est, sic homo vt rationalis & nubilis, vt intellectiuus & volitiuus, si intellectus & voluntas realiter ab animâ non distinguuntur. Et hæc particola *vox* cùm omnes voces significet, vt significans est sibi superior & latiùs patens se vt significata.

Resp. primò, sub diuersa ratione id nō repugnare.

V. *Resp. secūdò, non sequi idē fore superius & inferius sibi.*

Respondeo secundò, id non sequi, quia quando aliquid est in intellectu superius alteri, in diuersâ ratione atque est inferius, non sequitur esse superius sibi, licèt illud aliud sit ipsi superius, ratio ergo Generis in communi est superior vniuersali in communi in ratione Generis, & de illo prædicatur bene enim dicitur, *vniuersale vt sic est Genus*; at verò non est superior vt vniuersale, sed inferior, & de illo prædicatur vniuersale, dicimus enim *Genus vt sic, seu primum Prædicabile est vniuersale seu Prædicabile*. Sibi verò non est superius vt Genus in communi est, nam si esset, deberet vt est Genus in communi, esse superius sibi vt particulare Genus est, sed non est particulare Genus, sed species, ergo non est superius sibi nec de se prædicabile: hæc enim est falsa propositio, *Genus in communi est Genus*, nec licet dicere, *Genus vt sic est prædicabile de pluribus differentibus specie*, nisi in actu signato, hoc est importat & significat rationem prædicabilitatis de pluribus differentibus specie, Genus enim vt sic in actu exercito est species infima, sicut & cætera omnia Prædicabilia. Prædicatio autem omnis fit in actu exercito, cùm sit quoddam quasi exercitium naturæ vniuersalis, ac proinde fieri inter Prædicabilia debet vt sumuntur in actu exercito.

VI. *Genus non est superius & inferius vniuersali in communi.*

Dices, Genus in communi essentialiter est vniuersale, sed quà Genus in communi, est superius vniuersali, ergo, quà vniuersale, ergo in eâdem ratione est superius & inferius respectu eiusdem. Distinguo primum consequens, est superius vniuersali in communi vt Genus est vniuersale in communi, nego consequentiam: Genus enim in communi non est vniuersale in communi; vt vniuersale determinatum & particulare est, concedo: sic tamen non sub eâdem ratione formaliter est superius & inferius sed sub diuersâ. Sicut ratio entis abstracta est superior substantiæ, contracta est inferior.

VII. *Quid hac in re requiratur, vt vnū sit alteri superius.*

Instabis, ad plura se extendit vniuersale vt sic quàm Genus vt sic, ergo Genus vt sic non potest illi esse superius. Nego consequentiam, vt enim aliquid sit superius alteri, sufficit quòd de illo simul cum aliis sit prædicabile, quod in præsenti contingit, licet non ad tot se extendat atque illud, sicque dici potest latiùs patere non simpliciter, sed secundùm quid.

VIII. *Vniuersale vt sic est Genus positū in definitione Generis.*

Genus ergo in definitione Generis in communi positum est vniuersale vt sic, accidentaliter tamen & secundariò est Genus particulare, est enim prædicabile de pluribus differentibus specie, nempe de quinque prædicabilibus, dicimus enim *Genus est vniuersale, Species est vniuersale, Differentia est vniuersale* &c. Essentia ergo vniuersalis vt sic, seu primarius eius conceptus non est esse prædicabile de pluribus differentibus specie, seu vt sit Genus, sic enim quidquid esset vniuersale, esset Genus; sicut quia animal vt sic est principium sentiendi, vbicunque reperitur animal, reperitur principium sentiendi, hoc autem in vniuersali est falsum, *homo* enim, *leo, equus* sunt vniuersalia, & tamen non sunt Genera. Essentia ergo & primarius conceptus vniuersalis Logici vt sic est tantùm *esse vnum prædicabile de multis*, hic autem nulla est mentio rationis Generis, magis quàm Speciei, aut alterius Prædicabilis, licèt hæc ratio, cùm abstrahatur ab omnibus vniuersalibus quæ in ratione talium specie differunt, necessariò sit Genus in actu exercito, hic

to, hic tamen non est primarius eius conceptus, sed solùm secundarius, ad conceptum vniuersalis vt sic necessariò consequens, sicut *vnum ad ens*, & *risibilitas ad rationalitatem*.

IX. *Quomodo vniuersale vt sic possit abstrahi à Genere vt sic.* Hinc tandem optimè intelligitur, quomodo, cum Genus vt sic sit particulare vniuersale, possit vniuersale in communi abstrahi ab illo, & aliis particularibus vniuersalibus, & sic illi esse sub hac ratione superius: cùm verò vniuersale vt sic, sit etiam accidentaliter Genus particulare, intelligitur similiter qui pacto ab illo & aliis Generibus possit sub diuersâ ratione abstrahi ratio communis Generis vt sic: & sub hac ratione Genus vt sic, seu primum Prædicabile est superius vniuersali vt sic, ac proinde in diuersâ ratione sibi mutuo inferiora sunt & superiora.

SECTIO IV.

Vtrum Genus immediatè prædicetur de Indiuiduis.

I. *Genus non semper prædicatur immediatè de indiuiduis.* NOtandum primò, non esse necessarium vt prædicetur Genus semper immediatè de indiuiduis, potest enim prædicari de ratione aliquâ ab iis omnibus abstractâ, nempe de specie, vt *homo est animal*, *leo est animal*, & sic de cæteris.

II. *Quæstio procedit in sensu formali.* Secundò Notandum, non procedere quæstionem in sensu reali sed formali, cùm enim in vnoquoque indiuiduo realiter sit idem ratio indiuidualis & specifica quidquid realiter prædicatur de vnâ, de alterâ etiam realiter prædicetur necesse est, & æquè immediatè, cum nulla à parte rei sit distinctio.

III. *Indiuiduum dupliciter sumitur, completè, & incompletè.* Tertiò notandum, indiuiduum sumi posse dupliciter, completè & incompletè, indiuiduum completè sumitur cùm ratio specifica in eo inclusa cognoscitur explicitè vnita singularitati, & ab eâ contracta, vt nimirum est obiectum huius actus, *hic homo*, *hic equus*. Incompletè sumitur indiuiduum, dum non cognoscitur secundùm totum conceptum suum obiectiuum, sed inadæquatè & tantùm secundùm rationem animalis singularisatam, vt cùm dicimus *hoc animal*. Singularitas itaque cùm immediatè contrahat speciem hominis, sequitur etiam incompletè illam contrahere animal & rationale, sicque duplicem in singularitate distinguere possumus formalitatem, alteram contrahentem animal, alteram rationale. Si igitur intelligatur vtramque simul rationem contrahere, est indiuiduum completum, vt *hic homo*, si alteram tantùm, *animal* verbi gratia, est incompletum, & vocatur indiuiduum genericum, vt *hoc animal*.

IV. *Genus immediatè prædicatur de indiuiduis incompletè sumptis.* Prima conclusio: Genus immediatè prædicatur de indiuiduis incompletè cognitis. Ita Rub. c. de Spe. ic. q. 5. P. Hurt. d. 4. Log. s. 5. P. Arriaga d. 7. Log. s. 1 subs. 6. n. 28. & alij. Probatur, prædicatio est alicuius de aliquo affirmatiua repræsentatio, ergo id solùm prædicatur quod repræsentatur, & de eo quod similiter repræsentatur, sed cùm dico, *hoc animal*, *est animal*, nihil repræsentatur præter animal secundùm se ex parte prædicati, & animal singularisatum ex parte subiecti, ergo immediatè prædicatur animal de indiuiduo. Confirmatur, id immediatè prædicari dicitur de aliquo, inter quod & subiectum nihil mediat, sed inter *hoc animal* incompletè sumptum & *animal* in communi nihil mediat, ergo. Minor probatur, animal incompletè sumptum est animal prout afficitur singularitate, vnde resultat indiuiduum animalis, quod vt sic & abstractè sumptum, nec est rationale nec irrationale formaliter, sed solùm *hoc animal*. Confirmatur secundò, cùm video aliquod animal à longè, certò scire possum & iudicare ex signis quæ video, esse animal, quin sciam sitne rationale an irrationale, ergo possum immediatè prædicare de eo animal, patet consequentia, prædicare immediatè animal de indiuiduo aliud nihil est, quàm iudicare & scire esse indiuiduum animalis, quin iudicem vel sciam esse indiuiduum hominis, equi, aut alterius cuiusquam speciei animalis.

Secunda conclusio: Genus prædicatur etiam immediatè de indiuiduo completo. Est contra Hurt. s. 5. cit. sed tenent alij relati. Vt probetur conclusio, & via aduersariorum argumentis præcludatur. V. *Genus prædicatur immediatè de indiuiduo completo.*

VI. *Dupliciter dicitur aliquid prædicari immediatè.* Notandum, dupliciter dici aliquid prædicari immediatè de alio, *immediatione subiecti*, & *immediatione subsistendi consequentia*. Prædicari immediatè *immediatione subiecti* est, cùm id quod prædicatur subiectatur veluti in subiecto in eo de quo prædicatur, & non subiectatur tantùm in aliquo tertio quod illi subiecto vel quasi subiecto inest. Prædicari immediatè *immediatione subsistendi consequentia*, est, cùm nulla ad prædicatum de subiecto probandum intercedit alia consequentia, sed immediatè vnum probatur per aliud. Vnde non immediatè subsistendi consequentia probatur animal de Petro, quia alius gradus medius inter vtrumque hoc sensu intercedit, nempe homo, nec enim solent hoc modo argumentari Dialectici, est Petrus, ergo est animal; sed est Petrus, ergo est homo, ergo animal.

Probatur ergo conclusio primò: indiuiduum, Petrus, verbi gratia, intrinsecè constituitur ex specie & singularitate, seu, ex specie vel naturâ contractâ, ita vt neuter ab eo separari conceptus possit, ergo cùm prædicatur animal de Petro, prædicatur immediatè *immediatione subiecti* de indiuiduo. Confirmatur, immediatè contrahitur species seu homo ab indiuiduatione, ergo & animal, patet consequentia, homo aliud nihil est quàm *animal rationale*, ergo si homo immediatè contrahitur à singularitate Petri adæquatè, contrahitur animal immediatè inadæquatè, per formalitatem scilicet indiuidualem ei correspondentem, totum enim idem formaliter est cum suis partibus, ergo similiter si *homo* immediatè prædicetur de Petro adæquatè, prædicabitur de eo *animal* immediatè inadæquatè, idque non solùm coniunctum cum rationali, vt in hac propositione *Petrus est homo*, sed separatum, vt cùm dicitur, *Petrus est animal*, nec enim ex eo quòd Petrus sit *hoc animal rationale*, tollitur quòd sit *hoc animal*. VII. *Ostenditur Genus prædicari immediatè de indiuiduo.*

Ratio demum à priori, & quâ innumeris æquiuocationibus aditus præcluditur, est, quia licèt viuens, exempli gratia (idem est de aliis gradibus tum superioribus tum inferioribus) immediatè contrahatur, & prædicetur de animali tanquam de subiecto, ita tamen illi inest tanquam subiecto, vt sit ipsum inadæquatè, etiam formaliter, animal enim formalissimè est *viuens sensibile*. Vlteriùs ad hominem, ita contrahitur animal, vt sit inadæquatè ipse homo, homo enim formaliter est *animal rationale*. Cum ergo animal sit immediatè viuens, viuens immediatè corpus, corpus immediatè substantia, substantia ens, Petrus qui ex his omnibus est compactus, est immediatè hoc singulare ens, hæc substantia, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, hic homo, has quippe omnes rationes singularitas eius immediatè limitat, quæ proinde in tot formalitates diuiditur, quot in Petro sunt gradus diuersi, & singulis gradibus sua correspondet per intellectum formalitas in singularitate. VIII. *Ratio à priori cur Genus prædicetur de indiuiduis immediatè.*

Hinc ergo sequitur has omnes rationes posse de eo immediatè, tanquam de subiecto prædicari (quidquid sit de *immediatione subsistendi consequentia*) cùm imme- IX.

immediatè Petro tanquam subiecto insint, vt ostensum est.

SECTIO V.

Obiectiones circa immediatam Generis prædicationem de indiuiduis.

I. *Vniuersaliora sunt priora tantùm subsistendi consequentia.*

OBiicies primò: prius est Genus quàm species, species quàm indiuiduum, valet enim *est homo, ergo animal, est Petrus, ergo homo*, non è contrà. & *vniuersaliora* semper *sunt priora*, ergo immediatiùs subiectatur Genus in specie, & de eo prædicatur, quàm de indiuiduo. Nego consequentiam, *vniuersaliora* enim *sunt priora prioritate subsistendi consequentia*, quia inferiora in sui cognitione ab vniuersalioribus pendent, & ex iis constituuntur, non è contrà qua de causâ priora dicuntur subsistendi consequentia

II. *In ratione subiecti omnia sunt æquè immediata.*

At verò in ratione subiecti æquè immediatè prædicatur genus de vno ac de altero, quia æquè immediatè singularisatur vnus gradus atque alter, & omnes æquè immediatè constituunt hoc indiuiduum, singuli namque gradus superiores incipiendo ab ente singularisantur immediatè per singulas formalitates singularitatis Petri sibi correspondentes. Nulla enim alia est singularitas à qua singularisentur.

III. *Quidam faciunt quæstionem de nomine.*

Quòd si solùm ideo velit quis non prædicari Genus immediatè de indiuiduo completo, quia cognoscitur species ex parte subiecti, licèt sit contracta, erit quæstio de nomine, sed videtur impropria locutio, nam indiuiduum completum est species contracta, vnde in hac prædicatione. *Petrus, vel hic homo est animal*, nihil mediat in intellectu inter indiuiduum & genus, vt constat.

IV. *In ratione subiecti omnes gradus prædicantur de indiuiduis immediatè.*

Obiicies secundò: Genus est gradus supremus, indiuiduum infimus, sed non datur immediatus transitus à supremo ad infimum nisi per medium; species autem hic est gradus medius, ergo priùs inest animal speciei, quàm indiuiduo, & priùs de eo prædicatur. Distinguo consequens, priùs *subsistendi consequentia*, seu vt regulariter iuxta gradus Metaphysicos à dialecticis assignatus vnum de altero probetur, concedo consequentiam; in ratione subiecti, vel quasi subiecti, nego. Quare in ratione subiecti non est gradus supremus & infimus, cùm omnes gradus, etiam ratione nostrâ, immediatè subiectentur in indiuiduo, vt dixi, & sint de intrinsecâ illius constitutione. Nec gradus Metaphysici sunt instar graduum materialium, vt imaginari videtur is qui hoc obiicit. Secundò, dici potest Genus supremus gradus, indiuiduum infimus, in ratione extensionis, quod scilicet indiuiduum ad vnum solùm extenditur, Genus ad plurima, & species inter vtrumque hac ratione mediat, cùm nec tam latè pateat quàm Genus, nec ad vnum restringatur, vt indiuiduum.

V. *Genus à Porphyrio definitur in ordine ad indiuidua.*

Obiicies tertiò: Genus definitur à Porphyrio in ordine ad speciem, non indiuiduum: ergo immediatè prædicatur de solà specie. Resp. negando antecedens: definitio enim Porphyrij non est, *Genus esse id quod prædicatur de pluribus speciebus*, sed *differentibus specie*, quod æquè competit indiuiduis præsertim completis, ac speciebus: tam enim specie, seu specificè differunt Petrus & Bucephalus, quàm homo & equus: nec enim tantùm numero differunt, vt est manifestum.

SECTIO VI.

Vtrùm Genus de indiuiduis incompletis prædicetur vt Genus, an vt species.

I. *Dicunt aliqui, Genus de indiuiduis incompletis prædicari vt speciem.*

PAtriaga citatus num. 29 licèt concedat prædicari Genus immediatè posse de indiuiduis, ait tamen de indiuiduis incompletis prædicari vt speciem, non vt Genus. Asserit proinde hanc prædicationem, *hoc animal est animal*, esse prædicationem specificam, & omnia animalia, prout hoc nomine significantur, solo numero differre. Idem docet P. Ouiedo Cont. 4. Log. p. 4. n. 3.

II. *Contrà: ergo Petrus & Bucephalus differunt, & non differunt specie.*

Contrà primò: ergo aliquid à parte rei est in Petro quod specie differat à Bucephalo, & aliquid quod non differat specie; quæ sunt contradictoria: antecedens, quoad primam partem, est manifestum; quoad secundam probatur, nisi enim esset in Petro aliquid à parte rei quod numero tantùm, & non specie differret à Bucephalo, non posset talis ratio per intellectum in eo verè repræsentari, magis quam hinnibilitas in homine, ergo.

III. Conf. implicat duo, numero tantùm inter se distincta, identificari realiter cum duobus specie distinctis, quod tamen hîc euidenter sequitur si hæcceitates Petri & Bucephali inter se numero tantùm distinguantur, rationes enim hominis & equi differunt specie.

IV. *Ostenditur differentias vltimas Petri & Bucephali differre specie.*

Contrà secundò: in differentiâ numericâ indiuidui equini, etiam incompletè sumpti, est prædicatum notabiliter diuersum à differentiâ numericâ indiuidui humani, aut leonini, & multo magis plantæ, vel lapidis, ergo hæ differentiæ, & consequenter ipsa indiuidua incompleta differunt specie: consequentia est clara, ideo enim vnio materiæ cum forma equi specie distinguitur ab vnione eiusdem cum formâ leonis, vel ignis, quia vniones istæ notabiliter differunt. Antecedens itaque probatur: differentia numerica indiuidui equini petit essentialiter identificari cum naturâ equi, quod prædicatum non habet differentia numerica indiuidui humani, aut lapidis, sicque identificari petit cum naturâ specie distinctâ: sed hoc est prædicatum notabiliter diuersum, multò enim magis hoc nomine in suo conceptu differunt duæ differentiæ numericæ indiuiduorum diuersæ speciei, Bucephaleitas nimirum & Petreitas, quàm Petreitas & Pauleitas: sicut vnio materiæ cum animâ rationali, & cum formâ equi, quàm duæ vniones eiusdem materiæ cum eâdem, vel diuersâ animâ rationali, ergo.

V. *Differentia numerica facit quadam plus quàm numero differre.*

Dices primò differentia numerica tantùm est numerica, ergo solùm facit numero differre. Sed contrà: nam differentia numerica Bucephali, cùm habeat prædicatum illud notabiliter diuersum à differentiâ numericâ ignis, hominis, aut plantæ, specie ab earum differentiis distinguatur necesse est, multò scilicet magis quàm differentiæ numericæ duorum indiuiduorum eiusdem speciei, vt ostensum est.

VI. *Genus prædicatur vt pars essentiæ respectu speciei, non indiuidui.*

Dices secundò: prædicatur completè, ergo non prædicatur vt genus: generis enim proprium est vt prædicetur incompletè, & vt pars essentiæ. Resp. primò, negando consequentiam. Ad probationem dico, genus prædicari vt partem essentiæ respectu speciei, non indiuidui incompleti. Vnde proprietas generis est, quòd sit *prædicabile incompletè in quid*, non quòd hoc modo necessariò semper prædicetur, sed quòd Generi, & nulli alteri hoc competat. Essentialis autem conceptus Generis est, vt prædicetur, seu sit *prædicabile de pluribus differentibus specie*: hæc enim

est generis definitio à Porphyrio tradita.

VII. Secundò dico: eo ipso quòd Genus prædicetur vt tota essentia indiuidui incompletè sumpti, prædicatur vt quid incompletum & aptum vt constituat essentiam integram specificam. Prædicatur ergo hic completè respectu indiuidui incompleti, & eo ipso vt aptum incompletè prædicari de specie, & vt quid per alteram compartem complebile.

VIII. *Particularia genera secundò intentionaliter sumpta sunt tantù numero distincta.* Dices tertiò: Genus vt sic est species; ergo particularia genera sunt tantùm numero distincta. Resp. sumi tunc Genus secundò intentionaliter: vnde hoc probaret Genus prædicari vt speciem de indiuiduis etiam complens; genus enim vt sic, est species respectu generum etiam completorum: Angelus enim, planta, & color numero tantùm differunt in ratione Generis.

SECTIO VII.

An Genus sit totum potentiale: & quomodo Genus supremum & infimum constituant vnum Prædicabile.

I. *Totum, aliud actuale, aliud potentiale.* NOtandum primò: totum aliud esse *actuale*, quod actu in se & formaliter continet suas partes, vt homo animam & corpus: aliud *potentiale* seu *potestatiuum*, quod non est propriè totum, vt suprà diximus, sed ratio quædam superior ad multa inferiora se extendens, vt apta de iis prædicari, sicut Genus de pluribus speciebus, quæ proinde respectu Generis partes vocantur *subiectiuæ*, quia singulæ species illi subiiciuntur, nullaque totam eius prædicabilitatem adæquat.

II. *Quid sit pars actualis.* Notandum secundò: partem actualem esse illam quæ actu aliquid constituit, ac proinde, formaliter saltem loquendo, non debet esse tota illius essentia. Sic anima est pars essentiæ hominis Physica, Genus & differentia Metaphysicæ, neutrum enim Metaphysicè loquendo est tota hominis essentia, sicut nec anima, nec corpus Physicè.

III. *Idè respectu eiusdem potest esse & totum & pars.* Hinc infertur, idem respectu eiusdem posse sub diuerso respectu & totum esse & partem. Genus enim vt quid superius & latiùs patens specie, vtpote de pluribus speciebus prædicabile, est *totum potentiale*, respectu illius, vt verò illam inadæquatè constituit, est *pars* illius *actualis*, tantùm enim partem continet essentiæ, & differentia aliam superaddit. Vnde Genus, licèt prædicetur vt *totum potentiale*, necessariò tamen prædicatur semper vt *pars actualis*, prædicatur enim de speciebus non vt tota earum essentia, sed vt pars tantùm illius, seu vt inadæquatum speciei constitutiuum. Sic suprà sect. 3. dixi de vniuersali vt sic, simul sub diuersâ ratione, esse illud & inferius Generi in communi, & superius.

IV. *Qualis sit prædicatio Generis de specie.* Prædicatio ergo Generis de specie est quoad modum prædicandi vniuersalis, & totius de parte subiectiuâ, ac partis de toto actuali. Debet verò esse totum in eâ prædicatione quoad modum repræsentandi, vt latiùs suprà disp. 32. sect. 3. dixi, quia est prædicatio superioris de inferiore, nō æqualis de æquali, vt in hac propositione, *homo est animal rationale*. Ideo itaque vocatur Genus totum potentiale seu potestatiuum respectu speciei, quia licèt quando de vnâ specie prædicatur, non prædicetur de aliâ, ita tamen Genus tunc repræsentatur vt possit de pluribus prædicari, seu potestatem quasi ad hoc habeat; vtque iis assertiuè applicetur.

V. *Videntur Genus supremū & infimū differre specie.* Quoad secundum, ratio dubitandi est, quia Genus supremum & infimum plus differre videntur quàm Genus infimum & species, Genus enim supremum de differentibus Genere prædicatur, vt substantia de *Angelo & plantâ*, infimum verò de solis prædicatur differentibus numero: Magis autem differre videtur esse prædicabile de differentibus Genere, & differentibus specie, quàm de differentibus specie, quod munus est Generis infimi, & de differentibus numero, qui est essentialis conceptus speciei.

VI. *Dicendum tamen differentiam illam esse merè materialem.* Respondetur tamen differentiam illam esse merè materialem, tum quia Genera inferiora ita sunt Genera, vt sint etiam species subalternæ, tum quia modus prædicandi supremi Generis idem est respectu omnium inferiorum, quantumuis hæc inter se entitatiuè differant, prædicatur enim de speciebus omnibus incompletè & vt pars essentiæ. Cum ergo Genera omnia duo hæc in se prædicata contineant nempe habere sub se plures species, licèt ex his aliquæ latiùs extendantur quàm aliæ, & prædicari incompletè, seu vt partem essentiæ, quorum neutrum competit speciei, manifestum videtur plus speciem differre à Genere infimo, quàm infimum Genus à supremo.

VII. *Prædicatio speciei de indiuiduis est incompleta Physicè, non Logicè.* Dices, etiam species prædicatur incompletè, in hac enim propositione *Petrus est homo*, prædicatur de Petro natura tantùm humana, non singularitas, sicut in hac, *Homo est animal*, non prædicatur de homine rationale. Respondetur, verum quidem esse in illâ propositione non prædicari de Petro singularitatem, prædicatur tamen de eo tota essentia Metaphysicè sumpta, quod non contingit in prædicatione Generis vel infimi, vel supremi respectu speciei siue infimæ, siue subalternæ. Prædicatio itaque speciei de indiuiduo est incompleta Physicè, seu materialiter, non Metaphysicè aut Logicè, seu in ordine ad scientias quæ de solis sunt essentiis, singularitates enim non cognoscuntur. Prædicatio verò Generis de specie siue infima, siue subalterna, nec Physicè completa est, nec Metaphysicè.

SECTIO VIII.

Reliqua ad primum Prædicabile spectantia.

I. *Quomodo se habeat animal abstractum à solis existentibus.* EX dictis infero primò, si animal vel alia natura generica aut specifica abstrahatur ab inferioribus existentibus tantùm, ita vt existentia ingrediatur conceptum obiectiuum, animal vel illam naturam tantùm esse Genus, vel speciem respectu animalium vel indiuiduorum existentium: si à solis abstrahatur non existentibus, Genus erit vel species respectu illorum tantùm, si demum abstrahatur absolutè, ita vt nec actualem existentiam connotet, nec non-existentiam, erit Genus vel species respectu omnium tum existentium, tum non existentium.

II. *Ad Genus requiruntur plura possibilia.* Infero secundò, debere ad Genus constituendum esse plura inferiora possibilia specie diuersa, nisi abstrahatur ab entibus rationis, & tunc de iis solis erit Genus illud prædicabile. Ratio est, quia alioqui non erit prædicabile de pluribus differentibus specie, quæ est essentia Generis.

III. *Non requiritur vt sint producibilia à causâ creatâ.* Infero tertiò, ad vniuersale constituendum non requiri vt inferiora sint à causâ aliquâ naturali producibilia, sed sufficere quòd sint possibilia per potentiam Dei. Intellectiuum itaque vt sic, est Genus respectu Angelorum omnium possibilium, & stella similiter respectu stellarum, licèt nullum detur agens naturale quod possit vel has, vel illos producere. Nulla tamen inferiora requiruntur actu existentia, nisi ab existentibus quà existentibus abstrahatur.

IV. *Si tantùm homo esset possibilis, animal potiùs esset differentia, quàm genus.* Infero quartò, si tantùm homo esset possibilis, & nulla alia species animalis, animal non futurum Genus, sed potiùs differentiam respectu hominis, modò sumatur adiectiuè, tunc enim potiùs contrahe-

tur

tur rationale per animal, quàm è contra, vel vivens esset hominis Genus, & differentia esset *sensibiliter rationalis*.

V. *Quo sensu Genus sumatur à materiâ, differentia à Formâ.* Infero quintò, Dicti illius explicationem, *Genus sumitur à materiâ, differentia à formâ*, quod ob quandam analogiam Generis cum materiâ,& Differentiæ cum formâ statuitur: sicut enim materia est indifferens est ad varias formas, sic Genus ad varias differentias. Secundò, sicut materia est subiectum formatum in genere Physico, ita Genus differentiarum in genere Metaphysico. Atque ita sicut materia est ex se imperfectum quid & informe, & per formas actuatur ac perficitur Physicè, sic Genus Metaphysicè per differentias. Tertiò, sicut forma determinat materiam ad hoc compositum Physicum, sic differentia Genus ad hoc compositum Metaphysicum. Atque ita sicut totum Metaphysicum imitatur totum Physicum, sic partes Metaphysicæ partes imitantur Physicas.

VI. *Rationale sumitur etiã à materiâ, & Animal à formâ.* Non ergo propterea dici potest Genus sumi à materiâ, & differentia à formâ, quasi Genus solùm includat illam partem Physicam quæ est materia, tum quia sic substantia in communi, & immaterialia esse Genera non possent, cum materiam non includant. Deinde in rebus corporeis animal includit totale principium viuentis sensibilis, ergo non materiam solam, materia enim sola non sentit. Rationale etiam seu differentia hominis similiter partim sumitur à materia, dicit namque ordinem ad operationes quæ dependenter eliciuntur à sensibus & per consecutionem cum materiâ.

Infero sextò, quoad maiorem vel minorem perfectionem Genus & Differentiam se habere vt excedens & excessum in ratione prædicati vel prædicabilis, nam in hoc superat Genus Differentiam, quòd prædicetur in quid,& per modum per se stantis,quod dignitatem præsefert; Differentia verò in quale quid tantùm prædicatur, & per modum alteri adiacentis. Genus tamen est quasi subiectum, & vt quid actuabile & perfectibile, Differentia quasi forma actuans illud & perficiens, quod videtur perfectionem quandam maiorem importare. Nisi fortasse malit quis differentias actuare ac determinare instar modorum, imò communiter vocantur modi, quòd si dicatur, simpliciter perfectius in ratione & modo prædicandi, erit Genus. VII. *Genus & differentia habent se sicut excedens & excessum.*

DISPVTATIO XXXIV.

De Specie, seu secundo Prædicabili.

I. *Species duplex, infima, & subalterna.* Species duplex est *infima* & *subalterna*. *Subalterna* dicitur quæ sub vno Genere contenta plures sub se species complectitur, vt animal, ac proinde est ipsa Genus, omnia enim Genera præter supremum seu generalissimum sunt species subalternæ. Species *infima* seu *atoma* vel *specialissima* est vltimus formalis conceptus rei quæ definitione explicatur. Vnde differre specie est habere vltimos essentiales conceptus dissimiles. Hæc verò species diuidi in plures species non potest, sicut subalterna, qua de causâ vocatur *atoma*. *Genus* verò *generalissimum* iuxta Porphyrium hic, est id, quod Genus est & non species, vt substantia. *Species specialissima* est ea quæ species est & non Genus,vt *homo*: omnia autem Genera intermedia sunt subalterna, simul nimirum Genera & species.

II. *Species Prædicabilis, & subiicibilis.* Alio etiam modo diuiditur species in *Prædicabilem* & *Subiicibilem*. *Prædicabilis* definitur hic à Porphyrio esse *id quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid*. Ex eo quod prædicetur de solo numero differentibus, prædicatur necessariò vt tota essentia, per quod & à Genere differt, quod ferè semper vt pars essentiæ prædicatur, & à Differentia. Ab hac verò etiam differt quod prædicetur *in quid*, illa autem in *quale quid*. Species *Subiicibilis* ab eodem definitur, *quæ ponitur sub Genere, vel subiicitur Generi*, intellige *soli*, alioqui conuenit indiuiduo: quam tamen particulam non erat opus adiicere, cùm manifestum sit quidquid de specie prædicatur, prædicari etiam de indiuiduis. Particulam ergo *soli* tanquam omnibus notam consultò in definitione omisit Porphyrius.

III. *In genere & specie definitionibus non committitur circulus.* Nec vrget quod contra hanc definitionem opponit P. Arriaga *disp. 7. sect. 2. num. 33.* committi scilicet circulum, dum Generis definitio per speciem, speciei per Genus traditur. Dico enim sicut correlatiua in essendo se inuicem pendent, ita hic mutuus respectus rectè in eorum definitionibus explicatur, præsertim si aliunde termini in definitione positi aliqua habeatur notitia, vt hic supponit Porphyrius babitam esse Generis, quod capite præcedenti explicuit.

SECTIO PRIMA.

De proprietatibus Speciei Subiicibilis.

PRima conclusio: Dantur in rebus species subiicibiles fundamentaliter tantùm non formaliter. Probatur, à parte rei non est formaliter species, ergo non est formaliter species subiicibilis. I. *Species subiicibilis fundamentaliter.*

Secunda conclusio: species subiicibilis per eandem abstractionem fit formaliter subiicibilis per quam fit formaliter prædicabilis. Probatur, nihil enim aliud ex parte sui requirit species vt fit simpliciter subiectum prædicationis genericæ, comparatio enim ad hoc simpliciter non est necessaria, nec ficta aliqua relatio, sed sufficit conuenientia obiectiua cognita inter prædicatum & subiectum, non tamen vt reflexiuè consideretur esse Genus vel speciem. II. *Species eadem actione fit subiicibilis, & prædicabilis.*

Tertia conclusio: species subiicibilis quà subiicibilis formaliter, non est vniuersalis vel prædicabilis. Probatur, vniuersale & prædicabile formaliter est superius formaliter, & dicit ordinem ad sua inferiora, sed subiicibile formaliter est inferius formaliter, & dicens ordinem ad suum superius, ergo species quà subiicibilis non est vniuersalis. Confirmatur primò, ratio subiicibilitatis inuenitur in indiuiduo quod non solùm est subiicile in ordine ad speciem, sed etiam in ordine ad Genus, saltem indiuiduum incompletum, & tamen indiuiduum non est prædicabile, ergo ratio subiicibilitatis formaliter non est ratio prædicabilitatis. Et, sicut subiectum formaliter non est prædicatum, ita nec subiicibile formaliter prædicabile formaliter. III. *Species quà subiicibilis non est vniuersalis.*

Dices; in primâ conclusione asseruisse nos, non dari à parte rei speciem subiicibilem formaliter defectu abstractionis, sed abstractio non requiritur nisi vt faciat vniuersale, ergo species subiicibilis quà IV.

Duo in specie consideranda, ratio speciei, & subiicibilitas.

subiicibilis est vniuersale. Distinguo Maiorem; asseruimus non esse speciem formaliter defectu abstractionis, concedo maiorem; non esse subiicibilem, defectu abstractionis, nego: duo enim sunt in specie subiicibili, species & subiicibilitas & ad illam requiritur abstractio, non ad hanc, cùm hæc reperiatur etiam, vt dixi in indiuiduo. Sicut siquis dicat, vt materia prima sit subiectum accidentis, vel sit sustentans accidens, requiritur creatio, sensus est requiri creationem vt materia sit, non tamen est subiectum formaliter, nec sustentat per creationem, hoc enim implicat, sed per actionem eductiuam seu generationem.

V. Dices secundò: ratio abstracta ab omnibus speciebus prædicabilibus est de ipsis prædicabilis in quantum prædicabiles sunt, sicut ratio abstracta hominis de homine in quantū homo est, ergo in quantum species prædicabiles sunt formaliter subiicibiles. Concesso antecedente distinguo cōsequens, in quantum prædicabiles in actu exercito sunt subiicibiles in actu exercito, id est, in quantum exercent rationem prædicabilitatis exercent rationem subiicibilitatis, nego consequentiam; nam in quantum subiicibiles in actu exercito, seu in quantum exercent subiicibilitatem, respiciunt vnum & superius, in quantum verò in actu exercito prædicabiles respiciunt inferiora & plura, sicut cum tres ordine successiuo incedunt, secundus licèt sit prior tertio, & posterior primo, non tamen in quantum prior illo est posterior hoc, vt in diebus cernitur, & orbibus cælestibus: Si verò consequens, solùm velit in quantum species prædicabiles sunt in actu signato, seu in quantum significantur com ratione formali prædicabilitatis, sunt subiicibiles in actu exercito, hoc est, ipsa ratio formalis prædicabilitatis in singulis subiicitur illi rationi abstractæ, concedendum est: ratio autem hæc prædicabilitatis in singulis sic concepta, seu in ordine ad suum superius non est in actu exercito prædicabilis, nec vniuersalis, cum sit indiuiduum, seu hæc numero species, nam ratio speciei prædicabilis abstracta est species, omnes proinde species particulares sunt sub hac ratione indiuidua.

Species alio modo est prædicabilis, alio subiicibilis.

Species subiicibilis quà subiicibilis est indiuiduū.

VI. Vrgebis, sunt quidem indiuidua, sed indiuidua vniuersalia, nam sunt essentialiter species & prædicabiles de pluribus differentibus numero, nam si species non essent, non magis posset ratio speciei in communi ab illis abstrahi, quàm ratio hominis à lapide, ergo sunt essentialiter prædicabiles in actu exercito. Distinguo vltimum consequens, sunt essentialiter prædicabiles in actu exercito præsuppositiuè, concedo consequentiam; vt subsunt illi rationi, nego: vt sic enim non exercent rationem superioris seu vniuersalis, sed inferioris, sicut nec Petrus est formaliter homo quia ratio hominis ab illo abstrahi potest, sed est homo præsuppositiuè, & abstrahibilitas illa est quid consequens.

Species subiicibiles sunt vniuersalia præsuppositiuè, non formaliter.

VII. Declarari potest hæc tota solutio appositissimè quibusdam exemplis verbi gratia, cùm dicitur *bonum vt bonum intelligitur vel percipitur ab intellectu*, non est sensus, in actu exercito exercere rationem boni respectus intellectus, hanc enim rationem solùm exercet respectu voluntatis, respectu autem intellectus in actu exercito est verum seu exercet rationem veri & intelligibilis, cùm ratio formalis sub qua res omnes respiciunt intellectum, sit ratio veri. Percipi tamen potest, in quantum bonum est formaliter in actu signato, id est, ipsa ratio vltima boni intelligitur, scit enim & percipit intellectus vltimam etiam rationem quā bonum differt à malo. Sic si ratio superioris ab omnibus abstrahatur, quæ in situ locali sunt aliis superiores, vt à lapidibus, sphæris cælestibus & huiusmodi, res illæ in actu exercito non habent rationem superioris respectu illius rationis abstractæ, imò illi sunt inferiores, non enim exercent superioritatem respectu illius, sed inferioritatem, & tamen abstrahitur ab iis omnibus hoc sensu in quantum superiores sunt, non illi rationi, sed suis inferioribus.

Varia exempla in hac de specie subiicibili illustratur.

SECTIO II.

Natura speciei prædicabilis.

DEfinitio speciei prædicabilis suprà assignata est *quod sit prædicabile de pluribus tantùm numero differentibus in quid*, ac proinde est vltimus conceptus quidditatiuus rei, indiuiduatio enim iuxta Dialecticos est extra essentialem rei conceptum. I.

Definitio speciei prædicabilis.

Hinc constat primò, Deum non esse speciem respectu Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quamuis de iis prædicetur *in quid*, nam in ratione Dei non differunt numero, sicut Petrus & Paulus in ratione hominis, sed sunt idem numero Deus. Rationem vero Personæ Diuinæ respectu trium Diuinarum Personarum aliqui putant esse specificam. II.

Deus non est species.

Mihi tamen probabilius videtur esse Genericam licet enim tres Personæ Diuinæ non sint species, differunt tamen notabiliter, & consequenter specie, definitio autem Generis est, non quòd *prædicetur de pluribus speciebus*, sed *de pluribus differentibus specie*. Quod si quis ad prædicationem Genericam requirat sub genere plures species, quæstionem fecerit de nomine. Quid autem sit aliqua conuenire, vel differre specie dicetur in lib. de anima, disp 4. III.

Ratio Personæ Diuinæ respectu trium Personarū est generica.

Quæres primò, vtrum tota perfectio generis repetiatur in vnâ specie, & tota speciei perfectio in vno indiuiduo. Respondeo, extensiuè certum est non reperiri: Intensiuè tamen & intentionaliter dici potest tota speciei perfectio in vnico indiuiduo reperiri, qui enim vnum indiuiduum humanum, verbi gratia, perfectè nouit, tam prædicata essentialia hominis nouit, quàm si nosset centum. IV.

Tota perfectio speciei reperitur extensiuè in vno indiuiduo.

Quæres secundò, vtrum quando rationale vt sic prædicatur de hoc & illo rationali sit prædicatio speciei. Respondeo affirmatiuè, licèt enim respectu speciei sit differentia, & prædicetur *in quale quid*, de suis tamen inferioribus prædicatur specificè, & *in quid*, ac veluti tota eorum essentia. V.

Rationale respectu huius & illius rationalis est species.

Quæres tertiò, In hac propositione *Petrus est animal rationale*, quænam sit prædicatio. Respondetur si *animal & rationale* sigillatim ac disparatè prædicentur, & non vt in vnam coalescunt definitionem, duplicem esse prædicationem duorum Prædicabilium, generis alteram, alteram Differentiæ: Si verò vt vnita prædicentur, & vt vnam constant definitionem, est vnica prædicatio specifica, ac perinde se habet hæc prædicatio ac si quis diceret, *Petrus est homo*. VIII.

Petrus est animal rationale, *quæ prædicatio.*

SECTIO III.

An ad speciem prædicabilem requirantur plura indiuidua possibilia.

DIcendum, speciem prædicabilem requirere essentialiter plura indiuidua possibilia: vnde si in ratione *Michaelis* multiplicari nequeant plura indiuidua eiusdem rationis, Michaëlis natura non erit species, sed indiuiduum essentialiter, sicut Petrus. Probatur à priori, species est *prædicabilis de pluribus numero differentibus*, ergo vbi implicant plura de quibus prædicetur, implicabit & speciem esse respectu illorum prædicabilem. Vnde ad omne vniuersale formaliter requiritur vniuersale fundamentaliter, I.

Species prædicabilis requirit plura indiuidua possibilia.

seu

seu plura indiuidua in illâ ratione similia, vt suprà probatum est.

II. *Natura realis non potest prædicari de indiuiduis falsis.*

Dices, sufficit fingi posse plura similia. Contrà, natura Michaëlis non est de iis prædicabilis nisi falsò, & hoc modo quodlibet est prædicabile de quolibet, eadem ratione dicere possent Deum esse speciem respectu Dei veri & falsorum Deorum, seu fictorum: quod licèt aliqui eorum non ducant sibi religioni concedere, videtur tamen per se falsum, nam ipso facto quòd concipiat quis rationem Dei communicabilem aliis non format conceptum Dei, cùm Deus ex conceptu suo intrinseco sit vnus & essentialiter negans consortium aliorum, eo ipso autem quòd concipiatur vt alium secum Deum admittens, non concipitur Deus sed Chimæra.

III. *Si ad speciem non requirantur plura indiuidua, Petrus potest esse vniuersale.*

Secundò, ponamus naturam Gabriëlis esse intellectiuum vt quatuor, quando concipimus naturam illam, vel concipimus intellectiuum vt quatuor, vel non, sed solùm intellectiuum: si primum, ergo concipimus singularitatem eius nempe vt quatuor, ac proinde aliquid essentialiter incommunicabile, sicque iam Petrus esse potest Species quàm Gabriel; si verò illud non concipimus, non cognoscimus naturam Gabriëlis, sed solùm intellectiuum, seu rationem aliquam in qua congruit cum aliis Angelis, atque adeo non est mirum si sub hac ratione sit communicabilis.

IV. *Deus plus quàm genere differt à creaturis.*

Quod verò dicunt aliqui Deum differre plus quàm numero à creaturis, ergo Specie. Negatur consequentia, sed etiam plus quàm Genere, & hæc distinctio est alia, & alterius Generis, seu anomala, quæcumque demum ea fuerit.

V. *Natura incommunicabilis abstracta non esset vniuersalis, nisi negatiuè.*

Obiicies primò; natura Michaëlis casu quo alia numero diuersa non foret possibilis, posset abstrahi à singularitate, ergo esset vniuersalis. Respondeo, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam, de essentia enim vniuersalis est, vt sit commune pluribus, seu ipsis communicabile, vt ipsum nomen sonat, quod tamen hîc non reperitur. Dices, Natura sic præcisa non est singularis cùm à singularitate abstrahatur, ergo est vniuersalis. Distinguo consequens, est vniuersalis negatiuè, id est, non exprimitur illius singularitas, concedo consequentiam; positiuè, seu est apta communicari pluribus, nego.

VI. *Natura incommunicabilis non posset verè prædicari de alio.*

Obiicies secundò; natura illa Michaëlis sic abstracta potest per intellectum applicari Gabrieli, cùm in intellectu sit indifferens vt cuiuis applicetur. Contrà, ergo & posset applicari Petro. Distinguo itaque antecedens, potest per intellectum falsò applicari Gabriëli, concedo antecedens; verè nego. Sicut natura leonis abstracta applicari verè non potest equo, potest falsò. Nisi quis velit naturam illam Michaëlis abstractam esse Genericam, & tunc concedam prædicari Genericè posse de Gabriële, vt sect. præcedenti, num. 3. dixi de ratione Personæ Diuinæ respectu trium Personarum Diuinarum.

VII. *Implicat in alio Michaële qualis sit hæc prædicatio, Hic Angelus est Michaël.*

Obiicies tertiò; hæc prædicatio *hic Angelus est Michaël*, in eo casu non foret identica, ergo specifica. Nego consequentiam, vt enim propositio non sit identica, sufficit rem diuerso modo ex parte prædicati explicari, quàm concipiebatur ex parte subiecti.

DISPVTATIO XXXV.

De Indiuiduo.

SECTIO PRIMA.

Definitio Indiuidui: vbi an abstrahi possit ratio communis Indiuidui.

I. *Quid intelligatur nomine indiuidui.*

INdiuiduum hîc idem est ac indiuisum, seu entitas aliqua singularis à parte rei, quæ in rationes inferiores diuidi seu distrahi non potest, vt Petrus, Bucephalus, & huiusmodi: animal enim, & Genera omnia diuisibilia sunt in suas species, hæ in indiuidua, indiuidua verò in rationes sibi subiectas (vtpote quæ nullæ sunt) diuidi vlteriùs non possunt, eàque de causâ dicuntur indiuidua.

II. *Definitio Indiuidui à Porphyrio tradita.*

Definitio Indiuidui tradita à Porphyrio est hæc, *Indiuiduum est cuius collectio proprietatum eadem in nullo alio est*; & bene additur collectio, nam licèt vnam vel alteram vnius Indiuidui proprietatem in alio reperiri nil vetet, omnes tamen, seu totam proprietatum collectionem in eo reperiri implicat. Proprietates verò hæ communiter numerantur septem, ad quas memoria meliùs retinendas, sic canunt Musæ Dialecticæ:

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

Forma qualitatum temperamentum, seu complexionem denotat. *Figura* aptam membrorum concinnationem. *Stirps* parentes. Cætera explicatione non indigent.

III. Hæc definitio non est essentialis seu quidditatiua, sed descriptiua tantùm & accidentalis, quippe quæ per proprietates datur & accidentia, cùm enim ipsam rei essentiam non explicet, essentialis esse non potest, sicut nec essentialis foret definitio solis si quis diceret, *Sol est corpus lucidum, noctem diuidens à die, & annum in varias temporum vicissitudines distribuens.* Essentialis autem esset definitio Indiuidui si quis diceret. *Indiuiduum est entitas differentiam habens intrinsecam numericam, nulli alteri communicabilem.* *Essentialis Definitio Indiuidui.*

IV. *Ratio communis Indiuidui est analoga.*

Dices primò; Indiuiduum videtur omnino definiri essentialiter non posse, quidquid enim definitur, Genere constare debet & Differentiâ, Indiuidua autem quà talia Genus habere nequeunt, sunt namque primò diuersa, & formalissima ratio differendi, quæ verò huiusmodi sunt rationem vllam vniuocam habere nequeunt in quà conueniant. Respondeo posse ab Indiuiduis omnibus vnam rationem abstrahi, sed analogam, quæ tamen sufficiens est vt definiatur Indiuiduum, decem enim prædicamenta non habent propriè Genus, & tamen definiuntur.

V. Ad probationem dico, necessarium non esse vt primò diuersa in nullo conueniant, sed vt in nullo conueniant vniuocè, seu in quo etiam non differant, quod est se totis differre.

VI. *Omnia indiuidua sunt vnum à parte rei; ergo hæc ratio abstrahi ab iis poterit.*

Quòd ergo huiusmodi ratio vna & superior abstrahi ab Indiuiduis possit, constat, nam Petrus & Paulus omniaque in hoc Indiuidua conueniunt, quòd vnumquodque à parte rei sit vnum numero & Indiuiduum, naturam vnam habens incommunicabiliter. Hæc ergo ratio considerari poterit absque eo quòd considerentur particulares modi quibus taliter vel taliter illam habent incommunicabiliter, ergo & vna ab iis poterit ratio abstrahi. Quòd verò hæc ratio sit tantùm analoga patet, nam ratio Indiuidui vt sic, est ratio indiuisi vt sic, seu vnius, quæ vltimas etiam Differentias & singularitates transcendit, sicut ens, & consequenter instar entis erit conceptus analogus.

Dices

VII. *Ex ratione communi Indiuidui non eß ti tur processus in infinitum.* Dices secundò; hinc sequi processum in infinitum, cùm id à quo ratio Indiuidui abstrahitur sit adhuc Indiuiduum. Nego antecedens, nam eadem ratio indiuidui quæ ab illis indiuiduationibus abstrahitur, adhuc in illis remanet, licèt enim hæc ratio sine illis consideratà possit, non tamen illæ sine hac, hinc quę est præcisio non mutua. Dum ergo ab illis indiuiduationibus iterum & sæpiùs abstrahitur ratio *Indiuidui*, eadem semper abstrahitur, non alia, sicut de ratione entis inclusi in differentiis dicemus postea latiùs d. 40. s. 5. & 6.

VIII. *Quomodo ratio indiuisibilitatis sit diuisibilis & communicabilis.* Dices tertiò; illa ratio abstracta ab omnibus Indiuiduis esset communicabilis & in illa diuisibilis, ergo non esset ratio *Indiuidui*, hæc enim est ratio indiuisibilitatis & essentialiter indiuisibilis. Contrà, quidni ratio indiuisibilitatis abstracta æquè communicari pluribus poterit quæ in hac ratione conueniunt, sicque sit illis diuisibilis, atque ratio inferioris abstracta ab omnibus rebus quæ aliis inferiores sunt, esse illis potest superior? Respondeo ergo rationem illam esse indiuiduam in actu signato, id est, ex parte obiecti repræsentatur ratio Indiuidui, at in actu exercito communicabilis est suis inferioribus, quia respectu eorum est communis. Eodem ferè modo quo terminus æquiuocus est in actu signato æquiuocus, id est, significat terminos æquiuocos, at in actu exercito est vniuocus, quia terminì omnes æquiuoci in hoc planè similes sunt, quod sint æquiuoci.

IX. *Quid indiuiduum non possit indiuiduari vti obijciunt quo minus abstrahatur ratio indiuiduos.* Dices quartò; Hæccetas non potest per aliam hæcceitatem determinari, nec *Indiuiduum, indiuiduari*, ergo abstrahi nequit ratio communis Indiuidui. Contrà, nec vbicatio potest vbicari, quo tamen non obstante, abstrahi secundùm omnes potest vna ratio vbicationis. Sicut ergo conceptus vbicationis vt sic est tantùm esse in loco, & ad hunc locum per vltimam differentiam quæ hoc peculiariter spatium respicit, determinatur, sic *Indiuiduum* vt sic, est conceptus essentialis Indiuidui, ad hoc verò Indiuiduum per hanc Indiuiduationis rationem contrahitur. Et eodem modo respondetur ad id quod obiiciunt aliqui, nempe vltimam differentiam non posse vlteriùs limitari, sic enim non esset vltima, de quo plura in obiectione sequenti.

X. *An ratio differendi possit esse ratio conueniendi.* Dices quintò, ratio differendi esse nequit ratio conueniendi, ergo nec ab *Indiuiduis* vna ratio abstrahi in qua conueniant. Distinguo antecedens, ratio differendi non potest esse ratio conueniendi secundùm totum quod dicit, seu adæquatè concedo antecedens; inadæquatè seu secundùm rationem abstractam, nego. Et hoc etiam modo differentia vlteriùs potest limitari.

XI. *Ad quod Prædicabile spectet ratio Indiuidui.* Dices sextò; sequeretur hominem non immediatè prædicari de Petro, mediaret namque *Indiuiduum humanum*. Nego sequelam, æquè enim late patent *homo* & *indiuiduum humanum*, nec sibi inuicem subordinantur, sed habent se disparatè. Nec ratio hæc communis *Indiuidui* est Species aut Genus, cùm sit analoga, & vltimas transcendens differentias, vt dictum est. Nullius ergo determinatè Prædicabilis est *Indiuiduum*, sed ad Genus partim, partim ad Speciem, vel Proprium reduci potest, cùm sit proprietas, seu passio Entis.

SECTIO II.

De Indiuiduo secundo intentionaliter sumpto, & vago

I. Porphyrius de hoc Indiuiduo duo asserit, primò, *Indiuiduum esse de quo Species affirmatur*, & *Indiuiduum est quod de vno prædicatur*. Vnde secundùm ipsum duo conueniunt *Indiuiduo*, esse subiicibile Speciei, & prædicabile de se, quorum vtrum que licèt competant Indiuiduo primò intentionaliter sumpto radicaliter, vt tamen formaliter tale sit requirit actum intellectus, seu secundam intentionem, quà de causâ Indiuiduum vocatur secundæ intentionis. *Duo competunt Indiuiduo secundo intentionaliter sumpto.*

II. *Vt Indiuiduum prædicetur de se, requiritur aliqua distinctio.* Vt autem hoc secundum illi competat, sitque prædicabile de se, debet aliqua ratione, saltem quoadmodum concipiendi, distingui à se, cùm ad prædicationem omnem affirmatiuam veram requiratur & identitas inter prædicatum & subiectum, & aliqua saltem inter ea distinctio, ad minimum quoad modum concipiendi, alioqui erit prædicatio identica non formalis, vt *Petrus est Petrus, homo est homo*. Et hoc sensu dixit Aristoteles *primas substantias*, id est, Indiuidua *de nullo prædicari*, nempe prædicatione formali. Si tamen sit aliqua diuersitas in modo concipiendi, poterit esse prædicatio formalis, vt, *Petrus est hoc animal, Petrus est hoc rationale, Petrus non est quid distinctum à se*, & similia.

III. *Quid sit Indiuiduum vagum.* Indiuiduum vagum est illud, quod his vocibus significatur, *aliquis homo, quoddam animal*, & similibus, opponiturque Indiuiduo determinato, quod termino ostensiuo, vel demonstratiuo ostendi solet, vt *hic homo, hic equus*, vel est per se terminus singularis, vt *Petrus, Bucephalus*.

IV. *Non existit à parte rei.* Hoc porrò Indiuiduum vagum à parte rei existere non potest, cùm quidquid existit vel actionem aliquam exercet, certum ac determinatum sit oportet. Ideo ergo vagum dicitur, quòd intellectus vagoquodam & indeterminato illud modo concipiat, seu actu vnum Indiuiduum (licèt Indiuiduum esse sciat) non distinguente, seu secernente ab alio, per quod differt ab actu certo & determinato ex parte obiecti, seu quod fertur in obiectum certum, vt cùm dicimus, *hic est Petrus, hic homo, hoc animal*. *Cur vocetur vagū.* Quòd autem determinatum obiectum quoad rem indeterminato possit modo concipi, videtur manifestum: nam dum hominem videt quis à longe currentem, quid vetat dicere, determinatus aliquis ille homo currit? illum tamen determinatum indeterminato modo concipit, quia, quis in particulari sit, eum latet. Nouit itaque esse determinatum qui currit vel clamat, cùm aliòqui nec currere nec clamare posset, sed non nouit determinatè, ac proinde indeterminatio ex parte intellectus se tenet, non obiecti.

V. *Indiuiduū vagum nō est ratio communis.* Dicendum ergo hanc rationem seu *Indiuiduum vagum* non esse rationem communem, quia in conceptu obiectiuo essentialiter inuoluuntur particularitas, licèt confusè & indeterminatè cognita. Vnde *homo* & *aliquis homo* sic vndè sumpta non idem sonant (quidquid dicant auctores negantes præcisiones) licèt in propositione aliquâ idem sonare possint, vt *homo currit* idem est ac *aliquis homo currit*, quia propositio indefinita in materiâ contingenti, vt loquuntur Dialectici, æquiualet particulari. Determinatur itaque hic terminus *homo ad Indiuiduum vagum* per prædicatum, cuius enim non exercetur nisi à particulari homine, nec tamen est Indiuiduum determinatè cognitum, sed indeterminatè & vagè.

VI. *Cur abstrahi nequeat vna ratio Indiuidui vagi.* Abstrahi ergo nequit ratio communis *Indiuidui vagi*. Præter dicta ratio est, quia quod non est fundamentaliter tale, non potest esse tale formaliter, sed non datur à parte rei hoc & illud *Indiuiduum vagum*, quidquid enim à parte rei existit, determinatè ex sit, non vagè, ergo dari nequit vna ratio *Indiuidui vagi* ab omnibus præcisa: sicut si à parte rei non posset esse hic & ille *homo* vel *animal*, ratio *hominis* vt sic, vel *animalis* ab iis abstrahi non posset.

Dices,

VII. *Vagū aliquādo requirat individuū, non vagū.* Dices, ad aliquid subinde requiritur Indiuiduum vagum, vt *aliquo equo ad equitandum*, ergo huiusmodi Indiuiduum non implicat. Respondeo distinguendo antecedens, requiritur *Individuum vagum* ad aliquid exercendum in *individuo vago*, nego antecedens; ad aliquid exercendum in determinato, concedo: cùm enim effectus sit determinatus, vt determinata equitatio, à determinatâ causâ proueniat necesse est. Sensus ergo illius propositionis est, ad hunc effectum non magis vnum requiri Indiuiduum quàm aliud, cùm quodlibet sufficiat, sicque congruentiùs diceretur requiri vagè Indiuiduum, quam vagum.

DISPVTATIO XXXVI.

De Differentia.

SECTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Differentia.

I. *Porphyrius definit Differentiam.* PORphyrius Differentiam sic definit. *Est prædicabile de pluribus differentibus specie in quale quid*, quæ definitio, vt constat, Differentiæ tantùm subalternæ competit, non infimæ.

II. *Definitio differentiæ prædicabilis in communi.* Differentia ergo prædicabilis in communi hoc modo definiri potest. *Est prædicabile de pluribus in quale quid*: *prædicabile de pluribus* ponitur loco Generis, *in quale quid* loco differentiæ. Genus enim solum & species prædicantur *in quid*, Proprium & Accidens *in quale*. Dicitur ergo Differentia prædicari *in quale quid*, hoc est *in quid* quoad rem prædicatam, quæ nimirum est pars essentiæ, *in quale* quoad modum prædicandi, nempe per modum quasi alteri adiacentis, & Genus limitantis. Magnam hac in re affinitatem habet Differentia cum formâ Physicâ, quæ licèt pars substantiæ compositæ sit, est tamen in materiâ per modum quasi adiacentis, cùm ei insit tanquam subiecto, quam etiam limitat, datque aliquam ei denominationem: qua de causa Differentia vocari solet forma, Genus, materia, vtpote ad varias Differentias indifferens, sicut materia ad formas.

III. *Tripliciter sumitur differentia.* Differentia tripliciter sumitur, primò vt communis, in quo coincidit cum accidente communi, quod semper aliquam facit diuersitatem. Sic homo senex diuersus est à se iuuene. Secundò vt propria, & coincidit cum accidente proprio. Tertiò propriissimè, & constituit hoc Prædicabile. Differentiæ itaque propriissimè sumptæ tria sunt munera, est *diuisiua Generis*, vt rationale & irrationale diuidunt animal: *constitutiua speciei*, vt rationale cum animali constituit hominem: tandem *prædicabilis est de individuis* Petro, Paulo, & cæteris: licèt hæc tria munera seu respectus in re non distinguantur.

IV. *Differentia limitans, & extrahens.* Differentia tum infima tum subalterna diuiditur in *limitantem*, quæ determinat Genus intra eundem gradum Entis, sicut differentiæ Angelorum limitant intellectiuum in genere intellectiui, Gabriel verbi gratia intellectiuus dicitur vt sex: & in *extrahentem*, quæ non determinat Genus intra eundem gradum animalis seu sentiendi, sed illud extrahit ad alium, nempe rationalitatis, & ad aliam seriem operationum.

SECTIO II.

In ordine ad quem terminum constituatur Differentia.

I. *Differentia respectu generis non est vniuersalis.* DIcò primò; respectu Generis quod diuidit, non habet rationem vniuersalis, nec de eo prædicatur essentialiter, sed accidentaliter. Prima pars probatur, ratio vniuersalis formaliter est ratio superioris, sed respectu Generis quod diuidit, Differentia non est superior, nam Genus latiùs patet quàm Differentia. vt animal quàm rationale vel irrationale, ergo Differentia respectu animalis non est vniuersalis. Hic verò ad tollendam æquiuocationem, notandum, aliud esse ordinem quem ad Genus dicit Differentia, esse vniuersalem, aliud, esse vniuersalem respectu Generis: primum enim admittimus in Differentiâ, cùm ordo ille sit ipsa Differentia: secundum negamus, quia respectu Generis Differentia non est quid superius vt diximus, sed minùs latè patens quàm illud, ergo.

II. *Differentia prædicatur de genere accidentaliter.* Secunda pars conclusionis probatur, quia hæc propositio, *animal est rationale*, est in materiâ contingenti, vt in Introductione ostensum est, animali enim secundùm se considerato accidentale est esse *rationale* vel *irrationale*, prædicatio autem huius Prædicabilis est essentialis, prædicatur enim vt pars essentiæ. Nec obstat quominùs sit prædicatum accidentale quod sit quid substantiale, duplex enim est accidens, alterum *Prædicamentale*, seu secundùm entitatem, alterum *Prædicabile*, quod scilicet accidentaliter conuenit subiecto, licèt secundùm entitatem sit substantia: & alijs nominibus vocantur accidens *Physicum* & *Metaphysicum*. Nec tamen ex eo quod prædicetur accidentaliter, sequitur facere vnum per accidens, sicut nec anima rationalis facit vnum per accidens cum materiâ licèt accidentaliter hoc sensu, id est, non necessariò illi vniatur. Solum ergo accidens *Prædicamentale* & *Physicum* facit vnum per accidens cum substantiâ, non autem accidens *Prædicabile*. *Duplex accidens, Prædicamentale, & Prædicabile, seu Physicū & Metaphysicum.*

III. *Neque respectu speciei differentia est vniuersalis.* Dico secundò; nec etiam respectu speciei quam constituit est vniuersalis. Ratio à priori, conceptus vniuersalis formaliter, est conceptus superioris formaliter, sed respectu speciei non est superius, sed tantùm æquale, ergo respectu speciei non est vniuersale.

IV. *Differentia tamen respectu speciei est arguitiuè vniuersalis.* Dices, prædicatur de specie non vt singulare, ergo vt vniuersale. Distinguo consequens, ergo vt vniuersale materialiter, concedo consequentiam; formaliter, nego: non ergo nego esse vniuersale, sed solùm non esse vniuersale respectu speciei formaliter, licèt arguitiuè sit vniuersale, deductione enim quadam arguere possumus esse vniuersale, sicut eo ipso quòd aliquid in magnitudine æquale dicatur leoni, dicitur etiam implicitè & consequenter esse maius lepore, non tamen hanc maioritatem formaliter respectu leonis habet, sed leporis.

V. *Differentia specifica est vniuersalis, sed non respectu speciei.* Instabis, lignum aliquod vt æquale palmo est palmus; ergo differentia vt æqualis vniuersali est vniuersale, sed vt æqualis speciei, est æqualis vniuersali, ergo vt æqualis speciei, est vniuersale. Distinguo consequens, est vniuersale respectu illius; nego consequentiam; respectu inferiorum, concedo: quia respectu illorum est superius, & consequenter vniuersale. Conceptus autem palmi non est conceptus superioris, in quo est clara disparitas.

Consti-

VI. *Differentia est vniuersalis tantùm respectu inferiorũ.*

Constituitur ergo hoc Prædicabile per ordinem ad inferiora de quibus Differentia est prædicabilis in *quale quid*, tanquam aliquid ipsis superius, quod vel solum, vel præcipuè in vniuersalis constitutione est spectandum.

SECTIO III.

Vtrum Genus & Differentia subalterna sit de conceptu formali Differentiæ vltimæ.

I. *Status quæstionis.*

QVæstio est, vtrum, sicut Genus inferius includit semper superius, *animal* verbi gratia *corpus* & alia corpori superiora, ita idem præstet Differentia inferior respectu tum Generum tum Differentiarum sibi superiorum: vtrum scilicet *rugibile* vel *hinnibile* contineat in se formaliter *sensibile, viuens*, & alia prædicata superiora. Vbi non est sermo de continentiâ reali seu à parte rei, nam à parte rei omnia sunt idem, estque realiter omnium inclusio.

II. *Differentia infima non includit Genus, & Differentiã subalternã.*

Conclusio: Differentia vltima non includit Genus & Differentiam subalternam. Ita Fons. 5. Metaph. c. 28. q. 18. Rub. hic q. 5. Hurt. d. 6. Log. s. 3. Arriaga d. 8. Log. s. 1. subs. 1. estque communis sententia. Probatur primò ex Arist. qui tertio Metaph. tex. 10. ob id solùm excludit ens à ratione Generis, quia est de essentiâ Differentiarum inferiorum. Secundò ratione, nam est in confesso apud omnes ex Genere & Differentiâ fieri compositionem Metaphysicam, sed non posset fieri huiusmodi compositio si Genus includeretur in Differentiâ, nam vt sit compositio, vna pars esse debet extra aliam, & eo modo extra quo est compositio, si compositio realis, realiter extra seu distincta, si compositio rationis, debet esse extra mentaliter, compositio enim est *duarum partium simul positio*, duæ autem non sunt, vbi vna includitur formaliter in aliâ, seu est alia formaliter. Vnde si materia realiter includeretur in formâ seu esset illa, non posset dari secundùm omnes Physica inter illa compositio, sicut nec datur inter Ens, & eius Differentias, quia in illis includitur.

Compositio est duarum partium simul positio.

III. *Si rugibile includat animal, idẽ est componens, & compositũ.*

Confirmatur, idem omnino esset componens hic & compositum formaliter, nempe species, nam species, leo, verbi gratia, aliud nihil est quàm animal rugibile, sed rugibile secundùm hanc sententiam includit formaliter in se animal ergo rugibile formaliter est animal rugibile, ergo leo, & tota species, ac proinde species non constituet diuersum Prædicabile à Differentiâ, cùm idem formalissimè sit conceptus vtriusque.

IV. *Vitiosa esset Leonis Definitio, si rugibile includeret sensibile.*

Tertiò probatur, si rugibile includat formaliter sensibile, vitiosa erit hæc definitio leonis *leo est animal rugibile*, idem enim prædicatum bis in eâdem definitione statui non debet, quod tamen hic contingeret, cùm sensibile & in animali includatur & rugibili, sicut vitiosa esset hæc hominis definitio, *homo est animal sensibile rationale*, vel *animal rationale intellectiuum.*

V. Confirmatur, Aristoteles septimo Met. & cum eo Dialectici communiter admittunt hanc definitionem hominis vt bonam & non nugatoriam *Homo est substantia corporea, animata, sensibilis, rationalis*, cum tamen, si hæc se mutuò includerent, non minùs esset nugatoria quàm ista, *homo est substantia, corpus, viuens, animal rationale*, hæc enim ideo solùm censetur nugatoria quia rationes superiores includuntur in inferioribus.

VI. *Licèt differentiæ vltimæ non includant subalternas, non sunt tamen supremæ.*

Obiicies primò; si Differentiæ infimæ non includant subalternas, erunt supremæ, non infimæ. Distinguo antecedens, erunt supremæ negatiuè, concedo antecedens; positiuè, nego: erunt enim solùm hoc sensu supremæ, quòd nullam habeant sibi directè superiorem, non positiuè, ita nimirum vt sub se alia omnia prædicata contineant, vt faciunt Genera generalissima.

VII. *Nec sequitur rationale esse essentialiter animal.*

Obiicies secundò; hæc est bona consequentia in DARAPTI, *omnis homo essentialiter est animal, omnis homo est essentialiter rationalis, ergo rationale essentialiter est animal.* Respondeo primò, consequentiam esse bonam, & sensum esse, ergo aliquod rationale essentialiter est animal, aliquod autem rationale capitur pro homine, qui essentialiter est rationalis. Vel secundò dici posset nullam esse consequentiam, nec syllogismum in vllo esse modo aut figura, nam propositio indefinita in materiâ necessaria est vniuersalis, sicque syllogismus ille tribus constabit propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, qualis nullus est in tertiâ figurâ. Si autem dicat quis esse in materiâ contingenti, contradicit sibi, cùm ille terminus *essentialiter* arguat materiam necessariam, seu connexionem essentialem prædicati cum subiecto.

VIII. *In reduplicatiuis non tenet consequentia.*

Tertiò dici posset, non tenere consequentiam in reduplicatiuis, quarum extrema non necessariò semper tantam habent connexionem inter se, quantam cum medio, vt constat in hoc syllogismo expositorio, *Christus essentialiter est Deus, Christus essentialiter est homo, ergo Deus essentialiter est homo*, vel è contrà, nulla consequentia.

SECTIO IV.

Præcipua difficultas circa inclusionem Differentiæ subalternæ in infima.

I. *Obj. rugibile includere formaliter sensibile.*

OBiicitur tertiò & præcipuè, *rugibile* est Differentia vltima leonis, & tamen *rugibile* includit formaliter *sensibile*, ergo Differentia vltima includit subalternam: minor probatur, *rugibile* formaliter est principium actionis leoninæ, sed actio leonina formaliter vt leonina est sensatio, ergo *rugibile vt rugibile* est principium sensationis, ergo includit in se formaliter *sensibile*.

II. *Resp. differentias infimas connotare subalternas, & Genera in obliquo.*

Respondeo primò, certum esse rugibile includere sensibile, & omnem Differentiam vltimam includere subalternam & Genera in obliquo, id est, non posse concipi Differentias determinantes Genera quin cognoscantur ipsa Genera, quia essentialiter illa respiciunt, non tanquam partes illas constituentes, sed tanquam quid extrinsecè connotatum. Sicut concipi nequit forma determinans materiam quin intelligatur materia in obliquo, non tanquam pars constituens formam, sed tanquam quid ab illa connotatum.

III. *Resp. secundò rugibile solum esse principium vltima differentia actionis leoninæ.*

Respondeo secundò negando minorem, ad probationem distinguo maiorem, *rugibile* est principium actionis leoninæ secundùm totam & adæquatam eius rationem, nego maiorem; secundùm partialem & vltimam contractionem, seu differentiam per quam constituitur in esse talis, concedo. Cum enim leo per aliud principium ratione nostrâ nempe sensitiuum in ordine ad rationem communem sensationis constituatur, frustra per aliud principium constitueretur in ordine ad eandem.

IV. *Dices, rugitus est sensatio, ergo rugibile est principium sensationis.*

Dices, *rugitus* seu actio rugiendi est sensatio, ergo ad sui productionem requirit principium sentiendi, sed principium ipsius est *rugibile* formaliter, ergo rugibile includit formaliter principium sentiendi, seu sensibile. Respondeo, Transeat antecedens, includat rugitus sensationem, sicut species includit Genus, non tamen includit solam sensationem, sed insuper Differentiam vltimò eam contrahentem, ac determinantem ad hanc speciem sensationis. Sicut enim hæc actio rugiendi habet in se diuersas formalitates, vnam communem sensationis, aliam particulatem,

Resp. sicut rugitus in se includit varias formalitates, ita & varia habet principia formalia.

cularem, seu rugitus, ita duplex habet principium, commune aliud, nempe *sensibile*, & particulare nempe *rugibile*, quibus suæ respondent formalitates. Nego itaque *rugitum* secundùm vltimam Differentiam includere sensationem, ac proinde nec *rugibile* includit sensibile, rugibile siquidem non respicit rugitum vt sensatio est, sed solùm secundùm vltimam Differentiam. Sicut species impressa albedinis est causa visionis in quantum est repræsentatio talis obiecti, non in quantum est vitalis.

V. *Rugitus secundùm vltimam differentiã nec est vitalis propriè, nec sensatio.*

Actu ergo rugiendi secundùm vltimam Differentiam nec est vitalis propriè, nec sensatio, sed solùm modificatio quædam sensationis & vitalitatis, ac proinde nec *rugibile* formaliter, erit propriè vel principium sensibile vel vitale, sed modificatio quædam sensibilis. Hoc modo existimo huic difficultati quam nonnullis video facessere negotium, abundè satisfieri. Imò, quidquid dicat P. Arriaga citatus, multò clariùs arbitror eos qui præcisiones admittunt obiectiuas ab eâ se expedire quàm contrarios.

VI. *Aliqui dicunt substantiam, viuẽs &c. non esse genera.*

Aliqui nihilominus concedunt Differentiam rugibilis & cæteras Differentias vltimas esse formaliter vitales, & dicunt nec *substantiam vt sic* nec *corpus* nec *viuens* esse propriè Genera, sed prædicata transcendentia; quod insinuat P. Hurt. hic §. 3. fine.

VII. *Dicendum substantiã &c. cõpletè sumpta esse Genera, nõ sumpta incompletè.*

Sed distinguendum arbitror, *substantia* enim *corpus*, & *viuens* dupliciter sumi possunt, *prædicamentaliter* & completè, quâ ratione directè ponuntur in prædicamẽto, quod aliud nihil est quàm series prædicatorum, suntque Genera: & *transcendentaliter*, qua ratione non ponuntur in lineâ rectâ prædicamentali, sed ad latus, & omnia transcendunt, nihilque in tali prædicamento directè est vel indirectè quod prædicata illa non participet, nec faciunt compositionem metaphysicam, magis quàm *ens*.

VIII. *Substãtia, corpus &c. sũpta prædicamẽtaliter, & transcendentaliter.*

Substantia ergo *prædicamentaliter* sumpta capitur pro completâ, quæ, vt affirmant aliqui, est radix subsistentiæ: *transcendentaliter* autem idem est ac non accidens, seu quidquid ad substantiam pertinet, siue vt modus, pars, vel Differentia, speciem substantialem constituens. *Corpus prædicamentaliter* sumptum dici solet substantia completa, composita ex materiâ & formâ, & radix quantitatis: *transcendentaliter* autem quidquid ad corpus quouis modo pertinet, vnde dicitur Philosophus naturalis agere de *corpore substantiali*, dum agit de materiâ primâ. Accidentia verò dicuntur non *corpus* (scilicet prædicamentaliter sumptum) sed *corporea*, id est, ad corpus spectantia tanquam apta illud informare, ornare, & perficere. *Viuens prædicamentaliter* est principium augmentationis & nutritionis, seu idem quod vegetans: *transcendentaliter* autem pro quocunque modo operandi vitaliter ab intrinseco. *Animal* etiam *prædicamentaliter* sumptum principium significat sentiendi: *transcendentaliter* verò quidquid ad eiusmodi principium pertinet. Hac etiam viâ facile soluitur argumentum suprà positum, sed prior solutio est clarior.

SECTIO V.

Reliqua ad Differentiæ notitiam spectantia.

I. *Differentia infima non differt specie à subalternâ.*

PRimum est, vtrum Differentia infima specie differat à subalternâ. Qua in re existimo probabilius non differre specie. Ita Alber. c. de Differentia, Caiet. ibid. dub. primo P. Hurt. d. 7. log. §. 4. §. 59 & alij. Ratio à priori. quia Prædicabilia quà talia distinguuntur penes diuersos modos prædicandi, sed eodem modo Differentia infima prædicatur quo subalterna, nempe vt pars essentiæ, & in *quale quid* incompletè, ergo. Quod verò Differentia infima addat vltimum complementum rei, non arguit esse illam in se conceptum completum, sed solùm esse vltimum incompletum. Quo sensu capiendus est Aristoteles 7. met. tex. 43 dum insinuat Differentiam esse totam rei essentiam: solùm enim vult esse totam essentiam completiuè posito Genere, licèt Differentia suam tantùm addat formalitatem, reliqua enim prædicata continentur in Genere.

II. *Solus diuersus modus prædicandi facit diuersitatẽ specificam in Differẽtia.*

Parum ergo refert ad diuersitatem alicuius Prædicabilis formaliter quòd de pluribus vel paucioribus, de differentibus specie vel non differentibus prædicetur præcisè, nisi inde diuersus oriatur modus prædicandi formaliter, vt contingit in Genere & specie, species enim ex eo quod prædicetur de pluribus solo numero, differentibus *in quid*, prædicatur necessariò vt tota essentia, vt suprà ostensum est.

III. *Cur Definitio obiectiua non constituat distinctum Prædicabile.*

Secundum est, cur definitio obiectiua non constituat Prædicabile distinctum æquè ac Differentia; Ratio dubitandi est, quia prædicatur in *quale quid* in quantum includit Differentiam, & *in quid* in quantum includit Genus, ergo æquè constituet diuersum Prædicabile ac Differentia, Huic difficultati satisfactum est suprà, dum de specie §. 2. n. 6.

IV. *Potest subinde Differẽtia infima componi ex pluribus Differentiis inadæquatis.*

Tertium est, possitne Differentia infima ex duabus aut pluribus componi Differentiis inadæquatis? Respondeo, licèt plerumque hoc non fiat, vt in *rugibili, hinnibili*, & reliquis, nil tamen esse cur subinde id non contingat, idque tum in intellectu, tum in voluntate. In intellectu idem numero actus ex motiuo *scientiæ* procedere potest & *fidei*, sicque sub duplici genere disparato *fidei* scilicet & *scientiæ* immediatè collocatur, & duplici similiter disparatâ Differentiâ in vnam coalescente contrahitur. Idem est dum quis ex motiuo *amoris* & *obedientiæ* aut aliis motiuis disparatis ieiunat, dat eleëmosynam, aut aliud quodcunque præstat.

DISPVTATIO XXXVII.

De Proprio seu quarto Prædicabili.

SECTIO PRIMA.

Proponuntur quædam circa naturam huius Prædicabilis.

I. *Proprium respectu vnius est accidens respectu alterius.*

DVo sequentia Prædicabilia vocantur prædicata accidentalia, quia rem in suo conceptu essentiali per Genus & Differentiam constitutam sequuntur, sicque sunt extra rei quidditatem seu essentiam, ac proinde accidentia, illud commune, & non ad rem vllam particularem determinatum, sed ad plures indifferens, hoc peculiarem cum re aliqua habens connexionem, sicque *Accidens Proprium* dicitur. Nil tamen impedit quò minùs id quod vni est proprium, alteri vniatur accidentaliter, sitque Accidens commune, vt *nigredo in coruo & ligno, albedo in niue, & pariete*, & alia huiusmodi.

II. *Proprium Metaphysicum & Physicum.*

Proprium duplex est, *Logicum seu Metaphysicum & Physicum*: *Physicum* illud est quod sequitur rem constitutam tanquam quid realiter & physicè ab illâ distinctum, vt calor ignem, lux solem. Proprium *Logicum*

gicum seu *Metaphysicum* illud est, quod licèt à re realiter non distinguatur, ratione tamen nostrâ non est de primo rei conceptu, seu de essentiâ, cùm concipi essentia possit hoc non concepto, saltem explicitè, sicque licèt *physicè* non dimanet ab essentiâ, dimanat tamen *logicè*, id est, sequitur essentiam *logicè*, seu ratione nostrâ constitutam, & hoc sensu est extra essentiam. Huiusmodi sunt *risibile* respectu hominis, *verum*, *bonum*, & reliqua prædicata transcendentalia respectu *entis*, quæ cùm realiter ab essentiâ ad quam spectant, non distinguantur, non incongruè vocantur Propria *secundæ intentionis*.

Propria secundæ intentionis.

III. *Quatuor Proprij acceptiones.* Quatuor Proprij acceptiones hîc assignantur à Porphyrio. *Primo modo* id Proprium dicitur quod *soli* conuenit, non tamen *omni*, id est, speciei, non omnibus eius indiuiduis, vt esse *musicum* aut *mathematicum* soli conuenit homini, non tamen omni. *Secundo* è contrà quod naturaliter *omni* conuenit, non tamen *soli*, vt homini esse *bipedem*. *Tertio*, quod *omni* conuenit, & *soli*, non tamen *semper*, vt *canescere*, quod homini in senectute conuenit, & soli homini, saltem simpliciter, licèt, teste Aristotele, equi etiam aliquantulum canescant, & iuxta Plinium lupi, licèt non toto capite vt homo: item *ridere*, & alia huiusmodi. *Quarto*, quod ab Aristotele primo Top. c. 3 vocatur Proprium simpliciter, quod conuenit *omni*, *soli*, & *semper*, vt esse *risibile*, quod omni homini, soli, & semper conuenit; & huiusmodi videtur fumus respectu ignis.

Primo modo. Secundo. Tertiò. Quarto.

IV. *Omnes hæ quatuor Proprij acceptiones spectant ad hoc Prædicabile.* Quæres primò, vtrum omnes hæ quatuor acceptiones Proprij spectent ad hoc Prædicabile? De *primo*, *tertio* & *quarto* videtur satis probabile, quia necessariam aliquo modo habent connexionem cum specie vel essentiâ, quod requiritur & sufficit ad rationem Proprij. De *secundo* maior videtur difficultas; ob auctoritatem præsertim Aristotelis, qui 1. Top. c. 4. sic habet, *nemo proprium alicuius rei dixerit quod alijs conuenire potest*, ex quibus verbis confici videtur esse *bipedem* respectu hominis, vel album respectu niuis, non esse Proprium, cùm alijs conueniant, illud auibus, hoc lacti. Existimo tamen Proprium *secundo modo* spectare ad hoc Prædicabile, nam magis peculiari modo nigredo, verbi gratia, conuenit coruo, & albedo lacti, quam equo vel parieti, ergo peculiarem habet cum naturâ corui connexionem, quam non habet cum omni aliâ re, ac proinde aliquo modo est illi proprium. Ad Aristotelem dico, eum solùm negare id esse proprium perfectissimo seu quarto modo, non quomodocumque, quod nihil facit contra nos.

V. *Non requiritur propriū vt essentia illud exigat.* Id hîc notandum, ad rationem Proprij non requiri necessariò vt essentia illud exigat, sed sufficit quod illud talem exigat essentiam: sic Grammatica est proprietas hominis, & albedo quantitatis, non equi vel parietis.

VI. *Definitio Proprij.* Quæres secundò, quænam sit definitio Proprij? Respondeo, Proprium definiri posse quod sit *prædicabile de pluribus in quale, vt habens connexionem cum essentiâ*, qua de causâ à Dialecticis optimum censetur medium ad indaganda prædicata cuiusque rei essentialia. Per *esse prædicabile de pluribus*, conuenit cum cæteris Prædicabilibus, per *in quale*, à Genere differt & specie, quæ prædicantur *in quid*, & à Differentiâ, quæ prædicatur *in quale quid*, per reliqua differt ab Accidēte, quod licèt prædicetur *in quale*, nullam tamen habet connexionem cum essentiâ illius rei respectu cuius est Accidens, sed quasi casu illi accidit, quâ de causâ Accidens commune vocatur & extraneum, illud verò Proprium. Requiritur nihilominus vt connexio hæc sit naturalis, defectu cuius, gratia & habitus supernaturales non sunt proprietates hominis vel Angeli, quātumuis ipsis à Deo infundātur.

VII. *Proprium constituitur in ordine ad essentiam, vt vniuersale in ordine ad indiuidua.* Quæres tertiò, respectu cuius termini constituatur hoc Prædicabile? Respondeo, secundùm rationē vniuersalis constitui in ordine ad indiuidua, nam respectu speciei non est superius, ac proinde nec vniuersale formaliter. At sub conceptu Proprij, seu vt rationem dicit proprietatis, constituitur in ordine ad speciem seu essentiam formaliter, quia prædicatur vt Accidens proprium essentiæ, & cum illa peculiarem habens cōnexionem, Petrus enim & Paulus non sunt risibiles formaliter, quia Petrus & Paulus sunt, sed quia homines, risibilitas enim formaliter sequitur rationalitatem seu differentiam specificam, vnde ratio vniuersalis & ratio Proprij non fundantur in eodem respectu nec conueniunt eidem respectu eiusdem formaliter, speciei scilicet & indiuiduorum, licèt à parte rei identificentur.

VIII. *Quo sensu Proprium conueniat singularibus ratione speciei, & Accidens à contra.* Hinc intelligitur commune illud dictum, nempe *Proprium singularibus conuenire ratione speciei, Accidens verò commune priùs conuenire indiuiduis, & ratione illorum, speciei*: cùm enim Accidens commune non habeat peculiarem connexionem cum naturâ vel essentiâ, ex actuali diuersarum circumstantiarum concursu casu, & quasi per accidens hîc & nunc in hoc vel illo indiuiduo inuenitur, & ratione illius conuenit speciei. Vnde ideo *homo currit* vel *est albus*, quia *Petrus currit*, & *est albus*. Ideo autem è contrà *Petrus est risibilis* quia *homo est risibilis*, hoc enim est prædicatum essentiale, nec alio modo hoc prædicatum de Petro probatur nisi quia est homo.

IX. *Proprium respectu diuersorum, diuersa constituit Prædicabilia.* Notandum verò, Proprium (idem est de Accidēte) secundùm respectum ad diuersa constituere diuersa Prædicabilia, *risibile* enim respectu huius & illius risibilis formaliter & in concreto est species: Respectu verò subiecti specificatiuè sumpti, seu huius & illius hominis, vel risibilis denominatiuè accepti est prædicatum Accidentale, quia sequitur essentiam hominis constitutam, nec ipsum constituit in ratione hominis, sicut constituit in ratione risibilis concretè sumpti.

X. *Ad quod Prædicabile spectet hæc prædicatio, Hoc album est album.* Hæc ergo prædicatio, *hoc risibile est risibile*, vel, *hoc album est album*, est prædicatio essentialis, si *hoc risibile* & *hoc album* sumantur concretè, & vtraque pars importetur in recto, tacita enim semper inuoluitur reduplicatio: si verò sumantur solùm specificatiuè, & pro subiecto, seu pro risibili vel albo denominatiuè, est prædicatio Proprij vel Accidentis, perinde enim sonat ac si quis diceret, *Petrus est risibilis*, *equus est albus*, quas nemo negat prædicationes esse accidentales.

SECTIO II.

De reliquis ad Proprij naturam spectantibus.

I. *Quædam, licèt se sequantur, non sunt passiones sui, sed Essentiæ.* Notandum primò, proprietates istas licèt ordine quodam ab essentiâ dimanent, vt *voluntas* post *intellectum*, *risibilitas* post *admiratiuum*, non tamen sui inuicem esse passiones, sed omnes proprietates esse, & passiones essentiæ, à qua dimanant, & in qua recipiuntur.

II. *Passiones physicè possunt subinde naturaliter separari.* Notandum secundò, licèt Accidens proprium, seu proprietates & passiones *Metaphysicè* à subiectis nec diuinitùs separari possint, cum ab ijs non distinguantur realiter, posse tamen separari *physicas*, imò & subinde naturaliter. Hoc satis probant tot homines surdi & cæci, qui visus & auditus proprietatibus carent, quod etiam contingit dum aqua peregrino in eâ calore producto, naturali frigore orbatur.

III. Tertiò Notandum, dictum illud Porphyrij c. de Acci-

Quo sensu non separetur Proprium sine corruptione subiecti.

Accidente, *Accidens est quod adesse & abesse potest sine subiecti corruptione, non verò Proprium*, ita esse intelligendum vt Accidens Proprium separari plerumque nec re nec ratione possit sine læsione aliquâ subiecti, vel in re, vel in ordine ad conceptum nostrum, id est, sine eo quod subiectum vel sit vel intelligatur sine perfectione sibi debitâ, & quasi mancum aliquo modo ac mutilum, quod tamen non contingit cùm vel re, vel ratione tollitur ab eo Accidens aliquod commune & indebitum: sic enim nihil deest connaturale parieti si separetur ab eo albedo, vel alius quiuis color, imo licèt sit vel concipiatur sine omni colore. E conuerso cum concipitur adesse in subiecto Accidens, nihil in illo est connaturaliter ab eo petitum. Sensus proinde illius dicti est, perinde est subiecto quoad completum eius existendi modum, siue adsit siue absit Accidens, cùm non magis illud petat habere quàm non habere, non tamen perinde est quoad Proprium, saltem *secundo & quarto modo*.

Quomodo Accidens adsit & absit sine corruptione subiecti.

IV. Per quam explicationem cessant innumera quæ à P. Hurt. d. l. Log. s. 6. & aliis contra hoc dictum congeruntur, vt quod aliquando Accidens commune corrumpat aliquod subiectum, vt calor vt octo aquam, & frigus hominem vnde inferunt non posse Accidens adesse sine subiecti corruptione, de hoc enim non est dubium, hic tamen non est sensus Porphyrij, sed quem supra posuimus.

Hinc variæ difficultates soluuntur.

Vltimò Notandum, cùm dicit Porphyrius Propria non suscipere magis & minus, sic tamen Accidentia communia, non esse id intelligendum entitatiuè, sed formaliter vt Propria sunt, entitatiuè enim intendi possunt & remitti, vt calor: vt passiones tamen seu proprietates, in certo & determinato gradu indiuisibiliter dicunt ordinem ad sua subiecta, calor enim, exempli gratia, non in quocunque gradu sed octauo tantùm connaturalem dicit connexionem cum igne, cum aëre in sexto, sicque licèt subinde non sit in eo gradu, ignem tamen & aërem connaturaliter in illo gradu respicit, non alio. V.

Propria entitatiuè suscipiunt magis & minus, non formaliter.

DISPVTATIO XXXVIII.

De Accidente, & reliquis ad Prædicabilia spectantibus.

SECTIO PRIMA.

De ijs quæ ad Accidentis Prædicabile pertinent.

I. *Declaratur vlterius quomodo Accidens adesse & abesse possit sine subiecti corruptione.*

AD huius explicationem Prædicabilis Porphyrius ponit id quod suprà notauimus, Accidens adesse & abesse posse, saltem cogitatione, ita vt licèt mente præscindamus, & concipiamus subiectum nõ concepto Accidente, non conciperetur corrumpi seu lædi subiectum, id est, non aliquo sibi debito priuari, licèt aliqua Accidentia sint naturaliter inseparabilia, vt cicatrix & alia quædam quæ proueniunt à causis extrinsecis, quæ tamen à subiectis non pellun tur. Vnde si illis per intellectum negentur, non negabitur perfectio aliqua iis debita, quod tamen contingeret homini, si illi negaretur per intellectum risibilitas.

II. *Prædicabilia Proprij & Accidentis quandoque sunt substantia.*

Licèt verò Proprium frequenter sit *Accidens prædicamentale*, id est, non substantia, nec subsistens per se completè, sed spectans ad vnum ex nouem vltimis prædicamentis, non tamen est *Accidens prædicabile*, id est, merè contingenter alicui conueniens, & sine connexione naturali. Dixi frequenter, proprietates enim Metaphysicæ sunt *substantia* quando essentiæ, ad quas sequuntur, sunt substantia, vtpote ab iis non distinctæ, vt risibilitas in homine, & huiusmodi. Imò *Accidens* quintum Prædicabile subinde est entitatiuè *substantia*, vt in hac & similibus propositionibus, *Animal est rationale*. De quo plura sec. sequente, n. 4.

III. *Definitio Accidentis.*

Definiri potest Accidens, quod sit *prædicabile de pluribus sine peculiari connexione cum essentia*, per quam vltimam particulam distinguitur *Accidens à Proprio*. Probabile autem est hæc duo vltima Prædicabilia non differre specie vt cadunt sub considerationem logicam, nam quòd Accidens connaturaliter debeatur subiecto vel non, non tractatur à Logicâ, sicut nec quod Proprium realiter distinctum vel non distinctum sit ab essentiâ: quæ tamen in re magna est diuersitas.

Proprium & Accidens in consideratione logicâ non differunt specie.

IV. Constituitur ergo hoc Prædicabile in ordine ad indiuidua sine respectu ad speciem. Si eadem numero albedo in diuersis esset subiectis, probabile est rationem albi ab illis abstractam communem fore & quintum Prædicabile, verè enim sunt plura habentia albedinem, ad varietatem quippe denominatiui Accidentalis, præcipuè spectatur subiectum: sicut si plures homines eandem simul viderent arborem, nõ essent plura visa, sed vnum. Reliqua quæ ad Accidentis considerationem spectant, discussa sunt Disp. præcedente.

Constituitur hoc Prædicabile in ordine ad indiuidua.

SECTIO II.

Sintne plura Prædicabilia quam quinque.

I. *Non sunt plura Prædicabilia quàm quinque.*

COnclusio: Non sunt plura Prædicabilia quàm quinque. Ratio à priori, modus prædicandi sequitur modum existendi in multis, quidquid autem est in multis, vel essentialiter in illis est, vel *accidentaliter*: si essentialiter, vel inest vt pars materialis essentiæ, & est *Genus*, vel vt formalis, & est *Differentia*, vel demum vt tota essentia, & est *Species*: si accidentaliter, vel inest tanquam Accidens quod naturalem seu necessariam habet connexionem cum essentia, & est *Proprium*, vel inest merè contingenter, & est *Accidens* simpliciter.

II. *Licèt sint decem Prædicamenta, non tamen sunt decem Prædicabilia.*

Dices, Prædicamenta sunt decem, ergo & Prædicabilia, Prædicamenta enim aliud, nihil sunt quam series & coordinatio prædicatorum, sed Vltima nouem Prædicamenta diuersum habent inexistendi modum, ergo erunt etiam nouem Prædicabilia, cùm modus prædicandi sequatur modũ essendi. Respõdeo, diuersum modum existendi in subiecto in nouem vltimis Prædicamentis esse merè materialem respectu Prædicabilium, & considerationem logicã, nec enim in his spectatur quomodo insint physicè subiectis, sed quomodo prædicentur metaphysicè, seu logicè de inferioribus, de quibus cùm prædicentur merè *in quale*, spectant omnia nouem ad duo vltima Prædicabilia, cùm in hac ratione omnia æqualiter conueniant.

III. Nec etiam diuersitas physica Generum facit diuersitatem Prædicabilium, iam enim color prædicatur *in quid* de hoc & illo colore, & consequenter est

Diuersitas Physica nō constituit diuersa Prædicabilia.

Genus respectu illorum, licèt in entitate sit Accidēs, quàm animal respectu huius & illius animalis. Color ergo & animal in ratione Prædicabilis solo differunt numero, licèt materialiter distinguantur plusquam specie, diuersitas enim Prædicabilium formaliter desumitur tantùm ex diuerso modo prædicandi. Imò Genus entis realis & entis rationis sunt vniuoca, & in ratione Generis numero tantùm distincta, quia in eâ ratione sunt planè similia, & in quid incompletè de suis inferioribus æqualiter prædicantur. Quod idem dici de negationibus potest, omnis autem alia diuersitas est Dialecticæ materialis, nec ad logicam spectat.

IV. *Variæ prædicationes spectant ad quintū Prædicabile.*

Hæ propositiones *animal est rationale, sensibile est admiratiuum, animal est risibile*, & huiusmodi aliæ spectant ad quintum Prædicabile, nam licèt risibilitas necessariam habeat connexionem cum rationali, cum animali tamen secundùm se considerato habet solùm contingentem. Hæ autem, *Petrus est persona humana*, reducitur ad quartum Prædicabile, quia personalitas est passio essentiæ, si verò sumatur Petrus reduplicatiuè, seu vt suppositum est, est prædicatio essentialis, sicut homini albo vt albo essentialis est albedo.

DISPVTATIO XXXIX.

De Antepradicamentis.

INter alios Aristotelis libros vnus est quem de categoriis inscripsit, seu Prædicamentis, vbi res omnes, in suas quasque classes ac series distribuit, claraque ac facili methodo, & ordine digessit, substantiam ab accidentibus, & hæc à se inuicem separando, quò faciliùs intellectus & ad illius, & horum notitiam possit pertingere. Librum hunc in tres diuisit partes, *Antepradicamenta, Pradicamenta*, & *Postpradicamenta*. At, ne Logica in nimis magnam molem excrescat, tractatum de Prædicamentis in Metaphysicam, qui proprius eorum locus est, differemus.

SECTIO PRIMA.

De Vniuocis, & Æquiuocis.

I. *Definiuntur vniuoca, & Æquiuoca.*

VNiuoca secundùm Aristotelem sunt, *quorum nomen est commune, ratio verò substantia secundùm nomen eadem*, vt homo, animal, equus. Æquiuoca sunt, *quorum nomen est commune, ratio verò substantia secundùm nomen diuersa.* Per rationem substantiæ non intelligitur quod res per terminum vniuocum vel æquiuocum significata, necessariò esse debeat substantia, sed illius obiectum denotatur, siue substantia sit, siue accidens, Vnde *album* vniuocè de homine dicitur, equo, & pariete albis, quanta enim cunque in essentiâ sit discrepantia, in ratione *albi* conueniunt; imò in his & huiusmodi tacita semper inuolui videtur reduplicatio. Ly *nomen* vocem per quam, res importatur, significat, & in hoc *Æquiuoca* differunt ab *vniuocis*, quòd illa prout eo nomine significantur, solam habeant vocem communem, res autem est planè diuersa, vt *homo* respectu veri hominis, & picti. In *vniuocis* verò non vox tantùm, sed res etiam per vocem significata, eiusdem rationis est & conceptus.

Quomodo differant vniuoca & Æquiuoca.

II. *Æquiuoca sub vnâ ratione, sūt vniuoca sub aliâ.*

Hic tamen aduerte, res quæ per terminum æquiuocum significantur, in aliâ ratione conuenire posse vniuocè, vt Gallus Galliæ incolam significat & gallum gallinaceum, ac nomen præterea proprium est viri; sub qua ratione tria hæc solo conueniunt nomine, cum res hoc nomine significatæ importentur vt diuersæ, at in ratione animalis, viuentis, substantiæ conuenientia est inter eos vniuoca.

III. *Æquiuoca vnde dicta.*

Æquiuoca ergo sic dicuntur quasi *æquè vocata*, seu quasi æquè eandem vocem & aliud nihil participantia, nam ratio substantiæ prout eâdem voce significatur, debet esse diuersa, id est, res illæ vt nomine æquiuoco importantur, diuersam habere debent definitionem & essentiam: sic *canis* vt de terrestri dicitur, animal significat latrabile, vt de cælesti, sydus.

IV. *Quomodo definiantur Æquiuoca, cum significent plura vt plura.*

Dices, *Æquiuoca* plura significant vt plura, ergo vnâ nequeunt definitione exprimi, malè ergo Aristoteles suprà vnâ illa definitione est complexus. Respondeo, *Æquiuoca* entitatiuè seu essentialiter definiri vnâ definitione non posse, posse denominatiuè, id est, in quantum illa omnia denominationem recipiunt significati, seu eâdem voce denotati, vt sic conueniunt, suntque vniuoca, sicut licèt equus, tenebræ & Chimæra, secundùm suas entitates in ratione vniuocâ non conueniant intrinsecè omnibus cōmuni, sic tamen in aliquâ extrinsecâ, cogniti verbi gratiâ, seu repræsentati.

V. *Plura in se, vt eādē voce significantur: sunt vniuoca.*

Licèt ergo vox *canis* sit Æquiuoca quia plura significat vt plura, illa tamen plura secundùm rationē significati per hanc vocem sunt vniuoca, quia rationem illam extrinsecam æquè participant, seu *æquè vocantur* hoc nomine: *canis* verò non illa significat reduplicatiuè, vt significata hoc nomine, sic namque significaret se, sed specificatiuè tantùm, illa nimirū quæ secundùm rationes illas diuersas hac voce significantur. Quæ etiam est causa cur nomen *Petrus* non sit vniuocum respectu omnium, qui hoc nominē appellantur, quia nimirum non illos reduplicatiuè significat, vt vocantur hoc nomine, sed entitates singulorum vt à parte rei discrepantes.

VI. *Deus & Angeli vnico actu repræsentant plura vt plura.*

Quæret, vtrum dari hæc possit æquiuocatio in mente? Negat communis sententia saltem de nostro intellectu in viâ, nam Deus & Angeli vnico actu in entitatē simplicissimo, pluribus tamen in repræsentatione æquiualente, plura vt plura distinctissimè cognoscunt. Existimo tamen in mente etiam nostrâ hîc in viâ dari æquiuocationē posse. Ratio est, quia sicut vox illa æquiuoca est quæ plura vt plura significat, ita conceptus æquiuocus erit ille, qui plura vt plura repræsentat. Cùm ergo nil vetet quò minùs vnus in nobis detur conceptus, qui plura vt plura repræsentet (quidni enim terrestrem canem, & cælestem eodem actu cognoscere poterimus, etiam secundùm particulares eorum rationes?) nihil etiam impedit quò minùs in mente nostrâ vel pro hoc statu, æquiuocatio dari possit.

Idem etiā possunt homines in viâ.

VII. *Quid requiratur, vt aliquid sit perfectē vniuocum.*

Vt ergo aliquid sit vniuocum, debet esse *ratio omnino eadem*, ac proinde à particularibus differentiis præcisa, & vniuersalis. Actus ergo repræsentans plura indiuidua vt plura, non est vniuocus, sed æquiuocus: licèt enim repræsentet rationem in qua conueniunt materialiter, repræsentat tamen illam vt diuersificatam, ac proinde ratio substantiæ, vt per intellectum repræsentata, est formaliter diuersa. Reliqua quæ ad vniuoca vel Æquiuoca spectant, in introductione fusè sunt tradita.

SECTIO

SECTIO II.

De Denominatiuis.

I. DEnominatiua secundùm Aristotelem sunt *quæ ab aliquo nomine denominationem habent, differentia casu*, vt à Grammatica Grammaticus, à fortitudine fortis.

Quæ sint Denominatiua.

II. Ad Denominatiua nonnulla requiruntur: primò vt denominans & denominatiuum quoad casum & terminationem nec eadem omnino sint, nec omnino diuersa, defectu cuius, vt aliqui affirmant, *Musica* non est hoc sensu nomen Denominatiuum, vt artem significat, & mulierem artis illius perinam, quia *casu* seu *terminatione* non differunt. Latiùs tamen accipi solet nomen Denominatiui, pro eo omni quod *denominationem ab alio accipit*.

Denominatiua differre debent terminatione.

III. Secundò requirunt aliqui, vt forma sit accidentalis, vt *Grammaticus*, *niger*, *fortis*, non essentialis. Meliùs tamen alij dari etiam posse Denominatiua à formis essentialibus asserunt, seu substantialibus, *hominem* exempli gratiâ, dicunt ab *humanitate* denominari, ex qua constituitur. Nomen tamen denominans in concreto importari debet, non in abstracto; vnde *Iustitia* non est nomen Denominatiuum, est tamen *iustus*.

Dari possunt denominatiua, etiam à formis substantialibus.

IV. Denominatio alia *extrinsecu*, ea nimirum in qua forma denominans est subiecto extrinseca, vt *esse cognitum*, *amatum*, *dextrum*, *visum*: de quibus late dictum est tractatu de Ente rationis d. 14. s. 1. *intrinsecu* alia, in qua forma denominans est subiecto intrinseca; vt *esse album*, *nigrum*, *cognoscens*, de quibus aliàs.

Denominatio, alia extrinsecu, alia intrinseca.

V. De *dextro* & *sinistro* est difficultas, sintne extrinsecæ denominationes, an intrinsecæ. Ad quod notandum, duplicem esse denominationem *dextri* vel *sinistri*, alteram respectu manus, quod *dextra* vocetur aut *sinistra*, & hæc denominatio est merè extrinseca, voluntas scilicet hominum, qui his eas voluerunt nominibus appellari, licèt aliquod nonnunquam sit in rebus fundamentum: vnde nonnulli autumant ex eo huic parti hominis potiùs quàm alteri nomen dextræ fuisse impositum, quòd fortior sit alterâ, vtpote in qua musculi & nerui perfectiùs coëunt & continentur.

Aliqua denominatio dextri & sinistri est merè extrinseca.

VI. Alia est denominatio *dextri* vel *sinistri*, quæ ex eo alicui rei prouenit, quòd à dextris ponatur vel sinistris, & hæc ab aliquibus Denominatio dicitur extrinseca, ab aliis extrinseca partim, partim intrinseca; dicunt enim aliquid dextrum vel sinistrum denominari per suam entitatem à dextris positam vel sinistris, seu per entitatem suam in his vel illis circumstantiis, ita vt circumstantiæ, seu *dextra* vel *sinistra* alterius aliquo modo denominationem illam ingrediatur. Sed his fortè est de nomine. De Denominatiuis disputatum est in Introductione; quare hæc in præsenti sufficiant.

Alia denominatio dextri est partim intrinseca, partim extrinseca.

SECTIO III.

De Analogis in communi.

I. HÆc communiter assignatur Analogorum definitio, *Analoga sunt, quorum nomen est commune, ratio verò per nomen significata neque omnino eadem, neque omnino diuersa.* Quæ definitio colligitur ex Aristotele 4. met. cap. 2. & lib. 5. cap. 6. & alibi sæpius, item ex D. Thoma, 1. p. q. 13. art. 5. corp. & alibi: ad quam declarandam.

Definitio Analogorum.

II. Notandū, tria ab Aristotele & aliis statui Æquiuocorum genera. Primum eorum est quæ plura significant vt plura, seu vt omnino diuersa, quæ dicuntur Æquiuoca simpliciter. Secundò dicuntur quædam Æquiuoca vel Analoga *physicè*, *logicè* tamen loquendo sunt vniuoca, vt animal, quia ratio illa communis abstracta, quantum est ex se, æqualiter participabilis est ab inferioribus. Vnde diuersitas in solis exercetur differentiis, non in ipsâ ratione communi. Quo sensu capiendus est Aristoteles 2. Phys. tex. 31. dum ait, *sub genere latere Æquiuocationes*: nisi fortè de ambiguitate potius sit ibi intelligendus, quia audito nomine animal, dubitamus pro qua specie supponat. Tertiò loco ponuntur ea quæ nec vniuoca *logicè* sunt, nec Æquiuoca, sed medio quasi modo inter illa duo se habent, vocanturque Analoga absolutè, de quibus præsens procedit quæstio. Hæc tamen propiùs ad Æquiuoca accedunt, imò ab Aristotele subinde Æquiuoca dicuntur.

Tria sunt Æquiuocorum genera.

Sub genere latent Æquiuocationes.

III. Ad Analoga sicut ad Æquiuoca requiritur vt conuenientia & disconuenientia sit in ratione per nomen importatâ, in aliâ enim ratione vniuocè possunt conuenire, vt risus respectu hominis & prati Analogus est in ratione risus, at in ratione substantiæ vniuocè conueniunt pratum & homo. Imò ratio risus abstracta à solo risu hominum, & alia ratio abstracta à solo risu pratorum sigillatim sumptæ sunt vniuocæ.

Analoga sub vnâ ratione, sūt vniuoca sub aliâ.

IV. Analoga alia *propria*, quippe quæ rationem aliquam communem per nomen significatam propriè in se repertam habent, vt accidens & substantia verè in se continent rationem entis. Alia *impropria*, in quibus nimirum omnibus ratio per nomen significata non inest propriè, sed vni tantùm, nempe principali analogato propriè, cæteris impropriè solùm & metaphoricè, vt *risus* propriè vni inest homini, aliis rebus impropriè, *risus* quippe actus est potentiæ loco motiuæ ex admiratione ortus, quæ ratio licèt prato non conueniat, amænitas tamen prati aliquam cum eo proportionem habet, nam sicut homo ridendo bene sibi esse ostendit, seque oblectari, cùm risus sit index lætitiæ; ita pratum *ridere* dici potest quatenus amænitate suâ quandam quasi præ se fert lætitiam, ideoque *ridere* cum quâdam proportione dicitur ad risum hominis, vndè hæc ducta est metaphora.

Analoga alia propria, alia impropria.

Quid sit risus, & cui primariò conueniat.

V. Quod optimè more suo declarat S. Thomas 1. par. q. 13. art. 6. corp. his verbis, *Ridere dictum de prato nihil aliud significat, quam quod pratum similiter se habet in decore cum floret, sicut homo cum ridet secundùm similitudinem proportionis.* Hæc autem proportio Æquiuocis, quæ propriè talia sunt, non competit, Gallus enim non dicitur de incolâ Galliæ ob vllam cum gallo gallinaceo conuenientiam, quippe quam nullam habent illius regionis incolæ plus quàm cæteræ gentes, nec è contrà. Re igitur verâ nulla meo iudicio Æquiuoca censentur talia, nisi Æquiuoca *à casu*, vt vocant, quæ nimirum impositiones diuersas planè habent, ac disparata.

Hāc Analogiā optimè explicat S. Thomas.

VI. Hæc vocatur Analogia *attributionis*, quia licèt nomen sit commune, ratio tamen per nomen significata solùm est eadem per quandam *attributionem ad principale analogatum*, cætera enim rationem illam per nomen significatam propriè non participant, ideoque de his intelligitur, sicut & de Æquiuocis axioma illud Philosophorum, *Analogum per se sumptum stat pro famosiori.* Dum ergo dicimus *risus*, de risu semper intelligitur hominis, ab his proinde abstrahi vna ratio communis nequit, in qua verè conueniant, cùm nulla talis in ipsis reperiatur.

Hæc dicitur Analogia Attributionis.

VII. Sic *sanum* Analogum dici solet, præcipua tamen eius ratio principali tantùm est Analogato intrinseca, cæteris extrinseca; dicitur enim præcipuè de animali, estque tale temperamentum qualitatum, quam rationem sanitatis respicit in animali *medicina* vt causa, &

Principali tantùm Analogato inest præcipua ratio Analogiæ.

sa, & *pulsus* vt indicium. In eo igitur conueniunt duo hæc postrema, quod in obliquo sanitatem connotent animalis, quam causat prima, secundusostendit. Vnde in eorum definitione necessariò in obliquo ponitur sanitas animalis, vt *medicina est qua sanitatem causat animalis*: At in definitione sanitatis antonomasticè sumptæ seu animalis, nulla aliarum sanitatum fit mentio, definitur enim sanitas animalis, quod *recta sit humerum coordinatio, & qualitatum temperamentum*.

Quid sit sanitas.

VIII. Notandum verò ex S. Tho. 1. p. q. 13. ar. 6. corpore, aliqua priùs & principaliùs de creaturis dici quàm de Deo, ea scilicet quæ de Deo dicuntur metaphoricè, metaphorâ à creaturis ad Deum translatâ. Sic, inquit ille, nomen *leo* de Deo dicitur metaphoricè, & significat Deum fortiter se habere in suis operationibus.

Quaedã Analoga principaliùs de creaturis dicuntur, quã de Deo.

IX. Aliud Analogorum genus est, quæ Analoga vocantur proportionalitatis, *quorum nomen est commune, ratio verò per nomen significata proportionaliter eadem.* Ad quorum explicationem, Notandum, nomen *proportio* licèt tunc ad quamcunque habitudinem vnius rei ad aliam significandam extendatur, sicut & *proportionalitas* ad similitudinem quarumcunque duarum proportionum, propriè tamen significat habitudinem vnius quantitatis ad aliam, vt cum qui dicit *quatuor duplam habere proportionem ad Duo; proportionalitas* verò est proportio proportionum, vt cum dicimus, *sicut se habent quatuor ad duo, ita octo ad quatuor.* Vnde in Analogiâ *proportionalitatis* requiruntur ad minimum tres termini, imò nonnunquam inueniuntur quatuor, vt si dicatur, *sicut se habent octo ad quatuor, ita sex ad tria.*

Analogia Proportionalitatis.

Proportionalitas est proportio proportionum.

X. Hæc porrò Analogia, non semper tollit vniuocationem, vt in exemplo proximè allatis constat, vbi ratio dupli quaternario ounmero, cctonario & senario est vniuoca. Quando verò ratio significata metaphoricè taotùm est in altero, tunc tollitur vniuocatio, vt si quis dicat, *sicut se habet risus hominis ad hominem, ita risus prati ad pratum.*

Hæc Analogia non semper tollit vniuocationem.

XI. Tandem obseruandum in Analogiâ *proportionis*, seu attributionis impropriè duas interuenire impositiones, alteram circa primarium analogatum, alteram circa secundarium, inter se tamen subordinatas. In quo nihilominus differunt ab Æquiuocis merè à *casu*, quæ licèt duas similiter habeant impositiones, eas tamen temerè habent, & sine vlla subordinatione.

In quo Analogia Proportionis differat ab Æquiuocis.

DISPVTATIO XL.

De Analogia Entis.

SECTIO PRIMA.

An præscindi possit vna ratio, vel conceptus Entis.

I. Aliqui ne Ens vniuocum esse asserant, negant vnum ab eo abstrahi conceptum posse: ita ex Thomistarum scholâ non pauci: Caiet. Opusc. hac super re, Ferrar. 1. cont. Gentes, c. 34. Ban. 1. p. q. 13. ar. 6. Fons. etiam 4. met. q. 2. c. 2. §. 4. Vasq. 1. p. d. 22. c. 5. & d. 134. c. 2. n. 6 Rub. tract. de Analog. n. 37. & alij. Argumenta postea afferentur cum solutionibus.

Negãt aliqui posse abstrahi conceptum Entis.

II. Conclusio: Datur vnus conceptus formalis, & obiectiuus illi correspondens, abstractus ab omni ente reali, Deo, & creaturis, substantia accidente, & cæteris. Ita S. Tho q. 1. de verit. ar. 1. corp. Scotus cum suis, & est longè communior inter recentiores opinio: tenet eam P. Suarez. 2. met. d. 2. s. 1. & 2. P. Hurt. d. 9. log. s. 4. subs. 2. & d. 2. met. s. 5. P. Arriag. d. 11. log. s. 1. subs. 2. saltem quoad conceptum formalem.

Datur vnus conceptus Entis communis Entibus omnibus realibus.

III. Prima pars conclusionis constabit ex probatione secundæ, nam si obiectum actui correspondens sit vnus aliquis conceptus obiectiuus, non est cur conceptus formalis, seu actus non sit vnus.

IV. Secunda itaque conclusionis pars, quod vnus detur conceptus obiectiuus entis, probatur primò, nam licèt vbi ratio per nomen Analogum significata propriè & intrinsecè non inest omnibus Analogatis, vna abstrahi ratio communis omnibus non possit, quia veram in eâ ratione conuenientiam non habent (quæ tamen iuxta omnes fundamentum est abstractionis conceptus alicuius communis) at vbi ratio significata inest omnibus verè & propriè, non est cur abstrahi ab illis eiusmodi conceptus nequeat. Confirmatur primò, secundùm Dialecticos datur analogia propria, in ea scilicet analogatis omnibus fit propriè ratio per nomen importata, quod tamen auctores hi negare coguntur, si enim concedatur, non est cur ea ratio abstrahi non possit, cùm considerari possit non consideratis particularibus rationibus, in quibus discrepant. Confirmant secundò, nam à Dialecticis similiter omnibus Analogia in Analogiam attributionis diuiditur, & conceptus communis, at iuxta hanc sententiam secundùm hoc membrum tollitur, vt constat, ergo.

Ratio est quia illa omnia veri conueniunt in ratione Entis.

Analogia conceptus communis.

V. Probatur secundò, *Ens* etiam iuxta aduersarios transcendit substantiam & accidens, eùm sit vnum ex transcendentibus voce illa *Res* comprehensis, ergo ratione distinguitur à substantiâ & accidente, patet consequentia, substantia non transcendit, accidens & substantiam, sicut nec accidens transcendit substantiam & accidens, cum id quod aliud transcendit, vltimis eius differentiis ratione nostrâ esse debeat intrinsecum, substantia autem realiter & intrinsecè inclusa non est in vltimâ differentiâ accidentis, nec è contrâ, ergo conceptus Entis, qui est conceptus transcendens, non est conceptus substantiæ & accidentis, ergo aliquid ipsis superius & latius patens, & quod vtrique tanquam ratio communis conueniat.

Ens transcendit substantiã & accidens, ergo potest ab eis abstrahi.

VI. Dices, conceptus Entis dicit *substantiam vel accidens*, ac propterea eo quod transcendit, omnia enim vel substantia sunt vel accidens. Contrà, ergo *rationale vel irrationale, spirituale vel materiale* erunt termini transcendentes, nihil enim est quod non vel spirituale sit, vel materiale, rationale vel irrationale. Dices secundò. Ens immediatè & formaliter dicit accidens & substantiam. Contrà, &

Conceptus Entis non est substãtia vel accidens.

VII. Tertiò probatur conclusio, hæc est verâ prædicatio, *substantia est Ens*, ergo Ens non dicit immediatè & formaliter substantiam & accidens, si enim animal formaliter & explicitè rationale diceret & irrationale, prædicari de homine non posset, quia prædicatum in se homini repugnans includeret, qua de causâ nec viuens de lapide prædicatur nec animal de plantâ. Confirmatur, Ens est de intrinseco & quidditatiuo conceptu substantiæ, sed accidens non est de intrinseco & quidditatiuo conceptu substantiæ, ergo Ens in suo formali conceptu non includit accidens. Quod idem argumentum formari de substantiâ posset respectu Accidentis, licèt enim dicere, *substantia est Ens*, non tamen *substantia est accidens*.

Hæc prædicatio est vera substantia est Ens, ergo Ens nõ dicit formaliter Accidens.

SECTIO

SECTIO II.

Argumenta contendentia abstrahi non posse vnum conceptum Entis.

I. *Obij. non posse Ens abstrahi à Differentiis cù semper in iis maneat.* OBijcies primò; non potest Ens abstrahi à differentiis, ergo dari nequit vnus conceptus Entis, consequentia est clara. antecedens probatur, Ens necessariò manet in differentiis, ergo non potest ab iis abstrahi. Antecedens constat, nam differentiæ quantumcunque abstractè concipiantur, sunt Ens reale, nam vel aliquid sunt vel nihil, secundum dici non potest, Ens enim reale non constituitur intrinsecè per nihil seu negationem, ergo vltimæ differentiæ sunt formalissimè Ens, vt Ens distinguitur contra nihil seu non Ens & Chimæram.

II. *Resp. hoc solum probare Ens abstractione mutuâ nõ posse abstrahi à Differentiis.* Respondeo distinguendo primum antecedens, non potest Ens abstrahi à differentiis præcisione mutuâ, transeat antecedens; præcisione non mutuâ, nego: licèt enim differentiæ vltimæ quantumcunque abstrahantur, concipi nequeant quin formalissimè in se includant *Ens*, concipi tamen Ens potest illis non conceptis, & licèt *perseitas* in substantiâ & *inaleitas* in accidente necessariò in vltimo & formalissimo suo conceptu includant *Ens*, nec concipi sine eo possint, conceptus tamen Entis ea formaliter non includit, nec enim quando concipimus Ens, substantiam concipimus aut accidens, sed vnam aliquam rationem vtrouis latiùs patentem, & cum neutro ex iis conuertibilem; quod signum est prædicati superioris, conceptus enim æquales conuertuntur, vt, *est homo, ergo animal rationale: est animal rationale, ergo homo.*

III. *Ostenditur dari posse abstractionem non mutuam.* Quod verò dari præcisio possit non mutua, præter dicta tractatu de distinctionibus, ostenditur primò in *animali*, quod licèt præscindi ab *homine* possit, non tamen è contrà, quia *homo* in ratione suâ formali essentialiter includit *animal*. Idem in physicis est de corpore, quod concipi potest sine homine, homo sine corpore non potest. Hoc tamen inter distinctionem inadæquatam realem interest & rationis, quod in reali distinctione quando vnum inadæquatè distinguitur à toto in quo continetur, distinguitur adæquatè ab aliera comparte: in distinctione verò rationis hoc non semper contingit, licèt enim *animal* inadæquatè ab *homine*, & adæquatè distinguatur à *rationali*, in *Ente*, tamen secus res se habet, quamuis namque *Ens* à substantiâ vel accidente distingui per rationem possit inadæquatè, non tamen adæquatè ab aliâ quasi comparte seu differentiis, sed intimè in iis semper imbibitur, quæ proinde sine Ente concipi omnino non possunt, licèt Ens concipi possit sine iis.

IV. *Quo sensu Ens creat non sit Ens respectu Increati.* Obijcies secundò; Ens creatum collatum Increato non est Ens, sed vmbra tantùm Entis, ergo ratio vna Entis Enti creato & increato communis non magis abstrahi potest, imò multo minùs, quàm vna ratio *sani sanu* omnibus communis, vel *risus risui* hominis & prati. Respondeo, primum antecedens, si sumatur in rigore metaphysico, esse falsum, tam enim propriè in homine & aliis rebus creatis ratio Entis reperitur, quàm in Deo, propriè enim illud omne est Ens, quod verè & propriè existit, vel existere potest.

V. *Solus Deus est necessariò, & per essentiam.* Locutiones igitur huiusmodi non rigorosè accipiendæ sunt, sed solùm quoad modum loquendi. Dum ergo dicitur solum Deum *esse*, sensus est, illum *esse* per essentiam seu necessariò, modoque perfectissimo, independenter scilicet ab omni alio, resque in se omnes creatas tanquam veram earum causam eminenter continere. His tamè non negatur res creatas *esse*, entitatemque à Chimærâ & negationibus distinctam habere. Sicut cùm dicitur, *nemo bonus nisi solus Deus*, sensus non est bonitatem omnem in Angelis & hominibus repertam metaphoricam merè esse & vmbratilem, sed bonitatem Diuinam quodquid boni est in creatoris infinitis gradibus excedere. *Nemo bonus nisi solus Deus.*

VI. *Obij. si Ens abstrahatur à differentiis sequi processum in infinitum.* Obijcies tertiò; si detur ratio Entis ab inferioribus præcisa, sequi quamlibet particularem rationem esse compositam ex particulari ratione & ratione illâ communi, sicque processus dabitur in infinitum, nullusque omnino conceptus erit irresolubilis, illa enim particularis ratio est *Ens*, sicque ab illâ abstraheretur ratio *Entis*, & relinqueretur ratio *talis entis*, iterumque ab illâ eodem modo fieret abstractio, & sic in infinitum. Confirmatur, ex hoc sequitur genera generalissima non esse conceptus simplices, sed metaphysicè compositos.

VII. *Ostenditur nullâ hinc sequi processum in infinitum.* Ad argumentum respondeo, nullum hîc sequi processum in infinitum, ratio enim Entis abstracta ab aliquibus differentiis eâdem operâ abstrahitur ab omnibus, vnde quando denuò fit abstractio, non abstrahitur noua aliqua ratio Entis, sed eadem, nec à nouis differentiis sed ab iisdem, nam antea abstrahebatur ab omnibus, considerabat enim ens nullâ consideratâ differentiâ, quod est abstrahi ab omnibus. Ad confirmationem negatur sequela, cum enim Ens vltimas particularium Entium differentias transcendat, substantia, verbi gratiâ, non componitur compositione metaphysicâ ex ratione communi Entis & modo *per se*, compositio enim metaphysica, propriè talis, partem petit extra partem, modus autem ille *per se* quæ est differentia substantiæ, includit essentialiter *Ens*, quod ipsum transcendit vt diximus, & infrà clariùs constabit. *Substantia propriè non componitur metaphysicè.*

VIII. *Obij. si Ens abstrahatur à differentiis, abstrahetur à seipso. Resp. posse Ens abstrahi à suo contractio.* Obijcies quartò; si abstrahatur vnus conceptus *Entis*, abstrahetur etiam à seipso, sed hoc implicat, ergo: Maior probatur, abstrahitur à differentiis, sed differentiæ formalissimè secundùm vltimum sui sunt Ens, ergo si abstrahatur à differentiis, abstrahetur à seipso. Respondeo primò, distinguendo maiorem, abstrahetur à se contracto, seu à toto in quo ipsum essentialiter includitur, transeat maior; à se eodem modo accepto, nego: id verò quoad hoc non maiorem continet difficultatem, quàm quod *animal* abstrahatur ab *homine*, ibi enim consideratur in vno statu animal, scilicet abstractionis, ipso non considerato sub alio, nempe contractionis, non enim solùm abstrahitur animal à rationali, sed etiam ab homine, vt suprà in materiâ de præcisionibus, & vniuersali vidimus ex S. Thoma.

IX. *Resp. secundò, Ens non abstrahi omnino à seipso.* Responderi posset secundò, negando maiorem, ad probationem, distinguo minorem, differentiæ secundùm vltimum sui sunt *Ens tantùm*, nego minorem; sunt *Ens contractum*, concedo: falsum enim est conceptum *per se* vel *in alio*, quæ differentiæ sunt substantiæ & accidentis, nihil dicere præter Ens, sicut falsum similiter est hominem nihil dicere, vel nihil in se habere aliud præter *Ens*, conceptus enim *Entis* conceptus tantùm est potentis existere, sed certum est alios esse conceptus in homine præter posse existere.

X. *Quidquid est in homine vel equo est Ens, sed nõ Ens tantùm.* Dices, in homine vel equo nihil est quod non sit formalissimè Ens. Distinguo, quod non sit formalissimè *Ens tantùm*, nego: quod non sit Ens simul cum alio conceptu, seu quod non sit *Ens contractum*, concedo. Imò hoc ipso quòd dicitur Ens contractũ, significat esse aliquem alium conceptum, qui sit extra conceptum *Entis*, licèt Ens non sit extra conceptum illius. Abstrahitur ergo *Ens* à differentiis abstractione tantùm inadæquatâ, estque semper abstractio includentis & inclusi, *animal* verò licèt abstrahatur etiam

iam ab *homine* per abstractionem includentis & inclusi, seu inadæquatam, à *rationali* tamen abstrahitur abstractione adæquatâ, ita vt vtrumque considerari sine se mutuo possit.

SECTIO III.

Vtrum transcendentia constituat Analogiam conceptus communis.

I. *Prima sententia est negatiua.*

NEgat P. Arriag. d. 11. log. s. 3. subs. 1. & multi ex recentioribus, qui proinde cum Scoto rationem *Entis* abstractam vniuocam Deo statuunt & creaturis, substantiæ & accidenti.

II. *Transcendentia est duplex, re, & ratione.*

Notandum, transcendentiam esse duplicem, re, & ratione. Illa, quæ & transcendentia realis dicitur, omni illi conuenit, quod cum alio à parte rei identificatur, sic *animal* differentiam *rationalis*, *rationale animal* transcendit. Transcendere ratione, seu secundùm rationem, illud omne dicitur, quod ita se habet, vt nullus nec ratione præscindi conceptus possit, in quo formaliter non inuoluatur. Talis est conceptus *Entis* respectu omnium differentiarum, quantumcunque enim præscindantur, in suo semper conceptu conceptum *Entis* inuoluunt, quantumcunque enim præscindantur, sunt aliquid formaliter, cùm non sint nihil. Quod non ita contingit in *animali* respectu *rationalis*, hæc enim, vt dixi, adæquatè sunt inuicem extra conceptum sui. Ex quo fit, vt inter animal & rationale, seu genus & differentiam compositio dari possit metaphysica, non tamen inter *ens* & *differentias*, quia per compositionem propriam addi aliquid ei debet quicum componit, quod in illo antea formaliter non erat, at cum differentiis addimus conceptum entis, nihil addimus quod in ipsis non formaliter inclusum antea habebatur.

III. *Ad Analogiã conceptus cõmunis sufficit Transcendentia.*

Conclusio: Ad Analogiam conceptus communis sufficit transcendentia, quæ proinde tollit vniuocationem. Ita Vasq. 1. p. d. 22. c. 5. Fons. 3. met. in comment. c. 3. tex. 10. Hurt. d. 9. log. s. 4. subs. 5. & alij. In hanc etiam sententiam inclinare videtur P. Sua. sequenti conclus. citandus. Probatur primò ex Aristotele 3. met. tex. 16. dicente, *ens non esse genus, quia includitur in modis contrahentibus illud*. Ex quibus verbis Aristotelis infertur primò, secundùm Aristotelem alio modo includi *ens* in modis seu differentiis vltimis, quam *animal* in suis modis & differentiis, rationali scilicet & irrationali, & aliam dari transcendentiam quàm realem. Infertur secundò, iuxta Aristotelem transcendentiam hanc seu inclusionem per rationem tollere vniuocationem conceptus communis, & constituere Analogiam. S. Thomas etiam

Est sententia Aristotelis

Et sancti Thomæ.

de verit. ar. 1. corp. dicit *non posse addi enti aliquid quasi extraneum, ad modum quo differentia additur generi, quia qualibet natura essentialiter est ens*. Ex quo & aliis locis similibus S. Thomæ efficitur iuxta mentem ipsius alio modo *ens* includi in differentiis, & eas transcendere, quam *animal* includit, & transcendit suas, *rationale* scilicet & *irrationale*.

IV. *Ratio à priori est, quia cõceptus Entis est partim idem, partim diuersus.*

Ratio à priori est, quia ratio Analogiæ in hoc consistit, *quod conceptus abstractus sit partim idem, partim diuersus, prout eo nomine significatur*, sed ratio *entis* est partim eadem, partim diuersa, prout eo nomine significatur, idque ob transcendentiam, ergo transcendentia constituit Analogiam: maior est definitio rationis Analogæ; minor probatur, ratio *entis* abstracta est eadem, vt fatentur aduersarij nam in eâ sic consideratâ nulla apparet diuersitas, rursus, in formali conceptu & ratione entis contractâ differunt res omnes, vt substantia & accidens &c. nam id per quod formaliter ratione nostrâ differunt, est ens: ergo formaliter conueniunt omnia in *ente*, & in *ente* formaliter differunt, conueniunt in ratione *entis* abstractâ, differunt in eâdem contractâ, sicque nomen est vnum, & res per nomen significata, partim eadem, partim diuersa.

V. *Ratio Entis ob differentias quibus includitur, est formalissimè inæqualis.*

Confirmatur, eo ipso quod ratio *entis* transcendat, & necessariò ratione nostra includatur in vltimis differentiis substantiæ, & accidentis, est de essentiali & quidditatiuo differentiarum illarum conceptu, & consequenter si illæ differentiæ sunt inæquales, ratio *entis* formalissimè inæqualis sit necesse est, & diuersa, cum illæ vt inæquales & diuersæ sint *entia* formaliter, cum ens in omni illarum prædicato necessariò formaliter inuoluatur.

VI. *Ostenditur vlterius conceptum Entis esse formaliter inæqualem.*

Secundò probatur conclusio: in hoc differunt prædicata transcendentia à non transcendentibus, quod transcendentia in inferioribus, seu contracta efficiantur intrinsecè & formaliter inæqualia, cum enim vltima ratio per quam substantia differt ab accidente, sit formaliter *ens*. si illa differentia intrinsecè sit & quidditatiuè perfectior, ratio etiam entis in illâ secundùm vltimam eius rationem inclusa, necessariò erit perfectior, vnde si differentiæ substantiæ & accidentis sint inæquales, ratio etiam entis in illis erit inæqualis, sicque est partim eadem, partim diuersa.

VII. *Vltima differentia sunt in ratione Entis inæquales.*

Dices, differentiæ substantiæ & accidentis sunt intrinsecè & quidditatiuè inæquales, non tamen in ratione entis. Contrà, si differant & sint inæquales secundùm particulares suas differentias, & hæ etiam secundùm vltimum sui sint *ens* formalissimè, necessariò differunt, & sunt inæquales per *ens* formalissimè, ac proinde *ens* etiam ratione nostrâ in ipsis est inæquale.

VIII. *Non tamen hinc sequitur rationem Animalis esse analogam.*

Dices, ergo ratio *animalis* erit partim eadem, partim diuersa eo modo quo *ens*. Nego consequentiam, animal enim etiam vt contractum non est de quidditatiuo conceptu differentiarum, quippe quæ in cõceptu suo intrinsico & quidditatiuo, seu secundùm rationem in qua differunt, non inuoluunt animal, & consequenter ratione nostrâ non differunt per animal, sicque ratio animalis formaliter non est partim eadem partim diuersa, cùm non exerceatur diuersitas formaliter in ratione per nomen animalis significatâ, quod tamen ad Analogiam requiritur.

IX. *Alio modo fit compositio Generis & Differentia, alio modo compositio Entis.*

Compositio ergo generis & differentiæ ad modum fit compositionis materiæ & formæ, vbi licèt forma perficiat intrinsecè materiam, non tamen est de quidditatiuo eius conceptu: sicut ergo materia dici potest intrinsecè magis à formâ viuentis perfici, vel animâ rationali, quàm à formâ cadaueris aut aliâ ignobili, sic conceptus animalis perfectior est intrinsecè dum ad rationale contrahitur, quàm ad irrationale, non tamen perficitur in ratione animalis, sed per aliquid extraneum, vt loquitur S. Thomas suprà, quod nimirum tam est extra ipsum metaphysicè; quàm forma extra materiam physicè; quod tamen longè aliter contingit in *ente*, vt ostensum est.

X. *Obij. hinc inferri Animal formaliter differre à Bruto.*

Hinc clarè soluitur quod opponit P. Arria. citatus, num. 25. si enim hæc argumentatio valeat, *Differentia formaliter sunt ens, sed differentia differunt formaliter, erga differunt formaliter in ratione entis*: hæc etiam, inquit, argumentatio valebit, *Homo formaliter est animal, sed homo formaliter differt à bruto, ergo animal formaliter differt à bruto*, quæ tamen consequentia est falsa, ergo & præcedens.

XI. *Ostenditur illã argumentationẽ nõ omnino facere contrà nos.*

At quis non videt hoc contra nos non facere? illa enim maior propositio non est qua nos in nostrâ argumentatione vtimur, sed hæc, *Differentia secundùm vltimum sui sunt ens*, minor, *sed differentiæ secundùm vltimam sui differunt*, euidenter sequitur, *ergo differunt in*

ratione

ratione entis. Iam si simili formâ proponatur aliud argumentum, videbimus quam vim habeat: *Homo secundùm ultimum sui est formaliter animal*, falsa primo statim aspectu apparet hæc propositio, cùm enim secundùm ultimum sui homo sit rationalis, sensus esset, *homo ut rationalis est formaliter animal*, quod secundùm omnes est falsum: at admissâ transcendentiâ, differentiæ sunt formaliter ens etiam quoad ultimũ sui, & hæc propositio est vera, *perseitas est formaliter ens*, hæc falsa, *rationale est formaliter animal*, cuius sola ratio est quòd animal non transcendat rationale, seu suas differentias, sicut ens transcendit suas.

XII. *Non obstat quod Differentiæ sint ens & aliquid aliud, cùm illud aliud sit formalissimè ens.*

Opponit idem secundò, n. 26. Differentiæ sunt ens, & aliquid aliud, ergo licèt differant formaliter, non sequitur differre per ens, sed per illud aliud. Distinguo antecedens, differentiæ sunt ens & aliquid aliud, quod aliud sit formalissimè ens, concedo antecedens; quod non sit formalissimè ens, nego. Sicut si rubet color in ultimâ etiam differentiâ includeret formaliter seu ratione nostrâ rubedinem, à quocunque diff[erret], per rubedinem differat necesse est. Unde negatur consequentia, si enim illud aliud quantumcunque præscindatur, sit formalissimè ens, si per illud differant, differunt necessariò in ratione *entis*. Aliter res se habet in animali & rationali, ut dictum est, homo enim ita est animal & rationale aliud, ut illud aliud nempe rationale, non sit formaliter animal.

SECTIO IV.

Utrum ens transcendat differentias, ubi an abstrahi una ratio entis possit ab ente reali & rationis.

I. *Ens, etiam ratione nostrâ, transcendit ultimas cuiusque rei Differentias.*

Dicendum, ens non realiter tantùm, seu à parte rei, sed etiam ratione nostrâ differentias omnes transcendere: ita Aristoteles sec. præcedente citatus dicens, *ideo ens genus non esse quia in modis includitur illud contrahentibus*, quod de aliâ transcendentiâ quàm reali intelligi necessariò debet, alioqui nec animal esset genus. Idem, citans Aristotelem, clarissimè docet Doctor Angelicus q. 1. de verit. art. 1. corp. ubi sic habet, *illud quod primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resolvit, est ens*, & alia in hanc ipsam rem ibidem plurima adiungit.

II. *Ratio est, quia Differentia ultima sibi formalissimè ens reale.*

Ratio à priori: *perseitas* secundùm ultimum sui est quid reale, & oppositum Chimæræ, ergo formalissimè in se includit ens. Antecedens probatur, habet in se prædicatum repugnans Chimæræ, ergo: antecedens probatur, habet quod sit proximè constitutivum substantiæ, sed nulla Chimæra hoc habet, ergo habet prædicatum repugnans Chimæræ, ergo *perseitas* formalissimè est quid reale, sicque in se involuit ens.

III. *Dicunt aliqui Differentias præscindere ab ente reali, & rationis.*

Recentiores aliqui, ut huius vim argumenti declinent, perseitatem nihil in formali suo conceptu includere aiunt reale, sed esse conceptum præscindentem à perseitate reali & rationis, æqualiter de utraque prædicabilem: & idem affirmant de *Ente*, quod commune & enti reali esse volunt & rationis.

IV. *Ostenditur non posse abstrahi unam rationem Entis ab ente reali & rationis.*

Sed contrà primò, in entibus rationis nec vera ratio *entis* nec *perseitatis* invenitur, sed solùm metaphorica, ergo ab iis & entibus realibus una entis vel perseitatis abstrahi ratio nõ potest, quod enim à pluribus abstrahitur, in omnibus verè reperiri & propriè debet. Confirmatur, ideo secundùm Philosophos omnes à *risu* hominis & prati una abstrahi ratio nequit, quia *risus* non verè in prato, sed metaphoricè tantùm reperitur, sed in entibus similiter rationis vera ratio *entis* aut *perseitatis* non invenitur, sed solùm metaphorica, ergo. Confirmatur secundò, hinc namque sequitur nulla esse Analoga attributionis, nec æquivoca, saltem à consilio, hicque *canis* respectu cæl[e]stis & terrestris, *homo* respectu veri & picti, termini erunt univoci, quidni enim æquè homo verus cum homine *picto* univocè conveniet, ac cum *ficto* seu Chimærico?

V. *Sequeretur unam rationem Dei abstrahi posse à Deo vero & fictis.*

Contrà secundò, hinc enim sequeretur unam rationem *Dei* à *Deo vero* & falsis seu fictis abstrahi posse, sed hoc est falsum, ergo: sequela est clara, æquè enim ratio *Dei* Diis competit fictitiis, ac ratio entis entibus fictitiis. Quòd autem hoc sit falsum, constat, Dii enim ficti non sunt omnino Dii, sic namque semper loquuntur Prophetæ, Deum enim aiunt esse solum Deum, solum bonum, solum omnipotentem, sanctum, iustum, & similia.

VI. *Notio Dei non competit alteri, quàm vero Deo.*

Dices, verum quidem id esse de *Deo* de quo loquuntur Prophetæ, non tamen de omni eo de quo id Logici affirmant. Contrà, ergo alius est *Deus* Prophetarum, alius *Deus* Logicorum, eorum, inquam, qui alteri quàm *Deo vero* Dei notionem tribuunt. Nostra verò sententia eundem cum Prophetis colit Deum, nec alium agnoscit. Contrà secundò, docent passim Scripturæ alios omnes præter *verum Deum* non esse Deos, ergo ratio Dei ab iis abstrahi non potest.

VII.

Dices, volunt Scripturæ non esse eos veros Deos, non tamen omnem iis Dei notionem abrogant. Contrà, idem in Scripturis semper sonat *Deus* & *Deus verus*, nec unquam aliud quidquam Deus vocatur nisi cum addito *Deus fictitius*, sicut nec quidquam ens simpliciter dicitur nisi verum, nec risus, nisi risus hominis.

VIII. *Quis sit sensus huius propositionis. Hic Deus est Deus.*

Contrà tertiò, in adversariorum principiis, quorum plerique universale ex pluribus, vel omnibus singularibus compactum esse volunt, hæc propositio *Dominus*, vel *hic Deus est Deus* hac deberet ratione resolui, *hic Deus est vel verus Deus, vel Iupiter, vel Mercurius, vel alius quispiam ex illâ priscorum Deorum farragine*, sicut hæc propositio *Petrus* seu *hic homo est animal*, sic ab iis resoluitur, *est vel homo, vel equus, vel mus, vel leo, vel aliud quodpiam ex animalibus*, quàm verò bene hoc sonet, & dignè Deo, aliis iudicandum permitto.

IX. *Ostenditur utrius ens transcendere differentias.*

Probatur secundò, ens transcendere differentias. *Per se* & *in alio* seu *perseitas* & *inaleitas* quæ sunt differentiæ substantiæ & accidentis, non sunt compositæ metaphysicè, si enim essent composita metaphysicè, & rationem haberent in quâ conueniunt, & rationem in quâ differunt, non essent conceptus simplices & individuabiles, magis quàm homo, animal, aut substantia, nec essent primò diuersa, nec *se totis*, seu seipsis different, *se totis* enim differre est nullam habere rationem in qua conueniunt, in qua etiam non differant. Non enim ideo dicuntur aliqua primò diuersa quòd in nullo prædicato conueniant, hoc namque in nullis omnino rebus realibus reperitur, cùm nullæ sint quæ non conueniant saltem in ratione entis, sed quòd nullum habeant in se prædicatum per quod cum aliis rebus conueniant, in quo etiam ab eisdem non differant, quod tamen cum conuenientiâ persistit, si non perfectâ & vnivocâ, cum imperfectâ saltem & analogâ: si ergo sint conceptus simplices & *se totis* differant, non possunt unum habere conceptum in quo conueniant, & alium adæquatè distinctum in quo differant, ut est manifestum, sic enim per aliquid tantùm sui differrent, & non *se totis*: ergo ens in ultimo conceptu *perseitatis* & *inaleitatis* imbibitur, & hæ non sunt conceptus ab ente adæquatè distincti.

Quid sit aliqua esse primò diuersa.

SECTIO

SECTIO V.

Resoluitur quæstio circa Analogiam Entis.

I. *Ratio entis abstracta est Analoga.*

PRima conclusio : Ens analogum est non vniuocum. Ratio est, quia vt duabus præcedentibus sectionibus ostendi, transcendit differentias, transcendentia autem tollit vniuocationem, & constituit Analogiam, facit enim vt in re per nomen significatâ exerceatur diuersitas, vt iam probatum est.

II. *Hæc Analogia, etiã in ipsâ ratione entis abstractâ relucet.*

Secunda conclusio : Hæc Analogia etiam in ratione entis abstractâ aliquo modo cernitur. Probatur, omne superius respicit inferiora, ergo conceptus omnis communis seu superioris mensura, penes ordinem quem ad inferiora dicit, est desumenda: sic vt sciamus res aliqua genus sit an species, videndum quænam & quo ordine respiciat inferiora, si enim inferiora respiciat numero tantùm distincta, de quibus prædicetur in quid, est species; si respiciat inferiora specie distincta, est genus, & sic de cæteris. Cũ ergo conceptus entis diuerso modo inferiora respiciat, quàm animal, vel vllum aliud genus, erit Analogum. Diuersus autem hic modus est, quòd ens inferiora respiciat tanquam ratio postulans transcendere ratione nostra vltimas eorũ differentias. Quare Angelus videns in actu præscindente rationem entis abstractam, diuerso eam modo videt inferiora respicere quàm animal, & hoc habere prædicatum peculiare, quòd petat ratione etiam nostrâ, vt diuersa sit in inferioribus formaliter : quod diuersum est prædicatum ab omni ratione vniuoca, quæque in ipsa ratione entis relucet.

III. *Quo modo conceptus Analogus debeat esse partim eadem, partim diuersus.*

Dices, ratio Analoga debet esse partim eadem, partim diuersa, prout eo nomine significatur, sed ratio entis abstracta non est partim eadem, partim diuersa, sed omnino eadem, ergo. Respondeo distinguendo maiorem, debet esse partim eadem partim diuersa actu, prout illi conceptui obiicitur, nego maiorem; debet vsse actu eadem, & aptitudine etiam ratione nostrâ diuersa concedo & eodem modo distinguendâ est minor.

IV. *In ipsâ ratione entis abstractâ relucet Analogia.*

Ad Analogiam ergo sufficit, quòd huiusmodi sit conceptus qui ratione nostrâ diuersus esse petat in inferioribus, hæc enim exigentia cùm sit respectus essentialiter diuersus ab omni respectu conceptus vniuoci (vtpote qui hoc non petit, imò essentialiter petit contrarium) sufficiet ad constituendum diuersum essentialiter conceptum à conceptu vniuocorũ. licèt verò non semper sciamus ens, aut aliud Analogum inferiora diuerso modo respicere ab vniuocis, nisi illud ad ea comparando, non tamen inde sequitur non respicere illa diuerso modo, sicut genus abstractum diuerso modo sua respicit inferiora, quàm species, aut differentia, licèt id non sciamus nisi ad ea inferiora comparemus. Aliud ergo est esse Analogum, aliud sciri esse Analogum, sicut aliud est sciri esse aliquid genus, speciem, vel differentiam, aliud esse.

V. *Idipsum clarius adhuc declaratur.*

Non itaque in ente tantùm per differentias contracto, sed in ipsâ etiam ratione communi entis abstractâ, apparet aliquid, ratione cuius dici potest analogia, etiam in ipso conceptu cõmuni. Quod præter dicta, vlteriùs sic declaratur : *Verba in definitionibus non actum significant, sed potentiam*, vnde licèt definitio Analogorum sit *quorum nomen est commune, ratio verò substantia per nomen significata partim eadem, partim diuersa*, intelligendum id est, non quòd necessariò ratio illa actu diuersa sit, sed potentiâ, & sensus est, rationem Analogam illam esse, quæ aptitudine diuersa est formaliter ratione nostrâ in inferioribus, quod non competit vniuocis, imò petunt, vt dixi, oppositum, exigunt enim vt diuersitas ratione nostrâ non in ratione per nomen vniuocum importatâ exerceatur, sed per alium conceptum extraneum, vt ostensum est sec. 3. & 4.

SECTIO VI.

Soluuntur obiectiones contra Analogiam entis.

OBiicitur primò; in ratione entis abstractâ nulla apparet diuersitas vel inæqualitas, ergo est vniuoca. Distinguo antecedens, nulla apparet diuersitas actualis, transeat antecedens; aptitudinalis, nego: hæc autem ad analogiam sufficit, vt diximus, cùm diuerso essentialiter modo sua respiciat inferiora, quàm conceptus vllus vniuocus respiciat sua, nempe petẽs transcendere vltimas eorum differentias, atque ratione nostrâ in illis diuersa esse & inæqualis secundùm rem per nomen significatam. Non est autem opus actualem diuersitatem in ipsâ cerni ratione communi vt abstractâ, *verba* enim *in definitionibus*, vt dixi, *non actum significant, sed aptitudinem*, vt dictum est sectione quarta. Apparet tamen, etiam in ratione communi sufficiens diuersitas ad Analogiam, nempe aptitudinalis. Respondeo secundò, rationem illã entis in statu abstractionis Analogam esse partialiter, id est, habere alteram Analogiæ partem, nempe vt sit eadem, adæquata autem Analogia requirit vt ratio per nomen significata sit partim eadem, partim diuersa ratione nostrâ, illud habet ratio entis in *statu abstractionis*, hoc *in statu contractionis*, & in hoc differt ab animali & aliis generibus, vt ostensum est sectione tertiâ & quartâ.

I. *Obiicitur: ratione entis abstractâ nulla apparet diuersitas.* *Resp. apparere diuersitatem aptitudinalem.* *Secundò dico sufficere quòd contracta, sit ratione nostrâ diuersa.*

II. *Obiic: non debere hic procedi in infinitum, sed perueniendum tandem ad aliquid, quod nõ sit ens, sed modus entis.*

Obiicit secundò, Scotus in 1. dist. 3. qu. 3. vltimæ differentiæ cuiusque rei non sunt ens, ergo falsum supponimus dum ens asserimus esse Analogũ, quia transcendit vltimas differentias. Antecedens probat, hoc differt compositio metaphysica à physicâ, quòd hæc resolui in suas partes possit, materiam scilicet & formam, quæ tamen non sunt in alias similes resolubiles, illa autem in alias similes resolui potest, vt homo resoluitur in animal & rationale, vbi animal vlteriùs in suum resolui genus & differentiam potest. In hac tamen, inquit, compositione non est in infinitum procedendum, perueniri ergo tandem ad aliquas differentias debet, quæ non sint ens, sed modi tantùm entis, & medium inter ens & nihil, seu quæ sint id tantùm quo aliquid est ens, ac proinde sunt ens *vt quo*, non *vt quod*. Confirmatur, sumo duas differentias vltimas seu modos entis, vel conueniunt in ratione entis, & tunc in alio differunt, sicque non sunt vltimæ; vel in ratione entis non conueniunt, adeoque non includunt in se ens: hinc ergo conficitur, ens vltimas differentias non transcendere.

III. *Resp. non procedi hic in infinitũ, cum non abstrahatur noua formalitas entis, sed eadem.*

Ad argumentum simul & confirmationem Respondeo, nullum hic sequi processum in infinitum, licèt enim differentiæ vltimæ seu modi conueniant in *ente*, ac proinde abstrahi ab iis possit ratio *entis*, nõ tamen ita, quin formalissimè ratione nostrâ in iisdẽ adhuc maneat, ac proinde non est præcisio adæquata, seu mutua, sed solùm inadæquata: vt autem processus daretur in infinitum, noua abstrahi deberet ratio quæ antea nõ fuerat abstracta, & ab aliquibus saltem formaliter à quibus antea non fuerat abstracta, vt in homine contingit, à quo abstrahimus *animal*, deinde ab animali *viuens*, à viuente *corpus*, & sic de cæteris, vbi relinquimus differentias planè extra conceptum generum, vt latiùs explicatum est sec. 2. in solutione 3. obiectionis.

Ad

IV. *Implicat vt existat aliquid à parte rei, quod tantum sit ens vt quo.*

Ad id quod additur, differentias vltimas, esse *ens vt quo*, est implicatio in terminis, quidquid enim existit, est aliquid, & consequenter *ens vt quod*, nempe quod tam veram habet existentiam atque quidquã aliud, vnde est tam propriè ens atque aliud, ens enim idem sonat ac potens existere. Deinde modificatio est quoddam exercitium, quod proinde fundatur in ente, quod primus semper est cuiusque rei conceptus, & cuiuscunque exercitij, priùs enim est existere quàm quocunque modo operari. Vltimò & præcipuè, si modi isti seu differentiæ vltimæ entis sint entia tantùm *vt quo*, ergo conceptus quibus tribuunt denominationem entis, vt ab his modis distincti, nec sunt *ens vt quod*, nec *vt quo*: non *vt quo*, quia non sunt hi modi, non *vt quod*, quia hoc habent formaliter secundùm hanc opinionem à modis, seu ente *vt quo*, sicut agens denominatur tale ab actione: si autem conceptus illi rationem entis haberent à se essentialiter, superflui essent hi modi, sicut quod esset album, aut agens per essentiam, superflua in illo esset albedo, & omnis actio.

V. *Quoad vt concipiam eadem, sunt per se & ens per se, & solum differunt ex parte modi concipiendi.*

Obijcitur tertiò; ergo modus *per se* idem est quod substantia, idem enim est ac *ens per se*, si essentialiter includat in suo conceptu ens: & idem est de *esse in alio* respectu accidentis. Respondeo, quoad rem conceptam idem dicere modum seu differentiam *per se*, ac dicit substantia, seu *ens per se*, & diuersitatem solùm esse ex parte modi concipiendi, explicitè scilicet in ordine ad potentiam existendi, vel tantùm implicitè, non enim componitur substantia, vt sæpe diximus, ex ratione entis & differentia *per se*, sicut homo ex animali & rationali, sed est vnus conceptus simplex, & differentia *per se* habet formalissimè in se inclusam rationem entis, cùm non sit nihil. Qua de causa inter ens & differentias vt communis fert philosophorum sententia, non datur compositio metaphysica.

SECTIO. VII.

Vtrum dependentia vnius ab alio tollat vniuocationem.

I. *Affirmat prima sententia consistere Analogiam in dependentiâ.*

FRequens est inter recentiores opinio Analogiam entis in dependentiâ consistere: quam, sententiam plurimùm illustrauit P. Suares d. 32. Metaph. s. 2. num. 14. & d. 38. s. 3. num. 16. eamque hodie ex recentioribus multi amplectuntur, licèt tandem P. Suares s. illâ tertiâ, numer. 21. videatur in transcendentiam dilabi.

II. *Explicatur hæc sententia.*

Asserit ergo hæc sententia, licèt ratio entis propriè in Deo reperiatur & creaturis, substantiâ & accidente, esse tamẽ respectu illorum, Analogam, quia priùs à Deo participari petit quàm à creatura, à substantia, quàm accidente, Deus enim ens est essentialiter à creaturâ independens, creatura verò essentialiter ens per participationem, Substantia independens est ab accidente, accidens essentialiter pendet à substantiâ, vtpote *entis ens*, est ergo creatura ens dependenter à Deo, accidens à substantia, sicque ratio entis priùs descendere postulat ad Deum, quàm ad creaturas, substantiam quàm accidens.

III. *Nulla dependentia per se constituit Analogiam.*

Dicendum tamen, nullam dependentiam, seclusa transcendentia, Analogiam constituere conceptûs communis; ita auctores pro transcendentia sect. 3. concl. 1. citati. Ratio à priori, nulla dependentia, seclusâ transcendentiâ, efficere potest, vt ratio per nomẽ entis significata sit partim eadem partim diuersa in inferioribus: ergo nulla dependentia per se constituere potest Analogiam. Patet Antecedens, dependentia creaturæ à Deo, accidentis à substantiâ, dependentia est omnium maxima, sed hæc seclusâ transcendentiâ, non id præstat, ergo. probatur minor, si ens differentias quibus ad Deum & creaturas contrahitur, non transcendat, esto priùs peteret ad Deum descendere quàm creaturas, non tamen descendit inæquale & diuersum in ratione entis, sed tota diuersitas exercetur in differentiis, quæ, si ens eas non transcendat, sunt extra conceptum entis, & ens vicissim extra conceptum illarum, æquè ac animal extra conceptum suarum differentiarum, & è contrà ac proinde non magis inæquale erit ens per suas differentias, quàm animal per suas, sicque diuersitas tota non in formali ratione entis exercebitur, sicut nec ibi in ratione formali animalis, sed in differentiis tantùm extrinsecis, & per aliquid enti aduentitium.

Ratio est, quia dependentia sola non facit rem partim eandem, partim diuersam.

IV. *Transcendentia verò facit diuersitatem in ipsâ ratione entis.*

At verò per transcendentiam diuersitas exercetur in ipsâ ratione, entis, etiam contractâ. Cùm enim exerceatur in differentiis formaliter, & differentiæ secundùm vltimũ sui sint formalissimè ens, differunt formalissimè per ens, sicque clarè constat quomodo eadem ratio entis per nomen illud significata sit, ratione nostrâ eadem partim, partim diuersa. Confirmatur, animal à parte rei necessariò vel rationale est, vel irrationale, formaliter tamen loquendo dici potest animal etiam contractum nec rationale esse, nec irrationale, quia rationalitas & irrationalitas sunt differentiæ animali extraneæ, & adæquatè extra quidditatiuum illius conceptum, & è contrà licèt sint de essentiali conceptu hominis, equi, & aliorum animalium. Est proinde animal ratione nostra rationale vel irrationale tantùm denominatiuè, idque quia non transcendit differentias, idem ergo erit in ente, si secludatur transcendentia.

V. *Sequitur plurima esse Analoga, quæ tamẽ sunt vniuoca.*

Probatur tertiò; si dependentia creaturæ à Deo, accidentis à substantia rationem entis reddat partim diuersam in inferioribus, ergo quæuis dependentia diuersitatem, saltem aliquam, in ea ratione efficiet, licèt non tantam, diuersitas enim sequetur dependentiam, & pari cum illâ passu procedet, sed non cernitur in rebus creatis hæc inæqualitas vbicumque inuenitur dependentia, ergo.

VI. *Sũma dependentia creaturæ à Deo nõ facit diuersitatem in ratione entis, seclusâ transcendentia.*

Dices, ideo dependentia creaturæ à Deo diuersitatem causat & inæqualitatem, quia est in causâ vt Deus sit *ens simpliciter*, iuxta illud Exod. 3. v. 14. *Ego sum qui sum*, hoc est, sum ens absolutè & simpliciter, creaturæ verò sunt ens veluti secundùm quid, & respectu Dei sunt quasi non essent. Contrà primò, non ita sunt quasi non essent, quia sint verè & propriè entia, vt supra ostensum est. Contrà secundò, hoc quod est Deum esse ens simpliciter & à se, creaturam autem secundùm quid & per participationem, solùm arguit Deum ens esse perfectissimum ratione suæ differentiæ, vel quasi differentiæ, omne creatum esse infinitis gradibus excedentis, creaturam verò esse ens imperfectum ratione suæ differentiæ minùs perfectæ ac limitatæ, hæ tamen differentiæ in hac sententiâ sunt æquè extra conceptum entis, ac animal extra conceptum rationalis & irrationalis.

VII. *Ratio partis physicæ, potentia, & actus vitalis essent Analoga.*

Quartò probatur conclusio quibusdam instantiis; ratio partis physicæ esset Analoga materiæ & formæ, cùm forma materialis eodem ferè modo à materiâ pendeat quo accidens à substantiâ. Potentia item vitalis vt sic potentiis appetitiuis & apprehensiuis, actus vitalis intellectioni & amori, intellectio apprehensioni, iudicio, & discursui forent Analoga, priùs enim rationem potentiæ intellectus participat quàm voluntas, quia hæc ab illo dependet non econtrà. & ratio actus priùs descendit, & ad actum intellectus contrahitur, quàm voluntatis, Apprehensionis, quàm iudicij. In istis proinde constitueretur Analogia, quod tamen ab omnibus negatur.

Nec

VIII. *Nec obstat quod in his sit mutua dependentia.*

Nec dicas non vrgere hæc exempla, quia sunt de correlatiuis, quæ à se mutuò peodent, mutua autem dependantia tollit Analogiam, quippe quæ consistit in dependentiâ vnius ab alio simul eum independentia alterins ab illo. Contrà, substantia & accidens pendent à se mutuù, substantia enim essentialem dicit ordinem ad accidentia possibilia, non minùs quã potentia vitalis ad actum. Imò P. Suares relationem ponit transcendentalem Dei ad creaturas, ergo hic etiam est mutua dependentia.

IX. *Nec ad Analogiam sufficit dependentia cum independentiâ in eodem genere.*

Dices, non quamcunque dependentiam sufficere ad Analogiam, sed eam solam cùm vna pendet ita ab aliâ, vt aliud in eodem genere ab aliquo tertio vlteriùs non pendeat, sicut accidens pendet à substantiâ in genere causæ materialis, quo in genere substãtia est omnino independens, licèt pendeat à Deo in genere causæ efficientis: actus autem vitalis à potentiâ pendet in genere causæ materialis & efficientis. Contrà, forma in genere causæ materialis pendet à materiâ, ita vt materia in eodem genere à nullo pendeat, ergo ibi saltem erit hæc Analogia.

SECTIO VIII.

Inferuntur quædam circa Analogiam entis.

I. *Ens est Analogũ etiam respectu eorum, quæ tantũ numero distinguuntur.*

INfero primò, ens non respectu hominis tantùm, lapidis, & leonis, genereque aut specie distinctorum, Analogum esse, sed respectu Petri etiam & Pauli; & quorumcunque aliorum solo numero differentium. Ratio est, quia transcendit vltimas eorũ differentias, ac proinde differunt formaliter per ens, nec enim est necessarium ad Analogiam vt sit inæqualitas, quam non semper in indiuiduis eiusdem speciei reperiri probabiliter censent multi, sed sufficit diuersitas quæ nũquam deest, cùm vnumquodque indiuiduum suam necessariò habeat differentiam numericam, per quam diuersum constituitur ab alio.

II. *Transcendentia non facit vt concipiatur semper ens explicitè.*

Infero secundò, licèt Ens transcendat differẽtias, non tamen in omni re quam cogitamus, concipimus ens explicitè, seu rem illam vt ens, vel vt aptum existere, sed implicitè tantùm, sicut cùm concipimus animal, non concipimus explicitè in eo rationem corporis, hoc est, non concipimus expressè illud quod consideramus, esse corpus, sed si supra obiectum reflectamus, & penitus illud intueamur, aduertemus menti nostræ obiectam verè fuisse rationem corporis, dum animal concipiebamus, non tamen obiectam fuisse rationem rationalis, quia corpus in animali necessariò & essentialiter includitur tanquam formale ipsius constitutiuum, in quo tamen non includitur formaliter rationale, conceptus enim formalis animalis non constituitur per conceptum rationalis, si tribuamus singula singulis. Ens verò includitur in omni omnino re, qua de causa ait Aristoteles. *superfluè poni ens in definitionibus rerum*, quia scilicet intrinsecè in omni genere & differentiâ reperitur.

III. *Compositio Metaphysica nullã arguit imperfectionẽ.*

Infero tertiò, compositionem metaphysicam nullam arguere imperfectionem, sicque non esse cur Deo negetur. Licèt enim compositio physica Deo competere nequeat, vtpote summæ Dei simplicitati repugnans, illa tamen quæ merè est per intellectum, tantùm abest vt imperfectionem sonet, vt potiùs arguat perfectionem, varia enim prædicata & perfectiones rei illi inesse denotat.

IV. *Quo sensu ratio Entis abstracta à Deo & creaturis, esset Deo simplicior.*

Infero quartò, hinc sequi, nullam habere vim quod afferunt aliqui ad probandum vnam abstrahi rationem entis non posse Deo & creaturis communem, quòd nimirum ens sic abstractum, foret Deo simplicius. Respondeo enim si per simplicius intelligant esse rationem illam entis quid Deo abstractius, nihil inde sequi incommodi, etiamsi concedatur. Si verò per simplicius, intelligatur minus habens compositionis physicæ, falsum est, Deus enim vt metaphysicè, ob infinitas quas in se complectitur perfectiones, virtualis maximè est & multiplex, ita physicè vnus maximè est & simplex, rerumque omnium creatarum perfectiones modo infinitè perfecto, in se indiuisibiliter complectens.

V. *Ens prædicatorum omnium metaphysicorum est imperfectissimum.*

Infero quintò, Ens conceptum omnium Metaphysicorum conceptuum esse imperfectissimum. Ratio est clara, nam quicunque alius conceptus in se includit Ens, ergo illam, quantulacunque est, entis in se perfectionem continet, & suam superaddit. Vnde & in compositione metaphysicâ, comparari hoc nomine solet materiæ primæ in compositione physicâ, quæ formæ etiam imperfectissimæ in perfectione cedit.

DISPVTATIO XLI.

In libros Perihermenias. De Nomine, Verbo, & Propositione.

DE his omnibus fusè dictum est in Introductione ad logicam, dist. 5. & 6. quare nihil hic superest circa illa in præsenti discutiendum. Tractatum verò de *Signo*, cùm multa in se scitu digna contineat, quæque Tyronum captum superent, in hunc locum reieci.

DISPVTATIO XLII.

De Signo.

Cur lingua homini à natura data.

ANgeli suos ad se inuicem immediatè conceptus dirigendo, summâ facilitate, expeditione, dexteritate loquuntur. Anima in corpore velut quodam ergastulo conclusa, vt nihil nisi sensuum ministerio recipit, ita non nisi organi alicuius corporalis operâ, & signis quibusdam externis sensa sua exprimit. Hinc à naturâ lingua homini data, index animi, internarum cogitationum ac mentis interpres. Muti manibus loquuntur, oculis, capite, & (vt est ingeniosa necessitas) vix vlla corpo-

ris

Mutis quamuis corporis pars est lingua. Qua mutis digitis loquuntur, surdi oculis audiunt.

ris pars est, quam, vbi vsus venerit, in linguam non efforment. Digitis proinde articulatè loquuntur, modumque ita maxime etiam cogitationes promptè aliis, & expeditè aperiendi, ad vnguem norunt. Hinc mira rerū catastrophe: quæ enim ij digitis loquuntur alij oculis audiunt, dumque illi linguam in manibus, aures hi in oculis gestant, sicque nullo miraculo, & muti loquuntur, & surdi audiunt. De his ergò signis nobis in præsenti disputandum.

SECTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit signum.

I. *Quis dicatur significare, & quomodo.*

LIcèt significare dicatur is, qui signum præbet, vt homines animi sui sensa significare dicimus, dum ea vel verbis, vel nutibus, vel efformatis in chartâ characteribus aliis declarant; ij tamen non magis propriè dici possunt significare, quàm domū is comburere, qui ignem applicat: Non enim, quidquid probatur in vulgus, id statim censendum est Dialecticæ calculis admitti, re enim verâ, sicut hic non domum comburit, sed ignis, ita nec ille significat, sed nutus, characteres, & verba, quæ hominum immediatè mentem indicant.

II. *Significare est potentiæ cognoscenti aliquid immediatè repræsentare.*

Significare itaque propriè, est *potentiæ cognoscenti aliquid immediatè repræsentare*, vt hæc vox, *homo* hominem significat, fumus ignē. Vnde nec probandam censeo (nisi hoc modo intelligatur) illam signi definitionem quam tradunt nonnulli *Signum est quod facit scire*; sic enim homo dum aliquid dicit, esset signum, imò & Deus, dum nobiscum ad videndum vel intelligendum concurrit. Quare signum in communi sic rectè quis definiuerit; *est id quod potentia cognoscenti aliquid à se distinctum repræsentat, siue ipsum cognoscatur, siue non*; à se, inquam, distinctum, saltem

Definitio signi in communi.

formaliter, ob cognitionem reflexam, cùm quis aliquid intelligit, & simul se intelligere percipit: illa enim cognitio se repræsentat, sicque est signum simul & res significata, quòd & in voce nonnunquā contingit, vt cùm dico; *omnis terminus est vox, seu verbum*. De quo plura sect. sequente nu. tertio.

III. *Signum naturale, & ad placitum.*

Diuiditur primò signum in naturale & ad placitum: naturale est, *quod ex naturâ suâ vim habet ad aliquid significand.*, vt gemitus dolorem; fumus ignem; effectus vniuersim suam causam: sicque hæc apud omnes idem significant. Signum ad placitum est, quod licèt ex naturâ suâ non habeat vim aliquid significandi, habet tamen ex beneplacito hominum, siue id impositione fiat, siue consuetudine, ex tacitâ scilicet hominum conspiratione, & consensu: impositione, vt vox *Homo* significat animal rationale, cùm significare potuisset formicam, & formica hominem. Quo in casu voces istæ, quamuis materialiter eædem, essent formaliter diuersæ: etsi namque idem adhuc persistet verborum sonus, significatio tamen, quæ anima est, & vita vocis, penes homines est, qui proinde sicut illam omninò tollere, ita de voce in vocem transferre arbitratu suo possunt. Quo sensu d. 2. de Pœnit. s. 1. dixi omnium sacramentorum formas, quoad externum verborum sonum, in hominum potestate sitas esse, qui hoc sensu mutare eas pro libitu possunt, & efficere vt forma vnius sit forma alterius, imò vt forma pœnitentiæ non sit, *Ego te absoluo*, sed *ego te ligo, vel stringo*. Quod & in aliis signis ad placitum contingit: tuba enim vno modo ac tactu inflata classicum canit, alio canit receptui, si tamen Imperatoribus, iisque quorum interest placeret, classicum receptum, receptus classicum significaret.

Significatio est anima, & vita vocum.

IV. *Signum ex consuetudine.*

Signum ex consuetudine est hedera appensa quæ vinum significat vendibile, mappa posita cœnam &c. licèt signum ex consuetudine nonnunquam ad naturale reuocari possit, quia in naturâ fundatur, vt si canis visus denotet aduentum Domini, quia illum solet comitari. Vnde signum ex consuetudine semper vel ad naturale signum reducitur, vel ad signum ad placitum.

V. *Signū Formale, & instrumentale.*

Secundò signum *formale* aliud, aliud *instrumentale*. *Formale* ab informando dicitur; & per sui exhibitionem potentiæ cognoscenti, facit eam in alterius cognitionem deuenire, licèt speciem sui non imprimat, nec ab illâ potentiâ cognoscatur. Huiusmodi primò sunt actus intellectus, & sensuum, qui potentias informando, obiecta in genere causæ formalis repræsentant. Deinde species seu similitudines rerum potentiis impressæ, per quas obiecta quorum sunt similitudines cognoscimus, speciebus ipsis non perceptis.

VI. *Idem esse potest signū formale & instrumentale.*

Instrumentale signum est, quod ita in alterius cognitionem inducit, vt ipsum etiam cognoscatur, vt fumus visus est signum ignis; vox quæuis, rei quam significat. Hinc sequitur idem esse posse & formale, & instrumentale signum respectu diuersorum; actus enim intellectus in Petro (idem est de actibus sensuum) quo cognoscit leonem e.g. respectu Petri est signum formale; at vero respectu Angeli, qui hunc actum intueretur, & ex illo cognito cognosceret leonem quem repræsentat, esset signum instrumentale.

VII. *Ex signis alia manifestatiua tantum, alia manifestatiua simul & suppositiua.*

Ex signis porrò alia sunt purè manifestatiua, vt campana pulsata concionis signum est, vel officii diuini; & huius generis sunt omnia formalia. Alia manifestatiua simul sunt & suppositiua, vt Prorex qui regem ita significat, vt illius loco substituatur. Huiusmodi etiam sunt voces respectu rerum, pro quibus in propositionibus supponuntur: Vnum verò & idem signum reale diuerso modo consideratum potest ad diuersa membra spectare; omne enim signum formale est naturale, licèt non è contrà: & omne ad placitum, instrumentale, licèt non vice versâ omne instrumentale, ad placitum, fumus enim non est ad placitum, sed naturale. Item vox *Homo* v.g. est signum instrumentale ad placitum, manifestatiuum & suppositiuum respectu rei quam significat, & naturale respectu prolatoris, quem indicat.

SECTIO II.

Inquiruntur quædam circa significationem vocum.

I. *Significatio vocum duplex, in actu primo, & in actu secundo.*

QVæres primò, quid sit vocum significatio? Respondeo duplicem esse, in actu primo, & secundo, hæc est actualis rei significatæ repræsentatio, quando scilicet actu in alterius cognitionem inducit. Prior, nihil aliud est quàm ipsa vox pro materiali, & voluntas instituentis moraliter manens, tamdiu autem censetur moraliter manere, donec reuocetur. Porrò voluntas hæc non est actus quo vult vocem *Homo* v.g. esse significatiuam (hic enim actus vellet seipsum, cùm per ipsum sit formaliter significatiua) sed quo vult eam quoties profertur actu significare, & repræsentare hominem audienti.

II. *Significationem vocibus indere potest Princeps. Respublica. Quiuis hominum cœtus. Quicunque particularis.*

Quæres secundò, quis possit significationem vocibus indere? Respondetur, in primis id posse Principem, quod Adam in paradiso pro humano genere tanquam illius caput ac Princeps præstitit. Secundò id potest respublica. Tertiò quiuis hominum cœtus, sic enim illos, quos passim Ægyptios vocant fractis videmus & asperis inter se verbis vti, quibus tamen suos sibi inuicem conceptus manifestant. Quartò quicunque particularis homo linguam sibi

fingere ac formare potest, quam in chartâ exaratam ipse, & solus ipse intelligat.

III. *An requiratur distinctio inter signum & rem significatam.*

Quæres tertiò, an requiratur distinctio realis inter signum & rem significatã, vel an idem esse queat signum sui? Vniuersim loquendo non videtur requiri distinctio realis inter signum & rem significatam, idque siue de signis internis sermo sit, siue externis. Quoad interna, quid vetat eundem actum intellectus supra se simul cum aliis obiectis reflectere? qualis est actus quo quis mente dicit, *omne accidens; omnis qualitas; omnis actus intellectus; omne ens*. Huiusmodi, inquam, actus cùm omne ens, omnem qualitatem &c. repræsentet, & ipse accidens vel qualitas sit, se repræsentet necesse est. Idem ostenditur in signis externis; hæ namque voces, *Omnis vox, omne verbum*; cum voces omnes, & verba significent, se inter reliqua significant, sicque sunt signum sui. Quomodo autem hoc non sit contra essentiam signi, ostendi sect. præcedente n secundò.

IV. *Non requiritur distinctio inter loquentem, & eum ad quē sermo dirigitur.*

Quæres quartò, an requiratur distinctio inter loquentem, & eum ad quem sermo dirigitur? seu quod eodem recidit, possit ne quis loqui secum? Respondeo posse, idque siue sermo sit de internâ loquutione, siue externâ: primò enim generatim nos ipsos cum aliis alloquimur, frequenter, vt; Eamus, festinemus &c. sic Apostulus ad Hebr. 4 d. 16. *Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ*, &c. Imò etsi sibi soli quis verba proferat, vere tamen loquitur: sic Arsenius fertur sibi identidem dicere solitus: *Arseni ad quid venisti?* sic sanctissimus Patriarcha Franciscus verbis subinde se asperis excipiebat, vt humilitatis in se affectum (in qua virtute mirum in modum eminebat) magis indicaret, ac magis excitaret.

SECTIO III.

An, vt verba sint significatiua, & quis propriè loquatur, debeat & proferens ea intelligere, & audiens.

I. QVod hic proponimus etsi minoris fortasse momenti non nemini videri possit, vtpote de vocibus, grauissimæ tamen ab eâ in Theologia difficultates, dum de formis sacramentorum disputatur, pendent.

II. *Certum est, verba proferentem nō intelligentem, aliquo modo loqui.*

Quoad secundum (vt si quis linguæ græcæ peritus homini illius ignaro græca verba proferat) si per locutionem aliud nihil intelligatur quàm articulata verborum efformatio, certum est eum loqui, quòd enim alter verborum sensum non percipiat, nihil obstat quò minùs hic clarè & distinctè verba singula ac syllabas pronuntiet.

III. *Propriè etiā loquitur is, qui verba profert non intelligens.*

P. Hurtado d. 8. log. s. 2. n. 23. hunc loqui negat, & hæc duo correlatiua facit, vnum loqui & alterũ intelligere, quem hac in parte multi sequuntur ex recentioribus. Hunc loquendi modum probare nũquam potui, scriptores enim omnes, tum antiqui tum noui, tum sacri, tum profani loqui eos autumant, qui verba non tantùm homini non intelligẽti, sed brutis & etiam animantibus, ipsisque adeo rebus inanimatis proferunt: sic Iosue 10. dicitur Iosue loquutus Soli. Sic Marc. 11. v. 13. *Videns Iesus ficum* &c. *dixit ei* &c. *Imperauit ventis & mari* Math 8. v. 26 Et hæc est ratio cur Theologi communiter negāt formam absolutionis prolatam super absentem esse validam, vt ostendi d. 2. de Pœn. sec. 5. quod verba absolutionis pronuntians alloquatur pœnitentem, verba autem ore prolata (quæ essentialiter in hoc sacramento requiruntur) maximè particula *Te*, arguunt eum quem alloquimur esse præsentem: sæpe autem contingit eum, cui hæc verba pronuntiantur, aut surdum esse, aut linguæ Latinæ ignarum, aut etiam à sensibus abstractum iacere, mortui similiorem quàm viui. Quod etiam ex formâ baptismatis ostendi potest, dum baptizans infantem alloquitur recens natum: quid, oro, intelligit paucarum horarũ puer, qui, sit necne, nondum intelligit?

IV. *Loqui & intelligere non sunt correlatiua.*

Cùm ergo hæc totius antiquitatis vox sit, communisque omnium sensus, quidni cum omnibus loquamur? cùm inquam, de modo loquendi sit disceptatio, modus ipse loquendi litem dirimat, communisque hominum vsus. Gratis ergo asserit P. Hurtado loqui & intelligi esse correlatiua vt ostensum est. Quid verò sit loqui dicam in fine sectionis.

V. *Voces hominum respectu hominum sunt remotè significatiuæ.*

Quæres, num in hoc casu voces sic prolatæ sint saltem in actu primo significatiuæ? Respondetur respectu hominum esse remotè significatiuas, nō proximè, proxima enim seu expedita vis ad significandum proximam seu expeditam in audiente supponit capacitatem ad intelligendum. Respectu verò brutorum & inanimatorum ne remotè quidem sunt significatiuæ, cùm nulla omnino ad intelligendum in subiecto sit capacitas.

VI. Quoad primum, vtrum si aliquis, qui Hebraicæ linguæ ex g. nullam habet notitiam Hebraica quædam verba Hebræo proferret, aut alteri illius linguæ perito vtrum, inquam, in hoc casu verba illa sint significatiua?

VII. *Dicunt aliqui, verba prolata ab eo qui illa non intelligit, non esse significatiua.*

P. Arriaga d. 13 log. s. 1. sub. 4 n. 27. hæc verba, ait, non esse significatiua, eo quod quantumcunque ea intelligat audiens, proferens tamen eorum sensum non percipiat. Quod recentioribus quibusdam certum adeo exploratumque videtur vt extra omnem ferme disputationis aleam collocent.

VIII. *Contrarium est longè probabilius.*

At sanè non est hoc omnibus perinde certum, imò verò contrarium mihi semper multò visum est probabilius; nec ad vocum significationem quidquam interesse arbitror: proferens ea intelligat, necne; sed sicut valor monetæ, non à particularis cuiusquam, sed ab vnius Principis voluntate, ita verborũ significatio ac sensus à solius imponentis arbitrio pendet.

IX. *Probatur ex verbis scriptis, aut typis mandatis.*

Quod sic vlteriùs declaro: verba scripta vel typis mandata non minùs sunt significatiua & expressiua conceptuum, quàm ore prolata, sed illa non requirunt vt immediatè ea efformans sensum ipsorum & significationem percipiat, ergo nec verba ore prolata; consequentia est euidens, maior, ab omnibus admittitur; tres enim assignant loquendi modos, verbis, nutibus, & characteribus in chartâ, aliaue re effictis; nec minùs perfectè historiam quis intelligit, dum eam in libro typis excusam legit, quàm dum ex ore narrantis excipit. Minor itaque probatur, amanuenses & typographi ea sæpe scribunt & imprimunt, quæ planè non intelligunt, vel quia in linguâ continentur iis ignotâ, Græcâ scilicet, Hebræâ &c. vel terminis non passim obuiis in quos incurrunt dum rea ex g. Mathematicas vel etiam logicas literis mandant.

X. *Nec in hoc refundi potest significatio verborum impressorum, quod qui rem primò scripsit illa intellexerit.*

Dices ad hoc vt verba vel scripta vel impressa significent, sufficit, vt is qui historiam primò scripsit ea intelligat. Contrà primò, ergo vt verba sint significatiua non requiritur vt qui ea immediatè profert illa intelligat. Contrà secundò, qui historiam primò scripsit mille fortasse abhinc annis mortuus est, nec magis propriè ipsius hæc signa dici possunt quàm imago ad alterius ab Apelle dudum vel Xeuxe depictæ exemplar, nunc delineata, Xeuxis dici possit, aut Apellis. Contrà tertiò, ergo & voces à psittaco prolatæ erunt significatiuæ, sufficit enim secundùm hunc respondendi modum, quod qui psittacum docuit eas intellexerit.

XI. Dices secundò, licèt Typographus clarè verborum

Nec sufficit quod Typographus confusè verba illa intelligat.

rum quæ imprimit sensum non percipiat, percipit tamen obscurè, & modo quodam confuso, nouit enim per ea significari aliquid, licèt quid sit, ignoret. Sed contrà primò, hoc etiam nouit loquens, & audiens ergo casus est implicatorius, semper enim tam in audiente quàm loquente est sufficiens vocum notitia ad loquendum. Contrà secundò, Quæstio de qua hîc disputatur est, num hæc aut similia verba proferens *Paries est albus* hoc verè loquatur ac dicat, vbi vel loquens has voces non intelligit, vel audiens. Contrà tertiò, Sic enim quiuis linguas omnes intelligeret, dum enim loquentes audit, vel characteres in chartâ efformatos videt, nouit aliquid sub iis contineri, & homines loquendo aliquid sibi inuicem significare. Contrà quartò, Verba illa in hoc casu typographo non essent signa ad placitum sed naturalia, quatenus nimirum dum volumen aliquod ignotæ sibi linguæ imprimit, non malè colligit neminem sanæ mentis tantùm vel laboris impensurum vel temporis, nisi aliquid scitu dignum sub illis characteribus contineretur. Quo sensu sec. sequente dicemus voces significare conceptus naturaliter, quatenus qui vocem *homo* e.g. profert, signum est eum rem illam quam exteriùs significat, mente priùs concepisse.

XII. *Nec decipere verba ab eo scripta qui illa non intelligit nihil significare.*

Dices tandem (quod non neminem aliquando insinuantem audiui) verba à typographo, eorū sensum intelligente, impressa nihil significare. Sed contrà apertè, huiusmodi enim librum legens, si linguam calleat, omnia clarè intelligit, à quocunque deinum fuerit liber impressus: quis enim hac in parte inter doctum typographum discernit, & indoctum. Deinde censent vniuersi propositiones in eo libro contentas veras esse, vel falsas, à quocunque illæ typographo fuerint impressæ, ergo, sunt significatiuæ vt est manifestum.

XIII. *Latius patet loqui, quam significare.*

Latiùs ergo quoad præsens patet loqui quàm significare; hoc nunquam contingit nisi audiens loquentis verba intelligat: loqui verò est personam rationalem verba ex se & in actu primo significantia proferre: dico personam rationalem, loqui enim quandam in se continere videtur dignitatem, rebus irrationabilibus non concedendam. Quamuis, si iis etiam tribueretur loquutio, non video quid inde sequeretur incommodi.

XIV. Dices loqui & intelligi, docere & doceri sunt correlatiua. Confirmatur, implicat dari calefactionem nisi aliquid sit calefactum, ergo & doceri, quin aliquid sit doctum. Ad argumentum Resp. primò latiùs patere loqui, quàm docere. Secundò negatur antecedens, ad illa enim sufficit signa ex se significatiua, & instructiua proferre siue intelligantur, siue non. Ad confirmationem manifesta est disparitas, calefactio enim alium terminum non habet, quàm calorem in extrinseco subiecto productū: at vero loeutio & doctio, vt ita dicam, alium terminum habent, verba scilicet in ore loquentis vel aëre producta, quantumuis is ad quem diriguntur, ea non intelligat, imò nec audiat.

Aliud est de calefactione, aliud de loquutione.

SECTIO IV.

Vtrum voces significent res, an conceptus.

I. VT nihil est in intellectu quod priùs non fuerat in sensu, ita ad linguam nihil deriuatur quod antea non fuerat in mente, seu cuius loquens idæam priùs ac similitudinem apud se in animo non formauerat. Hinc oritur quæstio, vtrum dum vocem quis aliquam exteriùs profert, *Homo* ex.g. vox hæc hominem ipsum significet, an idæam illam seu imaginem, quæ aliud nihil est quàm actus ipse intellectus, quo hominem concipit? Vno verbo; num voces conceptus formales significent, an obiectiuos.

Status controuersiæ.

II. *Voces immediatè significant res, mediatè conceptus.*

Dico primò: Voces vt signa ad placitum & immediatè significant solas res vt signa tamen naturalia, & mediatè conceptus. Prima pars probatur, dum enim qui alterum loquentem audit, dicentem v. g. *stellæ sunt pares*, animus audientis non de interno loquentis actu, sed de stellis cogitat, nec ei curæ est quid loquens cogitet, sed quo pacto res ipsa se habeat.

III. *Intendit loquens vt audiens apprehendat rem, nō conceptū.*

Confirmatur primò, quando quis alium quidpiā docet, vt *Deum esse Trinum & Vnum; hominem constare ex animâ & corpore* &c. non intendit vt audiens actum eius internum apprehendat, sed vt in rem ipsam feratur, illamque addiscat: cuius plenè fit compos, etiamsi internus loquentis conceptus eius animo omnino non obuersetur. Confirmatur secundò, Iam enim contra communem omnium Dialecticorum sententiam omnes voces erunt æquiuocæ, singulæ namque res inter se diuersissimas significant, quâ de causâ hæ & similes voces, *liber*, *palus*, *canum*, ob varias quas habent significationes ab omnibus censentur æquiuocæ, sed si significant res simul & conceptus omnes hoc voces habebunt, ergo erunt æquiuocæ.

IV. *Ostenditur voces mediatè significare conceptus.*

Secunda etiam conclusionis pars probatur; qui enim quempiam de hac vel illâ re, de cælo, de sole, de stellis disputantem audit, arguitiuè & per discursum infert, hæc eum mente reuoluere, alioqui sermonem de iis serere non posset. In hoc verò casu, voces signa sunt naturalia conceptuum, sicut fumus ignis, gemitus doloris, aut effectus quiuis suæ causæ. Quo etiam modo aliorum animalium soni ore prolati internas eorum imaginationes & affectus indicant.

V. *Docet Aristot. voces esse signa conceptuum obiectiuorū.*

Obiicies primò: Aristotelem 1. Perihermen. c. 1. vbi sic habet: *Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in animâ passionum notæ* Vbi per *notas* signa per *passiones* conceptus indicat. Respondeo primò, solùm velle Aristotelem voces esse notas seu signa conceptuum obiectiuorum, non formalium, seu rerum quæ concipiuntur; & per actus intellectus in mente esse dicuntur: secundò, dici potest voces mediatè & arguitiuè signa & notas esse ipsorum etiam conceptuum formalium, quatenus per discursum quis colligit illatum conceptum vocum eum formasse interiùs, qui eas profert exteriùs.

VI. Obiicies secundò: voces significant res vt conceptas, ergo significant ipsos terminos conceptus: sicut qui videt parietem vt album, videt albedinem. Contrà, etiam voluntas amat rem, virtutem v. g. vt conceptam seu cognitam, cognitionem tamen illam non amat. Dico itaque, *vt*, in his casibus reduplicare solam conditionem, non rationem formalem, sicut in simili; ignis comburit *vt applicatus*, cùm aliter comburere non possit, non tamen comburit applicatio. Albedo è contrà est ratio formalis, per quam paries conspicitur, & terminat visum.

Particula vt ipsa reduplicat solam conditionem.

VII. *Voces subrogantur loco conceptuum, non tamen eos significant.*

Obiicies tertiò: Voces subrogantur loco conceptuum, ergo significant conceptus. Nego consequentiam, sed ambo idem significant, loco autem conceptuum qui non comparent, substituuntur voces vt res exteriùs significent, quas conceptus significant interiùs: conceptus autem ipsos non significant, nisi naturaliter.

VIII. *Imagines naturales sese inuicem referunt, nō imagines seu signa ad placitum.*

Obiicies quartò: tam voces quàm conceptus sunt imagines & similitudines rerum, ergo sunt similitudines sui ipsius, duæ enim imagines Cæsaris v. g. si sint similes Cæsari, necessariò sunt sibi ipsis similes, seque inuicem referunt, ac repræsentant: Ergo etiam voces referunt, ac repræsentant conceptus. Respondetur argumentum conuincere de imaginibus

naturalibus, vt in obiectione ostensum est; secus verò res se habet in signis ad placitū seu iis quæ quod significent, merè habent ea institutione hominum, alioqui vox *gladius* vocem *ensem* significaret, *folia frondes hedera labaram*, & è contrà. & sexcenta huiusmodi; quippe quæ ad idem significandum ab hominibus sunt instituta.

IX. *Quomodo detur mendacium, si voces non significent conceptum.*

Obijcies quintò: nisi voces significent conceptus, nullum dari posse mendacium, cùm mentiri sit cōtra mentem ire, seu ostendere velle se id habere in mente quod nō habet. Contrà, ad hoc sufficit quod voces tanquam signa naturalia indicent conceptus, ita scilicet vt arguitiuè & per discursum inferre quis possit, eum qui ita de re aliqua loquitur, similem de eâ apud se in mente conceptum formare.

X. *Quædam voces significant immediatè cōceptum.*

Dico secundò, quædam tamen voces directè, immediatè, & vt signa ad placitum significare internos mentis conceptus; ad hoc enim munus sunt ab hominibus impositæ, quales sunt hæ & similes voces *actus intellectus, apprehensio, discursus, iudicium*, & huiusmodi.

SECTIO V.

Vtrum sicut voces, ita etiam scriptura res immediatè significet.

I. *Duplex scribendi genus.*

NOtandum duplex esse scripturæ genus alterū quo non voces sed signa tantùm quædam, & characteres efformantur, quales primò sunt numeri Arithmetici. 1. 2. 3 Deinde figuræ quibus Ægyptij vtuntur, & Sinæ, suamque sibi inuicem mentē & conceptus aperiunt. Aliud scribendi genus est, quo non huiusmodi signa, sed voces, quas ore proferimus, in chartâ exarantur, & de his maximè præsens instituitur quæstio.

II. *Dicunt aliqui voces scriptas significare immediatè voces ore prolatas.*

P. Arriaga d. 13. log. s. 2. n. 36. affirmat hæc verba in chartâ vel tabulâ efformata, ex instituentis & scribentis mente habere, non vt res immediatè, sed voces ore prolatas, & per has tandem res significent: vox *Equus* v.g. eandem vocem ore dictam primò & immediatè significat, mox equum ipsum, *leo* leonem &c. Quod etiam docent Conimbricenses l. 1. perih. q. 3. ar. 4. Ego quid hac de re sententiam sequentibus conclusionibus aperiam.

III. *Voces scriptæ aliquando significant res immediatè.*

Prima Conclusio: huiusmodi verba in chartâ formata res aliquando immediatè significant, & nullo modo voces ore prolatas. Hoc mihi certius videtur quàm vt in dubium vocari possit. Surdi enim & muti scribere docentur, & verbis quæ in chartâ vel ipsi formant, vel alij, intelligunt vocem *equus* significare equum, *homo* hominem, *ignis* ignem &c. Sed manifestum est hæc verba, voces ore prolatas iis non indicare, cùm soni percipiendi capaces non sint, ergo.

IV. *Possunt homines efficere, vt voces scriptæ semper significent res immediatè.*

Secunda Conclusio: Possunt homines si velint efficere vt voces scriptæ res immediatè semper; & non verba ore prolata significent. Hoc etiam mihi extra controuersiam videtur; sicut enim voces rerum, ita scriptura vocum ad summum est signum ad placitum, ergo dependens ab arbitrio hominum, ergo penes ipsos est vt hoc vel illud significet, vel non significet, ergo vt sit signum rerum non vocum.

V. *Voces scriptæ de facto significant res immediatè.*

Tertia Conclusio Verosimilius est scripturam res immediatè, non verò voces ex hominum institutione significare. Ad probationem, notandum in omni voce scriptâ duo reperiri; primum est quod sit signum, seu nota in chartâ expressa, in quo cum signis Ægyptiorum conuenit & Sinarum. Secundùm est, quod eadē vox quæ in chartâ describitur, ore etiam proferri soleat.

VI. *Ratio est, quia frustra fit mediatè, quod potest fieri immediatè.*

Probatur itaque Conclusio: homines hoc modo instituere scripturam poterant, vt significaret res immediatè, & non mediis vocibus, vt proximè ostensum est, ergo similius vero est hoc eos de facto præstitisse, frustra enim mediatè fit, & per ambages, quod multò expeditiùs immediatè fieret & proximè, ergo cùm supponendum sit prudenter eos hac in re processisse, præsumendum est hoc modo scripturam instituisse. Confirmatur primò, secundùm omnes, frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora, cùm ergo per solā signorum inspectionem mens scribentis colligi possit, ad quid vocum interpositio? quid, inquam, remotè & quasi per circuitum fit, quod expeditiùs fieret immediatè? Confirmatur secundò, dum mutuo se homines literarum officio salutant, non iis curæ est, vt articulatum vocis sonum & artificiosam pronuntiationem, sed vt res sub ipsis signis contentas percipiat is ad quem literæ diriguntur. Confirmatur tertiò, alioqui eodem quis modo dicere posset, voces seu verba ore prolata nō ad res immediatè significandas instituta esse, sed conceptus; ad res autē tantùm mediatè ac remotè.

VII. *Vt per scripturam quis res intelligat scire debet quid significat.*

Obijcit P. Arriaga: Etsi Græcam quis linguam aut Hebræam legere perfectè nollet, si tamen vocum significatio eum lateat, nunquam mediatum significatum, seu res sub iis contentas intelliget. Respondeo si sciat ad quid significandū signa hæc in charta sint efformata, sensum, seu res sub iis contentas intelliget, idque licèt de vocibus ore prolatis, nihil cogitet, imò voces esse nesciat, sed signa Ægyptiaca, & ore omnino non proferenda. Hoc verò probaret, nec voces ore prolatas significare res immediatè.

VIII. *Tam voces scripturam significant, quàm scriptura voces.*

Obijcit secundò: etsi mutetur significatio vocis *Homo*, non propterea mutatur modus eam scribendi, sed hi characteres hoc modo & ordine formati, hāc semper vocem intuenti referent. Contrà etiam vox ore prolata scriptam frequenter refert & in mentem audientium reuocat, iis præsertim, qui voces illas ex scripto primò didicerunt. Sic qui symbolū Apostolicum ex libro vel chartâ didicit, dum id postea repetit, non tam hoc memoriter præstare, quàm ex eadem quasi chartâ vel libro mentis oculis legere videtur. Respondetur itaque, hoc summum probare scripturam res & voces æque primò significare non tamen cum aliquâ subordinatione, sed quasi disparatè, vt de vocibus similiter respectu scripturæ iam ostensum est.

IX. *Aliud est dū quis primò discit legere, aut scribere, aliud postea*

Quidquid autem sit in Initio, dum quis primò legere discit aut scribere, certè vbi ad perfectionem venerit, hæc minus sunt necessaria. Cuius manifestum indicium est, quod si ostenso in chartâ vocabulo *Cælum* v.g. *equus, ignis*, ab aliquo petatur quid ista velint, non respondebit significare vocem *Cælum* &c. sed significare firmamentum, tale animal, elementum &c. vt fatetur ipse Arriaga n. 41. sicut quandò quis primò discit rationem signi, voluntas imponentis identidem ei recurrat necesse est, cuius tamen postea via meminit, vt bene docet P. Hurtado d. 8. log. s. 2. n. 19. & alij.

X. *Numeri 1. 2. 3 significant res immediatè.*

Idem de numeris Arithmeticis asserendum censeo, res scilicet significare non voces, licèt enim hi numeri. 1. 2. 3. Europæis omnibus sint communes, non tamen propterea scio (vt bene Arriaga citatus n. 35) quæ sit illa vox quâ Tartari vel Turcæ binarium numerum significant. Propiùs tamen ad veritatem accederet, qui diceret numeros arithmeticos per se nihil significare, sed esse terminos syncategorematicos, vt in introd. dixi d. 2. s. 4. n. 2.

XI. *Maneat ergo.*

Maneat ergo Conceptus, voces, scripturam, æque immediatè res significare, Conceptus nobis; voces & scripturam aliis, præsentibus voces, scripturam absentibus.

SECTIO

SECTIO IV.

An vox rem clarius manifestare possit audienti, quàm sit nota loquenti.

I. *Melius rem per vocem significatam percipit doctus quàm indoctus.*

VT certa ab incertis separemus: nemini dubium est quin Philosophus quispiam; aut alius perspicaci ingenio, audita voce *Homo* perfectiorem de re sub ea contenta conceptum formet, naturam scilicet illius ac proprietates intimè penetrando, clarius que ac melius inde hominem cognoscat, quàm cognoscit rusticus, qui eadem voce audita; externam fermè tantùm illius speciem considerat, & haeret, vt ita dicam, in cortice.

II. *Significatio vocum in actu secundo pendet ab audiente.*

Certum est secundò, actualem vocum significationem, seu in actu secundò, vt aiunt, hoc sensu dependere ab audiente, quòd non plus ipsi significent quàm ipse actu percipiat. Vnde quantumuis alta & sublimia speculetur vel loquens vel imponens, suosque alteri conceptus verbis exprimere conetur; plura tamen de facto verba illa non significant, quàm is cui proferuntur intelligat. His positis.

III. *Affirmant aliqui posse voces rem clarius significare audienti, quàm sit nota loquenti.*

Ex aequo fermè hac in re diuisi sunt auctores, affirmantibus aliis, aliis negantibus. P. Molina 1.p.q. 13 a.1.d.2 P. Vasq.1.p.d.57.c.23. P: Tannerus 1.p. d.2.q 7 dub.4.& alij affirmant posse voces rem clarius significare audienti, quàm nota sit loquenti. Quam etiam sententiam docet Doctor subtilis in 1. d.22 Okam, Gabriel & alij.

IV. *Alij negant.*

Negat P. Suarez l.2.de Deo c.31. P. Hurt.d.8.log. s.2.n.24. P. Arriaga d.13.log.s.1. n. 28. & alij tum ex recentioribus tum antiquis

V. *Captus loquentis non est mensura vocum.*

Dico primò, mensura significationis vocum desumenda non est penes captum loquentis, sed clarius rem significare audienti possunt, quàm eam loquens intelligat.

VI. *Variè ostenditur posse voces clarius rem significare, quàm eas intelligat loquens.*

Probatur primò, siue quis has voces, *Homo, Leo, Caelum* à docto prolatas audiat, vel indocto, eundem planè de rebus sub iis contentis conceptum format, ergo notitia quam de iis vel rebus, vel vocibus format loquens, in earum significationem omninò non influit. Confirmatur quando enim aliquis (Concionator v.g. vel Magister) plures simul alloquitur, quot illic sunt praesentes, tot fermè diuersos de rebus ibidem dictis formant conceptus, quae sanè differentia ex cognitione loquentis, quae vnica est, oriri non potest. Confirmatur secundò, Exemplo P. Vasquez. Si quis qui Romam nunquam vidit, de illa loquatur alteri qui ibidē natus, vel saltem commoratus est, clariorem hic multò de ciuitatu illius situ, de plateis, de moenibus formabit conceptum, quàm alter qui abstractiuam, & imperfectam admodum de his rebus habet notitiam.

VII. *Ratio à priori est, quia audiens perfectiorem habere potest rei illius speciem.*

Ratio deinum à priori est, quia voces significare est rei dictae cognitionem in mente audientis gignere, hoc autem non fit immediatè à voce, sed media specie, quam vel ante habitam (quae memoratiua dicitur) excitat, vel nouam occasionaliter producit. Si ergo species memoratiua in audiente perfectior sit, quàm in loquente, perfectiorem gignet cognitionem. Si etiam maior intellectus perspicacia in audiente sit quàm loquente, vox occasionem praebebit perfectiorem in eo producendi speciem, & consequenter apprehensionem, ac notitiam. Confirmatur, sicut quò perfectior est vis auditiua, eo perfectiorem vox in aure producit speciem sensibilem, ita, quo acrior vis intellectiua, perfectiorem intelligibilem.

VIII. Dices primò, vox externa subrogatur loco conceptus, seu vocis internae, ergo non clarius rem exprimet audienti vox externa, quàm interna loquenti, Nego consequentiam; quia in audiente perfectiorem inuenit concausam, nempe speciem, quàm in loquente. Addo, si vox interna cognosci posset, talem in audiente produceret rei notitiam, qualem producit externa.

Nec obstat quod vox externa subrogetur loco conceptus in loquente.

IX. *Nec etiam refert, quod si loquens vocem non intelligeret, nihil significaret.*

Dices secundò, si res omnino non cognosceretur à loquente, nihil significaret audienti, ergo eo solùm modo significat quo cognoscitur. Inprimis, nego antecedens, vt suprà ostendi sect. secunda, si sermo sit de solo loquente, quamuis aliud sit de imponente. Respondeo secundò, negando consequentiam; quia in audiente, vt dixi, inuenit perfectiorem concausam, nempe speciem aut intellectum perfectiorem: haec autem est indoles causae partialis, vt cum nobiliore concausa praestantiorem producat effectum.

X. *Cui tribuendum, quod vox clarius rem significat audienti.*

Dico secundò. Quando vox rem aliquam clarius & perfectius indicat audienti, quàm cognita sit à loquente, non hoc voci formaliter tribuendum esse sed perfectiori speciei, vel viuaciori ingenio, quod in audiente reperitur.

XI. *Non quidquid ad effectum concurrit, est principium illius formale.*

Ad probationem, notandum, non quidquid ad effectum aliquem concurrit, censendum statim esse principium illius formale, seu ita vt effectus ei peculiari modo tribuatur. Sic affirmant multi caelum in res omnes sublunares influere, & tamen dum calor calorem producit, ignis ignem, effectus illi non caelo tribuuntur, etsi verè influat, sed causis secundis; nec dicimus, est ignis quia à caelo, sed quia est ab igne. Sic in actu supernaturali; vt intellectio est, causa illius formalis est intellectus, vt supernaturalis est, principium supernaturale: vnde tribuendo singula singulis, est intellectio quia ab intellectu, quia à causa supernaturali, supernaturalis.

XII. *Ostenditur perfectiorem illam cognitionem non esse tribuendam voci.*

Probatur itaque conclusio: quando vox audita ab eo qui habet perfectissimas species, vel ingenium viuacissimum, maximè claram in eo cognitionem efficit, singularis illa claritas non voci tanquam principio formali tribuenda est, sed speciei, vel intellectui, ergo. Probatur antecedens, si claritas illa summa in cognitione tribuenda esset voci, ita vt dici possit, est tam clara quia à voce, vox in quocunque audiente cognitionem aequè claram gigneret, sicut ea de causa in quocunque intellectu est principium supernaturale, cognitionem efficit supernaturalem; cum ergo vox in quouis audiente hoc praestare nequeat, indicio est excessum illum claritatis in intellectu, non voci formaliter, sed ingenij praestantiae acceptum referri debere, quamuis vox etiam concurrat. Sicut cùm puer fortis vt duo simul cum viro quopiam robusto pondus leuat vt centum, non puero actio illa tribuenda, sed viro; nec dici potest, est tam praestans actio quia à puero (quamuis etiam concurrat, & maiora ac maiora pondera cum pluribus viris leuare in infinitum possit) sed quia à viro.

XIII. *Intellectui tribuitur excitationis claritas maior viuaciori ingenio, vel speciei.*

In praesenti itaque, tribuendo singula singulis, audiens in hoc casu intelligit, quia à voce excitatur; tam clarè, quia tanta est speciei perfectio, aut tam perspicax mentis acies. Cuius manifestum, vt dixi, signum est, quod vox eadem in intellectu minùs perfecto tam perfectam rei cognitionem non gigneret, intellectus verò tam perfectus cum quauis voce (modo obiectum significaret) conceptum rei formaret perfectum, quod à fortiori fatentur ij omnes necesse est, qui audita quauis voce rei alicuius significatiua, affirmant in audientium mentibus cognitiones productum iri comprehensiuas. si in iis species rei comprehensiua prius existeret. De quo, sectione sequenti, conclusione quinta iterum recurret sermo.

SECTIO VII.

Quomodo mensura significationis vocum desumenda sit ab imponente.

I. *Voces mortuæ.*

Significatio, vt sectione primâ diximus, est vita vocis, vtpote cuius non sono, sed sensu metienda est perfectio; vnde *Daifi, Blitiri*, & siqua sint eiusmodi alia, voces censentur emortuæ. In præsenti ergo inquirimus, quam quamque latam significandi vim vocibus indiderit imponens, quosque illis limites præscripserit.

II. *Certum est significationem vocum pendere ab imponente.*

Certum omninò est, vocum significationem hoc sensu penes imponenté esse, quod nihil significent nec ad vllum obiectum extendantur, nisi ad quod significandum ab eo sunt impositæ. Vox *leo*, exempli gratia, significare nequit Aquilam, vel formicam, nec è contrà, cùm nulla vox leges sibi præscriptas possit excedere. Quod vocibus cum aliis signis ad placitum est commune; hedera enim appensa, non panem, aut frumentum, sed vinum tantū isthic vendibile demonstrat.

III. *Quid in præsenti controuersia disputetur.*

Præsens ergo controuersia in eo sita est, non vtrùm latiùs extendatur vocis significatio, seu ad plura obiecta quàm imponens instituerit, sed vtrùm clariùs audienti possit eandem rem significare, quàm imponens rem illam intellexerit, dum ei vocem primò imponeret; vel, vtrùm sicut penes imponentem est, quid quæque vox significet, ita & quàm clarè significet, & sicut extensiua, ita & intensiua eius virtus ex illius voluntate dependeat. Quod aliis verbis proponi solet à nonnullis, vtrùm voces ab imperfectè & abstractiuè rem cognoscente impositæ (quales nostræ omnes de facto sunt, vtpote ex cognitione per sensuum ministerium habitâ, rebus assignatæ) rem illam clariùs repræsentare ei possent, qui claras alius species haberet.

IV. *Imponens, vt loquens, potest rem alteri clarius significare, quam sit nota sibi.*

Dico primò: si primus vocum institutor sumatur vt loquens est, & suos cum aliis conceptus vocibus à se iam cusis communicat, clariùs voces illæ rem audienti significare possunt, quàm res illa nota sit imponenti, qui hic voce suâ vtitur. Ratio est, quia hic non imponentis personam sustinet, sed solùm loquentis, & in hoc ab aliis loquentibus nihil differt. Sicut valorem monetæ imponere vnius Principis est, vbi verò valor semel est impositus, & pretium constitutum, communis Principi cum subditis est illius vsus.

V. *Voces clarius res significare possunt audienti, quam imponens in primâ etiam impositione eas intellexit.*

Dico secundò: possunt voces res clariùs audienti indicare, quàm institutor, etiam in primâ vocum impositione res illas intellexerit. Ratio videtur clara, sicut enim propterea voces rem clariùs significare possunt audienti, vt vidimus, quàm sit nota loquenti, quia audiens & perfectione specierum, & ingenij acumine multis loquentem gradibus potest excedere; ita cùm in iisdem superare etiam possit primum vocum institutorem, quo minùs eum in claritate cognitionis à vocibus occasionaliter prouenientis superet, quid vetat?

VI. *Possunt etiam voces efficere cognitionem quidditatiuam, & comprehensiuam.*

Dico tertiò: non cognitionem tantùm abstractiuam, sed etiam quidditatiuam, imò & comprehensiuam efficere possunt voces in iis qui quidditatiuas, vel comprehensiuas species haberent. Ratio est, quia non minùs alias excitarent species quàm alias; & hoc modo facilè explicatur quomodo cum Angelis loquamur, qui species rerum habent quidditatiuas, & cum Christo, qui comprehensiuas, in quo declarando non parum laborat contraria sententia.

VII. Obiicies primò; nullus effectus excedere potest virtutem suæ causæ, *nemo enim dat quod non habet*, ergo cùm causa virtutis significatiuæ in voce sit vocis institutor, isque non quomodocunque, sed vt rem concipiens cui nomen imponit; qualis est mensura cognitionis, talis erit & vocis, ergo plus significare vox non potest quàm imponens intelligat. Respondeo, verùm hoc esse de virtute extensiua significationis vocum, seu in ordine ad plura obiecta, vt suprà declaratum est, non intensiuâ, seu ad idem clariùs cognoscendum, cùm hoc pendeat ab aliâ concausâ, specie scilicet, vel intellectu, in quibus audiens longè potest superare loquentem. Et sanè parum prudenter fecisset vocum institutor, si omnes suo metiri modulo voluisset, imò nec præstare hoc potuisset, vt postea dicemus. *Voces excedendo huiusmodi cognitionem non excedunt virtutem suæ causæ.*

Obiicies secundò; qui rebus primò voces imposuit, id pro nostro tantùm statu fecit, vt inter nos humano modo discurrere possemus, non vt res tam clarè significarent ac eas Angeli, & beati percipiunt. VIII.

Respondeo primò, in potestate institutoris non fuisse vocum significationem hac ratione restringere, vt postea ostendam. Secundò dico præcisiuè se hac in parte habuisse, quod inde suadetur, quia multa verba ab institutore imposita res varias significant, quæ ad statum hunc, & naturæ ordinem (quē solùm nouerat institutor) non pertinent. Sic vox *vnio* significat vnionem Hypostaticam; *generatio* æterni verbi generationem, & alia huiusmodi. IX. *Institutor habuit se præcisiuè ad præsentem, & alios statum.*

Obiicies tertiò; si voces significent quidditatiuè, vox quæuis res significabit maximè disparatas, vt *lapis* lunam, *formica* aquilam &c. Nego consequentiam, sed illas solas quæ connexionem aliquam cum re illâ habent, quam vox directè & primariò significat, & ad perfectam illius cognitionem iuuant, vt sunt proprietates, passiones, & effectus, & huiusmodi. X. *Nec hinc sequitur quamcunque vocem significare directè res quasuis disparatas.*

Obiicies quartò, saltem cùm iuxta nos voces etiā comprehensiuè res significent iis qui species earum habent comprehensiuas, sequitur quamlibet vocem res infinitas, imò omnes significare. Contrà, hoc ipsis est soluendum aduersariis, qui voces ideò comprehensiuè non significare asserunt, quod institutor vim iis in actu primo significandi limitatam indiderit, suaque voluntate frænum quasi quoddam iis iniecerit; vnde si ita visum institutori fuisset, latiorem iis significandi virtutem indere potuisset: fac ergo, quod nos asserimus (imò vt ego existimo, & sequente conclusione ostendam, aliter facere non potuit) fac inquam, eum ita de facto voces instituisse, vt comprehensiuè, vbi speciem inuenissent comprehēsiuam, significarent, quam ipsi in eo casu solutionē adhiberent, adhibebimus in præsenti & nos. Dico itaque nihil in hoc esse incommodi, in iis saltem rebus quarum notitia ad comprehensionem, saltem vulgarem, vt vocant requiritur, imò etiam quæ ad perfectam comprehensionem sunt necessariæ, si hæc in intellectum creatum cadat: de quo alibi. XI. *Nil vetat vocem aliquam plurima significare indirectè.*

Dico quartò: primus vocum institutor non solū nullos iis, quoad claritatem in excitando, limites præscripsit, sed nec præscribere potuit: vnde extensiua tantùm significandi virtus in imponentis potestate est, non intensiua. Ratio videtur clara, nam vbi semel voci cuipiam, *Homo*, exempli gratia, vis est indita significandi, agit vox illa per modum causæ naturalis & necessariæ, non minùs quàm imago hominis depicta; vnde cùm ex naturâ suâ sit concausa, si in audiente speciem inuenit quidditatiuam, comprehensiuam &c. cognitionem simul cum illâ efficiet quidditatiuam, aut etiam comprehensiuam; idque velit nolit imponens. XII. *Institutor non potest voci limites præscribere quoad claritatem in excitando.*

Ad quod, notandum; licèt vox *Homo* sit signum XIII.

ad pla-

In pictura institutum est, ut vox significet, non ut hoc vel illa claritate significet.

ad placitum, seu liberè habeat quod sit signum hominis, cùm potuisset esse signum leonis, vel equi, imò nullius omnino rei signum, magis quàm Bliniri; in actu tamen secundo positâ institutione, significat necessariò. Sicut etiam imago hominis in tabulâ depicta est hoc sensu ad placitum, iidem enim colores illi, qui sub his lineamentis & tractibus in figuram efformati sunt hominis, sub aliis, si pictori ita visum fuisset, leonis vel equi effigiē expressissent, imò nullam omnino, si in pictoris officina mansissent, nec artis beneficio in hāc vel illam formam fuissent deducti. Quod coloribus figura, hoc vocibus imponētis voluntas est, quæ quibusdam quasi lineamentis vocem in hominis vel leonis intentionalem imaginem format, sicut colores ars pictoris in physicam.

XIV. *Vox instituta, nunquam non significat.* Sicut ergo picta hominis imago oculis obiecta, repræsentationem hominis in intuentis mente, velit nolit pictor, producit, ita vox in audientis intellectu, quamuis non ideò viuacē, aliquam tamen hominis notitiam inuito etiam institutore progignet, diuersam tamen pro diuersitate speciei, quam in eius mente reperit. Et sicut pictor hanc imaginis efficaciam impedire nequit, nisi eam obliteret, ita nec institutor vocis, nisi illius significationem tollat.

Dico quintò: Probabile mihi est, voci vt principium formale est, certos semper ab imponente limites præscribi, non quidem in actu signato, sed exercito. Ad probationem conclusionis, notandum; ad institutionem vocis tria semper in imponente concurrere; cognitionem vocis, cognitionem rei, & voluntatem vt significet. Vnde vox quà signum, nihil aliud est quàm verbum & hi tres actus, voluntatis vnus, duo intellectus, physicè primò, posteà moraliter manentes, seu signum taliter cognitum, & volitum. Vnde quanta cognitionis de re aliqua claritas imponentis est in instituendo, tanta formaliter loquendo institutæ vocis claritas est in essendo & operando; *primum enim in vnoquoque genere mensura est reliquorum*, excessus autem omnis qui in cognitione à voce ortâ procedit, speciei vel intellectui tribuendus est, non voci, vt dictum est sectione præcedente conclusione secunda. XV. *Voci vt est principium formale, limites præscribuntur in actu exercito.*

Quod à fortiori dicendum iis est qui vim intensiuam significandi vocum ita in imponentis voluntate statuunt, vt penes ipsum sit, quominùs species quidditatiuas aut comprehensiuas omnino excitent, ergo & restringere vlteriùs eas poterit vt non excitent vllas clariores iis, quæ in imponente repertæ fuerunt, dum vocem institueret. XVI. *Hoc à fortiori dicendum in aliis sententiis.*

DISPVTATIO XLIII.

De Definitione, & Diuisione.

Definitiones causales. De his etiam nihil admodum nobis hîc restat dicendum, vtpote quarum naturas & proprietates fusè discussimus in Introductione, d. 4. solùm hoc nuto, præter genera definitionum in Summulis enumerata, Definitiones quasdam esse quas vocant causales, nempe quæ per causas traduntur extrinsecas alicuius rei, efficientem scilicet & finalem; vt si quis dicat, *Eclipsis est interpositio lunæ inter solem & terram: homo est animal creatum ad videndum Deum*, & aliæ huiusmodi, quæ non essentiam rei immediatè in se & per causas intrinsecas explicant materialem scilicet & formalem, sed tantùm per extrinsecas. Duo circa Definitionem examinanda huc remisi, quæ hîc disquiram.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Definitio in simplici apprehensione consistat, an Iudicio.

I. Suprà Disp. 7. sec. 4. dixi *Definitionē* esse subiectum Attributionis Dialecticæ. Ad obiectionem verò quæ contra hoc fieri posset, Definitionem nimirum in simplici Apprehensione suam esse, licèt ibidem s. 6. n. 7. obiter responderim, plenam tamen quæstionis illius discussionem huc remisi.

II. *Definitio perfecta reperitur tantum in iudicio.* Conclusio: licèt Definitio obiectiua, seu totum obiectum per partes repræsentatum in Apprehensione reperiri possit, non tamen Definitio formalis, nisi admodum imperfecta. Prior pars constat, quia cùm quis simplici Apprehensione cogitat animal rationale, totum quod est in homine repræsentat, genus scilicet & differentiam, ergo nihil restat aliud cogitandum, cùm illæ duæ partes adæquatè constituant hominem. Vnde licèt etiam cognitio illi correspondens dici aliquo modo Definitio formalis possit, est tamen admodum imperfecta, vt iam ostendam.

III. *Ratio est, quia simplex apprehensio non est propriè modus sciendi.* Secunda itaque pars probatur, simplex Apprehēsio non est propriè modus sciendi, ergo non potest esse propriè definitio. Probatur antecedens, modus sciendi propriè est qui facit scire, sed simplex Apprehensio non facit scire, quantumcumque enim stellas apprehendat quis vt pares, non tamen id nouit, nisi assensum præbeat, quod spectat ad iudicium. Confirmatur, si *Definitio* consistere possit in apprehensione, cur non etiam *Argumentatio*? potest enim quis certo ordine apprehendere duas præmissas & conclusionem, absque eo quod quidquam iudicet, imò hoc inter disputandum frequenter euenit, præsertim cum hæreticis, vbi quicquid ipsi dicunt, eodem nos ordine apprehendimus, assensum tamen non præbemus. Maximè verò id contingit cùm in re aliquâ dubiâ fit discursus. Quòd si tunc dicas non esse argumentationem, quia non est modus sciendi, nec esse modum sciendi, quia nil iudicamus, idem inferam de Definitione, tam enim per argumentationē apprehensiuam manifestatur passio, quàm per Definitionem apprehensiuam essentia.

IV. *Si Apprehensio sit modus sciendi, erit etiam modus sciendi visio materialis.* Probatur secundò, si simplex apprehensio alicuius rei dici possit modus sciendi, ergo non est cur visio aut alia sensatio à ratione modi sciendi excludatur, cùm eo solo nomine ab apprehensione differat, quòd apprehensio spiritualis sit, visio materialis. Dices, visio non euoluit rem per partes, apprehensio verò ideo est modus sciendi, quia quod antea apprehendebatur confusè, postea apprehenditur clarè & per partes, vt *animal rationale*. Contrà, dum quis à lōgè imaginem conspicit, vel opus aliquod segmentatum seu tessulatum, videt quidem totum, sed confusè, propiùs autem accedens singulos operis illius tractus, lineamenta, & vmbras distinctè perspicit, & singulas eius partes sigillatim discernit, ergo visio tā est modus sciendi quàm apprehensio, seu imaginatio eiusdem imaginis, aut hominis, cuius corporis partes à longè confusè, propè clarè cernuntur ac discernuntur. Hoc autem si dicatur, iam equi cogno-

ficit modus sciendi, præsertim cùm & animalia omnia apprehensionem aliquam materialem habeat externos semper sensus comitantem.

V. *Ostenditur videri non sensum fore modum sciendi.*

Dices, non esse modus sciendi, quia sunt actus materiales, non spirituales. Contrà ratio modi sciendi à Dialecticis traditi in eo consistit, quòd clariùs manifestet id quod antea latebat, si ergo id tā præstet sensus quàm intellectus, tam reperietur modus sciendi in sensibus quàm in intellectu. Quod hinc videtur manifestè ostendi, si enim sensus iudicare posset, sicut apprehendere, daretur in eo modus sciendi, verè enim faceret scire, ergo non obstat materialitas quò minùs sit in sensu modus sciendi.

VI. *Definitio obiectiua, & formalis.*

Dices primò; Definitio secundùm regulas logicas, est quæ constat Genere & Differentiâ, sed hoc habere potest sine iudicio, ergo. Respondetur, Definitionem illam tantùm esse Definitionis obiectiuæ, non formalis, nisi imperfectè admodum & inchoatè, cùm non faciat propriè scire, ac proinde non est propriè modus sciendi, vt probauimus.

VII. *Quo sensu definitum ingredi non debeat definitionem.*

Dices secundò; iuxta hunc modum philosophandi definitum contra regulas logicas ingredi definitionem, hæc enim est definitio hominis, *homo est animal rationale*. Respondetur distinguendo antecedens definitum ingreditur definitionem tanquam id de quo enuntiatur definitiu obiectiua, concedo antecedens; tanquā aliquid tenēs se ex parte eiusdem extremi, nego: hoc autem est quod cauetur regulis logicis, inane enim quiddā videretur & inutile, si quis diceret, *homo est homo animal rationale*: ingredi autem alio modo non est inconueniens, imò necessarium est ad scientiam, vt nimirum enuntiet rem clatè & per partes conceptam ex parte prædicati, de eadem confusè concepta ex parte subiecti, per hoc enim scimus illam esse eius essentiam. Per solā autem apprehensionem non magis eam scimus quàm non, vt suprà ostensum est in primâ probatione. Quod etiā verum est de apprehensione compleaâ, vt siquis totum hoc apprehendat, *homo est animal rationale*.

Definitum debet aliquo modo ingredi definitionē.

VIII.

Dices tertiò; asserit Aristoteles definitionem spectare ad primam apprehensionem, & per eam nihil de aliquo prædicari; item definitionem *non dicere esse vel non esse*. Respondetur, Aristotelem aliis locis directè affirmare definitionem esse iudicij, vt dum ait, & cum eo Dialectici omnes, Definitionē esse principium demonstrationis, & secundo Post. cap. 3. vbi sic habet, *Is qui definitionem habet, sine demonstratione profectò sciet*, ergo ex mente Aristotelis, definitio est necessariò iudicium, nā scientia essentialiter sita est in iudicio, vt in confesso est apud omnes. Deinde addit eodem loco, *Praterea demonstrationum principia Definitiones sunt, quorum demonstrationes non esse demonstratum est prius: etenim aut principia demonstratur, & principiorum sunt semper principia, itaque nullus vnquam occurrit; aut in primis stetur necesse est, qua quidem & definitiones sunt, ac demonstrari non possunt.* hæc Aristoteles, quibus quid magis apposi è ad nostram sententiam dixisse potuit. Et 1. Poster. ca. 2. fine sic ait, *si ob prima* (hoc est, principia seu definitiones) *scimus ac credimus, & illa sanè scimus & credimus magis, quoniam ob illa scimus posteriora.* 3. etiam Metaphysicæ tex. 3. & 7. ait *definitionem esse perfectiorem demonstratione* Quod, & facit pro præsenti quæstione, & pro eo quod d. 7. diximus Definitionem esse obiectum Attributionis logicæ.

Docet Aristoteles definitionem consistere in iudicio.

IX. *Locis ergo primis citatis loquitur Aristoteles de Definitione obiectiuâ.*

Dum ergo locis in obiectione citatis dicit Aristoteles per definitionē nihil de aliquo prædicari &c. intelligendus est de definitione inadæquatâ, seu imperfectâ, qualem diximus appellari posse eam quæ tenet se ex parte solius prædicati, quæ non est *Definitio logica*, sed tantùm *Metaphysica*, seu definitio obiectiua, propria enim definitio *logica* est quæ facit scire, qualis nulla est nisi quæ enuntiatiuè, & iudicatiuè cognoscit essentiam rei.

SECTIO II.

An Diuisio sit diuersus sciendi modus à Definitione.

I. *Diuisio rationis communis in sua inferiora non est Definitio.*

DIco primò; Diuisio rationis alicuius superioris in sua inferiora non est definitio illius rationis superioris. Videtur manifestum, nam hæc diuisio animalis in sua inferiora *animal aliud rationale, aliud irrationale*, non est Definitio animalis, vt constat, vtpote quod sine rationali vel irrationali concipi potest, sicut ratio hominis sine Petro & Paulo, nihil autem potest concipi sine suâ essentiâ. Confirmatur. Definitio animalis est, *viuens sensibile*, sed longè diuersa est hæc propositio, *animal est viuens sensibile*, & hæc, *animal aliud rationale, aliud irrationale*, vt constat, ergo.

II. *Diuisio apprehensiua distinguitur à Definitione apprehensiuâ.*

Dico secundò; *Diuisio apprehensiua* distinguitur à *Definitione apprehensiuâ*: explicatur conclusio; Diuisio apprehensiua est actus apprehendens *animal & rationale*, seu *corpus & animam* quasi sigillatim, qui actus communiter præcedit Definitionem, sicut apprehensio partium præcedit totum, seu compositū: vnde alius est actus, saltem ex modo concipiendi, quo quis concipit *animal & rationale* vnitē, alius quo ea concipit sigillatim, sicut alius est actus quo quis apprehendit parietem & albedinem, seu duos terminos incomplexos, alius quo apprehendit parietem album, seu terminum vnum complexum: potest enim quis apprehendere parietem & albedinem, & tamen non apprehendere parietem album. Hæc ergo Diuisio est in partes tantùm aptitudinales, non in actuales, ac proinde nec Definitio.

III. *Diuisio in partes actuales non est diuersus modus sciendi à Definitione.*

Dico tertiò, Diuisio in partes actuales non est diuersa in ratione modi sciendi, seu diuersus modus sciendi à Definitione: ita P. Hurt. d. 10. log. sect. 6. P. Arria. d. 3. summ. s. 2. nu. 13. & alij. Probatur primò, Definitio est explicatio essentiæ per partes vnitas, sed hæc Diuisio eandem essentiam explicat per partes vnitas ergo est Definitio. Minor, in qua est difficultas, probatur; pars actualis quà actualis, dicit essentialiter connexionem cum altera comparte, sed Diuisio hæc est in partes actuales vt actuales, ergo est repræsentatio essentiæ per partes actuales, seu vnitas. sed est hæc ratio formalissima Definitionis, ergo Diuisio in partes actuales est formalissimè Definitio, & consequenter in ratione modi sciendi ab illâ non distinguitur. Confirmatur, idem est dicere, *homo componitur ex duabus partibus, corpore* scilicet & *animâ*, & *compositi hominis altera pars actualis est corpus, alia anima*.

IV. *Modus enim repræsentandi non est diuersus in Definitione & Diuisione.*

Dices, idem quidem obiectum repræsentat vterque actus, sed non eodem modo, Diuisio enim separat partes, non vnit, eas verò vnit, idque essentialiter Definitio. Contrà Diuisio hæc est in partes actuales, ergo in partes vt actualiter constituentes, ergo in partes vt vnitas, ergo ex modo concipiendi hic actus repræsentat partes illas eodē modo quo Definitio, quæ eas repræsentat vt vnam constituentes essentiam. Confirmatur. Definitio est oratio explicans essentiam rei per partes essentiales vnitas, sed Diuisio in partes essentiales actuales idem facit, ergo in ratione modi sciendi non discrepat à Definitione.

V.

Dices secundò; Diuisio est propositio *hypothetica*, Definitio *categorica*, hæc enim est Diuisio, *hominis alia pars est animal, alia rationale*, hæc Definitio, *homo est animal rationale*, ergo Diuisio differt à Definitione. Distinguo consequens, differt formaliter, seu in ratione

Materialiter tamen aliqua differētia reperitur inter Definitionem & Diuisionem. tione modi sciendi, nego consequentiam; differt in aliquo alio, transeat: hoc autem nihil contra nos, siquidem actus aliquis supernaturalis qui est Definitio, longè diuersæ rationis est ab actu naturali definitionis eiusdem rei, vel Definitio acquisita per discursum, seu quæ est conclusio, ab illâ differt quæ habetur immediatè, non tamen ratione modi sciendi, cùm vterque actus rem explicet per partes essentiales vnitas, quæ est essentia Definitionis.

VI. *Categorica de extremo copulato parum differt ab Hypotheticâ.* Deinde categorica de extremo copulato parum differt ab hypotheticâ, vt in introductione ostēsum est, quid enim saltem quoad rationem modi sciendi differunt hæ duæ propositiones, *lac est album & dulce*, *& lac est album & est dulce?* Si ergo hæc sit tota differentia inter Definitionem & Diuisionem, exigua certè est, imò in ratione modi sciendi, nulla. Præterea sequeretur, syllogismum constantem ex propositionibus hypotheticis diuersum esse modum sciendi ab alio qui ex solis constaret categoricis, quod nemo, opinor, dicet.

VII. *Declaratur in quo conſiſtat.* Quæres, quid ergo sit Diuisio? Respondeo, esse, repræsentare partes distinctim, quod æquè præstat Definitio ac Diuisio, licèt enim actus definiens non sit simpliciter & perfectissimè *præscindens*, seu actus qui repræsentet vnum non repræsentando aliud, vt supra diximus tractatu de Distinctionibus, est tamē actus *præcisiuus* qui distinctim partes concipit, easque inter se vnit intentionaliter. Cùm ergo Diuisio repræsentet easdem partes, idque vnitas, obiectum repræsentat quo ad rationem modi sciendi eodē modo quo Definitio. Licèt ergo Diuisio in partes essentiales à Definitione non discrepet, aliæ tamen Diuisiones à Definitionibus distinguuntur, vt supra ostensum est. *conceptui Definitionis.*

VIII. *Aristoteles Definitionē à Diuisione non distinguit.* Quæ omnia ex eo confirmantur, quòd Aristoteles 1. Met. cap. 7. tex. 48. enumerans modos sciendi, nullam Diuisionis mentionem fecerit, sed omnem disciplinam aut Demonstrationi aut Definitioni comparari affirmat, quod argumento est ipsum Definitionem à Diuisione non distinxisse. Cùm verò alias Diuisionem ad Definitionem ordinatā asserit, vel de Diuisione apprehensiuâ loquitur, vel de iudicatiuâ in partes aptitudinales, quæ in eo nomine ait ad Definitionem ordinari, quod ei materiam subministret. Hoc verò nihil facit contra id quod hîc astruimus, nempe Diuisionem in partes actuales non esse à Definitione distinctam.

DISPVTATIO XLIV.

De veritate & falsitate Propositionum.

A Multis, in libris de Animâ, disputari solet hæc quæstio, vtpote quæ ad actuum intellectus notitiam apprimè conducat, quorum plena & perfecta discussio ad illos libros pertinet. Cùm tamen ad varias difficultates enodandas imprimis sit opportuna, hîc eam subnectemus. Imò iure hoc suo sibi postulat Dialectica; quæ enim aptiùs de veritate, quàm *veritatis scientia* disputet.

SECTIO PRIMA.

In quo consistat formalis veritas & falsitas.

I. *Dicunt aliqui veritatem consistere in quadam relat.* DVrandus, quem sequitur P. Vasquez 1. p. d. 76. c. 1. veritatem ait consistere formaliter in conformitate conceptus obiectiui cum re, vt à parte rei, seu esse conformitatem rei vt conceptæ, ad se vt in re existentem. Dicere proinde videtur hæc sententia quoties quis aliquid concipit, quoddam in mente formari idolum ab actu distinctum & obiecto, huic tamen simile.

II. *Sed Contrà, sic enim per omnem actū intellectus, etiam fidei, fieret ens Rationis.* Hæc opinio nullo modo placet, hinc enim sequeretur per omnem actum intellectus fieri ens rationis obiectiuum, quod præterquam quòd sit contra communem Philosophorum sententiam, per se videtur falsum, cur enim faceret quis ens rationis si proferet hanc propositionem, *sol lucet*, sole præsertim lucente? certè luce clarius videtur nullum illic interuenire ens rationis, cùm nulla interueniat fictio, ens rationis autem essentialiter pendet ab intellectu fingente. Deinde in omnibus etiam actibus fidei aliquid inueniretur fictitium. Præterea ante villa imaginatam vel fictam relationem rationis, si quam hîc interuenire velint, ex eo solùm quòd directè feratur actus in obiectum, est vel conformis illi vel difformis, ac proinde vel verus vel falsus, nam iuxta illud celebre dictum Aristotelis c. de substantia, fine, *ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.*

III. *Loqui videntur hi auctores tātum de fundamento huius ideali obiectiui.* Confirmatur, cognitio diuina ab æterno fuit vera sine vllâ huiusmodi relatione fictitiâ, ergo. Vnde probabile mihi videtur hos auctores de fundamento tantùm huius relationis loqui, seu de actu ipso intellectus. Si autem velint per esse obiectiuum, idē ac esse obiectum actus etiam non placet, tunc enim dicerent actum verum, vel falsum, esse actum conformem sibi, cùm enim obiectum quâ tale, sen reduplicatiuè sumptum, reddatur tale per ipsum actū, actum esse conformem obiecto reduplicatiuè sumpto, esset actum esse conformem sibi.

IV. *Consistit veritas in conformitate actus cum obiecto.* Dicendum ergo cum P. Suarez d. 8. Metap. s. 1. P. Hurt. d. 9 de Anima. s. 1. P. Arria. d. 14. log. s. 1. num. 2. & omnibus communiter, veritatem consistere in conformitate quâdam intentionali actus cum obiecto, seu cum re quam repræsentat. Explicatur conclusio, actus intellectus, vt suprà fusè declarauimus d. 24. s. 7. duo habet, & esse physicam qualitatem, & intentionalem. Hæc ergo conformitas non requiritur secundùm esse physicum actus, actus enim est finitus, obiectum aliquando infinitum, actus accidens, obiectum substantia, actus spiritualis, obiectum corporeum, sed secundùm esse intentionale seu, quod eodem recidit, veritas in hoc consistit, vt actus obiecto non in essendo conformis sit, sed in repræsentando.

V. *Ratio est, nam actus est imago obiecti.* Probatur primò ex dicto illo Aristotelis nu. 2. citato. Secundò, actus intellectus est imago obiecti, sed perfectio imaginis in eo sita est quod omnia in obiecto, seu singula illius lineamenta verè & perfectè repræsentet, ergo actus, vt verus sit, idem præstare debet, sicque veritas est conformitas actus cum obiecto. Confirmatur primò. veritas formalis est veritas in dicendo, sed veritas in dicendo consistere nequit in rebus, saltem adæquatè, sed in dictione, quæ est actus intellectus, ergo. Confirmatur secundò, obiectum dicitur mensura actus, certos ei fines ac limites, præscribens, extra quos non vagetur; vnde veritas actus in eo consistit, quod cum obiecto repræsentatiuè seu intentionaliter conformetur. *Obiectum est mensura actus.*

Con-

Veritas est aequalitas. Confirmatur tertio, cùm obiectum, seu scibile, vt ait Aristoteles, sit mensura scientiae, veritas est quaedam aequalitas actus cum obiecto, sed hoc fit sine vllo ente rationis, vel figmento, ex eo praecisè quòd obiectum repraesentet sicuti est, ergo nullum hic interuenit ens rationis.

SECTIO II.

In quo actu intellectus reperiatur veritas & falsitas.

I. *Quaestio procedit de Apprehensione.* Recolenda quae d. 6. Proaemialium diximus de triplici intellectus operatione, apprehensione scilicet, iudicio, & discursu. Inter quae de iudicio nullum esse potest dubium, cùm in eo formaliter sit assensus & dissensus. nec etiam de discursu, qui aliud nihil est quàm tale iudicium. Quaestio ergo de solâ procedit apprehensione simplici.

II. *In apprehensione etiam incomplexâ datur aliqua veritas.* Prima conclusio, in simplici Apprehensione incomplexâ subiecti vel praedicati datur aliqua veritas sicut & in sensibus: ita P. Sua. d. 8. Met. s. 3. P. Molina 1. p. q. 16. d. 1. P. Hur. d. 9. de An. s. 2. §. 7. P. Arri. d. 14. log. s. 4. Probatur primò ex Aristotele 3. de Anima, c. 6. dicente, *sicut visio circa obiectum est vera, ita & intellectus.* Ratio à priori, quia veritas aliud nihil est quàm conformitas intentionalis actus cum obiecto, sed actus simplicis apprehensionis repraesentans hominem, exempli gratiâ, est illi conformis in repraesentando, ergo verus, vel si hominem non apprehendat, sed aliquid aliud, non est hominis apprehensio, sed illius alterius obiecti, ergo erit vera apprehensio illius, & illi conformis. Confirmatur primò, qui concipit *animal rationale*, formare dicitur verum conceptum hominis, quia scilicet conceptus eius formalis adaequatur homini, seu rei per eum conceptae, ergo. *Actus intellectus est imago intentionalis.* Confirmatur secundò, actus intellectus, vt diximus, est imago quaedam intentionalis, ergo si conformatur obiecto, est vera, sicut imago materialis. Quod de veritate apprehensionis incomplexae termini alicuius dicimus, à fortiori verum habet in complexâ, seu apprehensione totius propositionis, haec enim propiùs ad iudicium accedit, in quo veritas perfectissima reperitur.

III. *In Apprehensione incomplexâ non datur vlla falsitas.* Secunda conclusio: in apprehensione simplici incomplexâ praedicati alicuius vel subiecti, nulla datur falsitas: ita Sua. d. 9 Met. s. 1. nu. 14. Hurt. & Arria. locis citatis. Ratio à priori, quia sicut veritas est cõformitas cum obiecto suo, ita & falsitas debet esse difformitas actus cum obiecto etiam suo, sed apprehẽsio incomplexa non potest esse difformis obiecto suo, quod videtur manifestum, nam illud est obiectum eius quod repraesentat, & nihil aliud, sed est necessariò conformis illi quod repraesentat, nam alioqui non est imago, nec repraesentatiu illius. Quòd autem sit difformis alijs rebus quas non repraesentat, nihil refert, nam ratio veritatis & falsitatis desumi tantùm debet in ordine ad obiectum propriũ, alioqui nullus omnino actus erit simplicis apprehẽsionis qui non sit falsus, cùm nullus sit aliquibus rebus non difformis. Vnde si quis volens apprehendere *aurum*, apprehendat *aurichalcum*, non est illa falsa apprehensio *auri*, sed vera *aurichalci*, & illi conformis, non difformis *auro* propriè loquendo, seu difformitate oppositâ, sed solùm disparatâ.

IV. *Apprehensio aurichalci pro auro est vera, & conformis suo obiecto.* Dices, quando quis volens apprehendere *aurum*, apprehendit *aurichalcum*, non attingitur obiectum quod erat apprehendendum, ergo hae apprehensiones sunt falsae, ergo per illas decipitur principium intellectuale. Distinguo antecedens, non attingitur id quod erat attingendum ex imperio voluntatis, transeat antecedens; quod erat attingendum per hanc apprehensionem, nego: non enim aliud obiectum erat attingendum per hanc apprehensionem quàm *aurichalcum*, quia haec est essentialiter *aurichalci* apprehensio, non *auri*, imò non potest esse apprehensio auri, ergo non debuit esse apprehensio illius; solùm ergo hoc argumento conficitur debuisse loco huius apprehensionis, quae est *aurichalci*, substitui aliam, quae fuisset apprehensio auri, hoc tamen non arguit hanc apprehensionem esse falsam, cùm conformis sit suo obiecto.

V. *Intentio voluntatis non potest facere actum intellectus falsum.* Vnde ad primam partem consequentis, nego falsam esse apprehensionem illam, cùm, vt dixi, sit conformis suo obiecto, in quo consistit essentia veritatis. Nec enim est falsus actus intellectus, quòd sit difformis obiecto, in quod volebat voluntas vt tenderet, sed quia difformis est obiecto in quod actu tendit, falsitas namque actus intellectus non desumitur ex eo quòd nõ sit conformis voluntati, sed quod nõ sit conformis suo obiecto. Ad secundã partem consequentis, dico falli principium intellectuale seu decipi per hos actus occasionaliter solùm, non formaliter, quòd scilicèt ea iis sumat occasionem intellectus vel principium vitale iudicandi id *aurum* esse quod est *aurichalcum*, vel è contrà.

VI. *Hoc solùm sensu fallitur hoc principium vitale, quod frustratur intento.* Instabis, decipitur principium vitale per hunc actum, ergo fallitur. Distinguo antecedens, si per decipi intelligatur frustrari intento, concedo antecedens; si per decipi intelligatur habere actum falsum, nego; nam hic actus cùm sit cõformis obiecto suo, est verus; ille ergo dici potest deceptus negatiuè, id est, non assecutus vel non attingens quod volebat, non positiuè, id est, habens actum positiuè difformẽ illi quod repraesentat.

VII. *Veritas & falsitas sunt circa idem, tantum in iudicio.* Dices secundò; veritas & falsitas sunt circa idem, sed veritas est in apprehensione, ergo & falsitas. Distinguo maiorem, perfecta veritas seu sita in iudicio, concedo maiorem; imperfecta, nego, ob rationem iam dictam, quia non potest esse difformis obiecto suo, quia si illud repraesentat, sit illi similis & conformis necesse est, cùm sit eius imago. Vel dictum illud intelligendum est iuxta sequentem conclusionem.

VIII. *Comparatur Apprehensio imagini materiali.* Si ergo pictor quispiam pingeret imaginem equi, ita tamen vt in aliquibus non esset equi similis sed leoni, imago illa nec equi imago esset, nec leonis, sed alicuius tertij, vel esset partim vnius, partim alterius, secundùm diuersas nimirum sui partes. Actus verò apprehensionis cùm sit indiuisibilis, est totus imago & repraesentatio partis leonis, & totus partis equi, sicut eadem visio est visio simul albedinis & nigredinis, licèt autem cùm pingitur Petrus cum vno tãtùm oculo, sit defectus in illâ imagine, non tamen falsitas, quia imago illa non est falsa Petri duos habentis oculos, sed vera alterius hominis monoculi, si sit alius Petro planè similis in reliquis, sin minùs, similis est eiusmodi homini possibili, vel Petro casu quo alter ei oculus expungatur.

IX. *In Apprehensione complexa datur veritas, & aliquo modo falsitas.* Tertia conclusio: in apprehensione complexâ, vt siquis apprehendat hanc propositionem *astra sunt paria*, datur non solùm veritas, sed etiam falsitas quaedam, licèt non propria: ita P. Hurt. d. 9. de Anima s. 2. Prima pars est clara à fortiori ex primâ conclusione. Secunda declaratur & probatur, ideò iuxta Aristotelem & S. Thomam veritas & falsitas propriissimè reperiuntur in iudicio, seu vt ipsi loquuntur, *in compositione & diuisione mentis*, quia iudicium propriè attribuit vnum alteri per veram affirmationem; si enim subiectum verè habeat id quod illi intentionaliter attribuitur, actus est verus, sin minùs, falsus; sed apprehensio complexa totius propositionis aliquo modo praedicatum attribuit subiecto, dũ

ap-

apprehendit integram propositionem, licèt imperfectè, cùm propria attributio sit solùm in iudicio, in quo vera affirmatio est & negatio, seu assensus & dissensus ergo.

X. *Iudicium etiam falsũ, in quantum virtualis Apprehensio est verum.*

Dices, ergo omne iudicium (idem est de Apprehensione complexà) est conforme suo obiecto, nam si quis Petro non dormiente, dicat, *Petrus dormit*, obiectum illius actus adæquatum est Petrus & somnus, sed actus illis est conformis, ergo illud iudicium non est falsum. Respondeo, in omni iudicio & Apprehensione complexà reperiri duo, nēpe quòd sit duplex apprehensio virtualis, quod habet in quãtùm merè repræsentat, & hoc sensu, seu in quantùm apprehensio, iudicium semper est conforme obiecto. Alterum quod habet iudicium est connectere duo inter se, quæ si in re non sint coniuncta, actus est falsus, iudicium enim cùm affirmando tendat vel negando, spectat res non quomodocunque, sed vt à parte rei sunt, & in seipsis, non vt in apprehensione: & hic est peculiaris modus tendendi actus iudicatiui, quem aliquo modo imitatur apprehensio complexa, vt diximus.

XI. *Nulla est possibilis Apprehensio, quæ non sit vel vera, vel falsa.*

Quinta conclusio: nullus potest dari actus apprehensionis, qui non vel verus sit vel falsus. Ratio à priori, nam vel est conformis obiecto, quod necessariò competit omni apprehensioni incomplexæ, & actus est verus, vel non est conformis, quod competit aliquibus apprehensionibus complexis, & est falsus, idque velit necne eliciens hoc aut illud obiectum cogitare, sed vagè solùm intendat actus aliquos elicere animi gratiâ, actus enim illi aliquod semper obiectum habent quod repræsentent & cui vel conformes sunt vel difformes. Imò hoc verum est in actibus etiam non enuntiatiuis, vt *perge studere, vtinam saluer* & similibus, hi enim omnes suum habent obiectum.

XII. *Species expressa est formalis, species impressa virtualis similitudo obiecti.*

Hic solùm noto, sicut actus conformis obiecto, seu species expressa, & formalis similitudo obiecti dicitur formalis veritas, ita species impressa, quæ est virtualis imago & similitudo obiecti, dici poterit veritas virtualis sicut suprà diximus; quia actus abstrahens prædicatum vnum ab alio est præcisio formalis, species quæ actum illum efficit, dici potest præcisio virtualis.

SECTIO III.

Sintne veritas & falsitas actibus essentiales & intrinseca

I. *Prima sententia est veritatem esse relationem prædicamentalē.*

QVorundam opinio est, veritatem esse relationem realem prædicamentalem actus ad obiectum. Sed contrà, relatio prædicamentalis essentialiter supponit terminum existentem; posito enim fundamento & termino resultat, cùm tamen actus verus non ad obiecta solũ non existentia terminetur, vt *Antichristus nascetur, Cain occidit Abelem*, sed etiam impossibilia, vt *equus est rationalis*, ergo veritas non consistit in relatione prædicamentali. Confirmatur, Aristoteles in Prædicamentis, cap. de substantiâ, fine, ait *propositionem veram esse vel falsam ex eo quod res est vel non est*, nil ergo ad hoc opus relatione distinctâ. Confirmatur secundò, Deus veros habet actus, sed in Deo non est relatio ab eo distincta, seu prædicamentalis, ergo.

II. *Secunda sententia est veritatem cum actu identificari.*

Alij affirmant, veritatem esse quid intrinsecum seu identificatum cum actu, & in illo solo consistere, qui proinde aiunt, vnumquemque actum in se vel essentialiter verum esse, vel essentialiter falsum: Ita P. Hurt. d. 9. met. s. 3. subs. 4. & 5. & satis communis est inter recentiores opinio. Contrà primò, non enim apparet vnde actus quo verbi gratia, quis dicit, *Petrus currit*, tam essentialem habeat connexionem cum obiecto seu Petro currente, vt si is non curreret, non posset nec per diuinam potentiam hic actus numero vel specie elici. Hoc sane gratis asseritur, quæ enim probabilis ratio assignari potest cur hic actus *Petrus curret*, quæ verificanda est à cursu Petro futuro, non possit omnino elici, si Petrus non esset cursurus.

Contrà primò, hoc enim gratis dicitur.

III. *Esse practicū non est intrinsecum actui, ergo nec esse verum.*

Contrà secundò, plurimi ex iis qui hanc sequuntur sententiam, & in particulari P. Hurt. aiunt actum aliquem practicum esse vel speculatiuum, non esse quid intrinsecum vel essentiale actui, sed denominationem tantùm extrinsecam ab obiecto operabili vel non operabili procedentem. Quæ ergo est causa cur actum esse verum sit illi quid intrinsecum, & non denominatio partialiter saltem proueniens ab obiecto? certe non maior videtur vnius ratio quàm alterius, nec satis consequenter procedunt hi auctores dum asserentes vnum, negant alterum.

IV. *Angelus cognosceret quæuis futura contingentia.*

Contrà tertiò, hinc sequitur Angelum posse cognoscere quæcunque futura contingentia. Patet ponamus enim Petrum hunc elicere actum, *Ioannes saluabitur, Petrus est in gratiâ, dies Iudicij erit intra centum annos*, vel aliud huiusmodi occultum repræsentantem, Angelus intuens hunc vel illum actum, videt vtrùm verus sit, an falsus, videt quippe illum intuitiuè, ac proinde sciet euidenter an obiectum sit futurum, vel ita se habeat necne.

V. *Angelo futurum, saltem actuum debetur cognitio.*

Dices, Angelus non videt actus internos aliorum. Contrà primò, saltem videt suos, ergo videbit veri sint an falsi, & consequēter quomodo se habeat obiectum. Contrà secundò, ponamus alium velle vt videat, tunc videbit. Dices secundò, non deberi Angelo concursum ad futura certo cognoscenda. Contrà, videt illum actum intuitiuè, ergo vel videt esse verum vel falsum, ergo obiectum ita se habere vt enuntiatur, vel non. Non autem videtur negari Angelo posse cognitionem illorum actuum, si velit Angelus vel homo eos eliciens, vt ei innotescant: Quomodo enim possunt duo Angeli de rebus futuris colloqui? Confirmatur, saltem cognitio diuersitatis specificæ vnius actus ab alio in hoc casu debetur Angelo, sicque scire debet verus sit an falsus, alioqui visionis intuitiuæ valde imperfecta erit cognitio. Confirmatur secundò, Angelo suorum actuum debetur comprehensio.

VI. *Veritas & falsitas non sunt actibus adæquatè intrinseca.*

Conclusio: veritas aut falsitas non est actui vero vel falso intrinseca seu ei essentialis, sed est actus connotans obiectum ita esse sicut actus illud concepit, vel enuntiat: Ita S. Thomas 1. p. q. 14. a. 15. ad 3. Suar. d. 8. met. s. 2. n. 9. Arria. d. 14. log s. 1. subs. 2. & est communis hodie inter recentiores opinio, quorum aliqui eousque procedunt, vt contrariam sententiam asserant esse improbabilem, à quà tamen censurâ puto eam longissimè abesse, & posse satis probabiliter defendi.

VII. *Probatur primò ex Aristotele.*

Probatur conclusio, primò ex Aristotele c. 1. de substan. fine superiùs citato, dum ait, *ab eo quod res est, vel non est, propositionem esse veram vel falsam*, ergo veritas est denominatio saltē partialiter proueniens ab obiecto. Vbi nota, non dicere Aristotelem ex eo quòd res est, vel non est, propositio est vel non est, sed est vera falsa, ergo iuxta ipsum non quoad esse vel non esse, sed solũ quoad esse vel non esse veram pendet ab obiecto. Confirmatur, ipso facto quòd intelligamus actum esse obiecto conformem, seu rem repræsentare sicuti est, licèt nihil aliud concipiamus, nec vllum essentialem respectum cognoscamus in actu, intelligimus actum esse verum, ergo superfluus est huiusmodi ordo vel respectus intrinsecus.

Secundò

VIII. *Iudicium dicit duo, repræsentare & connectere.*

Secundò probatur, & simul explicatur conclusio, actus iudicij quo quis dicit, *Petrus currit*, duo dicit, primò, repræsentare Petrum, cursum, & vnionem inter illos, quod ipsi commune est cum apprehensione complexâ: secundum est, peculiari modo repræsentare vnionē illam, nempe cum assensu vel dissensu, seu cum determinatione ad alteram partem contradictionis, quod apprehensioni non competit, quæ tamen illam repræsentat, iudicium verò non repræsentat solùm, sed repræsentando affirmat, & intentionaliter attribuit perfectè vnum alteri. *Gratis ponitur talis connexio inter actum & obiectum.* Quid ergo vetat eundem numero actum elici quo quis dicat, *Aquila volat*, siue tunc volet Aquila siue non; vel cur necessariò habere quis debet alium specie actum, si non volet? Dicendum ergo, posse eundem numero actum elici siue volet Aquila, siue non; & si volet, erit actus verus, sin minùs, falsus, quia conformis vel difformis est suo obiecto: Sicut palmus vel vlna esse possunt, licèt nulli rei sint æquales; vt tamen sunt æquales, includunt res mensuratas.

IX. *Præciso illo prædicato, habemus actum esse conformem obiecto, & verum.*

Probatur tertiò, mente præscindamus ab actu prædicatum illud, quòd sit essentialiter connexus cum obiecto, in hoc actu exempli gratiâ, quo quis loquente Petro dicit, *Petrus loquitur*, in hoc, inquam, casu, etiam præciso illo prædicato, actus hic est conformis obiecto, cùm enuntiet sicut res est, ergo est verus, ergo essentialis illa connexio non est de essētiali conceptu veritatis, cùm nihil concipi possit sine suâ essentiâ. Confirmatur, quidquid non est de essentiali conceptu *animalis rationalis*, non est de essentiali conceptu *hominis*, ergo quidquid non est de essentiali conceptu conformitatis actus cum obiecto, non est de essentiali conceptu veritatis.

X. *Hoc bene sequitur obiectum ipsū esse verum.*

Dices, si denominatio veri formaliter proueniat ab obiecto, ergo obiectum est verum, non veritate solùm transcendentali sed prædicamentali, & formali. Nego consequentiam, nec enim est necessarium vt quidquid denominationem aliquam dat alteri, eandem habeat in se: sic denominatur aliquid prius per id quod subsequitur, superius per id quod subest, dies hesternus per hodiernum.

XI. *Præstat dicere obiectū connotari, quàm esse partem actus veri.*

Quoad modum tamen loquendi, congruentiùs dicitur actum in ratione veri connotare obiectum in talibus circumstantiis, seu sic se habere, habuisse, vel habiturum, quàm includere obiectum tanquam partem. Ratio est quia obiectum sæpe non est, vt in omni actu de re præteritâ vel futurâ, non autem propriè esse potest pars actu, quod actu non existit. Deinde quia malè sonaret si quis diceret Deum esse partem erroris vel hæresis, quod tamen admittendum necessariò videtur, si obiectum sit pars actus veri vel falsi, vt in hac propositione hæretica, *Deus non est trinus & vnus*, vel, *Deus est mortalis*.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contendentia veritatem & falsitatem actibus esse intrinsecam.

I. *An hic actus, Deus est immortalis, possit aliquo modo dici veritas Diuina.*

OBiicitur primò: si veritas desumitur ex obiecto, ergo actus verus quo quis dicit, *Deus est immortalis*, includit aliquo modo Deū, ergo est veritas Diuina. Respondeo primò, si per veritatē Diuinam intelligatur solùm actus habens pro obiecto Deum, sic dici poterit veritas Diuina, sicut & veritas Angelica actus ille qui versatur circa Angelum, solaris qui circa solem, & sic de cæteris. Respondetur secundò, negando vltimam consequentiam, hæ enim denominationes non desumuntur ab obiectis, sed vel à principiis à quibus actus proueniunt; Vnde veritas illa humana dicitur nempe elicita ab homine, sicut etiam est veritas creata non increata quantumuis sit de obiecto increato: Sic visio qua homo quispiam arborem videt vel equum, non est visio equina vel arborea licèt sit visio arboris vel equi: vel desumuntur hæ denominationes à materiâ ex quâ res fiunt, vt imago Cæsaris ex ligno confecta dicitur lignea, sicut etiam imago lapidis in chartâ depicti non lapidea dicitur, sed chartacea, nec imago auri semper est aurea. *Vnde desumuntur hæ denominationes.*

II. Obiicitur secundò: actus verus est ex naturâ suâ perfectior falso, nam veritas dici solet simpliciter perficere intellectum, falsitas verò est imperfectio, ergo differunt essentialiter. Respondetur, quoad aliqua actum falsum seu errorem esse equè perfectum physicè scilicet & entitatiuè, atque actum verum; est namque æquè spiritualis, repræsentatiuus, intensus, imò aliquando intensior, & hoc sensu perfectior multis actibus veris. Imò actus falsus Angeli alicuius esse potest perfectior entitatiuè multis actibus veris hominum. *Quoad quædam actus falsus est æquè perfectus ac verus.*

III. Secundò tamen dico; si sermo sit de actibus in materiâ necessariâ, vt circa essentias rerum, perfectior est actus scientiæ actu erroris, quia radicalis veritas & inadæquata quæ reperitur in actu scientiæ, est homini melior, & hoc sensu perfectior quam radicalis falsitas: formalis autem veritas prout distinguitur à radicali, non perficiet adæquatè intellectum, cùm obiectum à quo partialiter desumitur, non sit in intellectu. Dici etiam solet actus verus melior falso, non in se, sed occasionaliter, id est, quòd actus veri plerumque boni alicuius, falsi verò mali sint occasio. *Quo sensu actus veri sint meliores falsis.*

VI. Nulla tamen hinc arguitur diuersitas intrinseca, idem enim actus qui iam est verus, & perfectio intellectus, potuisset esse falsus & imperfectio eiusdem, sicut eadem res in diuersis circumstantiis bona successiuè esse potest & mala, vt frigida sitienti bona est, non saturo, lux oculos sanos habenti ac firmos, non lippo. Vnde perfectio hæc non actui conuenit secundùm se, sed ratione connotati, seu in his circumstantiis, si enim res ita sit vt actus enuntiat, est verus, si aliter se habeat, falsus. *Actus qui iam est verus, & perfectio potuisset esse imperfectio intellectus.*

V. Obiicitur tertiò, vt actus sit verus, nil aliud requiritur nisi vt repræsentet obiectum sicuti est, sed hoc ipsi est essentiale, ergo veritas est ipsi essentialis. Respondeo negando minorem, nam repræsentare obiectum sicuti est, dicit duo, repræsentare stellas, verbi gratiâ, habere paritatem, & hoc est de essentiâ illius actus, quodque habet siue stellæ sint pares, siue non: aliud est quod significatur illis verbis *sicuti est*, quæ denotant oportere obiectum ita se habere vt repræsentatur vel dicitur, quod nō est actui essentiale, vnde in materiâ contingenti, actus qui repræsentat obiectum sicuti est, repræsentare potuisset vel dicere illud idem obiectum aliter quàm est. Repræsentare itaque obiectum sicuti est, est actui accidentale, vt si Petrus in eo instanti quo quis dicit eum stare, sedeat. *Repræsentare obiectum sicuti est non est actui essentiale.*

VI. Obiicitur quartò: Actus verus & falsus differunt specie, ergo veritas & falsitas sunt actibus intrinsecæ. Confirmatur, actus specificantur ab obiectis, sed obiecta actus veri & falsi semper distinguuntur specie, ergo & actus. Ad argumentum, distinguo antecedens, differunt specie quoad rectum seu entitatem actus, nego antecedens; quoad obliquum seu obiectum, concedo, Hoc autem arguit veritatem esse actui partim extrinsecam: sicut dicere debent aduersarij de actu speculatiuo & practico. Ad confirmationem negatur minor, vt latiùs dicetur sect. sextâ. *Actus verus & falsus non differunt specie quoad rectum.*

VII. Obiicitur quintò: Propositio de futuro contingente,

gente,

Quid requiratur vt propositio de futuro sit vera intrinsecè.

gente, vt, Petrus cras peccabit, est vera determinatè vel falsa, ergo per se adæquatè, obiectum enim iam non est. Respondeo, vt propositio sit vera, requiri vt obiectum sit non pro omni tempore, sed solùm pro tempore per propositionem importato. Ad veritatem proinde huius actus parum refert quòd peccet Petrus quando elicitur actus, sed solùm vt peccet cras, illud enim tempus importatur actu. Nec hoc est singulare in actu vero vel falso, multæ enim sunt denominationes quæ passim censentur partim intrinsecæ, quæ tamen partialiter proueniunt à rebus tunc non existentibus, vt domus antiqua, denominatio prioris ac posterioris in successu temporis, vt Petrus iam existens est posterior Adamo, & prior Antichristo, quorum neuter iam existit. Aliud est in denominatione albi, calidi, & similium, cùm requirant vnionem Physicam quæ non nisi inter existentia exerceri potest.

SECTIO V.

Vtrùm actibus Diuinis, & iis qui versantur in materiâ necessariâ, veritas sit adæquatè intrinseca.

I. *Veritas duplex, Formalis & Radicalis.*

NOtandum, duplicem esse veritatem, *formalem*, quæ est conformitas actus cum obiecto, quam proinde partialiter ingreditur obiectum; & *radicalem*, quæ est exigentia intrinseca & essentialis actui vt obiectum ita se habeat sicut propositio enuntiat: Quo sensu, disp. 8. de Eucharist. sect. 3. dixi verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*, pro priori ad effectum esse vera, quòd nimirum ex institutione Christi vim habeant ad reddenda se vera formaliter pro aliquo posteriori, vnde vt vera *radicaliter* operantur, & ponendo obiectum quod significant, faciunt se vera *formaliter*.

II. *Licèt quidam actus essent essentialiter veri, non sequitur omnes esse eiusmodi.*

Dico primò: licèt admitteremus actus qui versantur circa materiam necessariam, vt *homo est animal rationale, equus est hinnibilis*, esse essentialiter veros, non tamen inde rectè inferretur idem concedendum esse in actibus de materiâ contingente. Ratio est, nam peculiare quiddam in his actibus cernitur, cur essentialiter veri dici possint, vel falsi, quòd nimirum circa obiectum versentur, quod eodem semper modo se habet, vnde si illud repræsentent sicuti est, sunt necessariò, & semper, seu immobiliter veri: è contrà, si aliter obiectum repræsentent quàm est, sunt necessariò, & immobiliter falsi.

III. *Veritas radicalis est de essentia omnis actus Diuini Deus est prima veritas in cognoscendo.*

Dico secundò: veritas radicalis est de essentiâ actuum Diuinorum, siue de obiectis necessariis sint, siue contingentibus. Ratio est, quia hæc est perfectio, & dignitas Dei, vt omnia petat cognoscere sicut sunt, & vt per infinitam, quam habet intelligendi vim, à vero nunquam aberret, nec aberrare possit, & hac de causâ dicitur *prima veritas in cognoscendo*. Est ergò Deus principium summè verax, non in dicendo solùm, sed intelligendo, nec nobis tantùm, sed sibi, quique vt fallere non potest, aliter rem dicendo quã est, ita nec falli, rem aliter, quàm reipsa habet, intelligendo. Vnde omnis actus Diuinus est ex essentiâ suâ radicaliter verus. Idem multi de actibus fidei supernaturalibus affirmant, & iis omnibus, qui versantur circa materiam necessariam.

IV. *Nullus omnino actus est adæquatè verus per aliquid sibi intrinsecũ.*

Dico tamen tertiò: nulla omnino propositio interna de quacunque materiâ, imò nec ipsi actus Diuini sunt adæquatè veri per veritatem sibi vsquequaque intrinsecam, sed partim per obiectum, quod ita se habet, sicut actus enunciat; ita P. Arriaga d. 14. Log. s. 1. subs. 8. num. 42. & est multò communior inter recentiores opinio. Ratio est, quia veritas est quædam æqualitas seu conformitas cum obiecto, connotando scilicet illud ita se habere, sicut actus enunciat, æqualitas autem & commensuratio essentialiter inuoluunt duo, alterum quod commensuratur, alterum cui res illa commensuretur.

Conformitas inuoluit duo.

V. *Actus etiã Diuini sũt partialiter veri per obiectũ etiam.*

Dices, actus diuini essentialem habent connexionem in repræsentando cum obiectis in essendo, ergo sunt essentialiter veri. Distinguo consequens, sunt essentialiter veri per se adæquatè, nego consequentiam; per obiectum partialiter, quod per radicalem veritatem, quam habent, petunt ita se habere, sicut actus enunciat, concedo: sicut creatura quando existit, petit essentialiter coëxistere Deo, & tamen denominatio coëxistentis Deo, particulariter prouenit à Deo.

VI. *Idem est à fortiori de actibus creatis in materiâ necessariâ.*

Actus verò naturales, qui circa obiectum versantur in materiâ necessariâ, sunt etiam necessariò veri, non tamen per se adæquatè, sed etiam per obiecta necessariò se habentia sicut actus enuntiant. Idem dicendum de visione intuitiuâ, & aliis.

VII. *Dicit aliquis posse actum persistere, licèt reddatur impossibile obiectum.*

P. Arria. nu. 46. ex occasione huius ait actum quo quis dicit, *equus est possibilis*, etiamsi equus reddatur impossibilis, posse adhuc persistere: imò addere videtur, sicut actus, quo quis dicit *Petrus currit*, potest eodem modo permanere, & Petrum repræsentare currentem, etiamsi non currat, ita actum qui dicit, *Petrus potest currere*, non solùm persistere posse, si cursus Petro esset impossibilis, sed eodem modo Petrum repræsentare currentem, & cursum hunc chimæricum referre, sicut antea referebat verum: addens hoc videri euidens. Sed contrà: euidentia est rara auis in terris, nigroque, vt aiunt, cygno simillima. Quàm verò hoc in particulari sit euidens, mox videbimus.

VIII. *Actus de obiecto reali non potest illud repræsentare, si reddatur impossibile.*

Non ergo assentior: imò existimo ab euidentiâ longissimè abesse. Ratio est, quia actus mutaret obiectum, cursus enim possibilis & impossibilis plus differunt quàm instans A & instans B, & tamen negat ipse num. 54. posse eandem propositionem nunc determinate significare instans A solùm, & postea solùm instans B.

IX. *Actus non potest priùs repræsentare obiectum possibile, & postea impossibile.*

Dices intellectus, potentia intentionalis cùm sit, nullo discrimine in possibilia fertur & impossibilia, in quo differt à potentiâ Physicâ. Distinguo, per actum, qui semel obiectum solùm possibile repræsentabat, potest postea repræsentare impossibile, nego; sic enim, vt dixi, mutaret obiectum: per alium actum ferri potest intellectus in impossibilia, concedo. Imò eodem actu possibile simul repræsentare potest, & impossibile, quod tamen repræsentat semel, semper repræsentat.

X. *Res, si fingatur impossibilis, debet habere prædicatum, quod antea non habuit.*

Ex quo clarè constat, cur idem actus dicere possit *Petrus currit*, siue currat, siue non, non tamen actus, qui diceret *Petrus potest currere*, si vel Petrus, vel cursus reddatur impossibilis, mutaret siquidem obiectum, antea enim repræsentabat Petrum verum, nunc repræsentaret Chimæricum. Et sanè in his principiis, quod scilicet actus mutare non possit obiectum, res videtur manifesta; omnis enim res possibilis inuoluit essentialiter aptitudinem vt producatur, res verò impossibilis ineptitudinem, quæ sunt Prædicata specie, imò genere distincta.

XI. *Res impossibilis inuoluit duo contradictoria.*

Conf. obiectum omne impossibile inuoluit in se duo contradictoria, & hoc est de essentiâ rei impossibilis, & ratio cur existere à parte rei non possit; quidquid enim contradictoria non inuoluit, potest à parte rei existere, sed in nullâ re possibili sunt prædicata contradictoria, ergo Petrus redditus impossibilis nouum habet prædicatum, ergo &c.

XII.

Dices, non aduerteret propositionem hanc proferens *Petrus currit*, sint ne hæc prædicata possibilia an impossibilia, parum ergo ad actus huius vel produ-

ctionem primam, vel continuationem refert, quod prædicata vera sint, an Chimærica. Transeat antecedens quoad aduertentiam in actu signato, ea enim est imperfectio intellectûs abstractiuè cognoscentis; vt vera inter & ficta prædicata sæpe non discernat, vnò impossibilia frequenter possibilia putamus, & è contrà. Nego tamen consequentiam, si enim obiectum reipsa mutetur, & de possibili reddatur impossibile, actus idem prædicata illa repræsentare ampliùs non potest, cùm mutata sint in alia: sicut actus repræsentans equum non posset eum repræsentare si mutatus esset in leonem, sic enim repræsentare deberet *animal rugibile*, cum antea repræsentaret *hinnibile*: sicut etiam visio materialis Petri mutaretur, si Deus eo annihilato, illius loco sufficeret Paulum. Hâc de re iterum recurret sermo in Physicis disp. 5. sect. 3.

Nil refert quòd quis non aduertat obiecti redditum esse impossibile.

SECTIO VI.

An actus mutare possit obiectum: vbi, vtrùm omnis actus falsus habeat pro obiecto ens rationis.

I. Dico primò: nullus actus intellectus potest mutare obiectum. Probatur, essentia cuiusque actus intellectus est esse repræsentationem sui tantùm obiecti, sed non potest mutare essentiam, ergo nec obiectum. Maior probatur, ratio actus intellectus in hoc sita est, quòd sit intentionalis quædam imago seu effigies obiecti, ergo si mutet obiectum, est effigies alia, quia est intentionalis similitudo alterius obiecti, ergo non est idem actus, seu eadem effigies. Confirmatur, visio materialis non potest mutare obiectum, nec visio albedinis esse visio nigredinis, vel alterius coloris: sicut nec actio nec vnio mutare potest vel agens, vel extrema, quia essentialem dicunt ordinem ad illa, ergo nec suum obiectum mutare poterit actus intellectus.

Nullus actus intellectus mutare potest obiectum.

II. Dico secundò: actus intellectus circa materiam contingentem, qui de facto est verus, potuisset esse falsus, & è contrà. Probatur, si Petrus non curreret pro eo tempore quo quis mentaliter dicit *Petrus currit*, & dicendo vnit intentionaliter cum eo cursum, actus qui iam est verus quia affirmat rem sicuti est, tunc fuisset falsus, & aliter affirmasset quàm res est, sed Petrus potuisset tunc non currere, cùm non necessariò currat, sed contingenter, ergo.

Actus verus creatus de obiecto contingente potuisset esse falsus.

III. Aliqui hinc inferunt debere iuxta hanc sententiam dici, posse actum mutare obiectum; nam, inquiunt, si actus hic, qui est verus, & repræsentat obiectum reale, potuerit esse falsus, ergo potuit repræsentare aliud obiectum, nempe ens rationis, nam omnis actus falsus, inquiunt, facit ens rationis.

Dicunt quidam obiectum omnis actus falsi esse ens rationis.

IV. Hanc opinionem obiter retuli supra, d. 16. sect. 5. plenam tamen eius impugnationem in hunc locum distuli. Impugnatur ergo primò, & inquiro quare obiectum huius actus *Petrus currit*, sit impossibile? Dices quia, posito quòd non currat, non potest currere, nec enim componere potest cursum cum negatione cursus. Contrà, obiectum actus facientis ens rationis debet in se inuoluere aliquid impossibile, hic autem actus nihil inuoluit huiusmodi, nam non dicit, *Petrus qui non currit, currit*, hoc enim, vt velit, dicere non potest intellectus, cùm falso cognito vt falso assentiri non possit: quòd autem non cursus sit in Petro qui affirmatur currere, est merè per accidens ad hunc actum, qui nihil cogitat de non cursu in Petro, ac proinde negatio cursus respectu illius non habet rationem obiecti, cùm nihil sit obiectum quod actui non obiciatur.

In obiecto actus falsi non inuoluitur semper aliquid impossibile.

V. Impugnatur secundò, si Petro non peccante diceret quispiam, *Petrus peccat*, sensus propositionis huius secundùm hanc sententiam esset, *Petrus committit peccatum fictitium*, quod est contra communem sensum omnium, qui his & similibus propositionibus aliquid intelligunt reale. Nec etiam dicunt vnquam, peccat, supposito quòd non peccet, vel dum non peccat: si enim interrogaretur hanc propositionem proferens, vtrùm hæc sit eius mens necnè, negaret, ergo non habet in intellectu obiectum impossibile.

Sensus huius propositionis Petrus peccat, esset, Petrus committit peccatum fictitium.

VI. Impugnatur tertiò, & præcipuè, si quis peccante Petro proferat hanc propositionem, *Petrus potest non peccare*, non facit ens rationis, nec in mente habet obiectum impossibile, ergo nec qui dicit *Petrus non peccat*. Antecedens est certum, consequentia probatur, ideò qui dicit, *Petrus potest non peccare*, non facit ens rationis, quia affirmat habere ipsum potentiam ad negationem peccati, seu ad omittendum peccatum, ergo illa negatio est possibilis, sed qui affirmat ipsum non peccare, solùm affirmat de eo hanc eandem negationem; quare vt admittunt aduersarij, est negatio hæc Petro possibilis, ergo non quid impossibile, ergo non ens rationis. Confirmatur, secundùm aduersarios tam ille qui Petro peccante dicit *Petrus potest non peccare*, faceret ens rationis, & haberet pro obiecto quid impossibile, ac qui dicit, *Petrus non peccat*, nam in sensu composito quòd peccet, tam repugnat eum posse non peccare, quam actu non peccare, in sensu autem diuiso neutrum ei repugnat, ergo. Et idem est si quis eo instante quo Petrus peccat, dicat, *Petrus meretur*, vel *Petrus potest mereri* nihil enim affirmat, impossibile.

Qui Petro peccante dicit Petrus potest nõ peccare, non facit ens Rationis, ergo nec qui dicit Petrus nõ peccat.

VII. Quartò, actus desiderij semper pro obiecto aliquid haberet impossibile, est enim de bono absente, tam autem impossibile est, vt, quod abest non absit (quod tamen est obiectum desiderij) quàm vt qui currit, non currat, vel qui peccat non peccet, ergo sancti in terrâ dum cælum appetunt, aliquid appetunt impossibile, & Chimæram, quod nemo opinor, dicet. Sicut ergo contingit in desiderio, vt licèt prærequiratur vt obiectum absit, non in illud feratur desiderium in sensu composito, atque vt absens est, seu ita vt adesse illud velit posito quòd absit, sed in sensu tantùm diuiso, in illud scilicet quod abest, seu specificatiuè, ita & in nostro casu.

Actus desiderij in hac sententiâ haberet semper pro obiecto aliquod impossibile.

VIII. Dices, supposito quod actus sit falsus, obiectum est impossibile, cùm obiectum, stante falsitate actus, aliter se habere non possit. Contrà, actus falsus non dicit supposito quòd ego sim falsus, potest obiectum aliter se habere, sed fertur in obiectum simpliciter, nec includendo tanquam obiectum suum falsitatem, nec suppositionem contrariam, sed in omnibus in sensu diuiso procedit, non composito. Ex quibus clarè constat, omnem actum falsum nec mutare obiectum, nec ens rationis conficere, cum impossibilitas omnis, quæ hîc interuenit, sit solùm consequens, & secundùm quid, non simpliciter & antecedens.

Actus falsus non dicit, posito quòd ego sim falsus, potest obiectum aliter esse.

DISPV-

DISPVTATIO XLV.

De mutatione actus de vero in falsum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum idem actus possit mutari de vero in falsum.

I. *Status quæstionis.* IN opinione asserente veritatem & falsitatem actibus essentialem esse & intrinsecam, non habet locum hæc quæstio, in illâ enim sententiâ, cùm propositio vera sit essentialiter vera, non magis in falsam mutari potest, quàm Petrus in Paulum, vel homo in equum, mutaret siquidem essentiam. In nostrâ ergo tantùm sententiâ asserente veritatem non esse actui essentialem, præsens procedit difficultas.

II. *Affirmans aliqui posse actum mutari de vero in falsum.* Prima sententia est P. Suar. d. 8. Metaph. s. 2. num. 19. vbi ait, propositionem confusam in materiâ contingente, de verâ posse mutari in falsam: quem multi sequuntur ex recentioribus. Secunda sententia negat: ita P. Hurtado d. 9. de Ani. s. 4. P. Arriag d. 14. s. 2. sub s. 1. & alij plurimi.

III. *In materiâ necessariâ non potest actus mutari de vero in falsum.* Prima conclusio: actus qui versantur circa materiam necessariam, vt circa Deum, essentias rerum, aut aliud huiusmodi immutabile, de veris in falsos mutari nequeunt. Ratio est manifesta, actus namque de vero in falsum, nisi mutato obiecto mutari non potest, sed obiecta horum actuum non possunt mutari, cùm sint necessaria, ergo nec actus de veris mutari in falsos possunt.

IV. *Nec etiam hoc fieri potest in materiâ contingente.* Secunda conclusio: nullus actus intellectus, etiam in materia contingenti, transire potest de vero in falsum. Ratio à priori, quia vt actus aliquis de vero transeat in falsum, mutare debet obiectum, sed non potest mutare obiectum, ergo non potest transire de vero in falsum: consequentia est euidens, minor probata est sectione præcedenti, conclusione primâ, & videtur euidens, nam actus essentialiter est imago & repræsentatio obiecti, ergo hic actus est imago & repræsentatio obiecti huius, sicut hæc vnio nexus horum extremorum, non aliorum, & hæc actio huius effectus productio, non alterius. Maior itaque probatur, actus qui dicit, *Petrus peccat*, significat Petrum

Ratio est, quia mutari oblectum. nunc in instanti A exempli gratiâ, peccare, hoc autem, si Petrus in illo instanti peccet, est verum necessariò, posito quod peccet, quia tam determinauit se Petrus ad peccandum, licèt potuerit non se determinasse, & tunc actus fuisset falsus, vt sectione præcedenti diximus conclusione secundâ.

V. *Dices, si actus idem continuatur mutato obiecto.* Dices, si Ioannes hunc actum *Petrus currit*, continuet per quadrantem, & Petrus licèt in initio illius quadrantis quo durat actus concurrerit, postea tamen à cursu cesset prius, quàm Ioannes cesset ab actu, actus in secundâ illius quadrantis parte erit falsus licèt fuerit verus in primâ, iam enim est difformis suo obiecto, ergo potest transire de vero in falsum. Respondeo, tribus modis sumi actum illum posse: primò, vt *Petrus currit*, illum toto eo quadrante currere

Tribus modis habet actum tam mutatur. significet, & tunc actus ab initio etiam in primâ quadrantis parte erat falsus, & difformis suo obiecto, quia Petrus, vt supponitur, à cursu antè desiit quam quadrans totus effluxerit: secundò, ita sumi potest illa propositio, vt denotet Petrum propriâ illius quadrantis parte currere, in qua primò actus elicitur, & tunc licèt Petrus cesset postea à cursu, durante adhuc actu, actus nihilominus est semper verus; non enim affirmat Petrum currere nisi pro eo tantùm tempore quo primò cum currere affirmabat, mutaret siquidem obiectum, si primò diceret ipsum vno tempore currere, postea alio, sicque non foret idem actus, contra suppositum. Tertiò tandem sumi potest actus indeterminatè, ita vt Petrum in aliqua illius quadrantis parte currere significet, tunc verò si cursus in vlla quadrantis illius parte cum Petro coniungatur, actus quantumcunque duret, est verus, quia conformis est suo obiecto: si verò in nulla quadrantis illius parte currat, actus & ab initio & semper est falsus.

VI. *Explicatur ulterius per actum, quo quis dicit aliquis leo currit.* Exemplo hoc idem declaratur in simili: actus quo quis dicit, *aliquis leo currit*, si vel vnus ex tota leonum collectione currat, est verus, ad illius namque verificationem sufficit cuiuslibet leonis cursus, cùm indeterminatè feratur & vagè, nec in vnum magis quàm alium, si autem nullus omnino currat, actus est simpliciter falsus. Idem esset, si quis diceret, *tres leones currunt*, vt enim actus hic sit verus, aliqui tres leones debent tunc currere, & in vtroque actu omnes leones indeterminatè dicuntur currere, in primo per vnitates, in secundo per numeros ternarios. Quod hic actus, *aliquis leo currit*, habet respectu omnium indiuiduorum in collectione leonum, hoc habet actus iste, *Petrus currit*, respectu diuersarum differentiarum temporis; vnde sicut ibi si vel vnus aliquis leo currat, actus ille est verus, ita hic si Petrus vlla parte temporis ex iis quæ designabantur, currat, actus iste erit similiter verus, si nulla omnino parte currat, erit falsus.

VII. *Hic actus Petrus peccat, quantumcunque duret, non aliud dicet, quàm dicebat primo instante.* Dices, actus quo quis dicit, *Petrus peccat*, significat Petrum peccare pro isto instante quo primò elicitur actus, & si actus duret, dicit similiter ipsum etiam peccare tempore immediatè sequente quo continuatur, ergo si tunc Petrus non peccet, actus in primo instante erit verus, tunc enim peccabit, & falsus in secundo, quia tunc non peccat. Respondeo, actum illum quantumcunque duret, non aliud dicere quàm quod dicebat vel repræsentabat cùm primò eliceretur, si ergo primò dicat ipsum peccare tali determinato instante, & postea dicat peccare alio, mutat obiectum, & consequenter essentiam, cùm essentia ipsius sit huius vel illius obiecti repræsentatio, ergo idem semper repræsentat Instans, vel si successiuè repræsentetur nouum instans, erit (licèt id eliceret ò in aduersat) nouus actus.

VIII. *In hoc actu Petrus dormit in hoc instante debet coniunctionem, vel propositione, & somni cum Petro.* Vrgebis, actus quo quis dicit *Petrus dormit hoc instante*, duo dicit, & esse coniunctum somnum cum Petro pro isto instante, & instans illud esse coëxistens propositioni, sicque licèt idem semper obiectum repræsentet, nempe somnum esse coniunctum Petro in illo instante, fueritque primo instante verus, poterit nihilominus in sequenti instanti esse falsus, quia illud instans non coniungitur propositioni in secundo instante, quod tamen affirmat propositio. Respondeo, idem planè dicendum de coniunctione instantis cum propositione, & somni cum Petro, vel ergo dicit propositio, instans illud sibi coëxistere pro omni tempore quo existit propositio & tunc, etiam primo instante est falsa, vt constat, quia illud instans, cùm essentialiter fluat, non potest esse præsens propositioni nisi pro vnico instante sicque affirmat fal-

sum: vel solùm dicit actus, instans illud sibi coëxistere primo illo instante, & tunc, quantumcunque per longum etiam tempus duret actus, propositio est semper vera, quia aliud non dicit quàm instans illud sibi pro primo instante coëxistere, quod semper est verum, & Deus videt ita semper esse, nempe instans illud propositioni huic coëxistere pro illo instante, quo primò eliciebatur, sicque erit semper vera propositio, quia semper conformis est obiecto.

IX. *Si repræsentet actus nouum instans, mutat obiectũ.*

Sin autem velint, vt propositio hæc perseuerans post primum instans dicat in secundo instante, seu B. *instans A coëxistit mihi pro hoc instante*, esset quidem falsa propositio, sed non foret eadem iam quæ antea, nam est noua repræsentatio, iam siquidem repræsentatur instans B dicit enim instans A. iam seu in instante B. sibi coëxistere, quod antea non dicebat, ergo habet nouum obiectum, ergo est nouus actus: sicut si ob oculos noua proponatur lux vel color, noua necessariò resultat visio, nihil enim dicere vel affirmare de aliquo potest intellectus quod non repræsentat, cùm iudicando de nullo sententiam ferat per assensum, quod antea non cognouit per apprehensionem.

X. *Actus, quidquid dicit, repræsentando dicit, & dicendo repræsentat.*

Instabis: actus ille non repræsentat instans B. sibi coëxistens, sed solùm dicit sibi illud coëxistere. Contrà, actus quidquid dicit, repræsentando dicit, & dicendo repræsentat: in hoc enim differt iudicium à simplici apprehensione, quòd peculiari modo in obiectum tendat non repræsentando tantùm subiectum prædicatum, & copulam, quod facit illa, sed per repræsentationem attribuendo vnum alteri, neque hæc duo vllo separari modo possunt, ac proinde nihil dicere actus seu connectere in secundo instante potest quod non dicebat & connectebat in primo, nisi aliquid in secundo repræsentet quod non repræsentabat in primo.

XI. *Actus in materiâ contingente pro aliquo priori indifferens erat, vt esset vel verus, vel falsus.*

Nullus ergo actus, etiam in materiâ contingente, de vero mutari in falsum potest, licèt enim potuerit esse falsus, quia obiectum pro aliquo priori potuisset aliter se habere, vt cùm quis in instante A dicit, *Petrus peccat*, Petrus ita illo instante peccat, vt possit non peccare, cùm liberè peccet, ac proinde & actus pro eodem priori potuit esse falsus: si tamen actus semel sit verus, & conformis obiecto, non potest reddi falsus, quia obiectum si est, non potest in illo instante non esse. Quod si quis velit actum post instans illud perseuerans dicere Petrum peccare in secundo instante, iam non est idem actus, cùm sit nouum obiectum, & consequenter noua repræsentatio, noua propositio, nouus actus, vt diximus.

SECTIO II.

Referuntur duo modi defendendi, posse actum verum transire in falsum.

I. *Actus significantes durationẽ & non tam significatas.*

PRimus modus duo statuit actuum genera, aliqui enim actus, inquiunt hi auctores, durationem significant ex parte obiecti, vt *Petrus nunc dormit*, & hos actus dicunt de vero in falsum transire non posse. Alios tamen esse volunt actus, qui suam in actu exercito, non obiecti durationem significant, vt *Paulus peccat*. Hos ergo actus dicunt repræsentare tantùm peccatum, cursum, somnum & similia secundum se coniuncta esse Paulo, abstrahendo à tempore, vnde si, Paulus peccet quamdiu illa propositio duret, propositio erit vera, quia est conformis suo obiecto si primo instante peccet non secundo, actus primo instante erit verus, secundo falsus.

Posteriores actus aiunt aliquid posse transire de vero in falsum.

II. Hic modus probabilis est, Rationes autem cur eam non sequar, sunt, primò, nam secundùm Dialecticos omnes cum Aristotele omne iudicium absolutum includit in se verbum, verbum autem secundum Aristotelem & omnes, adsignificat tempus ex parte obiecti, & idem est dicere Petrus peccat, ac Petrus aliquo tempore peccat. Confirmatur, sicut propositio de præterito vel futuro tempus præteritum significat aut futurum, nec ad hoc est opus addere particulam tempus explicantem, vt *Petrus aliquando* peccauit, aut *aliquando* peccabit, ita propositio de præsenti tempus similiter significat, nec opus est addere particulam *nunc* aut *iam* peccat. Confirmatur secundò, quando quis dicit *Petrus peccat*, concipiunt omnes tunc eum peccare, ergo.

Hic modus, licet probabilis, non tamen placet.

Nullũ verbum abstrahit à tempore.

III. *Homo est animal est actus conditionatus.*

Dices, verbum absoluitur à tempore, vt constat in hac & similibus propositionibus, *homo est animal*. Respondeo, propositiones illas in materiâ necessariâ esse conditionatas, & sensus est, *homo, si existat, seu quandocunque existit, est animal*, vnde significant hæ propositiones omne tempus indeterminatè.

IV. *Hic actus Petrus dormit, esset verus, quocunque tempore ponatur somnus.*

Ratio est secundò, si enim propositio hæc *Petrus dormit* nullum tempus significet, in quo somnus exerceatur, quocunque tempore ponatur somnus, propositio erit vera, est enim obiectum in essendo conforme propositioni in repræsentando, propositio enim iuxta hunc philosophandi modum, solùm repræsentat somnum secundum se, sed quocunque tempore somnus datur, datur secundùm se, vel nunquam datur secundùm se, quia semper in aliquo tempore existit, ergo propositio hæc, *Petrus dormit* vel semper est vera, vel nunquam. Hæc sententia latiùs impugnabitur sec. sequenti, n. 3.

V. *Dicunt alij posse actum obscurum transire de vero in falsum, non clarum.*

Secundus dicendi modus nonnullorum est, qui dicunt actum obscurum mutare posse obiectum. Hæc ergo, inquiunt, propositio *Petrus peccat*, in primo instante quo elicitur, repræsentat instans A, in secundo instans B. & sic de cæteris: vnde si Petrus in primo instante peccabat, & cesset peccare in secundo, actus in primo instante erat verus, dicebat enim in primo instante eum tunc peccare, in secundo verò instante dicit eum peccare in secundo, sicque est falsus.

VI. *Hæc etiam opinio non placet, quia supponit actũ mutare obiectum.*

Hic etiam modus non placet, ob id maximè quòd affirmet actum posse mutare obiectum, aiunt enim hi auctores si ouum A ob oculos positum cernatur, & illo imperceptibiliter amoto, aliud planè simile illius loco substituatur, eandem conseruatum iri visionem, & per eam iam repræsentandum ouum B, sicut antea repræsentabatur ouum A.

VII. *Actus non magis potest mutare obiectum, quàm essentiam.*

Sed contrà, disp. enim præcedente, sec. sextâ ostendi actum non magis obiectum, quàm essentiam mutare posse. Deinde species vnius obiecti, vtpote semen quasi illius, non ordinatur ad generandã notitiam alterius, sic enim magna in rebus oriretur cõfusio, & species non ad veritatem aperiendam ordinarentur, sed ad homines in errorem inducendos.

VIII. *Species impressæ producuntur etiam à gradu indiuiduali, ergo ad illũ repræsentandum ordinantur.*

Contrà secundò, species oui A productæ erant non à gradu solùm illius specifico, sed etiam indiuiduali, ergo non ad gradum tantùm specificum oui A, sed etiam ad illius indiuiduationem repræsentandam ordinantur. Antecedens probatur, alioqui sequeretur rem eandem Physicè secundùm aliquid sui operari, & secundùm aliquid Physicè non operari, sicque res illa esset Physicè & realiter eadem, & Physicè ac realiter diuersa, haberet enim aliquid & aliquid à parte rei, & independenter à præcisione intellectus. Consequentia verò probatur, species enim quæ ab aliquo solo produci primò potest, ad illud solùm repræsentandum à naturâ ordinata videtur, alioqui quid ni alijs etiam rebus speciem illam producendi virtutem tribuisset? quod tamen eam nullus concedit tribuisse.

IX. Contrà tertiò, sequeretur visionem vnius rei esse posse

Sequitur visionem unius rei posse successiuè esse visionem ferme omnium.

posse successiuè visionem rerum diuersissimarum, & non numero tantùm, sed specie, & genere differentium, imò omnium quæ videri possunt: sequela probatur, pono albedinem à longè ita statui, vt dicere quis solùm possit esse colorem, potest enim videns formare de ea propositiones, & dicere, *hic color distat tot passibus aut stadiis*: sublatâ albedine ponatur alius color specie distinctus, viridis, verbi gratiâ, vel cæruleus, adhuc non potest eum ab vllo colore discernere, ergo secundùm hanc sententiam potest eodem adhuc modo dicere, *hic color distat tot passibus*. Et idem est si res aliqua ita remotè ponatur, vt solùm discerni possit esse aliquid, tunc enim quacunque re loco huius positâ, dicere solùm posset est res, non distinguendo quænam sit in particulari.

X. *Non rectè arguitur, calor potest successiuè conseruari à sole & igne, ergo & visio vnius obiecti conseruari ab alio.*

Dices, calor productus à calore conseruari potest à sole, quidni ergo & eadem visio ab ouo A producta, conseruari potent ab ouo B? Contrà, si hæc paritas valeat, sequitur visionem albedinis, etiam clarè cognitæ, esse posse visionem nigredinis clarè similiter cognitæ, plus enim differt sol à calore, quàm albedo à nigredine. Respondeo itaque diuersissimam hac in re esse rationem de causis Physicis & intentionalibus, tum ob instantiam proximè illatam, tum ob rationes toto sectionu huius decursu positas in probatione nostræ sententiæ, sic enim sequeretur, visionem eandem posse successiuè esse repræsentationem omnium fermè rerum, quæ oculis cerni possent, & ob reliqua suprà adducta.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones contendentes eundem numero actum de vero in falsum mutari posse.

I. Obiicies primò; actus qui dicit *Petrus dormit*, & est verus, quia ponimus Petrum tunc dormire, reproduci à Deo post horam potest, Petro vigilante, sed tunc est falsus, quia non est conformis suo obiecto, nam eo instante quo reproducitur actus, non dormit Petrus, ergo. Idem est si actus ille continuetur per quadrantem, & Petrus interim euigilet. Respondetur admissâ maiore, negando minorem; nam quando reproducitur actus, non dicit Petrum eo instante dormire quo reproducitur, sic enim mutaret obiectum, quod est impossibile, sed pro eo solùm instante vel tempore dormire Petrum tunc affirmat, pro quo affirmabat primò. Si autem eo instante verum erat Petrum dormire, semper est verum, semper enim est verum somnum & Petrum habere coniunctionem pro illo instante.

Actus dicens Petrus dormit, licèt alio tempore reproducatur, nō potest mutari de vero in falsū.

II. Ad æquiuocationem verò vitandam lata inter hæc duo notanda est differentia, *propositio iam dicit habere coniunctionem Petrum & somnum*, & *Propositio dicit Petrum & somnum iam habere coniunctionem*. Particula enim *iam* primo loco posita solùm significat existentiam propositionis, nempe eam iam existentem hoc dicere, quod clarè cernitur in propositionibus de præterito & futuro, qui enim dicit, *Adam peccauit*, iam hoc dicit, non tamen dicit ipsum peccasse *iam*. Particula verò *iam* secundo loco posita tenet se ex parte obiecti, & ingreditur ipsum obiectum, cùm diuersum sit obiectum illius propositionis quæ absolutè dicit cursum vel somnum esse vnitum Petro aliquo tantùm tempore, & illius quæ dicit esse illi cursum & somnum vnitum *iam*, vt constat.

Diuersissima sūt hæc duo, actus iam dicit Petrum peccare, & dicit Petrum iā peccare,

III. Imò sensus illius propositionis reproductæ *Petrus dormit*, non est hic, vt aliqui volunt, nempe, *ego iam existens dico Petrum dormire*: primò, quia non reflectit supra seipsum, nec se habet pro obiecto, saltem explicitè. Secundò, quia si dicat, *ego iam existens*, mutat obiectum, cùm repræsentet nouum instans cui se dicit correspondere, quod tamen antea non repræsentabat, sicque non est idem actus. Quod autem dicunt aliqui propositionem illam connotare tempus suæ durationis, non autem illud repræsentare, acutiùs dictum esse videtur quàm veriùs, si enim dicant connotare tempus suæ durationis, id est, illam eo tempore existere, est verum, sed nihil ad præsens propositum: si autem per connotare tempus suæ durationis, velint vt connectat obiectum cum tempore suæ durationis, hoc facere non potest nisi tempus illud repræsentet, nihil enim iudicium connectit, vt suprà diximus, nisi quod actus ille iudicij repræsentat, cùm connectat intentionaliter, alioqui non est maior ratio cur rem vnam connectat quàm aliam, sola enim ratio est, quòd vnam repræsentet, non aliam: vnde licèt fortè ipsa connexio non sit repræsentatio, de quo nostrâ in præsenti non refert, hoc saltem est verum, actum nihil connectere nisi quod repræsentat.

Quis sit sensus actus reproducti dicentis Petrus peccat.

IV. Illa ergo propositio *in essendo* est indifferens, seu vt existat quocunque instante, non tamen est indifferens *in repræsentando*, ita scilicet vt quodcunque instans possit repræsentare. Vnde si velint eam semper connotare tempus suæ durationis, id est, repræsentare semper instans cui coëxistit, nec reproduci potest, nec continuari.

Actus ille est indifferens in essendo, non in repræsentando.

V. Obiicies secundò; in actu quo Iudæus quispiam paulò ante natiuitatem Christi diceret, *Messias nascetur*, & actum illum post Christum natum continuaret, primo tempore actus fuisset verus, secundo falsus, cùm Christo nato sit falsum dicere *Christus nascetur*. Respondeo, eodem modo, actum illum esse semper verum, solùm enim dicit *Christus nascetur post hoc instans*, illud nimirum quo actus primò elicitur: & licèt sit falsum dicere, Christus nascetur post instans quo reipsa nascitur, non tamen est falsum dicere, nascetur post instans quo actus primò elicitur, nam tunc non erat natus, vt supponitur, sed nasciturus. Actus autem iste natiuitatem Christi eodem semper modo & respectu eiusdem instantis repræsentat, alioqui mutaret obiectum.

Actus continuatus, quo Iudæus dixisset Christus nascetur, nō potuisset mutari de vero in falsum.

VI. Obiicitur tertiò; actus qui dicit *Petrus dormit in instanti A*, non potest, si continuetur, repræsentare illud instans, sic enim eadem propositio esset de præsenti simul & de præterito, & eadem propositio quæ dicit *Petrus dormit*, diceret postea, *Petrus dormiuit*, quod valde videtur peregrinum. Respondeo, si per propositionem de præsenti & de præterito, intelligatur solùm propositio quæ repræsentet obiectum quod primò est præsens, postea præteritum, seu specificatiuè, dico nil esse incommodi vt eadem propositio perseuerans id præstet, vt constat in actibus Diuinis. Ratio est, quia per accidens est propositioni quòd instans illud præteritum sit, vel futurum, quod enim est essentiale & intrinsecum propositioni, est solùm repræsentare, verbi gratiâ, somnum vnitum Petro pro illo instante, & hoc semper necessariò habet, quantumcunque duret, vel quandocunque reproducitur. Ad quod meliùs percipiendum.

Non sequitur eadem propositionē esse de præsenti & de præterito.

VII. Notandum quid sit esse propositionem de *futuro præterito, & præsenti*. Esse ergo propositionem de *futuro* formaliter & reduplicatiuè est significare ipsam illius futuritionem, vt nimirum significetur obiectum tempore aliquo vel determinato vel indeterminato futurum postquam primò elicitur propositio: vt cùm quis dicit, *sol orietur*, solem significat oriturum post instans illud quo ipse primò elicit propositionem, non tamen assignando certum tempus quo sit oriturus: si autem dicat, *sol orietur horâ quartâ*,

Quid sit propositionem esse de præsenti, præterito, & futuro.

rá, significat solem orturum certá illâ horâ, & præterea horam illam sequi instans in quo ipse propositionem elicit. Idem suo modo est in propositione de præterito, vt quiuis facilè intelliget.

VIII. *Dices, lex Principis obligat plures successiuè, ergo & actus potest plura successiuè repræsentare.*

Obicies quartò; lex Principis qua statuerat, vt omnes incolæ talis loci soluant tale tributum, nunc hos nunc illos obligat successiuè, prout incipiunt aut desinunt esse illius loci incolæ. Idem est de voluntate obseruandi omnia Dei præcepta, vel Ecclesiæ, nunc enim ex vi illius vult obseruare ieiunium, nunc auditionem sacri, & sic de cæteris licèt successiuè præcipiantur. Imò aliquando contingit id, quod antea præcipiebatur, prohiberi, sicque non comprehenditur ampliùs sub actu volendi obseruare omnia Dei præcepta: ergo actus mutare potest obiectum, & nunc hoc velle, ac repræsentare, nunc illud, sicque fieri de vero falsus.

IX. *Resp. legem illam, seu voluntatê Principis esse conditionatam, sicq; non mutare obiectum.*

Respondeo, voluntatem illam Principis seu legem (idem est de voluntate obseruandi præcepta) esse conditionatam, & sensus est, volo obligare omnes ad soluendum tributum, non semper, sed quando erunt incolæ, & volo obseruare omnia illa mandata posito quòd præcipiantur, sicque completur vtraque voluntas per conditionem positam. Vnde dico etiam ab initio & semper volebat ille obligare omnes qui essent futuri incolæ talis loci, non tamen obligare volebat ab initio, vel semper, sed pro eo tantùm tempore quo essent futuri incolæ, sicque illa voluntas nunquam mutat obiectum. Omnes etiam incolæ lege illâ tenentur semper, sed non pro semper, vt aiunt, sed pro tempore quo sunt futuri incolæ, sicque antea obligationem habebant conditionatam, sicut Princeps conditionatam voluntatem.

X. *Obiq. ex imperfectione visus posse actum transire de vero in falsum.*

Obicies quintò; ponamus aliquem ita imperfectè videre animal aliquod à longè, vt non possit discernere sitne animal, an truncus, nisi ex solo motu locali; ergo per interualla ita moueri illud videat, & quiescere, & dicat mente, *illud est animal*, quem actum clausis oculis continuet, & interim sufficiatur truncus loco illius animalis, ipse iterum aspiciens, eundem actum continuat, & dicit, *illud est animal*, & tamen iam non est animal, ergo idem iudicium de vero mutari potest in falsum. Respondeo primò, iudicium illud vel mutare obiectum, vel non: si mutet, iam non est idem, cùm essentia actus sit repræsentare obiectum; si non mutet, ergo affirmat animal de eodem, de quo antea illud affirmabat, & tunc actus est semper verus, quia obiectum illius, si semel sit animal, semper est animal.

Resp. non posse, si enim mutaretur obiectum, mutaretur actus.

XI. *Quis sit sensus illius propositionis, Hoc est animal.*

Respondeo secundò, eodem modo quo in superioribus obiectionibus, nempe iudicium illud solùm affirmare id quod ibi est eo instante quo primò profertur propositio, esse animal: non ergo est sensus illius propositionis, id quod ibi iam est, est animal, sed quod est pro tempore per actum importato, alioqui mutatur necessariò actus, nam diuersus necessariò est actus qui dicit, *truncus est animal*, & qui dicit, *animal est animal*.

XII. *Dubia videtur mens Aristotelis circa mutationem actus de vero in falsum.*

Dubia hac in parte est mens Aristotelis c. de substantia, circa finem: vbi cùm dixisset proprium esse substantiæ suscipere contraria, obicit sibi, idem videri contingere in opinione quæ de verâ transire videtur in falsam, ex mutatione obiecti. Nobis tamen sufficiat cum nonnullis ex aduersariis respondere, Aristotelem ibi vel loquutum esse de propositione vocali, vel non *admisisse* opinionem mutari de verâ in falsam, sed *omisisse*, & disparitatem assignasse inter modum quo substantia suscipit contraria, & quo propositio, etiam admisso quod suscipiat, substantia enim, inquit, dum suscipit contraria, ipsa in se mutatur, vt lignum de frigido fit calidum per intrinsecam susceptionem caloris, & deperditionem frigoris, propositio autem, inquit, manens penitus immobilis fit interdum vera, interdum falsa, ex eo tantùm quòd res mutetur. Quasi diceret, omisso vel gratis concesso antecedente, nego consequentiam, ob rationem dictam.

XIII. *S. Thomas non docet posse actum transire de vero in falsum.*

S. Thomas verò dum 1. p. q. 16. ar. 8. ad tertium, affirmare videtur posse propositionem transire de verâ in falsam, solùm dicit posse nos errare ac decipi persistendo in eiusdem rei affirmatione, vt si per tempus diuisibile dicat quis, *Sortes sedet*, & interim Sortes qui primò sedebat, surgat. Non autem loquitur de eâdem numero propositione.

SECTIO IV.

Inquiruntur quædam circa mutationem propositionis de verâ in falsam.

An hæc propositio, Luna orietur mediâ nocte, sit semper de futuro.

Quæres primò, si quis post mediam noctem euigilans, dicat, *luna orietur mediâ nocte*, vtrùm propositio illa sit de futuro? videtur enim non esse, cùm tempus futurum non repræsentet, sed præteritum. Respondetur tamen esse propositionem de futuro, non enim spectandum præcisè instans illud in quo elicitur propositio, sed id quod à propositione repræsentatur. Vnde cùm ille esse tantùm putet horam decimam, & dicat, *luna orietur mediâ nocte*, licèt media nox iam sit præterita respectu propositionis in essendo, non tamen respectu illius in repræsentando, quia solùm dicit lunam post tempus illud orituram, quod ipse repræsentat, & hoc est verum, quia licèt ortus lunæ sit præteritus respectu temporis existentiæ illius actus, non tamen respectu temporis ab eo repræsentati, quia media nox semper habet rationem futuræ respectu horæ decimæ quippe quæ illam necessariò præcedit. Licèt ergo fallatur existimando horam illam esse decimam, non tamen fallitur in eo quòd dicit mediam noctem seu horam duodecimam futuram esse post decimam.

II. *Res hæc declaratur exemplo alicuius naui lateram aliquam prætereuntis.*

Res hæc clarè explicatur in simili, Ponamus noctu aliquem naui per flumen vehi intra vnum milliare Ciuitatis Londinensis, ibique anchoram iaciat, postea ipso dormiente deuehatur nauis vi fluminis ad tria vel quatuor milliaria, tum expergefactus & nesciens quid contigerit, dicat Londinum hinc distat vno milliari, propositio illa est vera, quia nimirum inter terminos intentionales illius actus (penes quos metienda est eius veritas) vnum tantùm milliare intericitur, solùm enim dicit, Londinum milliari vno à loco illo distare quem apprehendit, seu in quo se esse putat, non à quocunque, nec ab eo in quo est. Neque enim dicere vult, Londinum hinc, vbicunque sim, distat vno tantùm milliari, hoc enim nullus sanæ mentis dicere posset.

III. *Propositio vocalis nô potest naturaliter mutari de verâ in falsam, potest supernaturaliter.*

Quæres secundò, vtrùm propositio vocalis de verâ mutari possit in falsam? Dico naturaliter non posse, quia est ens successiuum, & permanere nequit, sicque de eâ minor videtur difficultas, quàm de mentali. Si autem eadem rursus verba à Deo reproducantur, videntur posse esse falsa, sicut & mutare obiectum, nec enim magis ex naturâ suâ hæc verba *Petrus dormit* significant Petrum vno instante dormire quàm alio, sicut nec magis vnum Petrum, vel vnum somnum significant quàm alium: vnde Angelus videns hæc verba scripta, non videt quem Petrum, vel quem somnum significent, quorum tamen vtrumque videret si actum intellectus cerneret, qui dicit *Petrus dormit*. Si tamen ex circumstantiis certum aliquod tempus significare videantur, possunt dici determinatè veræ, quod de propositionibus sacræ Scripturæ, quæ tempus præsens significant, omnino dicendum videtur.

Quæres

IV. *Quid de hac propositione dicendum, Homines qui sunt in foro currunt.*

Quæres tertiò, quomodo hæc saltem propositio *homines qui sunt in foro, currunt*, non transeat de verâ in falsam, & mutet obiectum? si enim Petrus sit in foro, significat ipsum, si non sit sed Paulus, significat Paulum, & sic de cæteris, ergo mutare potest obiectum.

V. *Volunt aliqui facere sensum conditionatum.*

P. Arriaga & recentiores multi, vt saluent propositionem hanc non mutare obiectum, aiunt facere sensum conditionatum, nempe, *si Petrus sit in foro, Petrus currit, si Paulus sit in foro, Paulus currit*, nullum verò significare absolutè.

VI. *Significat tamen absolutè, & determinatè illos qui sunt in foro.*

At ego existimo sensum huius propositionis esse absolutum, sicut si quis diceret do tibi libros qui sunt in arcâ, sciens qui in eâ libri contineantur, significat se non omnes libros ei dare, sed illos solos & determinatè, qui sunt in arcâ. Sensus ergo est, illos omnes & solos homines currere, qui sunt in foro quando profertur propositio. Quare si Petrus qui, vt suppono, est vnus ex illis, non fuisset tunc in foro, fuisset alia propositio, quamuis id non percipiat qui propositionem elicit, sicut de varijs propositionibus superiùs vidimus.

SECTIO V.

Vtrum idem numero actus poßit esse simul verus & falsus.

I. *Negant passim Dialectici.*

IN eam sententiam abierunt Dialectici omnes, quos vidi, vt consensu velut vno affirment implicare eundem actum verum simul & falsum esse posse. Non tamen mihi ita hoc manifestum videtur, vt contrarium sustineri nequeat.

II. *Potest respectu diuersorum obiectorum idem actus esse simul verus & falsus.*

Conclusio potest idem numero actus respectu diuersorum obiectorum esse simul verus & falsus. Probatur primò, veritas & falsitas actus ex conformitate vel difformitate desumitur cum obiecto, ergo si conformis simul & difformis esse possit suo obiecto, poterit simul verus esse & falsus, sed potest simul conformis & difformis esse suo obiecto, vel potiùs suis obiectis, ergo. Minor probatur, potest idem actus quasi disparatè in duo vel plura obiecta ferri hoc modo, *Petrus currit, Paulus loquitur*, sed tunc erit conformis vni nempe Petro currenti, si curras Petrus, & difformis alteri, Paulo scilicet loquenti, si tunc non loquatur Paulus, ergo poterit verus simul esse & falsus.

III. *Potest actus esse conformis vni obiecto, & difformis alteri.*

Dices, conformitas est æqualitas, sed æqualitas consistit in indiuisibili, ergo & conformitas ergo non potest simul conformis esse & difformis, conformis enim esset, & nõ conformis. Respondeo, admissis cæteris, distinguendo vltimum consequens, non potest simul esse conformis & difformis respectu eiusdem obiecti, concedo consequentiam; respectu diuersi, nego. Hic ergo actus cùm disparatâ quadam ratione ex modo tendendi feratur in hæc duo obiecta, actus est vni conformis, difformis alteri. Quod sic explicatur, & simul confirmatur ratio superiùs posita. Eadem numero quantitas vlnaris est æqualis alteri quantitati vlnari, & inæqualis palmo ac decempedæ, cùm tamen æqualitas consistat in indiuisibili. Nil ergo vetat idem respectu vnius esse æquale, & simul inæquale respectu alterius, cui ergo id in actu intellectus repugnabit, si disparatè in duo vel plura obiecta tendat?

IV. Probatur secundò, Angelus in probabili sententiâ, eodem actu obiecta aliqua videre potest intuitiuè, & alia cognoscere abstractiuè, vnde de iis quæ videt intuitiuè, actus erit verus, respectu verò eorum quæ non videt intuitiuè, poterit esse falsus: quidni enim Angelus in iis quæ non videt intuitiuè, errare æquè posset ac homines? Confirmatur, idem actus secundùm probabilem sententiam, potest simul esse fides & scientia, quidni ergo idem etiam actus verus simul & falsus esse poterit respectu diuersi obiecti? Conf. secundò, idem actus secundùm omnes potest esse clarus & obscurus respectu diuersi obiecti, vt dum Angelus eodem actu rem vnam videt intuitiuè, aliam abstractiuè, ergo & verus ac falsus respectu diuersi obiecti.

Potest idem actus esse clarus & obscurus respectu diuersi obiecti, ergo etiam verus & falsus.

V. *Clariùs hoc constat in simplici apprehensione.*

Tertiò, in sententiâ asserente posse simplicem apprehensionem esse falsam, hoc extra omnem videtur controuersiam, quidni enim aliqua obiecta repræsentet verè, & quæ intendebat, alia non? ergo cùm ex modo repræsentandi tendat in illa disparatè, quidni vera sit respectu aliquorum, & respectu aliorum falsa? seu his conformis, difformis aliis, idque siue sermo sit de simplicium apprehensione, siue de apprehensione complexâ.

VI. *Hic tamen actus, Omnes homines currunt, non potest esse simul verus & falsus.*

Dices ergo hic actus, *omnes homines currunt*, partim verus erit, partim falsus. Nego consequentiam, hic enim actus non tendit disparatè, sed in omnes homines fertur coniunctim, & tanquam in vnam collectionem, sicque respectu huius actus faciunt obiectum propriè vnum. Sicut, exempli gratiâ, si ligno palmari duo alia ligna apponantur, quorum alterum sit vnius palmi, alterum duorum, apponantur, inquam, disiuncta seu disparatè, lignum illud palmare est æquale vni, inæquale alteri, si tamen apponantur coniuncta, est illis simpliciter inæquale, quia iam non sunt in ratione mensuræ duo, sed vnum. Ita suo modo res se habet in nostro casu.

VII. *Ratio à priori, cur quidam actus possint esse simul veri & falsi, non alij.*

Ratio denum à priori est, quia hic & similes actus, *Petrus currit, Paulus loquitur*, qui disparatè tendunt in obiecta, æquiualent duabus propositionibus realiter distinctis, quæ hoc idem sigillatim affirmarent, & eodem modo tendit quo illæ, ac proinde hic actus est virtualiter duplex propositio, & consequenter nil vetat quo minùs respectu vnius obiecti sit verus, respectu alterius, falsus, si possit in illa tendere disparatè, quod certè non apparet cur non possit. Deinde hæc propositio non est propriè hypothetica, cum in hypotheticâ necessariò sint tres copulæ modo nostro concipiendi, duæ categoricarum, & vna propria hypotheticæ, hic autem non sunt nisi duæ copulæ categoricæ, nec hæ realiter distinctæ. Hic ergo actus non est propriè propositio hypothetica; vocari itaque potest vnita, vel virtualis duplex categorica. Vnde sicut si Ioannes elicitat hunc actum, *Petrus currit*, qui sit verus, & Antonius hunc *Paulus loquitur*, qui sit falsus, ille qui eliceret hunc actum *Petrus currit, Paulus loquitur*, ferretur in idem planè obiectum in quod illi duo feruntur, idque disparatè, ergo actus hic respectu vnius obiecti verus esse poterit, respectu alterius, falsus.

VIII. *Hi actus nõ habent vnum obiectum adæquatũ, sed plura disparata.*

Dices, hic actus est difformis obiecto suo adæquato, ergo est simpliciter falsus. Respondeo negando suppositum, nempe habere hunc actum vnum obiectum adæquatum, non enim propriè habet vnum obiectum, sed plura, in quæ tendit disparatè, vni illorum proinde conformis esse potest, difformis alteri. Sicut, vt suprà dixi, si vni vlnæ apponantur disparatè duæ aliæ quantitates, quarum altera sit vlna, altera maior vel minor, & quis diceret vlnam illam esse simpliciter inæqualem mensuræ suæ adæquatæ, negandum esset suppositum, quia illæ mensuræ non sunt vna adæquata mensura, sed plures disparatæ; si tamen illæ eædem apponantur vnitæ, est illis simpliciter inæqualis, quia iam non sunt duæ mensuræ, sed vna.

IX. Ad hoc autem vt sciatur, faciantne aliqua vnum obiectum adæquatum respectu actus, spectari debet non coniunctio obiectorum à parte rei, sed modus

Vnde sectio actuum habere vnum obiectum adæquatum.

tendendi actus: vt in actu falso hypothetico contingit, quo quis diceret *Petrus currit & Paulus loquitur*, quorum alterum tantùm est verum, & propositio simpliciter est falsa, hæc enim obiecta licèt in re non coniuncta, tamen in ratione vnius obiecti, respectu huius propositionis coniunguntur ex modo tendendi actus: sicut etiam ex diuerso modo tendendi diuersa est propositio hypothetica ab eâ, quæ est categorica de extremo copulato.

SECTIO VI.

Vtrùm vnus actus sit magis verus vel falsus alio.

I. *Veritas aliquando sumitur pro infallibilitate.*

NOtandum, veritatem vel falsitatem dupliciter sumi posse, primò vt adæquationem & inæqualitatem dicunt cum obiecto, secundò, pro immutabilitate, seu non pro adæquatione præcisè, sed pro magis vel minùs infallibili adæquatione vel conformitate cum obiecto.

II. *Potest vnus actus esse, verior vel falsior alio immutabilior.*

Prima conclusio: vnus actus potest esse radicaliter verior, hoc est, immutabilior alio, sicut etiam falsior. Probatur, illa propositio magis vera dicitur hoc sensu, cui magis repugnat falsitas, seu cuius obiectum est magis necessarium, sed huic propositioni *Petrus est homo*, magis repugnat falsitas, quàm huic *Petrus peccat*, prima enim est de obiecto immutabili, secunda non, sed potuisset esse falsa, ergo. Confirmatur; hoc sensu fides Diuina dicitur magis vera quàm actus aliquis verus naturalis quia scilicet magis repugnat falsitati, seu quia est certior. Sic etiam hoc sensu dici solet, Deus magis esse *ens* quàm creatura, id est, magis necessariò *ens*, cùm omnis creatura potuerit non existere. Quoad secundam partem conclusionis, hoc sensu magis falsa est hæc propositio, *Petrus est lapis*, quàm *Petrus est albus*, quia magis repugnat veritati, cùm Petrus lapis esse non possit, possit esse albus.

III. *Vna veritas est perfectior aliâ.*

Secunda conclusio: vna veritas est perfectior aliâ. Est clarum, sic enim visio Beata est perfectior actu Fidei, vel actu aliquo naturali quo quis dicat *Leo rugit*. Hoc sensu, definitio si esset actus supernaturalis, perfectior foret aliâ definitione naturali: sed hæc non est perfectio in ratione definitionis, vel veritatis formaliter: sicut nec est perfectio maior in ratione vlnæ inter duas vlnas aureas quàm ligneas.

IV. *Vna veritas non est formaliter maior aliâ.*

Tertia conclusio: vna veritas non est maior aliâ rigorosè loquendo, seu in ratione veritatis formaliter. Ita Suar. d. 9. Metaph. s. 1. nu. 24. Hurt. d. 11. Log. s. 2. num. 13. Arriaga d. 14. Log. s. 3. Ratio à priori: essentia veritatis in hoc consistit, vt repræsentet obiectum sicuti est, sed vnus actus verus non magis obiectum repræsentat sicuti est, quàm alius, ergo. Probatur minor, rem namque repræsentare sicuti est, consistit in indiuisibili, si enim vel minimum addat aut demat, non repræsentat obiectum sicuti est & actus est falsus. Confirmatur, si duæ lineæ sint omnino rectæ, non potest vna rectior esse aliâ, licèt præstantioris esse materiæ possit, sed veritas est linea intentionalis omnino recta, excludens omnem omnino curuitatem, ergo.

Ratio est, quia omnis actus verus repræsentat obiectum sicuti est.

V. *Actus vnus est immutabilior alio, non tamen conformior obiecto.*

Probatur secundò, qui dicit *Aquila volat* aquilâ volante, tam affirmat verum formaliter quàm qui dicit, *homo est animal rationale*, vel *Deus est immensus*, licèt hi duo actus sint veriores, id est, immutabiliores in veritate, quia obiecta sunt immutabilia iuxta primam conclusionem. Confirmatur, sicut vnum punctum non est maius aut minus alio, quia vtrumque est indiuisibile, sic nec vna veritas formaliter maior est vel minor aliâ, cùm etiam consistat in indiuisibili formaliter loquendo sicut æqualitas, est enim *adæquatio actus cum obiecto*, vnus autem actus non potest magis adæquari obiecto quàm alius, si ille verè eidem adæquetur.

VI. *Vnus actus est certior & euidentior, nō verior alio.*

Dices primò: vnus actus potest esse certior & euidentior alio, ergo & verior. Nego consequentiam, certitudo enim & euidentia actuum, cùm ex pluribus vel paucioribus rationibus desumantur, quibus actus innituntur, possunt suscipere magis & minus, non sic veritas.

VII. *Conclusio nō est vera formaliter propter præmissas.*

Dices secundò; conclusio est vera propter præmissas, ergo præmissæ sunt magis veræ, nam propter quod vnumquodque est tale, & illud magis. Respondeo negando antecedens, non enim est vera conclusio propter præmissas formaliter, sed quia est conformis suo obiecto.

VIII. *Vna etiam falsitas non est formaliter maior aliâ.*

Quarta conclusio: vna etiam falsitas formaliter loquendo, non est maior aliâ. Ad probationem, Notandum, obiecta esse in duplici differentiâ, alia enim sunt indiuisibilia, diuisibilia alia. De primis non est controuersia, nam obiectum indiuisibile non suscipit magis & minus, vnde tam falsum est formaliter, dicere *Petrus non existit*, si existat, quàm dicere, *Deus non existit*, cùm existentia vtriusque consistat in indiuisibili: vnde æquè aberrat à vero vterque actus, cùm vterque feratur in contradictorium veritatis, quo longiùs non potest quis ab eâ recedere. Aliquo tamen sensu magis falsum est hoc secundum, ob immutabilitatem, vt in primâ conclusione ostensum est.

IX. *Nec hoc ita solùm se habet in obiecto indiuisibili, sed etiam in diuisibili.*

Circa obiectum diuisibile maior est difficultas, sed in illo etiam probatur: hæc propositio, *omnes homines currunt*, est tam formaliter falsa, licèt omnes currant præter vnum, atque si vnus tantùm currat. Cuius ratio est, quia non considerantur hic omnes homines secundùm se, sed prout in vnum copulantur in cursu, at quoad hanc copulationem requiritur vt omnes omnino currant, & si vel vnus non currat, tam tollitur hæc copulatio, & consequenter veritas ex parte actus, atque si centum non currant, maior enim vel minor numerus ad formalem ablationem veritatis nil facit, sed materialiter solùm auget falsitatem, id est, qui hoc dicit, profert propositionem, quæ magis repugnet veritati. Quo modo locutus est Aristoteles 4. Metaph. cap. 4 fine, dum ait, *nec eodem modo mentitus est qui quatuor putat esse quinque, & qui mille*. Sicut & qui dicit, *Deus non est*, magis fallaciam hoc sensu profert propositionem, quàm qui dicit, *Petrus non existit* existente Petro.

X. *Quis sit sensus huius actus, Omnes homines currunt.*

Hæc ergo propositio *omnes homines currunt*, nullum sigillatim respicit, sed omnes per modum vnius complexi, cùm ergo tam tollatur complexum illud formaliter per ablationem vnius quàm per ablationem viginti, tam erit formaliter falsa vna propositio, quæ fertur in hoc complexum, quàm alia. Sicut si decem homines essent in hoc gymnasio, & vnus egrediatur, tam non remanet illic numerus hominum denarius, quàm si egrederentur quatuor.

XI. *Ostenditur vlterius vnū actum nō esse alio falsiorem.*

Probatur secundò, cùm, octo hominibus currentibus, dicit quispiam, *sex tantùm homines currunt*, & alter, *quatuor tantùm currunt*, non ideo est actus falsus quia affirmat hic sex currere, ille quatuor præcisè; sed quia vterque formaliter excludit octonarium numerum à cursu, sed vterque æquè formaliter excludit octonarium numerum, nam vterque æquè ponit contradictorium octonarij, ergo vterque actus est æquè falsus. Confirmatur, tam falsum affirmat, formaliter loquendo, qui dicit Petrum, qui oculos habet clausos, videre, quàm qui dicit lapidem videre, licèt hoc secundum magis repugnet veritati.

XII. Res hæc clarissimè probatur hoc exemplo. Quam-

uis

Exempla distantiæ localis ostenditur vnum aliud non esse magis falsum alio.

uir vnus Londino plus distet quam alius, tamen tam non est Londini hic quàm ille, licèt enim distantia non consistat in indiuisibili, consistit tamen negatio vbicationis vel existentiæ Londinensis: vnde tam non est Londini qui est Cantabrigiæ, quàm qui est Parisiis. Sic ergo in præsenti, in non repræsentando rem sicuti est, in quo consistit falsitas formaliter, omnes actus conueniunt, licèt materialiter & extensiuè vnus possit alio esse falsior, vt si quis diceret *lac est nigrum & amarum*, extensiuè magis falsus esset actus, quàm si solùm diceret, *lac est nigrum*, formaliter tamen æquè falsus est vnus actus atque alius, quia æquè vterque non repræsentat obiectum sicuti est.

DISPVTATIO XLVI.

De Futuris contingentibus.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Propositiones de futuro contingente habeant determinatam veritatem vel falsitatem.

I. *Propositio de futuro necessario, vel impossibili est determinatè vera, vel falsa.*

DE futuro, inquam, contingente, nam de futuro necessario, vel impossibili non est dubium quin propositio illa sit determinatè vera, vt *Anti-christus erit rationalis*, hæc determinatè falsa, vt *Petrus non erit animal*. De futuro ergo solùm in materiâ contingente est sermo, vt *Petrus cras curret, scribet, dormiet*.

II. *Proponitur status controuersiæ.*

Quæstio ergo præsens est, vtrum huiusmodi propositiones sint determinatè veræ, vel determinatè falsæ, hoc est, sicut cùm quis enunciat aliquid præteritum, vt *Petrus scripsit*, scriptio illa vel determinatè est posita, & sic propositio est determinatè vera; vel non est posita, & tunc propositio est determinatè falsa: ita & cùm quis dicit, *Petrus peccabit*, verùm peccatum sit determinatè futurum, & propositio vera, vel non futurum, & propositio falsa: sicque propositio determinatè vera vel determinatè falsa est conformitas vel difformitas intellectus ad obiectum determinatè futurum, vel non futurum.

III. *Opinio negans propositionem de futuro contingente esse determinatè veram, vel falsam.*

Celebris hâc in re est Thomistarum opinio, qui licèt propositionem de obiecto futuro necessario determinatè veram esse non inficientur, vt *Anti-christus erit rationalis*, & de obiecto impossibili determinatè falsam, vt *calor erit albedo*, propositiones tamen de futuro contingente nec determinatè veras esse asserunt, nec determinatè falsas, sed sicut obiectum est indifferens vt sit vel non sit, ita propositio illud affirmans est indifferens vt sit illi conformis, vel difformis, & consequenter vt sit vera, vel falsa, cùm veritas consistat in conformitate cum obiecto, falsitas in difformitate.

IV. *Sententia asserens has propositiones esse determinatè veras vel falsas.*

Communis tamen, & vera sententia affirmat propositiones omnes de futuro, etiam contingente, vel esse determinatè veras, vel determinatè falsas. Ita Suarez opusc. 2. lib. 1. cap. 2. Vasq. 1. p. d. 65 & 66. Valen. Arrub. Tann. Hurt. disp 9. de Ani. s. 6. Arria. d. 14. log. s. 5. Herice 1. p d. 6. c. 7. vbi viginti præ ea auctores affert ex aliis scholis vt Alensem, D. Bonauen. Scotum, Okamum, Gabrielem, & ex Thomistis Zumel & Aluarez.

V. *Aliud est propositionem esse veram, aliud esse certam.*

Notandum primò ad vitandam æquiuocationem, aliud esse, propositionem esse veram, aliud esse certam; primum requirit solùm vt obiectum ita se habeat sicut actus enunciat, secundum verò vlteriùs exigit, vt hoc dicenti innotescat, & firmis nitatur principiis, & quoad hoc idem est in propositione de præsenti, hæc enim vera esse potest, & non certa, non minùs quam propositio de futuro, vt si quis dicat *stellæ sunt pares, Tarca dormit*.

VI. *Aliud est rem esse determinatè futuram, aliud esse futuram necessariò.*

Notandum secundò, circa obiectum ipsum, aliud esse, rem determinatè esse futuram, & esse futuram necessariò: multa enim de facto sunt futura, quæ tamen futura sunt contingenter, seu ita vt potuerint non habere existentiam. Ad hoc ergo vt res determinatè sit futura, aliud non requiritur, quàm vt verè habitura sit existentiam in aliquo instãte post tempus illud, in quo profertur propositio, siue illa existentia ei obueniat liberè siue necessariò. Et quoad hoc idem etiam est de obiecto propositionis de præsente.

VII. *Quid sit rē esse futurā, aut præteritam.*

Notandum tertiò, cum Herice, Hurtado & aliis citatis, non ideo rem dici iam futuram, quasi iam existat aliqua illius futuritio, sed merè dici rem futuram ex eo, quod aliquando erit. Est proinde futuritio rei, existentia illius in tempore aliquo sequente, connotando negationem eius in instante præsente: & eodem modo rem esse præteritam, est illius existentia in tempore aliquo præcedente connotando negationem eius pro tempore præsente. Vnde quoad hoc, eadem est difficultas de re præteritâ, ac de futurâ. Quare vt ait S. Augustinus, *non nisi abusiuè dicuntur esse tria temporâ, cùm verè nullum sit propriè, nisi præsens: præteritum autem fuit, futurum erit*. Vnde vt optimè notat P. Herice nu. 89. hæc propositio, *Anti-christus est futurus*, si omnes voces in sensu proprio sumantur, est falsa, & implicationem inuoluens, ac se destruens, verbum enim *est* importat aliquid in præsente, participium verò *futurus* hoc totum negat, & importat actu nihil esse, sed aliquando fore. Quare, inquit, in rigore hæc propositio *Anti-christus est futurus*, perinde sonat ac si quis diceret *Anti-christus est erit*. Sensus itaque illius propositionis est, Anti-christus, licèt de præsenti nihil habeat, magis quàm quiuis alius homo possibilis, qui nunquam existet, in aliquo tamen tempore post hoc instans in quo profertur propositio habebit existentiam: & hoc modo propositio illa est iam determinatè vera.

S. Augustinus. *Nō dicũtur tria tempora, nisi abusiuè.*

Quid hæc verba in rigore sonent Anti-christus est futurus.

VIII. *Congruentiùs dicitur Petrum fore, quam esse futurus.*

Dices, iam est verum dicere rem esse futuram, ergo tota forma per quam denominatur futura, est modò. Respondeo, ad hoc vt iam sit verum dicere, rem esse futuram, sufficere quòd aliquando post hoc instans res habebit existentiam, estò de facto nihil omninò habeat. Meliùs proinde rem explicat qui hoc modo loquitur, dico *Petrum fore*, seu *futurum*, quàm *esse futurum, Deus videt Anti-christum peccaturum*, quàm *esse peccaturum*, licèt ex vsu idem sit. Ad consequentiam dico, totam formam, quæ ad denominationem *futuræ* rei illi dandam iam existere debet, iam esse, non tamen est necessarium, vt tota forma quæ ad hanc denominationem concurrit, modò existat, imò tota non debet iam existere, sic enim non esset res futura, sed præsens, & quoad hoc, eadem difficultas est de re præteritâ. Ad hoc ergo vt res dici possit futura, non requiritur vt quidquam illius iam existat, sed solùm vt iam existat instans aliquod temporis vel æternitatis, post quod erit res illa. Sic in mul-

Vt res iam dicatur futura, non est opus, vt quidquam illius iam existat.

tis

tis aliis denominationibus non requiritur vt tota forma dans denominationem, simul existat, vt constat in denominatione *prioris & posterioris, antiqui, conuersi, mortui, annihilati,* & similium.

Ad veritatem propositionis de futuro, non debet tunc existere aliqua veritas obiectiua.

IX. Primò itaque notandum ad resolutionem huius quæstionis, ad hoc vt propositio de futuro sit vera, non esse necessarium, vt tunc quando profertur propositio, existat aliqua veritas obiectiua illius rei: tum quia eodem planè modo tendit in obiectum suum actus falsus ac verus, & tamen respectu illius nulla existit veritas obiectiua, ergo nec requiritur vt sit aliquid huiusmodi in obiecto, quando in illud fertur actus verus: Tum etiam quia actus sæpe, præsertim de futuro, non enuntiat aliquid, quod tunc existit, sed merè futurum.

SECTIO II.

Ostenditur propositiones de futuris contingentibus esse determinatè veras, vel falsas.

Ex contradictoriis vna est determinatè vera, altera determinatè falsa.

I. His itaque præmissis, probatur conclusio primò: Ex duabus propositionibus contradictoriis altera est determinatè vera, altera determinatè falsa, sed hæ sunt contradictoriæ, *Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit*, ergo. Confirmatur, hæc propositio *Petrus cras peccabit*, affirmat determinatè peccatum Petri cras futurum, non enim affirmat tantùm futurum vel non futurum, vel ergo est cras futurum, & est propositio iam determinatè vera, cùm iam affirmet sicut res est, estque conformis in repræsentando rei in essendo; vel non est futurum, & tunc est falsa, quia non affirmat sicuti res est. Quod autem veritas illius nobis innotescat vel non, nil refert ad hoc vt in se determinatam habeat, vel non habeat veritatem.

Indifferentia ad existendum non tollit quominus quid sit futurum determinatè.

II. Dices, obiectum non est determinatè futurum vel non futurum, est enim indifferens adhuc vt sit vel non sit. Contrà, ergo nec propositio de præsente in materia contingente erit determinatè vera, nam peccatum Petri quandocumque est, est contingenter seu ita vt possit absolutè non esse, & indifferens antè vt sit, vel non sit, cùm liberè fiat. Si autem sermo sit de necessitate ex suppositione, sic omnis propositio vera est necessariò vera, sicut & omnis falsa necessariò falsa, cùm supposito quòd obiectum sit, aliter esse non possit: vnde si obiectum verè sit futurum, propositio hoc affirmans enuntiat determinatè sicuti est, & est determinatè vera, si non sit futurum, est determinatè falsa.

Dei cognitio de futuris contingentibus erat ab æterno determinatè vera.

III. Secundò probatur conclusio, Deus ab æterno habuit perfectam ac determinatam cognitionem horum obiectorum futurorum, vt est de fide, illa etiam Prophetis reuelat: cognitio item Dei in peccato Antichristi non est indifferens vt sit vera vel falsa ex suppositione obiecti, sed ab æterno fuit vera, & determinatè vera, cognitio enim quæ non est determinatè vera non est vera, sed suspensa vt vel vera sit vel falsa, quod dictu planè impossibile est de cognitione Dei, ergo vniuersim falsum est dicere nullam propositionem de obiecto contingenter futuro esse determinatè veram.

Respondent Deo nihil esse futurum.

IV. Respondent aduersarij cognitionem Dei esse determinatè veram, sed non esse de obiecto futuro, omnia enim, inquiunt, Deo præsentia sunt in æternitate, & respectu illius nihil est futurum, quod non contingit respectu cognitionis creatæ. Præsentiam hanc rerum in æternitate latè refutaui 1. p. d. 5. sect. 5. hic verò quia res est Theologica, hunc respondendi modum strictim solùm impugnabo.

V. Contrà ergo est primò, per præsentiam enim in æternitate, vel intelligunt creaturas fuisse verè ab æterno Deo præsentes, & hoc est apertè falsum, cum certum de fide sit res omnes creatas primò productas esse in tempore, ergo ante illud tempus non existebant, ergo Deo non coëxistebant, vt constat, cùm coëxistentia sit duorum existentia in eodem tempore vel instante coniuncta, ergo si nulla creatura existebat ab æterno, à fortiori nulla coëxistebat. Si autem per coëxistere Deo in æternitate nihil aliud velint quàm coexistere in suà differentià temporis toti æternitati indiuisibili Dei, quæ, cùm sit ipsa entitas Dei, necessariò existit tota in quouis instante, est minus propria locutio, nec conducere videtur ad rem præsentem: nec ob hoc verum est dicere creaturas esse ab æterno, & Deo tunc præsentes, magis quàm Petrum qui est hîc & coëxistit toti immensitati Dei (quæ similiter est indiuisibilis, & ipse Deus, non minùs quàm æternitas) esse vbique, seu coëxistere Deo in Indiis, aut in centro terræ. Non est ergo verum, rem quæ quocumque modo coëxistit æternitati, esse ab æterno, ergo nec res futuræ præsentes Deo erant ab æterno, quòd autem sint postea futuræ præsentes æternitati Dei, non facit ad præsens propositum, verè enim ab æterno non erant Deo præsentes, seu coëxistentes, sed suo tempore coëxistituræ.

Non est admittenda præsentia rerum in æternitate.

VI. Contrà secundò. Deus & homo quispiam simul habeant hanc propositionem, *Petrus cras peccabit*, quis dicet propositionem Dei esse veram, non propositionem hominis, cùm vterque actus feratur in idem omnino obiectum, sitque ei conformis? Vel si Deo dicente *Petrus cras peccabit*, homo vel Angelus dicat, *Petrus cras non peccabit*, quis dicet propositionem Dei esse determinatè veram, propositionem autem Angeli aut hominis non esse determinatè falsam, cùm sint actus omnino oppositi & contradictorij?

Si Deus & homo idem dicant, vtriusque actus est verus.

VII. Tertiò probatur conclusio, Prophetæ propositiones proferunt de obiectis contingenter futuris, ergo vel sunt determinatè veræ, vel non: hoc secundum nullus credo dicet, nec negabit prædictiones Prophetarum de huiusmodi rebus futuris esse determinatè veras, & tamen non coëxistunt obiecta futura Prophetis, ergo coëxistentia illa in æternitate nihil facit ad veritatem propositionum de futuro contingente.

Prophetæ futura prædicunt, quibus tamen obiecta nō sunt præsentia.

VIII. Vlteriùs itaque si alius quiuis homo diceret temerè aut casu id quod dicit Propheta, *Petrum scilicet cras peccaturum, aut moriturum*, vel aliquid huiusmodi, licèt in hoc, differentia inter hos actus foret, quod actus prophetæ certus esset, alterius hominis incertus, in veritate tamen nulla esset diuersitas, cùm non minùs actus huius hominis affirmet sicuti res est, sitque proinde conformis suo obiecto quàm actus Prophetæ. Sicut etiam si quis videns solem lucere, dicat tunc cæco cuipiam, *sol lucet*, & is ob auctoritatem dicentis credat, actus dicentis est certior & euidentior quàm actus cæci, non tamen verior, cùm vterque actus sit æquè conformis obiecto.

Si alius casu idē diceret, quod Propheta prædicit, actus eius esset verus.

IX. Aliis argumentis, quæ in infinitum congeri hîc possent, omissis: Ratio à priori breuiter est quam iam insinuaui, quia veritas aut falsitas actus ex eo adæquatè desumitur, quòd affirmet sicuti res est, seu erit, vel aliter quàm est, aut erit, sed qui dicit Petrum cras peccaturum, vel affirmat sicuti res erit, si cras verè peccabit, & actus est verus; vel aliter quàm res erit, si non peccabit, & actus est falsus & difformis obiecto, nec enim fertur indeterminatè affirmando peccaturum vel non peccaturum, sed determinatè dicit peccaturum, ergo. Confirmatur, quidquid erit, determinatè erit, tum quia nihil potest existere indeterminatè vel vagè, tum quia quidquid existit, procedit à causis, causæ autem nihil vagum aut inde-

Ratio à priori est, quia ex eo actus est verus quòd enuntiat sicut res est, vel erit.

termi-

terminatum possunt producere, sed qui dicit aliquid futurum, in illud eo modo fertur quo aliquando erit, ergo.

SECTIO III.

Argumenta contendentia futura contingentia non esse determinatè vera vel falsa.

I. OBiiciunt primò Aristotelem, quem hac in parte sequitur Cicero l. de Fato: de quo proinde appositè S. Augustinus l. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. *vt homines liberos faceret, fecit sacrilegos*, nempe qui Deo scientiam potiùs adimere voluit, quàm hominibus libertatem.

Aristot. vt homines liberos faceret, fecit sacrilegos.

II. Respondeo primò, amicus Aristoteles, magis amica veritas, præsertim cùm hoc asseruerit ex erroneo principio, vt scilicet negaret Deum isthæc scire, quòd hominum libertatem cum hac Dei præscientiâ conciliare non posset: vnde, vt ostendit P. Vasquez 1. p. disp. 66. cap. 2. num. 15. Aristoteles Deo eiusmodi huiusmodi in particulari prouidentiam negauit. Et licèt nonnulli conati sint Aristotelem ab hoc errore vendicare, frustra tamen, vt ostendit P. Suar. Opusc. de scientia Dei, lib. 1. c. 2. num. 51. ex S. Gregorio, Maiore, & aliis,

Amicus Aristoteles, magis amica veritas.

III. Fortè tamen dici posset non aliud voluisse Aristotelem quando negauit hanc propositionem esse nunc determinatè veram *Petrus cras peccabit*, quàm non esse iam in Petro determinationem aliquam ratione cuius dicatur cras peccaturus, sed hoc merè pendere à voluntate ipsius liberâ: in igne verò & aliis caussis necessariis, iam assignari potest aliqua determinatio in ipsâ earum naturâ, ratione cuius dici iam possit ignis e. g. determinatus ad cras comburendum, potiùs quàm ad non comburendum.

Explicatur Aristoteles circa futura contingentia.

IV. Obiiciunt secundò; si propositio de peccato Petri futuro sit determinatè vera, ergo obiectum est determinatè futurum, ergo Petrus est determinatè peccaturus, ergo non potest non peccare, præsertim cum suppositio hæc sit antecedens peccatum, nam est de peccato futuro: quod fortiùs vrgetur in cognitione Dei de eodem peccato. Respondeo incipiendo ab hoc vltimo, hæc suppositio est antecedens tempore, concedo; naturâ, nego: nec enim est vera hæc caussalis, *ideo Petrus cras peccat, quia Deus videt eum cras peccaturum*, sed è contrà, *ideo Deus videt eum cras peccaturum, quia cras ipse determinabit se ad peccatum*, visio enim supponit futuritionem effectus, ac proinde hæc est solùm necessitas consequens, non antecedens. Quod idem est de obiecto vel peccato præsente, & quod actu fit, supposito enim quòd Deus id videat fieri, non potest non fieri: sicut si Ioannes videat Petrum hic stantem, posito quòd Ioannes ipsum videat stantem, non potest non stare, sed priùs aliquo modo supponitur stare, quàm Ioannes ipsum stare videat.

Cognitio Dei de peccato futuro est tempore antecedens, naturâ subsequens.

V. Vnde ad reliqua in obiectione respondetur, si per obiectum esse determinatum, & determinatè futurum, intelligatur esse necessarium, vel necessariò futurum, est falsum; sin verò solùm intelligant verè futurum, nil in hoc incommodi: est enim peccatum illud verè futurum, licèt liberè, ita scilicet vt possit non esse, licèt de facto sit futurum: hæc autem determinatio non tollit indifferentiam ad posse esse simpliciter, vel posse non esse, sed ad esse vel non esse de facto, de facto enim erit, quamuis liberè erit. Omnis ergo illa necessitas est solùm consequens, & secundùm quid, non antecedens, & simpliciter, cùm antecedenter & simpliciter sit in voluntate Petri, vt nec Ioannes viderit ipsum stantem, nec Deus peccantem.

Aliud est aliquid esse determinatè futurum, aliud futurum necessariò.

VI. Si tamen propositio aliqua vel mentalis vel vocalis, esset causa sui obiecti, vel si visio intuitiua Dei, aut prædictio Prophetæ actum illum quem cognoscit aut prædicit, efficeret, tunc non fieret liberè, vt si Deus eleuaret actum intellectus, quo quis mente dicit *Petrus sedet*, ad primò producendam sessionem, vel actum aliquem voluntatis Petri, Petrus in eo casu necessariò sederet, vel actum illum eliceret, cùm pro aliquo priori & antecedenter sit necessitatus ad vtrumque, nec sit in potestate ipsius (idque ob aliquid simpliciter antecedens) non sedere, & actum illum voluntatis non elicere.

Si visio Dei influeret in actum, tolleret libertatem.

VII. Dices, hoc enthymema est verum, Deus præscit Anti-christum peccaturum, ergo peccabit, ergo posito illo antecedente, necessariò sequitur consequens, sed antecedens illud est Anti-christo necessarium, cùm non sit in eius potestate vt Deus non habeat illam scientiam, ergo. Respondeo, antecedens illud non esse Anti-christo necessarium, Deus enim ab æterno erat indifferens ad habendã contrariam scientiam, & solùm habet hanc dependenter à liberâ determinatione futurâ Anti-christi ad peccatum, qui, si pro suâ libertate, quam pro illo priori habet, eo instanti quo peccabit, determinaturus se fuisset ad non peccandum, Deus non hanc scientiam, sed aliam habuisset. Cùm ergo scientia hæc Dei de peccato Anti-christi supponat illud futurum, posterior naturâ vel ratione est libertate Anti-christi pro suâ temporis differentiâ exercitâ, ergo illam lædere non potest, peccatum enim Anti-christi antecedit scientiam Dei, & illam infert, non è contrà si loquamur de antecedentiâ simpliciter. Quando autem dicitur, Deus præscit Anti-christum peccaturum, ergo peccabit, distinguendum est antecedens, præscit prioritate naturæ, seu antecedenter, nego, posito quòd sit peccaturus, seu consequenter, concedo.

Dices: valet hæc consequentia Deus videt Anti-christum peccaturum, ergo peccabit.

Resp. sequi potiùs è contrà, Anti-christus peccabit, ergo Deus videt eum peccaturũ.

VIII. Vnde semper manet simpliciter seu antecedenter posse Anti-christum non peccare, quod tamen non est posse fallere scientiam Dei, Deus enim non videt eum peccaturum nisi posito quòd sit peccaturus, nõ posse autem non peccare, posito quòd sit peccaturus, non minuit libertatem, sicut nec non posse non peccare posito quòd peccet, multò ergo minùs sciẽtia Dei tollit libertatem, vtpote, quæ supponit peccatum futurum, & consequenter vno adhuc signo rationis serùs, vt ita dicam, aduenit; ergo si libertas ipsa exercita non tollat libertatem, vt fatentur omnes, multò minùs scientia quæ hanc subsequitur.

Potentia Anti-christi ad peccandũ manet illæsa.

IX. Obiiciunt tertiò; propositio quæ dicit *Petrus cras peccabit*, nec videtur iam esse vera nec falsa, patet, obiectum est indifferens ad existendum, vel non existendum, ergo & actus est indifferens ad esse verum vel falsum, ergo actu nec est verus nec falsus. Ad argumentum, negatur antecedens: ad probationem, distinguo antecedens, obiectum est indifferens ad existendum vel non existendum, id est, non necessitatur ad existendum, concedo antecedens, id est, de facto non existet, nego. Actus ergo denominationem veri vel falsi accipit à futuritione obiecti, quod licèt contingenter, est tamen futurum, & Deus videt illud tali tempore fore.

Obij. obiectum est indifferens ad esse & non esse, ergo & actus vt sit verus vel falsus.

Resp. obiectũ de facto futurum, quod sufficit vt actus sit verus.

X. Obiiciunt quartò; si propositio de futuro contingente sit determinatè vera, vel determinatè falsa, ergo frustra quis consultat de mediis ad finem illum obtinendum requisitis, ad peccatum scilicet fugiendum: vel enim est vitaturus peccatum, vel non, si non, frustra consultat de mediis ad illius vitationem conducentibus ponendis, cùm non sint habitura effectum; si ita, non est opus vllâ consultatione, cùm iam

Obij. ergo frustra consultamus de mediis.

iam effectus sine illâ, & antecedenter ad illam sit futurus.

XI. *Resp. non frustra cōsultari, cū inde pēdere possit vitatio peccati.* Perinde mihi facere videntur qui hoc obiiciunt ac si ægrotus diceret, vel sum recuperaturus sanitatem, vel non, & ob similem discursum recusaret sumere medicinam. Respondeo itaque non esse frustraneam vel ibi consultationem, vel hic sumptionem medicinæ, potest namque vitatio vel non vitatio illius peccati, recuperatio vel non recuperatio sanitatis pendere à consultatione vel sumptione, potest enim vterque effectus esse futurus vel non futurus dependenter ab his mediis, vnde Deus videt ægrotum illum si sumat talem medicinam, recuperaturum sanitatem, quare licèt sint futuræ sanitas & vitatio peccati, sunt tamen dependenter ab iis mediis futuræ.

XII. *Argumenta de cognitione futurorum æquè vrgent in cognitione præteritorum.* Solùm hîc aduerto, plurima ex argumentis quæ contra nostram sententiam fieri solent, æquè vrgere in cognitione præteritorum, vt, quòd futurum iam non sit, ac proinde quod iam causare nequeat veritatem, sed nec præteritum iam est, ergo non magis eam causare poterit. Ad vtrumque ergo dico, non posse eam causare Physicè influendo, cùm operari supponat esse, sic tamen terminando, seu tanquam connotatum extrinsecum, cui conformari debeat actus, cùm & purè possibilia, imò & impossibilia hoc modo causare eam possint.

SECTIO IV.

An Futura etiam conditionata sint determinatè vera vel falsa.

I. *Rem hanc, vtpote Theologicā, paucis expediam.* IN hac quæstione difficultas haud paulò maior est, quàm in præcedente. Sed rer est merè Theologica, & scripturæ potiùs ac Patrum testimoniis, quàm logicis speculationibus decidenda: de quâ proinde silere satiùs est, quàm pauca dicere, eamque non omnino potiùs, quàm pro dignitate discutere. Vt tamen mori à Dialecticis inducto morem geram, quædam hac de re obiter attexam, ita tamen, vt quæstionem hanc non omisisse potiùs, quàm de eâ egisse videar. Legatur Suar. to. 1. de Grat. Proleg. 2. & Opusc. 2. l. 2. vbi susissime, & eruditissime hac de re disputat.

II. *Propositiones habēt, vel in materiā necessariā, vel contingente.* Propositiones de futuro conditionato, aliæ sunt necessariæ, seu in materiâ necessariâ, quando scilicet conditio necessariam habet connexionem cum re, quæ sub conditione illâ affirmatur vt futura, vt, *si sol oriatur, dies erit.* Aliæ sunt de futuro contingente & libero, vtpote in quibus conditio non infallibiliter connectitur cum re futurâ, vt, *si Paulus cras inciderit in tales socios, peccabit.* In his autem & aliis intercedere debet connexio aliqua inter conditionem & id quod conditionatè dicitur futurum, aboqui non est conditionata propositio, nisi voce tantùm, vt in Introductione dictum est. Vnde hæc non est propriè de futuro conditionato, de quo hic loquimur, *si canis latret, aquila volabit.*

III. *Propositiones de futuris liberis conditionatis, sunt determinatè, vera vel falsa.* Dico ergo propositiones etiam de futuris conditionatis liberis esse determinatè veras vel falsas. Ratio est primò, quia sicut propositiones de obiectis absolutè futuris sunt determinatè veræ vel falsæ, quia obiecta sunt absolutè futura vel non futura determinatè, ita & hæ similiter erunt determinatè veræ vel falsæ, quia obiecta sunt etiam determinatè futura positâ tali conditione, vel non futura. Exempli gratiâ, Petrus, si ipsum rogauero, dabit mihi librum determinatè, vel non dabit, positâ enim hac conditione, vel se determinabit ad vnam partem contradictionis, vel alteram, ergo propositio quæ affirmat ipsum positâ tali conditione, daturum librum, est determinatè vera, si sit daturus, quia affirmat sicuti res est, vel erit; aut est determinatè falsa, si non sit daturus, quia non affirmat sicuti res est, vel erit.

IV. *Videt Deus hæc obiecta, positâ conditione, futura determinatè.* Secundò probatur, videt Deus hæc obiecta, positâ conditione, futura determinatè, vel non futura, vt patet ex variis Scripturæ locis, vbi Deus de huiusmodi obiectis quid in eo casu futurum esset reuelat, vnus ille locus ex infinitis propè sufficiat Matth. 11. v. 21. vbi ait Christus, *væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent:* ergo videt Deus quid futurum sit positâ tali conditione.

V. *Hæ sunt veritates cognoscibiles, ergo ad eas extēditur Diuina cognitio.* Tertiò probatur, ad omne omnino cognoscibile extenditur infinita Dei scientia, ita vt nulla veritas cognoscibilis sit quæ eam lateat, sed res sub conditione euentura est veritas cognoscibilis, ergo. Minor probatur, sicut quia Paulo petenti Petrus absolutè dat librum, propositio illa absoluta est determinatè vera, ita & conditionata est vera ex eo quòd positâ conditione est daturus.

VI. *Cognitio conditionatorum est necessaria vt Deus mundum administret.* Quartò probatur, sine hac scientiâ non posset Deus prudenter administrare mundum, vt facile discurrenti constabit. Deinde si Deus non videat determinatè hæc obiecta, multæ Deo quæstiones ab hominibus proponi possent, quibus ipse non posset respondere, vel si responderet, dubitare possemus de veritate responsi, vt si quis peteret à Deo, num Petrus, si petat pauper ab eo cras eleemosynam, daturus sit, necne; si enim Deum lateat quid Petrus sit facturus, non potest respondere nisi sub disiunctione, nempe, dabit vel non dabit, quod de Deo nullâ ratione videtur admittendum. Imò quis non videt quàm parum dignitati Dei sit consonum, vt dicatur in his obiectis agere tantùm coniecturis, consequenter aliqua esse quæ Deus certò non nouit? Quòd si concedatur Deum hæc obiecta videre, & de iis propositiones formare, dum ea reuelat, certè homo quispiam dum similem propositionem profert, licèt non habeat actum æquè certum, habet tamen æquè verum, *Actus Dei est certior actu hominis, nō formaliter verior.* quia tam obiecto conformatur actus hominis, quàm Dei, enuntiat etenim sicuti res est. Hæc in præsenti de grauissimâ hac controuersiâ prælibasse sufficiat, reliqua Theologis relinquo, quibus nihil præcipium volo. Latè eam disputaui 1. p. d. 6. dum de scientia Dei.

DISPV-

DISPVTATIO XLVII.

In libros Aristotelis de Priori Analysi, seu Resolutione.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm discursus includat essentialiter tres actus vel consistat in solâ conclusione.

I. *Ab hoc ex parte pendet quæstio de subiecto attributionis logicæ.*

SVprà d. 7. s. 5 n. 2. dixi expeditissimam viam ad defendendum, Definitionem esse obiectũ Attributionis Logicæ, quæque omnem tollat difficultatem, esse, vt dicatur; Discursum non in duobus vel tribus actibus, sed in solâ conclusione consistere, quo posito, omnia aduersariorum argumenta, ex eo præsertim capite deducta, quòd Definitio sit pars Demonstrationis, ad nihilum recidunt. Huius verò probationem hunc in locum distuli.

II. *Prima sententia docet discursum consistere in tribus actibus.*

Prima itaque sententia ait, Discursum, & præmissas includere & conclusionem: ita P. Hurt. d. 10. log. s. 12. licèt n. 84 probabile esse dicat consistere in solâ conclusione: P. Arriaga d. 15. log. s. 2. & alij.

III. *Secunda negat.*

Secunda sententia affirmat Discursum, in solis præmissis consistere, & non omnino includere conclusionem: ita recentiores aliqui.

IV. *Discursus consistit in solâ Conclusione.*

Dicendum: licèt Discursus essentialiter supponat duos actus iudicij (vel vnum saltem virtualiter duplicem) ad quos sequatur, est enim essentialiter cognitio habita per medium, & non ob connexionẽ immediatam extremorum inter se, sed quia intellectus ea *priùs medio vnita* vidit in præmissis, licèt, inquam, actus illos seu præmissas supponat discursus, eos tamen formaliter non includit, sed in solâ consistit conclusione.

V. *Ratio est, quia Discursus est cognitio vnius veritatis per aliam & post aliam.*

Probatur, Discursus enim ex S. Thoma 1. p. q. 58. a. 3 & Arist. 1. Poster. c. 1. est *Cognitio vnius veritatis per aliam, & post aliam* cognitionem; ergo manifestum est Discursum illam aliam cognitionem, seu præmissas non includere. Confirmatur, affirmant Dialectici omnes cum Aristotele, Discursum esse *cognitionem illatam seu deductam ex alijs*, sed sola conclusio est ex alijs deducta, præmissæ enim sunt immediatæ seu non illatæ sed inferentes, ergo. Confirmatur secundò, scientia quæ est quoddam genus Discursus, est iuxta Dialecticos *cognitio euidens habita per principia Demonstratiua*, & simplex qualitas posita in prædicamento qualitatis, ergo hic discursus non includit formaliter præmissas seu principia, principia enim non habentur, nec causantur ex seipsis.

VI. *Si discursus includat tres actus, sequitur esse quatuor modos sciendi.*

Probatur secundò, sequeretur contra communem Philosophorum, esse quatuor modos sciendi. Probatur, conclusio enim vt distincta à præmissis, est modus sciendi diuersus à Definitione & Diuisione, est enim oratio ignoti manifestatiua, seu id clarè explicans quod obscurè continebatur in præmissis, connexionem scilicet duorum extremorum inter se, ideò verò, Definitio est modus sciendi quia clarè explicat quod obscurè continetur in actu repræsentante definitum, cùm ergo conclusio clarè connexionem duorum inter se manifestet, quæ obscurè continetur in vnione eorumdem cum tertio in præmissis, erit conclusio modus sciendi: si ergo concretum ex præmissis & conclusione sit modus sciendi, iam erunt quatuor modi sciendi. Confirmatur, tertia operatio intellectus, in quâ consistit Discursus, sufficienter distinguitur à primâ & secundâ ex modo tendendi, vt n. 1. explicatum est, ergo non est opus ad aggregatum ex tribus actibus recurrere, vt ab iis distinguatur.

VII. *Obij. Definitionem syllogismi ab Aristot. assignatam.*

Obiicies definitionem syllogismi ab Aristotele 1. Priorum traditam: *Syllogismus est oratio in qua, quibusdam positis, aliud necessariò sequitur*, ergo secundùm Aristotelem, Syllogismus & conclusionem includit & præmissas. Hoc est fundamentum contrariæ sententiæ. Existimo tamen hanc Aristotelis definitionem nihil pro iis facere, sed confirmare potiùs nostram sententiam, si rectè intelligatur.

VIII. *Definitio illa probat Discursum consistere in solâ Conclusione.*

Sensus ergo est, *syllogismus est oratio, in quâ* &c. ita vt ly *in qua* referatur ad *necessariò sequitur*, non ad *quibusdam positis*, quasi dicat, *syllogismus est oratio in qua aliud necessariò sequitur, quibusdam positis*, seu præsuppositu. Ex qua explicatione constat, definitionem hãc Aristotelis, nostræ sententiæ fauere Discursum omnem statuenti in solâ conclusione, in hac enim aliud sequitur, sicque præmissas supponit syllogismus, non includit.

IX. *Obycitur Etymologia nominis Discursus.*

Obiiciunt secundò, etymologiam nominis; Discursus enim est mentalis quidam cursus, vnde sicut materialis cursus plures necessariò passus materiales requirit, ita mentalis cursus plures requirit passus mentales, seu actus. Sed contrà, iam enim & ab auctoritate & ratione ostensum est Discursum plures actus non includere. Deinde pugnaret hæc definitio cum definitione Discursus suprà ex S. Thoma & Aristotele positâ, quòd sit *cognitio vnius veritatis per aliam & post aliam*. Ad etymologiam ergo nominis dico, non ea semper exactè in rebus seruari, quæ nominis etymologia indicat, sic enim *misericors* secundùm S. Thomam, est *qui habet miserum cor*, id est, qui dolorem quemdam cordis & compassionem sentit ex aliorum miseriis, & tamen hæc in Deum non cadunt, qui nihilominus est perfectissimè misericors. Sic secundùm eundem, *lapis à lædendo pedem* dicitur, quasi *lædipes*, nec tamen lapis omnis pedem lædit, nec quidquid pedem lædit, est lapis. In Discursu ergo duo passus præsupponuntur, tertius eum constituit.

Resp. non semper seruare proportionem cum Etymologiâ nominis.

X. *Nominis etiam Etymologia nobis fauet.*

Addo tandem etymologiam nominis nobis maximè fauere, syllogismus enim à συλλογίζομαι, dicitur, aptè proinde actum conclusionis significat, illa namque quæ sparsa sunt in præmissis, ratiocinando in vnum colligit, & connectit, vt ostensum est. Eodẽ modo respondetur ad id quod obiici possit, nempe ad diuisionem illam syllogismorum ac Demonstrationum in diuersos modos ac figuras: Dico enim primò latè ibi sumi Demonstrationes: non strictè. Secundo, præmissæ illæ requiruntur quidem ad Discursum ac Demonstrationem, sed eam non ingrediuntur.

SECTIO II.

Resoluuntur quædam circa naturam Discursus.

I. *Quinam vtantur discursu.*

QVæres primò, quinam vtantur discursu? Inprimis certum est Deus Discursu formali non vti, ad hunc enim plures requiruntur actus realiter distincti, qui Deo repugnant. Homines Discursu formali vti certum est, & aliam ex aliâ veritatem deducere. Idem existimo de Angelis in iis quæ intuitiuè, seu per species proprias non vident, qualia sunt futura contingentia, secreta cordium, & similia.

II. *An syllogismus constans propositionibus falsis sit bonus.*

Quæres secundò, vtrùm syllogysmus ex propositionibus falsis compactus, recto tamen ordine dispositis, sit bonus? Ad hanc difficultatem, vt respondeam, quæro ego vicissim quid Syllogismi nomine intelligatur? Si dicas conclusionem intelligi deductam ex propositionibus non rectè solùm dispositis, sed veris, aio Syllogismum illum non esse bonum. Sin verò ad syllogysmum aliud non requiras quàm vt præmissæ rectè secundùm logicæ præscriptum ordinentur, syllogismus ille est bonus, vnde Aristoteles Demonstrationum exempla in litteris statuit, *vt omne A est B, sed omne C est A, ergo omne C est B.* Vel, si mauis, distingue, & dic syllogismum illum esse malum physicè, logicè bonum, vtpote qui in materiâ peccet, non in formâ.

III. *Ad discursum vt plurimum requiruntur duæ præmissæ.*

Ex dictis infero, ad Discursum regulariter loquendo necessarios esse tres actus, duos ad eum prærequisitos, tertium in quo formaliter consistit. Regulariter inquam loquendo, nam ideo assentimur veritati obiectiuæ, & ex ipsa aliqua connectimus in conclusione, seu Discursu, quia illa vidimus connexa cum vno tertio in præmissis, vt, exempli gratiâ, ideo dicimus in conclusione, ergo *Petrus est animal*, quia antea habuimus hos actus, *omnis homo est animal*, *Petrus est homo*. vnus enim horum actuum solus ad hoc non sufficeret. Si verò totum hoc, nempe, *omnis homo est animal*, &, *Petrus est homo*, dicatur vnico actu, non video cur conclusio *ergo Petrus est animal*, quæ inde deduceretur, non foret discursus hic enim extrema non vniuntur, seu identificantur inter se immediatè sed quia identificabantur, vel videbantur vnita vni tertio in aliquo actu præcedente, qui actus æquiualet duobus qui idipsum separatim dicerent.

Sufficit tamen subinde vna virtualiter duplex.

IV *Aliud est cognoscere vnum in alio, aliud ex alio.*

Infertur secundò, aliud esse vnum cognoscere *ex alio*, aliud cognoscere *in alio*. Primum, si propriè loquamur, fit per discursum strictè dictum, cùm scilicet per diuersos actus vnum deducimus ex alio. Secundum est cùm effectus cognoscitur in causâ, vel obiectum in actu, hoc modo, *hæc visio est visio albedinis*, *hæc actio est productio ignis*, qui actus nullum est dubium quin competant Deo & Angelis, cùm omnis actus comprehensiuus sit huiusmodi.

V. *Deus non magis cognoscendo discursus hominum discurrit, quàm cognoscendo eorum errores, errat.*

Dices, cùm homo quispiam discurrit, Deus videt omnes illius actus, & obiecta illa cognoscit, scitque quo ordine & modo vnum deducat ex alio, quidni ergo discurrit? Contrà, sic Deus suo actu cognoscit errores hominum, perperam tamen hinc quisquã intulerit errare Deum, sicut nec ex eo quòd Deus cognoscat actus imperfectos aliorum, sequitur ipsum res illas cognoscere imperfectè. Respondeo itaque ideo non discurrere Deum, quia discursus, saltem formalis, vt antea dixi, plures necessariò requirit actus realiter inter se distinctos. Cognitio ergo Diuina dici poterit Discursus eminentialis, quòd per vnicum actum perfectissimo modo cognoscat quidquid homo cognoscit per plures. Dici etiam potest cognitio Diuina quâ vnum cognoscit in alio, Discursus virtualis.

VI. *Dari in nobis potest vnus actus qui repræsentet totum syllogismum obiectiuum.*

Infero tertiò, non videri improbabile vnum in nobis dari actum posse, qui totum syllogismum obiectiuum repræsentet, sicut Angelus eodem actu, quamuis modo longè perfectiore, essentiam cognoscit, & passionem, causam & effectum. Hic autem actus vocari similiter poterit discursus virtualis, vel eminentialis.

VII. *Dici de omni, dici de nullo, Quæ sunt eadem vni tertio &c.*

Definitionem syllogismi, & vim syllogisticam principiis illis intrinsecam *Dici de omni*, *Dici de nullo*, & *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, diuisionem item discursus in quinque illa membra, *Syllogismum, Enthymema, Dilemma, Exemplum*, & *Inductionem*, quæ hic à nonnullis tractantur, tradidi in Introductione disputatione septima.

SECTIO III.

Vtrùm ad cognitionem eliciendam necessaria sit cognitio reflexa de bonitate consequentiæ.

I. *Quales esse debeant præmissæ in syllogysmo formali, & obiectiuo.*

PRæmissæ sunt causa conclusionis vnde præmissæ formales esse debent eiusmodi quæ vim habeant inferendi conclusionem, quæ nimirum intentionalem cum eâ habent connexionem, nec sufficiunt, quæuis præmissæ disparatæ. Inter præmissas verò obiectiuas & conclusionem obiectiuam, aliquo modo debet esse identitas, cùm vis syllogistica, vt in Introductione dixi magnâ ex parte illo nitatur principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Quæstio ergo præsens est, vtrùm dum quis in mente præmissas habet rectè dispositas, actum habere debeat reflexum, quo cogitet conclusionem rectè ex illis inferri; vel vtrùm habitis præmissis, sine vlteriori reflexione elicere possit conclusionem.

II. *Vt plurimùm non requiritur reflexio de bonitate consequentiæ.*

Conclusio: vniuersim loquendo ad eliciendam conclusionem non requiritur vt in actu signato reflectat quis, & cogitet conclusionem rectè ex præmissis illis deduci: ita Hurt. d. 7 de anima, s. 5 Arriaga d. 13. log. s. 3. Ouiedo cont. 9. log. p. 2. n. 4. & alij.

III. *Probatur primò experientia.*

Probatur, in dies enim experimur nos inter arguendum conclusiones varias elicere sine vllo huiusmodi actu reflexo ergo non est ad hoc necessarius. Confirmatur primò, non enim vna sola, sed multæ requirerentur reflexiones, deberet enim quis reflectere præmissas esse tales, quales esse deberent, nempe vel vniuersales, vel vniuersalem alteram, alteram particularem, esse in tali modo & figurâ, medium terminum esse adæquatè distributũ in alterâ ex præmissis, non esse æquiuocũ & alia huiusmodi. hæc inquam omnia considerari deberent, si in actu signato per reflexionem cognoscendum esset hîc & nunc rectè inferri conclusionem ex præmissis, cùm tamen manifestâ experientiâ indies compertum sit, huiusmodi reflexiones plerumque non fieri, imò ægrè, nec nisi magnâ cum difficultate fieri posse.

Deinde plurimæ requirerentur reflexiones.

IV. *Secundò, voluntas fertur sine tali reflexione ergo & intellectus.*

Probatur secundò, voluntas fertur in obiectum, illud amando, absque eo quòd præcedat cognitio reflexa de bonitate illius obiecti. seu quæ in actu signato dicat, hoc obiectum est bonum sed quæ simplici tantùm modo proponat obiecti bonitatem: ita in præsenti, vt eliciatur conclusio, non requiritur vt in actu signato per actum reflexum dicatur, hæ præmissæ vim habent inferendi hanc conclusionem. sed

sufficit

sufficit vt earum vis proponatur, & ea proposita intellectum in actu exercito determinat ad eliciendam conclusionem.

V. *Ratio à priori est quia nulla est necessitas talis actus reflexi.*

Ratio verò à priori est, quia nulla est necessitas ponendi huiusmodi actum reflexum, ergo non est ponendus. Antecedens probatur, iudicium identitatis extremorum cum medio intellectum sufficienter determinat in actu exercito ad eliciendam conclusionem, seu ad vniendа extrema illa inter se, cùm sit lumine naturæ notum ea *quæ sunt eadem vni tertio, eadem esse inter se*. Confirmatur, intellectus absque vllâ aliâ determinatione assentitur præmissis, ergo à fortiori assentiri poterit conclusioni, si determinetur à præmissis. præbendo enim assensum illis, præbet virtualiter assensum conclusioni, præsertim cũ in præmissis obiectiuis contineatur realiter obiectum conclusionis.

VI. *Conclusio dicit in actu exercito vnum esse quia aliud est non in actu signato.*

Dices primò; actus conclusionis hoc dicit ita esse quia aliud est, ergo reflectere debet intellectus vnum in alio contineri. Distinguo antecedens, dicit hoc ita esse quia aliud est in actu signato, nego antecedens, in actu exercito, concedo: hoc est, dicit ita esse quia antea in præmissis dicit aliud, in quo hoc continetur, ita esse, non tamen dicit ita esse formaliter quia aliud est, ita vt hoc totum ingrediatur actum conclusionis. In hoc syllogismo, exempli gratiâ. *omnis homo est animal; Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, conclusio non dicit explicitè & in actu signato *Petrus est animal quia omnis homo est animal & Petrus est homo*, ita vt totum hoc repræsentet & significet, sed solùm dicit *Petrus est animal*, licèt verum sit ideo hoc dicere intellectum, quia antea dixerat omnem hominem esse animal, & Petrum esse hominem Sicut contingit in actu voluntatis respectu actus intellectus, nam ideo vult quispiam obiectum aliquod, quia illud apprehendit. non tamen ita vt in actu quasi signato feratur actus voluntatis in obiectum, quia est apprehensum, sic enim apprehensio obiectum esset partiale illius actus voluntatis, quod tamen est falsum, solùm enim est conditio vt obiectum ametur.

VII. *Illatio, seu ergo tenet se ex parte actus, non obiecti.*

Dices secundò; cognoscitur in conclusione quidquid tenet se ex parte obiecti. sed illatio tenet se ex parte obiecti, ergo illatio illa cognoscitur. Omissâ maiori, nego minorem, illatio enim illa seu *ergo* tenet se tantùm ex parte actus, & denotat actum illum conclusionis deduci ex præmissis seu esse conclusionem: ex parte autem obiecti nihil planè est, nec repræsentantur nisi extrema illa & vnio, quæ eodem planè modo se habent, siue cognoscantur per actum conclusionis, siue per alium quemcunque; idē enim planè vides Angelus repræsentari ex parte obiecti, cùm quis dicit *Petrus est animal*, siue producatur hæc propositio immediatè, siue sit conclusio ex his præmissis deducta, *omnis homo est animal, Petrus est homo*.

VIII. *Quid velit Aristot. dicendo scientiam esse cognitionem per causam &c.*

Dices tertiò; 1. Poster. c. 2. docet Aristoteles *scientiam esse cognitionem rei per causam, & quòd illius sit causa, & quòd aliter se habere non possit*. Respondeo, definire illic Aristotelem scientiam *à priori*, ad quam habendam ponitur in præmissis causa, in conclusione effectus. illa autem verba, *& quòd illius sit causa*, euidentiam significant, quia cognitio effectus deducitur ex cognitione causæ in præmissis habitâ. Vltima autem verba certitudinem denotant, quia ita determinatur à præmissis intellectus ad assensum conclusionis, vt firmissimè illi adhæreat.

IX. *In aliquo particulari casu requiri potest hic reflexus.*

Dices quartò; sæpe concessis præmissis dubitare nos de illatione conclusionis, ergo hoc fit defectu actus reflexi. Respondeo primò; propterea addidi in conclusione, *vniuersim non requiri*, esto fortè in aliquo casu, cùm non planè penetrantur præmissæ, requiri non possit actus reflexus, in modis præsertim imperfectis, quos ob minorem quam habent claritatem, reducere solemus ad perfectos. Secundò dico, etiam in his, postquam quis est assuetus & perfectè callet regulas logicas, elici conclusionem sine hæsitatione vllâ, vel actu reflexo.

X. *Vt actus conclusionis sit propriè logicus requiritur actus huiusmodi reflexus.*

Hîc solùm noto, sicut suprà d. 3. s. 2. dixi, licèt per actum abstrahentem fiat vniuersale, vt tamen sit aptum vsibus logicis, requiri comparantem; sic in præsenti, licèt elici actus conclusionis possit non cognitis omnino præmissis formalibus, (excitare enim hæ ad actum conclusionis possunt, licèt non cognoscantur, sicut visio, appetitum excitat, & intellectio voluntatē) vt tamen actus conclusionis sit propriè logicus, id est, vt sciatur deductus ex præmissis in hoc, vel illo modo & figurâ, requiritur actus reflexus.

SECTIO IV.

Vtrùm assensus conclusionis includat formaliter assensum præmissarum.

I. *Actus conclusionis aliquo modo attingit obiectum præmissarum.*

QVod aliis verbis proponi à nonnullis solet, vtrùm actus conclusionis attingat obiectum præmissarum. Et certè in aliquo sensu non est dubium quin attingat, nam cùm obiectum conclusionis sit saltem inadæquatè idem cum obiecto præmissarum, conclusio attingens obiectum suum, aliquid saltem obiecti præmissarum attingat necesse est.

II. *Obiectum præmissarum & conclusionis non est semper adæquatè idem.*

Mihi tamen non indiscriminatim admittendum videtur, quod à quibusdam recentioribus passim sine exceptione ponitur, nempe, obiectum præmissarum & conclusionis esse semper idem. Hoc, inquam, si sermo sit de obiecto adæquato præmissarum, mihi videtur falsum. primò. quia præmissæ sæpe sunt vniuersales, conclusio particularis, vt in *Baralipton Fapesmo*, & *Darapti*. Deinde ex eisdem præmissis diuersæ frequenter inferuntur conclusiones, & quæ obiecta contineant realiter distincta, quod tamen implicaret si obiectum conclusionis esset adæquatè idem realiter cum obiecto præmissarum, nam *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, hæc autem obiecta non sunt idem inter se, ergo nec cum vno tertio, seu cum obiecto præmissarum: antecedens constat in *Barbara* & *Baralipton*, quæ easdem habent præmissas, & vniuersim contingere hoc videtur in omni modo directè simul concludente & indirectè, vt in hoc syllogismo in *Celantes*, *Nullum peccatum est appetendum, omne homicidium est peccatum*, directè *ergo nullum homicidium est appetendum*, indirectè, *ergo nullum appetendum est homicidium*, quæ diuersa sunt obiecta, vt constat.

III. *In syllogismis tantùm expositoriis obiecta illa sunt adæquatè idem.*

Ad summum ergo hoc verum est in syllogismis expositoriis, seu constantibus ex singularibus, in aliis verò solùm hoc sensu communites, quòd contineatur obiectum conclusionis in obiecto præmissarum, ac proinde habeant se obiecta illa tanquā includens & inclusum. Vnde licèt obiectum conclusionis inueniatur semper in præmissis, non tamen è contrà; conclusio enim non continet adæquatè obiectum præmissarum, sed tantùm inadæquatè. Deinde medium quod semper est in præmissis nunquam poni debet in conclusione, ergo non formaliter & adæquatè idem est obiectum conclusionis & præmissarum.

IV. *Status præsentis controuersiæ.*

Status igitur præsentis controuersiæ est, vtrum vt actus conclusionis dicatur esse propter præmissas, & sit actus discursiuus. vt in hoc vel simili syllogismo,

mo, *omne sensibile est viuens, omnis homo est sensibilis*, dicat Conclusio in actu signato hoc totum, *ergo omnis homo est viuens quia omne sensibile est viuens, & omnis homo est sensibilis*, vel verùm sufficiat, vt, habitis in mente præmissis, feratur propter illas intellectus in actu exercito in conclusionem, & hoc solùm dicat, *omnis homo est viuens*.

V. *Prima sententia est affirmatiua.* Prima sententia est Ruuij. 1. post. c. t. q. 6 Fonsecæ 1. Met. c. 5. q. 4. Vall. j. 1. post. d. t. p. 2. qu. 5. Arriaga dist. 15. Log. sec. 4. subs. 2. Oviedi Cont. 9 Log. p. 3. n. 4. & aliorum, qui aiunt conclusionem attingere obiectum præmissarum.

VI. *Secunda & vera negatiua.* Secunda & vera sententia affirmat actum conclusionis attingere obiectum præmissarum. Ita P. Suar. 3. p. d. 54 s. 5. Vasq. t. 2. d. 33. c. 3. & 4. Hurt. de Ani. s. 7. & multi ex recentioribus.

VII. *Experientia constat obiectum præmissarum non ingredi actum conclusionis.* Probatur primò, experientiâ enim constat nos eiusmodi actus conclusionis non elicere, nec enim ex his præmissis, *omne sensibile est viuens, equus est sensibilis*, hanc conclusionem deducimus, *ergo equus est viuens quia omne sensibile est viuens, & equus est sensibilis*, imò si quis conclusionem talem elicere vellet, non sine difficultate id præstaret, vt conanti constabit, cùm tamen conclusio vltrò sequatur, imò necessariò, sicque facillimè & sine omni difficultate.

VIII. *Iuxta dialecticos medium non debet ingredi conclusionem.* Secundò, iuxta Aristotelem & Dialecticos omnes, medium ingredi non debet conclusionem, ergo syllogismus in quo conclusio attingit obiectum præmissarum est contra artem syllogisticam. Dices, loqui ibi Dialecticos de syllogismo tantùm vocali. Contrà, gratis hoc dicitur, cùm nulla probabilis afferri ratio possit, cur illud non æquè in syllogismo mentali defectus sit, ac in vocali. Confirmatur, syllogismus vocalis ad exprimendum mentalem ordinatur tanquam illius imago; ergo si mentalis ista omnia dicat interiùs, vocalis, vt sit fidelis mentis interpres, idem dicere debet exteriùs.

IX. *Si medium non debeat ingredi conclusionem vocalem, ergo nec mentalem.* Confirmatur secundò, syllogismus vocalis est veluti exemplar quoddam, ad cuius similitudinem formari debet mentalis, sicut domus in tabellâ vel chartâ delineata respectu domus veræ, ergo si exemplar habere non debeat medium in conclusione, nec illud habere debet id quod ad illius similitudinem conficitur. Confirmatur tertiò, si semper in mente medius terminus sit in conclusione, ad quid tanta cura ne sit in voce? cùm voces, vt dixi, ad mentis conceptus exprimendos ordinentur.

X. *Illæ sunt diuersæ veritates cognoscibiles.* Tertiò probatur, hæ sunt diuersæ veritates cognoscibiles, *Petrus est homo*, & *Petrus est homo quia omne risibile est homo, & Petrus est risibilis*, sciri enim potest Petrum esse hominem, & illa alia veritas ignorari. Itē propositio hæc, *Petrus est homo*, ex variis præmissis deduci potest, ergo illarum obiectum non includit. Imò aliquando contingit conclusionem esse articulum fidei, rationes, ex quibus hic & nunc deducitur, non esse.

XI. *Hæc propositio, Christus est homo, aliquando esset falsa.* Quartò sequeretur, hanc propositionem, *Christus est homo*, aliquando esse falsam, si nimirum deducatur ex alterâ vel vtraque præmissâ falsâ, vt si dicas quis, *Omnis substantia est homo, Christus est substantia, ergo Christus est homo*. Sensus enim esset, *Christus est homo quia omnis substantia est homo*, quod est falsum. Et eodem modo sequeretur, hanc propositionem *Deus est Trinus & vnus*, esse subinde falsam.

XII. *Alius modus defendendi conclusionem attingere obiectum præmissarũ.* Aliqui magis expeditam viam defendendi conclusionem attingere obiectum præmissarum putant esse, vt dicant conclusionem facere sensum conditionatum.

XIII. *Si Conclusio sit conditionalis, non facit, sed simpliciter.* Contrà primò, ergo nullus actus conclusionis facit simpliciter scire, sensus namque huius conclusionis syllogismi in Barbara, *omnis virtus est expetenda, omnis pietas est virtus, ergo omnis pietas est expetenda*, sensus, inquam, esset, omnis pietas est expetenda, si omnis virtus sit expetenda, & omnis pietas sit virtus, quæ conclusio relinquit intellectum suspensum: sicut enim conditionale in re nil ponit in esse, ita nec conditionalis cognitio in intellectu.

XIV. *Deinde conclusiones hæreticæ sæpe essent veræ.* Contrà secundò, propositiones hæreticæ frequẽter essent veræ, vt in hac conclusione Nestorij, *Quisquis habet duas naturas, habet duas personas, sed Christus habet duas naturas, ergo Christus habet duas personas*, hæc propositio secundum hunc respondẽdi modum esset vera, sensus enim esset, *Christus habet duas personas, si quisquis habet duas naturas, habeat duas personas*: hæc propositio, vt constat, est vera.

XV. *Item nihil vnquam de nouo disceremus.* Contrà tertiò, sic enim per conclusionem nihil vnquam disceremus, veritates enim illas conditionatas omnes antea nouimus, quiuis enim nouit *Petrum esse animal, si omnis homo sit animal, & Petrus homo*, & sic de cæteris; sicque nullus esset discursus, qui nimirum est progressus à noto ad ignotum. Contrà quartò, hoc enim non minus est contrà experientiam, quàm præcedentia. Contrà quintò, medium etiam ingrederetur conclusionem, & pleraque, quæ contra priorem respondendi modum posita sunt, hîc recurrunt. Contrà sextò nam non posset explicari conclusio in syllogismo constante propositionibus conditionatis.

SECTIO V.

Argumenta contendentia actum conclusionis attingere obiectum præmissarum.

I. *Obiectum duplex, motiuum & terminatiuum.* NOtandum, duplex esse obiectum formale, seu motiuum; alterum terminatiuum & intrinsecũ seu quod ab actu aliquo verè & propriè attingitur, vt, in actu contritionis & charitatis, Diuina bonitas dicitur obiectum formale terminatiuum, & quod attingitur ab illo actu. Alterum est obiectum formale extrinsecum & solùm impulsiuum, quod scilicet non attingitur ab illo actu, quale est obiectum præmissarum respectu conclusionis. Ad hoc ergo vt obiectum conclusionis sit obiectum materiale respectu obiecti præmissarum, non requiritur vt obiectũ præmissarum attingatur immediatè & intrinsecè (saltem iteratò, de hoc enim procedit quæstio) sufficit enim quòd obiectum præmissarum sit obiectum extrinsecè impulsiuum.

II. *Assentimur conclusioni propter præmissas tanquam propter motiuum extrinsecũ.* Obiicies primò; assentior conclusioni propter præmissas, ergo obiectum conclusionis attingit obiectum præmissarum. Distinguo antecedens, assentior conclusioni propter præmissa tanquam propter obiectum extrinsecum, seu per alios actus cognitum (sermo est de præmissis obiectiuis) concedo antecedens; tanquam propter obiectum intrinsecum, seu per hunc actum cognitum, nego, & nego consequẽtiam.

III. *Aliud hæc recte est de intellectu aliud de voluntate.* Obiicies secundò; electio medij, voluntas e. g. sumendi potionem attingit intrinsecè sanitatem, seu finem ob quem illa potio sumitur, ergo & actus assentiens conclusioni attingit intrinsecè obiectum præmissarum. Nego consequẽtiam: obiectum enim conclusionis habet in se sufficientem veritatem vt terminet per se actum, at verò medium illud bonitatem non habet nisi in ordine ad finem, est enim bonum vtile quà tale, sicut ergo solùm est in ordine ad aliud, ita in ordine solùm ad aliud est appetibile.

IV. Obiicies tertiò; visio fertur in lucem & colorem, & vtrumq; attingit intrinsecè; actus item fidei non in rem reuelatam tantùm, sed in ipsam etiam reuelatio-

Obij. visionem terminare immediatè ad lucem & colorem.

lationem fertur tanquam in obiectum formale intrinsecum, ergo & actus conclusionis fertur intrinsecè in obiectum præmissarum, cùm præmissæ sint lumen & obiectum formale respectu conclusionis.

V. *Resp. posse obiectum conclusionis solum cognosci non tamen colorem videri sine luce.*

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia color non est omnino obiectum visus nisi luci coniunctus: at verò obiectum conclusionis cognosci potest per se & independenter à præmissis: quando verò cognoscitur propter præmissas, sufficit quòd intellectus per eas illuminetur, & quasi roboretur ad inferendam conclusionem, licèt obiectum ipsum præmissarum non attingatur per actum conclusionis, hoc enim sufficit ad discursum, vt nimirũ sit *cognitio vnius veritatis per aliam, & post aliam*, quod sufficienter habetur, licèt conclusio intrinsecè non terminetur ad obiectum præmissarum.

VI. *Differentia inter actum fidei & conclusionis.*

Actus etiam fidei tendere intrinsecè debet in testimonium diuinum, cùm sit immediata illius acceptatio: at verò conclusio est cognitio essentialiter mediata, ergo non est opus vt tendat in obiectum præmissarum. Addo multos dicere non esse ad actũ fidei necessarium vt immediatè & intrinsecè tendat in testimonium diuinum, sed sufficere quòd sit actus qui essentialiter pendet ab aliis actibus, in quibus diuinum testimonium præuiè proponitur.

VII. *Intellectus non solum non necessario attingit in conclusione obiectum præmissarũ, sed vix id præstare potest.*

Obiicies quartò; intellectus, quando elicit actum conclusionis, habet omnia requisita ad assentiendũ obiecto præmissarum & conclusionis, ergo cùm sit potentia necessaria, actu illo & obiectum conclusionis attinget, & præmissarum. Contra, manifestâ enim experientiâ constat contrarium, imò tantùm abest vt necessariò hoc fiat, vt non nisi labore summo & conamine id homines præstent. Respondeo itaque, licèt ex imperio voluntatis possit hoc intellectus cum difficultate præstare, non tamen esse ei vim naturalem insitam vt hoc facilè, multò minus necessariò præstet. Sicut dum quis plura simul nomina, vel carmen aliquod in mente habet; licèt imperio voluntatis possit verba illa ordine inuerso, vel retrogrado recitare, non tamen id sine labore fecerit, nec connaturali vi intellectus. Nec ad hæc aliâ opus est probatione, quàm quotidianâ experientiâ.

VIII. Objcies quintò; particula *ergo* denotat conclusionem repræsentare obiectum præmissarum. Huic obiectioni satisfiet sectione sequente, num. 5.

SECTIO VI.

Inferuntur quædam circa naturam conclusionis.

I. *Conclusio nequit esse sine præmissis.*

Dicendũ, licèt conclusio esse nequeat sine præmissis, potest tamen intellectus assentiri obiecto conclusionis per actum qui non sit conclusio. Prima pars probatur, quia conclusio essentialiter est quid consequens, nam ly *ergo* denotat deductionẽ illius ex aliis. Confirmatur, conclusio est cognitio mediata essentialiter, cùm sit essentialiter discursus, ergo non potest esse immediata, nec elici nisi cum dependentiâ à præmissis, seu *per aliam & post aliam* cognitionem: cognitio enim discursiua est illa quæ habetur non ob immediatam extremorum connexionem inter se, sed quia antè vnita videbantur cum medio.

II. *Assentiri tamen posse mus obiecto conclusionis per actum, qui non sit conclusio.*

Secunda pars conclusionis probatur, nam vbi quis per crebros actus conclusionem in materiâ aliquâ particulari exercuerit, postea experitur se sine actualibus præmissis elicere actus circa obiectum illius conclusionis: imò actum circa obiectum illud quod antea erat obiectum conclusionis, ponimus subinde pro præmissâ in alio syllogismo. Confirmatur & explicatur: sicut per actum iudicij relinquitur in intellectu species illius obiecti, quod iudicium repræsentat, per quam speciem postea sine apprehẽsione præuiâ elicit actus iudicij circa illud obiectũ; ita ex crebris actibus conclusionum relinquitur species circa illud obiectum, quæ excitata absque eo quòd excitetur species præmissarum, elicit actus circa obiectum conclusionis, licèt nullus tunc eliciatur actus circa obiectum præmissarum.

III. *Conclusio continetur, non continet præmissas.*

Dices, conclusio secundùm nos connotat præmissas essentialiter, ergo illas vel formaliter, contra superiùs dicta, vel virtualiter includit. Nego consequẽtiam, sic enim actio essentialiter connotat causam, quam tamen non includit. Imò hinc sequitur, sicut actio non continet, sed continetur in causâ, ita conclusionem non continere præmissas sed in iis contineri. Attingit ergo conclusio vt dixi obiectum præmissarum inadæquatè tantùm, non adæquatè.

IV. *Nec diuinitus esse potest sine præmissis.*

Hinc infero primo, conclusionem nec diuinitus vel esse, vel reproduci posse sine præmissis actu tũ in mente existentibus. Hoc probant rationes numero primo allatæ.

V. *Particula Ergo denotat peculiarem modũ tendendi actus.*

Infero secundo, solutionem obiectionis in fine sect. præcedentis positæ. Dico itaque particulà *ergo* denotare quidem conclusionẽ esse essentialiter conclusionem, & habere modum tendendi diuersum ab omni actu, qui non est conclusio: hic verò modus tendendi sufficienter saluatur ex eo quod actus conclusionis elici non possit, nisi intellectus per præmissas antè cognitas ad actum illum determinetur. Ad hoc autem sufficit quod extrinsecè à præmissis pendeat, seu quod præcedere debeant illæ, repræsentantes connexionem extremorum cum medio, quod in actu qui non est conclusio, non requiritur.

SECTIO VII.

In quo genere causæ præmissæ concurrant ad conclusionem.

I. *Status quæstionis.*

Quòd aliquo modo concurrant præmissæ ad conclusionem, est manifestũ, conclusio enim, vt dixi sect. præcedenti, essentialiter ab iis pendet, cùm sit essentialiter conclusio, seu actus ab aliis deductus. Eo ergo instante existere in intellectu debent præmissæ quo elicitur conclusio, quòd enim antea fuerint perinde est quoad hoc instans atque si nunquam fuissent. Quæstio ergo præsens est, vtrùm concurrant ad conclusionem in genere causæ formalis, informando scilicet intellectum, & merè repræsentando obiectum, sicut apprehensio ad iudicium concurrit, & cognitio ad amorem, vel etiam physicè simul cum intellectu concurrendo, tamquã comprincipia conclusionis effectiua.

II. *Prima sent. est eas concurrere efficienter.*

Prima sententia ait, præmissas formales efficienter cum intellectu concurrere ad actum conclusionis: hoc intimare videtur Vasq. 1. p. d. 4. n. 24. tenet Ruuius, & multi ex recentioribus.

III. *Secunda, & vera in genere causæ formalis.*

Secunda & vera sententia affirmat præmissas in genere causæ tantùm formalis ad conclusionẽ concurrere, illuminando scilicet intellectum, & obiectũ proponendo seu approximando, nec alium earum concursum esse necessarium: ita Val. 1. 2. d. 2. quæst. 4 p. 2. Hurt. d. 7. de Ani. l. 8. Arria. d. 15. Log. s. 5. estque communis inter recentiores opinio.

IV. Ratio est, quia nulla apparet necessitas statuendi huiusmodi concursum effectiuum præmissarum re-

Ratio est, quia nulla est necessitas concursus effectiui.

spectu conclusionis, cùm intellectus à præmissis illuminatus & directus vires habeat sufficientes ad conclusionem ex præmissis deducendã, ergo gratis cõcursus ille statueretur in præmissis. Confirmatur ex celebri illo dicto quod ex S. Augustino desumptũ approbant Philosophi omnes, *ex obiecto & potentiâ paritur notitia*, ergo intellectus instructus specie obiecti virtutem habet sufficientem ad conclusionem eliciendam, ergo supervacaneus est in hoc genere concursus Præmissarum.

V. *Ad tres formalitates in actu sufficiunt duo principia effectiua.*

Dices; in conclusione tres reperiuntur formalitates *intellectionis, imaginis, & illationis*, sicut ergo primæ formalitati assignamus intellectum, secundæ speciẽ, seu obiectum tanquam principia effectiua, quidni tertiæ suum etiam assignemus principium effectiuum? Respondeo, ad tertiam illam formalitatẽ non requiri nouum principium effectiuum, sed sufficere intellectum præmissis illuminatum, intellectus enim in se virtutem habet non intelligendi solùm, sed inferendi, est enim per se formaliter discursiuus; vnde duabus illis formalitatibus in obiecto, *intellectionis* scilicet & *illationis seu discursus* duplex respondet formalitas in intellectu, *vis* scilicet *intellectiua*, & *discursiua*. Alioqui singulis formalitatibus conclusionis, vitalitati scilicet, spiritualitati, & reliquis singula assignari deberent principia realiter distincta. sola ergo formalitas imaginis requirit distinctum principium, quia hæc peculiariter respicit obiectum.

VI. *Nec ad primam conclusionem concurrunt præmissæ effectiuè.*

Dices secundò; ad primam saltem conclusionem concurrunt præmissæ effectiuè, nam necdum datur species conclusionis. Nego antecedens, sed sufficiunt species obiecti præmissarum, cùm eædem sint species obiecti conclusionis, vt dictum est.

VII. *Nec obstat quod præmissæ producant effectiuè speciem suam.*

Dices; præmissæ producunt effectiuè in intellectu speciem sui, ergo & eodem modo producere possunt conclusionem. Nego consequentiã, primò quia nulla huius rei est necessitas, cùm intellectus informatus specie, & à præmissis illustratus vim adhuc habeat sufficientem, vt in priori obiectione ostensum est. Deinde minus est producere speciem quàm conclusionem, vt patet in actibus tum intellectus tum voluntatis, qui species semper sui producunt, alios verò actus intellectus vel voluntatis non efficiunt.

VIII. *Concurrunt præmissæ vt rationes formales extrinsecè determinantes.*

Concurrunt ergo ad conclusionem præmissæ tanquam rationes formales extrinsecè determinantes, quæ proinde aliquo modo ad causam efficientem reduci possunt, cùm quicquid ex parte causæ efficientis se tenet, efficiens dici à Philosophis soleat, licèt verè & physicè ad effectum non concurrat; quo sensu Aristoteles consultorem, & Philosophi approximationem ad efficientem causam reducunt, licèt nec consultor in operis executionem, nec approximatio in ignem productum physicè influat. Hoc, & nihil aliud volunt S. Thomas & Aristoteles dum præmissas asserunt esse causas conclusionis effectrices, nempe reductiuè.

SECTIO VIII.

An posito assensu præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendam Conclusioni

I. *Necessitas duplex, quoad specificationem & exercitiũ.*

NEcessitas quoad præsens duplex est. *quoad specificationem* altera, altera. *quoad exercitiũ.* Prima, cui opponitur *libertas contrarietatis*, est, cùm quis in eo statu est constitutus, vt licèt possit omnem actũ suspendere, si tamen velit actum elicere, elicere eum in tali determinatâ specie actus debeat: quâ de causâ necessitari dicitur quoad specificationẽ, seu speciem actus. Si quid, verbi gratiâ, proponatur vt bonum finitum sine vllâ ratione mali, voluntas licèt possit actum omnem circa obiectum illud suspendere, si tamen in illud ferri velit, debet ferri actum amoris eliciendo, non odij. Necessitas *quoad exercitium*, cui opponitur *libertas contradictionis*, tunc contingit, cùm quis omnem cohibere actum non potest, sed aliquem necessariò debet circa obiectum propositum elicere. Sic beati in cælo rapiuntur ad amandum Deum clarè visum, idque non ita solùm, vt non possint illum odisse, sed vt necessariò amare eum debeant, nec cessare ab amore possint, cùm bonum infinitum clarè visum voluntatem, etiam quoad exercitium, rapiat in amorem sui. Quod idẽ contingit in potentiis vitalibus naturaliter agentibus, vt visu, & reliquis voluntati non subiectis.

II. *Posito assensu præmissarum necessitatur intellectus quoad specificationem.*

Prima conclusio; posito assensu præmissarum, necessitatur intellectus quoad specificationem, seu ad speciem actus circa conclusionem, id est, non potest intellectus in eo casu elicere actum contrarium, vel contradictorium præmissis. Est communis: ratio est manifesta quia intellectus nec positiuè dissentire ab eo potest quod euidenter proponitur vt verum, nec iudicare aliquid esse simul & non esse. sed hoc faceret si concessis præmissis negaret conclusionem, ergo: Minor probatur, quisquis præmissas concedit, virtualiter concedit conclusionem, nam qui expressè dicit aliqua esse vnita vni tertio, virtualiter dicit illa vnita esse inter se. Confirmatur ex definitione syllogismi ab Aristotele traditâ, nempe, *esse orationem in qua, quibusdam positis, aliud necessario sequitur ex eo quòd hæc sint*, ergo saltem hoc habere verum debet quoad specificationem. Hoc etiam verum videtur, licèt præmissæ sint solùm probabiles, imò & falsæ, si pro veris & certis admittantur.

III. *Si voluntas se habeat negatiuè necessitatur etiam tunc intellectus quoad exercitium.*

Secunda conclusio: si posito assensu præmissarũ, voluntas se habeat negatiuè. id est, nullum eliciat actum, intellectus necessitabitur ad exercitium circa conclusionem. Ita Hurt. d. 7. de An. s. 4. Arria. d. 15. Log. s. 6. & alij. Ratio à priori est quia intellectus est potentia naturalis seu necessaria, ergo operatur necessariò quando potest; sed positis in intellectu præmissis, cùm iam habeat omnia ad eliciendam conclusionem requisita, potest eam elicere, ergo necessariò elicit. Confirmatur, intellectus euidenter videt in præmissis aliqua duo esse identificata cum vno tertio ergo non potest non iudicare per actum conclusionis esse illa identificata inter se, cùm sit lumine naturæ notum, *ea quæ sunt eadem vni tertio, esse eadem inter se*.

Eodem instante elicit conclusionem, quo habet præmissas.

Hinc etiam infero, eodem instante intellectũ elicere actum conclusionis, quo habet præmissas, est enim causa naturalis, ergo quocunque instante potest operari, operatur necessariò, sed eo instante operari potest, tunc enim omnia habet ad operandum requisita, ergo tunc operatur.

IV. *Non potest in hoc casu voluntas cohibere intellectum quò minùs eliciat conclusionem.*

Tertia Conclusio: stante assensu præmissarum, nõ potest voluntas suo in intellectum imperio eum cohibere quò minùs eliciat actum conclusionis: ita auctores citati. Ratio est primò. quia intellectus, vt dixi, est agens necessarium, quod positis omnibus requisitis non potest non operari. Secundò, præstito assensu præmissarum, tam euidenter sequitur conclusio, ac positâ apprehensione terminorum in primis principiis sequitur eorum assensus, sed voluntas hunc assensum cohibere non potest, ergo nec assensum conclusionis. Tertiò, positâ efficace intentione finis, sequitur necessariò mediorum necessariorũ electio, ergo & conclusio positis præmissis, cùm hæ ad eam non minus determinent, quàm intentio ad electionem.

V.

Obiicies primò, intellectus iuxta Aristotelem 1. Polit. c. 3. despoticè subest imperio voluntatis, ergo effi-

In quibus actibus intellectus determinetur à voluntate. [marginal note partly illegible]

efficere potest voluntas vt conclusionem hic & nũc non eliciat. Nego consequentiam, subiectio enim intellectus respectu voluntatis relucet in actibus obscuris & probabilibus, non in euidentibus, efficere enim potest voluntas vt intellectus relicto clariore & magis probabili, minùs clarum & minùs probabile complectatur, non tamen vt rei omnino claræ & euidenti assensum non præbeat.

VI. Obiicies secundò; ex iisdem præmissis diuersæ inferri subinde possunt conclusiones, vt in *Barbara*, vbi directa infertur conclusio, & vniuersalis, & in *Baralipton*, vbi ex iisdem præmissis infertur conclusio indirecta & particularis, ergo hic interuenire debet determinatio voluntatis; ergo etiam efficere hic potest voluntas vt ab omni actu cesset. Respondeo primò, quidquid sit de aliis, negando vltimam consequentiam, sicut licèt opus sit determinatione voluntatis vt quis hoc potiùs loco sit quàm illo, efficere tamen non potest voluntas vt aliquis sit in nullo. Respondeo secundò, in illo casu eam producendam conclusionem quæ connaturaliùs sequitur, quòd si vtraque æquè connaturaliter sequatur, dico productum iri ambas.

Non tamen determinatur intellectus in eo casu nisi ad aliquam conclusionẽ indeterminatè.

VII. Obiicies tertiò; requiritur à Theologis pia affectio ad assensum fidei, ergo idem dicendum de cõclusione. Contra, hoc nimiùm probat, sic enim non posset intellectus conclusioni ex præmissis euidentibus deductæ sine inclinatione voluntatis assentiri, quod tamen est apertè falsum, cùm conclusio necessariò sequatur. Dico itaque fidem esse obscuram sicque nil mirum si requiratur inclinatio aliqua voluntatis, quamuis si actus fidei deducatur ex præmissis, non requiratur pia affectio ad conclusionem, sed solùm ad præmissam illam quæ dicit obiectum illud esse à Deo reuelatum.

Aliud est de actu voluntatis respectu fidei, aliud respectu actus scientifici.

VIII. Obiicies quartò; datur habitus conclusionis, ergo conclusio non sequitur necessariò ex præmissis ad quid enim principium facilitans, vbi est necessitas? Quintò; imperat voluntas potentiæ loco-motiuæ pro libito, ergo & intellectui. Sextò; experientiâ constat posse nos, etiam posito assensu præmissarum, non elicere actum conclusionis. Ad quartum dico, non vsque adeo certum esse dari in intellectu habitus à speciebus distinctos. Deinde, si dentur huiusmodi habitus, est vt intellectus ab habitu adiutus minorem in conclusione eliciendâ vim & conatum adhibeat. Ad quintum negatur consequentia, potentia enim loco-motiua cùm non sit cognoscitiua, non habet vnde aliunde determinetur, intellectus autem ad conclusionem determinatur à præmissis. Ad sextum, nulla datur eiusmodi experientia, & rationes, vt vidimus, validæ afferuntur in contrarium. Ex nullo ergo capite euincitur posse voluntatem, stante præmissarum assensu, intellectum cohibere quò minùs actum conclusionis eliciat.

Incertum est dari necne habitus conclusionum.

DISPVTATIO XLVIII.

In libros Aristotelis de Posteriori Analysi, seu de Demonstratione.

Socrates negauit omnẽ scientiam.

NEgauit Demonstrationem & Scientiam cum Academicis Socrates, negauit Plato: ille nihil omnino sciri posse asserens, hic scire nostrum aliud esse nihil affirmans quàm reminisci, nihilque vnquam nos de nouo addiscere, sed quæ animæ in primâ eius creatione indita erant, recordari pronuntiabat. Omnem proinde scientiam aiebat nobis esse congenitam, sed sopitam quodammodo, & quibusdam velut tenebrarum inuolucris tectam & abditam, donec illucescente paulatim ratione, rerumque tandem experientiâ accedente, excussæ quædam, quæ in anima priùs latebant, scintillæ sese menti ostenderent, nec tamen vllam in eâ notitiam nouam progignerent, sed earum, quas antea nouerat, rerum, memoriam refricarent. Facilitatem itaque omnem & felicitatem ingenij in reminiscentiâ statuebat, eoque acutiorem esse mentis aciem dictitabat, non quò promptiùs rei alicuius scientiam acquireret; sed quò celeriùs, quæ dudum nouerat, in mentem denuò reuocaret. Plato proinde dum memoriam extolleret, ingenium non deprimebat modò, sed penitus ab hominibus tollebat, seque dicebat, quod in ore multorum tunc temporis versabatur, *ingeniosum iuxta ac memorem esse neminem posse*. Hoc ergo somnio relicto ad veritatem, & Demonstrationis naturam, ac proprietates explicandas accedamus.

Plato scire nostrum dicebat solum esse reminiscentiam.

Plato memoriam extollens tollebat ingenium.

SECTIO PRIMA.

Quid, & Quotuplex sit Demonstratio.

I. DIcendum itaque primò cum Aristotele hîc & Philosophis omnibus, Demonstrationem dari. Ratio est, quia experimur varia nos in dies addiscere, ergo scientia nostra non innata, sed labore & industriâ per discursum est acquisita, scientia autem discursiua habetur ex præexistenti cognitione, sicque, quibusdam positis, ex iis aliud deducimus: actus autem ille quo formaliter illud & euidenter inferimus, est Demonstratio, ergo datur Demonstratio.

Dari Demonstrationem certum est.

II. Dicendum secundò, Demonstratio, iuxta Aristotelem hic l. 1. c. 2. est *syllogismus faciens scire*, seu syllogismus certus & euidens. Vnde excluditur à ratione Demonstrationis & scientiæ propriè dictæ syllogismus Theologicus, cuius cùm altera semper præmissa sit de fide, & consequenter obscura, conclusio euidens esse non potest, sicque nec est scientia propriè, nec Demonstratio.

Demonstratio est syllogismus certus, & euidens.

III. Diuiditur ab Aristotele Demonstratio in Demonstrationem *Quia*, & *propter quid*, quæ diuisio vniuoca est, & essentialis. *Demonstratio propter quid*, seu *à priori*, est cùm aliquid per causam, vt existentiam lucis per solem, vel per quasi causam, vt Æternitatem Dei per illius Immutabilitatem, aut volun-

Diuiditur Demonstratio in Demonstrationem Quia & Propter quid.

tatem per intellectum, & in homine admirabilitatem per rationalitatem monstramus. Sufficit enim ad Demonstrationem quòd ratione nostrâ vnum sit causa, vel quasi causa alterius, id est, quòd ita se habeant illa duo, vt si illud, quod demonstratur, habere causam posset, haberet illud aliud pro causâ. Demonstratio *Quia*, quæ & *à posteriori dicitur*, & *à signo*, est cùm ex effectu vel quasi effectu probatur existentia causæ, vt in exemplis positis vice versâ cerni potest, si nimirum intellectum quis probaret per voluntatem, & sic de cæteris.

IV. *Quomodo Demonstratio Quia sit à Posteriori.*

Hic verò notandum, vt diuisio hæc sit adæquata, per Demonstrationem *Quia* intelligi debere Demonstrationem à posteriori *negatiuè*, id est, omnem eam Demonstrationem quæ non est à priori, alioquin hæc: *Omnis equus est animal hinnibile, Bucephalus est equus, ergo Bucephalus est animal hinnibile*, sub neutro membro continebitur, cùm nec à priori sit, nec propriè à posteriori. Secundò dici posset per Demonstrationem *propter quid* intelligi eam quæ rem probat per causam proximam, per *Quia* autem eam quæ vel per causam remotam rem ostendit, vel per effectum, vel alio quocunque ex capite. Quo etiam sensu diuisio est adæquata.

V. *Demonstratio à Posteriori est vera scientia.*

Dicendum tertiò. Demonstratio à posteriori est verè scientia. Est contra aliquos eam excludentes à ratione Demonstrationis, & scientiæ. Sed probatur, hæc enim Demonstratio est syllogismus scientificus verè causam demonstrans per effectum, ergo rationem Demonstrationis in communi verè participat. Confirmatur, si Demonstratio *à posteriori* non propriè sit Demonstratio & scientia, de hac propositione *Deus est*, non haberetur scientia, cùm à priori demonstrari non possit, sed à posteriori tantùm, & per effectus, res scilicet à Deo productas.

VI. *Dices, scire est per causam scire.*

Dices, definit Aristoteles 1. Poster. c. 2. *scientiam & scire esse per causam scire*, sed Demonstratio *Quia* non datur per causam, ergo non est scientia, & consequenter nec Demonstratio. Confirmatur Demonstratio *propter quid* vocatur ab Aristotele Demonstratio simpliciter, ergo Demonstratio à posteriori non est Demonstratio. Ad argumentum Respondeo, Aristotelem ibi scientiam tantùm perfectissimam definiuisse, seu *à priori*, non scientiam in communi, alioqui sibi contradiceret, cùm diuidit Demonstrationem seu scientiam in *Quia*, & *propter quid*, *à priori*, & *posteriori*. Ad confirmationem dico, licèt ita vocetur, solùm arguitur esse eam Demonstrationem perfectissimam non tamen solam, sicut Deus *ens* dicitur *simpliciter*, non tamen propterea creaturæ à ratione entis excluduntur.

Resp. Illud dici solum de scientiâ perfectissimâ.

VII. *Demonstratio à posteriori non nititur sola experientia.*

Dices secundò; euidentia non reperitur in Demonstratione à posteriori, ergo nec scientia est, nec Demonstratio. Antecedens probatur, cognitio enim effectus inductioni solùm innititur, & experimento sensuum. Nego antecedens, ad probationẽ dico cognitionem effectus non inductione tantùm niti & experientiâ, sed illam præsupponere, & inde occasionem sumere intellectum, tum ipsam penetrandi magis, connexionem risibilis, exempli gratiâ, cum omnibus hominibus, seu naturâ humanâ & cum nullâ aliâ, si quę occasione sumptâ à sensibus actum elicit euidentem iudicij, quod sequitur post apprehensionem claram terminorum, quodque magnâ ex parte simile est actui primorum principiorum, quæ aliquando etiam experimento sensuũ addiscuntur, & inductione.

VIII. *Demonstratio Quia & Propter quid sunt species subalternæ.*

Dicendum quartò. Demonstratio *Quia* & *Propter quid* non sunt duæ species infimæ, sed subalternæ, idque tum physicè, tum logicè physicè, pro diuersitate enim specificâ materiæ & obiectorum Demonstrationes, omnesque actus intellectus differunt specie physicâ, quo sensu Demonstrationes mathematicæ specie differunt à Logicis, & hæ à Physicis. Sunt verò etiam subalternæ seu specie diuersæ logicè, seu secundùm formam, nam Demonstrationes variæ tum *Quia*, tum *Propter quid* in diuersis modis & figuris efformantur.

IX. *Demonstratio potissima.*

Demonstratio *Propter quid* diuiditur in *Potissimam*, quæ est, cùm prima passio demonstratur à priori de subiecto per definitionem rei essentialem; vt cùm admiratiuum de homine ostenditur per *animal rationale*, hoc modo, *omne animal rationale est admiratiuum, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est admiratiuus*. Definitur ergo ab Aristotele Demõstratio *Potissima* hîc c. 2. est *syllogismus procedens ex veris, necessariis, propriis, primis, immediatis, per se notis, & causis conclusionis*. Alia est Demonstratio *Propter quid*, cùm secunda vel tertia passio probatur per primam, vt *risibile* per *admiratiuum*; & hanc vocat Aristoteles Demonstrationem *Quia*, non quòd sit à posteriori, cùm à priori procedat, vt constat, sed quia in perfectione longè distat ab illâ, quâ prima passio probatur per essentiam.

Demonstratio Propter quid secundaria.

SECTIO II.

Quæ sint ad Demonstrationem præcognoscenda.

I. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.*

OMnem quam acquirimus notitiam, ministerio sensuũ acquirimus, *nihil enim est in intellectu quin prius aliquo modo fuerit in sensu*, id est, quin aliquid simile sensibus obiectum fuerit, ex quo occasionem sumit intellectus rem vnam per aliam similem, vel aliquando planè etiam dissimilem & oppositam indagandi. Primò ergo ad Demonstrationem acquirendam necessariæ sunt sensationes, seu cognitiones experimentales sensuum, deinde apprehensiones, mox iudicia: ad prima enim principia, & quæ ipsâ statim terminorum apprehensione innotescunt, non requiritur iudicium vllum præuium, sed sola clara terminorum propositio: ad Demonstrationem verò duo præuia requiruntur iudicia, seu præmissæ.

II. *Ad Demonstrationem, duæ requiruntur præcognitiones, tria præcognita.*

Duæ ergo, inquit Aristoteles, prærequiruntur ad Demonstrationem præcognitiones, nempe *An sit*, & *Quid sit*: *Tria præcognita*, *subiectum* de quo aliquid demonstratur, *principia* ex quibus demonstratur, & *passio*, quæ & *quæsitum*, & *prædicatum* vocatur, estque id, quod de alio demonstratur. Principia sunt extrema vnita cum medio, seu, quod eodem recidit, præmissæ in quibus semper ratio continetur conclusionis, seu medium quo aliquid demonstratiuè ostendimus.

III. *De Passione præcognoscendum quid sit, non quod sit.*

De *Passione* seu prædicato (vt plurimum enim in Demonstratione probatur passio, Demonstratio namque est modus sciendi ad passionis inuestigationem ordinatus, sicut definitio ad inuestigationem essentiæ, licèt alia præter passiones subinde in Demonstrationibus probentur) præcognoscendum, *quid sit*, id est, quid nominis & rei, non tamen *quod sit*, seu quòd *insit subiecto*. Primum constat, nam si vel vocem non intelligamus, vel nesciamus, saltem confuso quodam modo, quidquid illud sit, quod de alio demonstrare volumus, frustra id ostendere attentamus. Secundum etiam, nempe quòd non sit necessarium præcognoscere quòd passio *sit*, seu *insit subiecto*, est manifestum, id enim quod conclusione probamus, est, passionem inesse subiecto, ergo hoc non debet præcognosci, alioqui superflua esset conclu-

conclusio, frustra enim id in conclusione intulerit quispiam, quod ante scitur, quàm elicitur conclusio.

IV. *De subiecto praecognoscendum quid sit, non semper quòd sit.*

De *subiecto*, praecognoscendum *quid sit*, non semper *quòd sit*. Prima pars probatur, & primò, quoad quid nominis, non est dubium, hoc enim aequaliter omnibus conuenit, si quis voce arguat, vt fieri plerumque solet, non si solâ mente speculetur. Quoad *quid rei*, certum est confusam saltem aliquam notitiam requiri, ad minimum quoad accidentia quaedam magis nota, cùm de subiecto probentur passiones, nihil autem de eo probari potest, quod quid sit planè ignoratur.

V. *Ostenditur non semper praeco quari vt cognoscatur subiectum esse.*

Secunda pars, quòd scilicet ad Demonstrationem non semper praesciri debeat *quòd sit*, ostenditur, in variis namque scientiis de multis particularibus obiectis inquirimus sint necne, vt in philosophiâ, darinè possit infinitum, an possibiles sint alij mundi, & Aristoteles ipse probat dari materiam primam ac, ne longiùs abeam, hic contra Socratem, Platonem, & alios probat dari Demonstrationem, & scientiam, cùm tamen huius libri in particulari subiectum sit Demonstratio. Imò in secundò Poster. c. 2. inter quatuor illa quae ad cuiusque rei perfectam notitiam requirit, primùm inuestigandum ponit *an sit*, ergo hoc non semper supponitur. Dum ergo hîc praenoscendum ait de subiecto *quòd sit*, intelligendus est iuxta communem modum procedendi, quo homines cùm experientiâ compertum habent existere aliquid, vel esse possibile, ad proprietates illius latentes & reconditas, quae ignorantur, inuestigandas progrediuntur.

VI. *De Medio cognoscendum quid nominis & rei.*

De *Medio*, cognoscendum *quid nominis & rei*. Quoad primum, clarum est ex dictis. Quoad secundum etiam constat, nihil enim probare per illud possumus, nisi quid sit per quod probare aliquid volumus, sciamus. Haec autem tria integrant praemissas, sicque dum dicit haec tria ad Demonstrationem praecognoscenda, idem est ac si diceret praecognoscendas ad eam esse praemissas.

VII. *Quid intelligat Aristo. per prima, vera, &c.*

Solum noto, cum Aristoteles in definitione suprà positâ pro Demonstratione *potissimâ*, quam definierat esse eam, *qua procedit ex primis, veris*, &c. per *prima* autem, *vera*, & alia ibi allata intelligat praemissas, vt omnes fatentur, dum ait procedere Demonstrationem ex illis, & nihil ex illis procedat nisi conclusio, conclusionem solam iuxta Aristotelem esse integram Demonstrationem.

SECTIO III.

De medio Demonstrationis, & vtrum in Demonstratione dari possit circulus, seu egressus.

I. *Medium in Demonstratione est vel Definitio subiecti, vel Passionis.*

Licèt medium aptissimum Demonstrationis, illius saltem quâ prima passio probatur de subiecto, videatur definitio subiecti, vt si quis probare vellet hominem esse admiratiuum, rectè id praestaret explicando essentiam hominis, quae sicut in re est radix illius passionis, ita conuenientissimum est medium per quod iudicemus ipsi passionem illam competere, cùm *modus cognoscendi sequatur modum essendi*: aliquando nihilominus assumi pro medio Demonstrationis potest definitio ipsius passionis, cùm passio non minorem cum essentiâ connexionem habeat, quam essentia cum passione. Cognitâ ergo per illius definitionem, passionis essentiâ, optimè cognoscetur conuenire subiecto, seu ordinem dicere ad illud. Perfectissima tamen Demonstratio dici solet ea, quae pro medio habet definitionem subiecti, vt *omne animal rationale est admiratiuum, sed omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est admiratiuus.*

Quae Demonstratio sit perfectissima.

II. *Dum per Definitionem subiecti de eo aliquid probamus, non probatur idem per idem.*

Dices; definitio subiecti idem est cum subiecto, ergo assumi nequit pro medio ad aliquid de eo probandum, nam sic idem probaretur per idem. Respondeo distinguendo antecedens, est idem re cum subiecto, concedo antecedens; est idem ratione, nego: ad probandum autem aliquid de aliquo, sufficit quaecunque distinctio rationis, & vt propositio sit non identica; sicut etiam ad propositionem formalem sufficit vt praedicatum ratione distinguatur à subiecto, saltem quoad explicitum & implicitum, licèt semper sit idem re cum illo.

III. *Circulus in Demonstratione duobus modis contingit.*

De secunda parte tituli quoad circulum, notandum, duobus modis posse circulum in Demonstratione contingere, primò, cùm aliquid à priori probauimus, & conclusionem per principia demonstratiua elicuimus, postea absque eo quòd obiectum aliunde magis innotescat, cognitionem illam assumimus ad probanda principia ex quibus deducitur, vt cùm quis vbi per hoc quòd homo sit *animal rationale* probasset ipsum esse risibilem, statim per risibilitatem eundem demonstraret esse *animal rationale*, licèt nulla alia de risibilitate notitia interuenisset praeter illam quam acquisiuerat, per *animal rationale*. Hic circulus meritò censetur vitiosus quia inutilis planè, cùm ab ignotiori procedat ad notius, cuius tamen contrarium in omni discursu regulae à Dialecticis praescriptae denotant faciendum.

Primus modus.

Circulus hic est vitiosus.

IV. *Secundus modus faciendi circulum in Demonstratione.*

Secundò, ita in Demonstratione contingere potest circulus, vt dum quis aliquid cognouit per effectum à posteriori, meliùs postea penetrando causam, effectum rursus per causam à priori demonstrat. Probauit quis exempli gratia, à posteriori hominem esse rationalem per risibilitatem, postea per rationalitatem, quam meliùs penetrauit, eundem à priori probat esse risibilem. Hic circulus non est vitiosus, quia in hoc casu, intellectus à notiori procedit ad ignotius, estque ordinarius procedendi modus in discursu, qui semper esse debet à notioribus ad ignotius, hîc autem supponitur principium illud, per quod probare quis vult conclusionem, aliunde iam magis innotuisse.

Hic circulus non est vitiosus.

V. *Circulares Demonstrationes.*

Confirmatur, saepe enim per effectum causa probatur, & effectus vicissim per causam, non quidem idem numero effectus, sed diuersus, eiusdem tamen rationis. sic Aristoteles hîc, l. 2. c. 3 ait *in einsmodi fieri posse circulares Demonstrationes*, vt ex abundantiâ vaporum demonstrare possumus futuram pluuiam, & ex pluuiâ futuram similiter abundantiam, non eorundem vaporum, sed aliorum, sicut enim inter haec & huiusmodi, natura fecit circulos in essendo, ita scientiae sine vitio circulos facere possunt in cognoscendo, modò naturae illius per quod primum rursus probamus, aliunde maior habeatur notitia. Et hoc sensu dari potest in Demonstratione regressus.

Vbi natura facit circulos in essendo, nos facere possumus in cognoscendo.

SECTIO IV.

De propositione primâ, immediatâ, per se notâ.

I. *Vtraque Præmissa debet esse vera.*

ARistoteles definiens vel describens potiùs Demonstrationem *potissimam*, seu perfectissimam varias in illius descriptione ponit particulas, vt quòd procedat ex *primis immediatis*, &c. in quas sigillatim hîc inquirere oportet. Duo verò hîc suppono, primò debere præmissas, semper esse veras, si enim vtraque, vel altera sit falsa, conclusio inde deducta vera esse non potest: secundum est, illas veriores cõclusione esse similiter non posse, cùm veritas consistat in indiuisibili, vt suprà ostendi d. 45. s. 6.

II. *Tria illa idē sunt, & denotant propositionem, quæ non habet aliam se priorem.*

Quoad tria ergo illa in titulo proposita, idem videntur significare; perindeque sonant, ac propositio quæ aliam non habet se priorem, & per quam probetur à priori, quâ de causâ vocatur immediata, id est, carens medio per quod à priori ostendatur, seu quam intellectus ob solam terminorum explicationem approbat, eique assentitur propter seipsam, & non ob aliam vllam cognitionem præuiam, clara enim adeò est & manifesta, vt, visis tantùm terminis illius veritas per se statim elucescat, sicque huiusmodi propositio est *prima* & *immediata*. Ex quibus deducitur quod proximè dixi, idem omnino sonare hæc tria, & propositionem significare à priori indemonstrabilem.

III. *Propositio per se nota triplex.*

Notandum tamen, propositionem *per se notã* esse triplicem, *quoad se, quoad nos*, & *vtroque modo*. *Quoad se* (*Quoad se.*) illa dicitur propositio *per se nota*, quæ aliam non habet per quam probetur à priori, & ideò, vt diximus, dicitur *prima* & *immediata* seu *indemonstrabilis* à priori. Illa est *quoad nos* (*Quoad nos.*) propositio *per se nota, prima*, & *immediata*, quæ licèt reipsa medium habeat, & consequenter propositionem quâ ostendatur, & probetur à priori, nos tamen medium illud latet, & tam illam cognoscimus tantùm in se, vt ventum & concitationem aëris in se cognoscimus, causam autem illius, licèt aliquam esse certum sit, ignoramus. Denique propositio *per se nota* & *quoad se* & *quoad nos* (*Et quoad se, & quoad nos.*) est illa quæ nec in se, nec quoad nos medium habet quo ostendatur à priori, quales sunt *Dignitates* vt vocant, generalissima scilicet illa principia, *quodlibet est vel non est*, & similia, & omnium maximè hæc *Deus est*. Si verò per propositionem mediatam quoad nos intelligat quis illam quæ quocunque medio, etiam à posteriori, ostendi potest, tunc hæc propositio, *Deus est*, est mediata, per effectus enim Deum rerum omnium causam esse cognoscimus.

IV. *Propositiones per se notæ, vniuersales, aliæ particulares.*

Ex propositionibus *per se notis*; aliæ sunt vniuersales, seu quæ cuiuis facultati & scientiæ deseruiunt, vt *quodlibet est vel non est, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idē inter se* & reliquæ *Dignitates*. Aliæ sunt propositiones per se notæ ad vnam aliquam particularem facultatem spectantes, vt peculiares quædam propositiones mathematicæ, vel alterius facultatis, e.g. *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, & huiusmodi aliæ. Sicut verò sunt prima principia immediata euidentia, ita sunt similiter quædam prima & immediata principia probabilia, vt ipsa ostendam d. 50. s. 2. n. 4.

V. *Propositiones à Priori mediatæ.*

Vlterius, sicut propositiones immediatæ à priori dicuntur illæ, quæ à priori, seu per aliam ex quatuor causis probari non possunt; ita mediatæ à priori sunt, quæ à priori, seu per aliquam ex quatuor causis probari possunt, sic tanquam per causam efficientem calorem probamus per ignem; per finalem, hominem ostendimus esse intellectualem quia ordinatur ad videndum Deum; per materialem, Petrum esse materialem quia habet materiam; per formalẽ, eundem esse hominem quia habet animam rationalem. Propositio itaque vt sit immediata simpliciter, eiusmodi esse debet, vt nullo ex quatuor causarum generibus probari possit; si enim vel vno ex illis ostendi possit, quamuis aliis tribus non possit, est immediata solum secundum quid, non simpliciter. Propositio verò quæ à posteriori tantũ probari potest, non à priori, vt hæc, *Deus est*, est immediata à priori, à posteriori mediata.

VI. *Demonstratio non semper constat immediatis formaliter, sed sufficit virtualiter.*

Hinc tandem deducitur, Demonstrationem non constare semper propositionibus vel *quoad se*, vel *quoad nos* immediatis actu & formaliter, constare tamen immediatis actu vel virtute, id est, iis quæ ex immediatis deducuntur. Prima pars est clara, sæpe enim quod in conclusione vnius demonstrationis intulimus, statuimus in aliâ pro præmissâ. Secunda etiam pars probatur, quando enim propositio euidens ex aliâ infertur, vel illa ex quâ deducitur, est prima & immediatâ, seu quæ ex aliâ deduci non potest, vel non: si sit immediata, habemus intentum; si non sit, idem de eâ inquiram ex quâ hæc secunda deduci potest: Tandem itaque ad immediatam perueniendum, vel processus concedendus in infinitũ. Idem d. 50. s. 1. ostendam de principiis probabilibus.

SECTIO V.

De propositione per se, de omni, de Prædicato primo, & secundum quod ipsum.

Quatuor modi per se, prædicandi, inhærendi, existendi & causandi.

ARistoteles hic c. 4. & 5 Met. c. 18. quatuor enumerat modos *per se, prædicandi, inhærendi, existendi, & causandi*. Propositiones de *per se primo modo*, sunt quando prædicatum est de essentiâ subiecti, vt *homo est animal*. Secundo modo è contrà quãdo subiectum est saltem in obliquo de essentiâ prædicati, seu quando prædicatur passio de subiecto, passio enim definitur in ordine ad subiectum, sicque in obliquo est de illius essentiâ, seu ingreditur definitionem illius essentialem. Tertius *modus per se, seu existendi per se* conuenit primis substantiis, nempe substantiis indiuiduis, quæ propterea dicuntur *esse per se* quia aliis Logicè, seu metaphysicè non insunt: genera verò & species, seu secundæ substantiæ non dicuntur *esse per se*, sed inesse primis. Quartus demum *modus* competit causis inter quas aliæ sunt *per se*, vt ignis est causa caloris, sol lucis. aliæ *per accidens*, vt fossio est causa per accidens inuentionis thesauri.

II. *Quid sit prædicatum de omni.*

Prædicatio *de omni* est illa, cuius prædicatum cõpetit omni contento sub subiecto, vt hæc prædicatio *homo est animal*. Dicunt tamen aliqui non requiri vt actu habeat inferiora & positiuè, sed solùm intelligi debere negatiuè, & conditionatè, id est, quòd si haberet inferiora, nullum esset cui non competeret: hanc proinde aiunt prædicationem esse *de omni, Deus est omnipotens*. Propositio *de prædicato primo* eadem est cum propositione *immediatâ*, quæ sectione præcedenti explicata est. *Prædicatum secundum quod ipsum* (*Prædicatum primum, & secundũ quod ipsũ.*) illud est, quod alicui secundùm rationem suam specificam conuenit, non secundùm genericam, vt ei conuenit prædicatum *de omni*: exemplum sit, *homo est admiratiuus*.

III. Definitio autem illa ab Aristotele pro Demonstratione ca. 2. assignata, nempe quòd sit syllogismus procedens ex *veris, necessariis, primis* &c. Demonstrationi solùm *potissimæ* cõpetit, seu perfectissimæ qualis

Definitio illa Ariſt. ſolum competit Demonſtrationi potiſſimæ.

lis eſt, per quam prima paſſio probatur de ſubiecto, vt *omne animal rationale eſt admiratiuum, ſed omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt admiratiuus.* Cùm verò dicitur Demonſtrationem debere *ex propriis* procedere, non intelligitur debere eam habere præmiſſas proprias vnius alicuius ſcientiæ, vel artis, cùm contrarium videamus ſæpe contingere, vt in hoc diſcurſu, *in omni figurâ rotundâ partes maximè diſtant à centro, ſed vulnus in quo partes maximè diſtant à centro, difficiliùs curatur, ergo vulnus rotundum difficiliùs curatur*, maior eſt mathematica, minor & concluſio chirurgica. Senſus ergo eſt, ex ipſis rei viſceribus ſumi debere argumentationem, ſeu pro medio aſſumi debere definitionem ſubiecti, aut ſaltem prædicati. In aliis verò demonſtrationibus hæ omnes conditiones non requiruntur.

Quid ſit Demonſtrationem procedere ex propriis.

IV. Tandem noto, definitionem hanc non eſſe propriè definitionem, ſed tantum deſcriptionem, etiam reſpectu Demonſtrationis *perfectiſſimæ*, cùm multæ particulæ in illâ poſitæ penè coincidant, vel vna includatur in aliâ, & explicationis tantùm gratiâ addantur. De veritate, certitudine, & euidentiâ præmiſſarum, & reliquis ad Demonſtrationem ſpectantibus dicetur diſput. ſequente.

Definitio illa Demonſtrationis non eſt rigoroſa.

DISPVTATIO XLIX.

De Scientia actuali

SECTIO PRIMA.

Quid ſit ſcientia, & de quibus rebus dari poſſit

I. *Scientia variè ſumitur.*

SCientia actualis ſubinde pro quacunque cognitione ſumitur, etiam probabili, vt cùm dicitur, *omnis homo naturaliter ſcire deſiderat*, ſed hæc latiſſima eſt illius acceptio: aliquando ſtrictiùs pro cognitione certâ & infallibili, ſiue ea concluſio ſit, & diſcurſiua, ſiue non. Quo ſenſu Deus ſcientiam habet omnium rerum qui tamen nec concluſionem elicit, nec Demonſtrationem habet, aut diſcurſum. Nos autem de hac nō loquimur, ſicut nec de cognitione intuitiuâ Angelorum, ſed de ſolâ ſcientiâ diſcurſiuâ. Hæc ergo duplex eſt, primò enim ſumitur pro cognitione diſcurſiuâ, certâ & infallibili deductâ ex principiis certis, quæcunque demum illa fuerint. Hæc ſcientia tam reperitur in Demonſtratione *Quia*, quam *propter quid*, imò & congruit Demonſtrationi etiam Theologicæ, quæ vera ſemper eſt & certa quamuis non vſqueadeo euidens, vtpote cuius altera ſemper præmiſſa eſt actus fidei. Secundò & propriiſſimè, ſcire eſt, vt ait Ariſtoteles, *per cauſam cognoſcere, & quod illius ſit cauſa, & quod aliter ſe habere non poſſit*. Hæc eſt ſcientia rigoroſè & ſtrictiſſimè ſumpta, nec vlli niſi ſcientiæ à priori cōpetens: ac proinde non definiuit hic Ariſtoteles ſcientiam in totâ latitudine, ſed hanc tantùm vltimam & ſtrictiſſimam.

Sermo tantum hic eſt de ſcientiâ diſcurſiuâ.

Scire eſt per cauſam ſcire &c.

II. Hinc infero primò, non habere nos huiuſmodi ſcientiam à priori de Deo, cùm ipſum, vt dictum eſt, cognoſcamus à poſteriori tantùm & per effectus; aliquorum tamen attributorum illius ſi non propriā & rigoroſam, aliqualem ſaltem cauſam habemus, & conſequenter ſcientiam à priori, vt dum voluntatē illius probamus per intellectum, & æternitatem per immutabilitatem.

Non habemus hanc ſcientiam à priori de Deo.

III. Infero ſecundò, ex illis verbis *& quod illius ſit cauſa* non argui debere in actu ſignato intellectum reflectere quòd ſit cauſa illius, ſeu de bonitate conſequentiæ, vt ſuprà ſuo loco fuſiùs dictum eſt, ſed ſolùm vt in actu exercito determinetur à præmiſſis (in quibus continetur cauſa) ad concluſionem, in qua continetur effectus, cùm à quo res pendet in eſſe, pendeat ſimiliter in cognoſci.

Quid velit illa particula, & quòd illius ſit cauſa.

IV. Circa ſecundum quod in titulo ponitur, difficultatem facit quod communiter dici ſolet, ſcientiam eſſe debere *de vniuerſalibus, de neceſſariis, de ente reali & de ente per ſe*, quo dicto ab obiecto materiali ſcientiæ excluduntur *ſingularia, contingentia, entia rationis, & entia per accidens.*

De quibus rebus ſit ſcientia.

V. Dico tamen primò: *de ſingularibus*, ſi non perfectiſſima, vera tamen dari poteſt ſcientia. Probatur, primò enim de Deo veram habemus ſcientiam. Aſtrologi etiam de hac particulari ſtellâ, de Sole v.g. Lunâ, aut aliâ quapiam effectus varios demonſtrāt. Confirmatur, indiuidua ſuam habent differentiam particularem, quæ ſubinde radix eſt aliquarum proprietatum, ergo hæc cognoſci phyſicè loquēdo poſſunt. Confirmatur ſecundò negari non poteſt quin Deus & Angeli indiuiduorum perfectam habeant ſcientiam & nouerint hoc vel illud indiuiduum radicem eſſe talium vel talium proprietatum.

De ſingularibus poteſt dari ſcientia.

VI. Confirmatur tertiò, ſcimus ſaltem illa eſſe ſingularia, vt in hoc ſyllogiſmo in *Darii*, *Quicquid exiſtit à parte rei, eſt ſingulare & indiuiduum, ſed Petrus exiſtit à parte rei, ergo Petrus eſt ſingularis & indiuiduum*: ergo vniuerſim ſcientia omnis non eſt neganda de ſingularibus. Confirmatur quartò, hic eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus. *Omne viuens dum currit, caleſit, ſed Petrus currit & eſt viuens, ergo Petrus caleſit*, & tamen eſt de re ſingulari vt conſtat, nempe de hoc indiuiduo curſu Petri, ergo. Dum itaque negat Ariſtoteles dari ſcientiam de indiuiduis, intelligit, moraliter loquendo, quia ſcillicet parum durant, vel de ſcientiâ perfectiſſimâ. Nec ad omnem ſcientiam, ſeu concluſionem certam requiritur vt præmiſſæ ſint vniuerſales, alioqui fruſtra eſſet ſyllogiſmus *expoſitorius*.

Variè oſtenditur dari ſcientiam de ſingularibus.

VII. Dico ſecundò; de rebus contingentibus, & corruptibilibus phyſicè, datur ſcientia, non de corruptibilibus metaphyſicè, ſeu logicè. Explicatur & probatur concluſio, res corruptibilis dicitur & contingens phyſicè, quando ſecundùm ſuam entitatem perit, & cum eâ omnes eius paſſiones vnà intercidunt, vt homo & alia huiuſmodi quæ quotidie eſſe deſinunt de quibus tamen datur ſcientia, vt conſtat. E contrà, res incorruptibiles phyſicè eæ ſunt, quæ ſubiectæ non ſunt corruptioni phyſicæ, vt Deus, Cæli, Angeli. Res logicè vel metaphyſicè corruptibilis eſt, quando connexio inter ſubiectum & prædicatum eſt defectibilis, vt in hac propoſitione, *Petrus eſt albus*, & aliquo modo in hac, *animal eſt rationale*, cùm accidentale animali ſecundum ſe ſit, quod contrahatur ad rationale magis quàm ad irrationale.

De rebus phyſicè corruptibilibus datur ſcientia, non de corruptibilibus metaphyſicè.

VIII. Res logicè & metaphyſicè incorruptibiles illæ ſunt,

sunt, quæ licèt in entitate pereant physicè, infallibilem tamen retinent & necessariam inter prædicata sua essentialia connexionem, quâ de causâ, hæc propositio, *homo est rationalis*, semper est vera, etiam nullo homine existente. Procedit ergo conclusio de rebus contingentibus & corruptibilibus physicè, quæ nihilominus cùm incorruptibiles sint & necessariæ, non contingenter metaphysicè, non est cur de iis dari nequeat scientia. De his ergo intelligendus est Aristoteles, dum dicit *scientiam esse de ijs, quæ non possunt aliter se habere*, nempe metaphysicè, nam de iis quæ physicè se aliter habere possunt, certum est dari scientiam.

Quæres sint Logicè, seu metaphysicè incorruptibiles.

XI. Dico tertiò: de *entibus rationis*, & *entibus per accidens* dari potest scientia. Primam partem non negat Aristoteles, & videtur certa, cùm entia rationis aliquas habeant proprietates de ipsis demonstrabiles, vt suprà ostensum est d. 15. & 16. Secunda pars de *entibus per accidens* constat, nam Arithmetica multa demonstrat de numeris, medici de pharmacis, quæ ex rebus variis sunt composita, item de complexionibus seu temperamento humorum, & sic de cæteris. Dum ergo ait Aristoteles de *entibus per accidens*, non posse dari scienti scientiam, loquitur de fortuitis, vt suprà ex aliâ occasione dixi, quæ sicut nullam certam sui causam habent, ita nec certò cognosci possunt: vel intelligendus est de iis quæ sunt per accidens metaphysicè, id est, quorum prædicatio & connexio est merè accidentalis, vt in his & similibus, *paries est albus, grammaticus est citharædus*,

De entibus rationis, & entibus per accidens dari potest scientia.

SECTIO II.

Vtrùm præmissæ sint certiores & euidentiores conclusione.

I. NOtandum primò, certitudinem triplicem esse, *moralem, physicam, & metaphysicam*. *Moralis* est, cùm multi fide digni in rei alicuius affirmationem consentiunt. Hac certitudine Hierosolymam esse aut Constantinopolim norunt, qui ciuitates illas nõ viderunt. *Physica* certitudo est quando aliquid scimus ita se habere spectatis naturis rerum, vt ignem applicatum comburere, solem supra horizontem ortum, lucem in nostro hemisphærio producere, licèt per Diuinam potentiam aliter possit contingere, vt contigit igni in fornace Babylonis. Sic cùm videmus albedinem, scimus certitudine physicâ esse ibi subiectum, cui insit, licèt in Eucharistiâ contrarium contingat per miraculum. *Metaphysica* denique *certitudo* est, cùm nec per Diuinam potentiam aliter se res habere potest, vt homo, si sit, non potest non esse animal, nec equus non esse hinnibilis. Idem est de omnibus *primis* principiis *per se notis*, vt *quodlibet est vel non est*, & similibus.

Certitudo est triplex, moralis, physica, & metaphysica.

Certitudo Metaphysica.

II. Notandum secundò, licèt veritas & falsitas consistant in indiuisibili, vt diximus d. 45. l. 6. non tamen certitudo & euidentia: cùm enim certitudo actus & euidẽtia pendeât à principiis, quò magis hæc firma fuerint & infallibilia, ac ad verum determinata, eò actus ex huiusmodi principiis procedens erit certior, aliumque excedens, qui ex similibus principiis non deducitur. Sic etiam actus qui ex clarioribus præmissis deducitur, clarior erit & euidentior alio, qui ex præmissis oritur minùs claris.

Certitudo, & euidentia non consistunt in indiuisibili.

III. Notandum tertiò, dupliciter posse vnum actum esse certiorem alio, certitudine *essentiali*, & *graduali* seu *intensiuâ*. Certitudo *essentialis* maior est illa, quæ & plura habet & magis infallibilia motiua ad verum determinantia, vt actus fidei Diuinæ, qui & supernaturalis est, & nititur dictione Dei, qui nec fallere potest, nec falli. *Gradualis* certitudo maior est, quando actu intensiore assentimur alicui obiecto, vt si quis actu naturali plures habente gradus certitudinis assentiatur huic obiecto, *paries est albus*, quam alter actu supernaturali huic, *Deus est trinus & vnus*: hic tamen actus fidei intensus solùm vt duo, certior est certitudine essentiali, seu quoad substantiam actus, quàm alter intensus vt sex vel septem; licèt in *graduali* certitudine ab eo superetur. Quæstio autẽ hic de certitudine substantiali, seu essentiali procedit, non de graduali.

Certitudo duplex, essentialis, & gradualis.

Quæstio procedit de certitudine essentiali.

IV Prima sententia affirmat præmissas non esse certiores nec euidẽtiores conclusione. Ita P. Hurt. d. 1. 11. Log. s. 3. & alij. Secunda sententia est P. Arriagæ d. 16 Log. s. 4. qui alteram ex præmissis admittit certiorem esse conclusione, non tamen vtramque: sed tamen quiota aut vtramque præmissam esse euidentiorem conclusione.

1 Sententia affirmat, 2. negat præmissas esse certiores conclusione.

V. Dico primò vtraque præmissa debet esse saltem æquè certa & euidens ac conclusio. Ratio à priori, ideo namque aliqua vniuntur inter se in conclusione, quia vnita priùs erant medio in præmissis, ergo eâ certitudine quâ vnita fuerunt medio, vniuntur inter se, nõ maiori. Confirmatur, præmissæ sunt causæ conclusionis, ergo non possunt dare ei maiorem certitudinem quàm ipsæ habent. Confirmatur secundò, *conclusio sequitur debiliorem partem*: vnde si altera præmissa solùm sit probabilis, conclusio tantùm erit probabilis; sicut in catenâ, si vnus annulus sit debilis, vt ex ligno, licèt alij omnes ex ære sint, vel ferro adhuc catena est simpliciter debilis.

Vtraque præmissa debet esse æquè certa & euidens, ac Conclusio.

VI. Dico secundò: si conclusio deducta ex duabus præmissis de fide sit de fide, vt in hoc syllogismo, *quicquid Deus reuelat esse hominem, est homo, sed Deus reuelat Christum esse hominem, ergo Christus est homo*, si, inquam, hæc conclusio sic deducta sit de fide, est quoad substantiam æquè certa ac vlla, vel vtraque ex præmissis, non tamen quoad modum participandi certitudinem. Prima pars probatur, in omni actu fidei est summa certitudo, vbi autem est summa, maior nullibi dari potest. Secunda etiam pars constat: imprimis namque actus hic conclusionis non attingit intrinsecè auctoritatem Diuinam sicut præmissæ, sed solùm extrinsecè; deinde non est actus immediatus sicut illæ, sed ex aliis deductus, immediatus autem modus tendendi, per se loquendo, arguit perfectionem.

Si conclusio deducta ex præmissis fidei sit de fide, est æquè certa ac præmissæ.

Quoad modum differt, à præmissis.

VII. Vtraque conclusionis pars illustratur communi illâ doctrinâ, quam d. 11. de Incarnatione sect. 1. ex Patribus & Theologis ostendi, humanitatem scilicet Christi æquè sanctam fuisse quoad substantiam ac Verbum ipsum Diuinum, cùm per eandem numero verbi sanctitatem fuerit sancta, non tamen tã sanctam fuisse quoad modum, quia nimirum sanctitatem illam non per identitatem participabat & necessariò sicut verbum, sed contingenter, & per vnionem realiter distinctam. Sic actus iste conclusionis non eodem modo participat suam certitudinẽ, quo præmissa quæ est de fide, immediatè scilicet tendendo, & intrinsecè attingendo auctoritatem diuinam.

Declaratur exemplo humanitatis Christi sancta per sanctitatem verbi.

VIII. Dico tertiò: altera ex præmissis seorsim sumpta, est certior & euidentior conclusione. Quoad certitudinem constat in Demonstratione Theologicâ, in qua altera semper præmissa est de fide, cõclusio autem ex hac & præmissâ naturali deducta, quantacunque sit illius certitudo, ad certitudinem certè fidei non assurgit. Idem de euidentiâ clarè ostenditur in Demonstratione, cuius altera præmissa est primũ aliquod principium. Imò idem est in omni præmissâ, in hoc enim conclusionem superat, quòd sit cognitio

Vna præmissa seorsim sumpta est euidentior conclusione.

gnitio immediata, seu ex aliâ cognitione hîc & nūc non deducta, cuius contrarium in conclusione semper reperitur.

IX. *Præmissæ etiam simul sumptæ sunt certiores, & evidentiores conclusione.*

Dico quartò, præmissæ non seorsim tantùm, sed simul etiam sumptæ, certiores sunt, & euidentiores conclusione. Probatur primò, prima principia naturalia ita sunt euidentia, vt ex ipsâ statim terminorū apprehensione innotescant, quâ de causâ dicit Aristoteles *melius est dispositum intelligens quàm sciens*, per intelligentiam autem vt suprà aliâ occasione dixi, significat aliquem primis principiis naturalibus instructum sine discursu habitus; per scientem verò intelligit elicientem conclusionem seu discursum, ergo. Imò conclusio nunquam ad eam claritatem pertingit, vt fit propositio *per se nota* instar principiorum. Ait Deinde Aristoteles euidentiam, quæ à paucioribus pendet, esse naturâ suâ maiorem eâ quæ pendet à pluribus, immediata enim veritas vel euidentia est perfectissima, nempe *per se nota*.

X. *Præmissæ sunt vicinores naturali lumini intellectus, quàm Conclusio, sic & euidentiores.*

Confirmatur primò, hi actus propiùs accedunt ad actus Angelorum, qui simplici intuitu res clarissimè inspiciunt. Confirmatur secundò, præmissæ sūt semper vicinores naturali lumini intellectus, & plus de illo participant, ergo euidentiores & certiores sunt conclusione, quæ non nisi per illas lumen & certitudinem participat. Confirmatur tertiò, ideo magis amatus finis quàm media, quia media amantur propter finem, vnde arguitur finem, saltem vt apprehensum, maiorem in se habere bonitatem quā media; non malè ergo quis similiter intulerit, præmissas maiorem habere certitudinem & euidentiā, quàm conclusionē, cùm non minùs ad eā moueat, quàm finis ad media. Confirmatur quartò, præmissæ sunt causa æquiuoca respectu conclusionis, ergo.

XI. *Præmissæ sunt euidentiores Conclusione, ergo & certiores.*

Probatur secundò ad hominem contra P. Arriagam, concedit ipse in præmissis maiorem esse euidentiam quàm in conclusione, ergo & in iis maior est certitudo, Probo consequentiam, licèt enim non rectè inferatur, vbi est maior certitudo, ibi maiorem esse euidentiam, vt constat in actibus fidei diuinæ, contra tamen vbicūque est maior euidentia, est etiam maior certitudo, & firmiùs per se loquendo illi adhæremus, de cuius veritate nobis clariùs constat. Confirmatur, ideò maior ab omnibus censetur certitudo *physica* quàm *moralis*, & *metaphysica* quàm *physica*, quia obiectum in his clarius innotescit. Adde quod nouit quis euidenter, ita ei firmiter adhæret, vt ab eo nullâ vi, nullis rationum momentis diuelli possit. Quare, hac ratione sciens, inquit Aristoteles, *redditur imperturbabilis*, omnemque à se contrarij formidinem quàm longissimè repellit.

XII. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quomodo sit intelligendū.*

Probatur quartò, ex illo axiomate Aristotelis, *propter quod vnum quodque tale, & illud magis* Cōtra quod multa opponunt nonnulli ad probandum axioma hoc in nullo genere causæ tenere, nisi in causâ tantum finali. Sed appositis quibusdam conditionibus verum illud esse arbitror. Prima est, vt id, in quo fit comparatio, conueniat vtrique extremo; defectu cuius hæc propositio & similes non sunt veræ: *paries est albus propter albedinem, ergo albedo est magis alba* multò minus vera est hæc, *homo est creatura propter Deum, ergo Deus est magis creatura.* Secunda conditio est, vt id in quo fit comparatio, suscipiat magis & minus; defectu cuius hæc non est vera, *Petrus est homo propter Patrem ergo pater est magis homo*, esse enim hominem consistit in indiuisibili. Tertia est, vt comparatio fiat inter extrema realiter distincta; defectu cuius, hæc à veritate deficit, *homo discurrit quia est animal rationale, ergo animal rationale magis discurrit.* Quarta conditio est, vt id, in quo fit comparatio, fiat vni, solùm ratione alterius, & non ob aliquid aliud, defectu cuius, si

Ad hoc axioma vera requiruntur conditiones.

anima simul cum voluntate concurrat immediatè ad actus voluntaris, & eos recipiat, hæc est falsa, *anima vult propter voluntatem, ergo voluntas magis vult.* Has conditiones si seruentur, puto non difficulter sustineri posse hoc axioma, iis non obstantibus quæ contra illud proponit P. Hurt. d. 11. Log. s. 3. num. 46. Quidquid autem sit de aliis, in causâ certè motiuâ per se loquendo semper tenet axioma, & non in voluntate magis, quàm in intellectu.

SECTIO II.

Argumenta contendentia præmissas non esse euidentiores & certiores conclusione.

I. *Obiectio, illa est clarior, qua plures habet rationes, quibus probatur.*

Obiicitur primò à P. Hurt. d. illa 11. citatâ; Actus ille clarior est & certior, qui plures habet rationes quibus probetur, sed plures habet rationes conclusio quàm præmissæ, omnes quippe rationes quæ præmissas probant, probant similiter conclusionem, ergo. Contrà, hoc enim probaret conclusionem non æquare solùm certitudinem præmissarum, sed excedere, contra ipsum Hurt: nam præter rationes quæ probant præmissas, quas ait etiam probare conclusionem, præmissæ ipsæ probant conclusionē. Deinde præmissæ sæpe nullas habēt rationes quibus probentur, sed sunt prima principia, ergo conclusio esset ipsis certior & euidentior.

II. *Resp. ostendendo claritatem actus non esse metiend. ex. penes rationum multitudinem.*

Respondeo itaque negando maiorem, prima enim principia, vt proximè dixi, sunt clariora & consequenter certiora conclusione. Maior ergo vel minor certitudo & claritas non penes rationum multitudinem semper est metienda (quamuis cæteris paribus hæc regula non sit aspernanda) & quasi extensiuè, sed secundùm perfectiorem seu immediatiū modum tendendi, & intensiuè. Præmissæ ergo nobiliorem habent modum tendendi, propius absunt à lumine naturali, magis accedunt ad cognitionem intuitiuam, quæ omnia maiorem & perfectiorem simpliciter arguunt claritatem & certitudinem quā sit modus cognoscendi discursiuus, animæque corpori affixæ, & à sensibus in cognitione dependentis proprius.

III. *Vt idem magis, aut minus clarè cognoscatur, sufficit obiectum esse ratione distinctum.*

Obiicitur secundò; Intellectus naturæ lumine nouit ea *quæ sunt eadem vni tertio esse eadem inter se*, ergo non potest esse certior de veritate vnius quàm alterius, cùm non sit vnum & aliud sed planè idē, quod in præmissis vnitum cognoscitur vni tertio, in conclusione vnitum seu identificatum sibi. Respondeo primò, ad hoc sufficere idem obiectum realiter, esse ratione distinctum. Secundò dico, licèt ferantur in idem obiectum, cùm tamen actus sint distincti, & certitudo ac euidentia actibus sint intrinsecæ, idem obiectum perfectius per præmissas cognosci potest, quàm per conclusionem; cùm illæ perfectiori modo & immediatiùs in suum obiectum ferantur, quàm Conclusio, vt obiectione præcedenti ostensum est.

IV. *Præmissæ de fide sunt certiores conclusione, si hæc non sit de fide.*

Obiicies tertiò; quando conclusio deducitur ex duabus præmissis de fide, præmissæ non sunt certiores Conclusione, ergo vniuersim loquendo sententia nostra non est vera. Respondeo, vel conclusio illa est de fide, vt aliqui volunt, tunc verò nil mirum præmissas non esse certiores quoad substantiā conclusione, licèt sint perfectiores quoad modum, ob rationem sectione præcedente. Conclusa positam: vel illa conclusio non est de fide, sed tantùm Theologica, vt philosophantur alij, qui proinde afferunt

præ-

præmissas illas esse simpliciter conclusione, vt sic deductâ, in certitudine perfectiores, ob rationes iam dictas.

V.
Hæc Conclusio ergo Christus est risibilis *vt hoc deducta, est minus certa, quam illa præmissa naturalis.*

Obiicitur quartò; saltem quando conclusio deducitur ex vnâ præmissâ de fide, & alterâ naturali, vt in hoc sillogismo, *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis*, in hoc inquam syllogismo, conclusio *Christus est risibilis*, est æquè certa ac principium naturale vnde deducitur, *Omnis homo est risibilis*. Respondeo, quicquid sit num hæc conclusio sit Theologica n.cnè, (qua in re diffident auctores, affirmantibus aliis, aliis negantibus) Respondeo inquam, negando conclusionem illam vt hîc deductam esse æquè certam ac est præmissa naturalis, ex qua deducitur, ob perfectiorem scilicet seu immediatiorem modum quo principium illud in obiectũ fertur. Ita P. Granado 1. p. d. 5. sect. 2. num. 6. & valde communis est hodie inter Theologos opinio, vt mirum sit P. Hurtado d. 18 Log. s. 5. num. 41. asseruisse hoc à nullo Theologo admitti.

VI.
Præmissæ, quamuis causæ necessariæ, non faciunt conclusionem sibi parem.

Obiicitur quintò; Præmissæ sunt causæ necessariæ, ergo agunt quantum possunt, ergo parem sibi certitudinem in Conclusionem transfundunt. Nego vltimam consequentiam, quantumcunque enim causæ necessariæ sint, & agant quantum possunt cũ tamen efficere nequeant vt conclusio, cognitio immediata sit, instar præmissarum, nunquam eam efficient sibi in claritate & certitudine parem.



DISPVTATIO L.

In libros Topicorum Aristotelis, seu de Discursu probabili.

DVo in se complectitur *Scientia*, certitudinem & euidentiam, duo *fides humana & opinio*, obscuritatem & incertitudinem. *Fides diuina* media scientiam inter & opinionem, aliquid de vtriusque naturâ participat, certitudinem scilicet & inéuidentiam. Horum itaque omnium notiones in hac nobis disputatione declarandæ.

SECTIO PRIMA.

Quid sint Opinio & Fides, & quomodo inter se differant, & à Scientia.

I. VAriè à variis sumitur *Scientia*, aliquando pro quauis notitiâ certâ, vel physicè vel moraliter: quo sensu S. August. l. 1. de lib. arbitrio, *id*, inquit, *scimus quod certò cognoscimus*. In hac acceptione nomen scientiæ, *Fidei* competit, tum *Diuina*, vt in illo Iob 19. v. 25. *scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terrâ surrecturus sum*, tum *Humana*, sic S. August. l. 2. de Doct. Christiana, *non verendum*, inquit, *dicere nos scire quæ idoneis testibus novimus*. Secundò sumitur strictiùs *scientia* pro solâ mimirum notitiâ euidente, quo sensu non humanam tantùm per discursum habitam, sed Dei etiam & Angelorum scientiam comprehendit. Tertiò accipitur pro solo discursu certo & euidente, non pro primis principiis, nec cognitione immediatâ, quæ cùm sine labore & industriâ habeatur, & suâ quasi sponte in mentem illabatur, dici solet *intellectus*. Quartò demum pro solâ Demonstratione à priori, seu per causam traditâ, quo sensu Scientiam definit Aristoteles 1. Post. c. 2. quòd *scire sit per causam scire* &c. de qua Scientiæ notione dictum est suprà d. 47. s. 3. n. 7. & 48. s. primâ. In hac ergo lectione de Scientiâ in tertiâ acceptione loquimur, seu de discursiuâ.

Varijs modis sumitur Scientia.

II. Scientia itaque est *notitia certa deducta ex principiis certis*: vnde *Opinio*, vt hîc sumitur, erit *assensus probabilis deductus ex principiis probabilibus*: *Fides* verò *assensus nixus auctoritate alterius aliquid dicentis*.

Scientia, Opinio, Fides.

III. In hoc ergo differt *Fides* & *Opinio*, quòd *Opinio* sit assensus probabilis ex medio intrinseco, seu connexionem aliquam naturalem habente cum re, cui ob rationem illam assentimur: *Fides* verò est assensus ob medium extrinsecum, auctoritatem scilicet dicentis, quæ rei ipsi est planè extrinseca, vt constat. Si quando autem *Fides humana* vocetur ab Aristotele *Opinio*, ideò solum ita eam appellat, quia *Fides humana* est assensus incertus sicut *Opinio*, non tamen quod instar illius nitatur medio intrinseco.

In quo differant Fides & Opinio.

IV. Notandum ergo, *Fidem* niti auctoritate dicentis quæ in duobus consistit, sapientiâ nimirum seu scientiâ illius, ex qua prouenit quòd ipse non fallatur, & veracitate eiusdem, quâ efficitur vt fallere nolit: quæ duo cùm summa sint in Deo, dignissimus est cui fides habeatur, vtpote cuius dictis falsum subesse non possit: Vnde assensus, illius auctoritate nixus est certissimus. Quo autem hæc vel sapientia vel veracitas in aliquo minor fuerit, minor etiam erit illius auctoritas, & consequenter minùs certa fides quæ eius auctoritate nititur. Si verò quis vel mendax sit, vel planè ignarus, fides ei haberi nulla potest. Maxima ergo auctoritas est auctoritas Dei, & omnino infallibilis, minor, Angelorum, minor adhuc hominum, dæmonum nulla, non quòd scientia ipsis desit, sed veracitas, cùm dæmon sit mendacij pater, cui proinde, etiam cùm vera dicit, fides haberi non potest.

Auctoritas dicentis in duobus consistit.

Dei auctoritas maxima.

V. Circa *Opinionem* etiam notandum, Aristotelem, dum illam dicit esse *existimationem propositionis immediatæ & non necessariæ*, non definiuisse ipsam conclusionem probabilem, sed prima principia probabilia, de quibus erat difficultas, quæque ibi dari ostendit. Quod vlteriùs probatur, dantur enim conclusiones variæ probabiles, vt constat, ergo hæ deducuntur ex alterâ saltem præmissâ probabili, nam ex duabus præmissis certis & euidentibus, non deducitur conclusio probabilis sed certa: tum sic; ergo præmissa illa probabilis immediata est, vel non: si ita, ergo dantur prima principia probabilia immediata; si non, ergo ex alia præmissâ probabili deducitur, de qua idem denuò recurret argumentum & sic in infinitum, in huiusmodi autem subordinatis procedi in infinitum non potest.

Dantur prima Principia probabilia.

VI. Est ergo *Opinio assensus obscurus, incertus, & formidolosus, non nitens auctoritate*: fides autem humana in reliquis congruit cum Opinione, in hoc vltimo differt, quod nitatur auctoritate, nempe humanâ & fallibili. De obscuritate vtriusque plura dicentur postea, nunc de formidine quæritur qualis illa sit, quæ in opinione & fide humana reperiri solet.

Definitio Opinionis.

VII. Formido itaque (vt omittam eam quæ est in voluntate) quoad præsens duplex est, *formalis & radicalis*: *formido formalis* est, cùm quis ita assentitur alicui conclusioni probabili, vt tamen per actum alium dubitet ne res aliter se habeat, atque ille iudicat.

Formido duplex, formalis & radicalis.

VIII. *Formido radicalis* est assensus ex modo tendendi ita imperfectus substantialiter, seu quoad entitatem & substantiam, vt non conuincat intellectum, sed illum relinquat debiliter assentientem, seu est actus qui in se negationem habet certitudinis, licet id intellectus non aduertat. Vocatur verò *formido radicalis*, quia assensus ille est eiusmodi, vt si supra actum suum reflecteret, non iis niti cum principiis aduerteret, nec tale habere fundamentum vt dubitationem omnem de falsitate obiecti excludat.

Formalis ergo *formido* nec de ratione Opinionis est nec fidei humanæ, est tamen *radicalis*. Primum constat experientiâ, quia nonnullos videmus ita suis indies opinionibus, quæ tamen meræ opiniones sunt, mordicùs adhærere, vt nullam planè de iis dubitationem habeant, super quas tamen, si oculo indifferenti reflecterent, non ita certis viderent niti fundamentis, vt de iis meritò dubitari non posset. De quibus bene Aristoteles 7 Ethic. c. 3. *Quidam*, inquit, *opinantium non dubitant, sed existimant se certè scire*. *Formalis* ergo formido, vt dixi, non est de ratione vel *opinionis*, vel *fidei humanæ*, sed sine eâ reperitur tota eius ratio, nempe vt eliciatur actus ob medium,

Radicalis formido est de conceptu opinionis & fidei humanæ, non formido formalis.

non certum. Secundum de *radicali* formidine etiam constat, nam actus tam *opinionis* quàm *fidei humanæ* nituntur auctoritate, vel medio fallibili, ergo sunt eiusmodi, vt siquis supra eos reflecteret, rationem de eorum certitudine dubitandi reperiret.

X. *Probabilitas non est in rebus, sed in intellectu.*

Hic solùm noto, probabilitatem non in rebus esse, sed solo intellectu, ex imperfecto nimirum tendendi modo, res enim omnis à parte rei vel est determinatè, vel non est. Vnde licèt duas de eâdem re propositiones contradictorias esse simul veras implicet, nil tamen vetat duas contradictorias de eâdem re esse simul probabiles, cùm & rationes in vtramque partem probabiles afferri subinde possint, & virorum doctorum à se in opinionibus dissentientium auctoritas.

XI. *De obiecto certo dari potest cognitio incerta, & è contra.*

Tandem circa particulas illas *non necessaria* in definitione opinionis n. 5. ab Aristotele traditâ positas, notandū non ita hoc loco intelligere ipsum propositionem quæ est de re contingente, quasi de obiecto certo cognitio dari incerta nequeat, aut de claro obscura, vel è contrà. Nec enim pari adeò inter se passu procedunt obiectum & actus vt mathematicè quasi sibi inuicem respondeant. Sicut ergo de obiecto infinito dari potest cognitio finita, de increato creata, de æterno temporanea, de negatiuo positiua, de diuisibili indiuisibilis, de successiuo instantanea, de materiali immaterialis, & alia huiusmodi; ita de re certâ dari potest cognitio tantùm probabilis, & de euidente ineuidens: nec enim rationes omnes, quæ ad conclusionem aliquam quantumuis certam & euidentem probandam afferuntur, certæ semper sunt & euidentes, quæ proinde notitiam de ea sui similem gignunt.

SECTIO II.

An cognitio euidens, Fides, & opinio, possint simul in eodem intellectu circa obiectum idem consistere.

I. *Prima sententia est affirmatiua.*

PRima sententia multorum est, qui asserunt id omninò repugnare. Ita Sotus, Caiet. Bannes, Medina, Canus. & alij apud Valen. To. 3 d. 1. q. 1. p. 4. n. 2. tenet Ruuius 1. Post. c. 26. Turrian. in disp. de Fide, Lorca d. 14. & alij.

II. *Secunda negatiua.*

Secunda sententia affirmat non repugnare scientiam, Opinionem, & fidem de eodem obiecto esse simul in intellectu. Ita D. Bonau. in 3. dist. 23. art. 2. q. 2. & 3 Halensis 3. par. q. 79. mem. 3. Henric. quodlib. 1. q. 14. Ioannes Baconius 3. dist. 25. q. 1. a. 1. & 2. Ocam. Gabriel, & alij Nominales, Mol. 1. p. q. 1. a. 1. d. 2. Suar. de Fide d. 3. s. 9 Valro. citatus. Hurt. to. de Ani. s. 5. Tanner. d. 1. de Fide, q. 1. dub. 6. n. 169 & 176. Arria. d. 6. de Ani. s. 6. & alij innumeri.

III. *Tertia sententia media.*

Tertia sententia est illorum qui cum quadam limitatione asserunt posse fidem simul stare cum scientiâ. Ita Vasq. 1. p. d. 4. c. 2. qui fidem stare posse affirmat cum scientiâ per species abstractiuas habitâ, non per proprias. Coninck de Actib. d. 11. dub. 1 id solùm concedit de scientia intuitiuâ supernaturali: alij de cognitione sensitiuâ; alij demum de visione tantùm beatificâ.

IV. *4. sent. ait posse opinionem ex suo medio scientiam stare cum scientiâ.*

Quarta sententia est Durandi quem sequuntur Conimb. 1. Post. c. 26. q. 2. a. 2 qui aiunt posse opinionem stare cum scientiâ, si medium actus opinionis, licèt tantùm sit probabile, existimetur esse euidens, secùs si sciatur esse solùm probabile.

V.

Prima Conclusio: possunt in eodem intellectu stare simul habitus *Scientiæ*, *Opinionis*, & *Fidei*. Probatur, habitus enim ad actus etiam oppositos sibi inuicem non repugnant, in gradibus saltem remissis vt constat in voluntate, vbi non statim ac quis habitum virtutis acquirere incipit, expellitur è vestigio totus habitus vitij contrarij, iræ v. g. aut superbiæ. Cuius ratio est, quia sicut potentia eadem numero & indiuisibilis datur diuisiuè ad formas contrarias, & ad effectus inter se non diuersos modò, sed repugnantes, vt in materiâ ad formam ignis & aquæ, in intellectu ad assensum & dissensum, & similia, ita nil obstat quò minùs dentur in eodem subiecto inclinationes duæ seu propensiones ad effectus diuisiuè, etiam oppositos, multò minùs repugnat vt dentur ad non oppositos, quales sunt actus fidei & opinionis respectu scientiæ, vt mox ostendam.

Habitus scientiæ, opinionis, & fidei possunt simul stare in eodem intellectu.

VI. *Scientia & opinio cum formidine formali non possunt simul stare.*

Secunda Conclusio: non possunt de eodem obiecto simul esse in eodem intellectu *scientia*, *fides naturalis*, & *Opinio* cum actuali & formali formidine & dubio simpliciter de veritate obiecti. Ad probationem præmitto quod suprà notaui sec. præcedenti, n. 7. formidinem formalem esse actum quo quis dubitat num res, de qua actus opinionis vel fidei humanæ iudicat, aliter se habeat aut habere possit. Hoc posito.

VII. *Ratio est, quia intellectus simul assentiretur contradictoriis.*

Ratio conclusionis videtur manifesta, nam si simul cum actu scientiæ esset in intellectu formalis hæc formido, intellectus duobus simul assentiretur contradictoriis, & contra lumen rationis idem simul affirmaret esse & non esse. Probatur, per actum quippe scientiæ euidenter scit & iudicat obiectum ita esse, imò aliter se habere non posse, quàm actus enunciat; per actum autem formidinis putat fortè non ita esse, vel posse aliter se habere quàm actus enunciat, sed hæc sunt contradictoria, ergo. Iuxta hanc conclusionem intelligendi sunt S. Thomas & Aristoteles, si quando videantur asserere opinionem & scientiam de eodem simul obiecto esse non posse, nempe cum formali formidine.

VIII. *In sensu composito scientia non potest quis timere ne subsit falsū actui opinionis.*

Dices, nulla videtur repugnantia, vt simul cum scientiâ stet formido ne subsit falsum, non actui scientiæ, sed opinionis vel fidei humanæ. Contrà, pugnat apertè. nam si dubitet num subsit falsum actui opinionis (qui vt supponitur, idem repræsentat obiectum cum actu scientiæ) dubitat vtrùm conformis sit obiecto, seu vtrùm obiectū ita se habeat, sicut actus ille affirmat, ergo putat fortè non ita se habere, cùm tamen per actum scientiæ sciat ita se habere, & aliter esse non posse, sed sunt contradictoria scire rem ita esse, & iudicare fortasse non ita esse putare aliter posse se habere, & scire non posse aliter se habere. ergo. Si autem solùm dicat quis posse formidinem de certitudine actus opinionis, non de veritate illius, stare cum scientiâ, puto nil ibi inuolui repugnantiæ, formido enim non esset circa idem obiectum, nec enim dubitat vtrùm obiectum aliter se habeat, aut habere possit sed solùm vtrum actus procedat ex iis principiis, quæ ipsum ad veritatem determinent infallibiliter, non ergo dubitat vtrùm actus sit verus sed vtrùm sit certus.

IX. *Stare simul possunt scientia, Fides, & Opinio de eodem obiecto.*

Tertia Conclusio: non repugnat vt *scientia*, *fides*, & *opinio* in eodem simul intellectu reperiantur de eodem indiuisibili obiecto. Ita auctores supra pro secundâ sententiâ allati. Probatur primò, nam non est vnde hæc repugnantia oriatur, cum ex nullo capite actus fidei & opinionis sint cum scientiâ incompossibiles. Dices, hinc oriri incompossibilitatem, quòd fides & opinio obiectum obscurè repræsentent, scientia verò clarè, claritas autem & obscuritas de eodem obiecto non magis consistere simul possunt in eodem intellectu, quàm lux & tenebræ in eodem sēte, ergo. Negatur tamen minor, nam fi-

des & scientia non se habent sicut forma & priuatio formæ vel sicut lux & tenebræ, cùm fides non sit negatio scientiæ; sed sunt instar maioris & minoris lucis, diuersæ tamen non eiusdem rationis; vel sicut actus perfectus & imperfectus. Vnde etiam dicimus locum aliquem esse obscurum, licèt ibi sit aliquid lucis.

X. *Obscuritas fidei est positiua, non priuatiua.* Obscuritas ergo fidei & Opinionis positiua est, non priuatiua, nempe modus tendendi positiuus, obscurus, & debilis in opinione & fide humanâ, &, ad summum, in suo conceptu dicit priuationem claritatis in eodem actu, non in eodem subiecto. In quo est manifesta disparitas inter lucem & tenebras quæ priuationem lucis essentialiter requirunt in eodem subiecto.

XI. *Multa proponuntur credenda, quæ nouimus lumine naturali.* Probatur secundò, multa nobis proponuntur in scriptura credenda, quæ tamen nouimus lumine naturali, vt Deum esse, sed hoc frustra fieret si ea credere non possemus. Sed est certum nos ea posse credere, nam ait S. Paulus ad Hebreos vndecimo, *accedentem ad Deum oportet credere quòd sit, & quòd remunerator sit.* Angeli etiam in viâ scientiam naturalem habuerunt de existentiâ Dei, à qua, vt multi probabiliter putant, nunquam cessare poterant, & tamen fidem habebant de eâdem Dei existentiâ, & credebant esse Deum. Eodem etiam loco additur ab Apostolo, *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, quod tamen ratione naturali cognosci potest, & de facto cognoscitur. In symbolo item Athanasij credendum proponitur *Deum esse omnipotentem, æternum, immensum*, & similia: si verò cognosci simul & credi hæc non possent peiore loco vir doctus foret, quàm rudis aliquis & ignarus rusticus, hic enim credit illa omnia fide supernaturali & meritoriâ, vir autem doctus iuxta contrariam sententiam credere ea non posset, cùm sciat, scit autem semper si super ea vel minimum reflectat, cùm ex.g. sit maximè lumine naturæ notum, Deum esse.

XII. *Sequeretur viros doctos non posse elicere actus virtutum circa Deū.* Confirmatur primò, hinc enim sequeretur, non posse homines (saltem doctos, qui Dei fere semper actu scientiam habent) elicere actus virtutum circa Deum, cùm iuxta Apostolum proximè citatum, fides earum omnium sit fundamentum, quam tamen iuxta aduersarios stante scientiâ habere non possunt. Confirmatur secundò, post rationes claras pro aliquâ sententiâ propositas, proponi solent probabiles, quod tamen frustra fieret, si assensum probabilibus præbere non possemus habitis priùs rationibus scientificis.

XIII. *Fides, Opinio, & scientia non tendunt modo opposito, ergo possunt esse simul.* Probatur tertiò, *fides, opinio, & scientia* circa idem obiectum non tendunt modo contradictorio, sicut affirmatio & negatio, sed feruntur in idem obiectum affirmatiuè omnes, vel omnes negatiuè, licèt ex suo quæque motiuo & ab aliis diuerso, si autem hoc præstent, quid refert quod actus vnus claré tendat & euidenter, alter obscurè? id enim solùm arguit in eodem simul intellectu actum perfectum dari posse & imperfectum de eodem obiecto, hoc verò non repugnare constat ex apprehensione & iudicio quæ simul in eodem intellectu sunt circa idem obiectum, cùm tamen vnus actus perfectus sit, alius imperfectus.

XIV. *Potest de eodem obiecto simul esse cognitio intuitiua & abstractiua, ergo fides & Opinio.* Probatur quartò, potest de eodem obiecto esse simul in intellectu intuitiua cognitio & abstractiua, ergo etiam fides & opinio. Antecedens probatur, quid enim vetat vt beati in cælo videntes Deum intuitiuè, ipsum etiam cognoscant per rationem aliquam abstractiuam, seu discursum ex effectibus? sed cognitio intuitiua & abstractiua non multò minùs videntur repugnare, quàm fides & scientia, cùm altera obiecti præsentiam requirat, altera absentiam, ergo. Si autem dicatur hoc ideo non repugnare quia nil ei obstat quò minùs idem obiectū sit præsens per vnum actum, & absens per alium, dicemus similiter non repugnare vt idem obiectum per vnū actum cognoscatur claré, per alium obscuré.

SECTIO III.

Solutione argumentorum ostenditur fidem & Opinionem stare simul posse cum scientiâ.

I. *Fides & scientia non ita sibi repugnant, sicut lux & tenebræ.* Obicies primò; non potest esse simul lux & tenebræ in eodem aere, ergo nec *scientia, fides, & opinio* in eodem intellectu. Nego consequentiam non enim opponuntur priuatiuè, vt antè dixi hi actus; quis enim dixerit fidem, præsertim Diuinam, esse tenebras respectu scientiæ? maximè cùm à S. Petro Ep. 2 c. 1 v. 19. vocetur *lucerna lucens in caliginoso loco*, & dicamur *fide intelligentes*: dicitur præterea Isaiæ 9. v. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*: quando nimirum Dei & rerum supernaturalium notitia ipsis per fidem illuxit. Deinde sequeretur, æquè opponi fidem & scientiam circa idem subiectum, ac errorem & scientiam.

II. *Actus opinionis & scientiæ differunt in modo tendendi.* Obicies secundò; si *opinio* vel *fides* tantùm neget perfectam claritatem in eodem actu, ergo cùm vnus actus scientiæ sit alio perfectior, actus minus perfectus erit opinio, vel fides. Nego consequentiam, quia actus opinionis vel fidei habere in se debent negationem omnis euidentiæ, sicut etiam licèt vnum iudicium sit alio perfectius; non inde sequitur, imperfectius iudicium esse apprehensionem tantù simplicem. Differunt ergo ex modo tendendi, & motiuis seu obiectis formalibus extrinsecis, vel intrinsecis fallibilibus vel infallibilibus, claris vel obscuris, certis vel incertis, quibus innituntur.

III. *Quo sensu dicat Apostolus Fidem esse argumentum rerum non apparentium.* Obicies tertiò, S. Paulus Hebr. 11. asserit fidem esse *argumentum rerum non apparentium*, vnde communiter ex S. Augustino dicitur, *fides est credere quod non vides*. Respondeo distinguenda esse verba illa Apostoli, est argumentum rerum non apparentium per fidem seu per motiua fidei, concedo; aliunde, nempe per scientiam seu motiua scientiæ, nego. Vt constat de cognitione naturali Dei quam simul vnà cum fide habemus eiusdem obiecti. Non ergo est de necessitate fidei vt obiectum ipsius non sit euidēs concomitanter, & aliunde, sed solùm vt non sit euidens per fidem, vel per medium fidei.

IV *Quo sensu dixit S. Greg. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Obicies quartò; actus fidei est meritorius, ergo consistere nequit cum scientiâ nam iuxta S. Gregorium, *fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Respondetur concedendo actum fidei esse meritorium. Verba ergo illa S. Gregorij exponit S. Bonau. in 3. dist. 24. q. 2. ita vt intelligantur cùm quis vult solùm credere vel assentiri quia experientiâ rem ita esse videt, ita vt assentiatur, non quia Deus dixit, sed quia ipse experimento, vel rationis indagatione ita esse comperit, sicque fides illa vel assensus quicunque is fuerit, nitatur solo ipsius experimento, non Dei auctoritate: vel saltem ita est dispositus, vt credere omnino non vellet, nisi rei veritatem aliunde compertam haberet. Rebus ergo visis assentiri quia videntur, nullum est meritum, assentiri tamen rebus visis quia dicuntur à Deo, actus est meritorius, minùs tamen quàm si non fuissent omnino visæ, testante ipsâ veritate Io. 20. v. 29. *Beati qui crediderunt & non viderunt.*

V. Obijcies quintò S.Gregorium super illa verba Io.20.asserentem, S.Thomam *aliud vidisse, aliud credidisse*, vidisse hominem, credidisse Deum, ergo iuxta ipsum non potest quis idem videre simul & credere. Respondetur S. Thomam ibi vidisse & credidisse Christum resurrexisse, quod insinuant illa verba Christi immediatè sequentia *Beati qui non viderunt & crediderunt*. S. ergo Gregorium dicimus velle ipsum S. Thomam non adæquatè idem vidisse & credidisse, sed plus credidisse quàm vidit, vidisse scilicet Christum resurrexisse, credidisse ipsum simul resurrexisse & esse Deum.

S. Thomas vidit & credidit Christum resurrexisse.

VI. Obiicies sextò; lucente maiore luce, sole, verbi gratiâ, candela nullam producit lucem in aëre, ergo nec opinio vel fides, lucente in intellectu scientiâ. Respondetur primò, multos negare antecedens: sed eo omisso, respondetur secundò, negando consequentiam: disparitas est, quia lux candelæ & solis est eiusdem rationis, non sic fidei & scientiæ, sed specie diuersa: vnde non est cur scientia & fides simul esse non possint, sicut cognitio intuitiua & abstractiua de Deo. Et quid vetat, vt licèt solem quis videat lucentem, id tamen simul credat ob auctoritatem Petri illud affirmantis.

Differentia inter lucem candelæ respectu solis, & fidei respectu scientiæ.

VII. Obiicies septimò; ergo fides actualis in beatis reperiri simul potest in cœlo cum visione beatificâ. Respondeo negando consequentiam, primò quia actus fidei actus est propriè viatoris, in cælo autem viatores non sunt, sed soli comprehensores: vnde 1.ad Cor.c.13.ait Apostolus fidem, quam in viâ habemus, in patriâ euacuatum iri, cessante enim omni actu, cessat habitus. Datur autem fides in viâ ad eliciendos actus supernaturales intellectus, requisitos ad actus supernaturales virtutum in voluntate. Deinde, in cælo non solùm obiectum fidei clarè videtur, sed omnia etiam motiua, & ipsa adeò reuelatio, ac proinde nulla remanet obscuritas, non solùm in obiecto, sed nec in motiuis, cùm videant non solùm obiectum ita se habere, scilicet Deum esse Trinum & Vnum, sed etiam hoc Deum reuelare, & miracula in illius confirmationem esse facta, sicque pro motiuo illius actus nihil habet intellectus obscurum, sed omnia euidentia; quare actus sic elicitus euidens erit & scientificus. Dico tamen, si solùm videretur obiectum actus fidei, & non motiua, nec reuelatio, posse simul cū visione beatificâ componi actum fidei; sicque per Diuinā potentiam potest vnà cum visione beatificâ stare & actus fidei & habitus.

Cur dari nequeat Fides in patriâ.

Componi diuinitus posse Fides cum aliqua visione beatificâ.

VIII. Obiicies octauò; nullum agens producere formam potest in subiecto iam aliâ formâ actuato, quæ formæ huius de nouo aduenientis perfectionem omnem formaliter vel eminenter continet; sed sciētia omnem fidei & opinionis in se perfectionem continet, ergo. Contrà, ergo saltem fides diuina stare simul potest cum scientiâ, hæc enim illius perfectionem omnem non continet, cùm fides diuina scientiam longè in certitudine superet. Respondeo secundò, negando maiorem, visio enim beatificæ scientiæ abstractiuæ perfectionem omnem eminentiore longè modo continet, hæc tamen cum illâ perstat in patriâ. Vnde ait S.Thomas homines scientiarum illarum & artium quas labore hic & industriâ didicerunt, cognitionem in cælo retenturos. Et Christus non infusam tantùm, & intuitiuam rerum notitiam habuit, sed abstractiuam etiam & experimētalem, vt in materiâ de Incarn. docent communiter Theologi.

Homines artium hic acquisitarum scientiam in cælo retinent.

IX. Obiicies nonò, voluntas bonum præsens & possessum vlteriùs non desiderat, nec media ad illius consequutionem adhibet, ergo similiter intellectus si semel veritatem aliquam possideat per scientiam, frustra vel fidem de ea vel opinionē adhiberet, sed in eâ iam per scientiam possessâ quiescit. Negatur consequentia, noua enim illa obiecti per voluntatem possessio eiusdem planè esset rationis cum priore, sicque nihil inde boni voluntati accresceret. Actus verò opinionis & fidei sunt nouæ intellectus perfectiones, illique bonæ, sicut bonum illius est cognitio Dei abstractiua stante cognitione eiusdem intuitiuâ. Hæc quæstio magis ex eâ illustrabitur quam discutiam sec. sequente.

Aliud ex modo bonum voluntatis, ac actus est intellectus actus in voluntate.

SECTIO IV.

Possitne idem actus respectu eiusdem obiecti esse simul fides, opinio, & scientia.

I. PRima conclusio; existimo eundem numero actum, *fidem* simul esse posse, *opinionem*, & *scientiam*. Ratio à priori est, quia fides & opinio licèt in conceptu suo non dicant claritatem & euidentiam (tunc enim nullus posset dari actus fidei obscurus, nec opinionis incertus) vniuersim tamen loquendo eam non excludunt: Opinio enim ex naturâ suâ solùm postulat vt sit actus pendens à medio probabili: Fides (Diuina) à medio certo: scientia demum à medio claro & euidente. Quidni ergo vnus dari actus poterit, qui ob hæc tria motiua eidem simul obiecto assentiatur? Quod si contingat, erit actus ille *scientia, fides, & opinio*. Quòd autem hoc possit contingere, inde probabiliter suadetur, quidni enim iudicare quis eodem actu possit animam esse immortalē & quia fides docet, & ratio id naturalis dictat?

Idem numero actus potest esse Fides, Opinio & scientia.

II. Secundò probatur, etsi ratio practici & speculatiui esset actibus intrinseca posset tamen iuxta communem Philosophorum sententiam dari actus vnius qui practicus simul esset & speculatiuus respectu diuersi obiecti, quidni ergo idem etiam actus esse potest *scientiæ* respectu vnius motiui, & *fides* vel *opinio* respectu alterius? confirmatur, potest idem finis eligi ob diuersa motiua, vt amicus infirmus visitari ob charitatem & amicitiam, potio suauis voluptatis gratiâ sumi & sanitatis, & alia huiusmodi.

Idem actus potest esse practicus & speculatiuus ergo etiam scientia, & opinio.

III. Dices primò; actus ille nec esset opinionis, nec scientiæ, sed tertiæ cuiusdam rationis, vtpote ex principiis seu motiuis genitus specie distinctis. Probatur, nam quando duo animalia diuersarum specierum, equus verbi gratiâ & asina concurrunt ad generandum tertium animal, illud non continet speciem, & naturam vtriusque, sed etiam speciem constituit, ab vtroque parente distinctam, ergo idem erit in præsenti, & actus hic suos quidem referre debet parentes, non tamen eandem cum iis sortiri naturam. Negatur tamen consequentia, disparitas est, quia in animalibus nec mas solus nec sola femina ad prolem eiusdem secum speciei generādam sufficit, ac proinde nisi vterque parens concurrat, non ponitur principium sufficiens ad vllam prolem generandam: hic verò sola motiua fidei sufficiunt ad actum fidei producendum, & naturam illam ei communicandam, sicut & sola opinionis motiua aut scientiæ sufficiunt ad actum opinionis & scientiæ, quando ergo vnà concurrunt, actum producent vtramque rationem in se habentem, cùm ad hoc vires habeant in actu primo sufficientes.

Dices actum illum nec esse opinionis, nec scientiæ, sed tertiæ alicuius rationis.

Resp. ostendendo fieri actum opinionis & scientiæ.

IV. Dices secundò; repugnantiam hic inuolui, actus enim ille probabilis simul esset, & non esset. esset, vt supponitur; non esset, motiua enim scientifica non magis actum probabilem progenerant, quàm aquilæ columbam. Respondent aliqui hunc actum esse virtualiter aut æquiualenter probabilem, quia perfectiùs, in se continet imperfectius, sicut calor vt trix virtualiter est calor vt vnum. Sed contrà, sic enim actus procedens ex solis motiuis & principiis scientificis

Dices motiua scientifica non posse generare actum probabilem.

tificis esset probabilis, est enim talis virtualiter & æquiualenter, quod tamen omnes negant.

V. *Quid sit actum esse probabilem.*

Responderur ergo huiusmodi actum esse probabilem formaliter, ad hoc enim non requiritur aliud, quàm vt procedat à motiuo probabili. Quòd autem simul sit scientificus, non tollit quominùs sit probabilis, esse enim actum probabilem aliud nihil est, vt dixi n. 1. quàm dependere & produci ex motiuo probabili, hoc verò semper retinet hic actus, quantumcunque etiam procedat à medio & motiuo scientifico; vnde vtramque in se habebit rationem coniunctam. Quod idem de actu dici debet qui simul fidei esset & scientiæ. Non tamen dicendus simpliciter est hic actus clarus & obscurus, certus & incertus, hæ enim voces *obscurus & incertus* negationem sonant claritatis & certitudinis, hoc autem esset falsum, cùm in ipsis terminis inuoluatur implicantia, idem quippe actus haberet simul & non haberet claritatem & certitudinem.

Non debet hic actus simpliciter dici clarus & obscurus.

VI. *Actus fidei renuit habere claritatē à motiuo fidei, non aliunde.*

Actus itaque fidei non excludit claritatem, sed solùm renuit eam habere ex medio vel motiuo fidei sicut nec actus opinionis excludit certitudinem, sed tantùm respuit illam ex motiuo opinionis accipere, quod semper est principium incidens & incertum. Conceptus ergo essentialis actus fidei est procedere ex medio obscuro, & conceptus similiter essentialis actus opinionis ex medio incerto, hoc autem habent hi actus quantumcunque ex aliis simul motiuis procedant. Sicut conceptus vegetatiui est posse se nutrire, hoc autem semper habet vegetatiuum licèt simul sit sensitiuum. Verum quidem est vegetatiuum tantùm excludere sensitiuum, sed hoc non ex conceptu vegetatiui, sed ratione illius exclusiui *tantùm* quod omne renuit consortium alterius; sic non fides, sed fides *tantùm* excludit consortium scientiæ, & consequenter fides *tantùm* necessariò inuoluit obscuritatem, qua excludit processum ab omni medio vel motiuo claro & scientifico, à quo ipsi communicaretur claritas, sed non propterea sequitur fidem vt sic hoc in suo conceptu inuoluere, latiùs namque patet fides quàm fides *tantùm*, sicut vegetatiuum, vt dixi, quàm vegetatiuum *tantùm*, seu planta.

VII.

Fides ergo vt sic non dicit obscuritatem seu negationem claritatis positiuè, sed præcisiuè, sicut, vt ante dixi, animal vt sic præcisum, non dicit positiuè negationem rationalis, nec vegetatiuum vt sic positiuè negationem sensitiui, sed solùm præcisiuè, id est, ex conceptu animalis aut vegetatiui id non dicunt, non tamen excludunt, tunc enim non posset vnquam vegetatiuum esse sensitiuum, nec animal, rationale. Præscindi ergo possunt duæ in hoc actu formalitates, & formalitatem fidei habet in quantum ex testimonio extrinseco procedit, & auctoritate dicentis, in quantum verò procedit à medio claro, habet formalitatem scientiæ. Et Angelus hunc actum intuens, vtramque hanc in eo formalitatem identificatam cernit.

Fides vt sic non dicit obscuritatē positiuè, sed præcisiuè.

VIII. *Actus, qui est opinionis & scientiæ non parturit secum formidinem formalem.*

Notandum tamen hunc actum, si sit de eodem indiuisibili obiecto, non pati secum formidinem formalem supra sect. prima explicatam, seu dubitationem de obiecti veritate, cùm excludat omne dubium, imò nec fundat absolutè & simpliciter formidinem radicalem, si enim quis supra principia illius adæquata reflectat, dubitare nequit verum actui illi subsit, aut subesse possit falsitas. Secundùm quid tamen fundat formidinem formalem, id est, talis est naturæ, vt si quis reflectat solum super principia illius inadæquata, nempe media probabilia, dubitare de veritate illius actus possit, saltem remotè, hoc est, principia illa, vel actus in quantum ab iis procedit nec claritatem habet, nec certitudinem, licèt aliunde habeat.

IX. *Ad actum qui simul esset Fides & scientia, motiua Fidei & scientiæ concurrere debent diuisim non coniunctim.*

Secunda conclusio: vt idem actus sit fides, scientia, & opinio, motiua fidei, scientiæ, & opinionis ad eum diuisim & adæquatè concurrere debent, non coniunctim, seu copulatè, & inadæquatè. Explicatur & probatur conclusio: tunc diuisim concurrere censentur motiua & adæquatè, quando singula seorsim sumpta ad actum, non quidem hunc, (hic enim omnia illa tria motiua essentialiter requirit) sed alium producendum sola sufficerent; motiuum scilicet fidei ad producendam fidem, motiuum scientiæ ad scientiam, opinionis ad opinionem. Coniunctim verò & inadæquatè tunc censentur motiua aliqua concurrere, quando quoduis seorsim sumptum actum sibi proprium non produceret, licèt vnà cum aliis actus varios producere posset. Exempli gratià, ratio alicuius rei subinde est adeò debilis, vt ad actum opinionis eliciendum sola non sufficiat, si tamen alia planè similis accedat, vtraque simul efficiet, vt actum quis opinatiuū de re illa eliciat. Quod sæpe contingit in actu fidei, vbi plurium auctoritas ad fidem faciendam concurrit, quorum nulla ad hoc per se sufficeret. Hæc posteriora motiua coniunctim concurrunt & inadæquatè, priora diuisim & adæquatè.

X. *In quouis motiuo esse debet vis sufficiens ad actum suum producendū.*

Probatur itaque conclusio, in omni actu scientiæ est euidentia, ergo in principio seu causā illius productiuā esse debet sufficiens vis motiua ad eum eliciendum, & consequenter euidentia apta ex se ad actum euidentem producendum, idque licèt principium illud, seu motiuum solum applicaretur, formalitas enim scientiæ in actu qui simul est fides & scientia, æquiualet actui scientiæ, qui ab actu fidei & opinionis realiter existeret distinctus.

XI. *Motiuum opinionis nequit supplere defectum motiui scientiæ.*

Nec (quod responderi posset) motiuum opinionis defectum illum supplet, est enim motiuum illud essentialiter incertum & obscurum, vnde sicut centum rationes probabiles nunquam per se actum scientificum efficerent, ita nec coniunctæ cum motiuo scientifico, si illud ex se ad hoc non sufficiat.

XII.

Mihi tamen probabilius videtur quamcunque rationem euidentem semper sufficere ad actum aliquem scientiæ eliciendum. Quare conclusio procedit de mediis opinionis & fidei, quæ certum est tā debilia subinde esse, vt vna sola ratio, vel vnius auctoritas ad actum opinionis aut fidei eliciendum non sit sufficiens.

SECTIO V.

Obiectiones contendentes non posse actum eundem esse simul fidei, opinionis, & scientiæ.

I. *Huiusmodi actus non esset simpliciter clarus & obscurus.*

OBiicitur primò; actus idem esset clarus & obscurus, certus & incertus. Distinguo, esset clarus ac certus simpliciter, obscurus & incertus secundùm quid, seu præcisiuè, id est, claritatem non haberet ex motiuo opinionis vel fidei, concedo; esset clarus & obscurus, certus & incertus simpliciter nego, vt sec. præcedente ostensum est, n. 7. & 8. Absolutè ergo hic actus non est obscurus & incertus, cùm obscuritas dicat paruam lucem cum negatione maioris.

II. *Nec est actus fidei & opinionis tantum.*

Obiicitur secundò; ergo non est actus fidei & opinionis, hi enim actus essentialiter obscuri sunt & incerti. Distinguo, actus fidei & opinionis tantùm sunt essentialiter obscuri & incerti, concedo; actus qui simul sunt scientia, nego. Essētia ergo actus fidei & opinionis, vt dixi, est vt procedat necessariò à motiuo obscuro & incerto, licèt aliunde habeat claritatem. Quod si positiuum hunc tendendi modum in actu vocet quis obscuritatem, quæstionem fecerit de nomine.

Obiicitur

Motiua illa possunt vnà concurrere.

Obiicitur tertiò; principia illa, distincta, cùm sint ac disparata, non possunt in vnius actus principium coalescere. Nego antecedens. sicut albedo & nigredo ac varia obiecta ad eandem speciem, vel visionem concurrunt in oculo producendam.

IV. Obiicitur quartò; si actus fidei, opinionis, & scientiæ in eundem coire actum possunt, ergo variæ aliarum essentiarum combinationes fieri possunt, vt idē esse equus posset & leo. Respondeo primò, vbi non est specialis repugnantia, variæ fieri possunt combinationes, sicut, vt suprà dixi, homo est vegetatiuus & sensitiuus, vnde fortassis idem animal esse potest rugibile & hinnibile, non tamen leo & equus, hæ enim voces significant principium rugibile tantùm, & hinnibile tantùm, sicut homo, licèt sit vegetatiuus, non tamen est planta, hæc enim vox sonat principium vegetandi tantùm. Vnde non potest idem esse simul rationale & irrationale, sunt enim contradictoria.

Quid censendum de variis combinationibus rerum.

V. Respondeo secundò, aliud esse de physicis, aliud de intentionalibus; constat enim eundem numero actum intellectus in varia, imò opposita obiecta, vt gratiam & peccatum, amorem & odium, lucem & tenebras ferri, sicque prædicata eorum repræsentatiua in se identificata habere, cùm tamen obiecta ipsa nullâ inter se identificari virtute possint. Sic idem actus voluntatis specie distinctas in se formalitates identificatas continet, vt idem numero actus obedientia est & religio, iustitia & charitas, idem actus vitij furtum simul & sacrilegium, & alia huiusmodi.

In hisce combinationibus, aliud est de intentionalibus, aliud de physicis.

VI. Obiicies quintò; habitus scientiæ & fidei non possunt identificari, ergo nec actus. Negabit fortassis aliquis antecedens, quidni enim ex huiusmodi actibus qui simul fidei sunt & scientiæ frequenter elicitis generari habitus poterit, qui ad eosdem postea actus eliciendos deseruiat? Secundò dico, multò faciliùs prædicata huiusmodi in qualitatibus intentionalibus identificari, quàm in physicis, vt in præcedente obiectione ostensum est.

An idem habitus possit esse Fidei & scientia.

VII. Obiicitur sextò; ergo hæ propositiones sunt veræ, *opinio est certa, scientia obscura, fides diuina incerta*: probatur, *scientia* enim, *opinio*, & *fides diuina* secundum nos identificari possunt, vt si quis eodem actu credat animam esse immortalem quia Deus dicit, & ob rationes naturales, euidentem vnam, aliam probabilem.

Obij. ergo scientia est obscura.

VIII. Respondeo primò distinguendo sequelam, scientia quæ est scientiâ *tantùm*, est obscura, nego; quæ simul est opinio, transeat. Licèt non simpliciter hoc concedi debeat, sed secundùm quid. Respondeo secundò, nec scientiam, etiam in hoc casu, esse obscuram, nec fidem diuinam incertam, nam, vt in solutione primæ & secundæ obiectionis dixi, hic actus nec obscurus dici potest, nec incertus, ad hoc enim vt dicatur incertus vel obscurus, non sufficit quòd ex vno motiuo claritatem & certitudinē non hauriat, sed habere eam debet ex nullo, quod hîc non contingit. Sicut vt locus aliquis sit obscurus, non sufficit quòd parua illîc aliqua candela luceat, sed eum illa lucere non debet magna, sic enim obscuritatem tollet, quæ, vt dixi, est *exigua lux cum negatione maioris.*

Ostenditur nec scientiā esse obscurā, nec fidem diuinam incertam.

IX. Obiicitur septimò; actum hunc liberū fore & necessarium, cùm ex principiis procedat liberis partim, partim necessariis. Responderi solet communiter esse actum illum liberum. Sed contrà, quandocunque vnum principium, etiam inadæquatum necessariò operatur, rapit secum alia omnia principia indifferentia, & ad operandum compellit. Sic prædeterminatio physica voluntatem, in sensu diuiso illius indifferentem, ad actum omnem ad quem potest prædeterminatio concurrere, rapit, & ad operandū secum in sensu de composito necessitat. Cùm ergo principium scientificum hîc non minùs necessarium sit in operando, quàm prædeterminatio physica, non minùs etiam intellectum cum omnibus suis comprincipiis, in sensu diuiso scientiæ indifferentibus, ad operandum rapiet & necessitabit ad omnem actum, ad quem potest principium illud scientificum concurrere quàm prædeterminatio rapit voluntatem.

Actus, qui esset simul opinio, fides, & scientia, dicetur communiter fore liber.

X. Quod sic vlteriùs vrgeo: sicut in intellectu secundùm nos datur actus qui simul sit *scientia, opinio, & fides*, ita in voluntate dari potest actus qui elicitur ex motiuo misericordiæ, obedientiæ, & charitatis, quique proinde sit *misericordia, obedientia, & charitas*. Ponamus ergo infundi prædeterminationē physicā ad actum *misericordia*, efficiet necessariò actum *misericordia*, sicut principium scientificum, *scientiam*. Inquiro vlteriùs, cur ad actum eum qui simul est *misericordia, obedientia, & charitas*, non concurret prædeterminatio cum aliis principiis liberè? Si dicas, quia tantùm habet virtutem ad actum *misericordia*. Contrà, sic nec motiuum scientiæ solitariè sumptum vim habet nisi ad actum scientiæ: sicut tamen simul cum aliis liberè elicit scientia actum qui simul sit *scientia, opinio, & fides*, ita quidni liberè cum aliis comprincipiis concurrere poterit prædeterminatio ad actum qui simul sit *misericordia, obedientia, & charitas*? Si dicas, fieri hoc non posse, quia prædeterminatio est principium necessarium: Contrà: sic etiam est motiuum scientificum ad scientiam solam. sicut tamen hoc non obstante, potest per te motiuum scientiæ cum aliis principiis liberè elicere actum, omnes illas formalitates *scientiæ, opinionis, & fidei* in se complectētem, quidni etiam simul cum aliis comprincipiis idem liberè præstare poterit prædeterminatio respectu actus ex tribus his formalitatibus *misericordia, obedientia, & charitatis* compacti? Certè puto vel hoc prædeterminationi in voluntate concedendum, vel negandum in intellectu scientiæ.

Hoc tamen non caret difficultate.

XI. Et hîc Dialecticæ, primæ tripartitæ Philosophiæ partis, finis esto.

FINIS LOGICÆ.

DISPVTATIONES PHYSICÆ.

AVCTORE

R. P. THOMA COMPTONO

E SOCIETATE IESV.

PROOEMIVM.



Idâ per implexos Dialecticæ calles laboriosâ exactâ & difficili, ad amœnos tandem Philosophiæ campos, Fortunatasque, vt ita dicam, naturæ insulas peruenimus, prata haud paulò iis iucundiora, quæ proximè à tergo reliquimus, spinis vndique, vt vidimus, ac vepribus circumsepta. In his proinde eò libentiùs, maioreque cum voluptate spatiabitur animus, quò diutiùs in scabrosis illis asperisque locis detentus, ac veluti labyrinthis implicitus, huc dudum aspirabat, vbi nihil ad oblectamentum animi, verasque mentis delicias desideratur. Hic nimirum consonam illam rerum omnium harmoniam cernimus, causarum inter se ad vniuersi fabricam consensionem, accidentium ad substantias, passionum ac proprietatum ad essentias, partium ad totum subordinationem: quæ iucundâ quadam varietate defixos in se detinent intuentium animos, rapiuntque in amorem sui: Imò per ramos ad radicem, per riuulos ad fontem, per effectus ad rerum omnium auctorem ac opificem mens consurgit, & vniuersi huius conditoris, ex iis, quæ mundo imprimit, sui vestigiis, maiestatem, magnitudinem, potentiam, reliquasque perfectiones inuestigat. Est ergo humanarum diuinarumque rerum indagatrix Philosophia, *quæ ita hominis animum humi iacentem erigit, optimisque disciplinis, ac veluti quibusdam è cælo deriuatis igniculis imbuit, vt tum demum spirare homines censerentur, dum auram primò Philosophicam ducerent. Sed nunc ad rem ipsam accedamus.*

Tum demum spirare homines censebantur, dũ aurã primò Philosophicam ducerent.

DISPVTATIO I.

SEV

PROOEMIALIS.

De iis quæ ad octo horum librorum explicationem præmitti solent.

I. *Quid sit Philosophia.*



Efinitio Philosophiæ ab Aristotele desumpta, & à S Augustino probata ac laudata, est, *Philosophia est humanarum diuinarumq́, rerum cognitio: humanarum*, id est earum rerum quæ ex materiali concretione coalescunt, vt quæ sub Physicam cadunt, & Mathematicam: *diuinarum*, id est, earum quæ supra omnem materialem concretionem sunt. De prioribus nobis hîc potissimùm erit sermo.

SECTIO PRIMA.

Quodnam sit obiectum huius scientiæ.

PHilosophiam latissimè sumptam cum principe suo Zenone diuiserunt Stoici in *Rationalem*, quæ eadem est cum Dialecticâ; *Moralem* seu Ethicam, quæ ad mores spectat; & *Naturalem* seu Physicam, cuius hic obiectum inquirimus. I. *Triplex Philosophiæ diuisio.*

Dico primò: subiectum adæquatum *Aggregatio-*

Subiectum aggregationis Physicæ est corpus naturale cum omnibus ad illud spectantibus.

nis Physicæ est corpus naturale cum omnibus suis proprietatibus, actionibus, causis, horumque contrariis, & reliquis ad illius cognitionem quoquo modo spectantibus, qualia sunt locus, tempus, vacuum, & reliqua ad naturalem rerum productionem necessaria illamuè impedientia, vno verbo, *Ens Physicum.* Quod de contrariis dixi, notandum, *contrariorum contrariam*, vt aiunt, *vel eandem esse rationem*: vnde per se loquendo, ad eandem scientiam spectat tractare de vtrisque: sic quia homo vt infirmus spectat ad medicinam, eadem similiter illum etiam considerat vt sanitate iam vtentem.

III. *Subiectum Attributionis est corpus naturale completum.*

Dico secundò: subiectum Attributionis Physicæ, seu octo horum librorum est solum *corpus naturale* completum in communi, constans ex materiâ & formâ. Ratio est, quia subiectum Attributionis cuiusque scientiæ vt dixi d. 2. Log. s. 1. illud est, de quo per se in illâ scientiâ agitur, & ad quod cætera referuntur omnia, de quibus in illâ scientiâ tractatur, sed hoc in Physicâ est corpus naturale, ergo. Minor probatur, de materiâ formâ, & vnione, vt de partibus agitur ad illius constitutionem necessariis, de quantitate, motu, vbicationibus, & aliis vt de proprietatibus illius, & passionibus, sicque omnia tandem ad illud vt ad obiectum primarium referuntur.

IV. Dices; Angelos spectare ad hunc tractatum, qui tamen non constant materiâ & formâ, ergo. Nego maiorem, ea enim sola ad hunc tractatum spectant, quorum principia tradit Aristoteles, nempe materia, forma, & priuatio, sed hæc principia non competunt Angelis, vt constat, ergo. De Angelis ergo solùm agitur in his libris in quantum mouent cælos, & ad productionem rerum naturalium concurrunt, sicque secundariò tantùm, non primariò; qua etiam ratione agitur hîc de Deo tanquam de primâ rerum omnium causâ & motore. Confirmatur, Physica in nulla sui parte agit per se de Angelis, sed eorum tractatio spectat ad Metaphysicam, vtpote quæ abstrahit à materia sensibili, cuius contrarium præstat Physica. Vnde nec de corpore simplici, seu non constante materiâ & formâ (si quod detur huiusmodi) per se tractatur in his libris, cùm tria hæc principia non admittat.

Angeli secundariò tantùm spectant ad Physicam.

V. *A quibus abstrahatur hoc corpus naturale.*

Dico tertiò: hæc ratio corporis naturalis, quam dicimus subiectum esse Attributionis Physicæ, tam à corporibus incorruptibilibus abstrahitur, quam corruptibilibus. Probatur, hæc enim ratio corporis naturalis completi ex æquo conuenit vtrisque. Deinde corpus huiusmodi incorruptibile est principium motûs & quietis, ergo.

VI. Dices, tria illa principia non competere corporibus incorruptibilibus, non enim iis competit priuatio, cùm formam quam habent, corrumpi non possit, ergo ad hunc tractatum non spectant. Admisso modò antecedente, nego consequentiam, non enim est necessarium vt omnia principia singulis corporibus naturalibus competant, sed omnibus: sicut in duabus præcognitionibus ad demonstrationem, quas ad eam requirit Aristoteles, nempe *an sit, & quid sit*, non est necessarium vt vtrumque præcognoscatur ad quamlibet demonstrationem, sed hoc ad vnam, illud ad aliam; de passione enim non debet præcognosci *quod sit*, cùm hoc probetur in conclusione, sed solùm præcognosci debet *quid sit*. Imò nec semper in omnibus rebus corruptibilibus reperitur priuatio, vt si Deus hominem totum vno instante crearet, tam quoad materiam, quàm quoad formam eidem vnitam, eius tamen consideratio ad Physicam spectaret, esto in eius productione nulla interueniat priuatio.

Omnia tria principia non debent singulis corporibus competere.

VII. Dico quartò: meliùs loquuntur qui asserunt subiectum Attributionis horum librorum esse *corpus naturale*, quàm qui dicunt esse *ens mobile*. Ratio est, quia vox *corpus* clariùs significat substantiam completam quàm *Ens*. Deinde initio horum librorum declaratur essentia & partes huius corporis, & de eo postea probantur passiones. Tertiò, quia in definitionibus sumi debet genus infimum seu proximum, vnde sicut mala esset definitio hominis si quis diceret; *Homo est ens rationale*, ita & corporis esset mala definitio, si quis sic illud definiret, *Corpus substantiale est ens mobile*. Denique ea parte differentiæ verbum *naturale* magis aptum ad essentiam corporis definiendam videtur quàm *mobile*, quod solùm explicat passionem. Quod si quis dicat, idem se per *ens mobile* intelligere quod alij per *corpus naturale*, impropriè saltem loquitur, sicut si quis hominem definiens diceret, *Homo est ens risibile*, licèt per hæc verba idem se intelligere dicat, quod alij per, *animal rationale*.

Congruentiùs asseritur Corpus naturale obiectum Physicæ, quàm ens mobile.

VIII. *Physica subordinatur libris de cælo, & de animâ.*

Hic tandem aduerto, Obiectum huius tractatûs, seu octo librorum referri ad cælum & hominem tanquam quid ad illorum constitutionem necessarium: vnde hæc pars Physicæ illi subordinata est, quæ de cælo agit, & illi quæ de homine, seu libris de cælo, & Animasticæ. Vtrùm autem homo & cælum inter se subordinentur, non leue est inter Philosophos dissidium. Et licèt multos in eam propendere partem videam vt existiment non subordinari, sicque dicant non dari vnum aliquod obiectum Attributionis omnium partium Philosophiæ, sed vnum solùm Aggregationis; contrarium tamen non difficulter defendi posse arbitror, si quis nimirum cælum ad hominem tanquam ad obiectum dignissimum, & corpus naturale primarium referas. Formale verò Physicæ obiectum est hoc ipsum corpus naturale vt naturale, seu vt principium motûs & quietis, seu alterationis sensu aliquo externo perceptibilis, hoc enim est quòd passim dicunt Philosophi, *Physicam non abstrahere à materiâ sensibili.*

SECTIO II.

De reliquis ad Physicæ naturam declarandam præmittendis.

I. *Physica est scientia.*

PRimum est, vtrùm Physica sit scientia? Resp. affirmatiuè. Ratio est, quia procedit in pluribus conclusionibus scientificè, & passiones de corpore naturali, proprietatesque plurimas demonstrat, ergo licèt multas etiam habeat conclusiones solùm probabiles, adhuc erit scientia, ægrè enim inuenietur scientia cuius omnes conclusiones euidentes sint, & scientificæ.

II. *Est speculatiua, licèt actus quosdam habeat practicos.*

Secundum est, sitne scientia practica, an speculatiua? Resp. communiter vocandam speculatiuam, esto enim actus aliquos habeat practicos, præcipui tamen sunt speculatiui, & in mera obiecti sui contemplatione consistunt, quod primò cernunt in iis actibus qui circa obiectum eius primarium seu Attributionis versantur, ipsum scilicet corpus substantiale, illiusque partes essentiales, materiam scilicet & formam. Vnde cùm præcipui illius actus, & consequenter habitus sint speculatiui, communiter vocanda erit speculatiua, practica verò solùm secundùm quid, quia actus aliquos habet practicos [illegible] qui sufficiunt ad dirigendum hominem ad aliquid faciendum: docet siquidem Physica attracto aëre è tubo plumbeo sequi aquam ad euitandum vacuum, per quam cognitionem diriguntur homines ad aquam antliâ è profundo puteo hauriendam. Docet item ignem applicatum calefacere & comburere, & alia huiusmodi, Hi tamen fortè actus si bene

Actus quidam practici Physicæ.

exa-

examinentur, inuenientur non esse propriè practici, sicut licèt plantario arboris sit practica, non tamen productio fructûs. Recolenda quæ in Dialecticâ diximus de scientiâ practicâ & speculatiuâ, d. 10. s. 1.

III. *Physica est vna scientia tantum genere.*

Est verò Physica, scientia ab alijs distincta, saltem inadæquatè, cùm obiectum habeat inadæquatè saltem ab alijs diuersum. Est verò vna, non specie sed genere, ob varios partiales tractatus quos instituit de rebus specie distinctis, vt de quantitate, motu, vbi, vacuo, & similibus. Quare Physica non est vnus habitus, sed ex varijs specie & genere distinctis coalescit. Denique medicina non est pars Physicæ vt, aliqui volunt, sed illi subordinata, vtpote à qua principia sua desumit, iuxta commune illud dictum, *vbi desinit Physicus, incipit Medicus*, id est, conclusiones Physicas pro suis principijs sumit medicus. Vnde Physica respectu medicinæ est scientia subalternans, medicina respectu Physicæ subalternata.

Medicina subordinatur Physicæ.

DISPVTATIO II.

De principijs rerum naturalium.

Inter antiquos mira fuit de rerū naturaliū Principijs dissensio.

CIrca rerum naturalium principia mira erat inter antiquos dissensio, alij quippe principium rerum ignem dicebant, alij aquam, & suo quisque arbitratu in nouam abibat sententiam. Pythagorici ad numeros omnia vt ad principia reducebant, præcipuè denarium, tanquam numerorum omnium perfectissimum. Alij denique non vnum aliquod esse rerum principium asserebant, sed infinita. Aristoteles itaque his omnibus reiectis, suam tandem opinionem statuit, & nec vnum solùm esse rerum principium asserit, nec infinita, sed omnino tria, nec plura esse aut pauciora, *materiam* scilicet, *formam*, & *priuationem*, de quibus præsens nobis instituenda disputatio.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Principium, & in quo differat à causâ.

I. *Principiū sumitur primò pro initio.*

PRincipium variè sumitur: primò enim principium idem sonat quod *initium*, idque siue *duratione*, quo sensu Aurora principium diei dici solet; vel ordine quodam consecutionis, vt primus palmus vel vncia principium vlnæ, punctum lineæ principium dicitur, id est, illud à quo incohatur, cuius proinde correlatiuum est finis; vel tandem situ, vt fundamentum est principium domûs, quia situ & collocatione est pars eius infima.

II. *Secundò latiùs, pro eo vnde fit aliquid, est, vel cognoscitur.*

Secundò, Principium dicitur *vnde fit aliquid, est, aut cognoscitur*, vt ait Aristoteles, 5. Metaph. cap. 1. quæ est latissima principij acceptio, & omni principiorum generi conuenit. Sic præmissæ dicuntur principia respectu conclusionis, sic ignis, & quidquid aliud efficit, vocatur illius principium: quo sensu Deus rerum omnium principium iure appellatur, vtpote à quo, tanquam à primâ causâ, radice, ac fonte esse suum omnia & originem deriuant. Omnibus proinde principijs, tam effectiuis quàm constitutiuis competit hæc definitio. Quo etiam sensu ait S. Thomas 1. par. qu. 33. art. 1. corp. *Principium est id à quo aliquid procedit quocunque modo*, vbi, vt rectè aduertit P. Suar. disp. 12. Metaph. sect. 1. num. 12. verbum *procedit* non est sumendum strictè pro verâ origine, sed pro connexione quacunque vel constitutione. Hoc modo sumptum principium latiùs patet quàm *causa*, quæ semper influit, non tamen semper influit principium, vt constat in Aurorâ respectu diei, ac priuatione respectu eorum quæ in dies generantur. Ac proinde licèt omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa.

Principiū latiùs patet quā causa.

III. *Tertiò Principiū est primum in aliquâ serie.*

Tertiò sumitur nonnunquam principium vt idem sit quod primum in aliquâ serie, & ab alio originem in eodem genere non ducat, quod proinde duo inuoluit, positiuum alterum, alterum negatiuum: sic Adamus principium dicitur hominum. Et hoc sensu latiùs patet causa quàm principium, cùm causa hoc non exigat, vt constat. Re tamen verâ hæc principij acceptio non congruit omnibus principijs, ratio enim principij potiùs est esse prius, quàm primum: vnde Noë, Abraham & alij erant principia multorum hominum, & non fuerunt primi. Primum ergo idem sonat ac principium omnium, quod omni principio non competit.

Quid sit Primum.

IV. *Quod est primum in vno genere, potest habere princ. tum in alio.*

Notandum tamen, id quod est primum in vno genere, posse habere principium sui in alio: sic Adamus licèt hominum omnium principium fuerit, ac parens, principium tamen sui habuit Deum. Imò in eodem genere quod est aliquibus posterius, est prius alijs, seu illorum principium, vt constat in Abrahamo, Dauide, & alijs, qui licèt respectu multorum hominum fuerit principium, homines tamen alios habuerunt principium sui.

V. *S. Thomas inter diuinas personas ordinē originis concedat, prioritatem negat.*

Quòd diximus conceptum principij esse vt sit prius illo cuius est principium, in creatis est indubitatum, in Diuinis diffident Theologi, alij enim cum D. Thomâ nullam omnino admittunt in diuinis prioritatem, nec Patrem vllo modo esse priorem Filio asserunt, cùm simul naturâ sint & cognitione, vtpote correlatiua, licèt S. Thomas 1. par. q. 42. art. 3. corp. & q. 33. art. 1. ad 3. inter Diuinas Personas ordinem originis concedat, omnem ab iis prioritatem secludendam asserit. Alij verò & plures, aiunt non refugiendum inter Diuinas Personas prioritatem quandam concedere originis, cùm Pater verè producat Filium, Pater simul & Filius Spiritum sanctum, sed negandum tantùm asserunt prioritatem durationis & naturæ. At quæstio ferme est de nomine.

VI. *Principiū propriè est à quo aliquid per se, & Physicè oritur.*

Quartò strictissimè sumitur principium pro eo à quo aliquid per se & Physicè oritur, quo tamen sensu non semper recurrit cum causâ, Filius siquidem in Diuinis verè oritur à Patre, Pater tamen illius causa non est, cùm Filius in diuinis à Patre non dependeat, vt docent Theologi. Licèt etiam Pater sit *principium* Filij, Filius tamen nunquam vocatur *principiatum* à Patre, quia *principiatum* sonat idem ac factum, vel quod habet initium essendi, ac proinde correlatiuum principij dici non debet *principiatum*, sed procedens à principio, quamuis si per principiatum nihil intelligatur aliud quam id quod procedit à principio, seu quod habet principium, dici potest *principiatum* correlatiuum principij.

VII. *Principia intrinseca, & extrinseca.*

Principia alia intrinseca, vt materia & forma, & quæcunque intrinsecè vllo modo, seu per vnionem aliquam ad rei cuiuscunque constitutionem concurrunt: alia extrinseca, vt causa finalis & efficiens respectu suorum effectuum.

VIII. *Aristoteles diversis locis varie accipit principium.*

Iuxta has ergo varias principij acceptiones intelligi debent quædam loca Aristotelis conciliatu alioqui difficilia, quandoquidem enim, vt quinto de generat. Animalium c.7. de ratione principij esse ait, vt *ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsum aliud sit superior causa*, quod tamen causæ non competit, vt vidimus: vnde iuxta hoc dictum latius patet causa quàm principium. Hic tamen inter principia non erat *priuationem*, vnde etiam iuxta ipsum latius patere debet principium quàm causa 4. verò Metaph. c.2. ait, *ita inter se comparari principium & causam sicut ens & vnum*, quæ tamen conuerti inter se certum est. In primo ergo loco loquitur de primo principio in aliquo ordine, imò de primo principio in totâ latitudine entis, quod certum est nullum aliud principium sui habere posse, tunc enim primum non esset, causa autem hoc in suo conceptu non dicit, nisi capiatur pro primâ. Imò 12. Metaph. c.2. vocat etiam *priuationem* causam, vnde manifestè apparet latè aliquando Aristotelem accipere nomen *principij & causæ*. Quòd verò ait inter se comparari principium & causam, vt ens & vnum, non vult dicere conuerti sicut ens & vnum, sed probat ens & vnum identificari sicut identificantur principium & causa, non quidem vniuersim accepta, sed indefinitè: sin autem velit conuerti, intelligi debet de principiis intrinsecis.

IX. *Quo sensu Græci Patres nomen causæ vsurpent in Diuinis.*

Si quando verò (quod sæpe faciunt) Græci Patres nomen *causæ* vsurpent in Diuinis, & Patrem vocent causam Filij, interpretandi sunt de causâ latè sumptâ, vt monent Theologi omnes, dum de Processionibus Diuinis disputant In quo autem consistat ratio causæ strictè sumptæ, dicetur infra. Hæc pro præsenti instituto sufficiunt.

SECTIO II.

Expenditur Definitio Principiorum corporis naturalis ab Aristotele assignata.

I. *Explicatur Definitio Principiorum corporis naturalis.*

CORporis seu compositi naturalis Principia sic definit Aristoteles hîc cap. 5. text. 42 *Principia sunt, quæ neque ex se inuicem sunt, neque ex aliis, & ex ipsis omnia.* Hæc definitio, vt iacet, conuenit omni primo principio in suo ordine, vt constat, si enim sit primum non fit ex se, nec ex aliis, sed omnia, scilicet principiata (nam nullum est omnino principium, saltem intrinsecum, ex quo fiunt omnia) fiunt ex illo: vnde hoc modo latè sumpta competit Deo primo principio efficienti, licèt enim particula ex communiter denotet principia intrinseca, vel terminum à quo; nonnunquam tamen applicari etiam solet principio extrinseco efficienti, vel Physicè aliquo modo concurrenti, sic enim dicitur quis ex tali vel tali familiâ, talibus parentibus, & huiusmodi, item omnes homines sunt ex Adamo & Eua, nec tamen familia aut parentes sunt pars intrinsecè hominis constitutiua, sed causa solùm efficiens extrinseca. Præterea Ioan. 8. dicitur, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, Deus tamen respectu nullius est causa intrinseca. Filius item in Diuinis dicitur procedere ex Patre, Spiritus sanctus ex Patre & Filio. Licèt ergo communiter particula ex denotet causam intrinsecam, materiam scilicet & formam, vt homo constat ex animâ & corpore, vel quasi causam intrinsecam, seu materiam ex *qua*, vt domus ex ligno constat, cæmento, lateribus; causæ tamen efficienti, vel principio producenti non nunquam applicatur, vt vidimus.

Particula ex subinde denotat causam extrinsecam.

II. Variè itaque à variis explicatur & restringitur hæc definitio, vt solis competat *materiæ, formæ*, & *priuationi*, quæ sola hic definire intendisse Aristotelem (licèt P. Hurtado d. 1. Phys. s. 2. aliud censeat) inde videtur ostendi, quia definitio ab eo tradita competere nequit causis omnibus & principiis compositi naturalis, vt vult P. Hurt. causæ enim finali conuenire non potest, cùm particula ex illi omnino applicari nequeat, nec enim res sunt *ex*, sed *propter* finem. Deinde enumerans principia quorum definitionem tradiderat, ait tantùm esse tria, *materiam* scilicet, *formam*, & *priuationem*, Aristoteles autem optimus est sui interpres, sicque in fine capitis sexti sic habet, *vnum itaque elementum non esse, nec duobus aut tribus plura manifestum est*: sed, si inter elementa hæc, enumeretur efficiens, imò & finalis, vt vult P. Hurt. manifestum est plura esse duobus aut tribus Præterea asserit Aristoteles vniuersim principia esse contraria, quod tamen efficienti & finali omnino non competit, ergo definitionem hanc non statuit pro omnibus principiis & causis rei naturalis, sed pro *materia*, tantùm *formâ*, & *priuatione*.

Hanc definitionem Principij statuit Aristoteles pro solâ materiâ, formâ, & Priuatione.

III. *Ostenditur quomodo his solis tribus Principiis competat hæc Definitio.*

Vt ergo his tribus principiis tantùm competat definitio, notandum illam duas habere partes, primam negatiuam, secundam affirmatiuam. In primâ ergo parte vult non fieri principia ex se inuicem, vel ex aliis tanquam ex partibus essentialibus & intrinsecè constituentibus, quod etiam innuere videtur verbum *sunt*, licèt enim nonnunquam applicetur ad causam vel principium efficienter vel quasi efficienter concurrens, communiter tamen & maximè propriè, vt dixi, denotat constitutionem & partes intrinsecas, vt nauis est ex ligno, annulus ex auro, arbor ex radice, trunco, & ramis, corpus naturale ex materia & forma. Licèt ergo forma vniuersim fiat ex priuatione tanquam termino à quo, & forma materialis ex materia tanquam subiecto, nec materia tamen, nec priuatio sunt partes essentiales & intrinsecè constitutiuæ formæ.

IV. *Quomodo omnia sint ex materiâ, formâ, & Priuatione.*

In secunda verò parte vbi asserit Philosophus omnia esse ex ipsis, intelligi debet particula ex sub disiunctione, id est, tanquam ex partibus intrinsecè constituentibus, vel termino à quo: sic in primâ acceptione homo fit ex materiâ & animâ rationali, in secunda ex non igne fit ignis, ex non albo album, & similia. Quòd autem particula ex in diuersis definitionis partibus sumatur diuersimodè, nemini mirum videri debet, tum quia partes in se sunt valdè diuersæ, affirmatiua scilicet & negatiua, tum quia subiecta materia id requirit: tertiò quia latiùs patet secunda pars quàm prima, quæ proinde diuerso modo sumi debet: quartò denique quia, vt multi probabiliter asserunt, hæc definitio non est Physicè vna.

V. *Alia explicatio Definitionis Principiorum.*

Alio modo explicari hæc definitio posset, nempe, *vt non sint ex sese vel aliis* in eodem genere & sub eâdem ratione, sed omnia Physica cōposita sint ex ipsis tanquam ex partibus essentialibus, aut termino *à quo*. Vbi per secundam partem optimè excluditur causa, vel principium efficiens, & finis, quæ nec partes essentiales alicuius rei, nec terminus à quo esse possunt. In primâ verò definitionis parte saluatur quomodo principia ex se inuicem non fiant, quamuis forma ex materiâ fiat tanquam ex subiecto, & ex priuatione tanquam termino à quo forma enim non fit ex illis in eodem genere, aut tanquam ex formâ seu principio formali, vel in genere causæ formalis, vt est manifestum.

VI. *An, & quomodo Priuatio habeat terminum a quo.*

Dices primò: Priuatio habet terminum *à quo*, nam aër sicut ex tenebroso fit lucidus, ita & ex lucido fit tenebrosus, & Petrus ex vidente cæcus, ergo tenebræ lucem habent pro termino *à quo*, cæcitas visionem. In secundo modo explicandi definitionem principiorum difficiliùs soluitur hæc difficultas, cùm Priuatio, quæ est principium tanquam terminus *à quo*, videatur hic habere principium sui in eodem genere

nere seu terminum *à quo*. Dici tamen posset Priuationem habere quidem terminum à quo, sed in longè diuerso ordine, nam forma habet terminum *à quo* priuatiuum, priuatio positiuum, qui suot diuersi ordines terminorum. At in nostro modò explicandi definitionem, responsio facilis est & expedita, non enim negamus posse principia habere terminum *à quo*, sed dicimus non habere ea terminum *à quo* vt partem sui intrinsecè constitutiuam: lux verò non constituit intrinsecè tenebras, vt pars illarum, nec vibo cæcitatem, cùm simul stare non possint.

VII. *Materia & forma materialis habet partes essentiales, non integrales.* Dices secundò; materia & forma materialis habent partes materiales & formales ex quibus constant, ergo principia sunt ex seipsis, & constant partibus, materialibus illa, hæc formalibus. Confirmatur, constant ex genere & differentiâ, ergo ex partibus. Ad argumentum, distinguo antecedens, habent partes entitatiuas seu integrales, concedo antecedens; essentiales, nego: partes autem integrales non sunt propriè principia, sed partes principij, quippe quæ ad vnum integrum principium constituendum concurrunt, nec obstant simplicitati principiorum, quæ cum sint principia corporis substantialis, seu constantis ex materiâ & formâ, in eâ tantùm ratione esse debent simplicia, id est, vt materia non constet ex aliis materiis, nec forma ex aliis formis substantialibus, sic enim prima in suo genere non essent. In hoc autem differt pars integralis ab essentiali, quòd hac ablatâ, vel deuitâ, auferatur compositum, ablatâ enim aut deunitâ vel materia vel formâ, animâ scilicet in homine, illico destruitur homo, ablatâ autem parte integrali, non destruitur conceptus essentialis hominis, sed manet homo quoad id quod dicit essentialiter, licet non integer, sed mancus & mutilus, Quod idem est de aliis compositis naturalibus. Ablatâ ergo parte integrali, manet essentia in ratione essentiæ, licèt non in ratione integritatis, seu essentia integraliter completæ, licèt maneat completa essentialiter.

Differentia inter partē integralē, & essentialem.

VIII. *Partes Physica cōstant ex Metaphysicis.* Ad confirmationem dico, sermonem hic esse de principiis tantùm Physicis, non Metaphysicis, nec enim illorum simplicitati obstat compositio Metaphysica seu per intellectum, hæc enim nec Angeli simplicitati repugnat, nec impedit quò minùs sint prima, seu principia in suo genere, & Physicè. In hoc verò etiam differunt principia Physica & Metaphysica, vt in Logica notaui dum de *ente*, quod hæc ita sint principia, vt in alia similia nonnunquam resolui possint, animal enim suum habet genus & differentiam, & sic de aliis ascendendo vsque ad ens; Physica verò principia in alia similia resolui vlterius non possunt, materiæ enim non datur materia, nec formæ forma, licèt & materia & forma principia habere possint Metaphysica, genus scilicet & differentiam: sicut etiā partes Metaphysicæ includunt partes Physicas, animal enim non à materia sumitur abstrahitur, sed à forma, vt in Logica ostendi.

In quo differāt Principia Physica & Metaphysica.

SECTIO III.

Quot sint Principia rerum naturalium.

I. *Res naturalis in fieri, & in facto esse.* NOtandum primò, dupliciter sumi posse res naturales, *in fieri*, & *in facto esse*. Sermonem ergo instituere de rebus naturalibus in fieri, est penè perinde ac loqui de earum generatione seu productione; de iisdem verò loqui *in facto esse*, idem est ac de iis iam in suo esse constitutis disserere, & extra causas existentibus.

II. *Generatio tripliciter vt generatio, vt conuersio, & mutatio.* Notandum secundò, generationem accipi tripliciter, vel vt *generatio* est, vel vt *conuersio*, vel tandem vt *mutatio*. Procedit ergo difficultas præcipuè de Priuatione, nam de materiâ & formâ nulla videtur controuersia, cùm enim generatio substantialis (de quâ solâ est in præsenti sermo) in quocunque sensu sumatur, siue vt *mutatio*, siue vt *conuersio*, semper sit *generatio*, duo necessariò requirit, terminum substantialem, & subiectum, è cuius potentiâ terminus ille educatur, nam *generatio est eductio alicuius ex alio*, ac proinde *vt actio*, requirit terminum, vt *talis actio*, subiectum. In hoc quippe differt generatio à creatione, quòd creatio licet terminum requirat necessariò, non tamen requirit subiectum, vt constat in creatione Angeli, qui nec est, nec esse potest in subiecto. Cùm ergo receptum apud omnes sit, tria esse Principia generationis, *materiam* scilicet, *formam*, & *priuationem*, peculiariter hic ostendendum quomodo sit vel non sit *Priuatio* principium generationis & rei naturalis.

III. *De conceptu generationis, vt mutatio est, sunt materia, formā, & Priuatio.* Prima conclusio: De conceptu generationis vt *mutatio* est, sunt hæc tria principia, *materia, forma, & Priuatio*. De materiâ & formâ proximè ostensum est. quoad illas enim eadem est ratio generationis, quocunque sensu sumatur: De *priuatione* ergo probatur à priori; mutatio quâ mutatio perit tem quæ mutatur, aliter se habere quàm antea, ergo petit illam habere aliquid quod antea non habebat, ergo habebat illius priuationem; nam non habere formam quam apta est habere, & habere illius priuationem, idem sunt, ergo mutatio in quantum mutatio petit tanquam terminum *à quo* priuationem formæ, quam inducit.

IV. *Ex definitionibus mutationis ostenditur Priuationē esse de illius conceptu.* Confirmatur primò, definiri solet mutatio quòd sit *transitus alicuius subiecti de tali vel tali non esse ad tale esse*; sed in hac definitione includitur *Priuatio*, vt constat, ergo de conceptu mutationis quà talis, est *Priuatio*. Confirmatur secundò, ex mutationibus accidentalibus, vt cùm aër de tenebroso fit lucidus, Petrus de non vidente videns, necessariò in aëre præcedit priuatio lucis, in Petro visionis, aliequi minimè transiretur de non lucido aut non vidente ad lucidum & videntem: eodem ergo modo philosophandum est de mutatione substantiali, in quâ æquè requiritur priuatio termini substantialis, atque in priori termini accidentalis, cum hoc solùm intersit inter mutationem accidentalem, quæ alteratio dicitur, & substantialem, quòd hæc terminum *ad quem*, seu quem producit, substantialem habeat, illa accidentalem.

V. *Declaratur singillatim quomodo materia, forma, & Priuatio sint de conceptu mutationis substantialis.* De conceptu ergo intrinseco substantialis generationis vt mutatio est, in obliquo sunt hæc tria, primò, *materia*, cùm enim in mutatione esse debeat aliquid, quod aliter se habeat per rem aliquam in se de nouo receptam, manere commune aliquod subiectum debet quod transeat de non esse tali ad esse tale, alioqui non posset dici mutari, cùm nihil maneat quod mutetur, secundò, *forma substantialis*, per quam scilicet materia aliter se habeat substantialiter quàm antea, tertiò *priuatio*, de qua iam satis est dictum. Quòd autem in omni mutatione naturali quam vidimus, recedatur etiam à formâ positiuâ (nam *generatio vnius est corruptio alterius*, vt generationis ignis corruptio ligni) id ad rationem mutationis planè se habet per accidens, nam si materia sine omni formâ existeret, æquè esset mutatio, si ignis in eâ produceret formam ignis (quo tamen casu non recederetur à formâ positiuâ) atque modo cum corrumpitur forma ligni, nam aliter se haberet subiectum quàm prius.

VI. Dices; materia tunc non mutaret, seu acquireret nouam formam, priore amissâ, ergo non esset in eâ mutatio. Nego consequentiam, ad hoc enim vt mutati

S 3

Vt subiectum mutetur sufficit quod habeat formam, quam antea non habebat.

tari dicatur intrinsecè subiectum, sufficit quod aliter se habeat intrinsecè quàm antea, quod modò contingit, cùm habeat in se intrinsecè formam quam antea non habebat: sicut nullus negat mutari aërem cùm de tenebroso fit lucidus, nec Petrum cùm de non intelligente aut volente intelligens fit aut volens, isto nullam formam mutaret nec cessaret ab vllo alio actu dum actum intellectûs, amoris, vel odij elicit: sicut etiam licèt Angelus non diceretur mutare locum si retento priori loco acquireret nouum, mutaretur tamen vel intrinsecè per extrinsecam correspondentiam ad nouum locum, vel intrinsecè per nouæ vbicationis susceptionem quam antea non habebat. Vnde vlterius dico, si, dum ignis producit in materiâ ligni formam ignis, Deus conseruaret adhuc in eâdem materiâ formam ligni, tam esset mutata illa materia, & actio illa tam foret mutatio, atque modò, aliter enim se haberet subiectum quàm antea. Ad mutationem namque non requiritur terminus *à quo positiuus*, sed solùm ad motum propriè dictum, qui duplicem includit mutationem, positiuam ac priuatiuam, & bifariam mutatur subiectum, vt cùm aqua ex calidâ fit frigida, mutatur enim positiuè per nouam frigiditatem in eâ productam, & priuatiuè per nouam carentiam caloris, quam antea carentiam non habebat.

Si, inducta formâ ignis, Deus conseruaret formâ ligni, materia substantialiter mutaretur.

VII.
Generatio sub conceptu conuersionis requirit terminum à quo positiuum.

Secunda conclusio: generatio sub conceptu *conuersionis* requirit terminum *à quo* positiuum. Patet, nam *conuersio est transitus seu mutatio vnius rei in aliam*, vt ligni in ignem, aquæ in vinum, & similia. Vnde ad generationem vt *conuersio* est, non minùs requiritur terminus *à quo* positiuus, seu forma destructa, quàm ad eam sub conceptu *mutationis* priuatio formæ inducendæ. Hic tamen non est sermo de principiis generationis vt *conuersio* est, sed solùm vt *mutatio*. Solùm aduerto, totum subinde verti in aliud, panem scilicet in corpus Christi, vbi non forma solùm panis, sed & materia per transubstantiationem conuertitur, & vocatur *conuersio totalis*. Aliquando sola forma transit in aliud, vt in conuersionibus quotidianis dum ex ligno fit ignis: quæ conuersiones tantum sunt partiales, cùm materia maneat vt commune subiectum. Qua de re in libris de generatione.

VIII.
Priuatio non est de conceptu generationis, vt generatio est.

Tertia conclusio: de conceptu generationis præcisè vt *generatio* est, non est vlla priuatio, est contra Conimbricenses hîc, & P. Suar. d. 15. Met. s. 3. nu. 4. & multos ex recentioribus. Probatur primò à priori: conceptus generationis vt generatio est præcisè, non est aliud quàm *eductio formæ è potentiâ materiæ*, sed hoc fieri potest licèt eodem instante reali simul forma producatur cum materiâ ergo. Confirmatur iuxta probabilem sententiam, & ab his auctoribus admissam, potuit ignis produci ab æterno: in quo casu æquè verè fuisset generata forma ignis, seu educta è potentiâ materiæ, ac modò, sed tunc priuationem non habuisset pro principio, ergo. Probo minorem, quod omnino non fuit, à fortiori non fuit in materiâ, sed priuatio formæ tunc omnino nunquam fuisset, cùm semper fuisset forma, ergo à fortiori non fuisset priuatio formæ in materia: sicut valet, Antichristus omnino non fuit, ergo à fortiori nunquam fuit in hac regione, insulâ, vel ciuitate. Confirmatur secundò, materia in eo casu nunquam non habuisset illam formam, ergo nunquam fuisset in materia illius priuatio. Sicut si Deus ab æterno creasset Solem, & in eo Angelum, nunquam fuisset negatio Angeli in sole, quia semper fuisset in eo Angelus. Confirmatur tertiò, Deus intuens materiam illam nunquam non vidisset in eâ formam ignis, ergo nunquam in eâ non fuisset forma illa, ergo nunquam fuisset in eâ priuatio illius formæ, nec vnquam potuit Deus dicere, iam materia non habet hanc formam, seu habet priuationem huius formæ, ergo in illâ materiâ nunquam fuisset formæ illius priuatio.

IX.
Ostenditur recte non esse Primam priuationem esse de conceptu generationis.

Secundò probatur in omni sententia: ponamus (quod verè contigit in primâ rerum conditione) tunc in instante A produci materiam informatam formâ aquæ, nunquam extitit illa materia sine formâ illâ aquæ, ergo nunquam erat priuatio illius formæ in hac materiâ: nam implicat esse simul in eodem subiecto, saltem eodem loco, formam & priuationem formæ, sic enim contra lumen naturæ idem esset simul & non esset: si enim forma esset in materia simul cum priuatione sui, esset simul in eâdem cum non esse sui, ergo in eodem instante reali esset simul, & non esset in eâdem materiâ. Confirmatur, si Deus in eodem instante reali quo crearet hoc gymnasium v. g. produceret in eo Petrum, nunquam quando est gymnasium, videret Angelus Petrum non esse in hoc gymnasio, ergo nunquam videret in eo negationem Petri, ergo nunquam in illo fuit hæc negatio. Idem planè est in nostro casu.

X.
A signis, seu instantibus rationis non recte argumentur ad instantia realia mutationum.

Dices (& est fundamentum contrariæ sententiæ) in eodem instante reali varia distingui posse instantia rationis, & prioritatem ac posterioritatem naturæ: cùm ergo sol sit prior naturâ luce, vtpote causa illius, & materia similiter sit prior naturâ formâ, pro illo priori nec materia habet formam, nec sol lucem, ergo in illo priore est in materia priuatio formæ, in sole lucis. Sed vitiosus est hic argumentandi modus, nec enim sequitur, materia est prior naturâ formâ, ergo est cum priuatione formæ, sic enim toto illo instante formam habere non posset, alioquin in eodem instante reali esset simul forma in materia, & non esset. Non ergo à prioritate naturæ aut rationis deduci argumentum potest ad instans reale.

XI.
Sol, pro priori naturæ, quo lucē produxit, habuit p præcisiuè.

Resp. ergo distinguendo antecedens pro illo priori nec materia habet formam, nec sol lucem *præcisiuè*, id est, concipi possunt non conceptâ vel luce vel forma, concedo consequentiam; *negatiuè*, id est, concipi possunt cum negatione lucis vel formæ, nego. Cùm enim semper dum fuit sol, habuerit lucem, & materia formam, nunquam potuerunt verè concipi *negatiuè* sine luce vel forma, id est, cum earum negationibus, sed solùm præcisiuè, id est, concipi potest sol vel materia, non concepta luce vel forma. Vnde similiter est consequentia neganda, ad hoc enim vt materia habeat priuationem formæ, non sufficit vt sic quomodocunque prior, prioritate scilicet rationis aut naturæ formâ, seu quod concipi possit *præcisiuè* sine ea, sed debet esse prior *negatiuè*, seu quòd in aliquo instante reali non habeat formâ. Non ergo valet, pro illo priori non habet formam, ergo pro illo priori habet priuationem formæ, quia pro illo priori solùm non habet formam *præcisiuè*, non *negatiuè*, id est, & à forma præscindit, & priuatione formæ.

XII.
Quomodo in primâ rerum generatione forma processit de nō esse in materiâ ad esse in materiâ.

Instabis, quando in eodem instante reali producitur materia & forma eam informans, procedit forma de non esse in materiâ, nam verè ante productionem non erat in materia, seu subiecto, ergo antea erat illius priuatio, nam priuatio est *carentia formæ in subiecto apto*, sed antea forma non erat in subiecto apto, ergo antea erat eius priuatio. Si hoc modo defenderetur hæc sententia, solueretur vtcunque argumentum, præsertim si quis dicat, priuationem non requirere actualem existentiam subiecti, sed adæquatè consistere in negatione talis formæ & vnionis, quam sententiam probaui d. 18. Log. s. 8. & 10. nu. 3. sed vrgentur adhuc, quando ignis seu materia simul cum forma producitur ab æterno. Resp. tamen secundò, distinguendo primum antecedens, procedit forma de non esse in materia, id est, de non esse quod aliquando vel pro vllo instanti fuit in materia, nego antecedens; de non esse in materia lato

quodam

quodam modo sumpto, concedo: vt autem strictè dicatur forma procedere à priuatione, intelligi debet procedere de non esse, seu negatione quæ fuit aliquando in materia vel subiecto.

XIII. *Prioritas naturæ non sufficit vt materia dicatur habere priuationem formæ.*

Tertiò probatur conclusio, si enim prioritas naturæ sufficit vt materia dicatur habere priuationem formæ, sequeretur singulis instantibus quibus forma est in illâ materiâ, esse priuationem formæ in eadem. Probatur, si in primo instante sit in materiâ priuatio formæ ob prioritatem naturæ, ergo & in secundo, cùm eadem tunc sit naturæ prioritas, nam priùs est materia apta in secundo instante ad habendam formam quàm eam habeat, ergo concipi potest præcissiuè etiam in illo instante sine formâ, & sic de singulis instantibus, cùm in iis omnibus priùs sit materia apta ad habendum formam, quàm eam actu habeat, & sol ad producendam vel conseruandam lucem, quàm eam vel producat actu vel conseruet: sed in primo instante est in materiâ priuatio formæ ob hanc prioritatem naturæ, ergo & erit eadem priuatio in secundo, cùm sit eadem etiam in eo naturæ prioritas, & sic de omnibus aliis instantibus.

XIV. *Sol nunquam habuit priuationem lucis*

Dices; si sol producat in se lucem, & materia formam ergo supponi videtur non eas habere, non enim eas in se producerent, si priùs haberent. Resp. non habere eas priùs quàm illas in se producant, sed eodem instante, quod cùm sit primum instans quo sol & materia sunt, vt supponimus, nunquam, seu nullo instante fuerunt sine illis, quia nullo instante reali erat verum dicere, *est in materia*, in quo non erat similiter verum dicere, *est in eâ forma*.

XV. *Toto illo instante materia habuit formam, ergo tunc non habuit illius carentiam*

Quartò probatur conclusio à priori, & quæro num illi priori naturæ correspondeat instans aliquod reale temporis, vel non? si non, ergo nullo instante reali fuit materia sine forma, vel cum eius priuatione, sed in aliquo instante reali materia verè fuit causa formæ, & prior natura quàm illa, ergo non est idem materiam esse causam formæ, seu priorem naturâ quàm sit forma, & habere illius priuationem. Confirmatur, toto illo instante materia habet formam, & sol lucem, ergo neutrum tunc habet illius priuationem, cùm instans illud sit indiuisibile. Conf. secundò, hinc sequeretur Angelos & primos parentes fuisse creatos in purâ naturâ, nam in aliquo priori naturæ apti erant ad recipiendam gratiam, antè quàm eam receperunt, ergo in illo priori, secundùm hunc Philosophandi modum, habebant gratiæ negationem, & nec habebant gratiam nec peccatum, ergo erant in purâ naturâ.

XVI. *Rei naturalis in facto esse duo tantum sunt Principia.*

Quinta conclusio: Rei naturalis *in facto esse* duo sunt tantum principia, nempe materia & forma. Ita Philosophi communiter, & habetur ex Aristotele hîc c. 7. text. 65. Ratio est, quia per hæc duo principia absque vllo alio intelligitur constitutum corpus seu compositum naturale permanenter, ad compositum enim, per se loquendo, non nisi duæ requiruntur partes, & saltem duæ sunt necessariæ, compositio siquidem est aliquorum simul positio, si autem aliqua esse debeant, pauciora certè esse quàm duo nequeunt. Conf. eo ipso quòd intelligatur subiectum substantiale completum per formam substantialem, intelligitur compositum substantiale constitutum, nec quidquam aliud ad illius conceptum requiritur: licèt enim priuatio ad illud in fieri sit necessaria, seu in transmutari, vt scilicet subiectum aliter se habeat quàm antea, de conceptu tamen compositi iam constituti & permanentis non est priuatio, de illius enim conceptu nihil est præter partes actu constituentes seu vnitas.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contra numerum Principiorum.

Subsistentia non est de constitutione essentiali corporis naturalis. I.

Obiicies primò contra vltimam conclusionem; subsistentiam spectare ad constitutionem corporis seu compositi naturalis, ergo sunt tria eius principia *in facto esse*. Resp. negando Antecedens, nam tota essentia corporis naturalis in ratione essentiæ seu naturæ intelligitur non intellectâ subsistentiâ, eo enim ipso quòd intelligatur anima rationalis v.g. vnita materiæ, intelligitur totus conceptus essentialis naturæ humanæ; vnde vocatur subsistentia vltimus terminus & complementum naturæ, & quid extra illius conceptum, quod inde constat, Christus enim totam habet naturam & essentiam humanam, licèt subsistentiam humanam non habeat. Dici tamen posset subsistentia principium suppositi, sicut materia & forma compositi.

Vnio in constitutione corporis naturalis integrat vnum principium cum Materiâ & Formâ. II.

Obiicies secundò; vnio essentialiter requiritur ad constitutionem corporis naturalis, idque permanenter, ergo erit illius principium, ergo sunt tria principia compositi naturalis *in facto esse*. Resp. distinguendo antecedens, vnio essentialiter requiritur ad constitutionem compositi naturalis vt causalitas seu exercitium materiæ & formæ, concedo antecedens; vt principium ab iis distinctum, nego: causalitas enim nunquam constituit diuersum principium à causâ, vt in causâ efficiente constat, vbi actio combustiua non constituit diuersum principium ab igne. Materia ergo vnita, & forma vnita sunt principia compositi naturalis in actu secundo, sicque vnio est principium *vt quo*, & exercitium principiorum, non principium.

Forma positiua præexistens habet se per accidens ad mutationem. III.

Obiicies tertiò contra primam conclusionem; cùm ex ligno fit ignis, receditur à formâ ligni, ergo sunt duo termini *à quo*, & consequenter quatuor principia. Hoc argumentum solutum est sec. præcedente ante secundam conclusionem. Dico ergo, per accidens se habere formam illam positiuam ad rationem mutationis, vtpote de cuius conceptu non est, vt ibi latiùs. Concomitanter ergo se habet expulsio illius formæ, non tamen ad mutationem vt mutatio est, sed solùm ad conuersionem est necessaria.

Explicatur Aristo. circa Priuationem. IV.

Obiicies quartò, Aristotelem hic cap. 6. dicentem; priuationem esse principium ex accidente. Resp. solùm velle Aristotelem priuationem esse extra essentialem conceptum rei *in facto esse*, res quippe eadem esset siue processisset à priuatione, siue non, sicut iam manet totus conceptus essentialis & intrinsecus hominis vel ignis sine priuatione. Rei ergo in se accidentalis est priuatio, non autem illi vt *in fieri*, & rebus se habentibus vt iam se habent, seu *in mutari*.

Obiì. Priuatio nō est quid reale, ergo nequit esse principium. V.

Obiicies quintò; Priuatio non est quid reale, ergo non potest esse principium. Conf. primò, quod est principium, esse debet quando principiat, sed priuatio nec est, nec esse potest quando compositum producitur, nam tunc esset simul cum formâ quà priuat, ergo Priuatio omnino non est principium Conf. secundò, principium & principiatum sunt correlatiua, ergo principium tunc esse debet quando est principiatum, sed priuatio nunquam est quando est corpus naturale, ergo Priuatio non potest esse principium.

Resp. posse esse terminū à quo. VI.

Ad argumentum, omisso antecedente, distinguo consequens, non potest esse principium vt ens reale, vel vt pars constituens compositum, transeat consequentia; vt terminus *à quo*, seu priuatiuus, & qui cessat aduenïente formâ, nego.

VII. *Id quod principiat per modum termini à quo non necessario est, quando principiat.*

Ad primam confirmationem, Resp. primò distinguendo antecedens, id quod principiat per modum partis permanentis, & Physicè ac realiter constituentis compositum, debet esse quando principiat, concedo antecedens; id quod principiat per modum termini *à quo* receditur, dum producitur compositum, nego: tunc enim non principiaret per modum termini *à quo*, conceptus enim principij per modum termini *à quo*, seu à quo receditur, non est vt sit quando est principiatum, sed potiùs vt non sit, sed fuerit. Dictum ergo illud, *Principium esse debet quando principiat*, verum tantùm est de iis principiis quæ principiant aliquid efficiendo vel constituendo, hæc enim principiant essendo, vt constat, cùm nec efficere nec constituere quidquam possint quod non est: at verò terminus *à quo* principiat non essendo, sed desinendo, ita tamen tunc non est, vt necessariò debeat immediatè antea fuisse. Et hoc innuere videtur ipsa notio termini *à quo*, idem enim sonat atque à quo receditur. Sicut ergo in motu locali ille est terminus à quo receditur, qui relinquitur cùm primò inchoatur motus vel mutatio localis, ita terminus *à quo* in existentiâ seu productione, esse debet illud quod relinquitur, seu à quo receditur in ratione existendi, seu quod desinit esse, ac proinde non debet esse quando principiat, sed principiare ipsius est *fuisse immediatè antea* & tunc non esse.

VIII. *Mutatio, quà talis, est successiua.*

Secundò dici posset mutationem quà talem, esse successiuam, & includere duo instantia, dicit enim subiectum aliter se habere quàm antea, ac proinde significare videtur subiectum sub vtroque termino, sub quibus cùm simul esse non possit, debet esse successiuè, & sic mutari erit esse vno instante sub priuatione formæ, & sequente sub formâ, sicque essentialiter includit duo instantia, & est quid successiuum.

IX. Eodem modo resp. ad secundam confirmationem, nempe hoc esse peculiare in termino *à quo* tam positiuo quàm priuatiuo vt non sit quando est principiatum, quia principiatum fit recedendo ab illo in existentiâ. Vnde dictum illud, *correlatiua debere esse simul*, intelligi debet de correlatiuis propriis & positiuis, non de quibuscunque, vt constat in correlatione expellentis & expulsi. Imò nec verum habet in omnibus positiuis, nam prius & posterius sunt aliquo modo correlatiua, & tamen esse simul quà talia, non possunt.

Correlatiua esse debent simul, quo modo intelligendũ.

X. *Dispositiones integrãt quasi vnũ principium cum materiâ.*

Obiicies sextò; dispositiones præparant & disponunt materiam ad recipiendam formam, ergo sunt priores formâ, & illius generatione, ergo principia generationis & formæ, & consequenter corporis naturalis. Resp. primò, dispositiones reduci ad genus causæ materialis, quia vnum quasi integrum principium constituunt cum materia, vtpote quæ sine illis non est proximè ad formam recipiendam apta. Secundò dico, dispositiones non esse de conceptu essentiali mutationis substantialis vt mutatio est, sed illius essentia saluari sine iis potest: at tria hæc principia, *materia* scilicet *forma*, & *priuatio* ita sunt ad intrinsecum illius conceptum necessaria, vt illorum quouis sublata tollatur conceptus mutationis.

XI. *Mutatio est duplex, causalis, & formalis.*

Obiicies septimò; in omni mutatione substantiali etiam requiritur efficiens, ergo sunt quatuor principia. Ad solutionem notandum, mutationem duplicem esse, *causalem* seu effectiuam, & *formalem*: causalis est ipsa actio, quæ in tantum dicitur mutatio, in quantum subiectum mutatur per terminum quem actio producit. *Formalis* mutatio est illa quæ fit per formam seu terminum productum, & in vtraque soluenda est obiectio. Quoad mutationem ergo formalem, seu per formam (de qua præcipuè loqui videtur Aristoteles, dum principia rerum naturalium enumerat) licèt hæc fieri quidem non possit sine actione vel immutatione causali, cùm sine eâ forma produci non possit, actio tamen rationem formalem huius mutationis non ingreditur, sed in hoc præcisè consistit, quòd forma informando materiam reddat eam aliter se habentem quàm antea, in quo conceptu formaliter non includitur actio, sed solùm præsuppositiuè, quia scilicet sine ea existente, forma vel terminus existere non possunt. Quo etiam modo requiritur vt forma informet, cùm nec forma, nec vnio esse sine actione possit: actio tamen rationem formalem informationis, vel vnionis non ingreditur. Sicut ergo ratio formalis informationis præcisè non includit actionem, esto illam necessariò præsupponat, ita ratio & conceptus mutationis formalis, quæ nihil aliud est quàm talis informatio, nempe connotans essentialiter subiectum extitisse immediatè ante sine tali formâ, non includet actionem. Siue ergo producatur forma per generationem siue per creationem, eodem semper modo fit mutatio formalis si eadem forma eandem informet materiam, & à suâ priuatione recedat. Imò vlteriùs addo, si forma illa esset à se, & sine actione vllâ productiuâ, si tamen informaret materiam & expelleret priuationem sui, esset tam mutatio formalis quàm modo est, ibi siquidem haberetur totus conceptus formalis mutationis, quæ esse dicitur, *quâ subiectum se habet aliter quàm antea*, vel vt alia fert definitio, *quâ subiectum transit de non esse tali ad esse tale*: licèt autem forma esset à se, si tamen verè inesset & informaret subiectum, verè subiectum transiret de non esse tali ad esse tale: nec minùs paries redderetur de non albo albus & mutaretur, si albedo adueniret ipsi à se, & illum informaret, quàm modò cùm per actionem producitur.

Actio est de conceptu mutationis causalis, nõ formalis.

Si forma esset à se, id mutaret subiectum, ac quando producitur.

XII. *Transitus causalis includit actionẽ, non transitus formalis.*

Dices, transitus seu transitio includit essentialiter actionem, ergo. Distinguo antecedens, transitus vel transitio causalis, seu effectiua, concedo antecedens; formalis, nego: res enim formaliter transit de non esse ad esse per suam existentiam, quæ non est actio, sed ipsa entitas rei, sicut & res esse dicitur extra causas *causaliter* per actionem, *formaliter* per suam entitatem & existentiam. Vnde in illâ aliâ definitione mutationis, vt vidimus, non ponitur transitus, sed solùm dicitur, *mutatio est quâ subiectum se habet aliter quàm antea*. At verò de conceptu mutationis ita sunt hæc tria, *materia*, *forma*, & *priuatio*, vt omnino nec esse sine illis mutatio, nec concipi possit, vt supra ostensum est.

XIII. *Res in fieri dupliciter sumuntur, reduplicatiuè, vel specificatiuè.*

Dices; assignat Aristoteles principia rerum *in fieri*, ergo includit actionem. Resp. res *in fieri* dupliciter sumi posse, vel reduplicatiuè & complexè, vt scilicet includant ipsum fieri, seu actionem, vel specificatiuè & incomplexè, pro primo scilicet instanti quo sunt & mutant, vel mutantur: primo ergo instante quo compositum est, dicitur esse *in fieri*, quia tum primò existit. Si ergo hoc modo sumantur res naturales, seu corpora naturalia *in fieri*, non potest esse de eorum conceptu essentiali vlla actio, & tamen intelligitur subiectum mutari per formam, ergo de conceptu essentiali mutationis formalis non est actio formaliter, sed solùm præsuppositiuè.

XIV. *Mutatio etiam causalis, seu actio, dupliciter sumitur.*

Si autem sermo sit de mutatione causali & efficiente, seu de actione, hæc dupliciter considerari potest, vel prout procedit ab agente, & sub hac ratione essentialiter requirit principium sui causam efficientem, sed non est hîc de ea sermo sub hac consideratione, cùm sub hac ratione non sit mutatio, sed prout tenet se ex parte materiæ & termini, sub hoc autem conceptu necessariò requirit illa tria principia, *materiam*, *formam*, & *priuationem*. Vnde nec actionis, vt mutatio est formaliter, sunt plura principia quàm

hæc

hæc tria, vt enim est ab agente formaliter, non est mutatio intrinseca, vt sic enim formaliter nihil mutat, sed vt recipitur in subiecto, & illud vel per se vel terminum à se prædictum immutat.

XV. Obiicies octauò; ad productionem nouæ formæ, ignis v. g. in materiâ ligni, requiri priuationem formæ ligni, cùm enim materia non sit capax duarum simul formarum, noua induci forma nequit, nisi expulsâ vetere, ergo necessariò requiritur illius priuatio, ergo priuatio illa erit principium actionis inducentis nouam formam, sicque erunt quatuor principia. Resp. quidquid sit, verùm priuatio formæ præcedentis sit dispositio necne ad formam sequentem introducendam, de quo alibi, Resp. inquam, priuationem hanc ad conceptum essentialem mutationis non requiri, cùm, licèt Deus conseruaret formam priorem in materiâ, adhuc esset mutatio, cùm subiectum aliter se haberet quàm antea. Vnde principia essentialia mutationis, quà mutatio est, non sunt nisi tria hæc, *materia forma, & priuatio* formæ inducendæ, vtpote quæ sola, & semper ad conceptum mutationis per se requiruntur. Priuatio autem formæ præexistentis est potiùs de conceptu conuersionis, quàm mutationis.

Priuatio formæ præcedentis nō est de conceptu essentiali mutationis.

XVI. Obiicies nonò; Priuatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo nunquam datur priuatio, cùm enim subiectum semper habeat aliquam formam, & dum illam habet, non possit suscipere aliam, nunquam est subiectum aptum. Distinguo hoc vltimum, non est subiectum aptum in sensu composito, quòd habeat aliam formam, concedo; in sensu diuiso, seu secundùm se, nego. Quod de calore, & frigore in gradibus intensis, & sexcentis huiusmodi dici ab omnibus debet.

Subiectum est aptum ad nouam formam in sensu diuiso, non in composito præcedētis.

SECTIO V.

Reliqua circa Principia corporis naturalis.

I. PRimum est, Principia esse contraria, seu sibi opposita: quod de formâ & priuatione est clarum, cùm opponantur contradictoriè, Materia & forma in rigore contraria esse non possunt, *contraria enim sunt quæ maximè distant, & ab eodem se subiecto expellunt;* materia autem subiectum habere non potest. Deinde est subiectum formæ, & cum eâ ad constitutionem corporis naturalis coniungitur, ergo non repugnat esse cum formâ. Tandem iuxta Aristotelem c. de substantia, *Substantiæ nihil est propriè contrarium.* Solùm ergo dici possunt materia & forma contrariæ, vel quia opponuntur relatiuè, cùm mutuâ relatione transcendentali se inuicem respiciant, vel quia valde diuersum, & quasi contrarium habent modum principiandi, & constituendi corpus seu compositum naturale, materia sustentando, forma informando.

Quomodo Principia sint contraria.

II. Secundum est, verùm materia, forma & priuatio vniuoca sint an analoga? Dico, ad minimum esse analoga, non in ratione entis tantùm, sed etiam in ratione Principij, cùm Priuatio in ratione principij modum essentialiter diuersum habeat à materiâ & formâ. Existimo tamen probabile priuationem conuenire vniuocè in ratione Principij cum termino à quo positiuo, cum formâ ligni ex. g. dum inducitur forma ignis, & cum frigore, dum inducitur calor, quia scilicet in ratione & modo principiandi conueniunt, nempe desinendo, & tanquam id à quo in mutatione & conuersione receditur.

Materia, Forma, & Priuatio sunt analoga, non solum in ratione Entis, sed Principij.

Tertium est, quæ de generatione substantiali dicta sunt omnia ferè conuenire etiam accidentali, cùm in hoc fermè solùm differant, quòd illa terminum habeat substantialem, hæc accidentalem. Notandum tamen, non omnem generationem, accidentalem esse mutationem, nec formam accidentalem procedere semper à priuatione sui: si enim potentiæ animæ, intellectus & voluntas distinguantur realiter ab animâ, & in ipsâ subiectentur, dimanentque ab eâ tanquam passiones eius & proprietates primo instante quo creatur, nunquam propriè fuerunt in animâ illarum priuationes. Idem est de aliis proprietatibus & passionibus, si quæ sint quæ dimanent & subiectentur in formis, vt de vbicatione, duratione, & aliis modis, vel etiam in rebus simplicibus, vt sunt species Angelicæ. Cùm autem materia à primâ rerum creatione semper eadem permanserit, omnis generatio substantialis est mutatio, & fit ex priuatione formæ inductæ, exceptâ omnium primâ, quam nec cognouit, nec de eâ locutus est Aristoteles, qui cælos & prima corpora posuit æterna. Eæ etiam generationes & productiones formarum excipi debent quæ miraculosè fiunt corruptis speciebus Sacramentalibus, vbi simul cum materiâ comproducitur etiam forma substantialis.

Quæ de generatione substantiali dicta sunt conueniunt etiā accidentali.

Omnis Generatio substantialis non est mutatio, non omnis accidentalis.

DISPVTATIO III.

De primo Principio, nempe Materiâ primâ secundùm se.

DE tribus corporis naturalis Principiis generatim diximus; nunc vniuscuiusque sigillatim naturam disquiremus. Primò itaque agemus de materiâ, quæ sicut generationis & mutationis rerum, ita & nostræ erit disputationis fundamentum.

SECTIO PRIMA.

An detur Materia prima; Vbi, an elementa sint formaliter in mixto.

I. COnclusio: datur in rebus materia prima, quæ sit subiectum mutationis substantialis, estque substantiale subiectum, ex quo omnia corpora materialia, seu composita Physica constituuntur. Ita communis Philosophorum propè omnium cum Aristotele sententia. Secunda conclusionis pars, quòd scilicet materia sit subiectum substantiale, constat, quia est subiectum mutationis substantialis, accidens autem subiectum substantiæ esse nequit. Deinde, constituit compositum substantiale, quod accidenti non conuenit, quippe quod constituere solùm potest compositum accidentale, nec facit vnum per se cum substantiâ, sed vnum tantùm per accidens. Ratio autem à priori est, quia in compositis naturalibus dari debet primum aliquod subiectum, sed hoc non potest esse accidens, ergo, Maior est certa alio-

Datur in rebus materia prima.

Ratio à priori est, quia debet dari primum aliquod subiectum substantiale.

qui

qui procederetur in infinitum. Minor probatur, accidens ex naturâ suâ & conceptu essentiali, est quod accidit alteri, vnde, vt dici solet, *accidentis esse est inesse*, ergo supponit aliud prius se, cui accidat, & insit, ergo supponit ante se aliquod subiectum, ergo non potest accidens esse primum subiectum. Primum itaque subiectum esse necessariò debet substantiale, & quod alteri non insit.

II. *Mutationes & alterationes continuæ indicant dari materiam.* Prima verò conclusionis pars, nempe, quòd detur huiusmodi primum subiectum, probatur ex mutationibus & alterationibus, quas in dies cernimus, in quibus necessarium est vt maneat commune aliquod subiectum quod mutetur, & transeat de non esse tali ad esse tale. Conf. si ignis v. g. non egeat materiâ vt operetur, cur non semper operatur etiam nullâ appositâ materiâ? cur enim igni apponitur lignum tanquam pabulum, si nihil ligni maneat sub formâ ignis, in quod ignis inducat suam formam? Conf. secundò, cur necessariò ad productionem ignis requiritur destructio formæ stuppæ vel ligni, nisi vt in eius subiectum inducatur forma ignis? *corruptio enim non intenditur per se*, cùm *nihil*, & consequenter nec natura *ad malum intendens operetur*. *Nihil intendit ad malum operatur.* Conf. tertiò, cur viuens eget alimento quo nutriatur, & sustentetur, nisi vt in materiam alimenti inducat formam aliti?

III. *Dici nequit substantiam totã perire, & aliam totam emergere.* Dices; quidni accidentia recipiantur in totâ substantia, eaque tota pereat, & noua substantia illius loco emergat? Contrà primò, hoc saltem de homine dici nequit, nec enim ex solâ animâ rationali constat & accidentibus. Concilium enim Lateranense sub Innocentio tertio ait, hominem constitutum esse ex spiritu & corpore. Et in symbolo Athanasij dicitur Christus *perfectus homo, ex animâ rationali & humanâ carne subsistens*. Contrà secundò, sic enim accidentia disponerent ad destructionem sui, nam pereunte subiecto, pereant & accidentia necesse est.

IV. *Nisi detur primũ subiectũ substantiale, agentia naturalia crearent. Probatur ex reliquiis manere post mortẽ materiam.* Secundò probatur conclusio, agentia enim omnia naturalia quotiescunque agunt, crearent. Patet, nam non educerent terminum ex potentiâ subiecti, ergo crearent: hoc autem est contra communem Philosophorum sententiam dicentium, *ex nihilo nihil fieri*. Conf. Ecclesia venerationem & cultum præbet Sanctorum reliquiis, ergo aliquid manet in iis quod in Sanctis esset dum viuerent, ratione cuius, cultus ille & veneratio exhibetur, sed anima illic non manet, nam dudum in cælum abiit, ergo manet corpus, & substantialis quædam materia sub formâ cadaueris animæ succedente.

V. *Dices ad cultũ illum sufficere accidentia.* Dices primò; ad illum reliquiarum cultum sufficere si maneant accidentia, vt in transubstantiatione panis & vini contingit in corpus Christi, vbi nihil substantiæ panis remanet, sed sola accidentia: quidni ergo idem dici poterit in præsenti?

VI. *Contrà: pereunte substãtiâ, pereunt etiam accidentia.* Contrà, si tota substantia pereat, perire etiam necessariò naturaliter debent accidentia: cùm ergo in transmutationibus quotidianis nihil contingat supernaturale, si pereat subiectum, manere nequeunt accidentia. In sacrosanctâ verò Eucharistiâ per miraculum manent accidentia seu species, cùm, spectato naturæ ordine, perire vnà cum pane & vino debuissent.

VII. *Nõ possunt elemẽta esse formaliter in mixto.* Dices secundò; cum quibusdam medicis, manere quidem aliquid, sed illud non esse materiam primam qualem nos ponimus, sed quatuor elementa inter se permixta & vnita, quæ rationem subiecti subeunt. Contrà primò si statuantur elementa hoc modo manere sub omnibus rebus, vel debent inter se penetrari, quod repugnat naturaliter, cùm duo corpora simul in eodem loco esse non possint; vel manere debent dispersa secundùm diuersas partes compositi: sed neutrum dici potest, nam præter rationem datam, non potest ignis & aqua hoc vel priori modo manere, quin in se inuicem agant; vel si manere possint sine mutuâ huiusmodi actione, quidni & mixta eodem modo manebunt, vel inter se, vel cum elementis, ignis v. g. & lignum, quin in se inuicem agant? Confir. quis dicet in marmore summâ hyeme reddito frigidissimo contineri vbique ignem, & calorem vt octo, per omnes illius partes, ac venas dispersum?

VIII. *Dum vnũ elementum transit in aliud, non potest primo manere.* Contrà secundò; nam saltem cùm vnum elementum conuertitur immediatè in aliud, dici nequit manere aliquod elementum tanquam subiectum commune, ergo cùm tunc necessariò manere debeat aliquod subiectum commune, aliquid assignari aliud debet, præter elementa: illud ergo est quod vocamus materiam primam. Primum verò antecedens probatur, nam cùm ignis aërem conuertit in ignem, id quod manet, non est aër, nam aër qui conuertitur, perit, ergo cùm manere aliquid debeat tanquam cõmune subiectum, ne ignis tunc creet, illud erit materia prima, cùm nihil excogitari aliud possit.

IX. *Dum comburitur lignum, non possunt ibi manere elementa.* Contrà tertiò, dum comburitur lignum v. g. vel manent omnia elementa, vel aliquod vnum tantùm: si omnia, ergo manent vt sint loco materiæ, & consequenter forma ignis inducenda informabit omnia quatuor elementa; quod idem est de animâ rationali, & quauis aliâ formâ: Si verò dicatur solùm manere vnum aliquod elementum; primò, non apparet cur magis vnum maneat quàm aliud; deinde quodcunque manet, vel est quid simplex & completum, & tunc nec formam recipere, nec per eam compleri potest; vel est quid incompletum, tunc verò erit materia prima, nam habet illius essentiam, nempe esse *quid incompletum, primũ susceptiuum formarum substantialium*.

SECTIO II.

Quid sit materia prima, & an sit incorruptibilis.

I. *Deus & Materia cognoscuntur appositione, & remotione.* DEus ob perfectionem duobus modis cognoscitur, remotione, & appositione; primum tunc contingit dum eum cognoscimus omnem ab eo imperfectionem remouendo, vt cùm dicimus, *Deus est infinitus, incorporeus*, & similia: secundum accidit dum illum repræsentamus, omnem ei perfectionem apponendo, vt *Deus est summè bonus, summè potens, summè felix*, & huiusmodi. Materia ob imperfectionem remotione similiter cognoscitur, & appositione; remotione scilicet omnium quæ arguunt perfectionem, & quidquid ferme in rebus imperfectionem sonat, eidem apponendo, vt ex eiusdem definitionibus constabit.

II. *Materiam variè definit Aristoteles. Prima definitio.* Variis itaque modis materiam definit Aristoteles: nam 7. Metaph. text. 8. ait, *Materia est quæ per seipsam neque est quid, neque quantum, neque quidpiam eorum quibus ens determinatur*, & addit, *neque est eorum negationes*. Per quæ verba significat non esse eam substantiam completam, & ex se determinatam ad vnam aliquam speciem, sed esse indifferentem, nec esse quantitatem, aut formam vllam substantialem vel, accidentalem, per quam scilicet determinetur materia ad hanc vel illam speciem, aut compositum substantiale, aut accidentale; neque tamen esse negationem, aut non ens, sed verè & propriè aliquid positiuum.

III. *Secunda Materiæ Definitio.* Secundò, text. 69. eam definit Aristoteles, vel describit potiùs hoc modo: *Materia est quædam substantia, quæ ita se habet ad formas naturales, sicut æs aut lignum ad formas artificiatas.* Conuenit ergo materia cum

aere,

ære, & ligno, ac rebus aliis materialibus in hoc, quòd sicut hæc indifferentia sunt ad varias formas artificiatas, sic materia ad varias naturales. In hoc tamen differt, quòd æs, lignum, & alia huiusmodi sint quid completum substantialiter, materia autem essentialiter est incompleta, vtpote ex naturâ suâ & essentiâ ordinata simul cum alterâ comparte ad constituendum vnum compositum per se, & substantiale: ex duobus autem entibus completis, sub eâ ratione quâ sunt completa, vel ex vno etiam completo & altero incompleto, non fit vnum per se. Deinde si materia esset quid completum, non posset esse pars, in eo saltem genere in quo est completa.

IV. *Tertia, & maximè recepta Materiæ Definitio.* Tertia definitio, quam tradit Aristoteles materiæ, & maximè recepta, est c.9. tex.82. *Materia prima*, inquit, *est primum subiectum cuiusque rei, ex quo fit aliquid cùm insit, non secundùm accidens, & si corrumpitur, in hoc abibit vltimum.* Quæ postrema verba non sunt intelligenda quòd nulla maneant accidentia, quæ priùs erant in materiâ, cùm corrumpitur aliquod compositum, vt postea suo loco videbimus, sed loquitur de vltimo substantiali, & vult nihil substantiale manere prioris compositi, præter materiam primam. Dicitur ergo materia primum subiectum, per quod differt à formâ, quæ licèt sit subiectum suarum proprietatum non tamen est primum subiectum, cùm materiæ insit tanquam subiecto saltem informationis, per hanc tamen rationem *primi subiecti* conuenit cum Angelis, qui sunt prima subiecta suarum passionum, actuum, & cæterorum accidentium. Per vltimas particulas *ex quo fit aliquid cùm insit non secundùm accidens*, differt materia & ab Angelis, & omni alio subiecto, cùm ex nullo præter materiam fiat compositum per se, sed solùm per accidens.

V. *Materia prima est naturaliter incorruptibilis.* Hoc commune subiectum quod astruimus, est naturaliter incorruptibile. Probatur ratione sæpiùs insinuatâ, quia in omni mutatione substantiali est aliquid quod semper manet, & sub diuersis & oppositis terminus seu formis substantialibus mutatur, ergo hoc destrui nunquam debet, sed manere successiuè sub formis inter se repugnantibus. Confir. hoc namque insinuare videtur lucta illa inter dispositiones præuias ad formas substantiales, quæ viam quasi parant ad suam formam inducendam in subiectum, & illud priùs informant, vt ad substantialis formæ inductionem disponant. Hinc igitur prouenit assidua illa inter primas qualitates circa subiectum pugna.

VI. *Non potest Angelus ita diuidere materiã, vt destruatur.* Obiicies primò; diuidi eousque ab Angelo potest materia, destructis vnionibus eius continuatiuis, vt persistere in rerum naturâ non possit, nec enim in minima tantùm naturalia, sed in partes etiam minimis naturalibus minores partiri eam Angelus potest, quòd si contingat, materia destruetur, ergo non est incorruptibilis. Resp. in rebus inanimatis homogeneis non dari minima huiusmodi naturalia: Quòd si dentur, Angelus vltra minima illa materiam diuidere non potest.

VII. *Possit nihilominus destrui à Deo.* Obiicies secundò; saltem Deus potest eam vltra minima illa diuidere, ergo in eo casu destrueretur, sicque esset corruptibilis. Resp. si dentur huiusmodi minima, transeat in eo casu destructum in partes illas minores minimis, non enim nego quin à Deo miraculosè destrui possit materia. Sicut nonnulli perituram eam aiunt, si Deus, Præter rerum ordinem, omnem ab eâ substantialem formam amoueret. Tunc verò non corrumperetur propriè, sed annihilaretur.

VIII. *Dices hinc sequi materiam non annihilandã, sed propriè corrũpendam.* Dices; ponamus dari à parte rei huiusmodi partem minimam, si Deus lineam quæ illam inter duas medietates intersecat, destrueret, cùm hæc linea non creetur, sed ex partibus illis educatur (agentia enim naturalia duas partes aquæ, aut ceræ vnire inter se continuatiuè possunt, quæ tamen non possunt creare) si ad destructionem huius lineæ pars illa minima destruatur, dicetur propriè corrumpi, sicut homo dum moritur, non annihilatur, sed propriè corrumpitur, quia vnio inter animam eius & corpus non annihilatur, sed corrumpitur.

IX. *Resp. vnionem corrũpendã, partes annihilandas.* Hic aliud esse nequit nisi quæstio de modo loquendi, de re enim constat, nempe vnionem destrui per suspensionem actionis eductiuæ, partes per suspensionem actionis creatiuæ, vnde illa propriè corrumpitur, hæ annihilantur. Ratione verò vnionis corruptæ totum illud, seu pars illa minima reduplicatiuè, seu in ratione totius dici potest propriè corrumpi, non tamen specificatiuè, nisi solùm inadæquatè, nempe quoad vnionem.

X. *Licèt materia sit incorruptibilis, non tamen denominat cõpositum incorruptibile.* Obiicies tertiò; si materia sit incorruptibilis, compositum denominabit incorruptibile, quòd tamen falsum est, vt constat. Contrà, ergo anima rationalis hominem denominabit incorruptibilem. Resp. itaque negandu antecedens, *bonum* enim ex *integrâ causâ, malum ex quolibet defectu*, vnde vt aliquid sit incorruptibile, nihil in se continere debet corruptibile. Sicut vt catena aliqua sit fortis, non sufficit quòd aliquot annulos habeat fortes, sed nullum in se continere debet, qui fortis non sit.

XI. *Materia etiam est ingenerabilis.* Eodem modo ad quæstionem illam respondetur vtrùm materia sit ingenerabilis, cùm enim sit primum subiectum, simpliciter est ingenerabilis, aliud enim subiectum prius dari nequit ex cuius potentiâ educatur: In ratione tamen totius, seu reduplicatiuè, dici potest generari, quando scilicet agens aliquod naturale duas partes aquæ, aut alterius liquoris continuatiuè connectit: specificatiuè tamen nunquam totum adæquatè generatur, cùm partes semper creentur. Quod fateri omnes debent in productione hominis.

XII. *Materia transiens, & permanens.* Materia latè sumpta diuiditur in materiam *transeuntem & permanentem*. *Transiens* est, ex qua pereunte fit aliquid, vt ignis ex ligno, ex pane & vino corpus & Sanguis Christi. *Permanens* est ex qua tanquam materiâ aliquid conficitur, vt verba ex syllabis, gladius ex ferro, mensa ex ligno vel marmore. Materia autem de qua hîc loquimur, diuiditur in primam & secundam. Prima est ipsa entitas materiæ secundùm se sumptæ, seu pro aliquo priore conceptæ antequam vel formam vllam habeat, vel dispositiones ad formam, & dicitur materia remota. Materia secunda seu proxima est eadem materia prima prout iam accidentia habet & dispositiones, quibus proximè redditur apta, ac determinatur ad hanc vel illam formam substantialem recipiendam.

Materia etiam diuiditur in primam, & secundam.

XIII. *Materiæ varia nomina.* Hic solùm restat vt aliquid de nominibus attexam, quibus materia ab auctoribus appellari solet. Vocatur ergo subinde *chaos* & *tenebra*, quòd nunquã cernatur nec appareat: aliquando *vmbra* & *nihil* quòd scilicet tam tenuis sit entitatis, vt cum non entibus potiùs quàm entibus affinitatem habere videatur: nonnunquam *luna*, ob formarum quas per interualla mutat, varietatem, quodque alienâ quasi luce ac fulgore splendeat: nunc *sylua*, nunc *mater*, & *natura natrix*, quòd res scilicet propè omnes ex se gignat, ac procreet: nunc è contrà *Nouerca* vocatur, *adultera*, & *venefica*, quòd quas in se recipit formas, atque ad tempus fouet, repentè fraudulenter quasi enecet, ac interimat. Sic suo quisque arbitratu nouum ei nomen appingit. Plato inter alia quæ ipsi tribuit nomina, eam Diuinitatis vocat *dissimilitudinem*, quod à Deo ente omnium perfectissimo, ens omnium propè imperfectissimum longissimè distet Qua etiam de causa eam appellauit *non ens*. Tandem eam nuncupat *magnum & paruum; magnum*, quod omnia in se recipere & quasi com-

Quisque suo arbitratu nouũ ei nomen appingit.

Plato eam vocat Diuinitatis dissimilitudinem.

Item magnum & paruum

si complecti possit; *paruum*, quòd Iro pauperior, ex se nihil habeat, omnemque quem habet ornatum aliunde emendicet, quæ proinde si in sua specie & formâ cerni posset, non minorem moueret risum, quàm olim *cornicula furtiuis nudata coloribus.*

DISPVTATIO IV.

In quo consistat notio subiecti.

SECTIO PRIMA.

Refelluntur quædam hac de re sententiæ.

I. *Ratio subiecti non consistit in sustentatione, seu in influxu materiali.*

RAtionem subiecti quidam in *sustentatione* collocant, seu quod influat in aliud, & illud causet materialiter; rationem verò formæ è contrario in eo sitam esse volunt, quòd in subiectum non influat. Sed contrà, materia est subiectum respectu animæ rationalis, quæ verè informat materiam, hæc tamen in eam non influit, anima enim rationalis creatur, non generatur, ergo recipere seu esse subiectum generatim loquendo non est causare aliud materialiter, seu in illud influere, aut sustentare. Præterea Angelus ex.g. vel ignis productus, est aliquo modo subiectum respectu creationis & generationis, & generatim effectus omnis est aliquo modo subiectum respectu suæ productionis, & tamen effectus nunquam influit in actionem per quam producitur, ergo.

II. *Volunt alij rationem subiecti consistere in indifferentiâ ad constituendum diuersum compositũ.*

Secundò, volunt alij rationem subiecti in quadam indifferentiâ consistere ad constitutionem diuersi compositi, quæ indifferentia tollitur per formam: vt materia ex se indifferens est ad hoc vel illud compositum constituendum, per formam autem equi determinatur ad constituendum equum, per formam leonis ad leonem, per formam hominis ad hominem, & sic de reliquis. Idem est, inquiunt, in compositis accidentalibus, paries enim ex se indifferens est ad compositum albi, nigri, aut alterius cuiuslibet coloris, per formas verò accidentales ad hoc vel aliud compositum in particulari determinatur.

III. *Contrà. Anima rationalis est indifferens ad varia composita.*

Impugnatur primò, est enim probabilis sententia materiam cæli susceptiuam tantùm esse formæ cæli, & tamen verè illa est materia, hæc forma, ergo ratio subiecti vniuersim non consistit in hac indifferentiâ. Secundò, anima rationalis indifferens est ad varias materias, nec enim magis ex se petit anima Petri esse in materiâ in qua est, quàm in materiâ quæ est sub formâ equi, vel arboris, ergo non consistit essentia materiæ, seu subiecti in indifferentiâ ad varia composita constituenda, cùm hæc indifferentia conueniat etiam formæ.

IV. *Non est etiam, cur dari nequeat forma indifferens ad materias specie distinctas.*

Dices non conuenire formæ vt sit indifferens ad materias specie distinctas. Contrà primò, ergo saltem non consistit essentia materiæ in quacunque indifferentiâ sed in indifferentiâ ad diuersas formas specie. Contrà secundò, non apparet cur non possit dari forma quæ respiciat duas vel plures materias specie distinctas, & ipsas possit informare, & cum iis constituere compositum, nulla, inquam, huius assignari potest implicatio, nisi petatur principium, & dicatur, illam non fore formam quia est indifferens ad diuersas specie materias, hoc autem est in quæstione.

V. Tertiò impugnatur hic modus explicandi rationem subiecti, & ostendo formas aliquas de facto esse indifferentes ad diuersa specie subiecta. *Dantur de facto formæ aliquæ indifferentes ad diuersa specie subiecta.* Et, vt omittam de luce receptâ in cælo, sole, lunâ, stellis, aëre, vitro, aquâ, &c. quia dicunt recipi solùm in eorum materiâ, quam eandem specie esse asserunt in omnibus, gratia est indifferens vt sit in animâ rationali, vel Angelo, & in hoc Angelo, vel illo, cùm tamen multi, imò omnes Angeli qui de facto sunt, differant specie iuxta communem Theologorum sententiam, ergo gratia quæ est forma, habet indifferentiam ad hoc vel illud subiectum specie distinctum.

VI. *Dices: gratia licèt indifferens ad varia subiecta, dat tamen eandem omnibus denominationem.*

Dices, esse quidem gratiam indifferentem vt sit in subiectis specie distinctis, sicque conuincit argumentum posse dari formam indifferentem quoad esse respectu diuersorum subiectorum, gratia tamen iis omnibus eandem tribuit denominationem, nam omnes tam homines quàm Angelos denominat gratos, sicque licèt sit indifferens *in essendo*, est tamen determinata in *denominando*. Contrà primò, ratio cur ipsi dicunt materiam non esse formam, nec denominare, est, quia est indifferens ad constituenda varia composita, ergo si concedant formam esse similiter indifferentem ad constituenda varia composita, dicere necessariò debent eam non esse formam, sed materiam, cùm hæc secundùm ipsos sit essentia materiæ. Contrà secundò, forma indifferens est ad varia subiecta specie distincta in essendo, ergo & in informando, cùm esse formæ sit informare ergo forma in propriissimâ ratione formæ est illimitata & indifferens, ergo perfectissima indifferentia conuenit formæ.

VII. *Contrà: dantur formæ indifferentes, non in essendo tantùm, sed etiã in denominando.*

Quartò impugnatur hæc sententia, & ostenditur formas posse ex naturâ suâ non solùm informare diuersa subiecta, sed etiam dare diuersas denominationes, nam gratia habitualis homines non subsistentes subsistentiâ increatâ denominat filios adoptiuos, Christo autem non dat hanc denominationem, quia per sanctitatem increatam est Filius Dei naturalis, ergo forma aliqua est ex naturâ suâ indifferens non ad diuersa solùm specie subiecta, sed etiam ad diuersas specie denominationes, sicque non in essendo tantùm, sed etiam in denominando.

VIII. *Idem est in speciebus visibilibus.*

Quintò, idem ostenditur in formis merè naturalibus, species visibiles emissæ ab obiecto recipiuntur in aëre, & oculo, oculo verò dant denominationem visiui, aëri hanc non dant, sed meram denominationem informati speciebus visibilibus. Item actio eductiua, etiam iuxta aduersarios, est in passo vt in subiecto inhæsionis, & in termino vt in subiecto affectionis, passo autem dat denominationem patientis, termino verò non denominationem patientis, sed producti. *Item in actione eductiuâ.* Vnio dat materiæ denominationem subiectantis, non formæ, formæ denominationem informantis, non materiæ, ergo aliquæ formæ sunt illimitatæ non solùm in essendo, respectu diuersorum specie subiectorum, sed etiam in denominando, cùm & insint diuersis subiectis, & diuersam iis denominationem tribuant. *In vnione etiã informatiuâ.*

Dices

IX. Dices primò; Aristoteles sæpe comparat materiam generi, formam differentiæ, ergo illa est indifferens ad plura, hæc ad vnum limitata. Resp. loqui Aristotelem de materiâ hac sublunari, quam non negamus esse indifferentem, hoc tamen non arguit non posse dari materiam quæ sit determinata ad vnicam formam, nec formam quæ sit indifferens ad informandum varia subiecta, vt de formis accidentalibus iam ostendimus.

Quo sensu Aristoteles comparat Materiam generi, & formam differentiæ.

X. Dices secundò; Aristotelem in primâ definitione materiæ suprà assignatâ, dicere ipsam *non esse quidquam eorum quibus res determinatur*, ergo censet formas determinare. Resp. non me negare determinari materiam primam per formas substantiales & accidentales: dico tamen, licèt forma aliqua substantialis, anima rationalis v. g. esset indifferens ad tot materias specie diuersas, ad quot materia est indifferens formas, adhuc posse animam determinare illas hoc sensu, id est, diuersa cum illis constituere composita, ita vt nec materia nec forma ampliùs maneat illimitata. Quod etiam admittere debent aduersarij in animâ rationali respectu diuersarum materiarum numero.

Forma indifferens ad diuersas materias posset illas ad varia composita determinare.

XI. Alij notionem subiecti reducunt ad antecessionem aliquam, formæ verò ad posterioritatem, non inquiunt, materia respectu formarum materialium est prior naturâ, respectu verò animæ rationalis est etiam aliquo modo prior, non quidem animâ rationali in se, sed quia est prior dispositionibus ad eam requisitis; quod autem est prius eo quod est alio prius, à fortiori est prius illo, vt in successione locali, ac duratione est manifestum, sic enim hora prima quæ est prior secunda, à fortiori est prior tertiâ. Hic modus Philosophandi propiùs accedit ad veritatem quàm præcedentes, non tamen vsquequaque placet, vt latius dicam sect. sequente.

Alij rationem subiecti statuunt in quadam antecedentiâ.

SECTIO II.

Verus modus explicandi rationem subiecti.

I. NOtandum, rationem subiecti variis modis sumi. Primò, pro subiecto *sustentationis*, & *inhæsionis*, quod verum denotat causæ materialis influxum in formam cui vnitur, cum hac tamen differentiâ, quòd subiectum *sustentationis* illud sit quod materialiter concurrit ad formas substantiales, subiectum verò *inhæsionis* ad accidentales. Subiectum *Adhæsionis* non influit materialiter in rem cuius est subiectum, sed solùm habet eam intrinsecè sibi adhærentem, & à se dependentem essentialiter. Huiusmodi subiecta sunt effectus omnes respectu actionum quibus producuntur, vt ignis respectu generationis, Angelus respectu creationis, & verbum etiam Diuinum respectu vnionis Hypostaticæ. Subiectum *informationis* præcisè illud est, quod intrinsecè denominatur à formâ, quæ in suo esse nullo modo à tali subiecto nec à priore dependet, nec à posteriore, vt anima rationalis respectu corporis. Idem videtur si forma aliqua materialis concursu creatiuo in materiâ independenter tamen ab illâ, conseruaretur. Subiectum *denominationis* præcisè illud est cui nihil præcedentium competit, sed tantùm denominatur extrinsecè à formâ aliquâ extrinsecâ, vt sol & cælum respectu visionis, sonus respectu auditionis, & huiusmodi.

Subiectum sustentationis, & inhæsionis.

Subiectum adhæsionis.

Subiectum informationis.

Subiectum denominationis.

II. Solùm aduertendum, diuersas has acceptiones non ita se mutuò excludere, vt aliquando non coniungantur, & in eâdem subinde re varia subiecti notiones reperiantur, subiectum enim informationis semper est subiectum denominationis, nam forma quæ informat, semper denominat, vt anima rationalis corpus denominat animatum ac viuens, & albedo creata si vniretur subiecto, denominaret illud album: calor etiam sustentatus à materiâ ligni, eam informat, ac denominat hoc calidum: respectu quorum proinde materia simul & subiectum sustentationis est, & informationis, & sic de aliis.

In eâdem re subinde varia subiecti acceptiones reperiuntur.

III. Dico primò: ratio subiecti, prout dicit rationem his omnibus subiectis communem, non consistit in antecessione aliquâ, aut prioritate naturæ. Probatur, nam subiectum adhæsionis non est prius formâ à qua denominatur, quod patet, nam effectus est subiectum adhæsionis respectu actionis, quâ producitur, sed effectus non est prior productione sui, sed potiùs posterior, ergo subiectum vt sic non consistit in hac prioritate.

Subiectum vt sic non consistit in prioritate.

IV. Dico secundò: ratio formæ vt sic consistit in eo quod denominationem dat alteri cui aliquo modo vnitur, & ratio subiecti in eo quod quouis modo denominationem ab alio sibi aliquo modo vnito recipit. Probatur inductione, videmus namque omnis generis formas dare, & omnis generis subiecta recipere has denominationes, & formas è contrà non accipere denominationes à subiectis, nec enim visio dicitur parietata, nec calor igniitus, sicut ignis calidus, & paries visus, ergo optimum est signum à posteriori rationem formæ & subiecti vt sic in hoc consistere, quòd illa sit apta dare, hoc recipere denominationem. Sicut quia omnes homines sentire videmus & ratiocinari, optimè à posteriori colligimus essentiam hominis in eo consistere, quòd sit principium sentiendi & ratiocinandi.

Ratio formæ est dare, ratio subiecti recipere denominationẽ ab alio, quod ei aliquo modo vnitur.

V. Dices; in hoc respondendi modo idem affirmari per idem, huius enim rationem quærimus, cur scilicet proprium sit formæ dare denominationem potiùs quàm subiecti. Resp. si petatur ratio à priori, nullam esse, sicut nec vllius essentiæ, cùm enim essentia sit prima ratio & conceptus cuiusque rei, ostendi non potest per aliam rationem priorem, nihil enim est prius essentiâ. Ratio autem à posteriori optima traditur à signo, si enim hoc semper contingere videamus, est probabilis ratio à posteriori naturam & essentiam formæ ac subiecti in hoc consistere, vt in principio sentiendi & ratiocinandi ostendimus respectu hominis. Quod autem dicitur, responderi hic per idem, hoc quoad rem ipsam semper contingit quando ad quæstionem *quid est* respondetur per definitionem, quia definitio quoad rem, eadem semper est cum re definitâ. Sufficit ergo quòd sit diuersum quoad modum concipiendi, licèt re sit idem, vt cùm quærenti quid sit homo, respondetur, *est animal rationale*.

Hoc probatur inductione, in omnibus enim subiectis & formis id videmus contingere.

Respondere per definitionem, respondet quoad rẽ, idem per idem.

VI. Dices secundò; etiam formam denominari *subiectatam* seu *receptam*, ergo accipit denominationem à materiâ. Resp. denominationem illam non prouenire à materiâ, sed vel ab vnione, vel actione eductiuâ: sicut enim non dicitur vnita à materiâ, sed ab vnione, sic nec denominationem vnitæ seu subiectatæ accipit à materiâ, sed ab vnione, nec dicitur propriè *subiectata* à materiâ, sed in materiâ, licèt aliquando latè hoc modo loquamur. Quo etiam modo dicimus ignem vel Angelum productum esse à Deo, Deus tamen non illos denominat productos formaliter, sed dicuntur producti à productione, seu actione quâ fiunt, Deus verò sicut causa omnis efficiens, solùm denominat effectus productos in quantum ab ipsis fluit actio, quæ est forma adhæsionis respectu effectûs. At verò formæ ita denominant subiecta, vt quod ipsis conuenit, tribuunt subiectis, si sint illius capacia. Sic aër dicitur lucidus à luce, color vi-

Denominatio subiectata non prouenit formæ à materiâ.

sus à visione, materia seu corpus viuens ab animâ rationali: subiecta tamen è contrà non tribuunt denominationem formis eorum quæ in se continent, sic enim visio coloris nec colorata à colore, nec alba dicitur ab albedine, sicut nec anima rationalis mottua à materiâ.

VII. Solùm notandum, id quod est forma respectu vnius, posse esse subiectum respectu alterius, anima ex. g. quæ respectu materiæ primæ seu corporis est forma, respectu intellectûs & voluntatis, si distinguantur, & respectu suorum actuum est subiectum. Sic quantitas respectu materiæ est forma, respectu albedinis & aliorum accidentium materialium dici communiter solet subiectum, & sic de aliis. Hæc de ratione subiecti in præsenti sufficiant, postea enim cùm de vnione, iterum de eâ necessariò recurret sermo.

Quod est forma respectu vnius, posse esse subiectum respectu alterius.

DISPVTATIO V.

De potentiâ Materiæ ad formas, & de Ordine Transcendentali.

SECTIO PRIMA.

An in creatis reperiatur ordo transcendentalis vnius rei ad aliam.

I. *Quid sit ordo transcendentalis.* VT clariùs procedamus, suppono ordinem seu relationem transcendentalem nihil aliud esse, quàm ipsam rei entitatem, quæ per se essentialem habet connexionem cum alio, ita vt si illud aliud redderetur impossibile, hoc similiter necessariò in Chimæram abiret, & pariter fieret impossibile.

II. *Prima sententia negat relationem transcendentalem in creatis.* Recentiores aliqui non indocti, nec malè de re Philosophicâ meriti, ita Philosophantur, vt & causam efficientem ab omni huiusmodi connexione cum effectu, & materiam à connexione essentiali cum formâ eximant. vnde relationem hanc transcendentalem à rebus creatis tollunt, nullam quippe omnino rem esse aiunt, quæ reliquis etiam omnibus implicantibus, non remaneret possibilis, & eandē quam modò habet, entitatem integram retineret. Ita inter alios P. Ouiedo, Controu. 10. Met. p. 4. n. 5.

III. *Communis Philosophorum sententia.* Contraria sententia, vt fatetur Ouiedo num. 2. est communis Philosophorum, quam variis locis tradit S. Thomas. Ex Recentioribus eam sequitur P. Suarez d. 47. Metaph. l. 5 num. 18. & sequent. Hurt. disp. 8. Phys. num. 26. asserens hunc sensum cum ipsâ Philosophiâ esse natum, Arriaga d. 7. Phys. sect. 2. num. 12. & alii passim.

IV. *Quædā in rebus creatis existere sine aliis connaturaliter non possunt.* Prima conclusio: Datur inter res creatas exigentia connaturalis, ita vt ex iis nonnullæ sine aliis quibusdam existere connaturaliter non possint. Probatur, aqua frigus connaturaliter postulat tanquam debitum sibi temperamentum, terra siccitatem, homo potentiam visiuam, & alios sensus, aqua tamen frequenter sine frigore reperitur, terra sine siccitate, homo sine visu.

V. *Quadam sine aliis existere omnino nequeūt naturaliter.* Secunda conclusio: maior adhuc datur in rebus creatis exigentia, ita nimirum, vt sine quibusdam aliis existere omnino naturaliter non possint. Hoc modo accidens, & forma omnis materialis pendet à subiecto, actus vitalis à potentiâ, species & visio ab obiecto, & alia huiusmodi. Hoc etiam modo duæ partes minimi naturalis ita à se inuicem in esse pendent, vt neutra sine alterâ existere naturaliter possit.

VI. *Quædā sine aliis existere nequeunt diuinitùs.* Tertia conclusio: In rebus creatis quoad actualem existentiam datur inter quasdam dependentia etiam essentialis, ita vt nec diuinitùs sine iis existere valeant. Hac ratione actio dependet ab agente, vnio ab extremis, & modus omnis à subiecto suo vel termino. Hoc etiam modo res quæuis creata, vt ignis, lux, calor, vt existant petunt causam aliquam creatam, vel increatam, sine aliquâ enim non magis existere possunt, quàm vnio sine extremis.

Quarta conclusio: datur inter res creatas dependentia & connexio essentialis etiam quoad possibilitatem, quâ ita aliarum possibilitatem exigunt, vt his implicantibus, illæ similiter implicarent. Ita auctores secundæ sententiæ. VII. *Datur inter res creatas relatio transcendentalis.*

Probatur primò, Materia prima est essentialiter *ens incompletum*, & hoc est illi prædicatum intrinsecum, nec magis ab eâ separabile quàm esse *ens*, ergo essentialiter petit formas esse possibiles, à quibus compleri possit, ergo essentialem dicit respectum ad possibilitatem formarum, si enim illæ redderentur impossibiles, periret hoc prædicatum in materiâ, vno autem prædicato eius pereunte, materia tota pereat necesse est, ergo. VIII. *Probatur, nam materia est essentialiter ens incompletum.*

Probatur secundò, accidens est essentialiter *ens in alio* seu *entis ens* vt Philosophi omnes fatentur, ergo petit essentialiter esse subiectum possibile cui insit possit. Sicut quia tam accidens, quàm alia res creata quæcunque est ens *ab alio* petit essentialiter causam aliquam esse illius productionis, saltem Deum, sed non minùs de conceptu intrinseco accidēns est, quòd sit ens *in alio*, quàm ens *ab alio*, ergo. Confirmatur, actio generatiua essentialiter petit subiectum, nam idem est actio generatiua, atque eductiua è subiecto, hæc enim est illius essentia, ergo si subiectum reddatur impossibile, perit essentia huius actionis, ergo eâdem operâ actio redditur impossibilis, ergo pendet essentialiter à possibilitate subiecti. IX. *Secundò probatur, nā accidens est essentialiter ens in alio.*

Probatur tertiò, hominis essentia est, vt sit *animal rationale*, seu *principium sentiendi & ratiocinandi*, actionum scilicet sensuum & intellectûs, ergo quàm certum est quòd sit homo, tam certum est petere vt sint possibiles operationes intellectuales & sensitiuæ; si enim omnes redderentur impossibiles, esse illarum principium non posset, cùm nihil possit esse principium Chimæræ. X. *Tertiò probatur ex definitione, & naturâ hominis.*

Dices; hæc omnia arguere potentiam solùm conditionatam, nempe materiam posse recipere formas, & hominem huiusmodi actiones producere si sint possibiles. Contrà primò, nam saltem de actione generatiuâ dici hoc non potest, cùm essentialiter sit eductio ex subiecto, ergo essentialiter requirit subiectum, ergo hoc implicante, implicabit necessariò & actio. Contrà secundò, Angelus videns materiam, nullâ etiam visâ formâ, videt eam esse ens incompletum & comparten, cùm videat illam comprehensiuè, ergo videt eam essentialiter petere formas, seu compartes aliquas esse possibiles. XI. *Nec ad hoc sufficit potentia conditionata.*

Contrà tertiò, nihil enim dicere potest potentiam XII.

seu

Nihil dicere potest respectum conditionatum ad id, ad quod nunquam dicere potest absolutum.

seu respectum conditionatum ad id, ad quod nunquam dicere poterit absolutum, vt latiùs dicam disp. seq. sect. 3. dum de respectu transcendentali Dei ad creaturas. Cont. hac de causâ nullus, ne ipsi quidem aduersarij ponunt in luce vim conditionatam productiuam soni, aut in aquilâ similem virtutem productiuam columbæ, quam tamen iuxta hunc philosophandi modum ponere in iis possent, si enim esset sonus aliquis possibilis qui produci posset à luce, lux eum posset producere, cùm hæc sint correlatiua, ergo iam æquè habet lux potentiam conditionatam ad talem sonum, & aquila ad eiusmodi columbam, ac haberet materia ad formam leonis, posito quòd leo redderetur impossibilis, eodem enim tunc loco esset cum sono illo & columbâ. Contrà quartò, materia de facto non respicit conditionatè formas quæ iam sunt impossibiles, ergo si omnes essent impossibiles, nullas respiceret conditionatè.

XIII. *Si detur talis modus respectus conditionatus, sequitur quodlibet esse conditionatè quodlibet.*

Contrà quintò hinc enim sequi videtur, quidlibet conditionatè esse quodlibet: quidni enim dici posset hominem esse conditionatè principium hinniendi, aut rugiendi, vitem habere conditionatè virtutem producendi rosas, posito scilicet quòd rosæ essent possibiles quæ à vite produci possent, & sic de cæteris? certè æquè modò sunt principia horum productiua, ac esset homo principium productiuum actionum sensitiuarum, aut materia formarum susceptiua, posito quòd formæ omnes & actiones sensitiuæ implicarent, nec enim modò implicant magis rosæ illæ, quàm tunc actiones sensitiuæ implicarent & formæ substantiales.

XIV. *Sicut Angelus petit essentialiter negationem compartis, ita anima petit compartem.*

Probatur conclusio quartò, & præcipuè: Angelus essentialiter est completus, & hoc nomine petit essentialiter negationem compartis aptæ cum ipso ad totum aliquod substantiale constituendum, & hoc est de intrinseco conceptu entis completi, ergo cùm anima rationalis sit ens essentialiter incompletum, & secundùm omnes, in hoc ipso conceptu essentialiter diuersa ab Angelo, petit essentialiter compartem esse possibilem, quicum totum seu compositum substantiale constituat: vnde sicut Angelus dicit essentialem connexionem cum negatione & impossibilitate talis compartis, ita vt si talis compars esset possibilis, Angelus mutaret essentiam; ita anima rationalis è contrario essentialem habet connexionem cum possibilitate talis compartis, & æquè implicaret, illâ implicante, atque implicaret Angelus implicante illius negatione.

XV. *Inter causam etiam & effectum reperitur essentialis hæc dependentia.*

Quod de materia dixi respectu formarum, idem etiam est in formis respectu materiæ, & in causâ respectu effectûs; implicante enim effectu, non minùs implicaret causa, quàm implicante formâ, materia: quamuis connexio hæc & essentialis dependentia clariùs in entibus incompletis cernatur.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contendentia, non dari relationem transcendentalem in rebus creatis.

I. *Conditiones extrinsecas vniuersim negari non possunt.*

OBiicit P. Ouiedo primò; non posse virtutem Physicam dependere à re, quæ omnino non existit, ergo nec causa, nec materia effectum vel formam possibilem exigere essentialiter potest, cùm quod merè possibile est, nihil sit. Resp. sicut conditiones extrinsecas passim non existimo admittendas, ita eas vniuersim reiicere, planè arbitror impossibile. Sic æternitatem à parte antè, vt ita dicam, effluxisse, conditio est secundùm multos, vt infinita vis operatiua Dei ad extra prodire in opus possit, & creaturam vllam producere. Sic fuisse in spatio A est conditio vt lapis cadens, vel animal quodcunque se mouens, occupet locum proximum, cùm in nullâ re corporeâ (licet id aliqui concedant Angelis) motus discretus dari naturaliter possit.

II. *Ostenditur hoc viterius in Angelo secreta cordium cognoscente.*

Sic, vt alia omittam, vt Angelus secreta cordium, & actus aliorum liberos cognoscat, requiritur consensus hominis vel Angeli actus illos elicientis, qui tamen consensus non loco tantùm, sed etiam tempore ab Angelo cognoscente subinde distat, vt si iam in instante A dicat Angelus aliquis volo vt Angelus talis actus omnes meos liberos cognoscat quos per horam hanc eliciam, & statim ab actu cesset. Hoc exemplum, si plenè declaretur, arbitror ad hanc rem efficacissimum, at vlterior eius explicatio non est præsentis loci, sed spectat ad primam partem, vbi in materiâ de Angelis, d. 5. fusiùs illud declaraui, multis in hoc ipsum argumentum de conditione extrinsecâ ibidem adductis. Ad obiectionem itaque respondeo, virtutem Physicam actiuam dependere à conditione extrinsecâ eaque subinde non existente, posse, non quidem tanquam ab influente, sed tanquam à puro termino. Id verò hic necessariò est admittendum ob rationes sec. præcedente allatas. De quo iterum d. 8. s. 4. n. 4.

Quomodo virtus Physica pendere possit à re non existente.

III. *Licèt vna res non exigat existentiam alterius, potest exigere illius possibilitatem.*

Obiicit idem secundò; causa non pendet ab existentiâ effectûs, ergo nec à possibilitate. Probat consequentiam, possibilitas rei & existentia non distinguuntur, ergo. Simile conficiam argumentum, prædicata possibilia seu res possibilis, ignis ex g. non potest operari nec quidquam producere, ergo nec res existens. Probo consequentiam, res existens & possibilis non distinguuntur. Resp. itaque, sicut hic, licèt eadem vtrobique sint prædicata obiectiua, ratione tamen diuersi status possunt res in vno statu ab iis pendere Physicè, licèt non possint ab iisdem dependere vt in alio, & illa etiam prædicata in vno statu operari, non in alio; ita dico, in vno statu esse possunt prædicata illa terminus exigentiæ essentialis, licèt non sint illius terminus in alio. Addo exigere existentiam illius possibilem.

IV. *Ratio est, quia nullũ est prædicatum, quod exigat actualẽ illius existentiam.*

Ratio autem est, quia in cælo, igne, calore, & similibus nullum est prædicatum quod exigat essentialiter actualem alterius rei existentiam, est tamen quod exigit possibilitatem, vt ostendi sec. præcedente, materia enim, seu quid aptum recipere aliud, essentialiter petit vt sit aliquid quod possit recipi, sicut & aptum producere postulat essentialiter vt sit aliquid aptum produci. Addo in modis, quos admittit P. Ouiedo, dari entitates quæ pendent ab actuali existentiâ aliarum rerum, easque essentialiter exigunt, ergo modi saltem possunt dependere à prædicatis earundem rerum possibilibus, cùm pendeant ab existentibus.

V. *Implicat virtus effectiua materiæ implicante effectu.*

Obiicit tertiò; non repugnat eiusmodi virtus productiua creata, quæ implicante etiam effectu, subsistat, ergo gratis ponitur connexio hæc fatalis inter res creatas, ita vt vna reddita impossibilis aliam in eandem secum internecionem trahat. Resp. quamuis hic modus argumentandi plerumque esse soleat inefficax, negando antecedens ob rationes sec. præcedente positas.

VI. *Implicat virtus operatiua conditionata.*

Obiiciunt quartò recentiores quidam; si respectus materiæ ad formam non statuatur absolutus & adæquatè intrinsecus, sed conditionatus, & partim intrinsecus partim extrinsecus, omnia abundè saluantur quæ respectui materiæ ad formam tribui à Philosophis solent, ergo non est cur statuatur absolutus. Resp. negando antecedens, imò respectus ille conditionatus est planè impossibilis, vt ostendi sec. præcedente.

VII. *Animus mediatè potest respicere seipsum.* Obiiciunt quintò; sequeretur causam saltem mediatè respicere seipsam, respicit enim effectum, qui vicissim respicit causam. Resp. nihil in hoc esse incommodi, vt constat in Diuinis, vbi Pater respicit Filium, qui vicissim respicit Patrem.

VIII. Obiiciunt sextò; cognosci potest entitas causæ quin cognoscatur relata ad effectum, ergo nullam dicit ad eum relationem. Distinguo antecedens, cognosci potest causa perfectè & adæquatè quin cognoscatur relata ad effectum, nego antecedens; imperfectè & inadæquatè, concedo.

IX. *Obiic. ignis dicitur agens per actionem actualem, ergo potens agere per actionem possibilem.* Obiicitur septimò; causa, ignis v.g. denominatur actu agens per actionem actualem, ergo denominatur potens agere per actionem possibilem, ergo non denominatur potens agere per virtutem sibi intrinsecam, ergo non dicit huiusmodi respectum essentialem ad effectum. Contrà primò, saltem actio dicet essentialem respectum ad effectum actualem & possibilem, ergo omnis relatio transcendentalis tolli è rebus creatis non potest. Contrà secundò, causa non tantùm respicit effectum, sed etiam actionem, hæc namque non minùs verè procedit à causâ, quàm effectus, ad quem terminatur, non enim est à se, sed ab alio, ergo ad illam saltem dicit respectus transcendentalis in causâ, & consequenter dependentia essentialis ab illius possibilitate.

X. *Resp. per actionem denominatur Logicè potens agere.* Ad argumentum ergo Resp. distinguendo consequens, denominatur potens Logicè, vt aiunt, seu non repugnans agere per actionem possibilem concedo consequentiam; denominatur Physicè potens agere per actionem possibilem, nego: denominatur enim Physicè potens agere per suam entitatem Physicam, quæ est virtus Physica agendi, actio autem possibilis solùm est non repugnantia ad agendum.

XI. *Differentia inter actionem Logicè, & Physicè possibilem.* Dico itaque causam per actionem Logicè possibilem, seu per prædicata essentialis actionis in statu possibilitatis denominari Logicè potentiam, seu non repugnantem agere, per actionem autem possibilem Physicè, seu in potentiâ Physicâ denominatur causa potens agere Physicè, actio verò possibilis Physicè, seu in potentiâ Physicâ nihil est aliud quàm virtus Physica productiua actionis, seu entitas causæ, quæ eodem respectu refertur ad actionem & effectum, ad illam vt ad viam, seu vt *quo*, ad hunc vt ad terminum, seu vt *quod*, sicque indiuisibiliter refertur ad vtrunque.

XII. *Re vnâ implicante, implicabit omnia.* Obiicitur octauò; hinc sequi, vel vnicâ re implicante, tanâ ex.g. vel formicâ, implicaturum totum vniuersum, eam enim ponimus rerum concatenationem, vt vnâ in Chimæram abeunte, reliquas omnes in Chimæras transire necesse sit: si enim rana implicet, implicabit visio intuitiua, quâ Angelus vel anima separata illam videt, si anima implicet, implicabit materia, si materia, implicabunt formæ omnes materiales, totumque adeò vniuersum. Resp. tantùm abesse vt hoc quidquam in se habeat incommodi, vt maximam arguat perfectionem in vniuerso, vbi omnia tam arctè inter se vinculo ac veluti fœdere connectuntur.

XIII. *Angelus vt aliquid videns solùm videbit eius omnia existentia habere connexionem.* Obiicitur nonò; hinc sequi, Angelum, si intuitiuè videat rem aliquam, visurum ipso facto omnes, cùm necessariam habeat cum reliquis omnibus connexionem. Nego sequelam, solùm enim videbit rem illam cum aliis omnibus habere connexionem. Sicut beati videndo omnipotentiam Dei, vident eam esse virtutem rerum omnium productricem, quæ illæ in particulari sint, non vident. Dices; saltem si rem vnam comprehendat, eâdem operâ comprehendet res omnes possibiles. Distinguo, si comprehendat comprehensione perfectissimâ, transeat; hæc autem nulli creaturæ competit: si comprehensione solùm vulgari eam comprehendat, nego: de quo plura in libris de Animâ, dum de naturâ comprehensionis.

SECTIO III.

Inquiruntur quædam circa relationem transcendentalem inter res creatas.

QVæres primò, vtrùm sicut in rebus Physicis diximus dari ordinem transcendentalem, & essentialem vnius ab alio dependentiam, ita detur idem ordo & dependentia in intentionalibus? Resp. affirmatiuè, vt ostendi in Logica d.44.s.5. vnde sicut implicante materiâ, implicaret forma, ita implicante luce & colore, implicaret visio, implicante sole, implicaret cognitio repræsentatiua solis, & sic de aliis. Ratio est, quia essentia visionis lucis est vt sit repræsentatiua lucis, ergo si lux implicaret, periret hoc prædicatum visionis, & consequenter tota visio. Quòd si quis hic etiam confugiat ad respectum conditionatum, vigebitur iis omnibus quæ suprà sec.2. à nu.12. contra respectum conditionatum attuli in Physicis, quæ quiuis hic facilè applicuerit. I. *Datur etiam Relatio transcendentalis in intentionalibus.*

Quæres secundò, vtrùm res realis dicere relationem transcendentalem possit ad aliquid impossibile? Resp similiter affirmatiuè, nec enim minùs actus intellectûs repræsentans hippocentaurum ab illis prædicatis impossibilibus dependet, quàm actus repræsentans equum pendet à prædicatis equi possibilibus, vel causa à prædicatis possibilibus effectûs. Quod de impossibilibus dixi, idem dictum esto de negationibus. II. *Res realis dicitur etiam relationem ad impossibilia.*

Dices; etiamsi prædicata illa impossibilia redderentur possibilia, non apparet cur idem actus repræsentare illa adhuc non posset, potentia enim & actus intentionales in obiecta non possibilia tantùm feruntur, sed etiam in impossibilia, in quo differunt à potentiis Physicis, hæ enim cùm quidquid respiciunt, respiciant tanquam quid producendum, ipso facto quòd reddatur aliquid impossibile, respicere illud viterius non possunt. III. *Dices, idê actus illa adhuc repræsentando, licet redderentur possibilia.*

At, qui hoc modo Philosophantur, non satis mihi attendere videntur ad differentiam inter obiectum possibile & impossibile, quæ in conceptu suo obiectiuo essentialiter differunt, & multò magis quàm albedo & nigredo, leo & equus; impossibile enim, vt dixi in Logica d.44.sec.5.num.9. essentialiter inuoluit duo contradictoria, conceptus enim impossibilis est conceptus repugnantis existere, seu secum identificata habentis prædicata inter se essentialiter pugnantia; conceptus autem possibilis est conceptus illius quod potest existere à parte rei, seu quod non inuoluit in se prædicata contradictoria, nec concipi magis possunt possibile & impossibile sine his, quàm paries albus sine albedine. IV. *Resp. attendendo hoc fieri non posse.*

Iam ergo sicut visio albedinis esse nequit visio nigredinis quacunque factâ suppositione, nec cognitio hominis cognitio formicæ, vel repræsentatio tragelaphi repræsentatio hippocentauri, ita à fortiori cognitio rei possibilis non potest vllo modo esse cognitio rei impossibilis, vel è contrà, cùm multò magis inter se differant quàm duæ res possibiles, aut vna res impossibilis ab aliâ, sicque necessariò deberet cognitio illa mutare obiectum, & rei repræsentare prædicata contradictoria, quæ antè non repræsentabat. V. *Plus differt possibile ab impossibili, quàm equus à leone.*

Cognitio ergo quæ semel est repræsentatio obiecti impossibilis, est semper illius repræsentatio, si autem fingamus obiectum illud reddi possibile, cùm implicet hoc concipere sine mutatione essentiali prædicatorum, vt ostensum est, non potest idem actus VI. *Si res illa redderetur possibilis, non posset eodem actu repræsentari.*

ctus obiectum illud ampliùs repræsentare; magis quàm actus repræsentans equum potest illum adhuc repræsentare si fingamus eum reddi leonem, cùm actus repræsentans principium hinnibile repræsentare nequeat principium rugibile.

VII. *Effectus etiam pendet essentialiter à possibilitate causæ.* Quæres tertiò, vtrùm sicut causa pendet essentialiter à possibilitate effectûs, ita effectus vicissim essentialiter pendeat à possibilitate causæ? Resp. in rebus vniuocis non est dubium quin sit mutua hæc dependentia, per accidens enim in iis est quòd vna sit causa, alia effectus, sicut enim ignis A produxit ignem B, ita ignis B producere potuisset ignem A & sic de reliquis.

VIII. *Hoc etiam reperitur in causis & effectibus æquiuocis.* Idem existimo de causis & effectibus æquiuocis, vt de luce respectu solis, calore respectu ignis, & similibus. Sicut enim est prædicatum intrinsecum talis causæ posse producere talem effectum, ita vicissim est prædicatum intrinsecum talis effectûs posse produci à tali causâ, & eam peculiariter respicit, non aliam: rosa enim spinam non myrtum, vuæ vitem non ficum respiciunt, vtpote quæ solæ producere eas possunt: quibus proinde implicantibus, vuæ implicabunt, & rosa.

IX. *An idē referri possit ad seipsū.* Quæres quartò, an idem referri transcendentaliter possit ad seipsum? Quæro ego vicissim quid requiratur vt censeatur aliquid transcendentaliter referri. Si dicas, requiri vt realis intercedat distinctio, facilis est responsio, clarum enim est hoc sensu non posse idem ad se referri, cùm à se realiter non distinguatur. Sin verò dicas, distinctionem realem ad hoc non esse necessariam, sed requiri solùm vt idem se repræsentet, aut aliquid huiusmodi, idem hoc sensu referri potest ad seipsum; actus enim qui dicit, *omnis actus intellectûs est spiritualis*; se inter alios actus repræsentat, quamuis modus loquendi quo aliquid ad se dicitur transcendentaliter referri, mihi non adeo videatur proprius.

Quæres quintò, qualis sit dependentia causæ ab effectu in esse possibili? Resp. esse tanquam à concomitante, licèt enim causa quoad actualem existentiam sit prior effectu, & tribuat ei actu existere, in esse tamen possibili æqualiter à se inuicem pendent, sicque quoad possibilitatem habent se concomitanter. X. *Dependentia à re possibili est tanquam à concomitante.*

Quæres sextò, an res naturales relationem etiam transcendentalem dicant ad supernaturales, ita vt his implicantibus, illæ similiter implicarent? Negat P. Ripalda To. 1 de Ente supernaturali, d. 32. s. 2. vnde ait implicante actu quocunque naturali, implicaturam potentiam, implicantibus verò omnibus actibus supernaturalibus non implicaturam. XI. *De dependentiâ à rebus supernaturalibus.*

Existimo nihilominus parem de vtrisque esse rationem, nec minùs implicantibus actibus supernaturalibus, mutatum iri in Chimæras potentias omnes naturales, quàm implicantibus actibus naturalibus. Ratio est, quia potentiæ non minùs verè & propriè concurrunt ad actus supernaturales quam ad naturales, vnde hoc prædicatum, posse scilicet producere actum supernaturalem, non est ipsis minùs intrinsecum quàm posse producere naturalem, estque vera virtus, & quæ competere nequit negationi, aut Chimæræ, ergo implicante actu supernaturali, non minùs implicaret hoc prædicatum, quàm, implicante naturali, aliud, ergo similiter implicaret potentia. XII. *Implicantibus actibus supernaturalibus implicabunt potentiæ naturales.*

DISPVTATIO VI.

De ordine Transcendentali Dei ad creaturas.

SECTIO PRIMA.

An Deus transcendentaliter referatur ad creaturas.

I. *Status controuersiæ.* AD vitandam quæstionem de nomine, recolendum quod suprà dixi sec. 1. num 1. per relationem scilicet transcendentalem intelligere nos connexionem essentialem vnius rei cum aliâ, ita vt hac implicante, illa similiter implicaret. Quærimus itaque an Deus hoc modo cum possibilitate creaturarum connectatur; Suarez enim, Herice, Fasolus 1. p. q. 12. a. 8. d. 11. & alij nonnulli, licèt eiusmodi connexionem concedant Dei cum creaturis, eum tamen transcendentaliter ad illas referri negant.

II. *1. sent. asserit dari Relationē transcen. Dei ad creaturas.* Prima itaque sententia affirmat dari huiusmodi connexionem essentialem inter Deum & creaturas possibiles. Ita Suarez 1. p. l. 3. de Attrib. c. 9. nu. 13. & alibi, licèt nolit vocari relationem. Herice 1. p. d. 5. n. præcipuè 4. Tann. 1. p. d. 4. q. 4. d. 3. Mærat. de Deo. d[illegible]. a. Granado 1. p. 1. 6. d. 1 s. 5. Arria. d. 7. Phys. s. 2. n. 20 & alij plurimi ex recentioribus.

III. *Secunda sententia negat.* Secunda sententia connexionem hanc inter Deum & creaturas negat. Ita Vasq. 1. p. d. 104. c præsertim 6. citans Caiet. Capreo. Ferra. Scotum & alios, Albertin. in Prædicam. ad aliquid, coroll. 2. Alarcon. d. 2. de scien. Dei, Ouiedo c. 10 Met. p. 4. n. 11. & omnium acerrimè P. Hurtado d. 15. Met. s. 9. nn. 104. & ex recentioribus non pauci.

IV. *Relatio transcen. ad creaturas nullam in Deo argueret imperfectionē.* Prima conclusio: nullam argueret imperfectionem in Deo essentialis hæc connexio cum creaturis possibilibus. Probatur primò, imperfectio hæc esset, quòd creaturâ per impossibile implicante, desineret Deus, sed nullum est inconueniens quòd Deus desineret sub conditione impossibili, ergo. Probatur minor, non est inconueniens quòd alia Dei attributa labefactarentur sub conditione impossibili, ergo nec quòd sub simili conditione labefactaretur eius existentia. Antecedens probatur, si Deus non daret præmium bene operantibus promissum, esset iniustus, vel secundùm omnes, infidelis: si falsum diceret, non esset verax; si mentiretur, peccaret; ergo iustitia Dei, fidelitas, veracitas, & sanctitas labefactarentur sub conditione impossibili, ergo nullum est inconueniens quòd sub simili conditione idem cõtingeret illius existentiæ. Cuius ratio est, quia cùm impossibile sit vt conditio illa (vtpote impossibilis) ponatur, æquè est Deus ens necessarium, ac si à conditione illâ penitus non dependeret.

V. *Dices, ergo Deus non est magis necessarius, quā creatura.* Dices; sequitur saltem Deum non esse magis necessarium quàm sint necessariæ creaturæ possibiles, hoc autem parum videtur dignum Deo, cùm impossibilium omnium maximè impossibile sit non esse Deum. Contrà primò, idem argumentum fieri potest de aliis Dei attributis, vt proximè ostensum est.

VI. *Probabile est omnia impossibilia esse æquè impossibilia.* Contrà secundò, si enim sermo sit de formali & propriâ impossibilitate, mihi probabile videtur impossibilia omnia, quæ sunt simpliciter talia, esse æquè impossibilia, sicut omnia falsa sunt æqualiter falsa:

ideò enim hæc sunt æqualiter falsa, quia excludunt omnem veritatem, & omnis mors est æqualis, quia destruit omnem vnionem inter animam & corpus, & tollit omnem vitam. Cùm ergo impossibilia omnia excludant omnem possibilitatem, erunt æqualiter impossibilia. Quare docti quidam recentiores asserunt nullum esse inconueniens concedere Deum non esse magis necessarium in existentiâ, quàm creaturæ sint in possibilitate, nisi tantùm necessitate dignitatis & excellentiæ. Ita Suarez l.9.de Trin.c.6. à n.18.& Tann.t.p d.4.q.4.d.4.0.31.& 32.& alij.

Dictio aliorum Deum nō esse magis necessarium creaturis possibilibus.

VII. Tertiò Respondeo, etiam admissâ inæqualitate inter impossibilia, nihilominus æquè impossibile esse creaturas non esse possibiles, ac Deum non esse, non quòd impossibilitas non existentiæ Dei deprimatur ad illum solum gradum impossibilitatis quo impossibile est creaturas possibiles non esse possibiles, sed quòd possibilitas creaturarum eleuetur ad gradum necessitatis, quo impossibile est Deum non esse. Dico itaque tam impossibile esse creaturas non esse possibiles, quàm Deum non esse, sicque earum possibilitatem esse æquè necessariam, ac necessarium est Deum esse, necessitate tamen extrinsecâ, non intrinsecâ. Quod vt intelligatur.

Possibilitas creaturarū eleuatur ad necessitatē existentiæ Dei.

VIII. Notandum, possibilitatem, sicut & existentiam alicuius rei duobus modis esse posse necessariam: vno modo ex ipsis prædicatis rei intrinsecis; alio modo ob exigentiam extrinsecam alterius rei, quæ illius possibilitatem vel existentiam requirit. Claritatis gratiâ ponamus exemplum in sole, qui licèt posito quòd producatur, petat connaturaliter ex prædicatis suis intrinsecis perpetuò durare, cùm sit incorruptibilis, sicut Angelus, & consequenter sit naturaliter necessarius, si tamen detur ei duratio indiuisibilis (quam plurimi putant esse possibilem) quæ petat essentialiter per horam aut diem durare, posito quòd semel producatur, iam ab hac duratione seu ab extrinseco longè maior soli accrescet necessitas persistendi in esse per diem vel horam, quàm sit illa quam ex naturâ suâ, & prædicatis intrinsecis habebat; duratio enim illa, cùm essentialiter petat durare per horam ex. g. non potest nec diuinitùs ante horam illam elapsam destrui. Deinde cùm sit modus, petit essentialiter vt sol eius subiectum tamdiu etiam, seu per horam duret, cùm esse nullo modo possit sine subiecto.

Possibilitas & existentia rei duobus modis possunt esse necessaria.

IX. Idem dico de creaturis possibilibus, quæ, si spectentur præcisè secundùm prædicata intrinseca, habent gradum necessitatis inferioris ordinis sibi proprium; vt verò sunt terminus relationis transcendentalis, quam Deus ad eas dicit, longè magis necessariò ab hoc intrinseco respectu sunt possibiles, quàm ex naturâ suâ, & ab intrinseco. Sicut similiter si Deus diceat solem cras orturum, aut ignem combusturum, longè magis necessariò sequetur ortus solis, & ignis combustio ob hanc dictionem Dei, quàm ex causis naturalibus, licèt ex iis etiam necessitate aliquâ sequerentur. Quod dictio Dei in eo casu faceret in existentibus, facit potentia in possibilibus.

Creaturæ possibiles secundùm se habent inferiorem gradū necessitatis.

X. Secundò, & præcipuè probatur conclusio; nempe non arguere in Deo imperfectionem quòd hoc modo dependeat à creaturis possibilibus. Non est imperfectio in Deo vt dependeat hoc modo, seu habeat essentialem connexionem cum re impossibili vt impossibili, ergo non est imperfectio vt hac ratione dependeat, & habeat essentialem connexionem cum re possibili. Consequentia est clara, antecedens probatur; Deus de factu habet huiusmodi connexionem cum re impossibili vt impossibili, ergo. Antecedens probatur, Deus habet connexionem cum impossibilitate alterius Dei, seu cum alio Deo vt impossibili, si enim alius Deus, seu ens aliquod simpliciter infinitum, immensum, omnipotens, æqualis cum Deo sapientiæ, felicitatis, bonitatis, aliarumque perfectionum diuinarum, verè & realiter existeret à parte rei, seu aliquid quod solo numero ab hoc Deo differret, Deus desineret; cum vnitas Dei essentialiter postulet vt vnicus tantùm eodem tempore sit Deus. Conf. periret tunc vnum Dei prædicatum, nempe vnitas, ergo pariter Deus, vno enim prædicato pereunte, perirent omnia, cùm realiter identificentur.

Secūdò, & efficacius ostenditur nō arguere in Deo imperfectionē dependere à creaturis possibilibus.

XI. Hinc apertè refellitur quod tantâ contentione vrget P.Hurt d.illâ 15.Metaph.sect.9 nu.105.& nonnulli, ex aduersatiis, dedecere nimirum Deum, facere illum dependentem à simiâ, vel formicâ. Sed contrà, inquiro enim vtrùm magis dedeceat facere Deum dependentem à formicâ, quàm à Chimærâ, ita vt si hæc esset possibilis, Deus foret impossibilis? sicut è contrario arguunt ipsi de impossibilitate formicæ: & tamen omnes dependentiam illam Dei à Chimærâ, seu ab alio Deo impossibili admittere necessariò debent, vt ostensum est, ergo. Verum quidem est, si esset propriè dicta dependentia, sicut effectûs à causâ, seu tanquam ab influente, argueret imperfectionem, cùm verò solùm sit dependentia per modum connexionis essentialis, seu tanquam à termino nulla est imperfectio, vbi terminus seu conditio est simpliciter necessaria.

Deus depēdet ab aliquo impossibili, ergo dependere etiam poterit à possibili.

XII. Tertiò probatur conclusio: Deus enim iuxta auctores contrariæ sententiæ sine imperfectione dependet à variis negationibus, vt Natura Diuina pendet à negatione productionis simpliciter, & à fortiori à negatione productionis à causâ creatâ, & à negatione creationis, destructionis, mortalitatis, & similibus. Pater in Diuinis pendet à negatione nascibilitatis, & sic de aliis, ergo sine imperfectione dependere eodem modo poterit Deus à possibilitate rei positiuæ.

Deus depēdet à variis negationibus, quidni ergo & à rebus possibilibus?

SECTIO II.

Ostenditur vlteriùs Deum transcendentaliter referri ad creaturas.

I. PRobauimus f. præcedente, nullum sequi inconueniens ex eo quòd Deus connexionem habeat essentialem cum creaturis possibilibus, quæ tamen est præcipua ratio cur contrariæ sententiæ auctores hanc in Deo connexionem negent. Nunc vlteriùs ostendendum connexionem hanc & relationem transcendentalem in Deo necessariò ab omnibus esse admittendam.

II. Secunda conclusio: Deus habet essentialem connexionem, cum creaturis possibilibus, & hoc sensu transcendentaliter ad eas refertur. Prima & præcipua huius conclusionis probatio posita est totâ sect. præcedente.

Deus habet essentialem connexionem cum possibilibus.

III. Secundò probatur ratione deductâ ex S. Thoma lib.2.contra Gent.cap.22.nu.4. vbi ex potentiâ passiuâ creaturarum vt producantur probat esse necessariò debere virtutem aliquam actiuam, seu potentiam illarum productricem, alioqui, inquit, otiosa esset potentia illa passiua, seu non repugnantia in creaturis vt producantur, frustra enim est potentia, quæ nunquam posset reduci ad actum. ergo similiter si in Deo sit potentia actiua, seu virtus productiua, aliquid necessariò esse debet quod possit produci, alioquin otiosa esset hæc virtus actiua, vt arguit S. Thomas de potentia passiua; nec enim magis potentia actiua reduci ad actum posset si nulla esset passiua, quàm passiua si nulla esset actiua.

Ratio est, quia frustra esset potentia ad effectum impossibilem.

Tertiò

IV. *Præterea Deus continet creaturas vt virtus earum productiua.*

Tertiò probatur, Deus verè & propriè continet has creaturas tanquam virtus earum productiua, ergo necessariò esse debent possibiles, alioqui eas non contineret, virtus enim productiua est essentialiter alicuius productiua, vt ex terminis videtur notum.

V. *Hinc sequitur eò tenere eas sub conceptu possibilium.*

Dices; continet hæc prædicata, sed non determinatè sub conceptu possibilium, sed indeterminatè, nempe secundùm se, & nec directè sub conceptu possibilium, nec impossibilium. Contrà, continet hæc prædicata tanquam virtus eorum productiua, ergo determinatè sub conceptu possibilium, nam continet ea sub conceptu producibilium. Contrà secundò continet hæc prædicata, ergo vt possibilia, si enim essent impossibilia, non essent hæc, sed alia plus quàm genere distincta, multò enim magis differunt equus verus & Chimæricus, quàm Angelus & lapis.

VI. *Implicat vt Deus contineat creaturas conditionatè.*

Dices secundò; continet hæc prædicata solum conditionatè, vnde quantumuis redderentur impossibilia, Deus eodem modo persisteret, & ea respiceret, nempe conditionatè. Contrà primò, implicat huiusmodi respectus conditionatus ad impossibilia; vt disp. præcedente sect. 1. ostendi, primò præter ibi dicta, quia Deus modò non respicit conditionatè, nec habet veram virtutem conditionatam producendi res impossibiles, nempe hippoceruum, tragelaphum, & reliquas Chimæras, sed si res omnes implicarent, essent eodem loco, quo iam sunt Chimæræ, ergo non illas tunc respiceret conditionatè. Secundò, sic enim terra modò conditionatè respiceret ignem, lapis actus visionis, equus actus intellectûs, & huiusmodi, si enim esset possibilis ignis producibilis à terra, visio à lapide, intellectio ab equo, terra, lapis, equus possent æquè ea producere, ac Deus quidquam producere posset, casu quo omnia redderentur impossibilia. Tertiò, frustra esset illa potentia quæ nunquam posset reduci ad actum, vt num. 2. ostendi ex S. Thomà.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones contra relationem transcendentalem Dei ad creaturas.

I. Obiicitur primò; omnipotentia in suo conceptu formali aliud non dicit quàm quòd sit virtus producendi quidquid non implicat, sed etsi creaturæ omnes implicarent, adhuc posset Deus producere quidquid non implicat, ergo adhuc habebit omnipotentiam. Resp. negando minorem, sic enim hippoceruus aut alia quæuis Chimæra foret omnipotens, si enim omnia essent impossibilia, æquè posset Chimera producere quidquid non implicat, ac Deus. Dico itaque, in suppositione quòd omnia essent impossibilia, propositio hæc, *Deus producere potest quidquid non implicat*, est falsa, vtpote de subiecto non supponente, supponit enim & esse veram virtutem operatiuam ad extra in Deo, & aliquid esse producibile ex parte obiecti. Sicut eandem ob causam hæ & similes propositiones ab omnibus censentur falsæ, *Petrus occidit omnes homines in foro, Paulus, vel lapis videt quidquid est visibile*, posito quòd nullus fuerit homo in foro, nec quidquam omnino visibile à Deo producatur.

Si omnia implicarēt, Deus non haberet virtutem producendi quidquid non implicat.

II. *Res ex se sunt possibiles, hæc tamen vt sit respectu Dei.*

Obiicitur secundò; non ideo præcisè res est possibilis quia Deus potest illam producere, alioquin è contrario, Chimæra ideo esset impossibilis, quia Deus eam facere nequit, sicque impossibilitas rerum in impotentiam & defectum ex parte Dei refunderetur, quod non est admittendum. Resp. rem ex prædicatis suis intrinsecis, seu conceptu obiectiuo possibilem esse vel impossibilem, concomitanter tamen saltem se habere in Deo potentiam, vel negationem potentiæ, iuxta possibilitatem rei vel impossibilitatem.

Obiicitur tertiò; scientia futurorum eadem in Deo maneret quoad entitatem, etiamsi non fuissent hæc futura, sed alia, imò nulla, ergo & scientia possibilium eadem similiter foret, licet non hæc possibilia fuissent, sed alia, vel etiam nulla, ergo & eadem potentia. Resp. in omnibus Dei attributis non esse ponendum mysterium actûs liberi, nec rem facilem reddendam difficilem: in scientia enim & volitione liberà specialis est necessitas mysterium illud astruendi, quæ non est in aliis attributis. Deinde peculiaris est ratio dicendi potētiam in Deo à possibilitate creaturarum dependere, vt ex dictis constat. III. *Mysterium actûs liberi non est ponendum in omnibus Dei attributis.*

Obiicitur quartò; magnam in Deo arguit imperfectionem dependere hoc modo à creaturis, sic enim minimà creaturà implicante, desineret, imò implicaret Deus. Hoc maximè vrgent aduersarij, estque veluti fundamentum contrariæ sententiæ, in cuius proinde solutione impendi totam sectionem primam, vbi ostendi idem in simili ab ipsis esse necessariò admittendum. Nulla ergo est imperfectio dependere ab aliquo tanquam à mero termino, vbi terminus ille est simpliciter necessarius. IV. *Hæc dependentia à possibilibus non arguit imperfectionem.*

Obiicitur quintò; maior saltem esset perfectio Dei si immunis planè statueretur à creaturis, sic enim magis foret independens, independentia verò dignitatem sonat, ergo tribui debet Deo, *Deus* enim vt ait S. Augustinus, lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 7. *est, quo nihil melius excogitari potest.* Contrà, omnes enim fateri debent dependere Deum à re impossibili, & variis negationibus, vt ostendi sect. 1. Resp. itaque independentiam præ se ferre quandam dignitatem, esse tamen eam impossibilem in attributo quod in virtute productiuà consistit, vt ostensum est. Deo ergo tribui debet perfectissimus conceptus possibilis non Chimæricus. V. *Impossibile est omnipotentiam nō dependere ab effectu possibili.*

Obiicitur sextò; Deus est ens perfectè necessarium, sed si dependeat à creaturis possibilibus, non erit perfectè necessarium ergo. Conf. Deus est perfectissimè ens à se, ergo non potest dependere ab alio. Ad argumentum. Resp. non obstare conceptui entis perfectè necessarij dependere ab alio quod est simpliciter necessarium. Vtrùm autem & qua ratione Deus sit magis necessarius quàm creaturæ possibiles, dixi sect. 1. Ad Confir. dico, solam dependentiam ab alio tanquam à priori & ab influente obstare conceptui entis à se, non tanquam à posteriori, vel à termino, seu à concomitante. VI. *Dependentia à possibilibus non obstat conceptui entis necessarij, & à se.*

Obiicitur septimò; auctoritas S. Thomæ 2. contra Gent. c. 12. negantis dari in Deo relationes ad creaturas. Resp. manifestè ibi loqui S. Thomam de relatione prædicamentali, quæ in ipsius opinione est entitas à fundamento & termino distincta, non de transcendentali, quod apertè constat primò ex nu. 3. vbi asserit, *id quod est actu, non dicere relationem ad id quòd non est actu, sed potentiâ*, & inde probat Deum non dicere relationem ad creaturas, sed certum apud omnes est, relationem transcendentalem esse posse ad id quod non est actu, seu non requirere existentiam termini, sed hoc proprium esse prædicamentalis, ergo de hac loquitur ibi S. Doctor, non de transcendentali, alioqui argumentatio ipsius esset planè inefficax, quod de tanto Doctore dici nullo modo debet. VII. *Mens S. Thomæ circa Relationem Dei ad creaturas possibiles.*

Obiicitur vlteriùs alius locus eiusdem S. Doctoris. 1. p. qu. 25. artic. 3. corp. vbi ait, *conuenientiùs dici, ea, quæ contradictionem inuoluunt, non posse fieri, quàm quòd Deus ea non possit facere*, ergo censet esse in Deo virtutem ex se productiuam impossibilium, & consequenter, VIII. *Obiicitur alius locus S. Thomæ.*

licèt creaturæ omnes iam possibiles redderentur impossibiles, maneret adhuc in Deo virtus illarum productiua, sicque iuxta ipsum omnipotentia attributum est omnino absolutum, & à creaturis penitus independens.

IX. *Hic locus probat enim ponere essentialem connexionem Dei à possibilibus.* Sed contrà, dum enim dicit conuenientiùs tantùm illud prius dici, quam posterius, significat apertè vtrumque citra falsitatem dici posse. Conuenientiùs quidem dicitur illud, ac ex modo loquendi, dum dicitur Deus non posse aliquid facere, suspicetur quispiam in Deo esse aliquem defectum, seu carentiam virtutis, quam habere deberet: vnde cautè in huiusmodi loquendum, *ex verba enim*, vt dici solet, *incautè prolatis nascitur hæresis*.

X. Quamuis autem satiùs sit hoc modo loqui, ipsemet tamen S. Thomas, & alij Patres sæpius absolutè dicunt Deũ nõ posse producere illud quod est impossibile. Sic enim S. Hieronymus in Epist. ad Eustochium ait *Deum facere non posse, vt id, quod præteritum est, non fuerit*. Quod etiam expressè sæpius affirmat S. Thomas 1. p. q. 25 art. 4. citans S. Hieronymum, S. Augustinum, l. 26. contra Faustum, & Aristotelem 6. Ethic. cap. 2. idem asserentes. Nihil etiam frequentius apud S Thomam quàm potentiam Dei non extendi ad impossibile, & alia huiusmodi, vt 2. cont. Gentes cap 25. num. 7. & deinceps, vbi ait, *non posse Deum facere idem simul esse & non esse, idem animal esse videns & cæcum, quòd sit homo sine animâ, quod triangulum rectilineum non habeat tres angulos æquales duobus rectis*, & similia. Ex quibus claré constat de mente S. Thomæ hac in parte, vt quiuis hæc loca perlegens facile perspiciet. *S. Thomas sæpe docet non posse Deum producere id, quod est impossibile.*

DISPVTATIO VII.

Qualis sit respectus materiæ ad formas, & causæ ad effectus.

SECTIO PRIMA.

An materia formas, & causa effectus respiciat in communi.

I. *Respectus Materiæ ad Formas est duplex.* RESpectus Materiæ ad formas, duplex est, transcendentalis & prædicamentalis. Transcendentalis est essentialis illa connexio cum formis in esse possibili, quam disp. 5 declarauimus Prædicamentalis respectus idem est ac appetitus quo materia, vt in statu sit sibi connaturali, formam aliquam petit sibi semper vnitam. Hic tamen ordo & respectus non est adeò strictus ac præcedens, supernaturaliter enim omni formâ orbari potest. Sermo in præsenti de priori respectu est, seu transcendentali.

II. *Dicunt aliqui Materiam respicere formas in communi.* Nonnulli sic Philosophantur: ordinem transcendentalem materiæ respectu formarum dicunt esse respectum, non ad hanc vel illam formam, & causæ efficientis non ad hunc vel illum effectum in particulari (idem de potentiis dicunt respectu obiectorum, & aliis) sed ad effectum & formam in communi: vnde, inquiunt, implicante quacunque formâ aut effectu in particulari, nec causa implicaret, nec materiâ, quia non respiciunt hanc formam *vt hanc*, aut hunc effectum *vt hunc*, seu secundùm vltimam differentiam indiuidualem, sed secundùm rationem tantùm aliquam communem, quæ, inquiunt, quâuis formâ vel effectu permanente possibili, manet: si tamen formæ omnes quas respicit materia, vel effectus ad quos causa ordinem dicit, implicarent, implicaret, inquiunt, materia & causa.

III. *Non repugnat vt actus dicat ordinem transcen. ad rationē aliquam communem.* Prima conclusio: non repugnat respectus transcendentalis actûs alicuius qui terminetur ad rationem aliquam communem. Hoc patet in nostrâ sententiâ in Logicâ disp. 24. traditâ, vbi ostendimus posse actum intellectûs præscindere obiectiuè, & ferri in rationem communem ab inferioribus abstractam, quin repræsentet rationes particulares cum illâ à parte rei identificatas, & consequenter, si implicarent rationes omnes particulares, & sola esset possibilis hæc ratio communis, persisteret eodem modo hic actus.

IV. *Si esset potentia obiectiua solū rationum abstractarum, potentia etiā respiceret solam rationem communem.* Secunda conclusio: si daretur potentia quæ solos posset elicere actus repræsentantes rationes communes, tunc etiam potentia illa solam rationem communem pro termino transcendentali respiceret, & consequenter, si possent rationes illæ communes manere possibiles implicantibus particularibus, potentia maneret, cùm terminum sui respectûs adhuc haberet integrum. Ratio huius conclusionis eadem est cum præcedente, cùm potentia non alio modo intentionaliter respiciat obiecta quàm per actus, vnde quod de his dicitur, conuenit potentiæ & è contrà, obiectum enim potentiæ est obiectum omnium actuum, & obiectum horum, obiectum potentiæ.

V. *Obiectum adæquatū intellectûs non est ratio aliqua communis.* Tertia conclusio: intellectus pro obiecto adæquato non habet rationem aliquam vnam abstractam & communem. Pro obiecto, inquam, adæquato, & Aggregationis, quòd enim feratur intellectus in rationes etiam communes quas abstrahit & considerat, constat ex conclusionibus positis, & ex disp. 24. Logica vbi ostensum est intellectum obiectiuè posse præscindere. Quòd verò nulla ratio communis quantumcunque latè patens sit obiectum illius adæquatum, etiam constat, considerat enim intellectus obiecta diuersissima secundùm particulares eorum rationes, & prout inter se differunt, vt Deum, & creaturas, substantiam & accidens, Petrum & Paulum, ens reale & rationis, ergo non rationes tantùm communes, sed particulares etiam, vt particulares sunt obiectum intellectûs. Et licèt hæc omnia conueniant in ratione entis & veri, cùm tamen intellectus per diuersos actus illa omnia considere, etiam vt differunt actus illi respiciunt in singulis & considerant diuersam rationem entis & veri. Vnde implicante Petro implicaret actus illum repræsentans, implicante autem hoc actu implicaret potentia, cùm enim ex naturâ suâ sit potentia elicitiua talis actûs, si actus implicaret, non esset ampliùs potentia illius elicitiua, sed esse potentiam illius elicitiuam est prædicatum identificatum cum intellectu, ergo à primo ad vltimum pereunte Petro, perit hoc prædicatum, & prædicato pereunte, intellectus.

VI. Quarta conclusio: potentia visiua colores, & sensus omnes sua obiecta transcendentaliter respiciunt, non in communi, sed in particulari. Ratio est eadem quæ in præcedentibus conclusionibus, quia

respectus

Sensus obiecta sua transcendentaliter respiciunt in particulari.

respectus potentiæ ad obiecta desumi debet ex respectu omnium actuum ad illa, & qua ratione actus respiciunt obiecta, respicit illa etiam potentia, vtpote quæ obiecta non respicit nisi per actus, vnde implicante hac numero albedine, implicarent potentiæ omnes visiuæ quæ iam eam possunt cernere. Hactenus de potentiis intentionalibus.

VII.

Nulla potentia Physica respicit rationem communem.

Quinta conclusio: nulla potentia Physica, siue actiua sit, siue passiua, respicit rationem aliquam communem, sed particulares, etiam vt particulares. Ita Hurt. d. 8. Phys. s. 3. nu. 57. Arriaga d. 7. Phys. s. 3. nu. 29. & alij. Probatur à priori in causâ efficiente, quia causa efficiens respicit effectus suos omnes vt producibiles, & vt existentes, vel saltem vt aptos existere à parte rei, sed vt producibiles, & vt existentes à parte rei sunt formalissimè singulares, ergo causa efficiens respicit suos effectus formalissimè vt singulares. Maior est certa, causa enim vt causa, est essentialiter ratio producendi effectum. Minor videtur manifesta, nam nihil nec per diuinam potentiam existere in rerum naturâ potest nisi singulare, hoc enim esset Idæa Platonica. Consequentia est euidens. Conf. causa tendit in effectum, & eum respicit mediâ actione, sed actio non potest afficere nisi singulare, ergo. Et sicut de potentiis intentionalibus dixi, cùm non respiciant obiecta nisi per actus, ideo illa eo modo respicere, quo actus eadem respiciunt, ita & de Physicis dici debet, cùm in actu secundo non respiciant effectus, nisi per actiones, vtpote quos respiciunt vt producendos, eodem ergo modo eos respicient, quo illos respiciunt actiones, sed actiones, vt fatentur omnes, respiciunt effectus in indiuiduo, cùm sint affectiones horum tantùm, & non aliorum, ergo & causæ easdem similiter respiciunt in indiuiduo.

VIII.

Vltima ratio effectus est producibilis ergo causa eam respicit.

Secundò probatur conclusio, vltima ratio & indiuidualis effectûs seu singularitas quà singularitas est producibilis, & vltima ratio formæ est receptibilis, ergo datur potentia illarum quà talium productiua & receptiua, ergo potentia illa ordinem transcendentalem dicit ad singularitatem quà talem. Primum antecedens quoad effectum probatur, nam omnis effectus secundùm vltimam sui est *ens ab alio*, & quid creatum seu productum, non minùs quàm ratio superior, & communis, ergo causa aliqua esse debet illius quà talis productiua, productiuum enim & producibile sunt correlatiua, ergo cum omnis causa effectum respiciat vt producibilem, respiciet etiam hanc rationem vltimam, seu singularitatem, vtpote quæ etiam quà talis, est producibilis. Vltima etiam ratio indiuidualis formæ recipitur in subiecto, ergo potest recipi, ergo petit aliquam potentiam sui receptiuam, sed non est alia quàm ea quæ est receptiua rationis communis cum ipsa identificatæ, ergo illam petit.

Quiuis effectus secundum vltimam differentiam est producibilis.

IX.

Deus producit rationem entis, quia producit hanc substantiam.

Dices, ideo Deus hanc substantiam vel hoc accidens producit, quia est *ens*, ergo Deus vt causa rationem tantùm communem *entis* respicit in quolibet effectu, ergo & causa creata respicere poterit solam rationem communem. Resp. negando primum antecedens, imò ideo potiùs producit Deus rationem entis quia producit hanc substantiam, & hoc accidens, nam iuxta Aristotelem variis locis, *generationes omnes & actiones primò & per se versantur circa singularia*: vnde etiam ait, *secundas substantias, id est rationes communes, non existere nisi ratione primariarum, seu indiuiduorum, & per accidens produci ad productionem illorum*; quare primo Metaph. cap. 1. ait, *hominem non nisi per accidens sanat, qui medetur*. Quibus congruit commune illud dictum Philosophorum ex Aristotele desumptum, nempe *prædicata contingentia*, qualis est productio, & existentia, *vniuersalibus conuenire ratione particularium*, vt quia Petrus currit, ideo homo currit, animal currit, viuens, corpus, substantia currunt. Cuius ratio est, quia hæc omnia, cum vel sint actiones, vel eas necessariò requirant, exerceri primò & per se, ratione nostrâ, debent in indiuiduis.

X.

Ignis A est hic numero formaliter per suam differentiam intrinsecam.

Dices secundò; effectus, ignis A v. g. hîc & nunc productus non est hic numero quia procedit ab igne, sed quia à Deo; vel circumstantiis loci, temporis, & huiusmodi, ergo ignis in ratione causæ in actu primo non respicit ignem illum vt hunc, sed solùm vt ignem, ergo respicit solam rationem communem ignis. Resp. si formaliter loquamur & intrinsecè, nec est hic numero in suâ entitate, quia procedit ab igne, nec quia à Deo, nec ob circumstantias, sed est hic numero formaliter & intrinsecè ob suam differentiam numericam, quam habet constitutiuam sui in esse huius: sicut Petrus est hic homo numero formaliter & intrinsecè per suam differentiam indiuidualem, seu Petreitatem. Si autem sermo sit de causâ seu ratione extrinsecâ, id est, non quare sit hic, sed quare existat vel producatur, distinguo antecedens, non est hic numero quia procedit ab igne tanquam à *causâ determinante*, concedo antecedens; tanquam à causâ efficiente vel coëfficiente, nego.

XI.

Sequeretur causas secundas non respicere rationes specificas.

Et si hæc ratio de determinatione aliquid probet, probabit etiam causas secundas non respicere transcendentaliter rationes etiam rerum specificas, cùm aliunde ad speciem subinde determinentur, sol ex. g. ex se est indifferens ad producendum aurum, argentum, plumbum, ranam, hanc vel illam plantam & similia, & determinatur hîc & nunc à dispositionibus ad hunc vel illum effectum specie, ergo sol non respicit transcendentaliter effectus etiam in specie, seu rationes eorum specificas, sed solùm rationem communem substantiæ: ergo dicere eodem modo possent implicante ratione aliquâ specificâ æquè non implicaturam causam, atque implicante aliquo indiuiduo.

XII.

Singularitas effectus relucet in causâ, respicitur enim effectus vt producibilis.

Dices; non relucet in causâ singularitas effectûs, seu illius indiuiduatio, ergo causa effectum singularem, quà talem non respicit. Resp. negando antecedens, cùm enim causa effectum respiciat vt producibilem, respicit eum vt singularem, vt suprà diximus, & sic effectus hic numero relucet in causâ, licèt non magis hic quam alius, ad quem similiter dicit ordinem, sicque omnes in causâ relucent. Addo, licèt causa Physica non respiceret effectus in particulari, sed rationem tantùm communem, adhuc, implicante vllo indiuiduo, implicaturam potentiam. Quod sic ostendo: implicante vel vno indiuiduo ex centum possibilibus, implicaret hæc ratio communis, ergo implicante vel vno indiuiduo implicaret potentia. Consequentia est certa, antecedens probatur, hæc ratio communis realiter identificatur cum his indiuiduis, ergo implicante vno ex illis implicaret pariter hæc ratio communis. Deinde hæc ratio communis iam, vt suppono, est ratio prædicabilis de centum indiuiduis, sed tunc non est ratio prædicabilis de centum indiuiduis, ergo non est eadem, ergo nec maneret eadem potentia.

XIII.

Ratio communis non distinguitur à particulari, ergo causa Physica vel vtrâque respicit, vel neutram.

Tertiò probatur conclusio, ratio communis in effectu non distinguitur à parte rei à ratione indiuiduali, ergo non potest Physicè & realiter respici vna & non alia, cùm à parte rei non sit vna & alia. Dices, intellectus, vt diximus in Logicâ, d. 24. potest vnam respicere, & non aliam, ergo & causa Physica. Nego consequentiam, nam intellectus, cùm sit potentia abstractiua, potest vnam rationem abstrahere ab aliâ, & concipere rationem aliquam *secundùm se*, & nec positiuè vt existentem, nec vt non existentem, sed præscindere ab vtroque; at verò causa Physica non potest abstrahere à re prout à parte rei, imò non respicit ipsam nisi vt producibilem, & vt ponen-

dam

dam à parte rei, & consequenter solùm vt singularem.

XIV. *Sequeretur vnionem respicere terminum in communi.* Quartò, quia idem dici posset de vnione, & omnibus modis. nempe, non respicere nisi subiectum & terminum in communi, sicque pereunte vno subiecto aut termino, posse tamen vnionem manere, modò subiectum aliud aut terminus prioris loco succedat.

SECTIO II.

Ostenditur etiam Materiam non respicere formam in communi, & soluuntur obiectiones.

I. *Materia etiam non respicit formas in communi.* QVod diximus de causâ efficiente, idem omninò est in materiâ respectu formarum, nam materia respicit formas vt receptibiles, & vt aptas vnà cum illâ constituere composita substantialia, seu vt compartes, sed non sunt receptibiles nec aptæ constituere composita substantialia cum materiâ, nisi vt singulares, ergo materia respicit formas vt singulares, ergo respicit vltimas earum differentias. Conf. respicit eas materia *vt quod*, eo modo quo vnio easdem respicit *vt quo*, sed vnio respicit formas vt singulares, ergo & materia. Eodem enim modo hîc Philosophandum est de vnione respectu materiæ & formæ, quo suprà de actione respectu causæ efficientis, & effectûs. Et hîc eodem modo vrgent argumenta sec. præcedente pro causâ efficiente adducta.

II. Contra conclusiones statutas obiicitur primò; Deus determinat ad indiuiduationes effectuum, ergo causæ secundæ tantùm respiciunt rationes communes. Ad hoc argumentum satis dictum est sec. præcedente.

III. *Obiectum visûs non est color in communi.* Obiices secundò, Obiectum visûs est color vt sic, non hic vel ille color in particulari, ergo. Conf. obiectum cuiusque potentiæ debet esse vnum. Ad argumentum distinguo antecedens, obiectum visûs est color vt sic, id est, ratio coloris abstracta ab omnibus coloribus, nego antecedens; est color vt sic, id est, non vnus vel alter tantùm color in particulari, albedo scilicet vel nigredo, est adæquatum obiectum visûs sed omnes, concedo. Vnde Aristoteles ait, *contraria spectare ad eandem potentiam.* Ad confirmationem etiam distinguo antecedens, obiectum cuiusque potentiæ debet esse vnum vnitate fundamentali & similitudinis, seu quæ fundamentum præbeat intellectui ad abstrahendum vnam rationem, concedo antecedens; debet esse vnum vnitate formali & Physicâ, nego.

IV. Obiicies tertiò; causa per se primò respicit effectum in communi, & secundariò tantùm in particulari, ergo manente ratione communi manet specificatiuum potentiæ, licèt implicet aliquod indiuiduum, quod antea non implicabat. Resp. primò, licèt concederetur respicere effectus in communi, adhuc peteret necessariò implicante vno indiuiduo, vt suprà dixi, nam ratio communis iam non esset eadem quæ antea. Secundò dico, causam Physicam non posse respicere rationem communem, cùm enim, vt dixi, respiciat rem vt producibilem, & vt à parte rei, respicit eam necessariò vt singularem. Deinde cùm à parte rei non sit vnum & aliud, non potest respici vnum per se & primariò, & aliud secundariò, quod ad summum competit intellectui, qui suâ subtilitate rem Physicè vnam, intentionaliter diuidit, vt ostendi in Logicâ d. 24.

Causa Physica nō potest respicere effectū in commun.

V. Obiicies quartò; Causa efficiens non respicit effectum in singulari, seu singularitatem illius *formaliter* sed *realiter* tantùm, *materialiter* & *identicè*. Contrà primò, si effectus reddatur impossibilis, iam nec eum respiciet *realiter*, nec *materialiter*, nec *identicè*, ergo non est idem respectus realiter, materialiter, & identicè, ergo diuersus, & consequenter diuersa entitas. Contrà secundò, idem sunt à parte rei singularitas & ratio communis, ergo non magis formaliter à parte rei & Physicè respicitur vna quam alia cùm non sit vna & alia à parte rei. Dices, ergo non est ignis vel homo à parte rei. Distinguo consequens, non est ignis vel homo in communi, concedo consequentiam; nam à parte rei nihil aliud est quam hic & ille ignis, quàm Petrus, Paulus, Ioannes &c. homo enim vt sic, & prout hoc nomine significatur, importat rationem hominis tantùm, quæ nunquam esse potest à parte rei, ergo non potest à causa Physicâ respici, quippe quæ respicit effectus suos realiter, & vt virtus ex essentia suâ ordinata ad illos a parte rei ponendos, ergo respici ab illâ non possunt nisi vt singulares, & vt apti à parte rei poni.

A parte rei tantùm est hic & ille ignis, homo equus &c.

VI. *Causa respiciens plura vt plura non est disconueniens sibi.* Obiicies quintò; si causa plura respiceret vt plura, esset disconueniens sibi. Nego antecedens, cùm entitas ipsius sit hæc, nempe vt respiciat plures singulares effectus. Sicut non est sibi disconueniens visio corporea, dum albedinem & nigredinem, vel visio intuitiua, dum res maximè diuersas, vt Deum & creaturas, vel etiam oppositas, vt lucem & tenebras, vitam & mortem, peccatum & gratiam simul repræsentat.

VII. *Implicante minima parte alicuius Formæ implicabit tota Materia.* Ex dictis infero primò, implicante vel vnicâ formâ, imò quacunque minimâ particula vllius formæ materialis, implicaturam totam materiam. Cùm enim nulla sit pars materiæ quæ non sit susceptiua illius particulæ formæ, & consequenter quæ non dicat ordinem transcendentalem ad illam illa implicante, implicarent omnes partes materiæ, adeoque tota materia; materiâ autem implicante, implicant formæ omnes, & accidentia in illa immediatè aut mediatè subiectata; his autem implicantibus, implicaret visio intuitiua quam habet Angelus de illis, hac autem visione implicante, implicaret Angelus.

VIII. *Implicante mundo sublunari implicabunt cælestia.* Implicante verò mundo sublunari, implicaret cælestis, cùm ordinem transcendentalem dicat tanquam causa ad effectus varios qui hîc indies producuntur, vt patet ex mutatione continua ac vicissitudine quam in mundo sublunari causant sidera, & sphæræ cælestes. De cælo empyreo posset esse dubium, cùm enim non ordinetur ad res sublunares, sed in sedes beatorum, sicque non circumuoluitur, sed fixum perpetuò est & immobile, videtur à fatali hac rerum dependentiâ excipiendum. Dico tamen & cælum empyreum, implicante nostrâ materiâ implicaturum, quia implicaret visio intuitiua & experimentalis quam Angeli & animæ de illo habent, imò & visio corporea implicaret, quâ homines post diem iudicij illud videbunt naturaliter, vel saltem lucem in eo receptam, ergo si cælum illud, & lux dicant ordinem transcendentalem ad has visiones, his implicantibus, implicabit & cælum empyreum.

Implicante nostrâ Materiâ, implicabit etiam cælum empyreum.

IX. *Duratio hesterna nō est simpliciter impossibilis.* Dices; falsum esse effectu vno vel termino implicante, implicaturam causam, vel id quod terminum illum respicit, de facto enim duratio hesterna in cælo, homine, lapide, & aliis recepta, iam est impossibilis, ita vt nec diuinitus produci modò possit, & tamen res in quibus duratio talis recepta fuit, permanent, ergo. Resp. durationem hesternam semper esse possibilem pro hesterno die, seu pro tempore pro quo semel fuit possibilis, vnde nec iam est impossibilis simpliciter, sed solùm secundùm quid. At verò impossibile de quo nos loquimur, eiusmodi esse debet, vt nullo tempore vel instante produci possit,

oh

ob prædicata contradictoria quæ in se complectitur.

X. *Quomodo vitalitas tribuatur potentiæ, supernaturalitas lumini &c.*

Infero tertiò, quo pacto intelligi debeat frequentissimus ille loquendi modus, nempe tribuendo singula singulis, *vitalitatem* in visione beatificâ assignari potentiæ, *supernaturalitatem* lumini *repræsentationem vel determinationem* speciei, &c. nempe non ita vt verè à parte rei vna formalitas respiciat vnam causam, & alia aliam, cùm à parte rei non sit vna & alia formalitas, vt sæpe diximus: vnde nec vitalitas nec supernaturalitas est à parte rei prout hoc nomine significantur, seu vitalitas & supernaturalitas tantùm. Sensus ergo illius dicti est conditionatus, nempe si existeret illa ratio vitalitatis à parte rei prout concipitur, exigeret potentiam vitalem non tamen supernaturalem, & è contrà de supernaturalitate. Vnde tota præcisio fit per intellectum, à parte rei verò tam lumen respicit vitalitatem quàm eam respicit potentia, vnde si hæc vitalitas implicaret, implicaret similiter lumen. Multò minùs vel potentia rationem communem vitalitatis respicit, vel lumen supernaturalitatis, cùm eas respiciant vt producendas.

SECTIO III.

Vtrùm Materia & causa efficiens respiciant formas & effectus diuisiuè, aut indeterminatè.

I. Ostendimus causam relatione transcendentali effectum non respicere in communi, sed esse in illo priori indifferentem ad varios effectus in particulari, nec ex eo quòd determinetur à Deo vel circumstantiis ad hunc potiùs effectũ quàm alium, ideo non fuisse in illo priori ordinem ad hunc numero effectum, quem iam producit, sed non fuisse ordinem ad hunc tantùm.

II. *Status difficultatis.*

In præsenti ergo inquirimus, an materia in illo priori in quo concipimus ordinem ipsius transcendentalem ad formas, respiciat hanc, & illam, & alias omnes simul determinatè, an tantùm hanc, vel illam diuisiuè, indeterminatè, & vagè.

III. *Materia respicit formas collectiuè non diuisiuè.*

Dico primò: Materia respectu transcendentali omnes formas quas potest respicere, respicit collectiuè, non diuisiuè, id est, non hanc vel illam, sed hanc & illam, & alias omnes. Probationi præmitto, aliud esse materiam (idem semper intelligo de causâ efficiente) collectiuè & simul respicere formas, aliud respicere formas vt eas habeat collectiuè, & simul, hoc enim secundum, cùm formæ naturalem dicant incompatibilitatem vt simul sint in eâdem materiâ, non potest competere materiæ, quæ non est naturalis potentia, & capacitas ad aliquid naturaliter impossibile. Id tamen non impedit quo minùs transcendentaliter simul omnes formas respiciat & collectiuè.

IV. *Ex potentiâ liberâ ostenditur respicere contraria hoc collectiuè.*

Hoc optimè declaratur in potentiâ liberâ quæ definitur esse, *Quæ positis omnibus requisitis potest operari & non operari*, non quòd possit operari & non operari simul, ita vt ly *simul* cadat super illa duo, seu quòd possit operationem iungere cum non operatione, hoc enim nullâ potentiâ fieri potest, cùm sint duo contradictoria, sed quòd potentia ad operandum sit simul cum potentiâ ad non operandum, & æqualiter pro illo priori operationem respiciat & non operationem, non disiunctiuè, operari scilicet vel non operari, equus enim & lapis positis omnibus requisitis possunt operari vel non operari, id est, alterum facere, non tamen vtrumque vel alterutrum. Simultas ergo appellat super potentiam, non super actus. Sic Petrus potest simul attollere, & simul potest deprimere manum, non tamen attollere & deprimere manum simul: sic etiam constitutus quis in medio gymnasio, in illo priori simul ire potest Orientem versus, Occidentem septentrionem & meridiem, non tamen versus has omnes partes simul, sicut nec *sedere simul*, vt aiunt, *& stare*.

Dico itaque materiam respectu transcendentali respicere formas collectiuè non hanc, vel illam, sed omnes, non quidem vt collectiuè & simul habeat omnes, sed simul respicit omnes. Quod suadetur primò, pono materiam esse receptiuam sex formarum, quo posito sic argumentor: Materia secundùm se considerata respicit aliquam ex sex illis formis, sed non est maior ratio cur respiciat vnam quàm aliam, ergo respicit omnes, ergo non tantùm respicit hanc vel illam, sed hanc, & illam, & omnes sex. Conf. Angelus materiam illam intuens & perfectè eam cognoscens, videnśque respicere aliquam ex sex illis formis, si non possit dicere quam ex illis magis respiciat, affirmabit respicere æqualiter omnes, cùm non sit maior ratio vnius quàm alterius: Sicut in hac & similibus propositionibus, *Deus est alicubi*, seu in aliquo loco, sed non est maior ratio cur in loco vno sit quàm in alio, ergo est in omni. V. *Aliud est Materiam simul respicere formas & collectiuè, aliud vt habeat eas simul & collectiuè.*

Dices primò; quæ possunt simul vniri vni tertio, possunt simul vniri inter se, sed duæ formæ substantiales secundùm nos possunt simul vniri materiæ, nam dicimus materiam simul posse eas recipere, ergo & inter se. Resp. idem argumentum fieri posse in potentiâ liberâ respectu operationis & non operationis, & eodem modo probaret posse illa vniri inter se, seu in eodem instanti in eodem subiecto existere. Dico ergo potentiam liberam (idem est de materiâ respectu formarum) nunquam esse potentem ad vniendam sibi operationem & non operationem simul, seu ad illa habenda simul, sed est potens simul & in eodem instante ad illa habenda successiuè. VI. *Materia est simul potens ad habendas diuersas formas successiuè.*

Dices secundò; potentia proportionari debet actibus, ergo talis est potentia quales sunt actus, sed actus non possunt esse simul, ergo nec potentia ad illos est simul. Distinguo vltimum consequens, ergo potentia ad illos non est simul, id est, non est potentia ad illos habendos simul, concedo consequentiam; non est simul potentia ad illos habendos successiuè, nego: nunquam enim ex parte potentiæ est vitius ad habendum illos simul. Deinde distinguo primum antecedens, potentia proportionari debet actibus *in ratione potentiæ & actus*, concedo antecedens; in ratione entis, nego: potentia siquidem ad res corporeas sæpe est spiritualis, potentia ad rem finitam infinita, vt constat in Omnipotentiâ Diuinâ respectu creaturarum, potentia etiam ad accidens frequenter est substantia, & ad rem successiuam permanens: sic in Deo potentia ad producendum tempus est simultanea, nam ab æterno potens erat producere tempus licèt non potens producere illud ab æterno. Idem est de aliis propemodum infinitis, vt consideranti patebit. VII. *Quo sensu sit in Materiâ potentia ad plures Formas simul.*

Dices tertiò; eo modo potentia aliqua respicit actus, aut materia formas, quo potest eas habere, sed non potest habere eas simul, sed successiuè, ergo non respicit simul sed successiuè. Distinguo maiorem, eo modo respicit eminentialiter, virtualiter, & in esse potentiæ, concedo antecedens; formaliter & in esse entis, nego, vt dictum est in priori obiectione. Sicut potentia producendi aliquid successiuum est virtualiter successiua, formaliter simul. VIII. *Virtus eminentialiter successiua, formaliter simul*

Dices quartò; probare hæc quidem, non posse existere vel esse possibilem materiam, si omnes formæ implicarent: hoc tamen non arguit quin existere possit, licèt vna aliqua, vel etiam vlla in particulari forma implicaret, modò semper aliqua maneat possibilis, IX. *Dices, licèt perirei Materia, si omnes formæ implicarent, non tamen, si quæuis.*

lis. Vnde quidni dici possit materiam omnino absolutè respicere aliquam formam, ita vt implicatet si omnes formæ implicarent, non tamen absolutè quamlibet, sed conditionatè, ita vt si quæuis in particulari redderetur impossibilis, non periret materia?

X. Circa hoc dico secundò: licèt in rebus possibilibus non repugnet, imò de facto detur huiusmodi respectus indeterminatus seu conditionatus, respectu tamen eorum quæ sunt impossibilia, est planè implicatorius.

XI. *Datur respectus indeterminatus [illegible] possibilibus.* Prima pars probatur, effectus enim quiuis creatus, vt ignis, calor, frigus, dum existunt, petunt essentialiter aliquam causam conseruatiuam sui, ita vt sine eiusmodi causâ existere nullo modo possint; nullam tamen petunt determinatè, sed aliquam tantùm indeterminatè ex iis quæ ad effectum illum sunt proportionatæ. Sic etiam licèt res creatæ certo loco aut tempori non sint affixæ, locum tamen aliquem & tempus seu vbicationem ac durationem aliquam ita petunt, vt sine iis existere omnino non possint.

XII. *Implicat respectus indeterminatus respectu impossibilium.* Secunda etiam conclusionis pars, quòd scilicet hoc repugnet respectu impossibilium, probatur, esset enim planè inanis, vtpote qui nunquam posset reduci ad actum, & perinde est ac si quis diceret Petrum aut alium quemuis hominem habere potentiam conditionatam ad videndum Deum oculo corporeo, nempe si species elicitiua talis visionis, vel visio eiusmodi non esset impossibilis, & alia huiusmodi sequuntur, quæ suprà d.5. s.1. intuli contra respectum conditionatum in ordine ad impossibilia. In rebus autem possibilibus merè est per accidens quòd quæuis in particulari effectum illum non producat, vel quòd quæuis forma materiam non informet.

XIII. *Licèt Materia respiceret Formas diuisiuè, adhuc vnâ implicante implicaret.* Dico tertiò: licèt daremus materiam hôc secundo modo formas respicere, diuisiuè scilicet & indeterminatè, adhuc implicante vnâ formâ implicaret materia. Probatur, suppono ex.g. esse iam sex formas possibiles, licèt materia sex illas formas respiceret hoc modo diuisiuè aut indeterminatè, adhuc vnâ ex iis implicante periret prædicatum aliquod realiter identificatum cum materiâ, ac proinde periret materia. Antecedens probatur, relucet iam in materiâ quod sit diuisiuè susceptiua sex formarum, sed tunc non esset diuisiuè susceptiua sex formarum, sed tantùm quinque, nec alicuius è sex illis formis, sed solùm alicuius è quinque, ergo iam non relucet in materiâ aliquod prædicatum, quod antea in illâ relucebat, ergo perit aliquod illius prædicatum, ergo perit materia. Cons. ponamus materiam esse susceptiuam duarum tantùm formarum diuisiuè, ergo est susceptiua huius vel illius, sed vnâ implicante non est amplius susceptiua huius vel illius, sed tantùm huius, cùm non sit susceptiua Chimæræ, ergo vnâ implicante implicaret materia, & non esset hæc sed alia.

XIV. *Licèt alia Forma substitueretur, implicaret nihilominus Materia.* Dices; loco illius formæ quæ iuxta suppositionem redditur impossibilis, succedat alia, ergo adhuc erit susceptiua duarum indeterminatè & diuisiuè, ergo non peribit vllum prædicatum in materiâ ex implicatione vnius formæ. Resp. illa altera forma cuius iam est susceptiua, & ad quam dicit ordinem, vel erat antea possibilis, vel non: si erat, ergo antea illam respiciebat, respectus enim transcendentalis necessariò semper est ad omnia quæ potest respicere, cùm nihil aliud sit, quàm potentia ad formas quas potest recipere, & ad effectus quos potest producere; si autem forma illa dicatur esse noua, & quæ iam per impossibile emergat ex numero impossibilium, & reddatur possibilis, distinguo primum consequens, erit susceptiua earundem duarum formarum, sed huius vel illius sicut antea, nego antecedens; erit susceptiua aliarum, concedo. Sed tunc non erit idem ordo, & materia quæ antea, sed alia, nec eadem habebit prædicata essentialia.

SECTIO IV.

Vtrùm materia immediatè sit receptiua formarum substantialium.

I. *Proponitur status controuersiæ.* Ostendimus materiam primam ex naturâ suâ & essentiâ esse ordinem transcendentalem ad formas. Quæstio ergo præsens est, vtrùm ad hoc vt potentia ista, seu ordo transcendentalis reducatur ad actum, requiratur aliqua alia potentia proxima, quæ vel sola recipiat formas substantiales, ita vt materia remotè tantùm eas recipiat, sicut accidentales omnes, præter quantitatem, remotè in aliquorum sententia recipit, qui dicunt albedinem & cæteras qualitates non subiectari in materia immediatè, sed in sola quantitate: vel saltem vtrùm detur potentia aliqua quæ ita iuuet materiam, vt simul cum ea formas recipiat, sicut qui ponunt potentias realiter distinctas ab anima, dicunt actum intellectûs ex.g. immediatè & in intellectu subiectari, & in anima.

II. *Potentia Materiæ ad Formas est duplex.* Notandum, duplicem esse in materia potentiam, alteram præcisè receptiuam, quæ est aptitudo materiæ vt informetur forma aliqua substantiali, & per hanc æqualiter respicit tam animam rationalem, quàm formas omnes materiales. altera materiæ potentia est ad formas sustentandas, & per hanc non respicit animam rationalem sed solas formas materiales, quæ ex illius potentia educuntur, vel educi possunt. Hæc tamen duplex potentia est realiter vna & eadem, ipsa scilicet indiuisibilis entitas materiæ; solùm ergo vocatur duplex, in quantum mente concipitur duplex munus materiæ, nempe ad formas recipiendas, & sustentandas. Quæstio autem hîc præcipuè de priori potentia procedit, nempe receptiua.

III. *Materia per dispositiones redditur proximè apta ad Formas.* Dico primò: certum est ex parte materiæ requiri dispositiones aliquas per quas reddatur proximè apta ad naturaliter recipiendas formas substantiales. non quidem quòd omninò non possit recipere formam sine his dispositionibus, sicut non potest sine potentiâ suâ intrinsecâ, per quam est ens incompletum, sed connaturaliter seu iuxta naturalem exigentiam eas postulat, licèt possit Deus supernaturaliter in materiam omnino indispositam formam substantialem ignis v.g. vel aquæ inducere, quæ nihilominus materiam verè informabit, & cum eâ verum constituet compositum substantiale. Hæc conclusio non eget aliâ probatione quam quotidianâ experientiâ quâ videmus vt forma aliqua introducatur in materiam, varias requiri dispositiones, & nullam omnino sine dispositionibus præuiis induci. Hæc tamen exigentia vtrùm ex parte materiæ se teneat an formæ, an vtriusque, postea videbimus.

IV. *Materia aliâ potentiâ non requirit ad recipiendas Formas.* Dico secundò: non requiritur ex parte materiæ potentia aliqua ab ipsâ distincta, quâ ita iuuetur ad recipiendas formas substantiales, vt potentia illa vel sola, vel simul cum materiâ easdem recipiat. Ita P. Suar. d.13. Metaph. s.8 num 3. Hurt. d.2. Phys s.4. Arriaga d.2. Phys. s. 3. nu. 27. & alij passim contra Auerroem & Themistium. Probatur. vel enim potentia illa est accidentalis, seu accidens, quod ita recipit formas substantiales vt materia easdem non recipiat, nisi remotè, & in quantum potentiam illam accidentalem recipit immediatè, sicut panes dicitur visus, quia albedo terminat visionem: hoc autem est impossibile, *Forma accidentalis nequit adæquatè recipere substantiam.* sic enim non faceret vnum per se substantiale inter materiam & formam, sed vnum solùm per accidens, cùm forma, vt supponitur, vniatur immediatè tan-

tùm

tùm illi accidenti, ergo non potest facere perfectiorem vnionem cum materiâ cui solùm vnitur mediatè, quàm cum formâ illa accidentali cui vnitur immediatè. Deinde non videtur posse forma substantialis educi è potentia accidentis, educitur autem ex potentia sui subiecti, ergo accidens non potest esse subiectum respectu illius.

V. *Nec etiam potest accidens simul cum materia recipere substantiã.*

Nec etiam forma aliqua accidentalis ita est potentia ad formas substantiales, vt simul cum materia illas recipiat; quia vnio illa esset accidentalis, cùm partialiter vniatur accidenti. Si verò ponatur duplex vnio per quarum vnam vniatur immediatè forma materiæ, & per alteram formæ huic accidentali, cõtrà est, si enim possit immediatè vniri materiæ, & non mediâ potentiâ hac accidentali, ergo non est cur illa ponatur vt potentia formæ substantialis receptiua, sed ad summũ vt dispositio, sicut calor, frigus, & reliqua accidentia ad recipiendas formas elementorum & aliorum, esset enim planè superflua in ratione recipiendi, seu per modum partialis potentiæ receptiuæ. Deinde non potest forma substantialis recipi nec partialiter in aliquo accidente, ergo &c.

VI. *Nec potest adiungi Materiæ potentia substantialis ad recipiendas formas.*

Dices; saltem poni posset in materiâ potentia aliqua receptiua substantialis distincta à materiâ, per quam formas recipiat. Sed contrà primò, ergo essentia physica hominis non est sola materia, anima rationalis, & vnio, cum iam noua forma seu potentia ingrediatur illius constitutionem. Contrà secundò, vel illa potentia inest materiæ, vel non: si insit, ergo sicut materia hanc recipit immediatè, quare formas alias substantiales non poterit immediatè recipere? si non insit materiæ, sed per se subsistat, ergo erit materia, cum ei competat definitio materiæ, nempe quòd sit primum subiectum susceptiuum formarum substantialium. Deinde, si dicatur potentiam illam esse formam aliquam substantialem, non potest materiam iuuare ad formas substantiales recipiendas, cum vna forma substantialis non sit susceptiua alterius.

VII. *Licet efficiẽs requirat accidens ad operandum, non tamen Materia ad recipiendũ.*

Dices primò; causa efficiens substantialis requirit accidens quòd simul concurrat ad producendam substantiam, ignis v.g. requirit calorem ad producendum ignem, ergo & causa materialis aliam potentiam requiret ad recipiendam formam substantialem. Resp. primò à multis negari antecedens. Secundò dicò, hoc argumentum si quid probet, probare requiri accidens per quod formam recipiat, sicut substantia requirit accidens tanquam instrumẽtum per quod agat, hoc autem fieri non potest, vt suprà ostensum est. Deinde, diuersa ratio est de causâ materiali & efficienti, cùm causa materialis petat vt cum formâ quam recipit, faciat vnum per se, & compositum substantiale, non sic causa efficiens. Cùm ergo accidens non iuuet ad faciendum vnum per se, imò obstet potiùs, non est cur in materia huiusmodi accidens statuatur.

VIII. *Esto Materia requireret accidens ad recipiendas Formas accidentales non tamen ad substantiales.*

Dices secundò; materia vt recipiat alia accidentia, requirit quantitatem, ergo vt recipiat formas substantiales, requirit etiam formam aliquam substantialem. Resp. primò, antecedens non esse certum, multi enim dicunt albedinem & cætera accidentia recipi immediatè in materiâ, & non in quantitate. Secundò, quidquid sit de hoc, Resp. negando consequentiam, ob rationes suprà positas de definitione physicâ hominis & aliorum compositorum substantialium quorum definitionem, seu conceptũ essentialem non ingreditur nisi materia, forma, & vnio. Deinde, quia non immediatè denominarent formæ materiam, sed solùm remotè & mediatè, remota autem & mediata causa non est propriè causa.

IX. Dices tertiò; saltem ad sustentandum & influendum materialiter in formas materia requirit potentiam aliquam distinctam, sicut efficiens. Negatur tamen antecedens, dicendum enim esset materiam requirere accidens ad recipiendam formam substantialem, sicut efficiens requirit accidens ad agendum, accidens autem cùm recipere formam substantialẽ non possit, nec potest eam sustentare, semper enim subiectum sustentationis est pariter subiectum informationis. *Nec ad influendum in Formam requirit Materia accidens.*

X. *Dices potẽtia Materiæ accedit & recedit, ergo distinguitur.*

Dices quartò; Ratio potentiæ variatur in materiâ & accedit ac recedit, ergo esse potentiam non est illius entitas, quippe quæ nunquam minuitur. Antecedens probatur, materia siquidem iam est potentia ad formam ignis existentem, postea tamen vbi corrupta fuerit illa forma, non est ampliùs potentia ad illam, cum naturaliter reproduci non possit, potentia autem naturalis ad rem naturaliter impossibilem dari nequit, ergo ratio potentiæ est aliquid potentiæ superadditum, & ab ipsâ distinctum, non illius entitas.

XI. *Contrà: idẽ argumentũ fieri posset de formâ accidentali Materiæ superadditâ.*

Contrà, idem argumentum fieri potest de hac ipsa potentiâ accidentali: vel enim hæc perit pereunte formâ, vel non: si non pereat, ergo hæc respectu formæ iam destructæ esse debet potentia per aliquid superadditum, cùm eam denuò recipere non possit; sin verò pereat, ergo materia respectu illius constitui in ratione potentiæ debet per aliquid superadditum, sicque ibitur in infinitum. Idem est in causâ quauis efficiente, quæ effectus semel destructos reproducere denuò non potest. Resp. itaque vel posse materiam ex se formas destructas iterum recipere, vel naturam eius esse vt semel tantùm eandem formam recipiat, sicq; eadem semper in eâ perstat potentia, sed de hac re plura postea.

SECTIO V.

An materia ita sit potentia respectu formarum vt omnem excludat actum. Seu, an sit pura potentia.

I. Commune antiquorum effatum est, ac veluti oraculum Philosophicum, *materiã esse puram potentiam:* quod pronuntiatum ita sanctè nonnulli seuereque seruari volunt, & materiam ita puram potentiam esse asserunt, vt eam omnem omninò actum excludere affirment.

II. *Potentia triplex: Obiectiua. Actiua, & Passiua.*

Vt res intelligatur Notandum, triplicem esse potentiam quoad præsens, *Obiectiuam*, *Actiuam*, & *Passiuam*: *Obiectiua*, quæ & *Logica* dicitur, est non repugnantia ad existendum, vt sol ante productionem non inuoluebat in conceptu suo obiectiuo vllam repugnantiam ad existendum, seu prædicata contradictoria, ratione quorum non posset physicè & realiter existere, sicut inuoluit Chimæra. *Potentia Actiua* est virtus aliquid producendi, seu quæ effectum aliquem præcontinet, vt sol respectu lucis, ignis respectu caloris. *Passiua* demum est aptitudo ad formam aliquam recipiendam, & denominationem ab eâ desumendam. Suus cuique potentiæ respondet actus obiectiuæ existentis, actiuæ effectus, passiuæ forma.

III. *Aliud est esse Potentiã aliud in potentiâ.*

Notandum secundò aliud esse, rem aliquam esse *potentiam*, aliud esse *in potentiâ*. solem enim vel Angelum esse in potentiâ logicâ, seu obiectiuâ idem sonat atque non esse eos productos, nec extra causas positos, & hoc sensu certum est materiam primam iam existentem, licèt dici possit pura potẽtia, vt postea videbimus, non tamen esse in purâ potentiâ seu obiectiuâ & logicâ, tunc enim non existeret. Nec etiam dici potest materiã esse in purâ potentiâ pas-

siuâ, hoc enim sonat, materiam nullam actu habere formam, sicut esse in potentiâ logicâ est nullam habere existentiam.

IV. *Materia prima non excludit omnem actum.*

Dico primò: materia prima non ita est pura potentia, vt omnem excludat actum. Probatur, est entitas aliqua, seu quiddam physicè & realiter ab entitate formæ distinctum, ergo habet actum entitatiuum, qui entibus omnibus, eo ipso quòd entia sint, est communis. Conf. primò, materia constat ex genere & differentiâ cùm definiri possit, vt vidimus ex Aristotele eam definiente, quòd sit *primum subiectum ex quo fit aliquid, ita vt insit.*, ergo saltem habet actum metaphysicum, differentiam scilicet, quâ ab omni aliâ re distinguitur. Conf. secundò, materia habet propriam existentiam, vt postea videbimus, ergo habet actum existendi.

V. *Habere debet actum entitatiuum.*

Conf. tertiò, esto enim concederemus materiam existere per existentiam formarum, adhuc necessariò esse per se deberet entitas aliqua, sicque habere actum entitatiuum, nam pereuntibus variis formis, quibus successiuè subest materia, manet perpetuò eadem entitas materiæ, ergo habet actum entitatiuum, seu entitatem aliquam à formis distinctam.

VI. *Materia prima est pura potentia physica.*

Dico secundò, materia prima est pura potentia physica, excludens ab entitate suâ omnem actum physicum, ac dicens repugnantiam vt sit actus physicus seu forma, multò magis vt sit totū compositum vt quidam volebāt ex antiquis, quos impugnat Aristoteles, dum ait materiam esse puram potentiam, & hoc solùm sensu ab ipso & S. Thoma vocatur pura potentia. Probatur conclusio, materia est primum subiectum, ergo non potest esse forma, primum enim subiectum illud est quod non habet aliud prius se, si autem materia prima esset forma, deberet inesse alteri subiecto, & consequenter non esset primū, vt suprà ostendimus d. 3. s. 1.

VII. *Materia est purus actus subsistens incompletus.*

Dices, ergo materia est purus actus subsistens. Distinguo consequens, est purus actus subsistens incompletus, concedo consequentiam; completus, nego: actus enim completus vt Angelus, non ordinatur ad complendum aliud, sed est ens per se completum, & omnibus quasi numeris in hoc genere absolutum: Actus autem incompletus ille est, qui ad aliud complendum ordinatur, vt anima rationalis. Materia autem est actus incompletus, non quicunque, sed entitatiuus, non verò physicus, hoc enim competit soli formæ, vt diximus.

VIII. *An Forma dici possit actus purus physicus.*

Licèt autem, sicut materia vocatur *pura potentia physica*, ita forma in rigore appellari posset actus purus physicus, non tamen ita loquendum, nisi addatur informans vel informatiuus, quia per actum purum communiter intelligunt auctores Deum, qui est actus purus perfectè & completè subsistens, omnem omnino rationem potentiæ passiuæ essentialiter excludens.

DISPVTATIO VIII.

De appetitu materiæ ad formas.

NIhil apud Aristotelem frequentius, nihil vsitatius in Scholis, quàm materiam formas appetere. Hîc ergo quid tam celebris iste materiæ appetitus sit, inuestigandum. Cui quæstioni miror nonnullos tamdiu insistere, eamque tam operosè discutere, cùm nullibi acriùs disceptetur de nomine.

SECTIO PRIMA.

Quid, & qualis sit appetitus materiæ ad formas.

I. *In quo differat appetitus à potentia passiua.*

NOtandum, appetitum aliud nihil esse, quàm *propensionem alicuius rei in bonum suum, & perfectionem*: vnde in hoc differt à potentiâ passiuâ, quòd hæc ad id etiam aliquando detur, quod non est perfectio, nec bonum habentis, vt aqua potentiam habet receptiuam caloris, animal doloris, & similia.

II. *Appetitus duplex, elicitus, & innatus.*

Appetitus duplex est, *elicitus* alius, alius *innatus* seu naturalis: appetitus elicitus *est actus aliquis à potentiâ appetitiuâ productus, quo quis quod sibi congruit, expetit*, quâ de causâ vocatur elicitus. Cùm ergo *opus naturæ sit opus intelligentiæ*, vt ait S. Thomas, & Aristoteles, sicut animalia bonum quod per cognitionem præuiam repræsentant, appetunt per appetitum elicitū; ita res omnes naturales per suas entitates in suum bonum & perfectionem propendent, quæ inclinatio & propensio vocatur *appetitus innatus*, seu *naturalis*, non elicitus, quia est sola entitas ipsa rerum, & non actus quispiam vitalis, & sensibilis à potentiâ aliquâ procedens, vt in rebus cognoscitiuis contingit. Sic lapis appetitum naturalem habere dicitur ad centrum, ignis ad suam sphæram, & materia prima ad formas, quibus, cùm ea se sit quid incompletum, perficitur, ac proinde formæ hoc sensu sunt bonum materiæ, & illius perfectio.

III. *Res per appetitum innatum quædam fugiunt, & auersantur.*

Sicut verò omnis actus elicitus rei per cognitionem operantis non est appetitus, seu prosecutio, sed odium aliquando & fuga, nempe respectu mali; ita res etiam naturales appetitu innato auersantur veluti ac fugiunt quædam, ea nimirum quæ ipsis mala sunt & disconuenientia. Sic animal appetitu vel actu elicito dolet de malo aliquo præsente, & homo actus erroris elicit, ad quæ tamen appetitum innatum non habent, sicut nec aqua ad calorem, sed illum auersatur potiùs ac fugit.

IV *Desiderium, Gaudium, & Amor.*

Secundò notandum, sicut appetitus seu actus eliciitus triplex constitui solet, *desiderium*, quod est de bono absente. *Gaudium* seu fruitio & quies de bono præsenti, & illius possessio, & *amor*, qui absoluto quodam modo in bonum fertur secundùm se, abstrahendo à præsentiâ eius vel absentiâ; sic suo etiā modo philosophari possumus de appetitu innato. Si ergo bonum & perfectio rei debita absit, dicitur respectu illius, *desiderium*: si adsit, *gaudium* de illo dicitur, vel fruitio: si verò secundùm se sumatur, & respectu merè transcendentali, dicitur *amor*.

V. *Actus appetitus, alij absoluti, alij conditionati.*

Notandum tertiò, sicut actus seu appetitus eliciti alij absoluti sunt, alij cōditionati & inefficaces, ita & in appetitu innato huiusmodi aliquid reperitur. Vltimò verò, & præcipuè notandum, cùm appetitus innatus per metaphoram tantùm dicatur appetitus, & impropriè, similitudine ab appetitu elicito deductâ, non ita exactè conferri cum appetitu elicito debere, vt quidquid in hoc reperitur, ascribatur statim alteri, eique ad amussim quadret, sed sufficit si in vnâ vel alterâ proportione cum illo conueniat.

VI. *Materia appetitu innato appetit omnes formas.* Prima conclusio: materia respectu transcendentali, seu appetitu innato formas omnes appetit. Probatur, Appetitus hic nihil aliud est quàm *propensio & inclinatio naturalis in bonum proprium & perfectionem* sed formæ omnes sunt bonum & perfectio materiæ, per eas enim tanquam per compartes iuxta naturalem, quam habet, inclinationem perficitur, ergo.

VII. *Magis appetit Formas perfectiores.* Secunda conclusio: Materia appetitu innato magis formas perfectas appetit quàm imperfectas, & consequenter omnium maximè appetit animam rationalem. Est contra P. Arriagam d. 2. Phys. s. 4 n. 42. Hæc conclusio exinde probatur, quòd cùm appetitus innatus, vt diximus, sit propensio cuiusque rei in bonum suum, quò res quæpiam est illi melior, eò illam magis appetit, cùm ergo maximè perficiatur materia ab animâ rationali, vtpote formâ omniũ nobilissimâ, maximè illam appetet.

VIII. *Propensio indiuisibilis materiæ est tota magis respectu vnius formæ, quàm alterius.* Dices; propensio materiæ est ipsa eius entitas, sed entitas materiæ est indiuisibilis, ergo & propensio, ergo non est maior vel minor propensio respectu vnius quàm alterius. Resp. negando vltimam consequentiam, licèt enim entitas materiæ, & consequenter respectus eiusdem transcendentalis, & propensio sit indiuisibilia, hinc tamen non arguitur, non magis propendere materiam ad vnam formam quàm ad aliam, non quòd entitas illius & propensio diuidatur, & para hanc formam respiciat, pars illam, sed tota materiæ entitas magis propendat ad vnam formam, quàm ad aliam, iuxta formarum in perfectione diuersitatem

IX. *In appetitu etiam elicito duo eodem actu amantur inæqualiter.* Nec hoc mirum cuipiam videri debet, cum idem in appetitu elicito contingat, & alijs rebus: primò enim possunt duo eodem indiuisibili actu amari & appeti inæqualiter, vt cùm quis creaturas propter Deum amat, & medicinam propter sanitatem, quod etiam contingit cùm duo vel plura obiecta disparata amantur eodẽ actu inæqualiter. Idem in intellectu cernitur, vt dum per visionem beatam videtur Deus clarè & intuitiuè, creaturæ autem solùm abstractiuè Sic eadem visio materialis duos colores, quorum vnus alio est obscurior, vel remotior, repræsentat, sicque totus actus respectu vnius est clarior quàm respectu alterius.

X. *Maximè appetit animam rationalem* Omnium ergo formarum maximè appetit materia animam rationalem, vtpote maximam suam perfectionem: si enim materia appeteret per cognitionem præuiam, maximè eam appeteret, ergo iam idem præstabit, licèt non cognoscat, cùm *opus naturæ*, vt dictum est *sit opus intelligentiæ*.

XI. *Nec obstat quod ignis æqualiter appetat quamcunque supremam partẽ suæ sphæræ.* Dices secundò, ignis æqualiter appetit quamcunque saltem ex supremis partibus suæ sphæræ, ergo & materia æqualiter appetit quamcunque formam. Nego consequentiam, nam sphæra ignis est ex partibus homogeneis, nec vna pars excedit in perfectione aliam: at sphæra, vt ita dicam, materiæ, nempe formæ omnes, est heterogenea, constans ex varijs partibus dissimilibus, formis scilicet in perfectione inæqualibus. Instabis, ergo materia est in statu violento quando est sub aliâ formâ, quàm sub animâ rationali. Nego consequentiam, non enim cùm aliquid non est in perfectione suâ maximâ, sequitur esse in statu violento, sicut nec intellectus est in statu violento cùm non habet actum omnium perfectissimum, quem ex naturâ suâ aptus est elicere. Cùm ergo quælibet forma sit beatitudo quasi naturalis ipsius, eamque instar compartis compleat, materia sub quauis bene & sufficienter se habet, estque suâ sorte contenta, sicque non est in statu violento, licèt meliore loco esset si informaretur ab animâ rationali. Deinde materia vt pars vniuersi appetit varietatem, vt postea dicetur.

Tertia conclusio: si spectetur appetitus materiæ ad formas merè secundùm ordinem illius transcendentalem ad easdem, est potiùs instar *amoris* propriè dicti, quàm *desiderij*, vel *gaudij*. Ratio est, quia id solùm spectat ad ordinem transcendentalem quod relucet in entitate materiæ per se consideratæ, sed in entitate materiæ per se consideratæ, nec relucet actualis possessio formæ, nec negatio actualis possessionis illius, id est, nec præsentia actualis seu vnio formæ, nec absentia, sed solùm prædicata essentialia formarum, ergo ordo & appetitus transcendentalis materiæ nec est per modum *gaudij*, nec *desiderij*, cùm hoc essentialiter includat vel præsupponat absentiam rei, illud præsentiam: ergo est potiùs instar *amoris* propriè dicti seu complacentiæ cuiusdam, quæ abstrahit & à præsentiâ & absentiâ rei amatæ. XII. *Appetitus Materiæ ad Formas est instar amoris.*

Dices; materia respectu transcendentali appetit vt habeat formas, ergo inuoluitur ibi negatio præsentiæ formarum, nihil enim appetit quod habet, ergo. Resp. negando primam consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens, nihil appetit quod habet, appetitu *desiderij*, concedo antecedens; appetitu *amoris & complacentiæ*, nego: Amor enim hic materiæ metaphoricus imitatur amorem verum, qui in rem nec vt absentem fertur, nec vt præsentem, sed in eam merè secundùm se. Qui affectus manet, etiam dum formæ sunt præsentes, & vnitæ materiæ. XIII. *In appetitu Materiæ ad Formas non inuoluitur negatio præsentiæ Formarum.*

Cùm ergo dicitur, materia appetit vt habeat formas, distinguenda est illa propositio, appetit vt habeat, id est, appetit formas, seu propendet in eas, concedo; appetit vt habeat prout hæc verba sonant nego: verba enim sonant carentiam formarum, seu materiam non solùm esse potentiam, sed esse in potentiâ ad formas, quæ tamen carentia in conceptu intrinseco ordinis transcendentalis non includitur, sic lapis, etiam dum est in centro, dicitur appetere centrum, seu in illud propensionem habere, non tamen appetere vt habeat, vel vt acquirat centrum, hoc enim sonat needum eum ad centrum peruenisse. XIV. *Quo sensu Materia appetit vt habeat Formas.*

Quarta conclusio: si materia existeret sine omni formâ posset dici desiderata omnes. Probatur, nam omnes in eo casu abessent, ergo omnes desideraret. XV. *Materia sine Formis desideraret omnes.*

Conf. primò si materia esset sine omni formâ, & Deus crearet decem formas materiales diuersę speciei extra materiam diuersis in locis, illæ decẽ formæ omnes simul & eodem instante appeterent illam materiam, ergo & eodem modo materia appetet & desiderabit illas, cùm non minùs omnia requisita ad appetitum & desiderium ponantur ex parte materiæ quàm formarum, ergo similiter omnes formas possibiles appeteret. Conf. secundò, forma leonis v. g. conseruata sine omni materiâ, non vnam aliquam solùm materiam desideraret, sed omnes quæ ipsius sunt capaces, non enim est maior ratio cur vnam appetat quàm aliam, ergo &c. XVI. *Formæ omnes tunc appeterent Materiam, ergo & Materia Formas.*

Conf. tertiò, ponamus aliquem ignem esse in centro terræ, in puncto scilicet à sua sphæra remotissimo, vel in minimo aliquo loco ibidem, & auferantur omnia impedimenta intermedia, adhuc non ascendet, quia scilicet appetit & desiderat omnes partes suæ sphæræ, cũ ergo determinare se nequeat manebit in centro. XVII. *Explicatur exemplo ignis in centro terræ.*

Dices; latam esse hîc disparitatem inter materiam & ignem, sphæra enim ignis constat ex partibus homogeneis, vt diximus, sphæra autem, vt ita dicam, materiæ ex heterogeneis, cùm formæ sint in perfectione inæquales. Resp. sphæram quidem materiæ esse inæqualem, & in hoc, fateor, est diuersitas inter ignem & materiã, sed hoc non arguit quin materia appetat omnes sphæræ suæ partes, seu omnes XVIII. *Sphæra ignis æqualis, materiæ inæqualis.*

formas, licèt non æqualiter. Sicut ſiquis ſrigeat vel aſuriat, licèt maximè appetat & deſideret optimas veſtes vel cibos, non tamen ſequitur non deſiderare & appetere minùs præſtantes.

XIX. *Materia exiſtens ſub vna forma appetit alias pro alio tẽpore.* Quinta concluſio: Materia, etiam dum eſt ſub vnâ formâ, licèt ſit perfectiſſima, anima rationalis ex. g. appetit & deſiderat alias omnes ſibi poſſibiles, non quidem pro eo tempore quo habet hanc, ſed pro alio, ſeu *nunc*, vt loquuntur Dialectici, *pro tunc*. Probatur & explicatur concluſio, nam licèt quis æſtate indutus veſte byſſinâ non appetat villoſam, aut ſagum pro eo tempore, appetere tamẽ tunc eas veſtes poteſt pro hyeme, vel pro tempore belli: ſicut & ignem mediâ æſtate poteſt quis appetere pro tempore hyberno.

XX. *Nec tamen propterea deſiderat abſentiam formæ præſentis.* Non ergo hinc inſeras, ſi deſiderat præſentiam alterius formæ, deſiderare etiam abſentiam & destructionem illius quam habet, nam non deſiderat illam quam non habet omnino abſolutè, ſed aliquo modo conditionatè ex parte obiecti, caſu ſcilicet quo hanc amittat.

XXI. *Gaudet materia de Formâ præſente, deſiderat abſentes.* Gaudet ergo materia de formâ præſente, deſiderat abſentes, gaudio & deſiderio non tranſcendentali, ſed prædicamentali, id eſt, quod non conſiſtat adæquatè in ſolâ entitate materiæ, ſed ſit denominatio partim intrinſeca, partim extrinſeca, includit nempe vnionem, vel negationem vnionis formæ.

XXII. *Natura humana Christi appetit propriã ſubſiſtentiã conditionatè.* Dices; natura humana in Chriſto ſubſiſtẽs ſubſiſtentiâ Diuinâ, non appetit propriam, quia Diuina eſt perfectior, ergo nec materia, dum eſt ſub animâ rationali, appetet alias formas imperfectiores. Reſp. primò, verum quidem eſſe naturam humanam non ita propriam appetere ſubſiſtentiam dum ſubſiſtit Diuinâ, quaſi ſub hac eſſet in ſtatu violento, ſicut eſt in ſtatu violento lapis, & appetit centrum, dum penſilis detinetur in aëre; verè tamen etiam tunc propriam appetit, ſaltem conditionatè.

XXIII. *Dicitur aliquo non omnino eam appetere.* Secundò dico, ſi natura illa non appetat propriã ſubſiſtentiam, non eſt ob maiorem perfectionem Diuinæ ſubſiſtentiæ præcisè, ſed quia Diuina eminenter continet propriam ſubſiſtentiam naturæ humanæ, ſicque dum Diuinam habet, habet eminenter ſuam, quam ſolam deſiderare poteſt: anima autem rationalis non continet eminenter omnes formas, quas appetit materia, vt formam ligni, lapidis, leonis, equi, terræ &c.

XIV. *Duplex in materiâ ad Formas propenſio.* Dici etiam poſſet, quod ſuprà inſinuaui, centrum veluti, & ſcopum materiæ eſſe pulchritudinem vniuerſi, quæ in rerum varietate conſiſtit. Materia ergo vt pars vniuerſi, viciſſitudini rerum, & vniuerſi pulchritudini ſubſeruit. Secundùm tamen propriam ſuam & priuatam inclinationem, maximè in animã rationalem propendet, vtpote formam formarum omnium perfectiſſimam. Quare ſi in circumferentiâ ſphæræ alicuius, qualis eſt ſphæra ignis, collocarẽtur formæ omnes ſigillatim, quarum eſt ſuſceptiua materia, & materia collocaretur in centro, haberetque vim aſcendendi inſtar ignis, cæteris relictis, rectà aſcenderet ad animam rationalem.

XXV. Quod de formis ſubſtantialibus diximus, intelligi etiam debet de accidentalibus, quas non minùs reſpicit materia, quàm ſubſtantiales; de vtriſque etiã reſpectu materiæ, quam viciſſim reſpiciunt.

SECTIO II.

Vtrùm materia habeat appetitum ad formas corruptas.

I. *Ratio dubitandi.* Ratio dubitandi eſt, quia formæ corruptæ reproduci naturaliter non poſſunt, ſicq; nec naturaliter informare materiam, ergo nec è contrà materia poterit naturaliter eas recipere, ergo non eſt potentia naturalis reſpectu illarum, ergo poſtquam ſemel deſtructæ ſunt, materia eas ampliùs nec reſpicit, nec appetit.

II. *1. ſent. ait materiam appetere formas corruptas. Secunda negat.* Prima ſententia affirmat vniuerſim materiam formas corruptas appetere. Ita P. Hurt. d. 2. Phyſ. ſ. 3. n. 36. P. Ouiedo c. 2. Phyſ. p. 4 n. 19. & multi ex recentioribus. Secunda ſententia eſt aliorum qui negant materiam appetere formas corruptas, quam etiam ſequitur P. Arriaga d. 2. Phyſ. ſ. 4. n. 44.

III. *Duplex in materiâ appetitus, remotus & proximus.* Notandum quod ſuprà explicaui, materiam duplicem dicere appetitum ſeu potentiam ad formas, tranſcendentalem ſeu remotam, & prædicamentalem ſeu proximam. Appetitus tranſcendentalis eſt ſola & nuda entitas materiæ, prædicata nimirum illius eſſentialia, ſeu aptitudo & ordo tranſcendentalis ad formas. Appetitus verò prædicamentalis ſeu proximus alia multa connotat, nempe diſpoſitiones, & alias circumſtantias, ablationem etiam impedimentorum, & vt potentia materiæ ſit planè ad receptionem formarum expedita.

IV. *Materia appetitu remoto appetit formas corruptas.* Prima concluſio: materia appetitu tranſcendentali & remoto reſpicit formas corruptas, idque ſiue eæ naturaliter reproduci poſſint, ſiue non. Probatur, potentia remota materiæ aliud nihil eſt, quàm ipſa entitas illius, ſed hæc eadem eſt quantumuis formæ corrumpantur, ergo remanet in materiâ potentia remota ad formas, etiam ipſis corruptis. Conf. ad potentiam hanc remotam aliud non requiritur, quàm talis proportio inter prædicata intrinſeca illius quod eſt potentia, & terminum ad quem eſt potentia, ſeu inter actum & potentiam, vt loquuntur Philoſophi, ſed eadem eſt proportio prædicatorum inter materiam & formam corruptam, quæ erat antequam corrumperetur, ergo.

V. *Si forma corrupta reproducatur, materia eam naturaliter recipiet.* Secunda concluſio: ſi forma corrupta iterum reproducatur, non minùs illam naturaliter recipiet materia per nouam vnionem, quàm eam primò recepit, nec minùs naturaliter compoſitum cum eâ naturale conſtituet. Vnde Angelus compoſitum illud iam conſtitutum intuens, nihil in eo videbit præternaturale, nec ſciet vtrũ ſit ex formâ reproductâ conſtitutũ, an ex formâ tunc primò productâ. Ratio eſt, quia ad compoſitum conſtituendum parum refert quâ actione, vel quo modo forma producatur, naturaliter ſcilicet, an ſupernaturaliter, ſed ſola ſpectatur proportio inter actum & potentiam receptiuam, ſeu prædicata eorum eſſentialia, quæ cùm eadem ſint quæ in primâ formæ productione, eodem modo concurrent ad compoſitum conſtituendum.

VI. *Color reproductus videtur naturaliter.* Conf. ſi color aliquis deſtructus reproducatur, eſto in illius reproductione aliquid interueniat præternaturale, poſtquam tamen eſt reproductus, non minùs naturaliter eum videbit oculus, quàm antequam deſtrueretur.

VII. *Materia naturaliter reſpicit animam rationalem ſibi ex parte deunitam.* Tertia concluſio: materia habet potentiam & appetitum naturalem, non tranſcendentalem tantùm, ſed etiam prædicamentalem reſpectu animæ rationalis, cui ſemel vnita, ab eâ poſtea fuit deunita. Ratio eſt clara, illa ſiquidem eſt potentia naturalis, non tranſcendentalis tantùm & remota (de quâ in præcedentibus duabus concluſionibus) ſed prædicamentalis etiam & proxima, ad quam, vt ad actum reducatur, non eſt neceſſarium vt aliquid interueniat ſupernaturale, nec quoad rem, nec quoad modum, ſed vt materia deunita ab animâ rationali, illi iterum in quibuſdam caſibus vniatur, non eſt opus vt quidquam vel ſupra vel præter naturam interueniat, ergo. Probatur minor, ſiquis præciſam ſibi brachij v.g. partem comederet, non minùs illâ nutriretur, & in ſuam eam ſubſtantiam conuerteret, quàm

quàm si esset pars alterius cuiuspiam animalis, ergo materia illa per nouam partem vnionis rursum naturaliter vniretur animæ, à qua semel fuit deunita, ergo quando est deunita, appetit eam naturaliter Idem in sententia S. Augustini, S. Thomæ, & Aristotelis est de forma cuiuscunque animalis perfecti, equi, leonis &c. quam ipsi affirmant esse indiuisibilẽ. De quo in libris de Anima, d. 8.

VIII. *Aliud est de Anima plenè deunita.* Quarta Conclusio: anima rationalis integrè semel à corpore separata, nec vnquam materiæ naturaliter reuocatur, nec reuniri naturaliter potest: vnde neque materia eam hoc modo deunitam appetitu prædicamentali respicit.

IX. *Cur anima naturaliter reuniri ne queat corpori.* Prima Conclusionis pars est certa, alioquin in Pythagoræ metempsychosin incideremus, qui animas de corporibus in corpora transmigratione quotidianâ transire sumniabat. Secunda etiam pars probatur, animæ enim, postquam à corporibus, quibus prius vnitæ erant, sunt semel separatæ, sunt in termino merendi, vnde naturali viâ & modo vniri denuò corporibus, & in hanc vitam & agonis locum redire naturaliter non possunt. Ex quibus constat tertia conclusionis pars, si enim animæ naturaliter materiæ rursus vniri, & eam informare nequeant, materia eas appetitu prædicamentali naturaliter appetere non potest, appetitus siquidem completè naturalis, terminum postulat naturaliter possibilem.

X. *Resurrectio mortuorum est miraculosa.* Hinc constat resurrectionem mortuorum esse quoad modum supernaturalem, ac miraculosam, tũ quia non naturali viâ tunc homines reproducuntur, tum quia tot corpora quorum materia sub aliis formis immediatè antè extiterat, elementis scilicet, plãtis, & animalibus, subitò & in ictu oculi compinguntur, disponuntur, & animabus informantur, sicque multis nominibus naturæ leges infringuntur.

XI. Vtrùm verò materia prima alias formas tum substantiales, tum accidentales semel destructas appetitu prædicamentali connaturali respiciat, ab ea quæstione pendet, an scilicet formæ, & res aliæ semel destructæ, possint naturaliter reproduci. De quo sectione sequente.

SECTIO III.

An formæ destructæ possint naturaliter reproduci.

I. *Status controuersiæ.* QVæstio hæc non de formis tantùm, siue eæ substantiales sint, siue accidentales, procedit, sed de omni omnino effectu, de quo proinde vniuersim inquirimus, an, vbi semel res aliqua defierit, redire naturaliter possit.

II. *1. sent. est posse rem destructam reproduci naturaliter.* Affirmat Gregor. Ariminen. in 1. d. 17. q. 4. art. 2. Hurt. d. 2. Phys. sect. 3. & d. 10. s. 4. Ouiedo Cont. 12. p. 5. quam hodie sententiam passim sequuntur recentiores. Hanc opinionem à fortiori sequitur Scotus in 4. d. 43. q. 1. & Ricbardus ibid. q. 1. ar. 3. qui de facto id semper contingere asserunt, vbi idem agens eidem denuò passo applicatur.

III. *Secunda sententia negat.* Secunda sententia ait eundem numero effectum naturaliter iterū reproduci non posse. Hoc insinuat Suar. d. 5. Met. s. 9 nu. 10. & To. 2. in 3. p. dist. 44. s. 6. §. dico tertiò fine. tenet Vasq. To. 1. in 3. p. d. 74. cap. 7. nu. 47. & deincepi. Arriaga d. 2. Phys. s. 4. nu. 44. & multi ex recentioribus. Imò eousque, quamuis malè, procedunt Durandus & Marsilius apud Suar. d. illa 5. sect 9. n. 2. vt idem numero accidens in eodem denuò subiecto recipi, nec diuinitùs posse affirment.

IV. Hæc secunda sententia mihi videtur probabilior, in quà tamen probanda auctores non parum laborare video, res enim hæc nec ro vnam partem, nec alteram ita est explorata, vt animus planè acquiescat. Probant aliqui ex illo Aristotelis, c. de Oppos. post medium, *à priuatione scilicet ad habitum non datur regressus*, ergo secundùm ipsum, idem numero effectus redire ac reproduci nequit. At longè alia est mens Philosophi, vt locum illum intuenti constabit, discrimen enim illic assignat inter contraria & priuatiua, & in illis ait dari regressum, nam aqua ex frigidâ fit calida, & è contrà, non tamen (inquit) datur regressus in priuatiuis, vt in *caco, caluo, & edentulo*. Loquitur ergo non de regressu ad eundem numero effectum, sed ad eundem speciem: primò, quia exempla illa proximè allata id ostendunt, *nec enim*, inquit, *cacus visum vnquam recuperauit, nec caluus comam, nec edentulus vllos dentes emisit*, vbi clarum est, nun loquiste eodem numero visu, comâ, & dentibus, sed specie, seu quòd nullum omnino visum cæcus quispiam recuperauerit. Secundò, quia id dicit fieri in contrariis quod negat in priuatiuis, sed in contrariis non datur regressus ad eandem numero qualitatem, sed solùm ad eandem speciẽ, seu ad similem, ergo in priuatiuis intentio ipsius non est negare hanc numero comam, vel visionem redire, sed vult nullam omnino redire.

Secunda sententia est probabilior.

A priuatione ad habitum non datur regressus.

V. *Præcipua ratio cur res destructa non possit naturaliter reproduci.* Mihi hoc modo præcipuè suaderi videtur: In cõmuni sententiâ non potest res vlla moueri naturaliter motu discreto, ita nimirùm vt ab angulo orientali scholæ moueatur ad occidentalem, non transeundo per spatium intermedium, sed successiuè tantùm, seu priùs occupando vnam partem spatij, deinde aliam, donec ad terminum illum seu angulum perueniat, ergo nec durare res vlla naturaliter poterit duratione discreta, ita scilicet vt hodie seu instãte A existat, & cras, vel in instante B. destruatur. & post dies tres vel annos, aut in instante D reproducatur, sed vt ad instans D. naturaliter perueniat, durare debet in instantibus, seu tempore intermedio.

VI. *Vniuersi pulchritudo exigere videtur, vt eadem res non redeant naturaliter.* Probatur secundò, communis enim fermè omnium conceptus est eundem numero effectum de facto nunquam redire, ergo verisimile est fundamẽtum aliquod repenti in naturâ cur non redeat, & hoc non merè contingere per accidens. Probatur tertiò, probabiliter dici potest id naturam seu vniuersum exigere ob maiorem suam pulchritudinem, quæ in varietate & vicissitudine rerum maximè consistit. Quartò, refundi hoc potest in fœcunditatem causæ, quæ requirere videtur vt nouos semper & nouos effectus producat, sicque magis virtutem suã exerat. Quintò, in limitationem effectus, qui vbi semel extitit, satis iam illius appetitui hac in parte est factum, nec aliam existentiam desiderat.

VII. *Si possent, vnde constat non redire de facto.* Probatur sextò, si res destructæ possint naturaliter redire, vnde scimus de facto non rediisse, & lucem hodiernam non esse eam quæ antè centum annos extitit, vel equum aliquem generosum iam viuentem non esse Bocephalum, aut Rbœbum, vel vnum aliquem ex equis, qui in bello Troiano perierunt, & sic de aliis.

VIII. *Gratis dicitur statuisse Deum vt non redeant, si possint.* Dices; decreuisse Deum vt nunquam idem effectus destructus redeat. Sed contrà, vnde constat Deũ habere eiusmodi decretum. Dices, id eum habere ad ostendendam suam munificentiam. Contrà, quo fundamento dicitur Deum hoc modo ostendere velle suam munificentiam? Dices, bonum vniuersi hoc exigit. Contrà, ergo bonum vniuersi exigit vt nunquam idem effectus secundò redeat, sicque stante hac exigentia vniuersi, eadem res naturaliter produci denuò non potest, quæ est vna ratio nostræ conclusionis.

formas, licèt non æqualiter. Sicut siquis frigeat vel esuriat, licèt maximè appetat & desideret optimas vestes vel cibos, non tamen sequitur non desiderare & appetere minùs præstantes.

XIX. *Materia existens sub vna forma appetit alias pro alio tempore.* Quinta conclusio: Materia, etiam dum est sub vnâ formâ, licèt sit perfectissima, anima rationalis ex. g. appetit & desiderat alias omnes sibi possibiles, non quidem pro eo tempore quo habet hanc, sed pro alio, seu *nunc*, vt loquuntur Dialectici, *pro tunc*. Probatur & explicatur conclusio, nam licèt quis æstate indutus veste byssinâ non appetat villosam, aut sagum pro eo tempore, appetere tamē tunc eas vestes potest pro hyeme, vel pro tempore belli: sicut & ignem mediâ æstate potest quis appetere pro tempore hyberno.

XX. *Nec tamen propterea desiderat absentiam formæ præsentis.* Non ergo hinc inferas, si desiderat præsentiam alterius formæ, desiderare etiam absentiam & destructionem illius quam habet, nam non desiderat illam quam non habet omnino absolutè, sed aliquo modo conditionatè ex parte obiecti, casu scilicet quo hanc amittat.

XXI. *Gaudet materia de Formâ præsente, desiderat absentes.* Gaudet ergo materia de formâ præsente, desiderat absentes, gaudio & desiderio non transcendentali, sed prædicamentali, id est, quod non consistat adæquatè in solâ entitate materiæ, sed sit denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, includit nempe vnionem, vel negationem vnionis formæ.

XXII. *Natura humana Christi appetit propriā subsistentiā conditionatè.* Dices; natura humana in Christo subsistēs subsistentiâ Diuinâ, non appetit propriam, quia Diuina est perfectior, ergo nec materia, dum est sub animâ rationali, appetet alias formas imperfectiores. Resp. primò, verum quidem esse naturam humanam non ita propriam appetere subsistentiam dum subsistit Diuinâ, quasi sub hac esset in statu violento, sicut est in statu violento lapis, & appetit centrum, dum pensilis detinetur in aëre; verè tamen etiam tunc propriam appetit, saltem conditionatè.

XXIII. *Dicitur aliquis non omnino eam appetere.* Secundò dico, si natura illa non appetat propriā subsistentiam, non est ob maiorem perfectionem Diuinæ subsistentiæ præcisè, sed quia Diuina eminenter continet propriam subsistentiam naturæ humanæ, sicque dum Diuinam habet, habet eminenter suam, quam solam desiderare potest: anima autem rationalis non continet eminenter omnes formas, quas appetit materia, vt formam ligni, lapidis, leonis, equi, terræ &c.

XIV. *Duplex in materiâ ad Formas propensio.* Dici etiam posset, quod suprà insinuaui, centrum velut, & scopum materiæ esse pulchritudinem vniuersi, quæ in rerum varietate consistit. Materia ergo vt pars vniuersi, vicissitudini rerum, & vniuersi pulchritudini subseruit. Secundùm tamen propriam suam & priuatam inclinationem, maximè in animā rationalem propendet, vtpote formam formarum omnium perfectissimam. Quare si in circumferentiâ sphæræ alicuius, qualis est sphæra ignis, collocarētur formæ omnes sigillatim, quatum est susceptiua materia, & materia collocaretur in centro, haberetque vim ascendendi instar ignis, cæteris relictis, rectà ascenderet ad animam rationalem.

XXV. Quod de formis substantialibus diximus, intelligi etiam debet de accidentalibus, quas non minùs respicit materia, quàm substantiales; de vtrisque etiā respectu materiæ, quam vicissim respiciunt.

SECTIO II.

Vtrùm materia habeat appetitum ad formas corruptas.

I. *Status difficultatis.* Ratio dubitandi est, quia formæ corruptæ reproduci naturaliter non possunt, sicq; nec naturaliter informare materiam, ergo nec è contrà materia poterit naturaliter eas recipere, ergo non est potentia naturalis respectu illarum, ergo postquam semel destructæ sunt, materia eas ampliùs nec respicit, nec appetit.

II. *1. sent. ait materiam appetere formas corruptas. Secunda negat.* Prima sententia affirmat vniuersim materiam formas corruptas appetere. Ita P. Hurt. d. 2. Phys. s. 3. n. 36. P. Ouiedo c. 2. Phys. p. 4. n. 19. & multi ex recentioribus. Secunda sententia est aliorum qui negant materiam appetere formas corruptas, quam etiam sequitur P. Arriaga d. 2. Phys. s. 4. n. 44.

III. *Duplex in materiâ appetitus, remotus & proximus.* Notandum quod suprà explicaui, materiam duplicem dicere appetitum seu potentiam ad formas, transcendentalem seu remotam, & prædicamentalem seu proximam. Appetitus transcendentalis est sola & nuda entitas materiæ, prædicata nimirum illius essentialia, seu aptitudo & ordo transcendentalis ad formas. Appetitus verò prædicamentalis seu proximus alia multa connotat, nempe dispositiones, & alias circumstantias, ablationem etiam impedimentorum, & vt potentia materiæ sit planè ad receptionem formarum expedita.

IV. *Materia appetitu remoto appetit formas corruptas.* Prima conclusio: materia appetitu transcendentali & remoto respicit formas corruptas, idque siue eæ naturaliter reproduci possint, siue non. Probatur, potentia remota materiæ aliud nihil est, quàm ipsa entitas illius, sed hæc eadem est quantumuis formæ corrumpantur, ergo remanet in materiâ potentia remota ad formas, etiam ipsis corruptis. Conf. ad potentiam hanc remotam aliud non requiritur, quàm talis proportio inter prædicata intrinseca illius quod est potentia, & terminum ad quem est potentia, seu inter actum & potentiam, vt loquuntur Philosophi, sed eadem est proportio prædicatorum inter materiam & formam corruptam, quæ erat antequam corrumperetur, ergo.

V. *Si forma corrupta reproducatur, materia eam naturaliter recipit.* Secunda conclusio: si forma corrupta iterum reproducatur, non minùs illam naturaliter recipiet materia per nouam vnionem, quàm eam primò recepit, nec minùs naturaliter compositum cum eâ naturale constituet. Vnde Angelus compositum illud iam constitutum intuens, nihil in eo videbit præternaturale, nec sciet vtrū sit ex formâ reproductâ constitutū, an ex formâ tunc primò productâ. Ratio est, quia ad compositum constituendum parum refert quâ actione, vel quo modo forma producatur, naturaliter scilicet, an supernaturaliter, sed sola spectatur proportio inter actum & potentiam receptiuam, seu prædicata eorum essentialia, quæ cùm eadem sint quæ in primâ formæ productione, eodem modo concurrent ad compositum constituendum.

VI. *Color reproductus videtur naturaliter.* Conf. si color aliquis destructus reproducatur, esto in illius reproductione aliquid interuenìat præternaturale, postquam tamen est reproductus, non minùs naturaliter eum videbis oculus, quàm antequam destrueretur.

VII. *Materia naturaliter respicit animam rationalem sibi ex parte deunitam.* Tertia conclusio: materia habet potentiam & appetitum naturalem, non transcendentalem tantùm, sed etiam prædicamentalem respectu animæ rationalis, cui semel vnita, ab eâ postea fuit deunita. Ratio est clara, illa siquidem est potentia naturalis, non transcendentalis tantùm & remota (de quâ in præcedentibus duabus conclusionibus) sed prædicamentalis etiam & proxima, ad quam, vt ad actum reducatur, non est necessarium vt aliquid interueniat supernaturale, nec quoad rem, nec quoad modum, sed vt materia deunita ab animâ rationali, illi iterum in quibusdam casibus vniatur, non est opus vt quidquam vel supra vel præter naturam interueniat, ergo. Probatur minor, siquis præcisam sibi brachij v.g. partem comederet, non minùs illâ nutriretur, & in suam eam substantiam conuerteret,

quàm

quàm si esset pars alterius cuiuspiam animalis, ergo materia illa per nouam partem vnionis rursum naturaliter vniretur animæ, à qua semel fuit deunita, ergo quando est deunita, appetit eam naturaliter. Idem in sententia S. Augustini, S. Thomæ, & Aristotelis est de forma cuiuscunque animalis perfecti, equi, leonis &c. quam ipsi affirmant esse indiuisibilē. De quo in libris de Anima, d. 8.

VIII. *Aliud est de Anima plenè deunita.* Quarta Conclusio: anima rationalis integrè semel à corpore separata, nec vnquam materiæ naturaliter reunitur, nec reuniri naturaliter potest: vnde neque materia eam hoc modo deunitam appetitu prædicamentali respicit.

IX. Prima Conclusionis pars est certa, alioquin in Pythagoræ metempsychosin incideremus, qui animas de corporibus in corpora transmigratione quotidianâ transire somniabat. Secunda etiam pars probatur, animæ enim, postquam à corporibus, quibus priùs vnitæ erant, sunt semel separatæ, sunt in termino merendi, vnde naturali viâ & modo vniri denuò corporibus, & in hanc vitam & agonis locum redire naturaliter non possunt. *Cur animæ naturaliter reuniri nequeant corpori.* Ex quibus constat tertia conclusionis pars, si enim animæ naturaliter materiæ rursus vniri, & eam informare nequeant, materia eas appetitu prædicamentali naturaliter appetere non potest, appetitus siquidem completè naturalis, terminum postulat naturaliter possibilem.

X. *Resurrectio mortuorum est miraculosa.* Hinc constat resurrectionem mortuorum esse quoad modum supernaturalem, ac miraculosam, tū quia non naturali viâ tunc homines reproducuntur, tum quia ret corpora quorum materia sub aliis formis immediatè antè extiterat, elementis scilicet, plātis, & animalibus, subitò & in ictu oculi compinguntur, disponuntur, & animabus informantur, sicque multis nominibus naturæ leges infringuntur.

XI. Vtrùm verò materia prima alias formas tum substantiales, tum accidentales semel destructas appetitu prædicamentali connaturali respiciat, ab ea quæstione pendet, an scilicet formæ, & res aliæ semel destructæ, possint naturalitar reproduci. De quo sec. sequente.

SECTIO III.

An formæ destructæ possint naturaliter reproduci.

I. *Status controuersiæ.* QVæstio hæc non de formis tantùm, siue eæ substantiales sint, siue accidentales, procedit, sed de omni omnino effectu, de quo proinde coniunctim inquirimus, an, vbi semel res aliqua desierit, redire naturaliter possit.

II. *1. sent. est posse rem destructam reproduci naturaliter.* Affirmat Gregor. Ariminen. in 1. d. 17. qu. 4. art. 2. Hurt. d. 2. Phys. sect. 3. & d. 10. s. 4. Ouiedo Cont. 12. p. 5. quam hodie sententiam passim sequuntur recentiores. Hanc opinionem à fortiori sequitur Scotus in 4. d. 43. q. 1. & Richardus ibid. q. 1. ar. 3. qui de facto id semper contingere asserunt, vbi idem agens eidem denuò passo applicatur.

III. *Secunda sententia negat.* Secunda sententia ait eundem numero effectum naturaliter iterū reproduci non posse. Hoc insinuat Suar. d. 5. Met. l. 9 nu. 10. & To. 2. in 3. p. dist. 44. s. 6. §. *dico tertiò* fine. tenet Vasq. To. 1. in 3. p. d. 74. cap. 7. nu. 47. & deinceps. Arriaga d. 2. Phys. s. 4. nu. 44. & multi ex recentioribus. Imò eousque, quamuis malè, procedunt Durandus & Marsilius apud Suar. d. illa 5. sect. 9. nu. 2. vt idem numero accidens in eodem denuò subiecto recipi, nec diuinitùs posse affirment.

IV. Hæc secunda sententia mihi videtur probabilior, in quâ tamen probanda auctores non parum laborare video, res enim hæc nec in vnam partem, nec alteram ita est explorata, vt animus planè acquiescat. *Secunda sententia est probabilior.* Probant aliqui ex illo Aristotelis, c. de Oppos. post medium, *à priuatione* scilicet *ad habitum non datur regressus*, ergo secundùm ipsum, idem numero effectus redire ac reproduci nequit. At longè alia est mens Philosophi, vt locum illum intuenti constabit, *A priuatione ad habitum non datur regressus.* discrimen enim illic assignat inter contraria & priuatiua, & in illis ait dari regressum, nam aqua ex frigidà fit calida, & è contrà, non tamen (inquit) datur regressus in priuatiuis, vt in *cæco, caluo, & edentulo*. Loquitur ergo non de regressu ad eandem numero effectum, sed ad eundem speciē: primò, quia exempla illa proximè allata id ostendunt, *nec enim*, inquit, *cæcus visum vnquam recuperauit, nec caluus comam, nec edentulus vllus dentes emisit*, vbi clarum est, non loqui de eodem numero visu, comâ, & dentibus, sed specie, seu quòd nullum omnino visum cæcus quispiam recuperauerit. Secundò, quia id dicit fieri in contrariis quod negat in priuatiuis, sed in contrariis non datur regressus ad eamdem numero qualitatem, sed solùm ad eandem speciē, seu ad similem, ergo in priuatiuis intentio ipsius non est negare hanc numero comam, vel visionem redire, sed vult nullam omnino redire.

V. *Præcipua ratio cur res destructa non possit naturaliter reproduci.* Mihi hoc modo præcipuè suaderi videtur: In cōmuni sententiâ non potest res vlla moueri naturaliter motu discreto, ita nimirùm vt ab angulo orientali scholæ moueatur ad occidentalem, non transeundo per spatium intermedium, sed successiuè tantùm, seu priùs occupando vnam partem spatij, deinde aliam, donec ad terminum illum seu angulum perueniat, ergo nec durare res vlla naturaliter poterit duratione discreta, ita scilicet vt hodie seu instāte A existat, & cras, vel in instante B. destruatur. & post dies tres vel annos, aut in instante D reproducatur, sed vt ad instans D. naturaliter perueniat, durare debet in instantibus, seu tempore intermedio.

VI. Probatur secundò, communis enim fermè omnium conceptus est eundem numero effectum de facto nunquam redire, ergo verisimile est fundamētum aliquod reperiri in naturâ cur non redeat & hoc non merè contingere per accidens. Probatur tertiò, probabiliter dici potest id naturam seu vniuersum exigere ob maiorem suam pulchritudinem, quæ in varietate & vicissitudine rerum maximè consistit. *Vniuersi pulchritudo exigere videtur, vt eadem res non redeat naturaliter.* Quartò, refundi hoc potest in fœcunditatem causæ, quæ requirere videtur vt nouos semper & nouos effectus producat, sicque magis virtutem suā exerat. Quintò, in limitationem effectus, qui vbi semel extitit, satis iam illius appetitui hac in parte est factum, nec aliam existentiam desiderat.

VII. *Si possint, vnde constat non redire de facto.* Probatur sextò, si res destructæ possint naturaliter redire, vnde scimus de facto non rediisse, & lucem hodiernam non esse eam quæ antè centum annos extitit, vel equum aliquem generosum iam viuentem non esse Bucephalum, aut Rhæbum, vel vnum aliquem ex equis, qui in bello Troiano perierunt, & sic de aliis.

VIII. *Gratis dicitur statuisse Deum vt non redeant, si possint.* Dices; decreuisse Deum vt nunquam idem effectus destructus redeat. Sed contrà, vnde constat Deū habere eiusmodi decretum. Dices, id eum habere ad ostendendam suam munificentiam. Contrà, quo fundamento dicitur Deum hoc modo ostendere velle suam munificentiam? Dices, bonum vniuersi hoc exigit. Contrà, ergo bonum vniuersi exigit vt nunquam idem effectus secundò redeat, sicque stante hac exigentia vniuersi, eadem res naturaliter produci denuò non potest, quæ est vna ratiu nostræ conclusionis.

SECTIO IV.

Soluuntur obiectiones, & quædam inferuntur circa appetitum materiæ ad formas corruptas.

I.
Obij: forma destructa potest rediri intra tempus sua durationis.

OBiicitur primò; ponamus formam aliquam durare naturaliter posse per tres horas, si ergo secunda hora destruatur, quid obstat quo minùs in tertia illa hora, quæ est intra sphæram naturalis eius durationis, denuò producatur? præsertim si idem agens & passum, à quibus primò producta illa forma fuerat, iterum sibi inuicem applicentur; *idem* enim iuxta Aristotelem 3 phys. c. 6. *manens idem, semper aptum natum est facere idem.*

II.
Exemplo … ostenditur formam illam redire non posse.

Sed contrà, hîc iterum vrgeo primum argumentum quod suprà ad probandam conclusionem adduxi, & existimo esse omnium efficacissimũ. Petrus in angulo A existens potest intra quatuor instantia, vt suppono, locare se in angulo D. hæreat per tria instantia in angulo A, quare in quarto collocare se nequit in angulo D? cùm sit intra tempus quo se illic naturaliter collocare potuisset. Dices, causam esse quia non produxit vbicationes angulo illi proximas. Contrà, idem dico ego de duratione formæ in hora tertia, ideo nimirum illam naturaliter habere eam iam non posse, quia non habuit durationes illi proximas, & sicut aduersarij conditiones illas requirunt in vbicatione naturaliter acquirendâ, ita easdem æquali iure requiro ego in duratione.

III.
Vt causa possit producere effectū supponit eum prius non extitisse.

Obiicitur secundò; ignis A iam existens habuit potentiam ad producendum ignem B. destructū, & ignis B. aptitudinem ad existendum, ergo etiamnũ has retinent, cùm eadem adhuc retineant prædicata, & eandem naturam. Resp. licèt eandem habeant naturam quam antea, illa tamen, vt in actum prodeat, varias requirit conditiones, & vna ex iis in præsenti est, effectum illum prius extitisse, & iam esse destructum.

IV.
Virtutem physicam à conditionibus extrinsecis pēdere, nullus fermè negat.

Dices; non potest virtus operatiua physica pendere à conditionibus merè extrinsecis, alioqui dicere quis posset dari posse conditionem merè extrinsecã qua posita ignis aliquis comburere tantùm possit diebus Dominicis. Sed contrà, aliquas dari conditiones extrinsecas, quibus positis, virtus physica operari possit, aut non possit, nullus fermè Philosophorum negat: sic enim æternitatem à parte ante esse præteritam est conditio secundùm multos, vt virtus physica omnipotentiæ Diuinæ exerere se possit, & creaturam producere ad extra; causam vniuocam non adesse est cōditio, vt causa æquiuoca operetur; item formam ignis A non esse alibi est conditio vt producatur hic. & alia huiusmodi, quæ suprà in hāc rem attuli d. 5. sect. 2. Nec tamen ex eo quòd quis conditiones quasdam extrinsecas admittat, quæ cũ re aliqua peculiarem habent connexionem sequitur quascumque disparatas esse admittendas: neque enim ex eo, quod formam ignis A non esse alibi, sit conditio vt producatur hic, sequitur dari posse conditionem, qua posita, Turca saltet semper ad numeros, & galli omnes gallinacei stent altero pede, vt eos semel singulis diebus stare fabulantur in suo Talmud Iudæi, vt refert Sixtus Senensis lib. 2. Bib. sanc. lit. T. fine.

Non tamen quæuis conditiones admittendæ.

V.
Idem semper manet in materia appetitus.

Obiicitur tertiò; appetitus materiæ nihil aliud est quàm ipsa materia, ergo si materia semel habuit, vel potiùs fuit potentia ad formam destructam, semper est. Resp. semper esse eo modo quo fuit, nempe casu quo non fuisset destructa.

VI.
Quomodo sit in materia priuatio formæ corruptæ.

Obiicitur quartò; est adhuc in materiâ priuatio formæ corruptæ, ergo est subiectum aptum ad illam habendam sicque illam appetet. Contrà. etiam est in materiâ hodie priuatio durationis hesternæ. Resp. itaque priuationem transcendentalem seu remotam id est carentiam formæ pro aliqua differentia temporis aptæ inesse subiecto, esse in materia illâ, non verò priuationem quam vocant prædicamentalem, seu proximam, quippe quæ multa alia inuoluit. Videantur dicta d. 18. Log. s. 10. n. 4. vbi harum priuationum discrimen latè exposui.

VII.
Materia proximè formas corruptas non appetit.

Hinc infero, materiam formas corruptas appetitu prædicamentali non appetere. Existimo tamen, vt sec. præcedente insinuaui, si Deus formam aliquã materialem produceret, materiam denuo eam appetituram: sicut quamuis appetitu elicito nullus prudenter appeteret cibum aliquem quem nouit esse destructum, fructus ex. g. anni superioris, si tamen Deus hoc anno eosdem rursus reproduceret in arboribus, prudenter posset quis eos appetere.

VIII.
Forma reproducta appeteret naturaliter materiam.

Conf. forma illa, si à materiâ separata produceretur, appeteret naturaliter materiam, cùm naturaliter sine ea existere non possit. Quid magis viget in vnione, aut alio modo reproducto, vtpote qui nec diuinitus esse possit, nisi affixus rei cuius est modus.

IX.
Ignis reproductus comburet naturaliter, lapis cadet &c.

Conf. secundò, licèt miraculosè aliquid vel producatur primò, vel reproducatur, positâ tamen reproductione miraculosâ, multa petit naturaliter; sic enim ignis reproductus peteret calorem, & combureret naturaliter, aqua peteret frigus, lux aërem, vel aliud subiectum, homo sensus omnes, & naturaliter incederet, videret, audiret, loqueretur: nec enim putandum est, quot Lazarus post resuscitationem protulit verba, tot fuisse miracula.

DISPVTATIO IX.

De existentia materiæ.

SECTIO PRIMA.

An materia habeat propriam existentiam, vel existat per existentiam Formæ.

I.
1. sent. ait materiam non habere propriam existentiam.

CElebris hac in parte est Thomistarum quorundam opinio, qui materiam ita puram esse volunt potentiam, vt nullum omnino, ne existendi quidem illi actum concedant, sed existentiã à formâ emendicare eam asserũt. Ita Cai. tr. de Ente & Essentia c. 5. qu. 8. vbi huic sententiæ ita mordicus adhæret, vt oppositum errorem vocet intolerabilem. Ferar. 2. cont. Gentes, c. 68. & alij apud Suariũ citandum.

II.
2. sent. docet materiam habere propriam existentiam.

Secunda sententia ait materiam habere propriã existentiam distinctam ab existentia formæ, incompletam tamen & materiæ proportionatam, per quã est ens actu, & extra causas. Dicit ergo hæc sententia, in composito duas esse entitates incompletas, ex quibus entitas vna totalis conflatur, seu vnum compositum, & vnamquamque entitatem incompletam

suam

suam sibi habere partialem, & incompletam existētiam, & ex vtrâque vnam coalescere existentiā cōpletam compositi. Ita Doctor subtilis cum suis in 2. dist. 12. q. 1. & 2. Gregor. Gabriel, & reliqui Nominales ibidem, & alij: Suar. d. 13. Met. sect. 3. nu. 13. Molina 1. p. quæst. 3. ar. 4. d. 2. Hurt. d. 2. Phys. sect. 6. Arria. dist. 2. Phys. sect. 5. Ouiedo. c. 2. Phys. p. 5. nu. 2. & alij passim.

III. Notandum, rationem formalem per quam res aliqua est, esse existentiam, res enim solùm possibilis, simpliciter non est, nec dici potest ens actu: vnde essentia actualis non distinguitur realiter ab existētiâ actuali, cùm id per quod res actu est, sit existētia. Hoc tamen si supponeremus, nempe existentiā non distingui realiter ab essentiâ, nullus esset disputationi huic locus, cùm concedant aduersarij materiam habere essentiam distinctam ab essentiâ formæ, ergo si existentia non distinguitur realiter ab essentiâ, habebit etiam necessariò existentiam distinctam ab existentiâ formæ. Admittimus ergo pro præsenti, disputationis gratiâ, existentiam realiter, vel ex naturâ rei distingui ab essentiâ.

Disputationis gratiâ, admittitur essentiam distingui ab existentia.

IV. Conclusio: materia prima habet propriam partialem existentiam distinctam ab existentiâ formæ, per quam partialem & incompletam existentiam ponitur formaliter extra causas, & partialiter concurrit ad constituendam vnam totalem existentiam compositi.

Materia habet propriam existentiam.

V. Omissis variis rationibus quibus probari solet hæc conclusio, sic eam probo: prius naturâ existere debet materia quàm forma, saltem materialis, ergo non potest existere materia per existentiam formæ. Consequentia est euidens, nam si priùs naturâ existat materia quàm forma, ergo priùs habet existentiā quàm existat forma, sed pro nullo priori est existentia formæ antequam existat forma, ergo existētia quam in illo priori habet materia, non est existentia formæ. Antecedens itaque probatur, materia est verum subiectum & causa formæ materialis verè in illam influens, ergo est naturâ prior illâ, cùm omnis causa essentialiter sit naturâ prior effectu. Deinde concursus materialis est influxus, & aliquo modo operatio, prius autem est esse seu existere, quā operari vel causare, ergo in illo priori quo materia concurrit ad productionem formæ materialis, est seu existit materia, & non existit forma, ergo pro illo priori non existit materia per existentiam formæ, cùm pro illo priori non sit existētia formæ, sic enim prius existeret quàm habeat existentiam.

Prius naturâ existit materia, quam forma materialis, ergo existere nequit materia per illius existentiam.

VI. Dices primò; quando educitur forma, ignis v. g. è potentiâ materiæ ligni, non existere materiam pro eo instante per formam ignis iam productam, illâ enim materia est naturâ prior, vt probat argumentum, sed existit per formam ligni, sicque semper existit per formam, non quæ tunc educitur, sed quæ præcessit, prima autem omniū forma non fuit educta è potentiâ materiæ, sed concreata simul cum illâ. Contrà, æque, imò magis impossibile est vt pro illo instante quo forma ignis educitur, existat materia per existentiam formæ ligni, quàm per existentiam formæ ignis, nam eodem instante quo producitur vel educitur è potentiâ materiæ forma ignis, perit forma ligni, quippe quæ expellitur per formā ignis iam productam, ergo illo instante non est existentia formæ ligni, ergo non potest illo instante materia per illam existere, magis quàm potest paries esse albus per albedinem, vel manus calida per calorem eo instante quo perit albedo illa & calor.

Nec potest tunc materia existere per existentiam formæ ligni.

VII. Dices secundò, materiam & formam esse sibi inuicem causas, & formam verè pendere à materia, & materiam vicissim à formâ, ergo eodem modo se res habebit inter materiam & existentiam formæ, erunt nimirum sibi inuicem causæ. Contrà primò, antecedens enim communiter negatur quàm conceditur à Philosophis, de quo postea. Contrà secundò, in quocunque genere causæ dicatur causa esse prior, præintelligi debet cū suâ existentia, cùm existentia sit conditio essentialiter antecedens ad causandum & operandum: si autem accipiat suam existentiam à formâ intelligi nequit priùs existere quā existat forma, sic enim existeret priùs suâ existentiâ.

Mutua causalitas hoc non efficit, vt materia existat per existentiam formæ.

VIII. P. Arriaga sect. 5. n. 76. ait, admissa distinctione inter essentiam & existentiam, hoc argumentum nihil concludere; materia enim, inquit, in hac sententia sustentare debet suam existentiam, ad quam tamen intelligi nequit præexistens. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, si existentia ponatur distincta ab essentia, debere existentiam illam creari, & non sustentari in materia, sed tantùm eam tanquam purum terminum afficere.

Si existentia distinguatur, debet creari.

IX. Vrgebis cum eodem, existentia formæ non creatur, sed generatur, alioqui agentia naturalia quoties nouam formam producunt, crearent, ergo educitur ex essentia formæ, ad quam tamen forma non intelligitur præexistens. Concessis reliquis, negatur vltima consequentia, existentia enim formæ educeretur non ex essentia formæ, sed ex materia per existentiā creatam iam pro aliquo priori existentem. imò non alio modo materia causare formam potest, quàm causando eius existentiam.

Existentia vero formæ educeretur ex materia.

X. Secundò probatur conclusio, causa quæ producit existentiam vt vnitam rei, verè producit rem illam, nā producere aliquid nihil aliud est, quàm ponere extra causas, & tribuere illi existentiam, seu facere vt de possibili transeat ad esse actuale, ergo causæ producētes existentiā vt vnitam materiæ, producunt materiam, sed causæ secundæ, ignis v. g. terra, plantæ & c. iuxta aduersarios producunt existentiam materiæ vt illi vnitam, producunt siquidem formas, & illas simul cum illarum existentiis vniunt materiæ, ergo producunt materiam, quod Philosophorū nullus concedit. Cons. hinc sequeretur, materiam generari, & non produci per creationem, Patet, nā ponitur à parte rei, & producitur per generationē, per eandem scilicet actionem, per quam producitur forma, produci enim rem, vt diximus, aliud nihil est quàm poni eam extra causas, & accipere existētiā, sicut enim albedo denominat subiectum album, ita existentia denominat rem esse extra causas, seu existentem.

Si materia existat per existentiam formæ, res naturales producunt materiam.

XI. Dices; licèt existentia materiæ generetur, non tamen essentia, illa enim generari non potest, sicque ratione illius dicitur materia ingenerabilis. Contrà primò, nam sic forma etiam substantialis materialis, & accidentia omnia erunt ingenerabilia, cum iuxta aduersarios essentiæ omnium rerum sint ingenerabiles. Contrà secundò, ratio generabilitatis alicuius rei desumitur ab existentiâ eiusdē, quæ si producatur dependenter à concursu subiecti, dicitur res generari; si independenter, creari: si ergo existentia materiæ producatur & communicetur ei per actionem eductiuam (vt necessariò communicari debet, si sit eadem cum existentiâ formæ materialis) simpliciter dici debet materia esse generabilis æquè ac forma, imò actu generari & conseruari concursu generatiuo, sicut illa.

Si rei alicuius existentia generetur censetur res ipsa generari.

XII. Nec difficultatem soluit communia aduersariorū distinctio de existentiâ propriâ & alienâ concedunt enim argumentum concludere de propriâ existentia non tamen de aliena, nam quando aliquid, sinquiunt existit existentiâ alienâ, non producitur eadē actione essentia & illa aliena existentia, sed essentia & vnio cum aliena existentia, per quam applicatur

Nec aliud quoad hoc est de existentia propria, & aliena.

 & vni-

& vnitur aliena existentia illi essentiæ. Contrà, nam saltem producitur noua vnio, ergo idem argumentum confici potest de essentia materiæ & illâ nouâ vnione, ac de essentia materiæ & existentia formæ materialis, vel enim creatur illa vnio, vel generatur: non primum, quia tunc agentia naturalia crearent, vnionem enim illam producunt, nec secundum, sic enim materia generaretur, cum generetur vnio. Imò confici posset idem omnino argumentum de essentia & existentia huius vnionis.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contendentia materiam existere per existentiam formæ.

I.

Obij: esse actu prouenit à forma.

OBiicies primò; existere seu esse actu est quid formaliter prouenìens à formâ, ergo materia non potest hoc habere ex se cùm sit pura potentia. Antecedens probatur, nam existentia est vltimus actus, supponens vel faciens rem esse completam, sed materia non est completa nisi per formam, ergo existit & fit completa per illam. Multis peccat hoc argumentum, primò enim existentia non est vltimus actus cùm subsistentia sit vlterior actus rei, quæ proinde vocatur vltimus terminus naturæ. Deinde materia non est ita pura potentia vt omnem excludat actum, nempe entitatiuum, vt suprà ostendimus. Resp. ergo negando antecedens. Ad probationem distinguo minorem, forma est faciens rem esse completam in tali vel tali specie substantiali completâ, concedo minorem; esse completam quoad prædicata rei intrinseca, & existentiam, nego.

Resp formam facere rem completam in tali specie, non in existentiâ.

II.

Modus quiuis in suo esse est tam completus, ac Angelus in suo.

Addo vlteriùs materiam & modum quemcumq; in sua, vt ita dicam, tenuitate, seu in esse suo imperfecto esse æquè completam, & perfectam ac Angelū vel rem aliam quamcunque perfectissimam in suo, cùm non magis quidquam materiæ, vel modo cuilibet desit entitatiuè ad suum esse incompletū, quā Angelo ad suum completum, & in hoc solum discrepant, quòd materia & modi ordinentur vlteriùs, sicque sint quid essentialiter incompletum; Angelus verò sibi quasi existit, nec ad alterius constitutionē refertur. Sic apprehensio in suo gēere est æquè perfecta ac iudicium in suo. Et in artefactis mensa aut scamnum in suo genere æquè perfectum est & cōpletum, atque horologium, aut res alia maximè affabrè facta in suo. Materia ergo non indiget formâ vt existat, sed vt completa, & cum omni perfectione sibi debita existat.

III.

Quo sensu species desumatur à forma.

Hoc sensu sumendum est, quo nihil frequentius apud S. Thomam, semper *speciem desumi à formâ*, nēpe speciem completam, forma enim determinat & quasi limitat materiam ad hanc vel illam speciem compositi substantialis in physicis, sicut differentia limitat genus in metaphysicis. Quando ergo Aristoteles dicit materiam esse actu formam, intelligit nunquam esse actu sine formâ, cum semper habeat formam, vel non esse actu completam & perfectam nisi per formam.

IV.

Esse speciei completæ est propter operari, non speciei incompletæ.

Obiicies secundò; *esse est propter operari*, sed materia nullam habet operationem, ergo nec existentiā. Resp primò, distinguendo maiorem, esse speciei cōpletæ est propter operari, concedo maiorē; esse speciei incompletæ, nego: species enim incōpleta magis est propter recipere vel constituere compositum quàm propter operari, vel efficere. Deinde relatio & alij aliqui modi iuxta aduersarios non operantur, & tamen existunt. Secundo Resp. negando minorem, materia enim iuxta multos per emanationem producit suas proprietates, quantitatem, vbicationem, & huiusmodi.

V.

Ex duobus entibus in esse completo non fit vnum per se.

Obiicies tertiò; *ex duobus entibus in actu non fit vnum per se*, ergo materia non debet ex se esse ens in actu. Resp. distinguendo antecedens, ex duobus entibus in actu, quorum vtrumque vel alterum est in actu completo, non fit vnum per se, concedo antecedens; quorum vtrumque est in actu completo, nego: ipso facto enim quòd sint in actu completo, ordinantur essentialiter ad completionem, suntq́ue entia partialia.

VI.

Quo sensu res composita sit partim actu antequam producatur.

Obiicies quartò; si materia habeat propriam existentiam, & sit in actu, ergo res quæuis composita, ignis v.g. erat producendus, est iam partim in actu antequam producatur, cùm iam actu existat materia, quæ est pars illius. Contrà, idem argumentum fieri posset de forma, anima rationali, verbi causa, quam Deus crearet non vnitam materiæ, tunc enim homo, cuius pars est illa anima, eodem modo esset in actu partialiter antequam producatur. Resp. ergo, non esse partim actu antequam producatur nam antequam materia vniatur formæ, & forma materiæ, nec vna nec altera est pars actu illius compositi, cùm primò fiant partes actu per vnionem. Si tamen per esse rem partim actu, velint solùm actu esse illud, quod postea erit pars illius, quid inde incommodi?

VII.

Licèt materia habeat propriam existentiam, non potest esse sine omni forma.

Obiicies quintò; nisi materia existat per existentiam formæ, intelligi nequit quā ratione ita pendeat à formâ, vt naturaliter non possit, saltem per accidens, esse sine omni forma, cum nimirum agens aliquod destruit dispositiones ad formā priorem conseruandam requisitas, non tamen inducit sufficientes ad inducendam nouam. Resp. pro præsente negando antecedens, ignis enim in conuersatione naturaliter pendet à calore, & varia composita substātialia naturaliter pendent à dispositionibus suis accidentalibus, per quarum tamen existentiam non existunt, etiam iuxta aduersarios. Item forma materialis pendet à materia, à qua tamen iuxta aduersarios non accipit existentiam.

VIII.

Licèt existentia formæ recipiatur in materia, non tamen denominat eā existentem.

Obiicies sextò; secundum nos existentia formæ materialis recipitur in materia, ergo tribuet illi effectū suum formalem. Hoc argumentum probat existentiam non distingui ab essentiā: hac tamen distinctione admissa, contrà est, sequeretur namq́ue materiam existere etiam per existentias accidentium, cùm illæ similiter insint materiæ. Resp. itaque negando consequentiam: nam materia per propriam existentiam, vt ostendimus, existere prius debet, quā formam, vel existentiam formæ in se recipiat, ergo hanc denominationem accipere non potest ab existentia formæ, cum essentialiter præsupponatur habere existentiam. Sicut quando forma ignis educitur ex materia, actio illius eductiua subiectatur, non in termino producto, sed in subiecto, & tamen terminum solum, non subiectum denominat productum. Non ergo quicquid est capax formæ, est capax omnis denominationis, seu effectus illius formalis: sic species in aëre receptæ aërem non denomināt visiuum, nec grauitas lapidem denominaret grauatum.

IX.

Quo sensu existentia materiæ sit de essentia compositi.

Obiicies septimò; ergo existentia materiæ erit de essentia compositi. Contrà, non magis quàm existentia formæ. Dico ergo, de essentia compositi vt existentis, esse existentiam tā materiæ quàm formę non tamen de essentia illius prout abstrahit ab existentia, hoc enim modo concipitur in esse tantùm possibili.

X.

Non tamen est necessarium, licèt admitteremus essentiam distingui ab existentia, dicere existentias illas inter se vniri per modum actus & potentiæ; sed

An existentia materiæ & formæ inter se vniatur. sed vel non vniri omnino, sed facere vnam aggregatione existentiam totius, vt philosophantur aliqui de duplici vnione in composito naturali, vel aliquo modo inter se vniri per existentiam vnionis, vt alij subsistentias partiales materiæ & formæ vniri dicũt per subsistentiam vnionis.

SECTIO III.

An materia, saltem diuinitus, existere possit per existentiam formæ, aut sine formà.

I. *Possunt materia & forma existere eadem existentià.* Dico primo: si existentia distingui supponatur ab essentia, poterunt materia & forma existere eâdem existentiâ, quæ sit modus communis vtriusq; modò eadem numero actio terminetur tam ad materiam, quàm formam & existentiam formæ, & omnia tria creentur. Ratio est, nam si producantur omnia eâdem actione, & ea sit creatio, nullum ex argumentis suprà allatis vrget contra hoc quod iam asserimus vtpote quæ fermè omnia procedunt contra existentiam formæ materialis eductæ è potentiâ materiæ. Vnde si Deus totum hominem iam crearet non apparet implicatio cur non posset esse vna existentia communis tam materiæ, quàm animæ rationali: & idem videtur quando anima sola de nouo creatur, & corpori infunditur, tunc enim cessaret prior existentia materiæ, & noua vtrique communis succederet.

II. *Si existentia formæ non sit modus, potest materia per eam existere.* Dico secundò, si existentia formæ non ponatur esse modus, sed forma absoluta, poterit materia diuinitùs per illam existere. Explicatur & probatur conclusio, si existentia non sit modus, non alligatur essentialiter vni alicui subiecto, sed poterit alteri, saltem supernaturaliter, communicari, vt de calore & primis qualitatibus, de colore item, luce & similibus communiter concedi solet. Imò idem dicunt aliqui de subsistentià creatà, asserunt enim posse vnũ Angelum diuinitus subsistere per subsistentiam alterius. Addo, dici posse secundùm hunc modum philosophandi, & distinguendi existentiam ab essentià, non repugnare vt destructâ formà, materia existat per illius existentiam: & etiam separetur forma à materia, modò existentia illius ponatur in duobus locis, poterit materia ligni vel lapidis hic existere per existentiam formæ Romæ existentis, aut in Indiis.

III. *An aliquid creatum existere possit per existentiam Dei.* Dico tertiò: positâ distinctione existentiæ ab essentià, posset materia diuinitùs existere per existentiam increatam, seu Dei. Probatur, si enim semel admittatur posse aliquid existere per existentiam alterius, non videtur cur magis repugnet materiam, vel humanitatem existere per existentiam increatam, quàm subsistere per subsistentiam increatam, sed de facto subsistit humanitas Christi per subsistentiam increatam Verbi, ergo & existere poterit per eiusdẽ existentiam, modò vniatur illi per vnionem distinctam, sicut vnitur Diuinæ subsistentiæ.

IV. Quoad secundam partem tituli dico quartò: potest materia existere diuinitùs sine omni formà. Probatur, nam non est vlla ratio asserendi contrarium, cùm materia non existat per existentiam formæ, sed per suam. Imò licèt existeret per existentiam formæ, adhuc posset diuinitùs existere sine vllâ formà, si dicatur existentia formæ esse quid absolutum, & non modus, quod in hac sententià dici posset. Conf. possunt accidentia existere diuinitùs sine subiecto, ergo materia sine formà: maior enim est connexio inter accidentia & subiectum, quàm inter materiã & formam, videmus namque accidentia naturaliter non posse inhærere successiuè diuersis subiectis, cum tamen materia possit naturaliter subesse successiuè variis formis. *Materia potest existere sine omni forma.*

V. *Materia nõ habet essentialem connexionem cum vllâ formà.* Dices; materiam habere essentialem connexionẽ actualem cum aliquâ formâ, ergo non potest esse sine omni. Sed contra, nulla enim apparet ratio cur maiorem habeat connexionem materia nostra cum aliquâ formâ, quàm quantitas vel alia accidentia cũ aliquâ materiâ seu subiecto, sed quantitas & alia accidentia possunt conseruari diuinitùs sine omni subiecto, vt videmus in quantitate & reliquis accidentibus panis & vini in sanctissimo Sacramento, ergo & poterit per diuinam potentiam materia conseruari sine omni formâ.

VI. Præterea quidni æquè poterit materia conseruari diuinitùs sine omni formâ, ac agens vel causa effectiua impediri ab omni actione, quando naturaliter agere debet, ignis v.g. à comburendo lignum, vel aliam materiam debitè applicatam, sed ignis diuinitùs potest non comburere manum sibi debitè applicatam, vt in fornace Babylonicà & variis martyribus vidimus contigisse, ergo & materia conseruari diuinitùs poterit sine omni formâ.

VII. *Est peculiaris ratio de modo, quæ non reperitur in materia.* Dices secundò; modi essentialiter dependent à subiecto, quidni ergo & materia à formà? Contrà, modus pendet à determinato subiecto, ergo & materia dependere deberet ab aliquâ formâ determinatâ. Resp. ergo modos esse actuales determinationes, sicque nil mirum quod existere nequeant sine subiectis, seu nisi actu determinent. materia autẽ est quid, in ratione constituendi compositum, indeterminatum.

VIII. *Omne accidens est essentialiter forma.* Dices tertiò; dari diuinitùs nequit esse accidentale sine formâ accidentali, ergo nec esse substantiale sine formâ substantiali. Nego consequentiam, omne enim accidens essentialiter est forma, *accidentis e*nim *esse est inesse*: At verò datur substantia, tum completa, vt Angelus, tum incompleta, vt materia, quæ non sit forma.

IX. *Materia essentialiter est tantùm compars aptitudinalis.* Dices quartò: materia essentialiter est compars ergo necessariò debet habere formam, illam enim essentialiter respicit vt compartem. Contrà, forma essentialiter est compars, ergo necessariò debet inesse materiæ, illam enim essentialiter respicit vt compartem, & tamen videmus animam rationalem posse, etiam naturaliter existere sine materiâ. Resp. ergo distinguendo antecedẽs, materia essentialiter est compars actualis, nego antecedens; aptitudinalis, concedo: non est enim essentia materiæ actu suscipere formam, sed esse illius susceptiuam.

DISPV-

DISPVTATIO X.

De dependentiâ materiæ à formâ.

SECTIO PRIMA.

An materia fuerit vnquam, aut naturaliter esse poßit sine omni formâ.

I. *Terra de facto nunquam fuit sine omni formâ.*

PRima conclusio: materia de facto nunquam extitit sine omni forma. Est contra Gabrielē in 3.d.21. qu.vn.art.3. Marsilium in 3.quæst. 13.art.1. & alios nonnullos asserentes bis materiam extitisse sine omni forma, primò, in primâ mundi conditione, ob illud Gen.1. *Terra autem erat inanis & vacua.* Secundò, in triduo mortis Christi. At sanè primū non viget, nam dum dicitur terra fuisse inanis & vacua, ergo fuit terra, ergo materia habuit tunc formam substantialem terræ, imò antea dicitur, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, ergo ab ipso principio rerum omnium materia habuit formam terræ, ergo nunquam fuit sine omni formâ.

Qua ratione initio mundi terra fuerit vacua.

Dicitur ergo terra fuisse vacua, id est, inornata, quòd scilicet tunc non habuerit diuersitatem illam & varietatem florum, arborum, plantarum, & animalium, quibus postea fuit instructa. Vnde S. Basilius Hom. 2. Hexam. vocat eos *scripturæ deprauatores qui per terram inanem & vacuam, materiam intelligunt informem.* Et S. Augu. licèt huic sententiæ nonnihil fauere videatur, 12. tamen Confess. cap.8. eam sententiam multis displicuisse asserit; vnde cap.29. aliam huius loci explicationem assignat, nempe vt materia omnes formas naturâ præcesserit, non tempore. Quæ explicatio conformior videtur doctrinæ S. Augustini distinguentis sex illos dies per diuersas tantùm cognitiones, per matutinam scilicet cognitionem, & vespertinam. Et hoc etiam modo, nempe de antecessione naturæ intelligendi sunt aliqui Patres, siquando affirmare videantur materiam fuisse sine omni formâ, scilicet in aliquo priori naturæ, non temporis, seu præcisiuè fuisse terram sine formâ, non negatiuè.

II. *An in triduo mortis Christi materia fuerit sine formâ.*

Secundò itaque fuisse materiam sine omni formâ asserunt in triduo mortis Christi, si enim aliâ tunc informata fuisset formâ materia illa corporis Christi, ergo Verbum assumpsisset aliam naturam præter Humanam, quod est falsum, nam *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, illam autem naturam seu formam, siquam tunc assumpsit, certum est eum in Resurrectione postmodum dimisisse.

III. Ad hoc tamen respondetur cum Soarez to.2. in 3.p.d.38.sect.3.fine, sicut cùm Verbum assumpsit corpus nutribile, assumere consequenter debuit, partes quæ nutritione de nouo acquiruntur, ita cùm assumsisset corpus mortale, assumere consequenter debuit formam cadaueris, quæ naturali sequelâ succedit animæ in materia. Quod ergo primariò assumpsit, nunquam dimisit, sic tamen quod consecutiuè solùm & secundariò.

Materia illa in triduo non fuit sine formâ substantiali.

Aliqui etiam negant fuisse omnino assumptam formam cadaueris, licèt vnita fuerit materiæ in triduo. Secundò Resp. esto in illo triduo fuisset materia sine omni formâ, non tamen sequitur hoc contigisse naturaliter, sed miraculosè, nulla enim ratio naturalis assignari potest cur non æquè succederet forma cadaueris in materiam Humanitatis Christi, quàm aliorum hominum defunctorum.

IV. *Materia naturaliter petit aliquā formam.*

Secunda conclusio: materia naturaliter seu connaturaliter esse nequit sine omni forma. Patet, nam existere naturaliter hoc sensu materiam, est esse eam cum omni perfectione connaturaliter ei debita; materia autem omni forma orbata, careret maximâ suâ perfectione, & complemento intrinseco, ergo æquè non esset in statu sibi connaturali ac aqua sine frigore, aut ignis sine calore, vel homo quispiam existens sine potentiâ visiuâ.

V. *Materia vi agentium naturalium non potest spoliari omni formâ.*

Tertia conclusio: materia vi agentium naturalium non potest denudari ab omni forma, & hoc sensu esse nequit sine omni forma naturaliter. Probatur, quia nullum habemus fundamentum asserendi agentia naturalia habere hanc vim, cùm nunquam sciamus hoc contigisse, nec vi agentium naturalium fuisse vnquam materiam omni forma spoliatam: sicut quia nunquam videmus albedinem producere lucem aut equum rugire, nullum habemus fundamentum asserendi vel illam, virtutem habere producendi lucem, vel hunc potentiam rugiendi. Conf. primò, nullum agens naturale intendens ad malum operatur, id est, non destruit vt destruat, sed vt inde aliquid producat, sed si expelleret formam præcedentem non inducendo nouam operaretur intendens malum, ergo. Conf. secundò, non potest ab agentibus naturalibus expelli forma aliqua ex materiâ nisi inducendo qualitates disponentes ad aliam formam, & illam exigentes, sed quandocunque sunt dispositiones sufficientes ad formam, potest forma illa induci, ergo nunquam esse potest materia naturaliter sine forma.

VI. *Dices, posse per accidens materiam priuari omni formâ.*

Dices; agens naturale non intendere malum, sed bonum, nempe inductionem suæ formæ, per accidens tamen posset destruere priorem formam, & non inducere nouam, producendo scilicet dispositiones sufficientes ad destructionem formæ præcedentis, non tamen ad inductionem nouæ: sicut si ad inducendam formam ignis in materiâ aquæ requiratur calor vt octo, & forma aquæ stare non possit cum calore vt quinque, inducto calore vt quinque peribit forma aquæ; non tamen sequetur forma ignis, cùm materia ad illam non sit sufficienter disposita.

VII. *Resp. non fieri posse per accidens.*

Resp. primò, in eo casu, si nec sint dispositiones sufficientes ad inducendam formam ignis, nec ad conseruandam formam aquæ, productum iri tertiam aliquam formam, vaporis v.g. fumi, exhalationis &c. ad quam dispositiones illæ sufficient, quæ tunc inducetur à causis vniuersalibus & æquiuocis, si vniuoca ad hoc sufficiens non adsit; sicut in productione hominis, quando materia non est perfectè disposita ad animam rationalem, inducitur forma embryonis.

VIII. *Viâ corruptionis conseruatur forma cum valde tenuibus dispositionibus.*

Resp. secundò, quotidianâ experientiâ compertum esse, via corruptionis formam sæpe conseruari cum valde tenuibus dispositionibus, vt patet in animalibus, in quibus morti proximis nullus ferè viget natiuus calor, & tamen perstat adhuc in iis vita, ergo à fortiori in non viuentibus, quę minùs perfectas requirunt dispositiones, poterit via corruptionis forma stare cum valde tenuibus dispositionibus propriis, vel etiam cum validis contrariis. Vnde licèt forsan non possit primò induci forma aquę in mate-

riam

riam dispositam cum calore vt quinque, poterit tamen eum eo conseruari.

IX. *Per accidens induci potest forma sine dispositionibus.* Deinde, esto omnino connaturaliter non possit forma aquæ stare, vel formæ ignis induci cum calore vt quinque, adhuc sicut videmus, attracto aëre in tubo plumbeo, ascendere aquam ad euitandum vacuum, ita hîc etiam ad euitandum hoc vacuum in materiâ (quod etiam abhorret natura, quia ad nihil vtile) vel inducetur forma ignis sine dispositionibus omnino requisitis, vel forma aquæ sine iis quas naturaliter postulat, conseruabitur. Sicut etiam non potest naturaliter existere materia in mixtis sine quatuor gradibus primarum qualitatum, quia ibi etiam daretur aliquod vacuum accidentale, vt latiùs dixi disput. præcedente s. 4. n. nono.

SECTIO II.

An materia dependeat, à formâ à priori, vel à posteriori.

I. *Status difficultatis.* DIsp. nona, s. 3. n. 4. dixi non ita essentialiter dependere materiam à formâ, quin sine omni formâ existere diuinitùs possit. Nunc ergo vlteriùs inquiro, an materia à formâ vel à priori, id est, tanquam à causâ efficiente vel materiali, aut à posteriori, nempe tanquam ab effectu dependeat.

II. *Materia non pendet à formâ à priori.* Prima conclusio: materia non dependet à formâ à priori, seu tanquam à causâ. Ita P. Hurt. d. 2. Phy. s. 8. n. 37. P. Arria. d. 2. Phy. s. 6. n. 88. & alij. Ratio est, quia, vt proximè dixi, dependentia à priori vel debet esse tanquam à subiecto, vel tanquam à causâ efficiente, sed materia non dependet à formâ tanquam à subiecto, vt est manifestum, materia siquidem est subiectum formæ. Conf. iam enim materia non esset primum subiectum. Conf. secundò, sic enim daretur mutua causalitas, quam suo loco ostendam implicare.

III. *Nec ab animâ rationali pendet materia à priori.* Quòd verò nec etiam dependeat materia à formâ tanquam ab efficiente, probatur primò, quia materia creatur, nullum autem agens naturale potest vel partialiter creare. Secundò, quia materia non solùm est prior naturâ formâ, sed etiam dispositionibus ad formam, quę sunt introductione formę priores. Hę duæ rationes probant materiam non dependere à priori etiam ab animâ rationali, cùm nec illa creare possit, nec sine dispositionibus naturaliter in materiam induci.

IV. *Dependentia à priori in genere causæ formalis est inintelligibilis.* Dependentia verò illa à priori quam aliqui assignant materiæ respectu formæ, dicentes dependere illam à priori à formâ in genere causæ formalis, hæc, inquā, dependentia & inintelligibilis est, & argumenta contra dependentiam materiæ à formâ in genere causæ materialis & efficientis faciliè impugnatur. Dices, dependet materia à causa finali, quæ dependentia non obstat creationi, ergo nec obstabit dependentia ab aliis causis. Nego consequentiam. influxus enim causæ finalis metaphoricus tantùm est, & intentionalis ac remotus, non immediatus & physicus, sicque non repugnat creationi.

V. *Nec etiam à posteriori pendet materia à formâ.* Secunda conclusio: non ita à posteriori dependet materia à forma vt si denudaretur ab omni forma, teneretur Deus vt auctor naturæ, illam destruere; sicque hoc sensu potest naturaliter sine omni formâ persistere. Ratio est, quia non apparet cur Deus tunc vt auctor naturæ suspendere deberet concursum materiæ conseruatiuum, eamque destruere, hoc autem non meliùs ostendetur quàm respondendo ad rationes ab aduersariis allatas.

VI. Dices, cessante fine cessat res, sed finis materiæ est susceptio formæ, ergo si separentur omnes formæ, necessariò cessabit materia. Distinguo maiorem, cessante fine adæquato cessat res, transeat maior; cessante fine inadæquato, nego. Sic in mente captis non perit intellectus, & voluntas, vel anima, licèt nobilissimos actus, & ad quos præcipuè ordinantur, liberos nimirum, exercere non possint. Sic in Beatis in cœlo post diem Iudicij manebunt potentiæ vegetatiuæ & nutritiuæ, licèt ibi corpora nec vegetabunt vnquam, nec nutrientur. Licèt ergo præcipuum munus materiæ sit susceptio formæ, & constitutio compositi substantialis, alia tamen etiam habet officia, nempe impedire vacuum, sustentare accidentia, recipere cœli influentias, & in alia eas corpora transfundere, & alia. *Non quolibet fine cessante cessat res.*

VII. *Non est tanta dependentia materiæ à forma, ac corporis ab vbicatione.* Dices secundò, multa pendent à posteriori ab aliquibus rebus sine quibus esse non possunt, vt corpus ab aliquâ vbicatione & duratione, & alia huiusmodi, ergo & materia naturaliter pendebit à formâ. Resp. hoc nimium probare, hinc enim sequeretur, materiam nec per Diuinam potentiam posse esse sine omni formâ, dici enim solet communiter, corpus per nullam potentiam esse posse sine vbicatione aliquâ, & duratione. De quo suo loco. Nulla verò est ratio cur talis dependentia ponatur materiæ à formâ vt hac destructâ pereat materia.

VIII. *An materia ablata quantitate periret.* Dices tertiò, si auferretur ab eâ quantitas, deberet naturaliter destrui, cui enim bono conseruaretur? cum nullis vniuersi vsibus deseruiret, ergo nec conseruari potent sine formâ. Resp. si ablatâ quantitate, non confluerer ad punctum, adhuc deseruiret ad impediendum vacuum, & sic permaneret aliquis saltem eius finis, sicque naturaliter non deberet magis perire, quàm oculus destructo omni colore. Si autem naturaliter confluerer ad punctum, quod aliqui dicunt, tunc si nec habeat formam substantialem, nec impediret vacuum, nec aliud munus exerceret, esto, naturaliter petat, iam enim nulli prorsus vsui foret, sicque non est finis in naturâ cur permaneat: ac proinde Deus, vt auctor naturæ eam conseruare ampliùs non poterit.

IX. *Argumentum quorundam ad probandum posse persistere materiã, destructa omni forma.* Hic solùm addendum, non mihi efficacem videri rationem illam quæ à nonnullis efficacissima putatur ad ostendendũ posse naturaliter cõseruari materiam, licèt omnis forma destruatur. Arguunt itaque, destructio formæ materialis est corruptio, non annihilatio, ergo petit existentiam materiæ pro aliquo priori naturæ in eo instante in quo corrumpitur forma, ergo toto illo instante reali existit necessariò materia, quod enim requiritur ad constituendam prioritatem naturæ in aliquo instante, existere necessariò debet toto illo instante reali, cùm omne instans realiter sit indiuisibile, ergo pro nullo posteriori naturæ in illo instante perire potest materia ad destructionem formæ, ergo naturaliter manere debet materia vno saltem instante sine omni formâ. Quod verò existere in illo instante debeat, probatur, nam si non sit materia illo instante quo perit forma, saltem pro aliquo priori, ergo forma desinit in nihilum, ergo annihilatur, & non corrumpitur corruptione propriè dictâ.

X. *Forma desinens ad annihilationem materiæ, non annihilatur.* Hoc, inquam, argumentum nunquam mihi visum est efficax, & manifestam habet instantiam in eo casu, quo ex annihilatione materiæ equi v. g. vel alterius compositi naturalis destrueretur forma materialis, tunc enim pro nullo priori naturæ est materia quando non est forma, imò pro aliquo priori nũ est, seu desinit materia, quàm non sit forma, cùm hæc ad materiæ destructionem destruatur, ergo pro aliquo priori non est materia quàm non sit forma, & tamen forma in illo casu non annihilatur, vt omnes fatentur, sed corrumpitur, ergo non requiritur ad corruptionem propriè dictam, vt materia illo instante

stante sit, quo destruitur forma. Si verò dicat quis in eo casu annihilari formam, nullum erit inconueniens concedere annihilari etiam eam, quando vicissim ex illius destructione destruitur materia.

XI. *Ratione forma in eo casu non annihilaretur.*

Resp. ergo in neutro casu destructionem illam fore annihilationem respectu formæ, quia annihilatio est suspensio concursus creatiui, non generatiui: cùm ergo forma illa materialis conseruata priùs fuerit per concursum materiæ influentis in genere causæ materialis, non dicetur annihilari, nullus enim ibi fuit concursus creatiuus, ergo nec potest esse illius suspensio. Est ergo hic suspensio concursus generatiui, seu concursus dependentis à materiâ influente, non eo tempore dependentis quo est suspensio concursus, hoc enim implicat, sic namque simul esset concursus, & non esset; sed pro instante immediatè præcedente. Et hoc, nisi quæstio sit de nomine, est desinere, non in nihilum, sed in subiecto saltē præsupposito. Vel si velim hoc esse desinere in nihilum, id est, quod nihil existat in quo antea fuit, & in quod hoc sensu desinat, tunc dicam non omnem desitionem in nihilum esse annihilationem, sed eam solam quæ est suspensio concursus creatiui, seu concursus indepentis à subiecto influente pro aliquo priori, licèt tunc nec influat, nec existat.

XII.

Dices; materia tunc perit solùm pro aliquo posteriori naturæ, ad destructionem scilicet formæ, ergo pro aliquo priori illius instantis non perit, ergo pro illo priori est, habet enim negationem destructionis, ergo pro aliquo priori naturæ in illo instante conseruatur materia, ergo tunc est, ergo etiam est toto illo instante reali, iuxta superiùs dicta, cùm omne instans sit realiter indiuisibile. Resp. simile argumentum confici posse in productione cuiuscunque rei pro aliquo posteriori naturæ respectu causæ in quocunque instante reali quo producitur, ex. g. sol in instante A producit lucem pro posteriori naturæ, semper enim effectus est naturâ posterior causâ, ergo solùm pro posteriori naturæ producitur lux, ergo non est pro aliquo priori naturæ, ergo pro illo priori naturæ habet negationem existentiæ, ergo non est in toto illo instante reali quo producitur, cùm instans illud, non minùs quàm quodlibet aliud, sit realiter indiuisibile. Hæc ergo obiectio se destruit, vult enim pugnantia, vt ostensum est.

Non rectè arguitur, pro illo priori non est effectus, ergo est negatio effectus.

XIII. *Materia pro illo priori est solùm præcisiuè.*

Dico itaque materiam pro illo priori naturæ illius instantis, quo destruitur, non esse positiuè, sed solùm præcisiuè, nec affirmare de illa potest quispiam pro illo priori, esse: sicut & effectus non est negatiuè pro vllo priori illius instantis realis quo producitur, ita vt pro illo priori dici possit effectus non esse, sed solùm præcisiuè: alioqui in eodem indiuisibili instante realis durationis esset simul & non esset. Nil ergo est aliud non esse, seu desinere materiā pro aliquo posteriori naturæ in illo instante reali, quàm in eo instante habere causam suæ destructionis; & effectum produci pro aliquo posteriori nihil est aliud quàm habere illo instante causam suæ productionis: vt latiùs postea declarabitur d. 20. dū de prioritate naturæ.

SECTIO III.

An materia orbata omni formâ conseruari posset eâdem actione, & an hæc esset miraculosa.

I. *Materia spoliata omni forma posset eâdem...*

QVoad primum dico, eâdem actione conseruādam in eo casu materiam, qua ante conseruabatur. Ratio est, quia forma, vt sec. præcedente ostendi, nullo modo influebat in materiam, ergo nullus hîc influxus per concursum fortiorem est à Deo supplendus. Conf. materia à posteriori tantùm pendet à formâ, idque secundum quid, ita nimirum, vt si omni formâ spoliaretur, non periret necessariò, vt iam probaui, sed quæ hac tantùm ratione pendent ab alio à posteriori, conseruari eâdem actione possunt, quâ cum illo alio conseruabantur, ergo. Minor probatur, sol, esto naturaliter esse nequeat sine omni luce quam habet, si tamen Deus ab eo partē huius tolleret, posset illum eodem concursu conseruare, quo modò. Sicut etiam, licèt paries non possit naturaliter colore omni denudari, si tamen Deus omnem: ab eo colorē separaret, posset tamen eum eodem concursu conseruare quo modò, dum habet colorem.

...actione, qua conseruari.

II. *Actiones miraculosæ sunt in duplici genere.*

Quoad secundum, an scilicet actio, quâ materia sine omni formâ conseruaretur, foret miraculosa, Notandum, actiones miraculosas (non est sermo de supernaturalibus, vt de productione gratiæ, Vnionis Hypostaticæ &c.) esse in duplici genere, quoad substantiam, & quoad modum. Actiones quoad substantiam, miraculosæ sunt, quæ naturaliter fieri non possunt, & Angelus solâ visâ tali actione, statim diceret nō esse in naturâ vim illius effectricem, qualis est actio quâ accidens conseruaretur sine subiecto.

III. *Actiones miraculosæ quoad modum.*

Actiones miraculosæ quoad modum sunt illæ, quæ quoad se & suam entitatem sunt possibiles, qualis est restitutio visus cæco, quæ actio eiusdem planè rationis est cum illa qua visus primò fuit productus. Vnde Angelus actionem illam solam intuens, nō sciet an in eius productione supernaturale quidquam intercesserit. Imò actionem vnam intuens quâ visus Petro fuit restitutus, & aliam quâ in Paulo visus fuit primò productus, non discernet inter actiones illas quæ sit restitutio, quæ prima productio, sicut nec inter potentias ipsas visiuas, quæ sit primò producta, quæ restituta.

IV. *Sitne miraculosa illa actio conseruatiua materiæ.*

Virùm ergo actio qua materia formâ omni orbata conseruaretur, miraculosa quoad modum dicenda sit, an naturalis, positis iis quæ suprà statuimus nempe materiam omni formâ spoliatam non petere destructionem sui, deinde eodem adhuc cōcursu conseruari eam posse, quo priùs fuerat conseruata, his, inquam, positis, quæstio tantùm esse potest de modo loquendi, cui proinde ne nimium insistam.

V. *Actionem illā comitatur miraculum.*

Dico: si per actionem miraculosam quoad modum, intelligatur actio quam miraculum aliquod comitatur, esse actionem hanc miraculosam, sicut & miraculosa esset illa quâ paries conseruaretur sine omni colore, quæ nihilominus actio est in se maximè naturalis. Miraculum tamen propriè hîc non tam est in actione, quàm quòd materia omni formâ, paries colore orbetur. Si verò per actionem miraculosam intelligitur actio materiæ in his circumstantiis indebita, non est miraculosa, cùm non minùs eam peteret materia orbata formâ, quàm informata, vt suprà ostensum est. Videatur P. Arria. d. 2. Phys. s. 6. subs. 4. hæc fusiùs discutiens.

Non tamen est materiæ indebita.

VI. *Posterioritas naturæ in forma non excludit miraculum.*

Id vero non placet, quod Recentiores quosdam affirmare video, qui ideo actionem hanc à ratione miraculi excludunt, quòd forma sit materiâ posterior, vel in se, vt forma omnis materialis, ad quam physicè concurrit materia, vel in dispositionibus, quas anima rationalis subsequitur, nihil autem sequiunt, dependere potest ab aliquo se posteriore. At sanè licèt propriam dependentiam à posteriori, materiæ à formâ non admittam, si tamen admitterem, non existimarem obstare miraculo: disp. enim 20. s. 2. ostendam eam, non solùm naturaliter, sed nec diuinitùs sinè omni eo existere posse, à quo à posteriori dependet.

SECTIO

SECTIO IV.

De vnitate specifica materiæ.

I. *Materia sublunaris est vna specie infimâ.*

Dico primò: materiam sublunarem vnam esse specie infimâ. Ratio est, quia nullum apparet indicium in contrarium, cùm omnis materia sit susceptiua primarum qualitatum disponentium ad formas omnes sublunares, & consequenter formarum illarum est susceptiua. Præterea fit perpetua transmutatio & vicissitudo in vniuerso, dum manente eâdem materiâ nouæ & nouæ succedunt formæ, nullaque omnino est pars materiæ, quæ alterius non sit formæ susceptiua, præter eam quam de facto habet, atque adeò successiuè omnium. Conf. alioqui ignis generatus ex combustione hominis, ligni, carbonis, terræ &c. esset diuersæ speciei. Nec valet, materia dicit essentialem ordinem ad formas, ergo specificatur ab illis, & diuersificatur pro illarum diuersitate, si enim hoc vltimum sequatur, tot erunt potentiæ visiuæ in homine, imò tot intellectus & voluntates, quot actus elicit specie distinctos, cùm ab actibus non minùs specificetur potentia, quàm materia à formis. Specificatur ergo materia à formis collectiuè sumptis, ita scilicet vt non foret eadem materia si vel vna earum esset impossibilis. Illa etiam materia esset specie distincta ab aliis, quæ non respiceret vnam aliquam speciem vel seriem formarum, quam respiciunt aliæ.

II. *Materia diuersorum compositorum differunt in specie accidentali.*

Specie tamen accidentali differt materia vnius speciei compositi ab aliâ, ob diuersam scilicet complexionem accidentium, quæ in se continet. Quo sensu intelligendus Aristoteles l. 4. de cælo, cap. 5. dum ait, *ad aliam formam aliam materiam esse necessariam, & in genito ac corrupto manere eandem materiam numero, non verò specie.* Sed hæc est materia secunda, vt aiunt, seu materia iam per dispositiones accidentales ad hanc vel illam specie formam determinata.

III. *In quo materia in compositis substantialibus differt à materiâ artefactorum.*

Dices; asserere Aristotelem, materiam primam se habere in genere naturæ respectu formarum substantialium, sicut se habet materia artefactorum in genere artis respectu formarum artificialium, sed hæc sæpe est specie diuersa, vt aurum, æs, lignum, & similia, ergo & illa. Resp. hoc solùm sensu comparari ab Aristotele materiam primam cum materiâ artefactorum, quòd materia successiuè diuersas formas substantiales suscipiat, sicut illa artificiales, non tamen in omnibus eas inter se confert, sic enim deberet materia prima esse generabilis & corruptibilis, & substantialiter completa, cùm aurum, æs, lignum sint completa. Non ergo ad amussim inter has materias exigenda est comparatio, quælibet enim materia sublunaris formarum omnium est susceptiua, quæuis tamen materia artefactorum in quamlibet formam artificialem deduci nequit; non enim ex aquâ vel arenâ fiunt instrumenta mathematica, nec gladij ex plumbo, nec ex quolibet ligno Mercurius.

IV. *Vtrùm equus, & homo distinguantur specie adæquatè.*

Dices secundò; ergo homo & equus non distinguuntur specie totaliter & adæquatè. Resp. si per totaliter & adæquatè intelligatur non distingui secundùm vtramque partem specie, concedo; si simpliciter totum non distingui specie, nego: ad hoc enim sufficit quòd forma quæ præcipuè *dat esse & distinguit*, sit in iis specie diuersa, vnitas enim & conuenientia ex integrâ causâ, sicut æqualitas, distinctio & variatio ex variatione cuiusque partis, sicut inæqualitas in numeris, *species* autem iuxta Aristotelem, *sunt sicut numeri.*

V. Dices tertiò: hinc sequi materiam fore infinitè perfectam. Nego sequelam, sicut nec intellectus est infinitè perfectus, quòd plures & plures actus specie elicere possit in infinitum circa plura & plura obiecta specie, multò tamen imperfectiùs præcontinet materia formas, quàm intellectus, etiam vt causa partialis concurrens cum specie altero comprincipio, præcontinet actus, præcontinentia enim materialis est omnium imperfectissima. Secundò Resp. non magis hic argui infinitatem in materiâ, quàm in visione beatificâ, nec magis in materiâ crescit perfectio ex extensione termini, quàm in visione ex intensione perfectionis in obiecto. Tertiò dico, non constare vtrùm hæc materia sit susceptiua infinitarum formarum specie distinctarum.

Materia non est infinita perfectionis.

VI. *Non repugnat alia materia specie distincta.*

Dico secundò: non repugnare aliam materiam specie distinctam à nostrâ. Probatur, potest Deus creare alium mundum, & aliam seriem rerum ab hac, quæ de facto est, planè distinctam, ergo & erunt diuersæ primæ qualitates, ac dispositiones primè ad illas formas, quarum nec dispositionum nec formarum capax esset hæc materia nostra, ergo alia esset ibi materia à nostrâ specie distincta. Dices; ergo illa materia esset imperfectior nostrâ, cùm tamen materia nostra sit imperfectissima. Resp. concedo sequelam, si formæ quarum est susceptiua materia illa, nec numero nec perfectione sint æquales iis, quas nostra potest suscipere.

VII. *Materia nostra non est rerum omnium imperfectissima.*

Nec est quod quis ita nostram deprimat materiam, vt eam velit rerum omnium esse imperfectissimam: imprimis enim perfectior est accidentibus, deinde nec omnibus substantiis est imperfectior, superat enim in perfectione multos modos, vt subsistentiam &c. imò, vt multi putant, etiam nonnullas formas substantiales materiales, quæ sunt valde imperfectæ.

VIII. Dices; Deus Ens perfectissimum non potest multiplicari specie, ergo nec materia ens imperfectissimum. Contra primò, ergo nec multiplicari potest materia numero. Contrà secundò, modi & accidentia variantur specie, & tamen sunt imperfectiora materiâ.

IX. *Non est idē quoad diuersitatem inter actum purum, & puram potentiam.*

Vrgebis, vnus actus purus non potest alium in perfectione superare, ergo nec vna pura potentia esse aliâ perfectior. Nego consequentiam, actus enim purus est ille qui habet summam perfectionem, quique omnem excludit imperfectionem: at verò pura potentia non excludit omnem perfectionem, cùm perfectior sit materia multis modis, & accidentibus vt vidimus. Et hinc sequeretur, non posse materiam multiplicari numero, cùm actus purus numero multiplicari non possit.

X. *Dari potest materia capax sex tantùm formarum.*

Dico tertiò; mihi probabile videtur dari posse materiam capacem sex tantùm, vel decem diuersarum specierum ex formis corruptibilibus. Tunc autem dicendum, si in ignem inijceretur compositum illud, & non esset illius materia susceptiua formæ ignis, non comburendum, nec formam illam expellendam, sicut nec calefit cælum lunæ ab igne ei vicino, nec ignis inducere posset dispositiones in materiam illam ad suam formam, cùm materia, quæ non est capax formæ, non sit capax dispositionum ad illam, cùm vbi non est possibilis forma, nec dispositiones ad illam sint possibiles. Posset tamen materia illa intra species quarum est capax, plures & plures in indiuiduo semper formas suscipere, imò de vnâ in aliam ex sex vel decem formis, quæ intra illius sphæram continentur, identidem transmutari.

XI. *Materia cælorum & inter se, & à sublunari distinguuntur specie.*

Dico quartò: mihi probabilius videri materiam cælorum & inter se, & à sublunari specie differre. Ratio est, quia cùm repugnet materia susceptiua vnius tantùm formæ, magis rectæ rerum dispositioni videtur consentaneum, vt materia quam de facto habent

habent cæli, sit huiusmodi potiùs, quàm similis sublunari, cùm ad finem valde diuersum creata videatur sublunaris materia, nempe, ad vicissitudinem ac varietatem, & ad generationem & corruptionem rerum in se perpetuò exercendam: longè ergo maius fundamentum habemus ad asserendum esse diuersæ speciei has materias, cùm tam diuersas formas, ac dispositiones in se recipiant, & tam diuersis muneribus sint ab auctore naturæ institutæ. Hæc obiter de hac quæstione prælibasse sufficiat, plena enim illius discussio spectat ad libros de cælo, vbi eam tractabimus disp. 2. sect. 2.

SECTIO V.

De reliquis ad materiæ cognitionem spectantibus.

I. *Quas causas habeat materia.* PRimum est, quas causas habeat materia? primò quoad causam efficientem, certum est aliquam habere eam debere, cùm quid creatum sit, & ens ab alio. Causa ergo efficiens illius est solus Deus, cùm iuxta Philosophos, nullum agens naturale creare naturaliter possit. Causa finalis seu finis materiæ intrinsecus est compositum, extrinsecus, sicut & aliarum omnium rerum, Deus, qui vt *α*, seu principium, ita *ω* seu finis est omnium rerum. Materialem causam habere nequit, cùm sit primum subiectum, vt diximus.

II. *Materia non pendet à forma in genere causæ formalis.* Difficultas ergo sola procedit de causâ formali. Dico itaque materiam non verè pendere à formâ in genere causæ formalis. Ratio est, quia causa formalis ex conceptu suo essentiali est causa intrinseca, & causat solùm communicando se, sed forma non est pars intrinsecè constitutiua materiæ, nec illam denominat materiam, ergo materia in conceptu suo intrinseco non includit formam tanquam partem & causam formalem intrinsecè constitutiuam sui, sic enim materia deberet denominari materia à formâ, sicut paries denominatur albus ab albedine.

III. Secundum est, materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem: sed hac de re dictum est fusè suprà d. 3. s. 2.

IV. *Materia est radix destructionis compositi.* Tertium est, materiam principium esse & radicem destructionis compositi: cùm enim variarum & oppositarum formarum ac dispositionum sit capax, agentia ei applicata suas in eam inducunt dispositiones, sicque forma prior & compositum destruitur, eorumque destructio in materiam refunditur.

V. *Sitne materia alicuius effectiua.* Quartum est, vtrum materia rei cuiuspiam sit effectiua? Non esse effectiuam seu operatiuam ad extra videtur certum: nullo enim fundamento diceretur materiam, rem adeò imperfectam, cum formâ equi generare equum, & alia similiter animalia. Conf. Materia est principium verè passiuum, & forma actiuum, ideoque fortasse dicuntur actus & potentia.

VI. *An producat suas passiones.* Difficultas est, vtrùm ad intra producat per emanationem suas proprietates & passiones, quantitatem scilicet, & subsistentiam. Negat P. Vasq. tom. 2. in 1. p. d. 196. num. 13. & Thomistæ communiter, vt hoc modo materiam puram esse potentiam receptiuam, & nullo modo actiuam defendant. Alij verò cum P. Suarez affirmant: tum quia emanatio non censetur propriè actio, nec quæ per emanationem fiunt tribuuntur rei à quâ emanant, sed generanti, iuxta illud. *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*: vnde emanatio nihil obstat puritati potentiæ materiæ. Deinde, omnes aliæ essentiæ producunt per emanationem suas passiones, vt docet S. Thom. 1. p. q. 77. corpore, quid ni ergo & materia producat suas? Hoc secundum mihi videtur probabilius.

VII. Quintum est de subsistentiâ materiæ. Sed hac de re in Metaphysicâ, vbi naturam subsistentiæ declarabo.

VIII. *Possitne dari materia communis formæ corruptibili, & incorruptibili.* Sextum, possitne dari materia communis formæ corruptibili & incorruptibili? Resp. affirmatiuè. Quòd verò aliqui obiiciunt, potentiam illius ad formam corruptibilem fore otiosam, dum est sub formâ incorruptibili: Dico non fore otiosam, sicut non est otiosa potentia in humanitate Christi ad propriam subsistentiam. Tunc ergo solùm censetur potentia ad aliquid otiosa, quando petit aliquid cum illo alio incompossibile, non quando accidentaliter tantùm ei vnitur, vt hic non necessariò, sed per accidens tantùm materia formæ illi incorruptibili fuit primò vnita, cùm pro aliquo priori indifferens fuerit ad vtramque.

DISPVTATIO XI.

De Formâ substantiali.

I. *Forma variis modis sumitur.* FOrma variis modis sumi nonnunquam solet: primò, pro re omnino completâ per se subsistente, quo sensu Deus & Angeli formæ subinde appellantur. Secundò, pro formâ assistente, quâ ratione Intelligentiæ cælorum motrices formæ dicuntur, quæ nimirum sphæris semper cælestibus assistunt, earumque motum dirigunt. Tertiò, Ideæ vocantur formæ exemplares. Quartò, accidentia dicuntur formæ, de quibus d. sequente. Quintò demum, forma dicitur pars illa altera quæ vnà cum materiâ compositum substantiale constituit: & de hac nobis in præsenti est sermo.

II. *Forma antiquis ferè fuit ignota.* Hæc antiquis Philosophis ferè fuit ignota, quos proinde non semel hoc nomine reprehendit Aristoteles, quod scilicet materiæ considerationi veluti immersi, præstantissimæ rerum naturalium partis inuestigationem penitùs neglexerint. Formæ tamen meminit Plato, eam vocans *Idearum participationem*. Illius verò naturam maximè illustrauit Aristoteles, eamque appellat *speciem, actum, terminum, pulchrum, diuinum, exemplar, optimum*, &c. Quam etiam nostro sæculo optimè declarant Suarez d. 15. Metaph. Hurt. hîc d. 4. Arriaga d. 3. Ouiedo hîc controu. 3. & alij.

SECTIO PRIMA.

An sit, & quid sit forma substantialis.

I. *REN. DES-CARTES 4. par. princ. Philos.* QVoad primum: in recentiorem quendam scriptorem nuper incidi, qui formam omnem substantialem (præterquam in homine, & reliquis fortasse viuentibus) ex vniuerso tollere videtur; & ignem terram, aquam, &c. nihil aliud esse vult, quàm materiam primam cum diuersis motibus heterogeneis, quibus earum partes cieri, & agitari asserit: & in hac motuum diuersitate, rerum saltem inanimatarum, differentiam constituere videtur.

II. P. Arriaga d. 3. Phy. s. 5. n. 43. aliam opinionem refert,

Opinio adserens in rebus propè omnibus formam eandem.

fert, quæ ait, in omnibus rebus, præter hominem, eandem esse formam substantialem: *Quæ*, inquit, *nulla sanitas sine patrono, non desunt etiam his temporibus nonnulli, nescio an Philosophi dicendi, an deliri, qui iudicant, in omnibus entibus (excipiunt hominem propter fidem) eandem numero esse formam substantialem, & solas dispositiones accidentales efficere diversas.* Hæc ille.

III. Ego à censuris abstineo, solùm dico, opinionem, quæ vnicam hoc modo in vniverso substantialem formam constituit, non esse minùs tolerabilem illâ, quæ ponit nullam.

Cùm hoc sine probationibus affirmet, eâdem facilitate reiicitur, quâ asseritur.

IV. Vlteriùs verò ab hoc auctore quærerem, quo fundamento ductus particulas huiusmodi saltatriculas in rebus hisce constituat, præsertim cùm manifestâ cõstet experientiâ nullum in rebus istis motum cerni, sed eas immotas planè esse, & quietas. In Academiis namque, & doctorum hominum cœtu tantum quis obtinet, quantum rationibus evincit, si quid sine probationibus profeiatur, reiicitur vt fictitium. Vel ergo huius sui tam miri effati, & partium istarũ saltitantium rationem aliquam assignet, quod hactenus non fecit, vel finem imponat tripudiis? Hanc itaque sententiam, prout negat formas substantiales, hîc refellam: prout verò eas in motu sitas esse docet, impugnabo disp. sequente, sec. 5. dum de formis accidentalibus, eadem enim quoad hoc est ratio substantialium formarum & accidentalium.

Conclusio: datur Forma substantialis.

V. Contra vtramque ergo hanc sententiam, & si qua sit alia, quæ substantiales formas negat, Dicendum, præter materiam, admittendam necessariò esse huiuscemodi formam, quæ, velut alterum comprincipium substantiale, res naturales constituat. Ita auctores paulò antè citati, & est res certissima.

Probatur ex continuâ mutatione rerum, & aliis.

VI. Probatur primò ex continuâ mutatione rerum, quæ sicut requirit subiectum aliquod commune, ita & terminos diversos, qui producantur. Secundò, ex tam variâ serie accidentium, quæ diversa videmus in diversis, vt in igne, aquâ, flore, lapide, & reliquis, ergo in aliquod principium debet hæc diversitas refundi, sed non in materiam, hæc enim eiusdem speciei est in omnibus; ergo in formam. Tertiò, videmus aquam calefactam ad pristinam se frigiditatem reducere, & ferrum candens ad prius temperamentum redire, ergo aliquid in his compositis reperitur, quod hoc exigat. Quartò, peculiariter probatur in homine ex nobilibus illis operationibus, quas ab homine elici videmus, intellectûs scilicet & voluntatis, hæ autem in materiam refundi nequeunt, vt constat. Quintò, quia alioqui composita omnia naturalia essent eiusdem speciei substantialis, cùm materia sit eiusdem speciei. Sextò, non est ad quem finem materia prima sit quid incompletum substantialiter, nisi vt per compartem aliquam substantialem compleatur, non enim completur substantialiter per accidentia.

Aqua per occultam qualitatem non potest se ad frigiditatem reducere.

VII. Obicies primò contra tertiam probationem, Ratio cur aqua calefacta ad suam se frigiditatem denuò reducit, est, quòd occulta illic lateat qualitas, quæ remoto igne, aquam temperamento pristino restituit. Contrà, omne accidens ad aliud tanquam ad radicem ordinatur ergo si ibi sit huiusmodi qualitas, est aliquid quod eam exigat, sed hoc non est materia, hæc enim, cùm sit commune subiectum, ad omnia accidentia (rerum saltem sublunarium) est indifferẽs, nec vllum in particulari exigit, ergo qualitatis illius, quæ tam tenaciter adhæret materiæ, alia esse debet radix præter materiam, ergo dari debet aliud comprincipium substantiale, quod qualitatem illam postulet, nam de omni accidente, quod ei tanquam radix assignaretur, idem fieri posset argumentum.

VIII. Obicies secundò; *accidentis esse est inesse*, sed forma materialis semper inest materiæ, nec potest naturaliter esse quin insit, ergo est accidens. Resp. non solius accidentis esse est inesse, nec propterea præcisè accidens est accidens quia inest, sed quia accidit, id est, advenit rei iam in suo esse planè constitutæ, & abesse potest, ita vt res adhuc permaneat, paries enim manet paries, & homo homo ablatâ albedine, qui tamen non manent ablatâ animâ, formâ substantiali, vel materiâ.

Forma, licèt insit subiecto, nõ est accidens.

IX. Quoad secundum, definitur forma ab Aristotele sæpiùs, quòd sit, *quod quid est rei, seu ratio rei*, nempe quæ vltimò constituit & distinguit communiter rẽ ab omni alio composito, vt forma artificialis seu figura in artefactis. Quæ definitio clariùs explicatur his verbis, *forma est vltimus actus informatiuus materiæ, faciens per se vnum cum illâ, & prima radix potentiarum actiuarum in composito.*

Definitio Formæ.

SECTIO II.

An forma sit tota quidditas compositi: vbi de materiâ primogeniâ.

I. RESP. negatiuè, licèt enim cùm forma vltimò determinet communiter materiam ad hoc compositum, dici possit peculiari modo ratio compositi, non tamen adæquatum illius constitutiuum, cùm omne compositum substantiale essentialiter constituatur ex duabus partibus substantialibus. Vnde in Symbolo Athanasij dicitur, *sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Sicut etiam, licèt forma seu figura in artefactis peculiari modo constituat vltimò determinando formaliter materiam ad hoc artefactum, non tamen adæquatè illud constituit, mensa enim vel cathedra non est sola illa figura, sed insuper superaddit materiam. Nec homo est sola anima, sic enim non esset generabilis & corruptibilis, nec moreretur, aut destrueretur, cùm anima sit immortalis.

Forma nõ est tota quidditas compositi.

II. Vrgebis, sola forma est adæquata radix & principium potentiarum, & operationum in composito vt constat in homine, cuius anima elicit actus intellectûs, vnita æquè ac separata, ergo forma est tota quidditas cõpositi, operari enim sequitur esse. Resp. distinguendo antecedens, est adæquata radix omnium operationum, nego antecedens; aliquarum, saltem quoad substantiam, concedo, nempe actuum intellectûs & voluntatis, licèt quoad modum etiam hi pendeant à materiâ, cùm eliciantur in corpore dependenter, non solùm à speciebus abstractis à sensibus, sed ab imaginatiuâ etiam, & phantasmatibus, quæ in hac vitâ intellectum in operando semper comitantur. Aliæ autem potentiæ quæ sunt materiales, pendent etiam & oriuntur partim à materiâ, in quâ etiam recipiuntur vt omnes sensus: hoc autem sufficit vt materia sit partiale principium illarum, saltem receptiuum, & consequenter partialiter constitutiua compositi.

Forma non est adæquata radix omniũ operationũ.

III. Instabis, ergo variatâ materiâ specie, variabitur compositum specie: hinc autem primò sequitur. gradum hominis non esse speciem infimam seu atomam. Secundò, non posse probari Christum esse eiusdem speciei hominem nobiscum. Tertiò, quia in artefactis, mensa ex auro, eiusdem planè figuræ cum mensâ ex ligno, vel marmore, non censetur diversæ speciei artificialis.

IV. Resp. Concedendo sequelam. Ad primum inconueniens dico, probabile videri esse possibiles plures homines specie distinctos, & consequenter rationẽ seu gradum hominis vt sic, esse genericum, imò aliqui censent posse dari animas rationales specie distinctas,

Variatâ materiâ specie, variatur specie compositum.

sunctas, ergo pari modo viget argumentum de gradu specifico hominis ex eo capite, atque ex parte materiæ. Statuitur autem à Philosophis gradus hominis species infima, vt certum aliquem gradum habeant Dialectici, de quo forment suas compositiones, & conceptus Metaphysicos, & non vagentur in incertum: sicut eodem modo statuitur animal genus infimum, cùm tamen valde probabile sit posse assignari alia genera inferiora sub animali, vt canis ad omnes canes, musca ad muscas, serpens ad reptilia, & huiusmodi. Ad secundum inconuenientis dico, inde probari Christum esse eiusdem speciei hominem nobiscum, primò, quia traxit materiam ex B. Virgine. Deinde quia licèt Verbum assumere potuerit materiam alterius rationis, debuit tamen iuxta Apostolum ad Heb. 2. v. 16. per omnia fieri similis nobis, vtpote quorum naturam assumpsit, & non Angelicam. Ad tertium, si artefacta sumantur reduplicatiuè & formaliter, dico materiam non variare speciem; sin specificatiuè sumantur & materialiter, variare, quia artefactum sic sumptum, includit totum, totum autem variatur specie ex variatione specificà cuiuscunque partis; quod conforme est doctrinæ Aristotelis 3. Phys. tex. 66. dicentis, æs aut lignum esse partem statuæ.

Christum eiusdē fuis speciei hominem nobiscū.

V. Vltimò obiicies; hinc sequi, non fore eundem hominem puerum & senem, nec resurrecturū eundem qui est mortuus, cùm duo homines non possint cum eâdem materiâ saltem magnâ ex parte, vt patet in Anthropophagis: vter ergo cum illâ resurget. Ob hoc argumentum ponunt nonnulli materiā quam vocant primogeniam, quā scilicet homo accipit in primâ conceptione, & hanc dicunt nunquā deperdi, nec posse transire in materiam saltem primogeniam alterius cuiuscunque hominis. At sanè hoc videtur dici nullo modo posse, saltem vniuersim loquendo, tum quia siquis in conceptione habeat sex digitos, vel tres manus certū est hæc in resurrectione deperditum iri, si homo ille saluetur, nequid monstrosum in cœlum admittatur. Si etiā homines aliqui nati fuissent sine pedibus, aut brachiis, hæc in resurrectione sunt addēda. Deinde fieri debet continuum miraculum, vt partes illæ primæ, vel totæ, vel ex parte saltem per totam vitam nō deperdantur; nec enim minus miraculum est quòd calor naturalis vel nutrimentum non agat in illas partes, quàm quòd ignis non comburat materiam sibi appositam, cùm materia illa primogenia non sit minùs apta vt in illam agatur, quàm quæuis alia, & calor naturalis in eo casu manebit sine omni actione.

Non datur Materia primogenia.

VI. Dico ergo cum Recentioribus communiter, equum post aliquot annos, tantùm esse eundem moraliter, non in rigore Physico & Metaphysico: sed sicut est idem fluuius, nouis paulatim succedentibus aquis: cùm enim sensim solùm pereant partes priores, & nouæ acquirantur, maneatque eadem vel similis planè figura, quæ antea, censetur in æstimatione hominum idem equus, sicut idem fluuius. Quod eodem modo contingit in aliis compositis materialibus viuentium.

Equus post aliquot annos est idem tantum moraliter.

VII. In homine minor videtur difficultas quàm in viuentibus materialibus, si eorum animæ non sint indiuisibiles, cùm semper retineat eandem animā, quod non faciunt illa, non tamen est idem puer & senex in rigore Physico & Metaphysico, sed solùm moraliter, quia nimirū altera eius pars, nempe materia in momenta penè singula ex parte mutatur. Et hoc est quod dicit S. Thomas, hominem esse eundē semper numero instar ignis, qui nutritur semper nouo pabulo, seu fomite, & prioribus partibus sensim dilabentibus, imperceptibiliter acquirit nouas: & Aristoteles ait, permanere compositū *quoad partes materiales, non formales*, id est, vt interpretatur S. Thom. quoad partes indiuiduas, nō specificas, quas vocat, *partes formales*, semper enim habet equus materiam indiuiduam & formā indiuiduam, non tamen semper eandem numero, sicut nec homo eandem semper numero materiam, sed solùm eandem specie, priori enim deperditā, eius loco succedit noua.

In homine facilius intelligitur, quomodo sit idem iuuenis & senex.

VIII. Dices; ergo Christus, nec in cruce pro nobis obtulit Patri, nec in sacrosanctâ Eucharistiâ eandem numero carnem retinet, quam accepit à Virgine: quod est expresse contra S. Augustinum ser. de Assumpt. Virginis cap. 5. vbi sic habet: *Caro Christi caro Mariæ est*, & infrà, *Caro Christi, quamuis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Mariâ.*

IX. Resp. peculiarem in Christo esse rationem, cur caro illa, quam ex Matre Virgine traxit, in eo ad finem vsque vitæ, maximâ saltem ex parte, permanserit. Per carnem autem quā à Matre accepit Christus, non eam solā intelligo, quæ primo Conceptionis Christi instante ex virgineo sanguine fuit compactā, sed etiā eam, quæ ex alimento seu lacte quod ei Mater infanti subministrabat, *vbere de cælo pleno*, vt canit Ecclesia, fuit confecta. Reliquum autem tēpus vitæ Christi cùm fuerit tempus augmenti, parum de materiâ corporis Christi fuit deperditum, præsertim cùm optimi fuerit temperamenti corpus Christi, & cibis toto vitæ tempore, maximâ semper cum moderatione, sit vsus. Deinde, probabile est specialem hac in re adhibitam esse Dei prouidentiam, vt optimè notat Suarez Tom. 2. in 3. p. d. 8. s. 2. §. 2.

Quomodo Christus obtulerit in cruce carnem, quā traxit ex Matre Virgine.

X. Ad id quod supra n. 5. addebatur de resurrectione, dico resurrecturum hominem cum suâ carne iuxta illud Iob 19. v. 26. *Circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum Saluatorem meum*, resurget, inquam, homo cum suâ carne, id est, vel cum eâ quā mortuus est, maximâ saltem ex parte, vel saltem cū eâ quæ fuit ipsius variis vitæ temporibus. Quòd si duo homines moriantur cum eâdem materiâ successiuè, tum inquit S. August. dandam illi materiam illam in resurrectione qui eam primus habuit. Alij Theologi docent distribuēdam inter vtrumque, & reliquum quod deest, per aliam materiam supplendum. Alij demum aiunt, si alter ex iis saluetur, alter damnetur, vt cùm ex Barbaris quispiam comedit carnem alicuius martyris, totum corpus in resurrectione dandum Beato. Res tota est satis incerta.

Homo in quā carne resurget.

Quid si eadem caro fuerit duorum.

SECTIO III.

An in eâdem materiâ plures esse possint formæ substantiales.

I. Dvobus modis cogitare quis posset plures formas eandem simul informare materiam, vel ita vt vna alteri subordinetur & sit quasi quædam ad illam dispositio, vt apprehensio subordinatur iudicio, & primæ qualitates secundis: vel secundò, ita vt, licèt omnes ad vnius compositi constitutionem concurrant, eique subordinentur, respectu sui tamen se habeant disparatè. Sicut primæ qualitates quæ licèt secundùm diuersam sui complexionem inductioni formarum elementarium subseruiant, vt calor & siccitas respectu formæ ignis, nec tamen calor siccitati subordinatur, nec siccitas calori.

Plures formæ possunt duobus modis eandem informare simul materiam.

II. Varij hac in parte sunt dicendi modi, quos omnes longum esset recensere, celebriores itaque tantùm cursim referam, deinde quid de re ipsâ tenendum sit aperiam.

III. Primò igitur Auicenna præter particularem compositi cuiusque formam, aliam statuebat vniuersalem

Opinio Auicennæ.

lem materiæ communem, & , instar illius, incorruptibilē.

Alij tot formas statuebant, quot prædicata.

IV. Secundò, alij tot in quouis composito statuebant formas distinctas, quot in eodem sunt prædicata Metaphysica, *ens, substantia, corpus,* &c. quibus singulis singulas aiebant respondere formas Physicas, tanquam eorum radices.

Alij in viuente ponebant tres formas.

V. Tertiò, alij in quouis viuente tres formas statuebant, *corporeitatis, vegetabilis,* & *sensibilis,* in homine superaddebant *rationalem.* Hæ omnes sententiæ, impugnatâ sequente, eâdem operâ impugnantur.

Alij formam corporeitatis.

VI. Quarta itaque sententia, & quæ inter omnes pluralitatem formarum in materia statuentes, maximè inualuit, est Scoti, in 4. d. 11. q. 13. a. 2. qui cum tota sua schola, in viuentibus, vt in homine, leone, equo, & reliquis, præter formam primariam, aliam inueniti asserit, quam vocat corporeitatis, viuentibus omnibus communem.

Hæc sententia diuerso modo defenditur.

VII. Scoti sententiā ex parte sequuntur P. Dandinus 2. de Anim. tex. 12 p. 3. digr. 8. Coninc. de Sacramētis. q. 76. d. vn. Tanner. t. 4. d. 5. q. 5. d. 2. d. 22. & alij nonnulli ex recentioribus: in hoc tamen differunt, quod Scotus vnam totalem formam ponat corporeitatis, hi verò plures ponunt partiales, ita vt alia sit forma carnis, alia ossis, alia oculi, alia auris, &c.

In eâdem parte materiæ non possunt esse duæ formæ non subordinatæ.

VIII. Dico primò: in eadem materia non posse dari duas formas non subordinatas. Ratio est primò, quia corpus naturaliter non est capax duarum simul vbicationum, ob limitationem, ergo nec materia duarum simul formarum, eadem enim vtrobique videtur limitatio, nec facilè assignabitur disparitas. Secundò, non est capax functionum nisi vnius formæ simul, ergo dum est sub vna, esset inutilis ad aliam. Tertiò, si esset capax plurium simul formarum quàm vnius, certus numerus assignari non posset, cùm non sit maior ratio vnius numeri, quàm alterius, ergo nunquam satiaretur seu compleretur iuxta naturalem ipsius exigentiam, sicque semper maneret incompleta, cùm nunquam habeat tot formas, quin posset habere naturaliter plures.

Probatur ex diuerso temperamento ad diuersas formas requisito.

IX. Quartò, diuersæ formæ diuersum exigunt temperamentum, ergo non possunt formæ illæ simul esse in eâdem materiâ. Respondet Arriaga d. 3. s. 6. n. 112. aqua patitur calorem intensum, cur ergo simul cum formâ aquæ non poterit in materiâ existere forma quæ calorem illum intensum exigat? sicque erunt simul in eâ duæ formæ. Contrà, hoc perinde est ac si quis diceret, homo esse potest sine potentiâ visiuâ & actuali vsu rationis, & equus aut canis non perit etiamsi vnus aut duo ei pedes præscindantur; ergo dari simul cum animâ rationali poterit forma quæ negationem visûs & vsûs rationis in subiecto postulet, aut quæ existat cum formâ equi, & postulet habere tantùm duos pedes. Sicut ergo hæ formæ inter se repugnant ob contrarias exigentias, ita & forma quæ petat calorem intensum, cum forma aquæ pugnat quæ connaturaliter petit frigus intensum, sic enim naturaliter essent simul in eadem materia duæ formæ, seu principia intrinseca, petentes contraria.

Obij. exemplum ferri candentis.

X. Obiicies exemplum ferri candentis, vbi cum forma ferri simul videtur esse forma ignis, comburit enim & lucet instar ignis. Resp. quoad combustionem, cùm materia ferri sit valde densa, citiùs producit dispositionem sufficientem ad ignem, qui inducitur à coelo, sole, aut aliqua ex causis vniuersalibus, vel etiam ab igne in ferri poris latente.

XI. Quoad lucem, dico illam ab igne externo primò productam, ab igne in poris latente ad tempus conseruari. Addo lucem non ita subito semper deficere, quin amoto luminoso in quibusdam subiectis ad tempus aliquod permaneat: quod in candela bene accensa, & subitò in tenebris extincta experiri quiuis potest: licèt enim pars lychni ignita priùs abscindatur, in superiore tamen parte candelæ, vbi seuum est liquefactum, videbit quis extinctâ candela tamdiu adhuc manere aliquid lucis, dum semel salutatio Angelica recitari potest. Quod in lapide Bononiensi clariùs constat; qui lucem diutiùs, & maiori copiâ retinet. Cùm ergo materia ferri sit tenacior, diutiùs manere in ea lux poterit, præsertim cùm, vt dixi, ignis lateat in poris, qui ad illius conseruationem possit concurrere.

Vnde lux in ferro candenti.

In eâdem parte materiæ nequeunt esse duæ formæ subordinatæ.

XII. Dico secundò: In eadem parte materiæ esse simul nequeunt duæ formæ subordinatæ. Probatur, nam forma subordinata, cùm essentialiter sit prærequisita ad aliam, esset dispositio ad illam, & consequenter accidens, cur enim alioqui non diceremus quantitatem de facto esse formam substantialem subordinatam aliis formis substantialibus? Deinde, quia nullæ sunt actiones, quæ non possunt tribui vni formæ, nec enim debent esse operationes repugnantes; sic etenim non possent prouenire à forma subordinata, quæ vt in informando, ita in operando debet alteri subseruire, eique esse subordinata, & non repugnans. Præterea compositum illud non esse vnum per se, sed per accidens, cùm formæ illæ non vnirentur sibi inuicem, sicque non facerent vnum per se inter seipsas. Tandem, sicut secundùm aduersarios anima viuens petit illas formas, quidni petere immediatè poterit varietatem dispositionum quæ formas illas consequitur?

Implicant duæ formæ substantiales subordinatæ.

XIII. Quartò & præcipuè, quia forma, iuxta Aristotelem, est *ratio rei, seu vltimò determinans materiam ad talem speciem, & vltimò constitutiua compositi substantialis, in quam tanquam in vltimam resoluitur, quòd compositum sit hoc specie potiùs quàm aliud:* ergo implicat huiusmodi forma subordinata. Patet consequentia, nā forma subordinata non vltimò determinaret materiam, nec constitueret vltimò compositum, cùm sit essentialiter quid solùm prærequisitum, & consequenter essentialiter petat non esse vltimum, sed aliud adhuc vlteriùs determinatiuum sequi, ergo non est forma, vt constat.

Duæ formæ substantiales subordinatæ non possunt dari, nec diuinitus.

XIV. Dices; hinc sequi, nec per diuinam potentiam posse dari plures formas subordinatas. Resp. concedendo sequelam, sicut enim in linea, pars illa vel punctum non est vltimum post quod sequitur aliud (imò nec per diuinam potentiam potest esse vltimum, si aliud sequatur, sic enim esset vltimum, & non esset) ita in præsenti cùm iuxta Aristotelem forma debeat esse vltimum determinatiuum materiæ ad hanc speciem completam, & vltimum constitutiuum compositi, non potest dari forma alteri formæ subordinata, ipso enim facto non esset vltimum constitutiuum compositi, & consequenter nec forma, sed solùm dispositio. Vel si quis contendat esse formam quia informaret materiam, & constitueret compositum, tunc dico, si hoc supponatur, sequi esse & non esse formam.

Duæ tamen formæ non subordinatæ possunt diuinitus esse in eâdem parte materiæ.

XV. Dices secundò; ergo nec duæ formæ substantiales non subordinatæ poterunt per diuinam potentiā inesse eidem parti materiæ, neutra enim esset vltimò determinatiua materiæ, & consequenter nec esset forma. Resp. negando sequelam, vtraque enim æquè vltimò determinaret materiam ad diuersam speciem completam, & ad diuersum compositum, saltem inadæquatè distinctum: sicut hoc sensu dicunt multi dari posse etiam duo pūcta terminatiua inter se penetrata quæ erunt positiuè vltima respectu partium, negatiuè respectu sui, id est, neutrum est altero vlteriùs, vtrumque autem est vlteriùs respectu omnium partium: quod tamen longè facilius est in nostro casu, cùm duæ illæ formæ non sint vltimæ rationes respectu eiusdem compositi, vt pun-

cta illa terminatiua sunt respectu eiusdem cōtinui, sed respectu cōpositi diuersi. Si ergo in eâdem materiâ esset forma ligni & lapidis, vtraque vltimò in suâ specie & composito determinaret, hæc vltimò ad compositum lapidis, illa vltimò ad compositum ligni. Hic ergo nulla est subordinatio, nec quidquā repugnans rationi vltimi, seu formæ. Nec videtur cur magis repugnet duas formas substantiales esse simul in eâdem materiâ, quàm duo contraria calorem scilicet & frigus in summo, in eodem subiecto, quod tamen fieri non repugnat, imò de facto putant aliqui ita contingere in inferno.

XVI. *Si duæ formæ essent in eâdem parte materiæ, neutra faceret vnum, et accidens.* Dices; saltem ex alio capite repugnare duas formas simul diuinitùs informare eandem materiam, quia scilicet altera necessariò faceret vnum per accidens cum materiâ, nam si priùs informetur materia aliâ formâ, iam est ens completum, seu in actu completo, *ex vno autem ente completo & alio incompleto non fit vnum per se*, sed per accidens. Resp. distinguendo hoc vltimum, ex vno ente completo reduplicatiuè sumpto, & alio incompleto non fit vnum per se, concedo; specificatiuè sumpto, nego: forma autem ligni non adueniens materiæ illi vt completæ, seu toti composito, ita nimirum vt informet vtramque partem, sed materiæ secundùm se, & entitatiuè est adhuc quid incompletum quoad intrinseca sua & essentialia prædicata, secundùm hæc autem sola respicitur à formâ substantiali ligni, quæ materiam solam respicit & informat, sicque per accidens se habet ad hanc informationem formæ ligni, quod simul vel priùs informetur à formâ lapidis. Si autem essentialiter peteret forma ligni vt præcederet in materiâ forma lapidis, & adueniret materiæ completæ substantialiter, iam non faceret vnum per se cùm illâ, nec esset forma substantialis, cùm essentialiter peteret aduenire composito iam constituto, nec enim potest ex naturâ suâ ordinari ad complendum aliud, si supponat illud completum, sic namque includeret pugnantia.

XVII. *Positis formis ligni & lapidis in materiâ, falsum esset dicere lignū est lapis.* Non tamen in eo casu liceret dicere *lignum est lapis*, sicut dicimus, *album est dulce*, quia in hac secundâ propositione rectum est idem in prædicato & subiecto, quod ad veritatem in omni propositione requiritur: in prædicationibus autem accidentalibus rectum est solum subiectum, vnde, vt in Logicâ notaui, licèt homo quispiam calleat plures artes, non tamen dicendus est esse plures artifices, sed vnus artifex, & paries est idem visum & cognitum, licèt plures simul illum videant & cognoscant: At in nostro casu, id quod affertur in recto, non est idem adæquatè in prædicato & subiecto, in compositis enim substantialibus vtrumque importatur in recto, nempe & materia & forma; hic autem materia in illis compositis est diuersa, ac proinde rectum prædicati non est idem adæquatè cum recto subiecti. Si tamen lignum hoc & lapis subsisterent eâdem subsistentiâ, cum veritate dici tunc posset, lapis est lignum, & è contrà.

XVIII. *In viuente non datur forma corporeitatis.* Dico tertiò: non datur in materiâ simul cum forma viuentis forma aliqua corporeitatis, aut partiales illæ ossis, carnis, &c. quas auctores supra citati requirebant. Ita S. Thoma 2. cont. Gen. c. 64. n. 3. Suar. d. 13. Met. s. 3. n. 13. & d. 15. s. 10. Hurtado d. 4. Phys. s. 3. Arriaga d. 3. Phys. s. 6. per totam. Ouiedo contr. 3. p. 2. & alij. Probatur primò, nullus enim est in natura finis, cur statuatur forma illa corporeitatis, non enim ob dispositiones prærequisitas, vt scilicet sit earum causa, hæ namque diuersæ ponuntur ad diuersitatem animarum, quæ illas iuxta suam quæque peculiarem naturam exigunt, sicut enim secundùm aduersarios, vt dixi, possunt animæ exigere has formas, quidni immediatè exigere poterunt diuersas dispositiones? Sic anima rationalis diuersam organizationem & dispositiones petit, quas non petit forma leonis aut equi, ob diuersas scilicet functiones & operationes quas exercere debet vna non altera.

XIX. *Alio remoto remouetur forma corporeitatis.* Secundò, ponit Scotus hanc formam corporeitatis ne, cùm perit forma viuentis, sit materia sine omni forma & perfectione sibi connaturaliter debita, sed idem inconueniens sequitur etiam si statuatur hæc forma corporeitatis, nam materia cum illa sola vel est completa, vel non: si est, ergo stante illa non potest naturaliter aliam formā recipere; si non est completa, ergo sicut potest manere incompleta sub illa; ita & manere posset sine omni formâ: sicut enim existere sub hac formâ solâ potest secundùm ipsum, & non in actu completo, ita & sine hac formâ, cùm solùm sequatur non esse eam in actu completo, quod tamen sequitur in alio casu.

SECTIO IV.

Argumenta contendentia dari formas partiales.

I. *Organizatio consistit in accidentibus.* Obiicies primò, ante infusionem animæ, pro aliquo priori naturæ, est corpus organizatum, ergo habet materia in illo priori naturæ aliquam formam, per quam sit organizata, non aliam quā corporeitatis, ergo. Resp. corpus dici organizatum seu organicum ab accidentibus & diuersitate dispositionum, quæ requiruntur ad inductionem animæ.

II. *Vnde & quomodo homo sit corporeus.* Obiicies secundò; homo est corporeus, sed non potest recipere hanc denominationem ab animâ rationali, vtpote quæ est spiritualis, ergo à formâ aliquâ corporeitatis distinctâ. Resp. hominē esse corporeum, posse habere duplicem sensum, nempe vel esse radicem quantitatis, & habere partes extra partes, seu non esse totum in toto & totum in qualibet parte, & hoc sensu homo est corporeus partim, partim spiritualis. Alio autem modo dicitur aliquid corporeum, ita scilicet, vt sit radix passionum, potentiarum & operationum corporearum, & hoc habere homo potest formaliter ab animâ, quæ ipso facto quòd naturâ suâ sit forma corporis, seu apta informare corpus, habet etiam vt sit apta, si coniungatur corpori, vt sit radix potentiarum & operationum corporearum, ac proinde virtualiter corporea, cùm quoad hoc conueniat cum aliis formis materialibus viuentium.

III. *Anima rationalis non est formaliter corporea.* Dices; ex eo quòd anima rationalis sit radix vegetandi, sequitur eam esse formaliter vegetatiuam & sensitiuam, ergo ex eo quòd sit radix potentiarum & operationum corporearum, erit etiam formaliter corporea. Negatur consequentia, disparitas est, quia esse aliquid formaliter corporeum, non solùm dicit esse radicem potētiarum, & operationum corporearum, sed præterea includere saltem vnam partem quæ petat habere partes extra partes. Dici tamen potest homo simpliciter corporeus, ex eo quòd altera illius pars sit corporea, licèt altera sit spiritualis: *malum enim ex quolibet defectu*.

IV. *Quæ sit forma carnis, ossis &c.* Obiicies tertiò; mortuo homine manent formæ ossis, carnis, sanguinis, &c. ergo sunt formæ partiales. Nego consequentiam: dici enim posset formas illas esse tantùm accidentales, & easdem in homine viuo & mortuo. Secundò dico, loco animæ succedere formam cadaueris.

V. *De formâ cadaueris.* Obiicies quartò; ergo pro diuersâ temperie dispositionum in morbis, ex quibus homines moriuntur, diuersa producetur forma cadaueris: sicque cadauera duorum hominum diuersis morbis extin-

ctorum

ctorum erunt distincta specie. Conf. non apparet ex qua causâ producatur hæc forma cadauens præsertim cùm viuens subitò extinguitur.

VI. *Diuersa dispositiones ex morbis relicta non arguūt esse diuersam speciē formæ cadauericæ.* Contrà, eadem est forma carbonis (quæ est quasi forma quædam cadauerica ignis) siue carbo ignitus aquâ extinguatur, oleo, aut vino. Resp. itaque primò, non esse necessarium vt in eiusdem speciei viuentibus admittamus diuersam speciē formam cadaueris ob diuersas dispositiones ex morbo in materiâ productas: sicut enim eadem specie & numero anima potest ad multum temporis sub tam diuersâ complexione dispositionum conseruari, vt videmus in longâ subinde inualetudine, ita & per accidens poterit forma cadaueris eiusdem speciei primò produci sub diuerso illo temperamento, cùm præcipuè ordinetur à naturâ vt animam subsequatur. Sicut & per accidens videmus ignem & aquam produci subinde sine dispositionibus omnino connaturaliter debitis.

VII. *Forma cadauerica omnium animalium sunt eiusdē speciei.* Secundò dico: non esse magnum inconueniens, si dicatur tot diuersas specie formas cadauerū produci, quot sunt diuersa temperamenta dispositionū, ad quas sequuntur. Probabilius tamen videtur omnes formas cadauericas in animalibus quibuscunque esse eiusdem speciei, operationes enim & effectus habent planè similes; videmus namque statim post mortem eodem modo rigescere corpus equi, leonis, hominis, & aliorum omnium animalium; putrescere item, & in vermes ac saniem conuerti: optimum autem signum colligendi diuersitatem, vel identitatem formarum est ex effectibus. Ad confirmationem dico, posse produci formam illam à causâ aliquâ vniuersali, vt cœlo, sole, vel Deo, ad quas causas in similibus recurrendum, sicut cum producitur vermis, mus, vel rana ex putri.

VIII. *Grauitas maior aut minor pendet à diuerso temperamento.* Obiicies quintò; grauitas eadem manet in homine viuo & mortuo, & auctâ materiâ crescit, materiâ diminutâ decrescit, ergo aliud illius principium assignari debet præter animam, quæ eadem est in homine paruo & magno, nec manet omninò in mortuo. Resp. grauitatem mediatè tantùm prouenire ab animâ in homine, immediatè autem à temperamento quodam seu accidentibus quæ eadem, recedente animâ, remanent, quæque corpore crescente crescunt, & cum iis grauitas, vel formaliter, si in illis sita sit, vel radicaliter, si ab iis oriatur.

IX. *Denominatio hominis non tribuitur nisi integro composito.* Obiicies sextò; sequitur manum vel pedem hominis esse hominem. Resp. quidquid sit an in quauis corporis parte sit intensiuè tota hominis essentia, an requirat partes quasdam præcipuas, vt cor & cerebrum, denominatio tamen totius, seu hominis, tribui non solet vni alicui parti sigillatim sumptæ, sed integro composito, vt bene Arriaga d.3 Phys. f.6.nu.75. Vnde arbor vna non dicitur sylua, nec quæuis pars folij folium. Hoc tamen argumentum in meis principiis non vrget, qui in lib. de Anima, vnionem inter animam & corpus in homine statuam heterogeneam. In quam etiam refundam tantam varietatem accidentium, quæ in diuersis corporis partibus cernitur.

X. Obiicies septimò; idem fuit Christi corpus mortuum & viuum, ergo forma aliqua corporeitatis manere in materiâ post mortem debuit, quæ in eâ fuit dum Christus viueret. Conf. ignis, aut aqua non dicuntur constare formâ & corpore, ergo corpus

XI. *Idem fuit Christi corpus viuū & mortuum sine forma corporeitatis.* in animalibus aliud dicit, quàm materiam primam cum accidentibus.

Ad argumentum Resp. negando consequentiam corpus enim nihil aliud dicit quàm materiam cum tali figurâ ac sensibili organizatione accidentium, quæ, cùm eadem maneant in materiâ post mortem, idem fuit Christi corpus viuum ac mortuum. Ad Confir. dico, corpus, de quo hîc est sermo, non dicere quæcunque accidentia, sed peculiarem quandam eorum complexionem, ac varietatem, speciali modo dispositam.

Obiicies octauò; corpus est de essentiâ hominis, sed nullum accidens est de essentiâ hominis, ergo accidens non est de essentiâ corporis. Resp. corpus specificatiuè, seu secundùm id quod in recto dicit, esse de essentiâ hominis, non tamen secundùm id quod dicit in obliquo, nempe accidentia. Vnde si Deus (sicut per diuinam suam virtutem potest) animam rationalem conseruaret vnitam corpori, sine vllâ omnino organizatione, aut accidentibus, esset homo quoad totum essentialem conceptum hominis. Imò si Deus conseruaret materiam vnitam formæ ignis, aut aquæ cum dispositionibus his formis contrariis, adhuc essent ignis & aqua, ergo à fortiori, si formas illas conseruaret vnitas materiæ sine vllis dispositionibus. XII. *Quo sensu corpus sit de essentia hominis.*

Solum hîc restat soluendum quod contendunt aliqui, qui tot volunt esse formas partiales in eadem parte materiæ, quot sunt prædicata Metaphysica & denominationes distinctæ, nempe vnam formam correspondere animali, alteram rationali, tertiam corpori, substantiæ &c. ob illum locum Aristotelis, 7. Metaph. vbi ait, partibus definitionis correspondere partes rei. At sine fundamento hoc asseritur, solùm enim vult Aristoteles eùm rem aliquam definimus, conceptibus formalibus totidē correspondere ex parte obiecti conceptus obiectiuos diuersos, nec quidquam ibi vult aliud quàm præcisiones obiectiuas, seu formalitates ex parte obiecti ratione distinctas, quas tenuisse Aristotelem ostendi in Logica d.24.f.2.nu.2.& 5. Si autem hæc ratiocinatio teneret, quot animas habere quisque deberet? vna enim esset anima apprehensiua, alia iudicatiua, discursiua tertia, alia volitiua, vegetatiua, sensitiua, alia visiua, alia auditiua, & sic de cæteris. XIII. *Quâ ratione dixit Aristot. partibus definitionis correspondere partes rei.*

SECTIO V.

Quo concursu conseruetur prior forma quando noua simul cum eâ in eadem materia constituitur.

QVæstio est, vtrùm si Deus in materiam informatam formâ ligni inducat, manente priore formâ, formam lapidis, debeat prior forma conseruari fortiori influxu, concursu verbi causâ, vt quatuor, si concursus tantùm vt tria connaturaliter debeatur. I. *Status quæstionis.*

Affirmant aliqui: alij tamen asserunt non esse opus concursu fortiore, sed posse formam ligni eadē nunc actione conseruari, qua potuisset, si Deus non introduxisset in eandem materiam formam lapidis. Quam communem Theologorum & Philosophorum esse sententiam affirmat Arriaga d.3. Phy. f.7. Nec de forma tantùm substantiali intelligendū est, sed de accidentalibus etiam, quoties sibi naturaliter in eodem subiecto repugnant, vt de calore & frigore in summo, & similibus Ego, quid hac in re sentiam, dicam sequentibus conclusionibus. II. *Aliqui dicunt egere fortiori cōcursu, alij negant.*

Notandum verò, quæstionem hanc in ea solùm sententia disputari posse, quæ actionem realiter distinguit ab effectu, in sententia enim actionem à termino non distinguente, locum habere non potest, si enim effectus & influxus idem sint, manifestum est non solùm maiorem aut minorem concursum, sed nec diuersum æqualem ad eundem numero effectum dati posse. III. *Quæstio supponit actionem distingui ab effectu.*

Notandum secundò, duplex esse genus actionū IV.

supernaturalium, aliæ enim supernaturales sunt quoad substantiam, aliæ tantùm quoad modum, quas suprà d.10.s.3.n.2. latè explicui, nec ibi dicta necesse est hic repetere.

V. *Agens naturale fortiorē adhibet concursum, vt effectum cōseruet.*

Dico primò: inter agentia naturalia, dum alterum agens conseruare effectum vult, cuius alterum destructionem molitur, ĝ fortiore actione ad effectū concurrit, quod ni præstet, effectus destruetur. Sic dum vnus alterum loco pellere nititur, hic vt locum & vbicationem priorem seruet, firmiùs figit pedem. Sic dum gladium aut hastam alteri extorquere quis contendit, is fortiùs manum stringit, alioqui retinere hastam non poterit. Et huiusmodi aliquid indicare videntur antiperistases, quas in rebus, quæ contraria habent, inter qualitates actiuas non rarò contingere videmus.

IV. *Idem est de Deo naturaliter agente.*

Dico secundò: idem de Deo naturaliter operante affirmandum censeo, in circumstantiis nimirum supradictis non posse eum effectum conseruare, nisi fortiorem adhibeat concursum. Ex.g. Deus Petrum in spatio A solus conseruet, seu vbicationem illam solus producat, si Paulus eum loco pellere velit, nisi Deus ad vbicationem illam fortiori actione concurrat, non potest eam naturaliter conseruare. Ratio est, quia Deus sub hac consideratione, rerum se naturalium exigentiæ accommodat, resque omnes, iuxta suam quamque naturam, producit, conseruat, ac destruit, nec vt auctor naturæ, aliam sibi legem præscribit, quàm vt naturæ legem indemnem seruet.

VII. *Deus supernaturaliter cōseruare formā illā potest eodē concursu.*

Dico tertiò: Deus vt agens supernaturale efficere potest vt forma ligni præexistens in materiâ, inducta formâ lapidis, vel calor in summo, inducto vno vel altero gradu frigoris, æquali adhuc vel etiam eâdem actione conseruetur. Ita P. Arriaga citatus. qui rem hanc bene discutit.

VIII. Probatur conclusio, forma ligni est perfecta, vt suppono, vt quatuor, ergo concursum ad productionem & conseruationem sui requirit solùm vt quatuor, sed ex eo quòd forma lapidis in eandem materiam inducatur, non augetur perfectio formæ ligni, ergo nec fortiorem concursum exigit.

IX. Dices; non quidem eo titulo requirere fortiorem concursum, quòd ex coniunctione cum formâ lapidis forma ligni reddatur perfectior, sed cùm formæ omnes substantiales sibi inuicem sint quasi contrariæ, noua forma inducta semper petit destructionem præcedentis; vnde nisi fortiori concursu conseruetur, expelletur. Distinguo hoc vltimum, expelletur nisi Deus miraculosè illius expulsionem impediat, concedo; si Deus impediat, volendo scilicet priorem actionem adhuc persistere, nego. Conf. potest Deus iuxta communiorem sententiam rem aliquam, equum, verbi causâ, qui in instante A conseruabatur vnâ actione, in instante B conseruare simul aliâ actione totali, cùm tamen duæ actiones totales non minùs inter se repugnent naturaliter, quā duæ formæ substantiales: hic autem manifestum est non posse priorem actionē conseruari fortiore concursu, nam ipso facto quòd concursus sit fortior, non est eadem actio, sed diuersa, ad actionem enim non datur actio.

Deus sine nouo concursu potest impedire expulsionem formæ præcedentis. Cōf ex duplici actione totali possibili.

X. *Differentia hac in re inter agentia naturalia, & Deū.*

Dices; in primâ conclusione asseruisse nos agentia creata non posse effectum aliquem conseruare, vbi aliud agens illius destructionem exigit, nisi fortiorem concursum & conatum adhibendo, ergo nec id poterit Deus. Nego consequentiam, agentia enim creata alium modum id præstandi non habent, quā conatum & concursum suum augendo, Deus autem ex pleno quod in res omnes habet, dominio, id merâ suâ voluntate præstare potest, & si quis causam cur id præstet, inquirat, *stet pro ratione voluntas:* hæc supremi dominij prærogatiua est.

Vrgebis; Deus per meram suam voluntatem internā hoc præstare nequit, seu in genere causæ quasi formalis, alioqui dicere quis posset, aërem esse humidum, aut parietem album per voluntatem Dei, ergo miraculosa hæc voluntas aliquid efficere, & ad extra de nouo producere debet, quod producere nequit voluntas Dei naturalis; hoc ergo quid tandem sit, inquirimus. Resp. primò, si voluntas Dei libera, sit adæquatè intrinseca, sicque volitiones inter se virtualiter distinctæ, posse solam voluntatem Dei internam hoc præstare, non in genere causæ formalis, sed efficientis, sicut enim ad vnam volitionē Diuinam sequitur aqua, ad aliam ignis, & sic de reliquis, ita ad volitionem miraculosam sequi potest conseruatio illius formæ, cuius conseruatio sequi non potest ad volitionem naturalem. Resp. secundò, licèt actio in hoc casu conseruans formam, sit eadem, aliquid tamen à Deo peculiariter produci, nempe durationem illius formæ, quæ alioqui produci in his circumstantiis non potuisset, nisi Deus speciali quadam & miraculosâ voluntate producere eam statuisset. XI.

Quâ voluntate Deus preseruet formam conseruet.

Deus ergo tunc solùm fortiorem adhibet concursum, cùm causæ alicuius creatæ defectum supplet, vocaturque actio hæc supernaturalis *quoad substantiam:* quando verò contra causarum secundarum exigentiam actionem solùm aliquam conseruat, concurrere supernaturaliter dicitur tantùm *quoad modum*, quod scilicet rem eandem in indebitis circumstantiis producat aut conseruet. Nec quidquam contra hoc obiici video, quod magnopere responsione indigeat. XII.

Quando Deus adhibeat fortiorem concursum.

SECTIO VI.

Alia nonnulla circa duas formas substantiales simul in eadem materia existentes.

QVæres quando formâ aliquâ, ignis v.g. in materiâ existente, Deus aliam simul introducit, videlicet, aquæ, quæres, inquam, quænam ex his formis in materiâ miraculosè existat quoad modum? & num altera tantùm, an vtraque? Quod de formis substantialibus dico, idem de accidentalibus, calore scilicet & frigore in gradibus repugnantibus, idem de duabus actionibus totalibus, de duobus corporibus inter se penetratis, &, vt verbo dicam, de omnibus quæ sibi hoc modo opponuntur, est affirmandum. I.

Quando duæ formæ sunt simul in materiâ, quæ existat miraculosè.

Notandum, potentiam materiæ ad formas materiales esse duplicem: prima est merè passiua, quo modo respicit & recipit animam rationalem, & formas materiales tum substantiales tum accidentales reciperet, si crearentur. Secunda materiæ potentia est sustentatiua, per quam in genere causæ materialis, vnà cum efficiente in formas materiales influit, & eas Physicè producit. De vtrâque hac potentiâ procedit quæstio. II.

Potentia materiæ duplex, passiua, & sustentatiua.

Dico primò: quando forma aquæ & forma ignis simul existunt in eâdem materiâ, vtraque supernaturaliter existit quoad modum. Ratio est, quia vtraque æqualiter sibi quoad subiectū illud repugnat, & tam forma ignis quamdiu est in illo subiecto, petit vt ibi non sit forma aquæ, quàm hæc petit vt ibi non sit forma ignis. Conf primò, repugnantia hæc nihil aliud est, quàm ipsa harum formarum entitas cum vnione: Deus ergo, licèt efficiat, vt, stante priore formâ, noua inducatur, cùm tamen nihil de huius vel illius formæ entitate demat, nihil etiam demit de earum inter se antipathia, & repugnantia. III.

Vtraque forma simul existēs, existit supernaturaliter quoad modum.

Conf.

Conf. secundò, quando in materiam informatam formâ aquæ inducitur forma ignis, sicut forma aquæ miraculosè conseruatur, ita forma ignis miraculosè inducitur, alioqui si Deus statuisset per horā vel diem in materiâ aliquâ miraculosè conseruare formam aquæ aut ligni, posset ignis ligno illi applicatus, intra diem illum vel horam formam ignis naturaliter in illud inducere, quod, opinor, nemo dicet: sicut certum est, si Deus statuisset Petrum immotum certo loco miraculosè figere & conseruare, non posse Paulum, aut aliud corpus cum eo naturaliter penetrari.

IV. *Materia etiam neutrâ ex illis formis sustentat naturaliter.* Dico secundò: materia in eo casu nec vnam formam, nec alteram in genere causæ materialis sustētat naturaliter quoad modum. Ratio est clara, pari enim semper passu procedunt media & finis, sicut ergo vbi finis est simpliciter impossibilis, media implicant simpliciter, ita vbi finis est impossibilis, vel supernaturalis quoad modum, media nulla sunt in naturâ quæ cum fine cōcursu aliquo, saltem quoad modum supernaturali efficiant. Cùm ergo, si Deus formam aliquam in subiecto per certū tempus conseruare statuisset, nulla causa efficiens possit aliam vllam formam substantialem in materiam illam intra illud tempus naturaliter inducere, ita nec præstare illud poterit causa materialis.

V. Dices; in instante immediatè præcedente inductionem formæ aquæ habebat materia virtutem ad influendum materialiter in formam ignis, actione etiam quoad modum naturali, sed per introductionem formæ aquæ nihil de illius virtute diminuitur, ergo etiamnum poterit eam sustentare, & naturaliter eodem modo influere, quo antea. Resp. distinguendo minorem, nihil de illius virtute minuitur, aliquid ab eo Physicè tollendo, concedo minorem; nihil de illius virtute minuitur ponendo impedimentum, nego: ipso facto enim quòd forma alia illic ponatur, destitui naturaliter debet forma prior; si autem forma quæ est finis & terminus actionis seu influxûs materiæ permanere nequit in materiâ naturaliter, influxus ipse seu actio quæ est via ad terminum, non potest naturaliter persistere, cùm à termino dependeat.

Ob nouum impedimentum materia eam nō potest naturaliter conseruare priorem formam.

VI. *Materia nunquam habebat vim sustētandi illā formam in præsentiâ alterius.* Secundò resp. distinguendo maiorem, in instante illo habebat materia virtutem influendi in formam ignis pro tempore quo non informatur aliâ formâ, concedo maiorem; pro tempore quo alia forma existeret in materiâ, nego. Vnde inductâ aliâ formâ, nihil virtus materiæ imminuitur, nunquam enim habuit virtutem sustentandi, seu materialiter influendi in formam aquæ pro eo instante quo induceretur forma ignis.

VII. *Gratia & peccatum stare simul nequeunt diuinitus.* Hinc infero, esto gratia & peccatum inter se non pugnent essentialiter, seu quasi contradictoriè, sed tantùm contrariè, sicut calor & frigus in summo (quod alterius est loci) non tamen posse Deum peccatum simul cum gratiâ in eâdem animâ conseruare: licèt enim ad peccatum in iis circumstantiis conseruandum non sit opus fortiore concursu, necessarius tamen est concursus indebitus & miraculosus quoad modum, Deus autem peculiari eiusmodi concursu ad peccatum concurrere non potest: non minùs enim hoc Deum dedecet, quàm, si fortiore ad eius conseruationem actione influeret, cùm effectus sit idem, nempe peccatum contra naturalem eius, aliarumque rerum exigentiam in animâ conseruatum.

SECTIO VII.

Reliqua ad formæ substantialis notitiam spectantia.

I. *Omnes formæ præter animam rationalem educuntur è potentiâ materiæ.* QVæres num omnes formæ educantur ex potentiâ materiæ, an aliquæ creentur? Ad quod dico, omnes formas, præter animam rationalem, verè generari, & educi ex potentiâ materiæ. Ratio est primò, quia alioqui permanere separatæ possent à materia, sicut anima rationalis, quæ enim in productione non pendent à materia, sed creantur, nec ab ea pendent in conseruatione, sicque animæ brutorum erunt immortales, cùm adeò rectè inferatur animam rationalem esse immortalem; quia est independens à materia tanquam à subiecto. Secundò probatur, nam formæ materiales nullam habent actionem à materia seu subiecto independentem, sicut habet anima rationalis, quæ licèt pro hoc statu, in actibus, etiam intellectûs, pendeat à sensibus, saltem quoad operandi modum; separata tamen habet aliquas operationes omnino independentes à materia, forma autem materialis nullas, sed omnes ab ea dependentes, ergo & formæ ipsæ dependent à materia, cùm modus operandi sequatur modum essendi.

II. *Idem asserendum de formis cælorum.* Difficultas est de formis cælorum, sed cùm sint materiales, non est cur non etiam dicamus eas educi è potentia materiæ cæli, quidni enim æquè contineantur in potentia materiæ cælestis, atque formæ sublunares in materiæ sublunaris? ergo & connaturaliter educi petunt ex illius potentia.

III. *Nec obstat, quòd cælū dicatur creari.* Dices cum P. Suar. (qui d. 15. Met. s. 2. n. 17. est in oppositâ sententiâ) cœlum in Scripturâ, dici creari, ergo hoc verificari debet de toto: formæ etiam cælestes dicuntur passim concreari. Contrà, nam & terra dicitur in scripturâ creari, & Deus creasse dicitur cete grandia, item creasse animam viuentem, quam produxerant aquæ, & tamen aquæ non crearunt. Lato igitur solùm modo illic dicitur cœlum creari, eo scilicet sensu, quo quidquid est extra Deū, dicitur esse creatura, & creari idem ibi sonat, ac produci; formæ autem cœli ideo dicuntur concreari, quia simul cum materiâ creatâ producuntur.

IV. *Ad generationem non requiritur ut subiectum præcedat formam tempore.* Dices secundò; non præcessit illas formas materia, ergo non possunt pendere ab illa tanquam à priori. Distinguo consequens, non possunt pendere ab illa tanquam à priori, duratione, concedo; natura, nego. Sic enim sol primo instanti quo fuit, produxit lucem, & Angelus actum intellectûs, & tamen nec intellectionem hic creauit, nec ille lucem. Si autem quis propterea dicat fuisse creatum totū seu vtramque partem, quòd simul cum materia sit producta, & infusa forma, licèt verè educatur seu generetur, quæstio erit de nomine, quod enim nos vocamus generationem quia educitur forma ex potentia materiæ, vocat ipse creationem, quia licèt verè sit eductio, adhuc non præcessit materia tempore. Non etiam obstat creationi quòd forma producatur in materia, nam anima rationalis semper producitur in corpore, & illi vnitur. Solùm ergo obstat creationi, quòd forma educatur ex potentia materiæ, seu producatur cum dependentia ab illa, tanquam à subiecto in eam influente.

V. *Forma quoad nihil sui præextiterunt in materia.* Vnde vlteriùs infero, falsam esse illam quorundam opinionem, qui omnes formas dicebāt secundùm aliquid sui, quoad inchoationem scilicet quandam, seu particulas aut portiunculas sui, vt vocant, in materia præextitisse, nā alioqui, inquiunt, crearentur

rentur, cùm fierent ea nihilo sui. Sed contrà est primò, nam pars illa formæ, quam inchoationem appellant, particulam, & portiunculam, distinguitur ab aliâ parte quæ iam producitur, ergo non minùs creabitur pars hæc quæ modò producitur, cùm non præextiterit in materiâ secundùm aliquid sui. Vel saltem dici debet formam illam generari partim, partim creari, cùm inchoatio illa illius formæ, seu particula, aut portiuncula præcedens vnà creetur cum materiâ, reliquæ verò partes educantur, Deinde sicut hæ particulæ possunt educi ea potentiâ materiæ, licèt nihil illarum præcesserit in eâdem, ita & aliæ partes educi poterunt ex eâdem materiâ, licèt secundùm nihil sui in eâ præextitant.

VI. *Si formæ praexistant in materiâ sunt infinitæ simul in quauis parte materiæ.* Tandem hinc sequeretur, infinitas formas esse actu in eâdem parte materiæ, imò & eandem numero formam esse actu in omnibus partibus materiæ, quantumcumque loco diffitas, cùm nulla sit pars materiæ, ex quâ educi non possit quælibet forma. Quod idem etiam est de omnibus accidentibus, quæ non creantur. Præterea materia esset in multis speciebus completis antequam producatur forma, & sola materia esset integrum compositum. Sufficit ergo vt generetur seu educatur forma, non creetur, quod materia tanquam subiectum concurrat ad illius productionem, in genere causæ materialis. Et hoc modo intelligendum illud, quo nihil frequentius apud antiquos *ex nihilo nihil fit*; volunt nimirum, naturaliter fieri nihil posse sine concursu alicuius subiecti, non tamen sequitur vt aliquid illius formaliter præexistat, vel in subiecto, vel extra illud. sic enim nec materia, nec anima rationalis, nec Angelus crearetur.

Compositum est perfectius solâ formâ, cùm superaddat materiam, & vnionem. Licèt autem Deus & creatura non faciant quid perfectiùs intensiuè, quàm Deus solus, non tamen sequitur, materiam & formam non esse quid simpliciter perfectius solâ formâ; ideò enim Deus & creatura non faciunt aliquid intensiuè & simpliciter perfectius solo Deo, quia Deus eminentissimo modo continet perfectiones creaturarum, seclusis imperfectionibus; forma autem sola non continet perfectionem materiæ: vnde ex formâ & materiâ fit aliquid simpliciter perfectius quàm sit sola forma. VII. *Compositũ est perfectius solâ Formâ.* Potest etiam forma materialis conseruari diuinitùs extra materiam, vel in materiâ, ita vt materia ad illam non concurrat per influxum materialem, supplente scilicet Deo in genere causæ efficientis concursum subiecti, sed forma illa in hoc casu crearetur, sicque eodem concursu non potest conseruari ac quando educitur ea potentiâ materiæ. *Potest forma materialis conseruari diuinitùs extra materiam.*

VIII. De Priuatione, tertio corporis naturalis principio dictum est in Logicâ, totâ d. 18. vbi Negationum & Priuationum naturam latè discussi.

DISPVTATIO XII.

Denturnè Formæ accidentales.

SECTIO PRIMA.

Recentioris cuiusdam de Accidentibus opinio.

I. *Ren. Des Cartes in Medita: Responsione 4 pag. 185* DVm in Physicis hisce disputationibus versarer, in libellos quosdam incidi, vbi quædam tam mira, tamque à verâ Philosophiâ aliena animaduerti, vt mihi auctor visus sit nouitatis studiosior fuisse, quàm veritatis. Illud verò imprimis displicuit, quod accidentia omnia Physica, & realia ex vniuerso tollere niteretur, quod in homine præsertim Catholico (talem enim se hic auctor vbique profitetur) audax mihi visum facinus, vtpote cum principiis fidei apertè pugnans. cuius proinde confutationem hac disputatione suscepi.

II. Vnum verò accidit incommodè, quòd is, qui cum præsens mihi hic disceptatio, scholastico more non scribat, neceâ claritate, ac methodo, quâ in academiis tradi Philosophia solet: vnde fit, vt in quibusdam difficile sit mentem eius eruere, & quid tandem velit, certò pronuntiare.

III. *Modus scribendi huius auctoris.* Accedit, quod non satis constanter sua proferat: frequenter enim vbi pronuntiatum aliquod posuit, idipsum postea, sibi veluti, suæque, doctrinæ diffidens, paulatim reuocat, quodque totum simul asseruit, totum quasi per partes negat non apertè, sed aliis & aliis illud verborum inuolucris obtegens, vt lectori tenebras veluti offundat, sibique latebras reseruet, quò confugiat, si quis insequatur: ita nimirum, vt & affirmare possit se illud asseruisse, si scitum suum aliis placere intelligat, vel negare, si viderit displicere.

IV. Sed vt ad rem accedamus, cùm in scripto quodam accidẽtia realia negasse videretur, vir quidam doctus & pius amicè ipsum monuit, videret quo pacto hæc doctrina cum Ecclesiæ circa species Sacramentales definitionibus consisteret. Respondet *se obiectionem hanc perfacilè eludere posse, dicendo se accidentia realia nunquam negasse*. En latebras: ita enim scripserat, vt vir ille, aliique, qui librum eius perlegerant, negasse eum accidentia, absque vllâ dubitatione iudicarent, ita tamen id callidè præstiterat, nunc scilicet asserendo, nunc negando, vt si quis ipsi hoc (quod verebatur) obiiceret, in promptu haberet, quò confugeret, negaret nimirum *realia se nunquam accidentia reiecisse.*

V. *Scriptum secundum editum Amstelodami 1642.* In secundo tamen hoc eius libello Amstelodami anno 1642. edito, qui occasione admonitionis illius ex parte prodiit (vbi directè obiectioni circa species Eucharisticas

euchariſticas factæ ſatisfacere conatur, in *reſponſ. quartâ*, Tit. *Ad ea quæ Theologos movari poſſunt, §. ſupereſt Sacramentum Euchariſtiæ* (pag. 284.) *liberaliùs* acturum ſe promittit, ſicque hæc tandem profatur.

Primò.

Mira propoſitiones Carteſij. In Sacramento Euchariſtiæ nulla eſſe accidentia realia, qualia nimirum in compoſitis Phyſicis ponunt communiter Philoſophi, inhærentia ſcilicet intrinſecè ſubiectis, & ab iis naturaliter dependentia. Hic totius huius ab eo ſcripti tractatûs ſcopus eſt. Idemque, vt ait, ſperat clarè ſe in Philoſophiâ demonſtraturum.

Secundò.

Opinionem aſtruentem huiuſmodi accidentia non conuenire cum rationibus Theologicis.

Tertiò.

Sperare ſe, ait, *ſententiam illam reiiciendam, vt à ratione alienam, & incomprehenſibilem.*

Quartò.

Explodendam vt parum tutam in fide.

Quintò.

Ait, *non eſſe opus miraculo, vt accidentia panis, poſt ſublatam panis ſubſtantiam in Euchariſtiâ conſeruentur.*

Sextò.

Species panis, quam poſt panis conſecrationem manere docet Eccleſia, nihil aliud eſt, inquit, *præter ſuperficiem, quæ media eſt inter ſingulas panis particulas, & corpora ipſas ambientia.*

Septimò.

Eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus, nihil eſſe aliud affirmat, *quam quòd ſuperficies hæc panis* (quam manere docet ſine miraculo, deſtructâ panis ſubſtantiâ) *illud ambiat, & intra ſe complectatur*: ad eum, vt videtur, modum, quo aqua continetur in ſpongiâ.

Octauò.

Acerbè inuehitur, & impios eſſe inſinuat eos, qui auctoritate eccleſiæ vtuntur ad probandum panis, & vini ſpecies eſſe accidentia: *Impij certè* (inquit) *hâc in parte quòd auctoritate Eccleſiæ vti velint ad euertendam veritatem.*

Nonò.

Auſim ſperare (inquit) *venturum tempus aliquando, quo illa opinio, quæ ponit accidentia realia, à Theologis explodetur, & mea in eius locum, vt certa, & indubitata recipietur.*

VI. Hæc ille, vt ait *liberaliter*, quæ tamen aliis *liberè* magis quam *liberaliter* ab eo dicta videbuntur. Alia id genus ibidem plura tradit, quæ breuitatis causâ omitto. Mirabuntur, non dubito, docti omnes, & in Conciliis, Patribus, rebuſque Theologicis verſati (quas hic auctor ne primis quidem labiis videtur attigiſſe) mirabuntur, inquam, potuiſſe huiuſmodi aſſertiones è calamo viri catholici profluxiſſe. Quos autem ipſe tam graui cenſurâ incautus notauerit, & impietatis inſimulauerit, conſtabit ex ſect. ſequente.

SECTIO II.

Auctoritate Theologorum probatur ſpecies panis & vini, quæ in ſacroſanctâ Euchariſtiâ remanent, eſſe accidentia realia.

Magni ad quiduis probandum apud nationes omnes ſemper fuit doctorum conſenſio; eique diuini quaſi aliquid ineſſe iudicatum, in quod plurimi conſpirabant. Non parum itaque ad id, de quo agimus, momenti feret, ſi oſtendero Theologos, id eſt viros in omni doctrinæ genere, rerumque ſacrarum vſu & tractatione expertos, veritatem hanc (ſpecies ſcilicet panis & vini in Euchariſtiâ manentes, vera eſſe accidentia) vnanimi conſenſu tradidiſſe. Quod hic demonſtraturum me ſuſcipio. I. *Ad quiduis probandum magni momenti eſt doctorũ conſenſio.*

Per accidentia autem realia cum Philoſophis omnibus, & Theologis, intelligo entia quædam incompleta, extra primarium rei conceptum conſtituta, eique inhærentia, ita vt ſine ſubiecto à quo ſuſtententur, exiſtere naturaliter non poſſint. Si autem de ſpeciebus Euchariſticis oſtendero vera eas eſſe ac propria accidentia, eâdem operâ id de aliis omnibus aliorum compoſitorum accidentibus oſtenditur; primæ enim qualitates in pane & vino repertæ, eiuſdem planè rationis ſunt cum primis aliarum rerum qualitatibus. Quod idem eſt de quantitate, & reliquis omnibus eorum accidentibus. II. *Quid intelligatur per accidentia realia.*

Hanc itaque inprimis veritatem clariſſimè tradit S. Anſelmus Cantuarienſis in Angliâ Epiſcopus, in libro de corpore Domini, vbi ſic habet: *Contra omnem ſecularis Philoſophiæ rationem, & intellectum, mutatâ panis ſubſtantiâ in aliam ſubſtantiam, ad quoddam myſterij obſequium, quædam accidentia, quæ illi inhærebant, ſic tranſtulit non mutata, vt corpus Domini, licèt adſit albedo, non faciat album, nec rotunditas rotundum.* En quomodo ſanctus hic Doctor accidentia realia ſtatuat in Euchariſtiâ, illa nimirum quæ ſubſtantiæ panis ante Tranſubſtantiationem inhærebant, ſeu ab eâ dependebant tanquam à ſubiecto. III. *Accidentia realia in Euchariſtiâ manere docet S. Anſelmus.*

Idem docet S. Thomas Theologorum Princeps 3. p. quæſt. 77. artic. 1. corp. in hæc verba. *Reſpondeo dicendum, quòd accidentia panis & vini (quæ ſenſu deprehenduntur in hoc Sacramento remanere poſt conſecrationem) non ſunt ſicut in ſubiecto in ſubſtantiâ panis & vini, quæ non manent &c. nec ſunt in ſubſtantiâ corporis Chriſti &c. Et ideo relinquitur, quòd accidentia in hoc Sacramento manent ſine ſubiecto. Quod quidem virtute diuinâ fieri poteſt.* Hæc ille. Quibus Angelici Doctoris verbis duæ ex tuis propoſitionibus funditus euertuntur, prima, quâ aſſeris nulla accidentia realia exiſtere in venerabili Sacramento: & quinta nempe non eſſe opus miraculo ad conſeruanda accidentia poſt ſublatam ſubſtantiam. IV. *Idẽ apertè cum ſua ſchola docet Doctor Angelicus.*

Alia his ſimilia vbique fermè docet S. Thomas, eum tamen ſolum locum adferam qui habetur in Homilia de hoc ſacramento, vbi inter alia, ſic ſcribit: *Accidentia etiam ſine ſubiecto in eodem exiſtunt, vt fides locum habeat, dum inuiſibile viſibiliter ſumitur, ſub alienâ ſpecie occultatum, vt ſenſus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus iudicant ſibi notis.* Quid clarius? Sanctum Thomam ſequitur Caiet. q. illâ 77. art. 1. & omnes S. Thomæ diſcipuli. V.

Inter reliquos verò hac de re ſic loquitur Sotus in 4 d 10. qu. 2. artic. 1. *Accidentia*, inquit, *panis & vini relinquuntur in hoc Sacramento ſine ſubiecto.* Deinde ſubdit, *Hanc concluſionem, quippe cum catholica ſit, neſaria* VI.

eſſet

esse haresis negare, primò ob vniversam sanctorũ auctoritatem: secundò, quia in propriá formá contraria haresis in Concil. Constantiensi sess. vltima, condemnata fuit contra Ioannem Wicklef, decretumq; est manere accidentia sine subiecto. Et statim addit, *Haretici quando illis libet, totam Philosophiam pessundant, sed quando eius indigent suffragio, Aristotelem Ecclesia praferunt &c.* Hæc ille.

Pulcherrimum dictum Soti.

VII. *Alexan. Halensis.* Idem tradit Alexander Halensis vir doctissimus, & Sanctorum Bonauenturæ & Thomæ Aquinatis præceptor; in 4. enim qu. 40. memb 2. a. 2. sic scribit. *Respondeo quòd in hoc sacramento mirabili sunt accidentia, sine species panis & vini sine subiecto.*

VIII. *Doctor Seraphicus.* Eadem est mens D. Bonauenturæ in 4. d. 12. p. 1 a. 2. qu. 3. ad primum: *Attamen*, inquit, *sicut miraculum est quod accidentia sint sine subiecto, ita miraculosum est quod operentur per se, &c.*

IX. *Idem clarè tradit Doctor subtilis cum suis.* In eadem sententia est Scotus, tum alibi, tum in 4. disp. 12. quæst. 1. num. 2. *Accidentia*, inquit, *panis manent: patet ad sensum, & non afficiunt corpus Christi &c. nec afficiunt substantiam panis, quia illa non manet, ergo sunt sine subiecto.* Scotum sequitur Faber in 4. dist. 10. q. 1. disp. 36. cap. 4. & alij Scoti discipuli. En quo pacto hæ duæ nobiles scholæ in plerisque aliis laudabiliter discordes, hac tamen in re, vtpote ad fidem spectante, ita conueniunt, vt ne ad vnum quidem apicem dissentiant.

X. *Thomas VValdensis.* Eandem veritatem tradit Thom. Waldensis insignis illorum temporum Theologus, tom 2. cu. 43. his verbis: *Enimuero sagacissimè praeuidit illa vna per omnes Papas illos Ecclesia tres istas veritates esse connexas*, nempe, *esse ibi corpus Christi secundùm propriam substantiam: panis priorem absentiam: & eius accidentium sine subiecto remanentiam.*

XI. *D. Ruardus Tapperus.* Idem habet D. Ruardus Tapperus florentissimæ Academiæ Louaniensis Cancellarius, in sua explicatione articulorum venerandæ Facultatis sacræ Theologiæ generalis studij Louaniensis circa dogmata Ecclesiastica, tom. 1. art. 14. p. 120. vbi ait, *Accidentia in hoc sacramento manere negari non potest &c. Quia autem ostendimus panis viniq; substantiam non manere, necessarium est accidentia ipsa manere sine subiecto.*

XII. *Cardinalis Peronius.* Eandem veritatem apertè tradit Cardinalis Peronius Galliæ lumen in libro Gallicè scripto, l. 3. de Eucharistiæ sacramento c. 26. p. 944.

XIII. *Cardinalis Alanus.* Clarissimè idem docet Cardinalis Alanus de Euchar. Sacramento qu. 1. cap. 37. initio, vbi loquens de speciebus sacramentalibus, sic scribit: *Deinde verò de existentia istorum accidentium, sublato subiecto, id habet Catholica fides in Concilio Constantien. sess. 8. contra Wiclefum tradita, ea nimirum manere sine subiecto omni &c.* & paulò pòst ea asserit *supra natura ordinem ibidem persistere.* Hic Ecclesiæ auctoritate vtitur ad probandum species Sacramentales esse accidentia realia, seu, vt tu loqueris, *ad euertendam veritatem*, illam nimirum veritatem quam tibi fingit, sed est aperta falsitas, nempe species Eucharisticas non esse accidentia, ac proinde impij nomen apud te meretur.

XIV. *Cardinalis Bellarminus.* Idem tradit Cardinalis Bellarminus tom. 3. lib. 3. cap. 24. §. *ad Tertiam*, his verbis: *sicut substantia nullo modo potest inhærere, ita accidens nullo modo potest subsistere per se: nam in sacramento licèt non sint accidentia in subiecto, tamen non per se subsistunt more substantiæ, sed à Deo sustentantur modo supernaturali.*

XV. *Cardinalis de Lugo.* Subscribit his Ioannes Cardinalis de Lugo, ob singularem pietatem, ac prudentiam, & eximiam in rebus Theologicis peritiam in Purpuratorum Patrum collegium ab annis aliquot adscriptus. Hic ergo de Euchar. disp. 10. sect. 1. num. 1. *Certum*, inquit, *de fide est* (in Eucharistia) *manere aliqua accidentia, vt habetur in Concilio Florentino, Lateranensi, Tridentino, & Constantiensi, &c. Certum item est manere sine subiecto, vt habetur in sess. 8. Concilij Lateranensis* &c. paulo pòst sic scribit, *De accidentibus verò realibus non est dubium quin maneant omnia illa, quæ sensibus percipi possunt.* En quomodo vir hic doctissimus, & in rebus Theologicis, si quis alius, maximè versatus, pronuntiet esse de fide in sanctissimo sacramento manere aliqua accidentia: hic ergo censuram tuam incurrit, & inter impios annumerari debet, te iudice. Si, qui fidei dogmata propugnat, impius est, quid illi qui eadem pro viribus impugnant?

XVI. *Doctor Philippus Gammachæus.* Accedit vir eruditissimus D. Philippus Gammachæus, Regius in Sorbona Professor, qui variis locis apertè tradit species panis & vini post Transubstantiationem in Sacrosancta Eucharistia remanentes esse accidentia, vt 3. p. q. 74. cap. 1. circa initium, & qu. 77. cap. 1. per totum: cap. verò 2. initio postquam ex conciliis probauit species panis & vini post verba consecrationis relictas non existere in eodem subiecto, *species illa*, inquit, *nihil aliud sunt, quàm accidentia.* Quid de tua assertione fiet hoc iudice?

XVII. Deinde paulo pòst, *accidentia panis & vini* ita post verborum prolationem manere asserit, *vt sine omni omninò subiecto maneant*, atque *hunc esse sensum omnium Catholicorum*, & ad hoc probandum vtitur auctoritate Ecclesiæ. Hic sine dubio, te censore, inter impios habebitur.

XVIII. *Doctor Franciscus Sylvius.* Accedit auctoritas D. Francisci Syluij, viri doctissimi, & in celeberrima Academia Duacena regij ac ordinarij Professoris, qui 3. p. q. 77. art. 1. clarissimis verbis docet, *species panis & vini in sacrosanctâ Eucharistiâ remanentes esse accidentia, & ibidem sine omni subiecto existere*, & quantitatem non naturaliter, sed miraculosè, illic conseruari.

XIX. *Doctor Thomas Staplentonus.* Clarissimè eandem doctrinam tradit D. Stapletonus, Hæreticorum malleus, in Antidoto Euang in cap. 26. Matth. vbi explicans illa verba. *Hoc est corpus meum*, sic habet; *cùm Sacramenti natura in significatione sit posita, species ista & accidentia, quæ sub sensum cadunt, signorum officio aptissimè funguntur.* Et subdit: *Quare Christus substantiam panis à fide remouit, dicens, post acceptum panem. Hoc est corpus meum, accidentia retinuit.* Hic scriptura vtitur ad tuam opinionem impugnandam, quam censurâ dignam iudicas?

XX. *Doctor Matthæus Kellisonus.* His meritò adiungo D. Matthæum Kellisonum, virum de re Theologica optimè meritum, qui 3. p. q. 77. a. 2. hac de re sic scribit: *Quia tamen hæc accidentia habent propriam existentiam, potest Deus per miraculum continuare conseruationem accidentium post desitionem subiecti &c.* Et concludit, *Antea accidens conseruabatur à Deo dependenter à subiecto, nunc conseruatur à solo Deo independenter à subiecto.*

XXI. *Viri quique doctissimi Leodij.* Eandem opinionem de accidentibus realibus in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento post destructas panis & vini substantias miraculosè remanentibus docent, & ex Ecclesiæ auctoritate tanquam fide certam tradunt doctissimi quique viri, & in rebus tum Philosophicis, tum Theologicis apprimè versati, in nobilissima hac ciuitate Leodiensi, dogmatum fidei, & Ecclesiæ sanctionum tenacissimâ, Apostolicæque sedis longè obseruantissimâ: quæ proinde merito hoc encomio gloriatur: LEGIA ECCLESIÆ ROMANÆ FILIA.

XXII. Licèt verò in omnibus ad fidem spectantibus zelum suum ostēdat hæc ciuitas, in nulla tamen re magis, quàm in Diuino hoc sacramento: vtpote cuius solennitas hic primum orta, in reliquas postea nationes, magno orbis bono, piorumque omnium solatio fuit deriuata.

XXIII. *P. Franciscus Suarez.* In eandem sententiam nostri omnes scriptores consentiunt, ita vt superuacaneum videatur eos referre. Vnum tamen vel alterum, præter Cardinalem Bellarminum, & Cardinalem de Lugo, quos supra retuli, producam. Inprimis itaque P. Suarez to. 3. in

3. p.

3.p.d.46.l.1.ait *fide certum esse accidentia aliqua panis & vini, peractâ consecratione, manere*, idque ex variis Conciliis & auctoritate Ecclesiæ ostendit.

XXIV. *P. Vasquez.* Idem Vasquez To.3.in 3.p.d.194.c.1.apertè tradit his verbis: *Apud Catholicos*, inquit, *qui fatentur, in hoc Sacramento conversionem fieri totius substantiæ panis & vini in Corpus & sanguinem Christi, indubitata quoque res est manere aliqua panis & vini accidentia sine subiecto.* Quam assertionem diversorum Conciliorum auctoritate ibidem firmare nititur. Deinde addit: *Atque hæc est communis Patrum & Scholasticorum sententia, quos non oportet sigillatim recensere, quòd res notissima sit.* Hæc ille.

XXV. *P. Valentia.* In eadem opinione est Valentia To.4 d.6.q.5.p.1. circa initium, asserens, *hæresim esse si quis neget manere absolutè accidentia panis & vini sine subiecto*: imò *hunc* ait *vnum esse ex articulis illis quos Concilium Constantiense* (de quo sect. sequente) *pronuntiauit esse notoriè hæreticos.*

XXVI. *P. Coninck & P. Præpositus.* Idipsum apertè docet P. Coninck in 3.p.Di.Thomæ q.75.a.5.& P. Præpositus in 3.p.q.75.a.5.*remanere* scilicet *accidentia panis & vini post consecrationem, eaq; manere sine omni subiecto substantiali; & hoc* aiunt *ob auctoritatem Concilij Tridentini, Lateranensis, & Constantiensis esse de fide.*

XXVII. *P. Maratius. & P. Tannerus.* His omni ex parte consentit P. Mæratius 3.p.d. 28.initio,& P. Tannerus To.4.d.5.q.6.dub.1.initio, vbi vterque ait *fide certum esse accidentia panis & vini, peractâ consecratione, manere sine subiecto*, idque ambo ex Ecclesiæ & Conciliorum auctoritate demonstrant. Hi omnes, nemine dempto, censuram tuam incurrerunt.

XXVIII. *Hinc constat qualibus viris impietatis notam hic auctor inusserit.* Vna ergo Theologorum omnium vox est species panis & vini, quæ in Sanctiss. Sacramento post consecrationem remanent, esse vera & realia accidentia, quæque intrinsecè substantiæ panis & vini inerant antequàm hæc destruerentur, quibus in re præsertim, quæ ad fidem spectat, contradicere, ingens temeritas est, impietatis verò insimulare, res planè non ferenda. Sed pergamus.

SECTIO III.

Auctoritate Ecclesiæ probatur in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento contineri vera & realia accidentia.

I. *Ecclesia columna, & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. v.15.* ORthodoxis omnibus id inprimis cordi semper curæque fuisse cernimus, ne verbo quidquam scriptoue enuntiarent, quod Ecclesiæ, quæ *columna est & firmamentum veritatis*, aduersari videretur: ne, inquam, suo approbarent vnquã, quod Ecclesiæ censeretur calculo reiectum. Hæc nimirum norma est ac regula, ad quam explorare sua quisque debet, ne aberret; hæc lapis lydius, qui fucatum à vero, adulterinum à sincero, vitiosum ab integro secernit. Quâ de causâ S. Clemens Alexandrinus l.1.Pædag.cap.6. *Fidem doctrinæ perfectionem appellat.* *Prima laus Philosophi Christiani.* Christiani proinde Philosophi prima laus est, hunc sibi semper scopum præfigere, vt ne ad vnum quidem apicem ab Ecclesiâ dissentiat, sed scita sua omnia, & placita ad illius dogmata tanquam ad normam exigat: vno verbo, vt ita sua dicat, vt Ecclesiæ non contradicat. *Qui contra Ecclesiam sapit, desipit.* Quisquis enim contra Ecclesiam sapit, desipit. Hic ergo auctor, Catholicus cùm sit, verebitur, scio, statuta Ecclesiæ, debitamque iis reuerentiam, & respectum exhibebit, nec ita sensûs sui tenax erit, vt, vbi doctrinæ Ecclesiæ aduersari eum intellexerit, illi potiùs refragari velit, quàm hunc relinquere.

II. Conclusio: Dogma fidei est ab Ecclesia traditum, peractâ consecratione, realia aliqua panis & vini accidentia, quæ antea substantiæ panis & vini inerant tanquam subiecto, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento permanere: ita Theologi sect. præcedente citati: & hic est Catholicorum omnium, ac totius Ecclesiæ sensus. *Dogma fidei est manere Eucharistiæ accidentia realia.*

III. *Recolendum quid sit accidens reale.* Ad huius veritatis probationem, recolendũ quod sect. præcedenti, n.2. notaui, per accidentia realia panis & vini intelligi entia quædam incompleta extra primarium eorum conceptum constituta, idque tanquam subiectis intrinsecè inhærentia, ita vt sine illis existere naturaliter non possint.

IV. *Probatur ex Concilio Tridentino, Florentino, & Lateranensi.* Probatur ergo conclusio ex Concilio Tridentino, sess. 13. can.2. & ex decreto Eugenij Quarti ad Armenos, §. *Tertium est*, quod habetur in Concilio Florentino post vltimam sessionem, & ex Concilio Lateranensi, cap. *Firmiter* §. *Vna verò*. Quibus locis expressè definitur post verba consecrationis manere panis & vini species, destructâ eorum substantiâ: ergo iuxta Concilia manent entitates quædam incompletæ, quæ sunt extra panis & vini substantiam, & primarium eorum conceptum.

V. *Contra sinceritatem P. 190. v. 21.* Respondet, non negare se, destructâ panis & vini substantiâ, manere eorum species, nec hoc salua fide negari posse: species tamen istas ait non esse accidentia, nec eo vnquam nomine ab Ecclesiâ appellari. *Nam sanè*, inquit, *nullibi vnquam, saltem quod sciam, docuit Ecclesia species panis remanentes in Sacramento Eucharistiæ esse accidentia realia. &c.* Quo dicto miram prodit in rebus sacris, & Theologicis ignorantiam, cùm Ecclesia id apertissimè sæpius docuerit, vt mox ostendam.

VI. *Per species Theologi intelligunt accidentia.* Contrà ergo primò, verba hæc, vbi Concilia citata dicunt species panis & vini, Theologi omnes, vt sect. præcedente ostendi, intelligunt de accidẽtibus; expressè enim docent per species panis Concilia intelligere accidentia: communi autem cõsensui Theologorum, in re præsertim, quæ ad fidem spectat, vt dixi, contraire, ingens est temeritas.

VII. *Ecclesia species panis & vini frequenter vocat accidentia.* Contrà secundò, & euidenter ostendo Ecclesiam species panis & vini in sacrosanctâ Eucharistiâ post consecrationem remanentes, non semel, sed sæpiùs claré & expressè vocare accidentia. Primò, id apertè habet Concilium Coloniense p.7. c. 15. anno 1536. sub Paulo tertio, his verbis: *Quid enim panis vinique species aliud sunt post consecrationem quàm species Sacramentales, & accidentia sine subiecto?* Quid clarius? licèt verò hoc Concilium Prouinciale tantùm fuerit, doctrinã tamen istam hausit ex Conciliis illud antecedentibus quæ iam citabo.

VIII. *Idem habet Concil. Romæ celebratum.* Eadem ergo doctrina (vbi scilicet Ecclesia vocat species panis & vini, accidentia) traditur in Concilio Generali Romæ celebrato anno Domini 1413. vbi tanquam hæretica damnata est illa Wickleffi propositio, *Accidentia panis & vini non manent sine subiecto in eodem sacramento.* Cuius Concilij decretum recitat Ioannes Cochlæus l.1. Historiæ Hussitarum.

IX. *Damnata est hæc Propositio Accidentia panis & vini non manent sine subiecto.* Tertiò: in Concilio Generali Constantiensi anno 1414. celebrato, iterum hæ species vocantur accidentia, nam sess. 8. damnatur denuò idem Wickleffi articulus ordine secundus, nempe, *Accidentia panis & vini non manent sine subiecto.* Manifestum ergo est, Ecclesiam his vocibus *species*, & *accidentia*, vti promiscuè, & pro eodem accipere. Accedit in fine Concilij decretum Martini 5. Pontificis, qui eiusdem articuli damnationem suâ auctoritate approbat.

X. Quartò: In eodem Concilio Constantiensi iterum vsurpat Ecclesia nomen accidentis, dum sessione 15. damnat errores Ioannis Huss. inter quos hic quartus ordine recensetur: *Fingere accidens sine subiecto, foret blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, & illudere Ecclesiæ per verba accidentis.* Dum ergo damnat hanc propositionem Ecclesia, quatenus asserit *illudere eos Eccle-*

Hic clarè docet Ecclesia species panis & vini esse accidentia realia.

Ecclesia per verba accidentis, qui accidens fingunt sine subiecto, manifestè declarat accidentia realia panis & vini in sanctissimo Sacramento remanere, nec falli eos qui illa dicunt esse vera accidentia, seu talia, quæ petunt naturaliter inesse subiecto.

XI. Solum noto, hunc Hussi articulum non esse absimilem cuidam propositioni illius quē hîc impugno; sicut enim dicit Hussus *illudere eos Ecclesia per verba accidentis, qui accidens statuunt sine subiecto*: ita dicit hic auctor: *non potest humana mens cogitare accidentia panis esse realia, & tamen absque eius substantiâ existere*: & paulò pòst subiungit, *Quia nihil reale potest intelligi remanere, nisi quod subsistat, &, quamuis verbo vocetur accidens, concipiatur tamen vt substantia.*

Parum tamen loquitur hic auctor.

XII. Hanc propositionem existimo parum ab Hussi propositione hîc damnatâ differre, & contra vtramque definire hoc loco Ecclesiam, posse accidentia panis manere sine panis substantiâ, seu sine subiecto cui ante consecrationem inerant, nec propterea hoc modo accidens statuendo, *vel illudi Ecclesia per verba accidentis, vel verbo vocari accidens, concipi tamen vt substantiam*, nam etiam dum existit sine subiecto, docet Ecclesia illud esse accidens.

XIII. *Alia definitio Ecclesiæ circa accidentia Eucharistica.*

Quinto: eâdem sess. 15. eiusdem Concilij Constantiensis refertur hic articulus Ioannis Huss. *quòd non esset determinatio Ecclesia, quòd accidentia starent in Sacramento altaris sine subiecto*, qui articulus ibidem condemnatur, & eâdem operâ decernitur manere in sanctiss. Sacramento accidentia panis & vini sine eorum substantia, seu subiecto, cui antea inhærebant.

XIV. *In Ecclesiā nemo incurrit illæsus.*

Vides in quos scopulos incideris. Impegisti in Petram, in quam nemo incurrit illæsus. Nullis tamen oppugnationibus quatitur, sed stat semper, stabitque inconcussa Ecclesia: & contra quam *porta inferi non praualebunt*, multò minùs nocumenti quidquam speculatiunculæ inferent Philosophiæ.

XV. *Temerariū ad minimū est asserere, accidentia panis in Eucharistiā manere sine miraculo.*

Hinc vlteriùs infero, falsam & temerariam (vt aliud non dicam) esse quintam propositionem sect. prima relatam, nempe, *Non esse opus aliquo miraculo ad conseruanda accidentia, post sublatam panis substantiam.* Hoc ostenditur, tum quia est contra communem Theologorum sententiam, quibus hac in re contrauenire summa temeritas est. Tum quia Innocentius tertius cap. *Cum Martha*, de celebrat. miss. peculiare ait esse miraculum circa accidentia in Venerabili Sacramento post consecrationem remanentia, *naturâ*, inquit, *cedente miraculo*: quæ verba Glossa de consecratione, d. 2. c. *species*, explicat quòd accidentia maneant sine subiecto.

XVI. *Ad quid tot definitiones quòd accidentia sint sine subiecto, si sic possint esse naturaliter?*

Tandem, Ecclesia hoc sua auctoritate apertè videtur decernere, dum in variis Conciliis, vt vidimus, definit accidentia panis & vini manere sine subiecto, quæ nimirum antea habebant subiectum à quo sustentabantur, sicque iam miraculosè conseruari à Deo; ad quod miraculum quia assurgere non poterat mēns illorum hæreticorum, aiebant panis & vini substantiam in Sacramento manere, cui inhærerent accidentia, & ab ea sicut priùs sustentarentur. Ad quid tot hac de re definitiones Ecclesiæ, si res contingere possit naturaliter?

XVII. *Tacita quorundam mussitatio.*

Restat vt vno vel altero verbo ad id respondeam, quod nonnullos mussitare audio. In rebus, inquiunt, naturalibus non est restringendus intellectus, non ei frænum, non compedes iniiciendæ, sed latus aperiendus campus, in quo discurrat ac spatietur, suæque plenè relinquendus est libertati. Fateor, at sanè effrænis illa est libertas, qua mens humana suos transgressa limites, in ipsa Fidei principia inuolat, Ecclesiæque statuta ac definitiones ausu temerario conuellit, cuius sanctiones ac decreta venerari, contraque ne hiscere quidem deberet, Vbi nauis Petri spiritu Sancto impulsa fertur, vela submittat ratio: sileat Philosophia, vbi loquitur Fides: audiat ancilla Dominam, discipula Magistrā, homo Deum. Malo vt quem hîc scribo librum, Vulcano tradatur millies, quàm minimus fidei articulus (si quid, quod ad fidem spectat, paruum dici possit) tantillum per eum labefactetur.

Sileat Philosophia vbi loquitur fides.

SECTIO IV.

Nonnulla eiusdem auctoris propositiones circa accidentia in Eucharistiā remanentia, discutiuntur.

I. OStensum iam est, Theologorum, imò Catholicorum omnium, ipsiusque adeò Ecclesiæ sensum esse, panis & vini species in Sanctiss. Sacramento, peractâ consecratione, remanentes, esse accidentia. Vt tamen Catholica hæc veritas magis elucescat, operæpretium erit propositiones nonnullas, quas ad illius oppugnationem profert, sigillatim discutere.

II. *Ait, nobilissimi non posse accidentia realia existere sine substantiā, ac proinde esse negādum.*

Primò itaque rem hanc adeò captu difficilem esse ait, vt vel hoc nomine meritò reiiciendam censeat. *Non potest*, inquit, *humana mens cogitare accidentia panis esse realia, & tamen absque eius substantiâ existere, &c.* At sanè miror quàm is tantam sibi hac in re fingat difficultatem, vt diuinâ virtute hoc fieri nequeat. Certè virum nullum doctum vnquam conueni qui hoc sibi captu diceret esse difficile, multò minùs impossibile. Imò ex Theologiæ vel etiam Philosophiæ auditoribus, postquam stadium illud aliquantulum fuerat ingressus, neminem vidi, qui accidentis sine subiecto existentiam à magistro sibi declaratam audiuisset, non agnosceret se hoc commodè percipere.

III. *Clarè: ergo omnia mysteria fidei erunt reiicienda.*

Sed fac id esse difficile: hæccine causa tibi sufficiens videtur, vt doctrina à fidelibus omnibus admissa, communi Theologorum consensione approbata, quodque caput est, Ecclesiæ auctoritate tradita ac stabilita reiiciatur, & à viro Catholico impugnetur? Hoc tuo discursu Diuini Verbi Incarnationem alius, alius Mysterium Trinitatis, alius hunc, alius illum fidei articulum, si ad stomachum non faciat, negabit; si causam cur id præstet roges, tuis verbis respondebit, *quòd* scilicet *humana mens cogitare hoc non possit*. Quantò modestiùs ac sapientiùs magnus Augustinus ep. 3. ad Volusianum, paulò ante medium, vbi de arcanis fidei loquens, *His*, inquit, *si ratio quaritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.*

Sententia hac vere S. Augustini.

IV. *Hanc, inquit, ob causam nonnulli videntur ab Ecclesiā Romanā dissensisse.*

Atque hac, inquis, *pracipua ratio esse videtur, ob quam nonnulli hac in parte ab Ecclesiā Romanā dissenserunt.* Ex iis nimirum erant hominibus, quibus, vt ait S. Aug. serm. 147. de tempore, *tota regula intelligendi est consuetudo cernendi*; qui scilicet fidei suæ normam, non Deum per Ecclesiā loquentem, sed sensus statuunt, & rerum, quæ credendæ proponuntur, veritatem, non secundùm Dei potentiam, eiusque in dicendo infallibilitatem, sed penes captum suum metiuntur, eosdemque Diuinæ virtutis, & sui intellectûs esse limites volunt, illorum nempe hominum similes, qui dum Christus sermonem de hoc ipso sacramento instituerct Ioannis 6. dicebant, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* sicque inquit Euangelista, *multi discipulorum eius abierunt retrò*. Quod videns Christus, ab Apostolis petiit, num & ipsi abire vellent; Respondit Petrus, *Domine, ad quem ibimus? verba vita aterna habes.*

V. *Ecclesia Romana mater est ac magistra omnium Ecclesiarum.* Vbi notandum, eundem ipsum sermonem, qui nonnullis durus videbatur, indeque occasionem sumebant Christum, ac fidem deserendi, aliis cælestem visum esse, & diuinum, *verb. vq. vita æternæ*, seu ad salutem conducentia in se complecti. Sic in præsenti, dum Ecclesia Romana, quæ *mater est ac magistra omnium Ecclesiarum*, à spiritu sancto educta, in cælesti hoc sacramento accidentia manere decreuit sine subiectu: hanc eius doctrinam alij, non naturali vi ingenij, sed intellectu fide illustrato intuentes, vt Diuinam, cæloque delapsam amplectuntur; alij suo cuncta modulo & captu metientes, & hunc fidei articulum mero naturæ lumine, & nescio quibus speculationibus considerantes, atque vt illi Christo, ita hi Ecclesiæ obloquentes, *Durus*, inquiunt, *est hic sermo, & quis potest eum audire?* retroque, vt illi, abeunt. Tanti interest quo quis animo ad Christum, ad Ecclesiam accedat, qua, inquam, aure diuina percipiat quo oculo res fidei scrutetur.

VI. *Nullibi vnquam, quod sciam*, inquis, *docuit Ecclesia species panis & vini remanentes in Sacramento Eucharistiæ, esse accidentia, &c.* ita sanè existimo, nec enim mihi persuadere possum, si hoc sciuisses, vnquam te doctrinam Ecclesiæ definitionibus tam apertè contrariam fuisse traditurum.

VII. *Maiore cum cautelâ procedere debuit hoc auctor.* At cùm tam parum in rebus Theologicis sis versatus, vt hîc apertè indicas, viri certè prudentis non erat, in has non lecto priùs Theologi saltem alicuius hac de re scripto, te ingerere. Habebas ad manum doctissimum opus Cardinalis Peronij, cuius apud omnes Orthodoxos iure magna est auctoritas. Habebas Doc. Gammachæi eruditissimos commentarios, vbi hanc quæstionem optimè discussam reperisses. Prostabant vbique Bellarminus, Lugo, Stapletonus, Suarez, Vasquez prima Theologorum capita. In promptu erant alij multi, quibus lectis, facilè hac de re instrui potuisses: horum ne vno quidem inspecto, rem tantá aggredi, quanta incuria! Omnes loci illius, vbi hic tuus liber prodiit, *Amstelodami*, aquæ, hanc à te inconsiderantiæ notam non eluent.

VIII. *Non satis sibi in dictis suis constat.* Nec tamen hac in parte satis tibi constas, ais enim, *ex eo quòd Ecclesia Romana hanc de accidentibus in Eucharistiá post consecrationem relictu, doctrinam tradiderit, nonnullos ab ea dissensisse*: manifestum est ergo sciuisse te hanc Romanæ Ecclesiæ doctrinam esse, nec enim quòd vnus vel alter inter Catholicos id sentiret, recesserunt, sed quòd Ecclesiæ Romanæ dogma esset, quam proinde hoc nomine tacitè carpis, quòd eiusmodi scitum tradat, quod aliis sit offendiculo, occasionemque à fide & Ecclesiâ resiliendi præbeat.

IX. Sed siue id antea noueras, siue non noueras, siue noueras simul & non noueras, (hoc enim verba tua præseferre videntur) hic saltem Catholicam hanc veritatem, Theologorum auctoritate firmatam, ipsisque Ecclesiæ sanctionibus productis, ante oculos positam cernis. Sicut ergo, saluâ fide, hanc Ecclesiæ doctrinam ampliùs negare non potes, ita ineunda aliqua tibi ratio est, ne, qui simpliciores sunt, scriptū illud tuum perlegendo, occasionem sumant ab Ecclesiâ deficiendi: dogma enim, quod illa, docente spiritu sancto, omnibus credendum proponit, iis coloribus depingis, vt tractatus ille ad quemuis nisi in his rebus sit versatus, ab Ecclesiâ, eiusque statutis auertendum sufficiat. *Ratio ei ineunda ne eius scripta simplicioribus deinceps sint offendiculo.*

X. *Mirum eius pronunciatum.* *Ausim sperare*, inquis *venturum tempus aliquando, quo illa opinio, quæ ponit accidentia realia, à Theologis explodetur vt parum tuta in fide.* Mirabuntur, quibus Theologicarum, ac diuinarum rerum familiaris est tractatio, hominem qui his in rebus peregrinum adeò se ostendit, vt nullius vnquam Theologi scriptum inspexisse videatur, ita tamen fidenter de iis rebus loqui, vt articulo, communi Doctorum consensu probato, & ipsius Ecclesiæ calculo firmato, tam grauem censuram inurat, vt eum parum in fide tutum pronuntiet. Rem haud dubiè non ferendam iudicabunt, parcent tamen fortasse, nec aliud dicent, quàm *cæcum iudicasse de coloribus*.

XI. *Prouocat ad pios Theologos.* *Sed prouoca*, inquis, *ab his ad pios & orthodoxos Theologos.* Vbi gentium, quæso, pios hosce tuos Theologos reperies? Habemus S. Thomam, S. Bonauenturam, Peronium, Bellarminum, Gamachæum, Mæratium pro Italia & Gallia; habemus S. Anselmum, Alensem, Scotum, Waldensem, Alanum, Stapletoniū, Kellisonum pro Anglia; habemus Lugo, Suarez, Valquez, & alios pro Hispania; pro Belgio Tapperum, Syluium, Coninchum, Præpositum; Valentiam, Tānerum, & alios pro Germania; viros quosque doctissimos pro Eburonibus. Quo ergo te conferes vt pios hosce Theologos reperias? Catholicum, mihi crede nullum inuenies: qui enim obstinato animo in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento manere accidentia negat sine subiecto, quisquis est, Catholicus esse desinit. Malo itaque cum his omnibus impius à te censeri, quàm contradicendo Ecclesiæ inter pios tuos Theologos annumerari. *Qui in Eucharistiâ accidentia negat manere sine subiecto, Catholicus esse desinit.*

XII. *Bene scripsisti de me Thoma.* Vt ergo tandem huic quæstioni finem imponam: si verum est, quod de S. Thoma fertur (de quo nemo pius dubitat) dum ante imaginem Christi Cruci affixi aliquando oraret, hoc eum sibi à Christo dictū audiuisse, *Bene scripsisti de me, Thoma*, (quod de hoc præcipuè Sacramento omnes intelligunt) si, inquam, Veritatis voce laudetur S. Thomas, præclarumque hoc elogium meruerit, quòd bene de hoc mysterio scripserit, quid de iis censendum, qui S. Thomæ hac in parte è diametro sunt oppositi, eiusque doctrinā, *vt parum in fide tutam è scholis explodendam sperant, suamq; vt aiunt, in illius locum substituendam?*

SECTIO V.

Argumentis à ratione ductis ostenditur dari accidentia realia.

I. *Accidentia quædam realia dari certum est.* SI sermo vniuersim sit de accidentibus realibus certiùs est aliqua huiusmodi dari, quàm vt, etiam seclusâ fide, in dubium vocari possit. Primò enim actus illi quibus Angeli & anima rationalis obiecta sibi proposita repræsentant, variaque de iis iudicia, ac discursus formant, absque omni dubio sunt accidentia; sunt enim quid ab Angeli & animæ substantiâ realiter distinctum, & ab iis verè pro obiectorum varietate eliciti. Idem est de actibus sensuum, de actu ex. g. quo visus colorem, auditus sonum, & sensus reliqui suum quisque obiectum percipiunt; hi enim actus sunt vitales, & tunc primùm à potentiis eliciti, cùm obiecta ipsis proponuntur: in iisdem etiā potentiis eos recipi certum est, ergo à potentiis realiter distinguuntur, &, vt quid aduentitium, & accidentale ipsis accedunt. In his verò omnia solui debent quæ contra quæcumque accidentia realia adduci possunt. *Actus vitales sunt accidentia.*

II. *Secundò, dum aër de tenebroso fit lucidus, dari debet verum accidens.* Secundò, probo præter actus hos vitales, & intentionales, dari etiam alia accidentia. Aër de tenebroso fit lucidus, ferrum, æs, lignum, de frigidis calida, & è contrà, vt quotidianâ constat experientiâ, sed hæc sunt aliquid ab harum rerum entitate distinctum, & extra conceptum illarum essentialem, vt est manifestum, cùm pereunte luce, aer in suâ entitate permaneat, & idem est de cæteris, ergo sunt accidentia.

III. Respondet primò, esse modos. Sed contrà, parum perspectam sibi ostendit naturam modorum, quos Philosophi & Theologi fatentur ita essentia-

Respondet primò accidentia illa esse modos. liter subiectis affixos esse, vt sine iis nec diuinitùs existere possint: quantitas autem, calor, color, & reliqua accidentia in sacrosanctâ Eucharistiâ miraculosè existunt sine subiecto; imò, vt ipse fatetur, (quamuis malè, vt supra ostendi) naturaliter, ergo manifestum est non esse modos. Sed sint modi; vel accidentales modi sunt, vel substantiales: si primum, iam concedis accidentia; si secundum, in opinionem incidis sec. sequente impugnandam, & apertè, vt ostensum est, contradicis Ecclesiæ.

IV. *Parte 4. Princip. Philosof. n. 29* Secundò, & præcipuè, dicit calorem esse motum localem. exempli g. calorem in terrâ receptum nihil aliud esse asserit, quàm agitationem particularum terrestrium, quas, inquit, radij solares diuersimodè agitant, & variis modis huc illuc impellunt. Hanc verò agitationem, non causam caloris esse vult, sed *Calorē ait consistere in motu locali.* in eâ formaliter calorem consistere. Ad rem autem tam insuetam, tam contra omnem rationem & experientiam, atque est calorem in motu locali situm esse, nullum planè argumentum affert, sed credendam obtrudit pro Oraculo.

V. *Saltem sequitur motum esse accidens.* Contrà primò, gratis enim iam admisso (quod mox ostendam esse falsissimum) calorem esse motū localem adhuc remanet tota prioris argumenti difficultas. Vnde eodem modo iam de motu argumentor, quo priùs argumentabar de calore. Hic motus, qui iam recipitur in iis terræ particulis, est quid ab iis realiter distinctum, & non de earum essentiâ, antè enim erant particulæ illæ terræ, quàm hoc modo mouerentur, ergo motus est aliquid ipsis accidentaliter adueniens, ergo dicendo calorem esse motum, non soluitur difficultas.

VI. *Ostenditur calorem in terrâ non consistere in motu.* Contrà secundò, causæ illæ (vt radij solares, ignis &c) quæ terram maximè calefaciunt, maximè particularum illius motui obsistunt; ad motum enim localem requiritur laxitas quædam, & mollities, ignis autem, & radij solares terram constipant & indurant: sicut enim aqua concrescit frigore, ita terra igne incrustatur & constringitur, vt videmus dum in lateres coquitur. Causa itaque caloris motum impedit, & quo gradu calor crescit, motus decrescit, ergo euidens est calorem non esse motum.

VII. *Si calor sit motus, sequitur continuum diuidi in omnes suas partes.* Contrà tertiò, lapis igni iniectus, incalescit illicò, &, si aliquantisper illic persistat, ingentem concipit calorem; sed partes eius non mouentur, ergo. Probatur minor, si enim moueantur vllæ eius partes motu illo heterogeneo, quo se partes intersecant, mouentur omnes, omnes siquidem calorem contraxerunt, cùm igni sufficienter fuerint applicatæ, si autem omnes motu illo moueantur, omnes discontinuabuntur; cùm enim intra idem spatium seu dimensionem moueantur (superficies enim extima illius silicis non occupat maius spatium calida, quàm frigida) discontinuari omnes necessariò debent, ergo continuum simul diuiditur in omnes suas partes, quod implicat.

VIII. *Partes lapidis discontinuatæ, non possent iterum conuingi.* Contrà quartò, particulæ illius lapidis, quæ per hunc motum discontinuantur, quo iterum pacto coalescunt? videmus enim, si vlla lapidis particula à parte sibi proximâ desiungatur, non posse eam iterum reuniri. Cùm ergo totus lapis incaluerit, comminui, secundùm hunc Philosophandi modum, illius particulæ deberent in arenulas, sicque dissilire lapis, ac penitùs dissolui.

IX. *Si calor sit motus perciperetur tactu.* Contrà quintò, si calor sit motus, sicut calor in lapide percipitur, ita perciperetur & motus, imò multò faciliùs, tum quia motus duobus sensibus deprehenditur, tactu scilicet & visu, calor autem vnico; tum quia motus etiam leuis in magnâ distantiâ discernitur, non sic calor, nisi sit intensus.

X. Dices; partes illæ sunt adeò exiguæ, vt sensu percipi non possint, sicque nil mirum quòd illorum motus non deprehendatur. Contrà primò, licèt vna aliqua pars sola, si moueretur, ob exiguitatem fugeret sensum, vbi tamen multæ simul mouentur, & faciunt cumulum, percipi necessariò deberent: sicut licèt musca vna à longè volitans non discernatur, si tamen multæ sibi inuicem socientur, ac veluti nubeculam quandam, vt fit, conficiant, in magnâ etiam distantiâ videntur. Contrà secundò, particulæ hæ insensibiles non sunt minores vt motæ quàm vt non motæ, sed vt non motæ percipiuntur, ergo & percipi possunt vt motæ. Contrà tertiò, partes istæ, quātumuis minutæ & insensibiles, sensu percipiuntur esse calidæ, ergo & sensu percipi possunt moueri, idem enim, secundùm ipsum, est eas moueri, & esse calidas. Imò, vt dixi, motus faciliùs sensu deprehenditur, quàm calor. *Quamuis una pars ex motu sine [illegible] ... [illegible] perciperentur.*

XI. *Sequitur omnia frigida esse æqualiter frigida.* Contrà sextò, si calor sit formaliter motus, ergo frigus est formaliter quies, cum nihil aliud inueniri possit, quod ei opponatur: hinc autem sequitur, omnes partes, quæ sunt frigidæ, esse æqualiter frigidas, quies enim est negatio omnis motûs, ergo non admittit magis & minus: sicut quia mors est negatio omnis vnionis inter animam & corpus, destructio est suspensio omnis actionis conseruatiuæ, & sic de cæteris, quidquid moritur, vel destruitur, moritur, & destruitur æqualiter, ergo omnis pars quæ est frigida, est æqualiter frigida, si enim quiescat, æqualiter quiescit, vt ostensum est. Cons. sequeretur in aquâ tepidâ nihil remanere frigoris, nam omnes eius partes sunt vtcunque calidæ, ergo omnes aliquantulum mouentur, ergo nulla quiescit, ergo nulla habet in se quidquam frigoris.

XII. *Quidlibet facilè dicetur, si sine probationibus dicatur.* Contrà septimò, si hoc modo diuinando liceat procedere, & cuilibet nullâ allatâ ratione sua proferre, affirmabit alius è contrario frigus esse formaliter motum, & calorem quietem: si quis verò pronuntiati huius ab eo rationem poscat, respondebit, non magis teneri se ad rationem sui effati reddendā quam tu reddere teneberis tui, sicque cuiuis integrū erit quidlibet suo arbitratu fingere, & philosophari pro libitu; cum facilè sit quæuis dicere, si sine probationibus dicantur.

SECTIO VI.

Refertur, & impugnatur alius modus defendendi species panis & vini in Eucharistiâ, non esse accidentia.

I. *Dicunt aliqui accidentia esse tantum atomos & corpuscula.* TErtius modus defendendi species Eucharisticas non esse accidentia, est, quo dicitur illas esse corpuscula quædam fluida intra poros panis & vini contenta, quæ licèt sint substantia, vtpote entia completa, & per se subsistentia, non tamen, inquiunt, sunt substantia panis & vini, cùm sint extra conceptum eorum essentialem, & aliquid pane & vino posterius; sicque licèt in se sint substantia, respectu tamen panis & vini sunt accidens, quia illis accidunt.

II. *Hic modus omnium minimè placet.* Hæc responsio omnium maximè displicet, longèque magis, meo iudicio, à veritate aberrat, quàm duæ præcedentes: eam proinde & ex Theologicis, & Philosophicis principiis breuiter refellam.

III. *Est contra communem sententiam Theologorum.* Primò itaque reclamant Theologi vniuersi, qui, vt suprà vidimus, sect. 2. species panis & vini talia esse dicunt accidentia, quæ antea inerant subiecto, & nunc non per se subsistunt, sed (Deo in genere causæ efficientis concursum materialem subiecti supplente) absque omni subiecto miraculosè conseruantur: communi autem Theologorum consensui

sui in re ad fidem spectante refragari, vt dixi, est absque dubio ad minimum temerarium.

IV. *Ecclesia docet hæc accidentia aliquando habuisse subiectum, ergo non sunt huiusmodi corpuscula.*

Eodem modo, vt sec. 3. ostendi, loquitur Ecclesia, species scilicet panis & vini esse accidentia, & in sacrosancto Eucharistiæ sacramento, factâ consecratione, sine subiecto persistere. Quibus verbis satis declarat Ecclesia, vt suprà dixi, illa aliquando habuisse subiectum: quid enim mirì iam ea manere sine subiecto, si subiectum nunquam habuissent, imò, secundùm hanc sententiam, habere nunquam potuissent. Dicere ergo species sacramentales verè & realiter esse substantiam, easque appellare accidentia, est nomen quidem accidentis retinere, rem ipsam penitùs tollere, & Ecclesiæ decretis illudere, ac voce tenus cum illâ sentire, re tamen verâ dissentire, eiusque funditùs doctrinam euertere.

V. *Sequitur Christum non esse sub speciebus panis & vini.*

Tertiò, cùm Corpus Christi succedat pani, eoque præcisè sit loco, vbi antè erat substantia panis, hæc autem iuxta hanc sententiam non fuerit intimè penetrata cum speciebus, sed solùm illis intermixta, & intercalatim cum iis posita, sequitur Christi Corpus non eo modo esse sub speciebus sicut Theologi affirmant, nempe ita vt speciebus intimè sit præsens, sed sicut aqua miscetur vino, quæ per tenues quosdam meatus sese sibi inuicem insinuant, ita tamè vt vnumquodque locum sibi proprium occupet, ab alio diuersum, ac separatum.

VI. *Non alio modo Christi corpus contineretur sub speciebus, quàm arbor sub cortice.*

Dicunt substantiam Christi claudi saltem superficie extimâ continuâ specierum panis & vini, sicque ratione huius dici posse sub speciebus illis contineri. Contrà primò, sic enim non alio modo Christi Corpus contineretur sub speciebus panis ex. g. quàm arbor sub cortice, aut liquor aliquis in vitre, quod dici nullo modo potest. Contrà secundò, nam in hac sententiâ non datur huiusmodi superficies extima continua, quæ panis substantiam ante consecrationem, vel, eà peractâ, Christi corpus ambiat, & circumplectatur: cùm enim superficies hæc ex solis hisce corpusculis iuxta illos compingatur, hæc autem corpuscula, vt aiunt, sint tantùm in poris, hi verò, cùm vacuitates tantùm sint, seu interualla inter partes panis, vltra illius substantiam non protenduntur, ergo extimas panis partes non ambiunt, ergo nec easdem ambiunt hæc corpuscula, seu species, ergo nec modò post consecrationem ambiunt Corpus Christi, quod loco panis succedit. Conf. hinc enim vlterius sequitur Corpus Christi in multis locis hostiæ consecratæ, in extimâ scilicet illius parte existere, & non sub speciebus, seu non illis cinctum, sicque in Sacramento existere non sacramentaliter.

VII. *Non esset Corpus Christi sub quauis parte specierum panis.*

Quartò, sequeretur Corpus Christi non esse sub quauis parte speciei panis contra Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. sequela probatur: cùm enim hi pori, & consequenter species in iis inclusæ, habeant aliquam crassitiem, sub iis tantùm specierum partibus dici propriè potest esse Corpus Christi, quæ illi sunt proximæ, ergo non est sub remotioribus, sicque nec sub omni parte specierum.

VIII. *Conservarentur species sine miraculo.*

Quintò, sequeretur species panis & vini in Eucharistiâ conseruari sine miraculo, destructâ eorum substantiâ, quod licèt hic auctor concedat, nullo modo tamen debet admitti, vt latiùs suprà, sec. 3.

IX. *Impugnatur rationibus philosophicis.*

Iam verò rationibus Philosophicis impugnatur hæc sententia, primò: saltem enim admittere debēt actus intellectûs, imò & sensuum esse accidentia, vt suprà dixi, nisi in animâ etiam, & Angelis poros statuere velint, & corpuscula, seu puluisculos quosdam spirituales, ac vitales atomos, quibus repleantur: nisi, inquam, Angelos timas agere velint, & satiscere sicut corpora.

X. *Sequeretur agentia naturalia creare.*

Secundò, sequeretur quoties calor, frigus, lux, color, aut aliud quodpiam accidens producitur, agentia naturalia, solem v. g. ignem, aut candelam creare, contra axioma ab ipsis pro primo principio admissum, *Ex nihilo nihil fit*, quam propositionem aiunt esse æternæ veritatis. Sequela probatur, hæc enim corpuscula, iuxta hunc philosophandi modū, sunt substantiæ completæ, ab omni subiecto independentes, ergo quoties aqua, aut aliud quidpiam de frigido mutatur in calidum, toties noua corpuscula creantur, seu ex nullius subiecti potentiâ educuntur, & priora eodem modo annihilantur: vel incident in opinionem Anaxagoræ, à scholis dudum explosam, tanquam Philosopho indignam.

Tertiò, ad dandam denominationem albi, calidi, lucidi, &c. non sufficit quòd albedo, lux, calor, & huiusmodi alia accidentia sint alicui rei proxima, sed vniri ipsi debent, alioqui quoties manum apponit quis parieti albo, aut nigro, manus redderetur alba aut nigra.

XI. *Omnes partes aeris non essent lucida, nec ignis calida.*

Quartò, etiam dato ad has denominationes sufficere solam propinquitatem; sequitur non omnes partes aëris aut vitri illuminati esse lucidas, nec omnes partes ferri candentis esse calidas, imò tot esse non calidas, quot sunt calidæ, quod tamen apertè videtur falsum. Sequela probatur, intra poros, in quibus latent calida & lucida hæc corpuscula, seu lux & calor, interponitur semper pars aëris, aut ferri determinatæ magnitudinis, corpuscula autem illa non toti huic parti sunt proxima, sed extimis tantùm illis particulis, ergo particulæ intermediæ illius partis non possunt ab his corpusculis denominari lucidæ, vel calidæ, cùm iis non sint proximæ.

XII. *Hoc clariùs cernitur in iis rebus, quæ pauciores habent poros.*

Hoc in ferro, marmore, & aliis, quæ pauciores habent poros, clariùs constat, in his enim pars substantiæ interiecta longè maior est, quam in aliis. Omniū verò clarissimè hoc cernitur in rebus illis, quæ multis simul afficiuntur accidentibus, in pane scilicet aut vino, quod hæc quinque in se habet accidentia, frigus, vel calorem, odorem, saporem, colorem, & lucem. Hæc itaque accidentia si sint corpuscula, & penetrari inter se nequeant (vtpote substantiæ completæ; quæ proinde non magis inter se inuicem penetrari possunt, quàm cum vino) non possunt omnia vlli substantiæ vini parti simul applicari, sed vnū vni, aliud alteri, sicque multæ partes vini erunt quæ nullum habeant saporem, aliæ quæ nullum odorem, imò & multæ, quamuis supra ignem ebulliat, quæ nullum omninò habeant calorem.

XIII. *Lux in ære, & chalybe non esset continua.*

Quintò, lux in iis rebus maxima producitur quæ paucissimos, & arctissimos habent poros, vt in ære, vitro, chalybe, ergo nisi diffundatur per harum rerum substantiam, non apparebit lux illa continua, sed interrupta, ac veluti stellulæ quædam hinc inde intermicantes, & à se ad spatium aliquod disiunctæ.

XIV. *Sequitur per solam compressionem minui rerum odorem, colorem, &c.*

Sextò, si calor, color, odor, sapor, & huiusmodi accidentia aliud nihil sint, quam corpuscula poris rerum, quæ his afficiuntur, inclusa, sequitur, quo magis hi pori occluduntur, colorem, odorem, & reliqua accidentia minui; imò dum aliquid summâ vi premitur, in prælo ex. gr. deberet colorem omnem, odorem, & alias huiusmodi affectiones amittere, cum pori omnes penitùs occludantur: quod tamen est manifestè contra experientiā, charta enim quantumuis in prælo summa vi prematur, non solum non colorem suum omnem, odorem, & reliqua accidentia amittit, sed nec vllam eorum imminutionem patitur. Imò, si antequam hoc modo in prælo premeretur, nullum habuisset odorem, ab ipso prælo, si quo forte id odore imbutum sit, odorem contrahit. Manifestum ergo videtur accidentia isthæc in huiusmodi corpusculis, intra poros rerum collocatis, non consistere.

XV. *Sole oriente esset semper vehemens aeris commotio.* Septimò, si lux sit huiusmodi corpuscula in poris aëris producta, sequitur, oriente sole, magnam in toto aëre futuram commotionem, dum lux in poros immissa, alia inde corpuscula dispellit, aut condensat, aut demum poros magis dilatat noua in eos corpuscula immittendo, quæ omnia fiunt per motum localem.

XVI. *Fieret motus in instanti.* Octauò, Fieret motus in instanti, lux enim secundùm omnes, producitur in instanti, ergo motus ille, qui vel in dimotione corpusculorum è poris, vel in eorum constipatione, aut pororum dilatatione, ad lucis productionem contingit, sit similiter in instanti.

XVII. *Etiam admissis corpusculis, fateri debent dari aliqua accidentia.* Nonò tandem, nam etiam admissis huiusmodi corpusculis, fateri nihilominus debent dari aliqua accidentia: corpuscula enim hæc non sunt ex essentiâ suâ in poris illis inclusa, ergo includi illa poris aliquid est præter hæc corpuscula, & poros. Inquiro quid hoc sit? Dicunt esse eorum ad poros applicationem. Contrà, insisto priori argumento, hæc applicatio vel est aliquid à corpusculis & poris distinctū, vel non: si nihil sit ab iis distinctum, ergo esse nullo modo possunt hæc corpuscula & pori, quin poris illis includantur, cùm esse nequeant sine suâ entitate; hoc autem falsum est, vt ipsi etiam aduersarij fatentur. Si verò applicatio sit aliquid à corpusculis & poris distinctum, inquiro iterum quid illud sit? Respondent, esse eorum *sic se habentiam*. Contrà, inquiro vlterius, *sic se habentia* ista vel à poris & corpusculis distinguitur, vel non; sic semper res redit. Fauillas sorbebunt citiùs, & sua ipsi corpuscula, quàm hunc nodum soluant. velint, nolint, aliquid, quod substantia non sit, agnoscere debent, vel procedetur in infinitum.

XVIII. *Plura auctorum huius placita alibi refelle.* Plura in his libellis continentur, quæ à veritate, sanæque Philosophiæ rationibus plurimùm aberrant; quæ quisquis legent, mirabitur vnde tam miri, sine probationibus maximè, philosophandi modi chartis irrepserint. Eorum tamē confutationem aliis relinquā, si, quis forte in eo tantum operæ collocare velit. Quædam tamen ex iis postea refellam.

XIX. *Ecclesiæ sanctiones vnâ chariores esse debent.* Hanc verò de accidentibus dissertationem omittere non debui: tum quia opinio tollens accidentia, Philosophiam omnem rerumque naturalium constitutionem euertit, tum maximè, quod communi Theologorum, vt vidimus, imò Catholicorū sensui, ipsisque adeo fidei principiis Ecclesiæque sanctionibus aduersetur: quæ cuiuis Orthodoxo vitâ chariores esse debent. Sed institutum prosequamur.

SECTIO VII.

Noua quædam opinio de speciebus sacramentalibus.

I. Aliam adhuc quorumdam esse audio de speciebus Sacramentalibus sententiam, quam, cùm de accidentibus disputauerim institutmus, vt plena sit huius rei tractatio, non erit abs re hîc inseruisse.

II *Dicunt aliqui species sacramentales non esse accidentia realia, sed intentionalia.* Dicunt ergo aliqui, species Eucharisticas, quæ destructâ panis & vini substantiâ, in sacramento remanent, esse quidem accidentia, non tamen realia, sed intentionalia, id est, eiusmodi quæ ad operationes tantùm intentionales ordinentur, visionem scilicet, olfactum, gustum &c. quā de causâ, inquiūt, vocantur à Concilio Tridentino *species*. Negare ergo videntur manere in hostiâ consecratâ colorem vilum, odorem, saporem, frigus, & alia huiusmodi, quæ vocant accidentia realia, sed tantùm eorum species, quas ob rationem iam dictam vocant accidentia intentionalia.

III. *Hæc sententia à superiori est diuersa, à Cartesio.* Hæc sententia longè diuersa est ab illâ, quam totâ hac disputatione impugnaui. Primò enim admittit vera & realia accidentia, talia nimirum quæ verè & realiter insint subiecto, illudque physicè & realiter immutent, quæ est definitio accidentis realis à Philosophis assignata, licèt ea vocet intentionalia, quia ad actus intentionales, eliciendos ordinantur: vnde dici possunt accidentia hæc, Intentionalia obiectiuè, subiectiuè realia. Secundò differt hæc sententia à priore, quòd non dicat hæc accidentia, quæ vocat intentionalia, manere extra subiectum sine miraculo sed aut ea miraculosè conseruari à Deo, materialem concursum subiecti in genere causæ efficientis per se supplente. Vnde non tam clarè est contra definitiones Ecclesiæ, nec tam apertè ex Conciliis conuincitur, ac præcedens.

IV. *Accidentia in Eucharistiâ, sunt realia.* Hæc tamen sententia nullo modo est amplectenda. Primò, quia est contra communem Theologorum sententiam, quos retuli sectione secundâ. Secundò, non satis consonat hæc sententia definitionibus Ecclesiæ circa has species, & existentiam Christi in Eucharistiâ: definit enim Ecclesia totum Christum esse sub singulis partibus specierum, in hac autem sententiâ non esset omnino sub vllâ parte hostiæ, species enim intentionales albedinis exempli g. non recipiuntur in obiecto, cuius sunt species, sed ab obiecto emittuntur in aërem, & corpora diaphana circumiecta, ergo Corpus Christi non alio modo est sub speciebus, quàm quòd cingatur extimâ superficie aëris ambientis; quod tamen dici nullo modo potest.

V. *Accidentia Eucharistica non manerent sine subiecto.* Tertiò, definit Ecclesia, vt vidimus sectione tertiâ, species panis manere sine subiecto, ergo per species non intelligit species intentionales ab obiecto emissas, harum enim subiectum est tantùm aër circumstans, vnde hæ species, destructâ panis & vini substantia, non manent sine subiecto, sed existunt & subiectantur etiamnum in illo aëre, sicut antè. Quare certum est Ecclesiam per species panis & vini non intelligere species hasce intentionales.

VI. *Præcipuè impugnatio prædicta sententia.* Quartò & præcipuè, Concilium Constantiense citatum sectione tertiâ docet, post consecrationem manere accidentia panis, accidentia autem panis sunt color, odor, sapor, & alia, sub quibus antea latebat substantia panis, ergo iuxta doctrinam Concilij manent in sacrosanctâ Eucharistiâ accidentia realia, & non tantùm illa intentionalia, vt volunt auctores huius sententiæ. Conf. nulla enim reddi potest ratio, cur albedo, frigus, sapor, odor, & reliqua accidentia realia in hostiâ consecratâ destruantur, magis quàm intentionalia. Ac proinde censeo hanc sententiam, saluâ doctrinâ Ecclesiæ, sustineri non posse.

VII. *Tangimus & gustamus frigus, durities &c. ergo sunt.* Quintò, dum quis tangit hostiam consecratam, verè aliquid tangit, sentit frigus, duritiem &c. ergo ibi sunt; vel inquiro quid tunc, sentiat? dici nequit quòd sentiat species, species enim non percipiuntur, sed solùm sunt principium effectiuum sensationum, id verò quod tangimus, gustamus &c. est aliquid à speciebus distinctum, alioqui esset perpetua sensuum illusio. Conf. obiecta enim gustûs & tactûs non emittunt species, sed per se immediatè sensationes illas producunt, vt ostendi d. 16. de Ani. sec. 11. species enim solùm ordinantur ad supplendum vicem obiecti, vbi ergo obiecta ipsa semper adsunt, vt in his contingit, quæ nunquam agunt nisi applicentur sensui, non egent omnino speciebus, ergo nullæ huiusmodi species manent, cùm nullæ antea illic fuerint.

VIII. Dices, Concilium Tridentinum vocat accidentia Eucharistica species, ergo non sunt accidentia realia,

Quâ ratione Concil. Tridem. Accidentia Eucharistica vocet species.

realia, sed tantùm intentionalia. Contrà primò: alia Concilia indiscriminatim dicunt peractâ consecratione, manere accidentia panis, ergo volunt non solùm manere accidentia intentionalia, sed etiam realia. Contrà secundò: cùm Theologi omnes eo tempore per species Eucharisticas intellexerint odorem, saporem, colorem, & alia accidentia realia, Concilium in sensu Theologorum illius temporis est loquutum, cùm præstantissimi quique ex omni terrarum orbe Theologi eidem interfuerint. Contrà tertiò: Ecclesia siquidem accidentia Eucharistica vocat signa, ait enim,

Sub diuersis speciebus
Signis tantùm, & non rebus
Latent res eximiæ,

ergo vult illic manere accidentia realia, quæ sensu percepta ducant in cognitionem alterius, species autem, vt dixi num. 7. non percipiuntur sensu, sicque non sunt signa, nec accidentia illa, quæ hîc iuxta mentem Ecclesiæ remanent. Nullâ ergo ratione hanc sententiam existimo probandam.

DISPVTATIO XIII.

De Modis.

Tres rerum series.

TRes sunt rerum species: quædam sunt, quædam insunt, quædam adhærent. In primâ serie sunt substantiæ completæ, vt Angeli & corpora simplicia, siqua fortè huiusmodi sint possibilia, anima item rationalis, & materia prima, hæc enim omnia ita per se sunt, vt causæ alterius creatæ adminiculo non egeant. Secunda classis est, formarum materialium, & accidentium, hæc enim ita subiectis insunt, vt nullâ naturæ vi existere sine iis possint, quamuis possint diuinitùs, vt constat in speciebus Eucharisticis. In tertiâ demum serie sunt Modi, non tam res, quàm rerum appendices, quæ rebus quarum sunt modi, ita adhærent, vt ab iis separati existere nec diuinitùs queant. De his in præsenti nobis sermo.

Modi non tam sunt res, quam rerum appendices.

SECTIO PRIMA.

In quo situs sit conceptus essentialis Modi.

I. *Non consistit Modus in inseparabilitate.*

NOtandum primò, non in eo præcisè consistere notionem Modi, vt volunt nonnulli, quòd sit quid inseparabile in existentia à re cuius est Modus: primò, quia sic Pater æternus esset modus respectu Filij, & è contrà, & vterque respectu Spiritûs Sancti, cùm separari in existentia non possint. Secùdò, quia creaturæ omnes essent modi respectu Dei, cùm existere non possint, & Deo non coëxistere.

II. *Nec in eo quòd sit entitas nullius effectus operatiua.*

Secundò Notandum, nec in eo consistere naturam modi, quod dicunt aliqui, nempe vt sit entitas nullius effectûs operatiua: Primò enim esto hoc conueniret modo, adhuc esset solùm proprietas modi, non eius essentia, cùm videatur esse negatio, sicut non est essentia hominis non esse leonem, aut aliud quodpiam animal, licèt hoc essentiam illius necessariò sequatur. Secundò, materia in aliquorum opinione, nullius rei est operatiua. Tertiò, cur saltem non potest Deus creare rem absolutam ita imperfectam, vt nihil possit producere? Quartò, actus visionis, & omnium sensuum quid producunt? Quintò, modi, in sententiâ relationes admittente, operatiui videntur relationum per quas ad se inuicem, & res alias referuntur.

III. *Modus est entitas incompleta intrinsecè, & essentialiter affixa alteri.*

Omissis variis, quæ confusissimè de naturâ modi hîc à nonnullis congeruntur, Dico, essentialem modi conceptum in hoc consistere, quòd sit *entitas quædam incompleta intrinsecè per se & immediatè affixa essentialiter alteri*, vnde nec diuinitùs sine re cuius est modus, existere potest. Ita ferè P. Arriaga d. 5. Metap. sect. 1. vbi definitiones modi ab aliis assignatas bene impugnat.

IV. *Actio transiens non est propriè modus.*

Hinc infero, actionem transeuntem non esse propriè modum respectu agentis, sed tantùm respectu termini, si sit creatio, vel respectu termini simul & subiecti ex cuius potentiâ educitur, si sit generatio.

V. *Actio non est modus respectu Dei.*

Addo, actionem nec esse modum respectu Dei, tum quia intrinsecè Deum non afficit, nec ei vnitur (sicut Vnio Hypostatica intrinsecè vnitur Verbo, quâ de causâ est illius modus) tum quia Deus ad res creatas concurrit in genere causæ efficientis, qui cōcurrendi modus est & rebus, & actioni extrinsecus. Quòd autem Deus actioni intimè semper sit præsens, non est exigentia actionis, sed Dei, qui ob infinitam suam in existendo perfectionem, seu immensitatem, petit esse vbique. Si autem Deus, sicut res creatas eleuare potest ad agendum in distans, posset etiam ipse in distans operari, actio quâ Deus in cœlo tātùm vel sole existens, hominem hîc, aut leonem produceret, eodem modo persisteret. Quod secus cōtingeret in vnione Hypostaticâ, si enim dum Christus in terris degeret, Verbum per impossibile ad cœlùm vel solem ita se recepisset, vt solis vel cœli vnius se finibus contineret, relictâ humanitate in terrâ, periisset necessariò vnio Hypostatica, nec in illo casu, vel per Diuinam potentiam, conseruari potuisset.

VI. *Terra, aqua &c. non sunt modi respectu Dei.*

Ex quibus à fortiori constat quomodo res aliæ creatæ, vt terra, ignis, aqua, animalia, plantæ, &c. non sint modi respectu Dei, licèt existere nō possint quin Deo coëxistant, eique intimè sint præsentes.

VII. *Vnde proueniat necessitas statuendi modos.*

Licèt verò essentialis conceptus modi in hoc, vt dixi, consistat, quòd per se immediatè & extrinsecè alteri rei vniatur, necessitas tamē modos in vniuerso statuendi fuit indeterminatio & indifferentia in rebus creatis ad effectus varios, & munera, ad quæ cùm seipsis determinatæ non sint, per modos determinātur, qui proinde naturâ suâ sunt actuales determinationes, nec vlteriori determinatione indigent, sic enim daretur processus in infinitum. Ex. g. forma ignis indifferens est vt hoc vel illo loco sit, huic vel illi parti materiæ vniatur; ab hoc vel illo agente producatur, &c. aliquid aliud ergo ei addi debet per quod ad hoc in particulari agens, locum, & materiam determinetur, actio scilicet, vbicatio, & vnio, per quam triplicem determinationem triplex illa indifferentia tollitur.

VIII. *Vbicatio, & Duratio, si sint modi, determinant ad aliquid.*

Nec contra hoc vrget quod obiicit P. Arriaga d. 1. Met. s. 1. n. 3. vbicationem scilicet & durationem esse modos, quæ tamen subiectum, cui adhærent, ad nihil determinant, spatium enim & tempus imaginarium nihil sunt. Resp. tamen primò, vbicationem & durationem fortè non esse modos, de quo postea. Secundò dico, spatium & tempus imaginaria, non esse

esse purè nihil, sed negationes, de quo, suo loco; ad negationem autem dari potest respectus realis, vt constat tum in aliis, tum in potentiâ liberâ, quæ non respicit tantùm operationem, sed negationem operationis, seu omissionem, vtpote quæ ita operatur, vt possit non operari.

IX. *Essentia modi non consistit in hac determinatione.*

Addo tamen in hac determinatione non consistere essentialem conceptum modi: vnde non est cur hoc nomine subsistentiam quis à ratione modi excludat, quòd subiectum cui affigitur, cum aliquâ aliâ re non connectat: si enim sit immediata & essentialis vnio sui cum subiecto, erit modus, licèt illud ad nihil determinet.

X. *Actio & vnio in eâ ratione, in quâ sunt indifferentes, egent determinatione.*

Dices; non forma tantùm aut materia, sed ipsa etiam actio & vnio indifferentes sunt vt sint hoc vel illo loco, nam nec actio nec vnio petit quoties compositum aliquod loco mouetur, sicut nec actio conseruatiua materiæ & animæ rationalis, cùm incedit homo, ergo modi ipsi egent vlteriore determinatione. Resp. distinguendo consequens, egent vlteriore determinatione in ea ratione in quâ sunt determinationes, nego consequentiam; in aliâ, concedo. Quoad aliud enim modi sunt quid absolutum. Sic punctum, vel linea continuatiua, quæ vnit immediatè partes formæ materialis, vel accidentis, quantitatis scilicet, vel albedinis, estque respectu illarum partium, modus, vnitur tamen materiæ per vnionem vel inhærentiam distinctam, quia scilicet punctum illud vel linea non est modus respectu materiæ, sed solùm respectu partium formæ. Sic eodem modo vnio vel actio non sunt modi in ratione connectendi partes cum spatio, sed actio ordinatur ad illas cum agente connectendas, vnio ad connectendas inter se.

Idem est de vnionibus continuatiuis quantitatis.

XI. *Modus, in eâ ratione in quâ est modus, nunquam est indeterminatus.*

Nunquam ergo modus est indeterminatus in eâ ratione in quâ est modus, quòd autem in aliâ sit, nihil refert ob rationem dictam. Actio itaque non potest produci aliâ actione, nec vnio aliâ vnione vniri, & alia huiusmodi, sic enim daretur processus in infinitum. In omnibus ergo prædicatis quæ sunt per participationē talia, veniendum est ad aliquid quod sit tale per essentiam: vnde sicut cùm creatura sit ens per participationem, arguimus debere esse principiū aliquod seu primam causam, quæ sit ens per essentiam, seu quod necessariò existat, & aliunde suum esse non accipiat, ne procedatur in infinitum; ita similiter in aliis etiam rebus tandem deueniendum est ad vnum aliquid, quod sit per essentiam tale, ex quo alia denominationem illam accipiant, alioquin, vt dictum est, procedetur in infinitum.

SECTIO II.

Vtrùm Modus sit possibilis.

I. *Opinio asserens modos esse impossibiles.*

INgeniosus quidam Recentior ita modos omnes aucrsatur, vt non solùm eos tanquam inutiles è scholis ablegandos censeat, sed reiiciendos etiam vt impossibiles, vtpote Deo iniuriosos, eiusque libertati ac pleno in res omnes dominio contrarios.

II. *Arguitur primò, quòd modus deroget libertati Dei.*

Arguit primò: Modus talis est naturæ, vt sine subiecto suo seu termino existere nequeat, nec diuinitùs, ergo non potest Deus creare modum, quin velle debeat rem aliam, vel alias, si sit modus plurium, vnà cū illo producere, hoc autem apertè cum plenâ Dei libertate & dominio pugnat, cùm disponere de rebus creatis pro libito non possit, vnamquamque scilicet independenter ab aliâ producendo & conseruando, hic enim, ad nutum quasi modi res quasque perfectissimas creare tenetur, vt hominem vel Angelum, si vbicationem ex. g. humanam creare velit, vel Angelicam. Hoc autem Deum non parùm dedecere videtur.

III. *Contrà: modus pro nullo priori est ad rem modificatam.*

Sed contrà hoc enim argumentum procedit quasi modus supponeretur iam positus, & postmodum in instante aliquo, tempore vel naturâ posteriore, ad illius exigentiam necessitetur Deus rem aliquam ab eo modificandam apponere, sicque veluti vim quamdam Dei libertati inferre, cùm non pro suâ voluntate, sed pro modi exigentiâ cogatur hominem aut Angelum producere. Hæc autem suppositio est planè contra naturam modi, is etenim semper vel simul est, vel etiam posterior re modificatâ, hæc enim à modo est independens, & sine eo existere, etiam naturaliter potest, vt anima rationalis sine vnione; modus autem sine re modificatâ existere nequit, nec diuinitùs.

IV. *Ostenditur per modum non derogari dominio, vel libertati Dei.*

Resp. itaque nullam hîc vim vel libertati Dei inferri, vel dominio: ad plenam enim & perfectam libertatem sufficit quod possit Deus quouis instante rem quamcunque producere vel destruere, vt hic contingit, licèt enim posito quòd velit modum producere, necessarium ei sit eodem instante rem illam producere, ad quam modus essentialem dicit ordinem, vt actualis illius affectio, simpliciter tamen in plenâ Dei potestate est isthæc omnia hoc instante producere, vel non producere, sicque integra ei perstat libertas.

V. *Aliud est, si modus existeret independenter à voluntate Dei.*

Verum est quidem, si modus independenter à Dei voluntate existeret, infringeretur eius libertas: tum quia rem extra se positam producere vel annihilare pro libito non posset, tum quia independenter à suâ voluntate cogeretur ab extrinseco ad rem aliam (modo id exigente) producendam, sicque manifesta vis & libertati eius inferretur, & dominio.

VI. *Arguitur secundò: implicat duratio petens durare per horam, ergo & modus.*

Arguit secundò: dari nequit creatura, duratio ex. g. extensiuè indiuisibilis, seu quæ essentialiter petit durare per horam, vel diem. Cuius ratio est, quia eiusmodi duratio derogaret libertati & dominio Dei, quòd scilicet teneretur eam conseruare per horam, ergo etiam repugnat creatura quæ Deum necessitet ad producendam aliam, cùm non minùs infringatur Dei libertas, si teneatur nouam creaturam ad alterius exigentiam producere, quàm si eamdem teneatur conseruare.

VII. *Multi docent non implicare huiusmodi durationem.*

Resp. asserere multos eiusmodi durationem non implicare, inter quos est P. Arriaga d. 15. Phy. s. 2. nu. 64. & alij, qui aiunt, non derogare eam dominio Dei, quia absolutè in ipsius potestate erat producere eam primò, vel non producere, ipso facto autem quòd videns eam semel productam ante horam destrui non posse, vult nihilominus illam producere, volendo producere, vult virtualiter eam per horam conseruare.

VIII. *Disparitas inter huiusmodi durationem, & modum.*

Ego huiusmodi durationem existimo aliâ de causâ esse impossibilem, vt postea ostendam. Dico tamen ab huius impossibilitate nullam deduci consequentiam ad impossibilitatem omnis modi. Ratio disparitatis est manifesta, quam ante assignaui, in hoc enim sita est libertas Dei, & dominium in res creatas, quòd quouis instante integrum ei sit rem quamuis absolutè producere, vel non producere, cōseruare, vel destruere: hæc autem duratio, licèt liberè in instante A sit producta, non potest in instante B & reliquis vsque ad finem horæ destrui, sicque derogat libertati Dei.

IX. *Arguitur tertiò ab incommoda.*

Arguit tertiò: si possit dari modus, seu entitas quę essentialiter petat ad productionem sui rem aliam existere, ergo & dari creatura potest, quę petat essentialiter vt pluat singulis diebus Dominicis, & alia huiusmodi.

X.

Contrà primò, qui statuunt potentiam obedientialem

Aliud quoad exigentiam naturalem est in conditionibus physicis, & moralibus.

tialem latam, dicunt posse gratiam poni in lapide, albedinem in Angelo, &c. Nullus tamen, opinor, dicet esse possibilem gratiam, vel albedinem, quæ poni tantùm possint in Angelo & lapide diebus Dominicis, Ratio est, quia esse diem Dominicum est quid morale: sicut nec dicet quisquam esse possibilē calorem qui informet eum tantùm hominem, qui appellatur Petrus. Imò, qui admittunt conditiones physicas extrinsecas, (quas vniuersim nemo negare potest) vt in communi sententiâ dicitur Angelum non posse connaturaliter recipere speciem intuitiuā completam rei existentis donec res illa existat: nullus tamen propterea dicet esse possibilem ignem qui stuppam sibi applicatam comburere tantùm possit diebus Dominicis, aut aquilā versus orientem volante. Est ergo modus in rebus, & certi à naturâ præscripti fines, qui ad effectus quoscunque exoticos, siue in genere causæ formalis siue efficientis non sunt extendendi.

XI. Contrà secundò, admittunt omnes dari res aliquas quæ saltem connaturaliter exigant productionem aliarum, calor ex.g. vt octo petit productionem formæ ignis, aqua petit frigus intensum, & sic de alijs. Inquiro ergo vtrùm hinc sequatur dari posse creaturam quæ connaturaliter petat vt pluat diebus tantùm Dominicis, aut sese murem comedente? Negabunt omnes. Idem ergo dictum esto de exigentiâ essentiali.

Hoc inconueniens non minùs sequitur in naturali exigentiâ, quàm in essentiali.

XII. Arguit quartò: si possint dari huiusmodi entitates, quæ essentialiter petant productionem alicuius alterius, ergo possibilis est creatura quæ essentialiter alias omnes è rerum naturâ excludat, quâ proinde productâ, nihil aliud produci poterit, vel diuinitùs. Sed contrà, aliquæ res sunt, quæ connaturaliter postulant aliarum quarundam ex eodem subiecto exclusionem, vt calor frigoris, vna forma substantialis, alterius; & ex eodem loco homo hominem propellit; malè tamen hinc quisquam intulerit, formam aliquam esse possibilem, quæ connaturaliter petat vt nulla alia res producatur, aut hominem quempiam qui naturaliter exigat homines reliquos ex omni loco, ipsaque adeò rerum naturâ expelli, ac destrui. Malè ergo hoc idem infertur de exigentia essentiali.

Quod dictū est de exigentiâ, idem dicendum de exclusione à rerum naturâ.

XIII. At verò inter res aliquas dari huiusmodi essentialem antipathiam & exigentiam, videtur negari non posse. Vt enim omittam de amore & odio, gratiâ & peccato, rectitudine & curuitate ab eodem subiecto in eodem loco sese mutuò excludentibus. De vnione certè Hypostaticâ nullo modo dicendum videtur posse eam simul cum peccato cōsistere, summa enim sanctitas & pulchritudo summam fœditatem secum eidem animæ vnitam non patitur.

Certum videtur dari inter res aliquas essentialem antipathiam.

Dicet fortasse aliquis, vniri quidem eidem posse vnionem Hypostaticam & peccatum, neutrum tamen denominationem suam illi homini daturum, sicque in illo casu nec denominaretur peccator per peccatum, nec sanctus per vnionem, sicut multi philosophantur de gratiâ habituali & peccato, amore & odio, & similibus.

XV. Contrà primò. quidquid sit de gratiâ & peccato, de vnione tamen Hypostaticâ peculiaris est difficultas, verè enim homo ille esset Deus, iniirum autem est quòd vnio Hypostatica eum in hoc casu denominaret Deum, & non denominaret sanctum. Contrà secundò, sicut hic auctores isti vt vnio, gratia, amor, scientia, & aliæ huiusmodi entitates dent suas denominationes, tanquam conditionem essentialem requirunt absentiam peccati, erroris, odij, &c. idque sine præiudicio vel libertatis, vel dominij Dei, quidni & nos sine eorumdem præiudicio requirere easdē conditiones poterimus, vt res illæ existant?

Vnio Hypostatica, & peccatum stare simul nequeunt, nec diuinitùs.

Positâ ergo modorum possibilitate, priùs quā ad modos in particulari descendamus, nonnulla generatim de eorum existendi, & terminos afficiendi modo inquiramus, vt illorum natura clariùs innotescat.

SECTIO III.

Vtrùm modus possit creari.

I. PSuarez d.16. Met. s.2.n.16. negare videtur posse modum creari, saltem quoad modos accidentales. Vasq. idem absolutè asserere videtur quoad omnes, t.p.d.174.c.4.n.16. & alij non pauci.

1 Sunt negat posse modos creari.

II. Dico tamen modos omnes, exceptâ actione, creari posse. Ita P. Hurtado d.12.Phy.s.5. Ouiedo cap.13. Phy.p.5. & plurimi recentiores. Ante probationem conclusionis. Notandum, modum, vnionem, e.g. duplicem habere rationem & conceptum respectu sui subiecti, seu rei modificatæ: primus est conceptus intimæ affectionis, & modificationis, quâ ita essentialiter affigitur modus subiecto, vt nec diuinitùs dimoueri ac diuelli ab eo possit, ita vt existat: cùm enim sit ex essentiâ suâ actualis affectio & modificatio sui subiecti, si separaretur ab eo, non illud modificaret actu, ac proinde mutaret essentiam. Altera ratio est quâ pendet modus à subiecto tanquam à sustentante, seu influente in illum materialiter per actionem eductiuam: cùm ergo hoc non habeat modus per se, sed per actionem distinctam, poterit Deus hanc causalitatem subiecti in modum supplere, & loco actionis generatiuæ, seu eductiuæ substituere creatiuam, ita vt subiectum, licèt necessariò semper sit subiectum intimæ affectionis, seu adhæsionis, non tamen sit subiectum sustentationis, seu subiectum influens in modum per vllam causalitatē & influxum.

Modi omnes, præter actionem, possunt creari.

Dupliciter pendet modus à subiecto.

III. Cùm ergo vnio, vbicatio, & eiusmodi alij modi non sint ex conceptu suo intrinseco actio, seu influxus, sed habeant effectum formalem longè ab actione diuersum, sicque pendeant à subiecto per actionem à se distinctam, licèt communiter generentur seu producantur per actionem eductiuam, dum scilicet producuntur ab agentibus naturalibus, quidni tamen possit Deus solus modum illum producere sine concursu subiecti, & sic eum creare?

Ostenditur vnionem posse creari.

IV. Dices; ideo non posse, quia modus omnis est essentialis dependentia à subiecto. Distinguo, est essentialis dependentia, id est, necessariò afficit subiectū, concedo; est dependentia à subiecto tanquam ab influente, nego: hæc autem sola dependentia est quæ impedit creationem. Et cùm dicitur id generari quod producitur dependenter à subiecto, sensus est, si producatur dependenter à subiecto influente, cùm sola passio propriè dicta sit quæ tollit creationem, passio autem propriè dicta est influxus subiecti in actu secundo. Licèt ergo modus sit ex essentiâ suâ dependentia à subiecto, non tamen est necessariò dependentia à subiecto influente, sed dependet ab eo per actionem & influxum à se distinctum, qui proinde suppleri à Deo potest, sicut influxus ad res alias absolutas.

Quòd modus essentialiter dependeat à subiecto, non obstat creationi.

V. Quòd autem modus omnis præter actionem pēdeat ab agente, & consequenter à passo, seu subiecto sustentationis per actionem & influxum à se distinctum, probatur: eadem enim vnio successiuè conseruari potest à diuersis agentibus, vt vnio & forma ignis iam ab hoc, iam ab illo igne, iam à Deo; à quocunque autem conseruetur, semper habet eundem effectum formalem vniendi & immediatè afficiendi suum subiectum, ergo distinguitur ab actione & influxu

Modi omnes, præter actionem, pendent à subiecto per actionem distinctam.

influxu agentis, ergo & ab influxu passi & subiecti, seu à passione, cùm actio & passio identificentur, ergo si actio distinguitur realiter ab vnione, passio realiter ab eâdem distinguatur necesse est.

VI. *An modi essentialiter pendeant à subiecto à priori.*

Dices; modus essentialiter pendet à subiecto à priori, ergo non potest creari. Resp. si per pendere à subiectu à priori intelligatur pendere ab illo essentialiter per verum & physicum influxum, nego antecedens; licèt enim aliqui modi hac ratione pendeant à subiecto, non tamen est ipsis hoc essentiale, nec de conceptu modi: Si autem per pendere à priori intelligatur solùm pendere a subiecto tanquam ab aliquo, quod quocunque modo requiritur vt modus sit, concedo antecedens: hoc autem non obstat creationi, sed solùm influxus materialis seu passio quæ est dependentia à subiectu sustentante, & influente, hæc autem dependentia non est modo essentialis, vt ostensum est. Sic Verbum Diuinum est aliquo modo prius vnione Hypostaticâ, & tamen non dependet verè vnio Hypostatica ab illo propriè à priori, seu tanquam ab influente. Est ergo prioritas subiecti respectu modi solùm quasi subsistendi consequentiâ. benè enim sequitur, *est hic modus, ergo est hoc subiectum*, non tamen è contrà, *est hoc subiectum, ergo hic modus*, hæc tamen non est vera dependentia per verum & physicum influxum, vt constat in exemplo proximè allato de Verbo Diuino respectu vnionis Hypostaticæ.

VII. *Duplex modi dependentia declaratur exemplo visionis.*

Vnde modus, quà talis, non pendet à subiecto, seu termino propriè vt à priori, seu ab influente, sed solùm vt à conditione aliquâ antecedente, vel comitante; sicut ignis pendet ab approximatione, vt comburat, vel aptiùs ad rem nostram, sicut visio duplici modo pendet ab obiecto, & vt à terminante per suam entitatem, & mouente, seu influente in actum per speciem, & Deus potest supplere hoc secundum, primum autem secundùm multos supplere non potest: sic in Modo supplere potest Deus influxum subiecti, non tamen dependentiam per intimam affectionem, cùm hæc sit ipsa essentia Modi.

VIII. *Totum compositum potest creari.*

Hinc infertur totum compositum creari posse: de formâ enim & materiâ nulla est difficultas sed etiam creari potest vnio, vt ostensum est, ergo. Sicut autem licèt vtraque pars creetur, si tamen vnio generetur, dicitur ratione illius compositum generari, ita si vnio crearetur, licèt vtraque pars generaretur, videtur compositum dici posse creari, nempe formaliter, seu in ratione compositi.

SECTIO IV.

Inquiruntur quædam circa naturam Modorum.

I. *An modus respicere possit subiectum vagè.*

QVæres primò, possitne modus respicere subiectum indeterminatè, & vagè? Resp. si obiecta aliqua ita essent essentialiter determinata ad aliquem vnum Modum in particulari, vt non forent indifferentia ad alios, tunc posset Modus indeterminatè respicere varia subiecta, licèt in eo casu vice versâ subiecta illa essent modi, & huiusmodi modi res absolutæ. Si autem dicatur & subiecta esse indeterminata, & etiam modos, tunc non possent modi respicere subiecta vagè, sic enim alio egerent determinatiuo, cùm vtrimque foret indeterminatio & indifferentia, sicque essent res absolutæ. Conf. non minùs essentialem ordinem physicum dicit modus ad subiectum, quàm visio ad obiectum. sed visio non potest esse indeterminata ad obiectum, vt in Logicâ probaui d. 44. s.6. & d.45. s.1. cùm sit imago & similitudo huius obiecti, & non alterius, ergo nec m[od]us indeterminatus esse poterit ad sub[iect]um. R[ati]o autem à priori est, quia modus [e]st ex [illegible] suâ determinatio actualis rei indifferentis, c[illegible] n[on] debet ipse esse indifferens. sic enim egeret alio determinante, & non esset actualis determinatio per suam essentiam, sed solùm aptitudinalis, adeóque non modus.

II. *Dari potest vnio, quæ plures terminos inter se connectat.*

Quæres secundò, vtrùm dari possit vnio quæ connectat plures terminos inter se? Negat P. Su[are]z To.1. in 3. p. d.13. s.2. *Deinde quod*, & alij. Dico tamen, id non videri impossibile: primò enim naturaliter contingit, idem enim punctum in centro cuiusque rei habentis trinam dimensioné, vnit lineas ab omni parte in centrum confluentes: & idem est de quacunque vnione continuatiuâ. Vnde puto, dari posse vnionem informationis, quæ sit connexio duarum vel plurium formarum eidem materiæ & è contrà; & vnionem etiam Hypostaticam, quæ tres Personas Diuinas eidem humanitati, & vnam Personam tribus humanitatibus vniat. Ratio est, quia cùm duæ vel plures formæ vniri supernaturaliter possint eidé materiæ, & plures naturæ eidem Personalitati Diuinæ, quid vetat esse possibilem vnam vnionem per quam iis connectantur?

III. *Modus, qui est purè modus, non potest vniri per vnionem distinctam.*

Quæres tertiò, an possit modus per vnionem distinctam vniri alteri subiecto? suppono sermonem esse de eo qui est purè modus, qualis est vnio inter animam & corpus; aliqua enim sunt quæ quamuis sint modi respectu aliquorum, vt vniones continuatiuæ partium albedinis, & formæ substantialis materialis, vt dixi suprà s.1. n.10. respectu tamen aliorum sunt formæ absolutæ, vnde tota quantitas & albedo vnitur materiæ per vnionem distinctam. Loquendo itaque de purè modo, existimo hoc fieri non posse. De quo plura infrà d.41. sec 8. n.5. 6. & septimo.

IV. *Modus existere nequit sine termino suo adæquato.*

Quæres quartò, vtrùm existere possit modus sine termino suo vel adæquato vel inadæquato? Quoad terminum adæquatum, certum omnino est, modum, vnionem ex. g. vno tantùm loco existentem, non posse esse sine termino adæquato, cùm, vt vidimus s.1. sit modo essentiale actu termino suo vniri. Idem existimo licèt modus statuatur in diuersis locis distinctis, vt vnio inter animam & corpus Petri hic statuatur, & Londini, existimo vtrobique necessariò statuendum esse & corpus & animam Petri: cùm enim vnio sit essentialiter actualis nexus vtriusque, vbicunque est vnio, debet actu ea vnire, alioqui esset alicubi sine suâ essentiâ.

V. *Difficultas est de termino modi inadæquato.*

Quoad terminum inadæquatum, non est vsqueadeò certum, imò omnes absolutè dicunt, non esse necessarium vt modus vbicunque est, habeat terminum suum adæquatum, sed sufficere si habeat inadæquatum. Ad hanc ergo difficultatem enodandam statuam sectionem sequentem.

SECTIO V.

Darine possit Actio, vnio, vel vbicatio indiuisibilis.

I. *Modus est Relatio transcendentalis ad terminum existentem.*

SVppono cum Philosophis omnibus qui modos admittunt, modum esse relationem transcendentalem, sicque per se adæquatè esse determinationem essentialem ad subiectum suum seu terminum, ita vt totus hic respectus modi ad terminum existentem non minùs in solâ modi entitate situs sit quàm relatio transcendentalis in Angelo, homine, aut igne respectu actuum & effectuum possibilium.

II.

Notandum, tripliciter posse vnionem vel actionem indiuisibilem concipi respicientem terminum diuisibilem, hominem ex. g. Primò, ita vt totus ho-

mo

mo seu omnes eius partes ponantur in vnico puncto, vel indiuisibili spatij, in quo etiam puncto sit actio & vnio. Secundò, ita vt actio & vnio indiuisibilis & terminus non sint in vnico solo indiuisibili spatij, sed vtrumque extensum per spatium aliquod diuisibile, ita tamen, vt totus terminus, & omnes illius partes sint in singulis partibus & punctis spatij, sicut & ipsa actio & vnio, eâ scilicet ratione qua Corpus Christi indiuisibiliter totum existit sub singulis partibus & punctis specierum Sacramentalium. Tertiò demum ita, vt licèt actio vel vnio, vtpote indiuisibiles, sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte spatij, terminus tamen sit extensus per spatium secundùm diuersas sui partes, ita vt vna pars termini sit in hac parte spatij, altera in aliâ, &c. & de omnibus his tribus modis procedere potest quæstio.

Vnio, actio &c. concipi possunt indiuisibiles triplicter.

III. *Res diuisibilis in puncto vniri potest vnione indiuisibili.*

Prima conclusio: primo modo nullum videtur dubium, quin possit vnio vel actio indiuisibilis afficere terminum indiuisibilem. Ratio videtur clara, cùm enim partes omnes sint in eodem indiuisibili, seu puncto spatij inter se penetratæ, nihil obstare potest quo minùs, saltem diuinitùs, eadem indiuisibilis actio vel vnio eas afficiat.

IV. *Res tota in toto, & tota in qualibet parte, vniri etiam potest vnione indiuisibili.*

Secundâ conclusio: nil etiam impedit quo minùs detur actio & vnio indiuisibilis, quæ respiciat rem diuisibilē secundo modo suprà in notatione posito, seu totam in toto, & totam in qualibet parte existentem. Probatur & explicatur conclusio ex præcedente: sicut enim non implicat vt detur aliqua vnio indiuisibilis, quæ respiciat plures partes eiusdem rei in indiuisibili seu puncto constitutæ, ita quidni multiplicari poterit tam res quoad omnes partes, quàm vnio, sicque vnio in singulis partibus & punctis spatij habebit terminum suum adæquatum? Quæ omnia clariora fient ex tertiâ conclusione.

V. Difficultas ergo præcipuè procedit de tertio modo, quo scilicet modus aliquis indiuisibilis terminaretur ad rem vel spatium diuisibile, ita scilicet, vt actio, vnio, vel vbicatio sint totæ in singulis partibus & punctis spatij, terminus verò non totus in singulis partibus, sed secundùm diuersas sui partes per spatiū extensus, ita vt vna eius pars sit in vnâ parte spatij, alia in aliâ, sicut de vnione spirituali, quam ponunt multi in homine, & de vbicatione Angelicâ indiuisibili respectu spatij diuisibilis plerique philosophantur. Huiusmodi ergo actionem, vnionem, & vbicationem non repugnare tenent auctores quos vidi omnes, cum P. Hurt. d. 2. de Ani. s. 3. imò ipse de facto dari asserit vnionem spiritualem in homine, & indiuisibilem, quæque tota singulas eius corporis partes afficiat, sicut anima indiuisibilis eas omnes vbique tota informat. Idem cum ipso docent ij omnes qui vbicationem Angeli, quâ occupat spatium diuisibile, esse aiunt indiuisibilem, & totam singulis spatij partibus eum affigere. Et à fortiori dicent illi huiusmodi vbicationem aut vnionem non repugnare, qui cum P. Arriaga hîc d. 5. s. 2. n. 64. asserunt possibilē esse durationem indiuisibilem petentem essentialiter durare per horam: de quo postea.

Communis sententia est huiusmodi vnionem indiuisibilē nō repugnare.

VI. *Implicat vnio indiuisibilis respectu termini diuisibilis diuisibiliter existentis.*

Tertia conclusio: non solùm vnio quæ est inter animam & corpus in homine, & vbicatio omnis Angelica figens Angelum spatio diuisibili, est diuisibilis, & constans ex partibus integrantibus, sed probabiliùs existimo implicare vnionem, actionem, vel vbicationem, quæ in se indiuisibiles correspondeant spatio, materiæ, aut termino diuisibili, connaturaliter, seu diuisibiliter existenti.

VII. *Ratio à priori.*

Probatur primò, vbicatio, actio, & vnio si sint indiuisibiles, vbicunque sunt, debent habere totam suam essentiam, sed si respiciant locum, terminum, & materiam diuisibiles diuisibiliter existentes, non possunt vbicunque sunt, habēre totam suam essentiam, ergo non potest dari huiusmodi vnio, actio, & vbicatio. Maior est certa, si enim sint indiuisibiles entitatiuè, vbicunque sunt, totæ sunt, ergo vbique est tota earum essentia, cùm partes non habeat. Minor itaque, in qua est difficultas, probatur: essentia vbicationis indiuisibilis diffusæ ex g. per totum hoc gymnasium (idem est de vnione & actione respectu suorum terminorum & subiectorum) est actu figere Angelum toti huic gymnasio, seu omnibus eius partibus, sed hæc vbicatio, vbicunque est, non figit Angelum toti gymnasio, seu omnibus eius partibus, ergo. Probatur minor, in angulo orientali non figit Angelum angulo occidentali, nec è contrà, in medio non figit eum extremitatibus, in extremitatibus non affigit medio &c. ergo vbicunque est, non habet eandem essentiam, sed diuersa prædicata, in vnâ parte spatij, & in aliâ.

VIII. *Quamuis essentia sit exercitiuam, vbique illā exercere debent.*

Dices; essentia quidem eius est figere Angelum toti spatio, sed non est necessarium vt vbique exerceat totam suam essentiam, sicque est vbique tota essentia, non tamen vbique tota exercita. Contrà, essentia huius vbicationis est actuale exercitium, & in actu secundo seu actualis fixio Angeli in toto illo spatio, ergo idem est essentiam eius esse in toto spatio, & in toto esse exercitam, nam esse est exercere, ergo vbique totum exercet quod vllibi exercere potest.

IX. *Sequitur talem vbicationem in vno loco habere reale prædicatum, quod non habet in alio.*

Secundò probatur conclusio, & declaratur magis præcedens ratio; hæc vbicatio in spatio A, habet reale prædicatum, quod non habet in spatio B, ergo realiter distinguitur vbicatio in hac parte spatij ab vbicatione in illâ, ergo habet diuersas partes. Prima consequentia videtur certa, cùm ideo duo equi, leones, vel homines distinguantur realiter, quia diuersa habent prædicata realiter distincta. Antecedens itaque probatur, actu figere Angelum spatio B, est reale prædicatum realiter identificatum cum hac vbicatione, sed hoc non habet in spatio A, ergo. Probatur minor, hæc vbicatio in spatio A, non figit Angelum spatio B, sed soli spatio A, cùm in spatio A, Angelus & vbicatio non sint intimè præsentes alteri spatio quàm spatio A, nulli autem spatio figit Angelum in spatio A, nisi cui illic reddit eum intimè præsentem, ergo si in spatio A non reddat Angelum intimè præsentem spatio B, non figit ipsum ibi spatio B, sed figere Angelum spatio B, est reale prædicatū, & hoc non habet in spatio A, ergo in spatio B, habet reale prædicatum quod non habet in spatio A, ergo vbicatio in spatio B est realiter distincta ab vbicatione in spatio A, vel saltem diuersa pars eiusdē vbicationis, sicque habet partes, & consequenter non est realiter indiuisibilis.

Implicat vbicatio Angelica indiuisibilis.

X. *Hac vbicatio haberet, & non haberet partes.*

Dices; essentia huius vbicationis est vt habeat hoc totum, nempe vt sit affectio totius seu omnium partium illius spatij, ita vt hic sit affectio huius partis spatij, ibi illius. Sed contra, hoc enim est periode ac dicere essentiam ipsius esse, vt non habeat vbique totam suam essentiam, sed hic vnam partem, ibi aliā, cùm essentia ipsius iuxta hanc responsionem sit, vt hîc habeat prædicatum aliquod reale quod ibi non habet, ergo vbicatio hæc non est indiuisibilis sed diuisibilis secundùm diuersas partes integrantes heterogeneas.

XI. *Si modus possit esse sine termino inadæquato poterit similiter esse sine adæquato.*

Probatur tertiò: Si possit modus esse alicubi sine termino inadæquato, modò illum alibi habeat, vt vnio illa hominis tota esse in pede, absque eo quòd illic afficiat manum, sequitur posse modum esse alicubi sine omni termino, modò illum alibi habeat, sicque posset actio qua Angelus conseruatur in cælo, protendi ad terram, Angelo in cœlo tantùm existente. Ratio est quia non est magis actio illa essentialis affectio totalis termini, quàm partialis, ergo

non

non magis potest vllibi sine hoc existere, quàm sine illo.

XII. *Possent vbicatio, actio & vnio singulis instantibus mutare terminos.*

Quartò: ideo non potest hæc vbicatio, actio, vel vnio in secundo instante afficere nouum aliquod spatium, terminum, vel subiectum, quod non afficiebat in primo, vt si in primo instante figebat Angelum huic gymnasio, non potest eadem vbicatio secundo instante figere Angelum illum palmo spatij proximo, esto retineat totum spatium in quo antè fuit; cuius ratio est, quia sic in primo instante non habuisset totam suam essentiam, cùm in secundo instante haberet nouum prædicatum reale, quod non habebat in primo, sicque non esset eadem vbicatio, sed diuersa, saltem partialiter, non minùs autèm implicat, si est vbicatio indiuisibilis, vt hîc habeat prædicatum aliquod reale, quod non habet ibi, quàm vt nunc habeat prædicatum reale quod non habuit antea: sicut enim quod semel est, semper est, ita quod hîc est, ibi est, ergo.

XIII. *Posset vnio inter materiam & formam ignis esse alicubi sine altero extremo.*

Quintò: apud omnes in confesso est non posse vnionem inter materiam & formam ignis, vel aquæ constitui in alio loco sine toto suo termino, seu absque eo quòd vniat duo illa extrema, quia scilicet est essentia illius connectere illa inter se, & vbicunque est, debet habere totam suam essentiam, sed non minùs est de essentiâ vnionis vel vbicationis indiuisibilis actu afficere omnes partes termini, & spatij, ergo vbicunque est, afficere debet omnes, cùm vbicunque est, non minùs habere debeat totam suam essentiam, quàm vnio inter materiam & formam equi, ignis, vel aquæ.

XIV. *Idem est de vnione trium formarum cum eâdem materiâ.*

Sextò: ponamus vnionem cuius essentia esset connectere tres formas eidem materiæ, non potest, nec per Diuinam potentiam hæc vnio ita statui in tribus locis, vt in vno connectat materiæ illi formam A solam, in alio solam formam B, & in tertio formam C, licèt enim tunc videatur habere totam suam essentiam, cùm ex essentiâ suâ solùm petat vnire has tres formas, quas in hoc casu vniret, non tamen existimo à quoquam hoc concedendum. Cuius ratio vnica est, quia cùm essentia ipsius sit actualis vnio trium formarum, vbicunque est, actu vnire debet tres formas, ergo idem est in nostro casu.

XV. *Implicat vt actus repræsentatiuus trium colorum non sit illorum vbique repræsentatiuus.*

Septimò tandem: actus intellectûs indiuisibilis, quo homo quispiam repræsentat tres colores, albedinem videlicet, nigredinem, & viriditatem, secundùm multos diffunditur per totum corpus, sicut anima quam informat, secundùm omnes est in loco diuisibili in capite e.g. ponamus itaque diffundi per totum corpus, hic actus quia est indiuisibilis, vbicunque est, est repræsentatio horum trium colorum, in capite ex.g. est repræsentatio omnium trium, in pede eorundem, in manu &c. ita vt Angelus intuitiuè videns hunc actum, siue illum in pede intueatur, siue in capite, siue in aliâ quacunque corporis parte, videat eum esse repræsentationem indiuisibilem trium, nec potest vllibi esse, & non esse repræsentatio trium, sic enim non haberet vbique eandem essentiam. Idè ergo est in præsenti de vnione in homine respectu capitis, manûs, pedis, &c. & vbicationis respectu diuersarum partium spatij.

XVI. *Angelus intellectiuus vt quatuor, vbicunque est, est intellectiuus vt quatuor.*

Conf. Angelus aliquis cuius essentia est esse intellectiuum vt quatuor, etiamsi extendat se per totum hoc gymnasium, imò totam ciuitatem, & ad vltimum suæ sphæræ, adhuc in singulis partibus & punctis illius spatij necessariò esse debet intellectiuus vt quatuor in actu primo, quia hæc est eius essentia, nec magis potest esse intellectiuus vt quatuor in hac parte spatij, vt tria in illâ, vt vnum in aliâ, & sic de cæteris, quàm potest dari res aliqua quæ hîc sit aqua, ibi aër, alibi terra, lignum, lapis, &c. ita vt ratio lapidis non distinguatur realiter à ligno, & reliquis: sicut nec color quispiam dari potest, qui hîc sit albedo, ibi negredo, &c.

SECTIO VI.

Argumenta contendentia possibilem esse vbicationem aut vnionem indiuisibilem respectu termini diuisibilis.

I. *Ostenditur aperta disparitas inter Angelum, & modos.*

Obiici potest primò; anima rationalis & Angelus sunt indiuisibiles, & tamen correspondet illa diuersis partibus corporis, hic spatij, ergo nil obstat quominùs detur vnio vel vbicatio indiuisibilis, quæ simili modo correspondeat spatio vel materiæ diuisibili. Respondetur negando consequentiam, in animâ enim non sequitur hoc inconueniens, nempe quòd haberet prædicatum reale in vno loco, vel parte corporis, quod non habeat in aliâ, cùm non sit prædicatum essentiale animæ actu vniri corpori, sicut est vnionis, vnde & eadem potest separata ab omni corpore, quod tamen non posset, si vniri corpori esset prædicatum realiter cum animâ identificatum, seu illius essentia.

II. *Obiic. Angelus per vbicationem est totus in toto, & totus in qualibet parte, ergo & contra.*

Obiicies secundò; Angelus diffusus per totum hoc gymnasium est totus in toto & totus in qualibet parte huius spatij, & hoc habet formaliter ab vbicatione, ergo vbicatio ipsa debet esse tota in toto & tota in qualibet parte illius spatij, nihil enim dare potest in genere causæ formalis, nisi quod in se habet formaliter, alioqui dabitur effectus formalis sine causâ formali. Hoc argumento vsi sunt quidam recentiores ad probandum omne Vbi Angelicum, & animæ rationalis de facto esse indiuisibile, ac totum in toto, & totum in qualibet parte spatij. Sed contrà, nam aduersarij ipsi non negant posse per Diuinam potentiam poni rem aliquam totam in toto, & totam in qualibet parte spatij, per vbicationem diuisibilem, & quæ habeat partes, imò plurimi ex ipsis de facto aiunt eiusmodi esse vnionem Corporis Christi in Eucharistiâ, ergo in hoc soluere ipsi debent suum argumentum, cùm non minùs ibi sequatur esse effectum formalem sine causâ formali, quàm hîc.

III. *Confirm: sustentatur Angelum per duas vbicationes totales posse esse in hoc gymnasio.*

Et saltem per Diuinam potentiam, in hoc gymnasio ita statui potest Angelus, vt per vnam vbicationem totalem sit in vnâ medietate scholæ, & per aliam in aliâ: vel quando Angelus est in vnâ parte suæ sphæræ, non negabunt aduersarij posse eum se extendere ad aliam, & acquirere nouam vbicationem totalem, seu non vnitam præcedenti, idque non amittendo priorem: sicut etiam quidni, saltem diuinitùs, posset anima, dum simul mouetur manus & pes, acquirere duas vbicationes distinctas, illis motibus correspondentes? in quibus omnibus casibus eadem est difficultas atque in nostrâ sententiâ.

IV. *Resp. neg. vbicationem non debere esse totam in toto spatio, vt quod, sed vt quo.*

Resp. itaque distinguendo consequens, ergo vbicatio ipsa debet esse tota in toto, & tota in qualibet parte, *vt quod*, nego consequentiam; *vt quo*, id est, debet esse ratio illa per quam Angelus est totus in toto, & totus in qualibet parte, concedo. Ad hoc autem perinde est siue sint plures vbicationes disparatæ, seu inter se non vnitæ, siue vna composita ex multis partialibus: tamen ipso facto quòd intelligatur pars huius vbicationis figere Angelum totum in hoc puncto, vel parte spatij, & alia pars eum totum figere in proximâ, & sic de cæteris, sufficienter, imò necessariò intelligitur constituere ipsum totum in toto, & totum in qualibet parte spatij. Quod hinc clarè ostenditur, nam vnio materialis & corporea in homine vnit animam totam toti corpori, & totam

tam cuilibet illius parti, & tamen vnio hæc non est tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte, sed diffusa & extensa secundùm diuersas sui partes per totum corpus, ergo idem præstare poterit vbicatio diuisibilis respectu spatij.

V. Obijci potest tertiò; nil sequi implicatorium ex eo quòd detur huiusmodi vbicatio indiuisibilis, nam in puncto A est formalis fixio Angeli in tali puncto, virtualis respectu aliorum punctorum & partium spatij, & in puncto B formalis fixio respectu illius, & virtualis vel aptitudinalis respectu aliorum, & sic de cæteris. Contrà primò, nihil omnino est aptitudinale, seu in actu primo in hac vbicatione vel vnione, sed est formalissimè actualitas, exercitium, & actus secundus, non minùs quàm actio respectu termini: imò si esset aliquid hic aptitudinale, & in actu primo, deberet vniri per aliam vnionem, aut vbicationem, vt fit in animâ & Angelo, quod tamen hic non contingit. Contrà secundò, cur pari modo dici non posset, vbicationem hanc in hoc instante esse formalem determinationem Angeli respectu huius spatij, & virtualiter seu aptitudinaliter respectu spatij proximi pro instante sequente, & sic mutare posset vbicatio locum, saltem inadæquatum, pro diuersis instantibus, vel partibus temporis, quod tamen nullus concedit. Contrà tertiò, in hoc ipso affertur implicatio, nam in puncto A est formalis affixio Angeli ad punctum A, & non ad punctum B, ergo in puncto A habet reale prædicatum, quod non habet in puncto B, & è contrà, nam per suam entitatem solam habet actu figere Angelum in puncto B, ergo est actualis fixio illius, sed in puncto A non est actualis fixio Angeli puncto B, sic enim in puncto A deberet actu figere Angelum puncto B, ergo.

Cum in his nihil sit aptitudinale, debent vbicationes habere totum suum terminum.

Obijci potest quartò; Deus est sua præsentia per immensitatem secum identificatam, & tamen est totus in toto, & totus in qualibet parte spatij, ergo non implicat aliqua vbicatio indiuisibilis essentialiter respiciens spatium diuisibile. Negatur tamen consequentia, Deus enim per infinitas quasi partes virtuales immensitatis suæ vbique præsens, sibi suum est spatium. Deinde, esto hoc concederetur Deo per virtualem quandam distinctionem, nempe vt per solam eandem ipsissimam entitatè indiuisibilem possit correspondere diuersis partibus spatij, sicut multa alia ipsi huiusmodi per virtualem distinctionem conceduntur, vt actus liberi, productio Rationum in Filio & Spiritu Sancto, non productâ essentiâ, nô tamen hæc propterea concedenda sunt creaturis, vt ipsi aduersarij fatentur, cùm, vt supponitur, tota ratio diuersitatis ex parte vbicationis consistat in solâ entitate vbicationis, cùm sit relatio transcendentalis ad spatium. VI.

Aliud quoad hoc est de immensitate Dei, aliud de vbicatione creatâ.

Quintò obijcitur; vbicationem Angeli si habeat diuersas partes correspondentes diuersis partibus spatij, fore quantam, commensuratiuam, corpoream, &c. Solutio huius pendet à quæstione illâ, in quo sita sit ratio corporis & spiritûs, de quo Deo dante, agetur in libris de Animâ, disp. septima. VII.

DISPVTATIO XIV.

De Vnione.

Varia variè de vnione philosophantur.

Magna hîc opinandi varietas; vnionem negantibus alijs, alijs astruentibus. Nec vnionis assertores satis hac in parte inter se conueniunt: nonnulli enim in negatione eam sitam volunt, alij rem esse aiunt vtcunque positiuâ. Quidam in composito aliquid agnoscunt ab extremis distinctum, à necessariâ tamen & fatali illâ cum ijs connexione immune. Quare, Nodum dicunt esse, non modum. Alij demum nexum hunc, Modum statuunt, eamque expeditissimam difficultates, quæ in compositi constitutione occurrunt plurimæ, enodandi viam autumant. Nullâ ergo in re, in his octo libris, est vel maior sententiarum diuersitas, vel acrior disceptatio: vt mirum sit vnionem tantum peperisse discordiæ.

Quidam nodum agnoscunt, non modum.

SECTIO PRIMA.

Refertur sententia negans vnionem distinctam, & primus modus eam defendendi refellitur.

I. Prima sententia vnionem negat distingui ab extremis. Ita Caiet. 3. p. q. 2. a. 7. Medina, Valentia To. 4. d. 1. q. 2. p. 5. Fonseca 7. Met. cap. vltimo. Conimb. hîc, c. 9. q. 1. a. 4. quam etiam sententiam amplectuntur etiam non prodigi Nominales, illi ducti suo baculo innixi: *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate:* Quamuis Ockamus ipse in 3. q. 1. fateatur negari nullo modo posse vnionem Hypostaticam esse entitatem aliquam à Verbo & Humanitate realiter distinctam. Quem proinde Tartaretus Scoti auditor, ex veluti insultans, sic affatur; *Domine Ockam, dic, quid coëgit te ad hoc dicendum? certè, euidentissima ratio. quæ est illa? Impossibile est transire de contradictorio in contradictorium, sine deperditione vel acquisitione alicuius positiui &c.*

1 sent. negat vnionem distinctam.

Ockamus fatetur distingui vnionem Hypostaticam.

Prima conclusio: vnio non est sola extrema nudè & secundùm se sumpta. Hæc conclusio non eget probatione, iam enim existit materia & anima S. Petri ex g. & tamen non vniuntur, nec constituunt compositum, ergo vnio extrema aliquid est ab ijs distinctum. II.

Vnio non potest consistere in solis extremis.

Secunda conclusio: vnio inter materiam & formam non est sola intima earum præsentia. Probatur primò, potest Deus, etiam dum intimè sibi sunt præsentes materia & forma impedire quo minùs hæc informet materiam seu illi vniatur, ergo vnire materiam & formam non est formaliter esse illas sibi intimè præsentes. III.

Vnio non consistit in solâ intimâ præsentiâ.

Secundò probatur, ponamus, in materiam informatam animâ Petri ingredi localiter, & reddi intrinsecè præsentem animam Pauli separatam à materiâ Pauli: si informare materiam nihil aliud sit, quàm esse illi intimè præsentem, anima Pauli informabit corpus Petri, sicque erit materia illa naturaliter duabus simul formis vnita. Casus verò iste naturaliter potest, & facilè, contingere, si anima aliqua ex ijs quæ subinde in terrâ separatæ versantur, materiæ alterius hominis adhuc viuentis intimè se redderet vellet præsentem. IV.

Si vnio sit intima præsentia, dua anima possunt simul informare eandem materiam.

Dices; id non sequi, iam enim materia est informata priori animâ, ergo licèt secunda sit intimè illi præsens, non tamen eam informabit, cùm sit quasi præoccupata materia à priori. Contrà, si vnio nihil aliud sit quàm intima præsentia, ergò tam informat secunda quàm prima, quod probatur manifestè, nam V.

Secunda anima tam est intimè præsens materiæ, ergo sic informat.

nam essentia vnionis secundùm hos auctores consistit formaliter in solâ intimâ præsentiâ, sed tam est intimè præsens secunda quàm prima, ergo tam vnitur secunda quàm prima: sicut si aliquid esse album nihil aliud sit quàm albedinem esse intimè præsentem subiecto apto, si sit illi intimè præsens, non poterit subiectum non esse album.

VI. *Nec dici potest, vniri connotare absentiam alterius formæ.*

Dices secundò; ideò non vniri secundam animam, quia vnio connotat non esse aliam formam intimè præsentem materiæ. Contrà, ergo quando illa alia anima redderetur intimè præsens, iam nec prior informaret. Quod probo, nam vt forma informet connotat aliam non esse intimè præsentem, ergo si alia sit intimè præsens, non informat, ergo cùm primùm alia anima redditur intimè præsens, desinit prior informare materiam: quare enim posterior, vt informet, connotat aliam non informare, seu non esse intimè præsentem, potiùs quàm prior? Dices; quia prior informat antequàm adueniat altera. Contrà, si informare nihil aliud sit quàm esse intimè præsentem, iam etiam informabit secunda, cùm non minùs sit intimè præsens materiæ. Conf. si per Diuinam potentiam lapis in eodem loco seu intimè penetratus ponatur cum arbore, necessariò est in illo loco, nec connotat arborem ibi non esse, ergo eodem modo si informare materiam nihil aliud sit, quàm esse illi intimè præsentem, non potest connotare aliam formam non esse vnitam; nisi connotet non esse intimè præsentem, sed neutra, vt dixi, vnietur, vbi alia accesserit, vel vnietur vtraque.

VII. *Vlteriùs ostenditur informationem non esse intimam præsentiam.*

Dices tertiò; ideo informare primam, non secundam, quia Deus vult vt illa informet, non hæc; forma autem, vt informet, connotat talem voluntatem Diuinam. De hoc modo philosophandi postea: interim contrà primò, Deus vult primam informare, non secundam, ergo primam informare est aliquid aliud, quàm esse intimè præsentem, nam tam est intimè præsens materiæ secunda, quàm prima.

VIII. *Manente intimâ præsentiâ potest Deus velle vnã informare non alteram.*

Contrà secundò, ponamus Deum velle vt secunda anima informet, quæ priùs, licèt esset intimè præsens, non informabat, iuxta hos auctores, quæro quid aliud velit Deus? quàm priùs volebat? si velit aliud quàm esse eam intimè præsentẽ materiæ, ergo formã vniri materiæ est aliquid aliud quàm esse illi intimè præsentem, ergo est alia hæc voluntas, quàm voluntas vt sit intimè præsens, hæc enim erat antea, & non efficiebat illam vniri materiæ. Quod magis declarabitur postea. Conf. si Deus velit Petrum, Paulum, & Ioannem esse in hoc gymnasio, non potest non velle esse illic tres homines, hæ enim voluntates sunt synonymæ, ergo nec poterit non velle vt forma vniatur materiæ, si sit illi intimè præsens, si idem sit, eam vniri & esse intimè materiæ præsentem.

IX. *Possunt duæ animæ esse intimè præsentes materiæ, & vna tantum informare.*

Tertiò probatur conclusio, ponamus duas formas eiusdem rationis, duas animas rationales ex g. vel formas ignis, esse intimè præsentes eidem materiæ, & alteram solùm ex ijs informare, nempe formam A, postea velit Deus vt dum manent intimè præsentes, forma A desinat informare, & forma B informet, quæro quid vult Deus minùs ex parte prioris formæ, & magis ex parte secundæ quàm antea? si quid aliud velit præter meram præsentiam localem, ergo vnio non est sola præsentia localis, hæc enim est æqualiter adhuc volita in vtrâque formâ, ergo aliquid aliud vult, nempe deunionem, seu destructionem vnionis ex parte vnius, & productionem vnionis ex parte alterius, nec enim apparet quid aliud velit. Conf. Angelus formas illas videns intuitiuè, quid diuersum in vnâ videbit ab alterâ, & quam mutationẽ, quando Deus secundam vult informare materiam, quæ eam priùs non informabat?

X. *Vt videat Angelus animam informare, non est opus vt videat voluntatem Diuinam.*

Dices; si videat voluntatem Diuinam, videbit quæ informet, quæ non, non tamen si videat sola extrema. Contrà primò, ergo non potest Angelus videre vtrùm forma aliqua substantialis vel accidentalis informet materiam, nisi videat voluntatem Diuinam, quo nihil magis peregrinum in Philosophiâ dici potest. Contrà secundò, ergo Angelus viribus naturæ nullum compositum intuitiuè videre potest, cùm voluntatem Diuinam naturaliter videre nequeat, cùm sit ipse Deus. Contrà tertiò, voluntas Diuina non ingreditur constitutionem hominis in genere causæ formalis, sed solùm efficienter concurrit ad constitutionem & destructionem compositi, quatenus scilicet præbet, vel suspendit concursum ad productionem vnionis, aut alterius ex extremis.

XI. *Sequitur humanitatem Christi fuisse vnitam Patri.*

Quartò probatur, si sola indistantia localis, seu intima præsentia sufficiat ad rationem formalem vnionis, Humanitas Christi tam fuisset vnita Patri & Spiritui Sancto, quàm Filio, cùm æquè à duabus illis Personis indistans sit, quàm à secundâ. Imò omnes tres Personæ Diuinæ sunt intimè præsentes humanitatibus, & Angelis, quibus non vniuntur Hypostaticè.

XII. *Eadem gratia informaret duas animas sibi intimè præsentes.*

Quintò, si vniri nihil aliud sit quàm intima duorum præsentia proportionem inter se habentium vt vniantur, sequeretur, si dæmon aut anima aliqua separata, quæ non est in gratiâ, intimè se redderet præsentem Petro, verbi causâ, in gratiâ existenti, sequeretur inquam, non minùs dæmonem, vel animam illam informatum iri gratiâ, quàm hunc hominem, cùm ibi sit tota essentia informationis, nempe intima præsentia gratiæ cum animâ illâ, vel dæmone.

XIII. Si autem recurratur ad illud, quòd Petrus priùs gratiam illam habuerit, hoc impugnatum est suprà n. 5. 6. & 7 Deinde, non vitatur difficultas: ponamus enim animam illam separatam, quæ est sine gratiâ, intimè se reddere præsentem in instante A, Petro item sine gratiâ existenti, si Petro in instante B conferatur gratia, æquè reddet animam illam gratam, si gratiam informare nihil sit aliud, quàm esse eam animæ præsentem, cùm vtrique sit æquè præsens. Et idem est si anima, quæ est in gratiâ, vt quatuor, intimè se reddat præsentem alteri, quæ habet gratiam vt sex, hæc enim gratia quoad excessum illum duorum graduum illam informabit, & illius gratiam intendet.

SECTIO II.

Praecluduntur tres aliæ viæ negandi vnionem distinctam.

I. *Vnio est aliquid præter materiam, formam, & talem complexionem accidentalem.*

Dicunt ergo alij, vnionem nihil esse aliud quàm corpus, animam, & talem complexionem accidentium, seu dispositionum. Contrà primò, sic omnis homo esset partim compositum accidentale, cùm dispositiones sint accidentia, quod idem est de igne, equo, & omni alio composito. Confirmatur, dispositiones sunt quid præsuppositum ad vnionem, ergo non sunt vnio. Antecedens patet ex ipsa significatione nominis, calor enim & siccitas disponunt materiam ligni ad ignem, & non sunt aliquid substantiæ ignis. Conf. secundò, ipsa dispositio vnitur: inquiro per quid? non per aliam dispositionem, sic enim abiretur in infinitum, ergo per vnionem. Contrà secundò, potest per Diuinam potentiam constitui compositum substantiale, ignis v.g. vel lignum cum dispositionibus contrarijs, ergo à fortiori induci poterit forma in materiam conseruatam sine omni dispositione, ergo dispositiones non sunt de es-

Potest forma stare cum dispositionibus contrarijs.

sentiâ physicâ compositi, ergo vnio est quid ab illis distinctum, cùm nec per Diuinam potentiam compositum sine vnione, seu compositione fieri possit.

II. Contrà tertiò, gratis enim dicitur requiri talem determinatam complexionem accidentium ad formam numero tantùm ab aliâ distinctam, cùm plurima videamus accidentia manere in genito & corrupto.

III. *Saltem in gratiâ concedenda est vnio distincta.* Contrà quartò, saltem in gratiâ, & qualitatibus supernaturalibus concedenda est vnio distincta, alioquin anima reddens se alteri intimè præsentem, esset grata per gratiam alterius, hîc enim nullæ requiruntur dispositiones.

IV. *Vnio non potest esse noua formalitas.* Tertiò, alij vnionem asserunt tantùm esse formalitatem quandam à materiâ, formâ, & dispositionibus formaliter non realiter distinctam. Hæc opinio est omnium difficillima, dicit enim esse iam aliquid physicè & realiter quod antea physicè & realiter nô erat, & tamen nô distingui realiter ab eo quod physicè antea & realiter erat, quod est inintelligibile. Longè ergo præstat modum realiter distinctum statuere, quàm miram hanc formalitatem.

V. Secundò, si emergat de nouo hæc formalitas, ergo aliqua actio de nouo ad eam terminatur, alioqui non produceretur, sed esset à se, quod dici nullo modo potest.

VI. *Vnio realiter perit ergo non est formalitas.* Tertiò, cùm anima destruitur, vnio realiter perit, quæ antea realiter existebat, ergo realiter distinguitur à materiâ, formâ, & dispositionibus, cùm hæ adhuc realiter maneant, idem autem nequit realiter esse simul & non esse.

VII. *Eodem modo diceret aliquis albedinem esse tantum formalitatem.* Quartò, quia hoc modo dicere quis posset albedinem & omnes colores nihil esse aliud quàm nouas formalitates: &, si dicas, ad oculum patere albedinem & accidentia perire. Contrà, non minùs certum est & quotidianâ experientiâ compertum destrui vniones inter materiam & formas substantiales & accidentales, ergo si illa experientia arguat distinctionem realem, hæc etiam arguet. Certè existimo, eâdem planè probabilitate & facilitate sustineri vnum posse atque alterum.

VIII. Quartò itaque, nonnulli vnionem aiunt esse materiam, formam, & talem voluntatem virtualem Dei.

IX. *Vnio non potest consistere in voluntate Dei.* Contrà primò, non enim apparet quænam sit hæc voluntas Diuina, diuersitas enim hæc voluntatis Diuinæ desumi debet ex diuersitate obiecti, ergo si obiectum hîc & nunc sit planè idem atque antè, voluntas non potest esse diuersa. Si autem obiectum in quod per hanc volũtatem fertur Deus, sit diuersum, quæro quidnam illud sit? non intima præsentia, nec dispositiones, vt ostensum est, ergo nihil aliud esse potest quàm modus ab vtroque extremo distinctus.

X. *Diceret eodẽ modo quis posse quem esse calidum per voluntatem Dei.* Contrà secundò, eâdem enim probabilitate & facilitate (vt suprà dixi in simili) defendi posset parietem esse album, calidum, aut frigidum, aërem esse lucidum, nihil aliud esse quàm parietem aut aërem cum tali voluntate diuinâ: eodem enim modo dici posset parietem cum tali virtuali voluntate diuinâ esse aptum disgregare visum sine nouâ qualitate superadditâ, sicut hîc dicitur materiam & formam esse vnitas sine nouâ vnione, ex solâ additione talis voluntatis diuinæ.

XI. *Quid velit aliud Deus, quando vult eas vniri, & non vniri.* Dices; materiam & formam, cùm sint entia incompleta, esse apta vt vniantur seipsis, si Deus velit. Contrà primò, possunt existere etiam intimè præsentes & non vniri, vt ostensum est suprà sec. 1. ergo vniri est aliquid aliud. Nec dicas deesse voluntatem Diuinam, quia, vt dixi, si voluntas Diuina vt vniantur, nihil aliud sit quàm voluntas vt sint intimè præsentes, tam est illa voluntas quando non vniuntur, quàm postea, nam eadem est: si sit diuersa, assignetur quid diuersum velit ab aliâ, & si aliquid aliud velit ex parte obiecti, habeo intentum, iam enim est vnio, & aliquid aliud præter materiam, formam, & voluntatem Diuinam.

XII. *Voluntas Dei non est quid intrinsecè constituens ignem, aut hominem.* Contra 2. voluntas Diuina non est quid intrinsecè constitutiuum hominis, aut alterius compositi, sed solùm quid extrinsecum, & efficienter tantùm, non formaliter concurrit ad vnionem, vel devnionem formæ à materiâ, in quantum scilicet præbet vel subtrahit concursum ab vnione, sicque solùm mediatè concurrit ad constitutionem, vel destructionem compositi, quatenus scilicet immediatè producit aut destruit vnionem per quam formaliter compositum constituitur.

XIII. *Angelus non potest videre vllum compositum.* Conf. sic enim, vt dixi sec. præcedente nu. 10. Angelus nunquam intuitiuè videre poterit vllum compositum naturale, siue substantiale illud sit, siue accidentale, cùm voluntatem Diuinam videre naturaliter non possit.

SECTIO III.

¿Peculiaris quidam modus negandi vnionem distinctam.

I. *Nouus Philosophandi modus circa vnionem.* ALij tandem, vt vnionem negent, & simul argumentis iam factis satisfaciant, sic procedunt. Primò itaque accidentia omnia ad tale numero subiectum determinata esse asserunt, ita vt alteri inesse non possint: albedinem A ex. g. aut calorem ita aiunt hunc numero parietem, aut manum, quibus insunt, respicere, vt alteri manui aut parieti inesse nequeant vel diuinitùs. *Accidens vnius tantùm subiecti informatiuũ.* Idem dicunt de qualitatibus supernaturalibus; vnde gratiam, quę est in animâ Petri, affirmant nullo modo vniri posse animæ Pauli, vel alteri numero distinctæ. Vnde, inquiunt, licèt albedo, calor, gratia, & alia omnia accidentia conseruari possint à subiectis separata, non tamen alijs vniri, hæc enim sunt prædicata diuersa, & separari ab inuicem possunt.

II. *Idem dicunt de formâ substantiali.* Eodem modo philosophantur de formâ substantiali materiali; aiunt enim, licèt materia plurium successiuè formarum sit susceptiua, quæuis tamen, non forma tantùm, sed formæ particula illam, cui inest, materiæ particulam ita respicit, vt aliam materiæ partem informare nullâ ratione possit.

III. *Quomodo non necessaria vnio distincta.* Hinc inferunt, vt vel accidens aliquod, vel forma materialis subiectum suum informet, non esse opus vnione distinctâ: vnio enim statuitur ad tollendam indifferentiam, hîc autem nulla est indifferentia, cũ forma omnis ad hoc numero subiectum sit determinata, nec aliud informare possit. In solo homine, quia anima successiuè informat diuersas partes materiæ, statuunt vnionem à corpore & animâ distinctam, non quidem modalem, seu extremis essentialiter affixam, sed quæ loco ab iisdem separata existere possit, alia tamen quàm hæc numero extrema afficere non potest.

IV. *Quid de homine dicendum.* Hoc modo saluant quo pacto duæ animæ sibi inuicem intimè præsentes, nô reddantur gratæ eâdem gratiâ: quo pacto etiam duæ similiter animæ cũ eodem corpore penetratæ, non simul illud informent, sed prior tantùm, si vna accedat post aliam, & materiam ab eâ informatam inueniat. Si verò simul cum materiâ penetrentur, neutra eam informabit, donec Deus determinet vtra vnionem sui cum materiâ producet. Denique hac viâ difficultates omnes commodè expediri existimant, quæ pro vnione modali hactenus sunt propositæ.

V. Hic modus philosophandi, quo ingeniosi quidam

dam recentiores vtuntur, omnium minimè displicet, & meo iudicio, propiùs abest à veritate, Abest tamen.

VI. *Impugnatur hic dicendi modus.* Primò, non enim satis firmum adferunt fundamentum ad rem tam miram probandam, atque est non posse illam lucis particulam, quæ est in hac parte aëris, produci vel diuinitùs in aliâ, nec gratiam quæ est in animâ Petri, aliam animam informare numero tantùm distinctam.

VII. *Aliud est de formis absolutis, aliud de modalibus.* Dicunt primò; hoc nō magis mirum esse in luce, gratiâ, igne, & alijs formis, tum substantialibus, tum accidentalibus, quàm in vnione eiusdem lucis cum illâ parte aëris, quam tamen nos asserimus alteri aëris parti vniri non posse, vel diuinitùs. Sed contrà, vnio enim ex conceptu suo habet quòd sit affectio, vel adhæsio talis partis lucis ad hoc numero subiectum, at in luce, calore, gratiâ, & formis substantialibus corporeis nullum relucet eiusmodi prædicatum, & si quis in eis tale aliquod prædicatum ponat, gratis ponit.

VIII. Dicunt secundò; nullum dari huius rei indicium, quòd scilicet calor, qui est in hac parte manus, vel forma aquæ, quæ est in hac materiâ, possit informare aliam, etiam diuinitùs. Contrà, nec vllum est indicium quòd possit causa aliqua efficiens agere in distans, aut corpus circumscriptiuè esse in duobus locis, & similia, quæ tamen hi auctores passim admittunt.

IX. *Secundò impugnatur hæc sententia.* Secundò impugnatur hic procedendi modus: Ponamus materiam dispositam, & formam equi existere, sed loco à se inuicem disiunctas, ponat Deus postea formam illam intimè præsentem materiæ: iam secundùm ipsos, est equus, & nouum compositum physicum, quæro quid hic substantiale de nouo producatur, & ad quid noua actio substantialis, qua equus iam producitur, terminetur? non ad materiam, nec ad formam, nec ad vtramque, antea enim ad vtramque terminabatur actio.

X. *Prima responsio reijcitur.* Dices; non terminabatur antè ad vtramque vnitam. Contrà, esse eas vnitas, est aliquid substantiale distinctum à materiâ & formâ, vel non: si non sit quid substantiale ab ijs distinctum, ergo vel antea erant substantialiter vnitæ, vel iam non sunt, cùm nihil substantiale modò sit, quod antè non erat; si verò esse eas vnitas sit aliquid substantiale à materiâ & formâ distinctum, ergo datur tertia entitas substantialis in equo præter materiam, & formam, nempe vnio.

XI. *Si antea non fuit sola materia & forma, antea erat totum.* Dices; illud tertium quod iam est, & antea non erat, est totum. Contrà, insisto priori argumento, vel hoc totum est quid substantiale distinctum à materiâ & formâ, vel non: si non, ergo antea erat totum; si sit quid substantiale ab ijs distinctum, ergo vnio, quod intendimus. Conf. Angelus intuitiuè videns equum bene, vel aliquid substantiale videt, quod in partibus antea non videbat, vel non: si nihil noui videat, ergo non magis videt equum iam, quàm antea; si videat, videt vnionem, ergo.

XII. Idem argumentum fit in destructione equi, si nimirum Deus formam equi non destruat, sed à materiâ separatam conseruet, tunc enim equus verè destruitur, corpus enim equi putrescet, & in vermes ac saniem diffluet, non minùs quàm si forma destrueretur. Cùm ergo totum hîc destruatur, & vtraque pars substantialis maneat, totum necessariò includit aliquid distinctum à partibus.

XIII. *Partes simul sumptæ aliquid includunt præter partes.* Dices; includit aliquid substantiale distinctum à partibus sigillatim, non tamen simul sumptis. Contrà, ergo partes simul sumptæ aliquid substantiale diuersum includunt à materiâ & formâ. Inquiro quid hoc sit? non præsentia localis, hæc enim est accidens, productio autem vel destructio substantialis habere debet terminum substantialem, ergo hic terminus est vnio, cùm nihil excogitari aliud possit.

XIV. *Idem ostenditur in productione hominis.* Eadem difficultas est in homine in hac sententiâ statuente vnionem non modalem, sed absolutam, si enim existere possit vnio separata ab extremis, ergo homo est aliquid aliud præter animam, corpus, & vnionem, & quando hæc vnio redditur intimè præsens corpori & animæ, & homo seu totum substantiale producitur, compositum hoc nouum substantiale aliquid substantiale includit quod antea à parte rei non existebat, ac proinde aliquid aliud præter corpus, animam, & vnionem. Quidquid respondeant, recurrunt argumenta omnia contra materiam & formam equi superiùs posita. Idem est quando homo non per destructionem vnionis, sed per solam illius separationem ab animâ & corpore, destrueretur.

XV. *Nihil horum sequitur si ponatur vnio modalis.* Dices; eadem est difficultas in sententiâ statuente vnionem modalem. Nihil minus. Primò enim illius sententiæ auctores in productione & destructione hominis semper statuunt nouum terminum substantialem, nempe vnionem. Deinde, vnionem talis dicunt esse naturæ, vt nec diuinitùs ab extremis separari possit, quin destruatur. His autem circa vnionis naturam statutis, facilè soluuntur omnia quæ contra hunc philosophandi modum supra sunt allata, vt consideranti patebit.

SECTIO IV.

Vnio in composito est modus ab extremis distinctus.

I. *Ostenditur vnionem esse modum distinctum.* ITa Soarez d. 15. Met. s. 6 Vasq. to. 1. in 3 p d. 19. n. 23. Tann. 3 p. d. 1. quæst. 3. dub. 4. Albert. in Prædic. subst. d. 4 sect. 1. Hurt. hîc d. 5. s. 1. Arriaga hîc d. 4. s. 1. Ouiedo controu. 4. Phys p. 1. Tolet. Rubius, Murcia, & alij. Et videtur S. Thom. 3. p. q. 2. ar. 7. corp. saltē quoad vnionem Hypostaticam. Ratio à priori huius conclusionis, est quam suprà declarauimus quia scilicet nil excogitari aliud potest in quo conceptus vnionis statuatur. Confirmatur, realis separabilitas est signum euidens realis distinctionis, sed materia & forma possunt separari realiter ab vnione, vt patet in materiâ & animâ cuiusuis hominis morientis; in accidentibus item Eucharisticis, & diuinitùs quæuis forma materialis conseruari potest separata à materiâ; sed in his casibus manent extrema, & pereunt vnio, ergo vnio realiter ab ijs distinguitur.

II. *Probatur secundò, quia productio hominis est generatio.* Secundò probatur, quando homo producitur, est vera generatio substantialis, ergo actio illa habere debet terminum aliquem substantialem, sed non est alius quàm vnio, ob quam scilicet generatam immediatè, & vt est terminus formalis generationis, dicitur totum generari, ergo Maior est certa, nam actio substantialis terminum habere debet substantialem. Minor probatur, materia & anima creantur, ergo non est aliud quod generetur, nisi vnio, ergo in hac generatione dari debet vnio distincta & à materiâ & animâ, ratione cuius dicatur homo generatus. Hanc autem vnionem in homine esse debere modalem probatum est sec. præcedente, vbi etiam idem ostendi in hominis destructione.

III. *Totum generari nequit, nisi ratione alicuius in toto inclusi.* Dices primò, licèt materia & anima creentur, & maneant, totū tamen in productione hominis generari, & totum in eiusdem corruptione destrui. Contrà, totum quà totum non potest generari, nisi ratione alicuius substantialis in toto inclusi, sed nihil in toto, nempe homine, inclusum generari potest, seu educi ex potentiâ materiæ, præter vnionem, vt constat, ergo vt dicatur homo generatus, generari de-

ti debet vnio, quæ est forma compositi, seu totius vt totum est.

IV. *Productio accidentium non sufficit ad generationem substantialem.*

Dices secundò; dispositiones educi, & ratione illarum dicitur compositum, seu homo generari. Contrà primò, productio dispositionum non est substantialis actio, sed accidentalis cùm dispositiones sint accidentia, ergo alius dari debet terminus substantialis, ratione cuius generatio hominis dicatur generatio substantialis. Contrà secundò, productio dispositionum est naturâ prior generatione substantiali hominis, aut alterius compositi, ergo productio dispositionum non est formaliter illius generatio, prius enim est materiam esse dispositam seu aptam, quàm formam vel vnionem in eâ recipi aut educi. Contrà tertiò, potest Deus producere aut conseruare hominem concursu generatiuo sine omni dispositione, ergo ratione alicuius alterius dici debet homo ille generari, non creari.

V. *Subsistentia non est de essentiâ compositi.*

Eodem modo impugnatur eorum solutio, qui dicunt actionem generatiuam terminari ad subsistentiam. Contra quod est, quia subsistentia non est de conceptu compositi vt compositum est formaliter, sed solum quid illud consequens. Deinde potest Deus conseruare compositum sine omni subsistentiâ. Præterea, in generatione Christi ad quid terminabatur actio generatiua, cùm ibi nulla fuerit subsistentia creata? ergo &c.

VI. *Compositio formalis & effectiua.*

Maneat ergo vnionem esse aliquid realiter ab vtroque extremo distinctum, & rationem formalem per quam materia & forma inter se vniuntur, & cõstituunt vnum per se, ac proinde esse formam compositi vt compositum est, seu ipsam compositionem formalem. Actio verò productiua vnionis est compositio effectiua, seu quæ efficit compositionem formalem: vnde agens effectiuè constituit compositũ, ac remotè; partes verò & vnio immediatè, & formaliter. Quod autem de composito substantiali dicimus, dici eodem modo debet de accidentali, cùm saltem diuinitùs conseruari possint accidentia separata à subiecto, vt fide constat in Eucharistiâ.

SECTIO V.

Argumenta contendentia vnionem non distingui ab extremis.

I. *Mens Aristotelis & S. Thomæ de vnione.*

OBiicies primò; Aristotelem 8. Met. c. 7 & S. Thomam ibidem, qui affirmare videntur materiam & animam immediatè & sine nexu alio vniri. Resp. Aristotelem, vt ex contextu colligitur, solùm velle non vniri per aliquid quod mediet *vt quod*, sicut ferrumen, aut gluten mediat in artefactis, hoc enim disiungeret illas potius, sicut truncus arboris ramos disiungit à radice, esto enim illa inter se connectat, immediatiùs tamen coniungerentur si truncus abesset. S. Thomas autem solùm negat vniri animã materiæ mediis dispositionibus accidentalibus, sic enim homo esset partim compositum accidentale. Quando ergo aiunt Aristoteles & S. Thomas vniri animã & corpus sine aliquo medio, intelligendi sunt de eo quod est propriè medium, vnio enim, sicut & modi omnes, censetur quasi idem cum extremis, cum existere sine iis nequeat, vel diuinitùs, ac propterea à multis dicitur modaliter, non realiter ab iis distingui. Quòd autem dicat Aristoteles vnionem esse aliquid distinctum à partibus, clarè cernitur 8. Met. cap. 6. initio, vbi expressè ait; Totum esse aliquid distinctum à partibus & quid iis superadditum includere.

II. Obiicies secundò; si aliquid mediet inter materiam & formam, ergo non vniuntur immediatè, cõtra omnes, Resp. mediationem vnionis non impedire immediatam earum connexionem, hæc enim necessariò mediare debet, alioqui non omnino cõnectentur. Ratio ergo vniendi non impedit immediatam connexionem, cùm solùm mediet *vt quo*, seu vt ratio formalis quâ vniuntur extrema, non *vt quod*, seu quod egeat nouâ vnione. Sic agens dicitur immediatè agere licèt mediet actio. Sic in omnium sententiâ oculus immediatè videre dicitur colorem, licèt mediet visio; imò hæc necessariò mediare debet, alioqui omnino non videret, cùm visio sit ratio formalis per quam redditur oculus videns. *Vnio non obstat immediatæ partium connexioni.*

III. *Quid sit aliqua vniri immediatè.*

Tunc ergo dicuntur aliqua immediatè vniri, videri, aut produci, cùm nihil inter illa interuenit quod non sit vnio, visio, vel actio, quòd autem hæc interueniant, est necessarium, cùm sint ipsæ rationes formales vniendi, videndi, & agendi.

IV. *Ex vnione distincti non sequitur processus in infinitum.*

Obiicies tertiò; sequi processum in infinitũ, cum vnio egeat aliâ vnione vt vniatur. Resp. negando sequelam, sicut enim iuxta Aristotelem, vt suprà vidimus, actionis non datur actio, ita nec vnionis vnio. Cuius ratio est, quia vnio est actualis vnitiu per essentiam, ac proinde vniendo extrema *vt quod*, seu vt illa quæ vniuntur, vnit se illis *vt quo*, seu vt ratio formalis illa connectendi: ad hoc autem non eget aliâ vnione, cùm hoc habeat per essentiam, & sit essentialiter ipsum exercitium vniendi.

V. *Voluntas diuina non est de formali conceptu compositi.*

Obiicies quartò, extrema cum voluntate diuinâ, quâ scilicet vult Deus vt vniantur, iam non sunt indeterminata, seu indifferentia, sed maximè determinata ad se inuicem, ergo non requiritur vnio distincta ab extremis, cùm ob indeterminationem poni soleat vnio, hic autem per voluntatem diuinam penitùs tollitur indeterminatio, ergo &c. Contrà primò, eodem modo posset quis dicere, parietem album nihil esse aliud quàm parietem cum tali voluntate diuinâ, nempe cum voluntate vt sit albus. Dico itaque, sicut ibi intelligi non potest paries albus sine albedine, quantumcunque ponatur voluntas Dei vt sit albus, ita nec extrema hîc vnita sine vnione, cùm esse vnitum æquè sit nouus effectus physicus, ac esse album. Ad id autem quod dicitur, extrema esse determinata à voluntate diuinâ, distinguo, sunt determinata *effectiuè* (quo etiam modo paries per eandem est albus) concedo antecedens; *formaliter*, nego. Voluntas enim diuina tantum *effectiuè* concurrit, tum in vno, tum in alio, nec nisi mediatè, hîc scilicet producendo vnionem, ibi albedinem; immediatè autẽ & formaliter sunt extrema vnita per vnionem, sicut paries formaliter & immediatè est albus per albedinem. *Voluntas Diuina determinat ad vnionem effectiuè.*

VI. *Differentia inter vnionem, & Relationem.*

Obiicies quintò; sicut in probabili sententiâ, potest paries albus esse similis alteri merè per solã positionem alterius sine modo superaddito, ita & partes vniri sine aliquo intrinseco superaddito. Resp. primò, in illâ similitudine vnius parietis albi ad alterum, saltem aliquid superaddi, nempe alium parietem, ergo & hîc debet aliquid superaddi, nihil autẽ aliud addi potest præter vnionem, vt iam probauimus. Resp. secundò, omisso pro præsenti antecedente, negando sequelam, nam ibi nihil aliud requiritur vt sint similes in albedine, nisi vt existat vterque albus, ita vt positâ vtriusque existentiâ in albedine, non possint, nec per diuinam potentiam impediri quo minùs sint similes secundùm illam sententiam: at hîc positis materia & forma, potest non constitui cõpositum, ergo constitui compositum est aliquid aliud præter materiam & formam.

SECTIO VI.

Vtrum vnio in Composito naturali vna sit, vel duplex.

I. *Sermo præcipuè est de homine.* SErmo est de essentiali, & in eâdem parte materiæ, nam certum est, integraliter tot esse vniones, quot partes in composito distinctas, alia enim est vnio capitis, alia pedis, &c. Et difficultas præcipuè procedit in homine, qui cùm duas habeat partes, ita inter se diversas, alteram scilicet spiritualem, alteram corpoream, & vnio vtramque attingere debeat, variè opinandi auctoribus occasionem præbuit.

II. *P. Suarez vnam statuit in homine, & spiritualem.* P. Soarez itaque d. 15. Met. f. 3. fine, & d. 18. s. 2. vnâ ait esse vnionem in omni composito; inter animam verò & corpus hominis vnam, eamque spiritualem. Cuius ratio videtur esse, quia tota actiuitas agentis est circa formam, ergo quicquid de nouo facit agēs est in formâ. Resp. tamen agens non intendere formam quomodocunque, sed formam vnitam, ac proinde vult illam in materiâ, ergo hoc non obstante esse poterit vnio etiam in materiâ, adeoque duplex. Deinde in homine anima creatur, ergo nulla actiuitas agentis creati exercetur circa formam, nisi vt vnitam.

III. *P. Vasq. vnam etiam ponit, & spiritualem.* P. Vasq. Vnam etiam vnionē ponit in homine, & spiritualem, ob quam causam sit subiectari in solâ animâ, quia spirituale in materiali subiectari, inquit, non potest. Resp. posse rem spiritualem subiectari in aliquo materiali; sicut è contra dicūt multi actus vitales materiales in homine, vt actus visionis, & omnium sensuum subiectari partialiter in animâ rationali spirituali,

IV. *P. Hurtado duplicem statuit in omni composito.* Tertiò, P. Hurtado, quem multi sequuntur ex recentioribus, ait duplicem ponendam in omni composito naturali vnionem, alterā se tenentem ex parte materiæ, & in eâ subiectatam, quam materializationem appellat, alteram subiectatam in solâ formâ, quam vocat informationem, ex quibus per aggregationem vna coalescit vnio totalis, per quam completè constituitur compositum.

V. *In quouis composito vna tantum est vnio.* Dicendum, in quouis composito substantiali vnā tantùm esse vnionem. Ratio à priori, quia vnica vnio sufficit ad faciendum compositum, nam vnio ex essentiâ suâ est connexio duorum extremorum, ac proinde petit essentialiter vtrumque afficere, & cōnectere, ergo ex conceptu suo essentiali vnio est nexus duorum, & eorum compositio, nec vlla potest dari vnio tam partialis quæ non sit duorum vnio. Ad argumentorum verò solutionem

VI. *In quo sita sit ratio perfectiui, & perfectibilis.* Notandum, rationem perfectiui & perfectibilis non in eo vniuersim consistere, vt voluor aliqui, nēpe vt id, quod aliud perficit, ex illius potentiâ educatur, nec enim minùs perficeretur materia ab animâ rationali, vel aliâ formâ, quoad perfectionem essentialem seu substantialem spectantem ad compositum, si vnio inter animam & corpus crearetur, quā modò dum generatur; nec minùs perfectus esset ille homo substantialiter, cuius vnio crearetur, quàm alter, cuius vnio generaretur; ad perfectionem enim hominis parum refert quâ actione vnio producatur, generatione an creatione, naturali an supernaturali: imò si omnino nullâ actione produceretur vnio, sed esset à se, non minùs esset ille homo perfectus, nec materia minùs haberet omnem perfectionem in ratione primi subiecti, & constitutione compositi naturalis, quàm modò. Verum quidem est, si crearetur vnio, non habituram in se materiam actionem generatiuam, sicque non omnem perfectionem hoc sensu, quam haberet, si vnio generaretur: per actionem autem illam non perficitur omnino materia in ordine ad compositum, vt diximus, sed solùm accidentaliter.

In hoc verò consistit ratio perfectibilis, quod ex natura sua incompletionem quandam habeat, seu potentialitatem ad actuationem aliquam, ita vt quædam quasi sit in se illa vacuitas, quæ per formam, vel quasi formam compleatur. VII.

VIII. *Cur Verbū Diuinum non ē. forma per vnionem Hypost.* Ex his deducitur, quare, licèt Verbum Diuinum intrinsecè vniatur humanitati, & sit terminus intrinsecè illius vnionis, ab ea tamen non perficiatur, sicut materia & forma à se inuicem, & ab vnione perficiuntur. Ratio ergo est tum quia Verbum ex essentiâ suâ est immutabile, tum etiam quia non est quid incompletum, nec potentialitatem in se vllam, aut quasi vacuitatem connotet. E contrâ, cùm ratio perfectiui vt sic in eo consistat, vt possit per intimam coniunctionem cum alio conferre ipsi aliquid quod deerat, licèt nihil conferenti desit id non cōferat, Verbum Diuinum potest esse perfectiuum alterius, cùm possit perfectiori modo supplere defectum alicuius creati per intimam sui exhibitionem, & coniunctionem cum illo. Non tamen potest Verbum esse forma, quia forma ex conceptu suo essentiali est quid incompletum.

IX. *Vtraque pars perficitur eadem vnione.* Obijcies primò; vtrumque extremum debet perfici, ergo debet esse duplex vnio, altera materializatio per quam perficiatur materia, altera informatio per quam perficiatur forma. Resp. Vnicâ vnione vtramque perfici posse, cùm per vnicam vtraque accipiat suam compartem, & perfectionem sibi connaturaliter debitam ad munus ad quod à naturâ ordinatur. Si verò sermo sit de perfectione formali, de qua suprà, dici posset non esse proprium formę perfici hoc sensu, sed solius materiæ, cùm forma sit in completa actiuè, non passiuè, seu incōpleta vt perficiat, non perficiatur per modum subiecti. Verè tamē perficitur & à materia & ab vnione, cùm per vtramque compleatur.

X. *Perfici passiuè est solius materiæ, non formæ.* *Cur non datur in sit duplex relatio, non duplex vnio.* Obijcies secundò; Relatio prædicamentalis in opinione Aristotelis & S. Thomę qui illam distinguūt realiter à fundamento & termino, debet dari duplex vt sit perfecta, altera fundamenti ad terminum, altera termini ad fundamentum, ergo & hic vnio duplex, altera quæ referat materiam ad formam, altera quæ formam referat ad materiam. Resp. dispar rem esse rationem de relatione; & de materia & forma in ratione vnionis, cùm enim duo parietes sint loco dissiti, non possunt referri eâdem relatione, cùm illa in duobus simul locis esse nequeat.

XI. *Relatio respicit terminum vt purè terminum, non vnio.* Sed vrgebis, quando duæ res sunt necessariò semper coniunctæ, vt materia & forma materialis, vel accidens, res & modus &c. tunc nihilominus consequuntur duæ relationes, ergo pari modo & duæ vniones in composito. Resp. primò, tunc etiam fore duplicem relationem, quia debet relatio respicere terminum vt purè terminum, id est, non dando ei illam denominationem quàm denominationē extrinsecam respecti, quod non contingeret si subiectaretur relatio tam in termino quàm in fundamento. Vno autem, cùm sit respectus compartis ad cōpartem, videtur debere esse tantùm vna, cùm ipso facto quòd sit vnio inter compartes, illas inter se vniat proportionatè & constituat ex eis vnum per se. Secundò dico probabile esse posse eandem relationem in eo casu referre illa duo extrema ad se inuicem. Tunc verò dicendum, vel non esse puram relationem, vel respicere adhuc terminum vt purè terminum, licèt in quantum etiam illum refert ad aliud, eum informet, sed tunc respicit ipsum vt subiectum,

iectum, seu fundamentum, non vt terminum.

XII. *Multiplicitas sine necessitate non ponenda.* Obijcies tertiò; perinde est ponere vnam totalem vnionem, ac duas partiales. Resp. negando antecedens, nec enim ponenda est in rebus multiplicitas, nisi vbi est vrgens aliqua necessitas, quæ hic nulla est: alioqui in sole tot ponemus principia partialia realiter distincta, quot sunt effectus diuersi, vt aliam virtutem ad lutum indurandum, aliam ad ceram emolliendam, aliam ad lucem, aliam ad colorem, & sic de cæteris.

XIII. *Eadem forma diuersis subiectis diuersam dat denominationem.* Obijcies quartò, si materializatio & informatio sint eadem, ergo forma materializabit & materia informabit. Nego consequentiam, quid enim frequentius quàm eandem formam diuersis subiectis diuersam dare denominationem? sic visio oculum denominat videntem, & parietem visum; actio generatiua formæ materialis causam efficientem denominat agentem, materiam patientem, & formam seu terminum productum. Materializatio ergo & Informatio non sunt duo conceptus realiter distincti, sed ad summum ratione, nam eadem vnio, vt se tenet ex parte materiæ, est materializatio, & vt se tenet ex parte formæ, informatio.

SECTIO VII.

In quo subiecto sit vnio in composito.

I. *Res materialis subiectari potest in spirituali.* Dico primò: nullam apparere implicantiam, licèt vnio sit corporea, quo minùs recipiatur & in materiâ & formâ vt in subiecto, præsertim si dicamus cum aliquibus actus vitales materiales, vt visionis, auditionis, &c. recipi partialiter in animâ rationali, vt in subiecto; vt idem asserunt alij de subsistentiâ totali. Nulla proinde est implicantia vt res materialis subiectetur, saltem partialiter in spirituali.

II. *Vnio subiectatur in solâ materiâ.* Dico tamen secundò: mihi probabilius videri, vnionem subiectari in solâ materiâ, idque tam in alijs compositis substantialibus, quam in homine. Licèt enim implicantia afferri non possit, cur nequeat etiam vnio subiectari in forma, sufficit tamen maior aliqua congruentia, vt dicatur potiùs in materiâ subiectari, quàm in forma. Sicut licèt manifesta implicantia afferri non possit, cur vnio in homine non sit spiritualis, sed corporea, in sententia eorum qui eam ponunt vnicam, sufficit tamen, inquiunt, maior quædam congruentia, vt dicatur esse corporea.

III. *Primò, quia sola materia disponitur.* Primò ergo dici potest, subiectari vnionem in sola materia, quia materia sola disponitur ad receptionem vnionis, dispositiones enim recipiuntur in sola materia, non in forma. Dices; disponi materiam ad receptionem formæ, non vnionis. Contrà, non ad receptionem formæ quomodocunque, sed formæ vnitæ, ergo etiam disponitur ad receptionem vnionis. Cùm ergo forma non disponatur, signum est non recipi vnionem in forma, sed in sola materia: alioqui sicut potest naturaliter recipi in forma sine dispositionibus, cur etiam non posset sine ijs recipi similiter in materia?

IV. *Secundò quia Forma concurrit per modum actus, non potentiæ.* Secundò & præcipuè, quia forma non eodem modo concurrit ad constitutionem compositi, sicut materia, sed propria & sibi peculiari ratione, nempe vt actus, non vt potentia: vnde munus ipsius circa compositum non est per modum potentiæ, seu ad recipiendum, sed per modum actûs; & ad aliud actuandum, & hic modus est illi maximè proportionatus. Conf. sicut materia in ratione constitutionis compositi physici est pura potentia, ita forma est purus actus physicus, & hoc est quod dicunt Philosophi, *materiam & formam habere se sicut actum & potentiam.* Et hoc modo facile intelligi potest quod ait Aristoteles de principijs corporis naturalis, nempe, *ea esse opposita*, quod non de formâ tantum & priuatione, sed de materia etiam & forma intelligi potest, quæ opposito modo concurrunt ad constitutionem compositi, illa vt potentia, & purè recipiendo, hæc vt actus, & purè actuando.

V. *Cur forma non recipiat vnionem, sicut recipit subsistentiam.* Dices primò; forma etiam recipit subsistentiam, & modos aliquos, vt vbicationem, durationem &c. ergo & recipere poterit vnionem. Nego consequentiam, disparitas est, quia forma est solum actus physicus non potentia in constitutione compositi physici ex materia & forma: vnde in hoc munere constituendi debet esse actus, non potentia. Hoc autem non impedit, quin respectu substantiæ sit potentia, & subiectum, cùm hoc non sit quid spectans essentialiter ad physicam constitutionem compositi, cum tota essentia compositi substantialis esse possit sine subsistentia. Sicut licèt materia sit pura potẽtia Physica constitutione compositi physici, producit tamen secundum multos per emanationẽ suas passiones, vt quantitatem &c. imo etiam respectu subsistentiæ est hoc modo materia actiua.

VI. *Quomodo Forma sit perfectibilis.* Dices secundò; forma est perfectibilis, ergo petit connaturaliter perfici, ergo debet in se recipere vnionem per quam perficiatur. Distinguo antecedẽs, forma est perfectibilis per modum actus, concedo antecedens; per modum potentiæ, nego. Vnde essentia formæ est actuare, non actuari, hoc enim est proprium materiæ, & subiecti, sicque forma est incompleta actiuè, non passiuè, vt suprà diximus, id est, ordinatur essentialiter ad complendum aliud, seu ad illud informandum, non autem petit vt ipsa hoc modo compleatur, seu vt informetur ab aliquo alio, saltem in modo constituendi compositum, cùm in hoc munere sit purus actus physicus, non potentia.

VII. Vrgebis, ergo est perfectiuus, non perfectibile. Distinguo consequens, si per perfectibile intelligatur aliquid ordinatum vt sit potentia, seu subiectum in constitutione physica compositi, concedo consequentiam; hoc enim sensu forma est actus, non potentia, vt cum Aristotele docet communis Philosophorum sententia, & consequenter congruentius est vt in munere constitutionis compositi remoueatur à formâ omnis ratio potentiæ. Si autem per perfectibile intelligatur id quod petit vt aliud ipsi addatur per intimam vnionẽ, ad munus aliquod præstandum, nego formam non esse perfectibilem, hoc enim modo forma perficitur etiam intrinsecè, id est, accipit suam perfectionem intrinsecè sibi communicatam per vnionem, & est quid incompletum respectu, non solùm compartis tantùm, seu materiæ, sed etiam vnionis. *Forma etiã perficitur à materiâ & vnione.* Vnde videtur fermè quæstio de nomine, vtrum vnio sit etiam in formâ, modò dicatur non sustentari à forma, nec ex eius potentia educi. Certum enim est formam intrinsecè per vnionem coniungi materiæ.

VIII. *Quid sit esse terminum intrinsecum.* Restat solùm hîc explicandum quid sit esse terminum intrinsecum. Ad quod, notandum, vt in superioribus diximus, res quasdam esse quæ dicunt essentialem ordinem ad alia, qui proinde ordines seu relationes transcendentales vocantur, ea verò quæ respiciunt hi ordines, sunt istarum rerum seu ordinum termini. Quapropter relationes istæ vocantur viæ & tendentiæ ad illa; sic actio est via ad effectũ, visio ad obiectum, &c. Cùm ergo hi ordines ita respiciunt terminos, vt physicè ijs connectantur, & non solùm extrinsecè terminentur, vt visio, & cognitio respiciunt obiecta quibus non vniuntur physicè sed solùm intentionaliter & extrinsecè tunc, in-

 quam,

quam, termini illi dicuntur intrinseci, vt effectus respectu actionis, forma respectu vnionis, & sic de aliis.

IX. *Quid sit respicere vt purè terminum extrinsecum.*

Respicere autem aliquid vt purè terminum intrinsecum, est ita illud respicere, vt intrinsece quidem illi vniatur, non tamen vt in re illâ cui vnitur, sit aliqua incompletio, seu potentialitas, vt sec. præcedente dictum est, n.7. Ex quo infertur, Verbum Diuinum respectu vnionis hypostaticæ esse purum terminum, vtpote quod est vsquequaque completum. Quæ de re fusè dixi disp.1. de Incarn. s. secundâ.

SECTIO VIII.

Sitne vnio eadem realiter cum actione productiuâ formæ.

I. *Duæ oppositæ sententiæ.*

AFfirmat P. Suar. d.13. Met. s.9. n.12. & alij ex recentioribus, quoad vnionem formarum materialium. Negat P. Hurt. d.5. Phys. s.2. & 3. P. Arriaga d.4. Phy. s.3. n.77. & plurimi ex recentioribus.

II. *Actio productiua animæ rationalis non est vnio.*

Dico primò: distinguitur realiter vnio ab actione productiuâ animæ rationalis. Ratio est clara, nam anima creatur, vnio autem in productione hominis generatur, cùm producatur vi agentium naturalium, illa autem iuxta communem sententiam creare non possunt, saltem de facto numquam creant.

III. *Possunt aliquando identificari vnio & actio.*

Dico secundò: nulla apparet implicantia cur actio eductiua formæ materialis non possit esse illius vnio cum subiecto. Quæ enim implicantia vt hi duo conceptus, qui aliquando inueniuntur separati nonnunquam inueniantur in eâdem entitate identificati, cùm nullam inuoluant in se contradictionem vel oppositionem? Sic eadem entitas est relatio similitudinis & dissimilitudinis ad albedinem & nigredinem, eadem est visio albedinis & nigredinis, eadem ratio vegetatiui, sensitiui, rationalis, &c.

IV. *Eadem potest esse visio albedinis, & nigredinis.*

Quæ tamen non ita capienda sunt quasi visio quæ semel est albedinis tantùm, postea fiat visio nigredinis, aut è contrà, sed quod detur tertia visio quæ in se contineat rationes vtriusque, & essentialiter sit visio albedinis simul & nigredinis, nec possit esse visio albedinis tantùm. Sic licèt vnio, quæ de facto est inter materiam & formam materialem, non sit illius eductio, sed aliud sit actio quâ producitur seu educitur è potentiâ materiæ, aliud vnio per quam informat materiam; quid tamen vetat hos duos conceptus in entitatem tertiam coalescere, & in eâ reperiri identificatos? Sicut etiam non apparet implicatio cur non possit actio creatiua animæ esse vnio animæ & corporis, & habere in se duos illos conceptos identificatos, qui communiter reperiuntur separati, nempe creationis & vnionis, licèt tunc anima eâdem actione non possit conseruari vnita & separata. *Creatio animæ potest esse illius vnio.* Tandem multi dicunt materiam & animam separatas habere suas partiales subsistentias, quando autem vniuntur perire partiales illas subsistentias, & aliam totalem resultare, quæ contineat in se rationes duarum partialium, & reddat materiam & formam subsistentes, per vnam subsistentiam totalem, quæ antea subsistebant duabus partialibus.

V. *Vnio distinguitur ab actione eductiuâ.*

Dico tamen tertiò: actio eductiua, seu generatiua formæ materialis non est illius vnio cum subiecto, vnio inquam, informationis per quam forma illa verè informat materiam, & constituit compositum: vnde si per diuinam potentiam daretur actio generatiua sine vnione informatiua, non constitueret compositum substantiale. Ita Hurt. & Arriaga citati, & alij.

Ratio conclusionis est primò; quia licèt, vt dixi, non repugnet, vt hi duo conceptus subinde identificentur, non tamen propterea sequitur identificari eos necessariò semper in omni actione eductiuâ: sicut etiam iuxta ipsos aduersarios, licèt non sit implicatio, cur vnio materiæ & formæ sit earum subsistentia, aut cur vnio sit sua vbicatio & duratio, cùm conceptus vnionis, & vbicationis, aut durationis inter se non opponantur, adhuc tamen vnionem ponunt distinctam ab vbicatione, duratione, & subsistentiâ, poni ergo similiter debet vnio distincta ab actione generatiua. VI. *Ratio est primò, quia nulla est hic necessitas.*

Dices; disparem esse rationem, ideò enim vnio distinguitur ab vbicatione, quia alioqui sequeretur, quoties compositum mouetur loco mutari & perire vnionem, & nouam emergere. Sed contrà, idem enim hîc sequitur inconueniens, quoties siquidem mutatur causa conseruatiua ignis, si vnio formæ ignis sit actio eius productiua, vel conseruatiua, toties etiam mutabitur vnio, cùm, agente mutato, cesset necessariò actio. VII.

Dices; hoc non sequi, nam licèt primò producatur ignis vel calor ab alio igne, postea tamen amoto illo igne conseruatur à solo Deo, & sic ad summum semel mutatur eius vnio, cùm semel tantùm mutetur actio. Contrà, Deus non operatur per se solum, nisi vt suppleat defectus causarum secundarum, ergo quoties succedit causa secunda potens producere & conseruare hanc formam, Deus non debet eam solus cõseruare, cùm hîc nulla vrgeat necessitas supplendi defectum, quippe vbi defectus non est. Quoties itaque applicatur aliud agens naturale potens effectum illum conseruare, Deus eum solus conseruare desinit, ac proinde toties etiam mutabitur actio conseruatiua formæ, & consequenter vnio, cùm secundùm hanc sententiam sint idem. VIII. *Deus non supplet defectum causarum secundarum, nisi vbi est necessum.*

Hinc infero, sequi ex hac sententiâ, ignem productum à sole, esse specie inadæquatâ distinctum ab alio producto à solo Deo, aut ab igne, & vniuersim loquendo, quoties agens est specie diuersum, effectus erunt specie inadæquatâ diuersi. Vnde etiam Adamus & Eua in primâ sui productione diuersam specie habuissent vnionem ab omnibus posteris, vtpote productam à solo Deo. Sic etiam idem numero homo, Petrus v. g. productus à suis parentibus, & conseruatus à solo Deo, esset specie physicâ diuersus à se, cùm tota vnio mutaretur specie physicâ ad mutationem agentis, sicut ad eiusdem mutationem specie mutatur actio. IX. *Adamus & Eua haberent vnionem specie distinctam ab vnionibus posterorum.*

Secundò probatur conclusio à priori: conceptus vnionis vt vnionis præcisè & formaliter, non est conceptus actualis dependentiæ, seu influxûs ab aliquo agente, sed solùm connexionis materiæ & formæ inter se, ad constituendum vnum compositum, & non vt connectantur quomodocunque, sed vt forma informet materiam, & materia recipiat denominationem formæ, sed hoc totum potest habere absque eo quod sit influxus in formam, ergo dicendum est ita esse, præsertim cùm, vt dixi, sit contra communem sensum omnium, non posse eundem omnino & adæquatè numero ignem conseruari successiuè à diuersis agentibus, sed pro varietate causarum mutari etiam vnionem. X. *Diuersus est conceptus actionis, & vnionis.*

SECTIO IX.

Soluuntur argumenta contendentia vnionem esse actionem eductiuam.

OBijcies primò, licèt omnis vnio materiæ & formæ non sit influxus eiusdem in formam, seu actio generatiua, vt constat in animâ rationali, &c. si I.

Deus

Fundamentum præcipuum contrariæ sententiæ.

Deus accidentia Eucharistica, aut formam materialem conseruatam actione creatiua vniret materiæ, è contrà tamen omnis actio generatiua est vnio, cùm ex vi illius, terminus connectitur inseparabiliter cum materiâ, ergo est nexus formæ cùm subiecto, ergo vnio.

II. *Cuiusdam responsio circa actionem generatiuam.*

Huic obiectioni vt respondeat quidam recentior, ait actionem generatiuam non esse ex conceptu suo connexionem intimam termini seu formæ cum subiecto, sic enim, inquit, esset informatio. Ait ergo partem A materiæ influere ex naturâ suâ in partem B formæ sibi proximam, & non in partem intimè sibi præsentem, ita vt tandem aliqua pars formæ possit connaturaliter, quantum est ex vi huius actionis, esse planè extra materiam, nisi vnio partes quasi cohiberet, & eas in ordinem redigeret.

III. *Passio intrinsecè immutat subiectum.*

Sed contrà primò, nam passio vt passio ex conceptu suo essentiali immutat subiectum, & illud denominet passum, ergo conceptus passionis est vt sit intrinseca subiecto, sed omnis actio eductiua est passio, seu influxus materialis, ergo omnis actio eductiua denominat subiectum passum intrinsecè, sicut actio denominat agens extrinsecè, cùm passio, iuxta Aristotelem & omnes Philosophos, debeat esse in passo, & passum pati à passione, & per illam immutari.

IV. *Eodem modo posset tota forma esse extra subiectum.*

Contrà secundò, eâdem probabilitate dici posset totam formam posse esse extra materiam, modò sit illi proxima, atque quod parua aliqua eius pars sit extra materiam: cùm enim nulla pars sit quæ non sit diuisibilis, non apparet cur non æquè possit materia influere in paulò maiorem partem formæ extra ipsam, sicut potest influere in illam, sicut in efficiente, vt ignis producat ignem, sufficit esse ignem producentem proximum ligno, quod in ignem conuertit.

V. *Quomodo forma pendeat à materiâ diuisibiliter.*

Dices; forma dependet diuisibiliter à materiâ, ergo ex vi actionis generatiuæ non est in materiâ. Distinguo antecedens, si per dependere diuisibiliter, intelligatur ita dependere formam à materiâ, vt tota materia non influat in singulas partes formæ (sicut contingit in agente, quod totum producit omnes partes formæ, & actionis) sed ita vt singulæ partes formæ, & actionis correspondeant singulis partibus materiæ seu passi, concedo; si autem per dependere diuisibiliter, intelligatur, formam dependere à materiâ separabiliter, id est, quòd stante hac actione diuidi à materiâ & separari possit forma, nego. Ita ergo pendet actio ab agente, vt ablatâ vel minimâ parte agentis necessariò pereat tota actio, & consequenter hoc sensu pendet actio ab agente indiuisibiliter, à materiâ verò non item, sed pars A formæ & actionis pendet à parte A materiæ determinatè, & pars B formæ & actionis à parte B materiæ, & sic de cæteris: vnde ablatâ parte A materiæ, non aufertur aut perit pars A actionis, sed solùm pars B ipsi correspondens: ablatâ autem parte B in agente, aut alia quacunque minimâ parte perit tota actio, sicut ablata minima parte obiecti, perit tota visio, quia indiuisibiliter respicit totum obiectum.

Actio materiam respicit diuisibiliter, causam efficientem indiuisibiliter.

VI. *Actio eductiua qua ratione vniat formam materiæ.*

Ad argumentum ergo nu. 1. positum respondeo distinguendo antecedens, omnis actio eductiua est vnio aliquâ ratione, concedo antecedens; est vnio informationis, nego: hæ enim diuersa habent munera, actio eductiua vt faciat formam dependere à materiâ, per modum in illam influentis, vnio autem informationis vt eam faciat informare materiam & constituere compositum; qui duo conceptus sunt separabiles. Sicut licèt subsistentia totalis, quam multi ponunt in composito, sit vnio materiæ & formæ, cùm vniat se vtrique, & actio alligatiua quâ Deus alligat Corpus Christi speciebus, licèt sit vnio aliqua, neutra tamen est vnio informationis, hæc siquidem est peculiaris vnio, & ex essentiâ suâ ordinata ad faciendum compositum, & vt denominet formam informantem, & tribuentem suos effectus formales materiæ, non dependentem ab eâ tanquam à causâ influente, vt clarè constat in vnione animæ rationalis, quæ illam denominat informantem materiam, non tamen ab illâ dependentem.

VII. *Per actionem generatiuam forma non est in materiâ, vt actus in potentiâ.*

Dices; per actionem generatiuam forma est in materiâ, vt actus in potentiâ, ergo per eam informat materiam. Nego antecedens, licèt enim per illam actionem sit actus in potentiâ, forma enim, vbicunque est, est actus in actu primò, & materia est potentia; non tamen est in materiâ vt actus, vt enim reducatur ad actum secundum informatiuum, requiritur peculiare genus vnionis, non per modum influxus (vt constat si forma materialis conseruaretur priùs sine omni subiecto, seu concursu creatiuo) sed ad hoc opus est vnione alterius rationis, cuius munus sit illam reddere informantem, non dependentem: sicut è contrà munus generatiuæ est reddere dependentem, non informantem. Et idem argumentum confici posset de subsistentia totali, actione alligatiuâ, & vbicatione duplici, per quam anima necessariò est in materiâ, & actus in potentiâ, cùm stante hac duplici vbicatione, anima non possit non esse intimè præsens materiæ. Non tamen est in eâ, vt actus in potentiâ, quia scilicet non habet talem vnionem qualis ad hoc munus exigitur.

VIII. *Qua necessitas sufficiat ad multiplicanda entia.*

Objicies secundò; non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed per nos potest dari actio eductiua, quæ simul sit vnio informationis, ergo debet semper esse huiusmodi. Resp. non esse multiplicanda entia sine necessitate saltem secundùm quid, seu ad melius esse. Sicut licèt non sit absolutè necessarium vt vbicatio distinguatur ab actione conseruatiuâ cuiusque rei, communiter tamen negatur de facto ita esse, quia res mutare possunt locum, & consequenter vbicationem, sine eo quod mutetur actio earum conseruatiua. Cùm ergo in conceptu vnionis non reluceat hoc prædicatum, quod scilicet ea se ab vno agente dependeat magis quam ab alio, non est cur identificetur cum actione.

IX. *Vnio inuoluit actionem, & passionem concomitanter.*

Objicies tertiò, omnis motus & mutatio inuoluens actionem & passionem, consistit formaliter in actione & passione, sed vnio inuoluit actionem & passionem, ergo consistit in illis. Resp. distinguendo minorem, vnio inuoluit actionem & passionem concomitanter, transeat minor; formaliter, nego: inuoluere autem hæc concomitanter, non requirit vt ipsa entitas vnionis sit actio, vel passio formaliter, sed vt habeat actionem & passionem se concomitantem, quâ educatur è subiecto. In ordine tamen ad Diuinam potentiam vnio non requirit passionem, ne quidem concomitanter, cùm nulla sit repugnantia cur non possit creari, vt ostendi d. præced. s. tertiâ.

X. *Quo sensu materia patiatur ab vnione.*

Dices; materia patitur ab vnione, ergo vnio est passio. Conf. materia recipit formam per vnionem, ergo vnio est receptio, & consequenter passio. Ad argumentum distinguo antecedens, si per pati solùm intelligatur mutari quomodocunque, & accipere nouum effectum formalem, concedo antecedens; si verò per pati intelligatur influere materialiter in actu secundo, nego. Ad confirmationem Resp. si receptio capiatur latè, sicut materia etiam dicitur recipere animam rationalem per vnionem creatam, concedo antecedens; si pro strictâ receptione seu influxu, vt communiter capi solet, nego.

XI. *Quo modo vnio subiecto suo vniatur mediatè*

Instabis, ergo vnio vnitur subiecto suo mediatè, nempe per actionem generatiuam seu passionem, ergo non est intima affectio sui subiecti. Distinguo consequens, in ratione vnionis, nego consequen-

nam

tiam; in ratione termini producti concedo. Per aliam ergo vnionem informationis vniri non potest suo subiecto, sicut nec actio aliâ actione produci, sic enim daretur processus in infinitum; vt terminus tamen productus subit legem aliorum terminorum, & effectuum, & sicut producitur per actionem distinctam ab agente, sicut illi, ita & vnitur subiecto sustentationis per passionem à se distinctam. Vnde si diuinitùs existeret actio generatiua formæ ignis sine vnione informationis (quod multi putant posse contingere) non esset in eo casu ignis, nec paries foret albus si non haberet aliam vnionem albedo, præter meram actionem eductiuam, si in compositis etiam accidentalibus dicatur distingui vnio seu inhærentia ab actione eductiuâ, quod mihi videtur probabilius, saltem in non vitalibus. Actio proinde eductiua dici potest radicalis vnio informationis, id est, petens formalem; non tamen est formalis vnio informationis.

Vnio accidentium distinguitur ab eorum eductione.

DISPVTATIO XV.

De Composito substantiali.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Compositum distinguatur à partibus simul sumptis.

I. *Totum non distinguitur à partibus simul sumptis.*

CONclusio: Compositum substantiale non distinguitur à partibus simul sumptis seu vnitis. Ita S. Thomas 1.p.qu.11.ar.2. ad 2.& qu. 75.a.4.corp.&4.cont.Gentes q.81.Suar.d.36.s.5 P. Hurt.d.6.Phy.s.1.P. Arriaga d.5.s.1. Rub.t. Phys.t. 39.q.1.P.Ouiedo c.5 Phy.p.1. n.2.Tol. Murcia, & alij: & videtur expressa mens Aristotelis 8.Met.c.6. in hoc distinguentis totum per aggregationem, quale est aceruus lapidum, à toto per se vno, quale est lignum, lapis &c. quod illud nihil addat supra partes simul sumptas localiter, hoc verò aliquid aliud superaddat: nempe vnionem, & nihil aliud, ergo iuxta Aristotelem compositum non distinguitur à partibus vnitis.

II. *Conceptis partibus compositum concipitur compositum.*

Ratio à priori est, quia positâ materiâ & formâ inter se vnitis, omni alio secluso, intelligitur compositum, æquè ac posito Petro ac Paulo in gymnasio intelliguntur illic esse duo homines, ergo non est opus aliquo alio, nec potest intelligi quid aliud sit totum, aut noua illa entitas, in qua ponunt nonnulli rationem totius. Conf. totum substantiale duo dicit, alterum pro materiali, nempe partes, alterum pro formali, compositionem scilicet, seu vnionem, ergo his positis, æquè intelligitur totum, ac positâ albedine in subiecto intelligitur album, seu concretum accidentale, ergo positis partibus & vnione, intelligitur tota ratio formalis constitutiua compositi substantialis, ergo intelligitur compositum, vbi enim est tota essentia rei, est ipsa res. Conf. secundò, positâ vnione inter partes intelligitur vnitum formaliter, ergo compositum formaliter, ergo nullo alio superaddito est opus, nec esse aliud potest in quo consistat compositum. Conf. tertiò, illa entitas in equo v.g. quam volunt esse distinctam à partibus vnitis, vel est simplex, vel composita, non primum, est enim implicatio in terminis vt idem sit compositum, & omnino simplex: Deinde materia & forma equi non essent partes illius compositi, seu equi. Non secundum, quia tunc haberet suas partes distinctas à materiâ formâ & vnione, ergo de illis idem posset fieri argumentum, & sic in infinitum.

Entitas illa distincta nec potest esse simplex, nec composita.

III. *Probatur secundò ex definitione hominis.*

Secundò probatur: definitio physica hominis est, quòd sit *quid constans ex materiâ & animâ rationali vnita*, sed hoc nihil aliud est quam materia, anima rationalis, & vnio illas connectens, ergo homo nihil aliud est quàm hæc tria. Conf. id quod superadditur his tribus, vel est de essentiâ hominis, vel non: si non, ergo illa tria sunt tota essentia hominis, ergo totum compositum; si fit de essentiâ hominis, ergo illa non est perfecta hominis definitio, vtpote quæ non conuertatur cum definito; nec explicet totam quidditatem rei. Conf. secundò, nam illud totum produci deberet actione aliquâ, nec enim esset à se, ergo crearetur, nec enim educi potest ex potentiâ alicuius subiecti, cùm non sit forma.

Totum aliud à partibus vnitis distinctum deberet creari.

IV. Nec præter, materiam, formam, & vnionem requiritur aliqua alia integritas, vel totalitas quam volunt aliqui superaddi: positis enim materiâ, formâ, & vnione, nihil aliud requiritur ad totalitatem & integritatem compositi, & si quid adderetur, de eo formari posset idem argumentum, vel saltem de materiâ formâ & vnione simul cum illo. Vnde nec deriuatur aliquod aliud esse substantiale in materiam à formâ, vt vult Vasquez To.1.in 3.p.d.19. n.26. sed positis his tribus intelligitur totum quod requiritur ad essentiam completam & integritatem compositi substantialis, vt compositum substantiale est.

Opinio P. Vasquez circa compositum.

V. In contrariâ sententia sunt Scotus, Caietanus, & alij apud Conimbric.1.Phys.ca.2.qu.1.ar.1. qui eam etiam amplectuntur. Obijciunt ergo hi auctores primò, estque intricatissima difficultas in hac materiâ.

Opinio Scoti Caiet. & Conimb.

VI. Causa adæquata distingui debet ab effectu, sed materia & forma vnitæ sunt causa adæquata compositi, ergo debent distingui ab illo, alioquin essent causa sui, quia secundùm nos ipsa sunt compositum.

Argumentum difficile.

Retorqueo argumentum, quicquid aduersarij ponunt in composito præter hæc tria, est pars aliquo modo constitutiua illius, ergo vnà cum materiâ, formâ, & vnione illud constituit causam adæquatam compositi, & tamen non distinguitur compositum à materiâ, formâ, vnione, & illo superaddito, ergo tam debēt ipsi soluere hoc argumentum, quàm nos, nisi fortè dicant, his tribus positis resultare quasi effectiuè tertiam aliquam entitatem, quam vocant compositum, quod est inintelligibile, & contra rationem causandi causæ intrinsecæ, qualis est materia, forma, & vnio. Impugnatur præterea tertia hæc entitas argumentis omnibus suprà factis. Deinde, tertia illa entitas quæ est homo, vel includit animam rationalem, vel non: si includat ergo anima est pars illius constitutiua, sicque redit prior difficultas, si non includat animam, ergo anima non est de essentiâ hominis.

Retorquetur argumentum.

Impugnatur vlterius hæc sententia.

VII. Ad argumentum ergo Resp. primò distinguendo minorem; materia, forma, & vnio sigillatim & disiunctiuè sumptæ, sunt causa compositi, concedo minorem; simul & copulatim sumptæ, nego. Sic enim non sunt causa compositi, sed ipsum compositum; vtroque autem modo sunt à parte rei.

Resp. primo argumento suprà facto.

Hæc

VIII. *Hæc solutio grauem patitur difficultatem.* Hæc solutio est vtcunque probabilis, grauem tamen patitur difficultatem, partes enim sigillatim seu distributiuè sumptæ non distinguuntur realiter à partibus collectim sumptis, cùm ergo partes collectiuè sumptæ non sint causa compositi, nec erunt illius causa partes sumptæ sigillatim, alioqui eisdem entitatibus à parte rei idem physicè, & realiter conueniret, & idem physicè & realiter non conueniret.

IX. *Secunda prior argumenti solutio.* Resp. itaque secundò, probabilius videri non posse dari causam vnam adæquatam intrinsecam respectu compositi, sicut potest dari causa adæquata extrinseca respectu tam compositi, quàm cuiusuis alterius effectus producti. Ratio est, nam ipso facto quòd intelligantur partes collectim & per modum vnius, intelligitur ipsum compositum, nihil autem potest naturaliter esse causa sui.

X. Quamuis ergo singulæ partes à se inuicem adæquatè distinguantur, & inadæquatè à composito, vtraque tamen simul sumpta nullo modo distinguitur à toto, nec distingui potest, cùm tradendo se cõstituant compositũ, vnde ipso facto quòd sit vtraque coniuncta, est compositum, & in hoc differt causa intrinseca & extrinseca. De quo iterum redibit sermo infrà d.22.s.2.n.1.

XI. *Tertia solutio, causam adæquatam intrinsecam nõ distingui ab effectu.* Tertiò responderi posset, non esse inconueniens concedere, causam adæquatam intrinsecam non necessariò distingui realiter à re causatà, cùm totum non sit propriè effectus illius, nec causa adæquata propriè in illud influat; nec enim causa intrinseca est propriè causa, cùm verum influxum non habeat: proinde cùm dicitur conceptum causæ esse ad aliud, intelligi debet de eo quod est propriè causa; qualis, non est causa intrinseca, saltem adæquata, & copulatim sumpta.

XII. *Compositum non est vnũ simplex.* Obijcies secundò; Compositum est vnum, & eius productio vna, ergo distinguitur à partibus, hæ enim à duabus actionibus producuntur. Distinguo, est vnum simplex, nego; vnum compositum, concedo: productio autem eius dicitur vna, vel aggregatione, vel ratione vnionis, quæ in quouis composito substantiali est tantùm vna.

XIII. *Sex non sunt bis tria, sed semel sex.* Obijcies tertiò Aristotelem 5. Met. ca. 14. dicentem, *sex non esse bis tria, sed semel sex*, ergo totum distinguitur à partibus. Conf. 7. Met. c. 17. ait syllabam *Ba* non esse has litteras A & B. Ad argumentum dico, loqui cap. illo 14. Aristotelem de distinctione numerorum inter se, & ait numerum senarium non esse bis tria, seu duos numeros ternos, sed vnum senarium, seu constantem sex vnitatibus, non seorsim, sed simul sumptis. Ad Confir. facilior est responsio, solùm enim vult syllabam *Ba* non esse litteras A & B seorsim aut inuerso modo sumptas, sed simul, & recto ordine dispositas.

SECTIO II.

In quo subiecto recipiantur accidentia.

I. *Quantitas recipitur in solà materià.* DIco primò: quantitas non recipitur in toto cõposito, sed in solà materià tanquam in subiecto, in formà autem nec partialiter: ita P. Suar. d. 14. Met. s. 3. nu. 43. Conimb. 2. de generat. c. 4. qu. 4. ar. 1. P. Hurt. disp. 6. s. 6. §. 41. P. Arriaga d. 5. Phy. s. 2. n. 13. contra quosdam, quos sequitur Vasq. To. 2. in 3 p. d. 129. Rubius de Generat. cap. 4. t. 3. q. 8. n. 187. & alij nonnulli.

II. Ratio conclusionis est primò, quia quantitas, licèt subiectetur in solà materià, adhuc præstabit omnia munera ad quæ ordinatur, nempe denominabit formam extensam, & totum compositum quantum: sicut secundùm omnes, denominat formas accidentales, vt albedinem, dulcedinem &c. quantas & extensas, licèt in illis non subiectetur. Sic etiam albedo denominat totum hominem album, & volitio volẽtem, licèt subiectetur illa in solà materià, hæc in solà animà. *Probatur Conclusio primò.*

III. *Totus homo non est propriè albus, nec vlla qualitas propriè quanta.* Propriè tamen loquendo, totus homo non est subiectum albedinis aut volitionis, sed solùm cũ restrictione, nempe subiectum denominationis, sicut nec albedo, aut vlla qualitas est extensa, vel quanta propriè loquendo, quia hic est effectus proueniens à quantitate, tanquam à formà, sed solùm dicuntur accidentia extensa ad extensionem subiecti, quia scilicet diuersæ partes quantitatis recipiuntur in diuersis partibus subiecti quanti & extensi, sicque sunt accidentia quanta quasi concomitanter, non formaliter.

IV. *Ratio à priori, cur quantitas subiectetur in solà materià.* Secundò probatur conclusio à priori: quantitas est dispositio ad formam substantialem materialem, ergo non subiectatur in illà nec partialiter, cùm priùs naturà sit quàm illa, ac proinde vt sit, non potest pẽdere ab illà à priori. Antecedens constat, nam agentia naturalia non possunt agere, & consequenter nec producere formam substantialem, vel accidentalem, nisi in subiecto quanto & extenso.

V. *Albedo, & alia qualitates non recipiuntur in formà.* Quod de quantitate dixi, à fortiori dicendum est de alijs accidentibus, calore, frigore, siccitate &c. nempe non subiectari in formà, seu toto composito, sed in solà materià. Quando autem S. Thomas & Aristoteles dicunt accidentia esse in toto composito, intelligendi sunt esse in eo vt in subiecto denominationis, licèt subiectentur propriè in solà materià: sicut homo dicitur cæcus à cæcitate quæ est in solo oculo. *Mens S. Thomæ & Aristotelis.*

VI. *Materia priùs dignitate vnitur formæ, quàm quantitati.* Dices; priùs vnitur materia formæ quàm quantitati. Distinguo, priùs dignitate, id est, præcipuè & ordine intentionis; concedo, priùs executione nego.

VII. Dices secundò; quantitas & accidentia sunt proprietates totius, ergo recipi debent in toto. Nego consequentiam, ad hoc enim sufficit vt recipiantur in alterà eius parte, sicut homo est ægrotus, licèt solum caput doleat. Deinde, quantitas non dicitur proprietas totius, sed proprietas & passio materiæ, & illi coæua.

VIII. *Calor, frigus & alia qualitates non recipiuntur in quantitate.* Dico secundò: probabiliùs videtur, licèt non sit ita certum, reliqua accidentia absoluta, vt qualitates materiales, quales sunt calor, frigus, albedo, &c. recipi in solà materià tanquam in subiecto, & non in quantitate. Ita P. Hurt. d. 6. Phy. s. 6. § 55. P. Arriaga d. 5. Phy. s. 2. n. 37. & alij plurimi, licet contrarium teneat P. Suar. d. 14. s. 4. & alij.

IX. *Probatur qualitates non recipi in quantitate.* Probatur primò, munus accidentium est disponere subiectum ad receptionem formæ substantialis, sed quantitas non est subiectum nec partiale quidem formæ substantialis, sed sola materia, ergo dispositiones sunt in solà materià quæ disponi debet immediatè physicè ad formam quam immediatè recipit. Et licèt responderi posset sufficere ad rationem dispositionis, vt sit in quantitate, quæ est in materià, longè tamen perfectiùs disponitur, si dicantur accidentia illi inesse immediatè. Conf. sicut munus quantitatis est disponere materiam ad formas, & operationes materiales, & ad alia accidentia materialia, reddendo illam extensam, & impenetrabilem; ita munus primarum qualitatũ est partim disponere ad secundas, sed secundæ non propterea dicuntur recipi in primis, ergo nec primæ nec secundæ propter hanc rationem recipientur in quantitate.

X. Nec argumentum contra hoc ducitur ex mysterio Eucharistiæ, nempe nisi subiectentur accidentia

in

in quantitate sequi plurima multiplicatum iri miracula, tot scilicet quot sunt diuersa accidentia: Nec enim est cur refugiamus in illo mysterio miracula, in quo *memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus*, dum *escam dedit timentibus se*. Imò huic sententiæ fauere videtur Concilium Constantiense, sess. 8. vbi definitur, accidentia panis manere in Eucharistiâ sine subiecto, qua de re latè dictum est d. 12. sec. 3. Quòd licet contrarij interpretentur de subiecto remoto, nempe substantiâ panis, Concilium tamen loquitur absolutè, sicque conformiùs ad verba Concilij intelligitur de omni subiecto; ac proinde non sunt in quantitate tanquam in subiecto. Quamuis non negem valde probabile esse hæc accidentia subiectari in quantitate.

Sanctissimā Eucharistia Sacramentū est memoria mirabilium Dei.

XI. Dices; quantitas in Eucharistiâ est alba, frigida &c. ergo subiectantur hæc accidentia in quantitate. Nego antecedens, si propriè loquamur: licèt etiam accidentia illa sint extensa, non tamen hoc habent ex eo quòd subiectentur in quantitate, sed quòd cū illâ penetrentur commensuratiuè per suam vbicationem, & extensionem ad locum Nec ex eo quòd materia non possit recipere calorem, frigus, & cætera accidentia sine quantitate, sequitur propterea illa subiectari in quantitate, sicut nec sequitur formam substantialem in eâdem subiectari, licèt sine quantitate materia non sit proximè apta ad eam recipiendam: sicut etiam secundæ qualitates, vt albedo, dulcedo, &c. non recipiuntur in primis, calore sci. frigore, &c. esto hæ ad illas necessariò in subiecto præsupponantur, non aliùs quàm dispositiones ad formam substantialem, in quibus similiter non subiectatur.

Quantitas in sacrosanctā Eucharistia est alba tantum denominatiuè.

Secundæ qualitates supponunt primas.

XII. Dices secundò, dispositiones sæpe sunt in vno subiecto, forma verò ad quam disponunt, in alio: vt actus intellectûs disponit ad actum voluntatis, visio ad appetitionem, actus meritorius in voluntate ad gratiam in animâ, actus peccati ad expulsionē gratiæ, & alia huiusmodi, ergo licèt accidentia disponant ad formam, non est necessarium vt sint in materiâ, sed possunt esse in quantitate. Ad duo vltima respōdetur primò, solùm esse dispositiones morales, mouentes sci. Deum ad dandam vel tollendam gratiam, de quibus dispar esse potest ratio, ac de dispositionibus physicis physicè subiectum disponentibus ad formam in eo recipiendam, ac propterea debent dispositiones physicè esse in subiecto disposito. Resp. secundò generaliter de omnibus illis simul, recipi omnia in eodem subiecto in quo formæ ad quas disponunt, nam & illa & formæ recipiuntur, etiam immediatè in substantiâ animæ, vt suo loco dicetur.

Dispositio in vno subiecto, & forma in alio.

Aliud de dispositionibus moralibus, aliud de physicis.

XIII. Hæc quidem probant debere necessariò qualitates seu dispositiones recipi immediatè in materiâ, quam disponunt ad formam substantialem: si tamen quis diceret ita recipi immediatè in materiâ, vt tamen recipiantur simul in quantitate, sicut actus intellectûs subiectantur immediatè in intellectu & in animâ, non facilè conuinceretur. Dici tamen posset non apparere vllam rationem, cur non æquè posset materia sola recipere alia accidentia, ac recipere potest quantitatem. Deinde non est cur dispositiones recipiantur etiam partialiter in quantitate: cùm forma ad quam disponunt, nec partialiter in eâ recipiatur. Præterea sicut secundæ qualitates non recipiūtur in materiâ, & simul in primis, nequidem partialiter, licèt primæ disponant aliquo modo & prærequirantur ad secundas, ita accidentia nec partialiter recipientur in quantitate, esto ad illorum receptionem in materiâ necessariò prærequiratur quantitas, & materiam quodammodo ad illorum receptionem disponat.

Rationes cur qualitates nec partialiter recipiantur in quantitate.

Contrariæ tamen sententiæ sua maneat probabilitas; ita enim hanc probo, vt illam non improbem, ob auctoritatem præsertim S. Thomæ, qui in illâ opinione esse videtur. XIV.

Probabile tamen est qualitates recipi in quantitate.

Quæres vtrùm vnio sit de essentiâ compositi substantialis? Respondetur affirmatiuè: primò, quia est ipsa forma compositi quà talis, compositum enim quà tale dicit pro formali compositionem, seu vnionem, non minùs quàm album albedinem. Deinde, essentia Petri non est anima & corpus quomodocunque, seu in actu primo, sed anima & corpus vnita, & in actu secundo coniuncta ad faciendū vnum totum, & Petrus essentialiter est quid compositum, non est autem compositum formaliter nisi per compositionem & vnionem. XV.

Vnio est de essentiâ compositi.

Vtrùm autem vnio dici debeat pars compositi necne, quæstio videtur de nomine: Si enim per partem intelligatur quicquid physicè & realiter ingreditur constitutionem compositi vt aliquid illius, certum est vnionem esse partem, nec Angelus videns partes & non vnionem, videret totum hominem. Si autem per partem intelligatur rigorose pars, sicut cū dicitur homo constare duabus tantùm partibus, materiâ sci. & formâ, sic vnio non est pars, cùm non habeat se vt *quod* in constitutione hominis, sed vt *qua* partes illi dantur, estque quasi integritas vtriusque partis. Sicut actio non est id *quod* vel agit, vel producitur, sed id *qua* agens agit, & quo effectus producitur. Vnde vnio vocari potest pars *vt qua*, seu ratio per quam partes constituuntur actu partes. XVI.

Num vnio dicenda sit pars compositi. nomine, & est de nomine.

Disputant hîc aliqui, daturnè possit corpus simplex. Sed quæstionis huius discussionem differam in libros de Cœlo d. 3. vbi quæri solet, an cœli de facto sint Corpora simplicia, vel composita ex materiâ & formâ. XVII.

Daturne possit corpus simplex dicitur in libris de cœlo disputandum.

Finis libri primi Physicorum.

DISPVTATIO XVI.

De Naturâ.

Libro primo egit Aristoteles de Principijs intrinsecis, seu partibus compositi naturalis, tum in se, tum in ordine ad compositi constitutionem: nunc hoc secundo libro agit de Principijs extrinsecis eiusdem compositi, vel etiam de intrinsecis, non vt constituunt compositum, sed vt ordinantur ad motum, vt disputationum decursu constabit.

SECTIO PRIMA.

Explicatur conceptus Naturæ, & quibus rebus competat.

I. *Natura naturans, seu creatrix est Deus.*

NAtura variè sumitur: primò itaque alia est *natura naturans*, vel vt magis propriè loquitur S. Augustinus, *natura creatrix*, hæc autem natura est Deus omnium opifex, vtpote qui res creatas produxit, productásque moderatur, & conseruat, qui proinde natura vniuersalis vocatur. *Natura naturata.* Alia est natura naturata, & particularis, nempe res aliæ omnes. Secundò natura idem sonat atque vniuersalitas rerum seu causæ naturales. Quo sensu dicimus miracula esse supra naturam, naturam nihil moliri frustra, & similia. Tertiò pro essentia, quo sensu dicimus Deum habere vnam naturam, id est essentiam, & tres personalitates. Quo etiam sensu dicuntur Philosophi considerare naturas rerum. *Natura quomodo differat ab essentiâ.* Quartò prout distinguitur ab essentia, & dicit ordinem ad operationes, estque natura quasi *nascitura*, à nascendo, vel aliquid agendo, & hoc sensu φύσις dicitur ἀπὸ τοῦ φύειν. Videantur Conimb. hîc q. 1. a. 1. vbi ad hanc rem plurima eruditè congerunt.

II. *Natura definitur ab Aristotele.*

Alio modo Naturam sumit Aristoteles hîc cap. 1. tex. 3. eam sic definiens, Natura est *principium & causa motûs & quietis eius in quo est, primò & per se & non secundùm accidens.* Additur *causa*, vt significetur debere naturam physicè influere, & causare motū, quod omni principio non competit, priuatio enim est principium, & tamen non influit. *Motûs & quietis*, saltem localis: per quietem autem intelligitur, non mera cessatio, sed terminus aliquis positiuus per motum acquisitus, quem retinet absoluto motu locali, aut physico, vt est præsentia localis, vel qualitas aliqua successiuè acquisita, quam postea mobile permanenter retinet, *eius in quo est*, per quam particulam excluditur à ratione naturæ, vt hîc sumitur, causa omnis extrinseca, vt Deus respectu effectuum, quos ad extra producit; item Angelus respectu motûs quem cœlo imprimit, & ignis, aut alia quæcunque causa efficiens respectu effectuum quos extra se causat. *Accidentia & subsistentia non sunt natura.* *primò & per se*, per quas voces excludi videntur accidentia à ratione naturæ, sic strictè sumptæ, illa quippe, esto sint causæ motûs, & insint mobili, non tamen insunt primò, nec sunt de primario illius conceptu & constitutione, sed rei iam in se constitutæ aduenirunt, & quasi occidunt. Hinc etiam excluditur subsistentia à ratione naturæ, quæ licèt sit pars suppositi, non tamen est pars essentialis constitutiua essentiæ, sed sequitur essentiam constitutam, ac proinde non est de primò vllius rei conceptu.

III. *Tria ad rationem naturæ requiruntur.*

Tria ergo ad naturam hîc definitam requiruntur; primò, vt verè & physicè influat & causet motum, vnde effectus respectu actionis, quâ producitur, non est natura. Requiritur secundò, vt insit rei in quâ causat motum, tanquam pars illius essentialis, licèt non sit opus vt recipiat motum, quem causat, forma enim efficit accidentia in composito, materia verò illa recipit. Tertiò requiritur vt per se primò insit composito, quæ penè eadem conditio est cum præcedente.

IV. *Materia & Forma sunt propriè natura.*

Secundùm hanc ergo naturæ definitionem, materia & forma sunt propriè natura, vnde hoc capite ait Aristoteles, *Natura aut subiectum est, aut subiecto inest*, id est, vel est materia vel forma; quod conforme videtur scopo quem intendit, nempe considerare partes corporis naturalis. *Vnio est aliquo modo natura.* Vnio tamen à ratione naturæ planè excludi non potest, cùm sit principium passiuum motûs ad terminum saltem modalem, vt ad vbicationem, & præterea integrat tam subiectum quàm formam in ratione naturæ. *Angeli non sunt natura.* Angeli & corpora completa simplicia (si dentur) secundum hanc definitionem non sunt naturæ, cùm non sint partes alicuius compositi substantialis.

V. *Vt aliquid sit natura, debet esse pars essentialis.*

Dices; componunt Angeli vnum totum cū subsistentiâ, & sunt partes totius constantis ex essentiâ Angeli & subsistentiâ, ergo sunt natura. Resp. vt aliquid sit natura debet esse *pars alicuius primò & per se, seu pars essentialis*, subsistentia autem non est pars essentialis, vel Angeli, vel alterius rei, sed solùm primum complementum rei in ordine ad operandum. Si autem quis dicat subsistentiam esse partem per se primò compositi ex essentiâ Angeli & subsistentiâ, dixerit similiter calorem & quoduis aliud accidens esse partem essentialem compositi accidentalis, vt albedinem albi, cognitionem cogniti &c. tamen accidentia excluduntur ab omnibus à ratione naturæ, quia non insunt alicui per se primò, seu tanquam pars essentialis illius constitutiua.

VI. *Cuius motus naturalis Angeli sint principium.*

Dices secundò; Angeli & corpora simplicia sunt principium motûs naturalis, ergo sunt natura. Distinguo antecedens, motûs naturalis, vt distinguitur à supernaturali, concedo; motûs naturalis formaliter, & prout accipitur natura in hac definitione, nego, quia debet motus huiusmodi naturalis prouenire ab aliquo quod *per se primò insit mobili*, nihil autem huiusmodi inest Angelo, vel corpori simplici completo, cùm partes essentiales non habeant, nihil autē dicitur inesse sibi.

VII. *Compositū non est natura, sed ens naturale.*

Anima rationalis est natura in actibus intellectus & voluntatis, quos elicit vnita corpori. Cùm autem dicitur, *natura est determinata ad vnum*, non intelligitur de naturâ rationali in operibus voluntatis, sed de naturâ solùm irrationali. Compositum etiā ex materiâ & formâ non est natura, sed ens naturale, quia scilicet non inest tanquam pars essentialis, & quidditatiua alteri, sicut materia & forma insunt composito, quod expressè docet Aristoteles hic c. 1. t. 12. his verbis, *quod autem ex his est* (compositum sc. ex materiâ & formâ) *natura quidem non est, sed constat naturâ.* *Ad Naturā sufficit principium motus passiuū.* Materia autem est natura, licèt non sit principiū actiuum, ad hoc enim sufficit quòd sit principium passiuum motus, vt contra P. Vasquium T. 1. in. 1. 2. d. 25. n. 20. docent nostri communiter. Verba ergo in definitione naturæ posita sumuntur indefinitè, id est, vt natura sit principium aliquod, non definiendo siue principium actiuum an passiuum.

VIII. *Particula & sumitur interdum disiunctiuè, pro vel.*

Vnde, ad rationem naturæ existimo sufficere, vt aliquid sit principium motus & quietis disiunctiuè, particula enim *&* sumitur frequenter disiunctiuè: sic enim Ioan. 4. v. 48. dicitur, *nisi signa & prodigia videritis non creditis*, id est, signa vel prodigia, alterum enim ad fidem in iis suffecisset. Siue ergo aliquid sit principium motûs actiui tantùm, siue tantùm passiui, satis est per se loquendo ad rationem naturæ.

SECTIO II.

Argumenta contra definitionem naturæ: vbi quid sit violentum, & præternaturale.

I. *Ad conceptum motus violenti spectari debet totum compositum.*

OBiicies primò, hinc sequi nullum dari motum violentum, cùm nullus sit, qui non habeat principium passiuum, motus enim subiectum habeat necesse est, vnde motus lapidis proiecti sursum erit illi naturalis. Resp. negando sequelam, ad hoc enim vt motus aliquis dicatur violentus, spectari debet totum compositum. Motus ergo lapidis proiecti sursum est naturalis secundùm quid, simpliciter tamen violentus, materiæ enim secundùm se spectatæ nullus

nullus motus est violentus, toti tamen est violentus motus ignis deorsum, & lapidis sursum, quia vterque motus in vtroque composito est contra inclinationem formæ, cuius signum sunt accidentia seu instrumenta diuersa conformia diuersæ inclinationi vtriusque naturæ, in igne leuitas, grauitas in lapide.

II. *Quomodo differant naturalia, & artificialia circa principiũ motus.*

Objicies secundò, Aristotelem hic t. 2. & 3. asserentem in hoc naturalia distingui ab artificialibus, quòd illa habeant in se principium motus, non verò ista, ergo non sufficit solum principium passiuum ad rationem naturæ, sic enim artificialia essent naturalia, cum in se habeant principium passiuum motus. Resp. solùm velle Aristotelẽ naturalia, vt naturalia sunt, habere ex se principium actiuum aut passiuum motus, artificialia verò quà artificialia, seu prout ab arte, hoc non habent; vestis enim, aut cathedra prout ab arte, non sunt principia motus, vel localis, vel physici, nempe alterationis, sed si quid horum habeant, habent à principio intrinseco, & vt sunt res naturales, vt motum deorsum habent à grauitate, licèt ars subinde iuuare possit naturam, & reddere corpus aliquod aptum vt velociùs moueatur deorsum.

III. *Quid sit violentum.*

Ex his colligitur quid sit *violentum*, quod sic communiter definitur, *violentum est à principio extrinseco, passo*, id est, mobili, *non conferente vim.* Hæc vltimà particula *non conferente vim* perinde est ac passu repugnante, ac proptereà vim actiuè non conferente, imò subinde positiuè resistente, seu conando contrariũ effectum producere, sicut aqua resistit igni. Is ergo motus est violentus, qui est contra inclinationem passi adæquatè sumpti, quod proinde nullam vim actiuè confert, esto passiuè necessariò conferat, cùm motus in illo sit tanquam in subiecto. Materiæ autem secundùm se sumptæ nullus motus vel physicus, vel localis est violentus, vt suprà diximus, cùm ex se ad omnem motum sit indifferens. Gratia autem & dona supernaturalia, licèt non petantur ab animâ, vel Angelo, non tamen sunt illis violenta, cum non sint in animâ aut Angelo cum vllâ quasi animæ aut angeli renitentiâ, licèt sint suprà vires eorum naturales. Si autem ignis eleuaretur ad producendã in se frigiditatem, videtur fore illi hoc violentum, quia renititur ex naturâ suâ, & licèt per accidens vim conferat, confert tamen quasi per vim, & coactè

Materia secundum se nullus motus est violentus.

IV. *Agenti quà agenti non potest inferri violentia.*

Hinc infero primò, agenti quà tantùm agenti nõ posse inferri violentiam, quia est contra definitionem violenti, in quo requiritur passum: vnde, si ignis eleuaretur ad producendum frigus in aquâ, vel alio subiecto, non esset illi hæc actio violenta.

V. *Causæ naturaliter agentes non possunt in se producere motum violentum.*

Infero secundò, causas naturaliter agentes non posse in semetipsis patientibus efficere motum sibi violentum. Probatur, violentum est *ab extrinseco, passo non conferente vim actiuè*, sed solùm patiente cum renisu & repugnantiâ, sed hic agentia naturalia cõferunt vim, & actiuè has operationes producunt, ergo. Vnde, dum corpus vritur, v. g. licet violentiam patiatur ab igne extrinsecus apposito, per aliquid mali ab illo in se productum, vt calorem nimium, aut quid simile; dolor tamen ipse non est violentus, cùm sit ab intrinseco, & passo aliquid in illum conferente, seu illum actiuè eliciente: & licèt appetitu elicito nolit quis dolorem, est tamen iuxta appetitũ innatum animalis, cùm dolor sit per se loquendo bonum animalis, est enim dolor odium vel auersatio mali præsentis, cuius si vitalem dolorem non haberet, illud non propulsaret nec fugeret, sed statim periret.

Quid sit dolor.

VI. *Quando contra imperium voluntatis brachium deprimitur, fiat motus violentus.*

Quando autem imperante voluntate vt brachiũ attollatur, deprimitur, illa depressio respectu voluntatis est quidẽ violenta, brachio tamen vt quid graue est, non est violenta, sed naturalis. Cùm verò aqua attracto in fistulâ plumbeâ aëre, ascendit, motus ille aquæ videtur naturalis, est enim naturale aquæ, vt pars vniuersi est, ascendere ad vitandum vacuum. Alij dicunt grauitatem aquæ esse à naturâ ordinatam ad petendum centrum aquæ, centrum autem aquæ est vt sit inferior aëri, & per illum contigua cœlo, dum ergo attrahitur aër, mutatur, inquiunt, per accidens centrum aquæ, sicque per grauitatem tam naturaliter in eo casu ascendit aqua, ac postea descendit, cum per illam ascensionem petat suum centrum, vtraque responsio facilè sustineri potest.

VII. *Violentum duplex, positiuum & negatiuum.*

Violentum duplex est, positiuum, quando sc. forma cui passum renititur, est positiua, vt calor aquæ: aliud negatiuum, quando nimirum id cui passum repugnat, est priuatio rei debitæ, vt materiæ organizatæ violenta est priuatio animæ.

VIII. *Quid sit Præternaturale.*

Præternaturale tandem est illud quod nec est iuxta, nec contra inclinationem naturæ. Sic ait Aristoteles 2. de Cœlo c. 2. Motum circularem ignis in suâ sphærâ qui rapitur à sphærâ lunæ, esse illi præternaturalem, quia sc. nec illum petit ignis, nec ei repugnat; sic lux est aëri præternaturalis, statuæ figura ligno.

IX. *Quid sit supernaturale.*

Supernaturale illud est quod solis naturæ viribus produci nequit, nec ad exigentiam naturæ. Duplex est quoad substantiam, & quoad modum: illud in nullis vnquam circumstantiis prouenire à causis naturalibus potest; hoc licèt in hac rerum peristasi produci à naturâ non possit, simpliciter tamen potest, vt visus restitutus cæco.

X. *Varijs modis sumitur Naturale.*

Naturale tandem dicitur, Primò, quod habet naturam propriè dictam, vt materia & forma. Secundò, quod à naturâ oritur, vel intrinsecè, vt quantitas à materiâ, vel extrinsecè, vt calefactio ab igne. Tertiò, quod opponitur fortuito, artificioso, & acquisito. Quartò, quod opponitur libero, & idem sonat ac necessarium: sic sol lucem producit naturaliter. Quintò quod opponitur violento. Sextò, quod supernaturali.

DISPV-

DISPVTATIO XVII.

De Arte.

SECTIO I.

Discutiuntur quædam circa conceptum Artis.

I. *Ars, alia Diuina, alia humana.*

DE hac re eruditè Conimb. l. 2. Phy. c. 1. q. 5. a. 1. nos pro instituto nostro breuiter. Ars ergo alia Diuina, nempe ideæ in mente Diuinâ, quibus Deus dirigitur ad creaturas producendas: alia humana, actus nimirum, vel habitus artificem dirigens ad quædam artificiosè producenda, pictor v. c. per actum repræsentantem imaginem, quam intendit, dirigitur ad illam artificiosè depingendam.

II. *Ars, alia Natura.* *Opus naturæ est opus intelligentiæ.*

Definitur Ars esse *facultas cum ratione factiuâ*, quæ tamen definitio, vt in Logicâ aduerti, tantum competit artibus quarum opus est externum, non internum. Ars in variis imitatur naturam, vnde & *naturæ æmula*, & *alia natura* dici subinde solet. Conueniunt primò Ars & natura, quòd summo ordine in suis vtraque operibus procedat: vnde traxit originem dictum illud *opus naturæ est opus intelligentiæ*. Secundò conueniunt, quòd sicut Ars, ita & natura ab imperfectioribus incipiat, vnde dici solet, *Nihil simul inuentum est & perfectum*. Tertiò, quòd vtraque supponat subiectum in quod formam inducat. Differunt verò, primò, quòd natura sit effectiua, Ars solummodò directiua. Secundò, in naturâ semper est principium intrinsecum, in artefactis nunquam, sed artificium omne prouenit ab intrinseco.

III. *Natura Arte perfectior. Natura Artis Magistra. Ars Naturam ornat, iuuat, perficit.*

Natura est perfectior Arte, tum quia est substantia, Ars autem actus solùm, vel habitus; tum quia natura verè efficit suos effectus, Ars nequaquam, sed solùm potentias exequutrices dirigit. Tertiò, quia natura est quasi Artis magistra, cuius proinde hæc imitatrix tantùm dicitur. Ars tamen naturam perficit, estque non paruum illius ornamentum; iuuat etiam naturam, vt constat in medicinâ, agriculturâ, & artibus etiam internis, nempe vt natura, illius ope, certiùs opera sua, & faciliùs præstet. Sic Aristoteles 4. de cœlo c. vlt. affirmat mobilia omnis & acuminata ab Arte faciliùs, & velociùs moueri quàm plana.

IV. *Ars quædā naturæ opera potest efficere.*

Quæres possitne Ars quædam naturæ opera efficere? Certum est, immediatè non posse, mediatè verò & dirigendo potest; vt cùm per directionem Artis ex intestinis boum nascuntur apes. Sic, vt refert Scaliger, in Ægypto non gallinæ calore naturali sed in fornace, moderato quodam calore pulli excluduntur.

V. *Mira quædā opera artis.*

Sed obiiciuntur aliqua, quæ & naturalia esse, & tamen ab arte facta videntur; vt aurei tripoda a bellaria instructi in conuiuio Hierarchæ ipsos conuiuis sisteotes, vbi etiam aurei pincernæ ministrabant. Item statuæ Dædali ex se huc illuc discurrebant. Præterea celebris erat olim statua Memnonis, quæ, marmorea cùm esset, icta manè solaribus radiis in monte vbi erat exposita, suauissimum concentum edebat. & sexcenta huiusmodi.

VI. *Ex illis quædam arte, quædam ope dæmonum sunt facta.*

Resp. hæc vel præstigiis quibusdam dæmonum facta fuisse, vel si artis opera fuerint, dispositas intus fuisse quasdam rotas cum ponderibus instar horologii, & immixtum argentum viuum, quod semel motum, mouet pondera & rotas, & sic tripodas illos & pincernas rotis insistentes sese commouisse. Quæ est solutio Aristotelis loco citato. Idem iudicium esto de ligneâ columbâ Archytæ in aëre librata sine fulcro ponderibus, & aurâ in inclusâ. Eodem modo conficiebatur vitrea illa Archimedis sphæra, artis & ingenij miraculum, vbi orbium cælestium motus, astrorum ortus & occasus, defectus solis & Lunæ, omniaque ad cœlorum notitiam spectantia ad viuum ita exprimebantur, vt non orbium cælestium imaginem, sed ipsos etiam cœlos in compendium redactos oculis subiectos crederes. *Archimedis sphæra Artis & ingenij miraculum.*

VII. *Quomodo characteribus quibusdam, & figuris, serpētes ac feræ incantentur.*

Notandum, quando malefici characteribus quibusdam & figuris serpentes incantant, feras mansuetas reddunt, homines de statu mentis deiiciunt, & id genus alia, hæc non vi illarum figurarum fieri, sed pacto tacito vel expresso cum dæmonibus, qui ad figurarum illarum præsentiam semper adsunt, & per se ista illa efficiunt. Addunt Conimb. citati posse vi solius magiæ naturalis, & nullo interueniente pacto cum dæmone, multa fieri quæ hodie à circumforaneis & circulatoribus cum stupore intuentium factitari solent. Vt cùm subitò in triclinio enasci videtur aliqua arbor, aut cùm conuiuæ subitò apparent cum leoninis aut bouinis capitibus, & alia huiusmodi, quibus per celerem quendam motum & artem exercitatissimam spectatorum oculis illudunt.

VIII. *Per artem Chymicam verum aurum hactenus non est confectum.*

Quæri hic solet, an arte Chymicâ verum confici aurum possit. Nullum vnquam de facto verum aurum per hanc artem etiamnum confectum esse videtur omnino certum: & in tribus vel quatuor adulterinum hoc aurum deficere aiunt. Primò, quòd vim illam non habeat in medicamentis, quam habet verum aurum. Secundò quòd ductile non sit in laminas. Tertiò, quod colorem facilè amittat. Quartò denique, quòd vim ignis, vel calidarum quarundam aquarum sustinere non possit. Quare Ioannes 22 hanc artem damnauit, & aurum chymicum pro vero obtrudentes ad restitutionem obligauit, tum ob plurima quæ ex hac arte Reipublicæ incommoda proueniunt, vt quod multi ad summam inopiam ex inani hac curiositate frequenter fuerint redacti; tum quòd cum dæmone familiaritatem sæpe ineuntes, non opum tantùm, sed & animarum iacturam fecerint. Ideò diu ante hæc tempora, vt refert Cardanus, Diocletianus omnia quæ de hac arte scripta inuenit, flammis absumi iussit.

IX. *Vtrùm aurum confici possit negant aliqui, alij affirmant.*

Vtrùm autem possit per artem Chymicam applicando actiua passiuis ex mixtione sulphuris cum argento viuo, quod omnium metallorum materiam esse asserunt, & adhibito calore debito, verum confici aurum, est controuersia. S. Thomas in 2. dist. 7. q. 3. a. 1. secutus Auerroëm & alios antiquos, negat; tum quia non apparet vnde homines tam occultarum influentiarum & temperamenti auri notitiam acquirant, quòd enim hoc fiat resolutione auri, vt aiunt Chymici, videtur difficile; tum præcipuè quia cùm tot iam inde à mundi exordio id tentarint, & nullus adhuc, quòd sciamus, verum & genuinum aurum confecerit, argumento esse videtur non posse eiusmodi artem inueniri. Quod ergo de lapide illo fertur, omnia solo tactu in aurum conuertente, figmento simillimum est, & vt fabula videtur reiiciendum.

X. *Ars aurum conficiendi est hominibus possibilis physicè, moraliter impossibilis.* Existimo igitur veri auri perartem confecti peritiam hominibus moraliter esse impossibilem, physicè tamen possibilem. Prima pars probatur vltimo argumento proximè posito, de tam diuturnâ scilicet experientiâ casso semper conatu. Secunda pars suaderi videtur, tum quia aliqua animalia possunt ab hominibus applicando actiua passiuis, produci, ergo & aurum, ac cætera metalla: tum quia Angeli ac dæmones norunt & auri temperamentum, & quæ influentia ad illius confectionem requiratur, sicque possunt ipsi illud conficere. Cùm ergo sit huiusmodi ars in se possibilis, non est cur dicamus illius consecutionem esse physicè hominibus impossibilem.

SECTIO II.

In quo sita sit ratio figuræ.

I. *Quidam volunt figuram sitam esse in modo ab artifice producto.* PRima sententia affirmat rationē figuræ consistere in modo aliquo à parte rei & vbicationibus distincto, qui modus ab artifice in artefactis producatur, & rei quasi imprimatur. Sed contrà, quando quis equi, leonis, vel hominis in rupe imaginē sculpit, nihil noui ab artifice rupi physicè imprimitur, sed solū partes aliquæ demuntur, ergo non consistit figura in aliquo physico superaddito.

II. *Alij figurā esse volunt superficiem externam.* Secunda sententia asserit, figuram in superficie externâ cuiusque rei sitam esse. Sed contra, eadem superficie manente, diuersa frequenter est figura. Sic idem funiculus, vel filum ferreum, nunc in circulū formatur, nunc triangulum, vel quadrangulum, & globus vel glans plombea tunditur in laminam, persistente adhuc eadem superficie.

III. *Alij statuūt in vbicationibus.* Tertia sententia est, figuram aliud nihil esse præter vbicationes varias partiales, quibus partes inter se inuicem collocantur. Ita sentire videtur P. Hurt. d. 24 phy. s. 4. n. 44. & P. Arriaga d. 6. Phy. s. 2. n. 14. estque inter recentiores ferme communis.

IV. *Sed contrà, ergo homines pro diuersis regionibus habēt facies essentialiter diuersas.* Sed contrà primò, ergo sol singulis momentis mutat figuram, imò homo quispiam domo vel gymnasio egrediens, & mox rediens, non eandem reducit faciem, quam secum extulerat. Imò sequitur euidenter hominem quoties loco tantillū mouetur, habere faciem semper essentialiter diuersam, & Leodij habere essentialiter faciem Leodiensem, Londini Londinensē, Madriti Madritanā, seu facies spatiis illis ita affixas, vt nec diuinitus alibi esse possint. Conf. sequitur homines dum vel pedibus incedunt, vel equo, aut cymbâ feruntur, habere facies successiuas, nam vbicationes secundùm omnes corporis partes acquirunt successiuas, sed facies secundùm hunc philosophandi modum, eædem omnino sunt, & realiter identificatæ cum vbicationibus, ergo. *Item facies successiuas.*

V. *Imago hominis depicta non destruitur, dum charta complicatur.* Contra secundò, quantumcunque quis hominis alicuius imaginem in chartâ depictam complicet, & chartam illam in vnum quasi globum conuolutam manu cōprimat, adhuc dicitur propriissimè hominis imaginem manu gestare, & tamen vbicationes notabiliter mutantur, & caput iam in imagine est pectori vel pedibus fortè proximum: ergo non consistit figura artefacti in vbicationibus in ordine ad locum.

VI. *Figura sita est in tali proportione partium in ordine ad se.* Mihi ergo probabilius videtur sitam esse figuram in tali proportione & coniunctione vel distantiâ partium, non in ordine ad locum, sed in ordine ad se, seu in tali vnione entitatiua partium, quâ permanente, perstat stabiliter eadem connexio partium in ordine ad se, quantumcunque quoad locum mutentur. Hæc verò vnio prouenit vel ex temperamento aliquo seu complexione qualitatum, vt in naturalibus videmus, vel ex eo quòd partes sibi inuicem, vel alicui tertio adhæreant, vt in picturâ, colores chartæ, & per eam sibi permanenter adhærescunt. In aliis etiam omnibus artefactis simile quiddam interuenit, vt sunt claui, aut aliud huiusmodi, quibus partes ita firmę ac fixę in tali inter se coordinatione, ac coaptatione tenentur, vt quocunque res artefacta transferatur, & locum mutet, eundem tamen semper partes inter se ordinem, ac dispositionem seruent, sitque idem vbique physicè artefactum, & non solùm moraliter, quod dicere coguntur qui tē artificialem in vbicationibus constituunt.

VII. Hæc ergo sit prima ratio huius conclusionis. Secunda est, quòd hoc modo incommoda omnia suprà contra tertiam sententiam allata facilè vitentur.

VIII. *Hoc modo saluatur, quomodo imago conuoluta non deformatur.* Tertiò saluatur quomodo imago Cæsaris quantumuis in globum conuoluta sit, tam propriè nihilominus illius imago permaneat, ac dum expansa esset, & explicata: partes enim omnes imaginis eundem inter se situm ac dispositionem seruant, quantumcunque earum situs in ordine ad locum, etiam notabiliter mutetur. Et certè mirum videtur, quoties quis imaginem aut chartam scriptam complicuit, & conuoluit, toties imaginem illam, & characteres in chartâ formatos destrui. Dicunt esse adhuc imaginē radicalē. Sed contrà, si quis à gestante cōpressam manu, & in globū conuolutam imaginem Petri, quærat quid illic gestet, & is respondeat, imaginē radicalem Petri, haud dubiè omnibus mouebit risum. Ita doctis iuxta & indoctis animo insedit, nihil de suâ integritate perdere imaginem quantumcunque complicetur, & in globum conuoluatur.

IX. *Hac ratione saluatur, & facilius explicatur mysterium Eucharistiæ.* Quartò, hæc clara & expedita via est explicādi quo pacto Christus in Eucharistiâ partes omnes corporis perfectè retineat, licèt in qualibet hostiæ parte totus sit, & totus in quolibet illius puncto: partes enim corporis eius, etsi penetratæ quoad locum, eandem tamen inter se coordinationem seruant, quam nulla mutatio quoad locum vel in artificialibus tollit, vel naturalibus, aut etiam inuertit, nisi vnionem aliquam partium destruat, sicque eas dissoluat. In quibusdam tamen artefactis requiruntur quædam negationes, seu partium redundantium ablatio.

X. *Ars tantum concurrit directiuè.* Disputant hîc aliqui, vtrùm ars ad opus artificiosum effectiuè concurrat, an tantùm directiuè. Hac de re latè dixi in Logicâ d. 12. vbi artē directiuè tantùm concurrere ostendi, nec vllā hac in re esse differentiam inter artes actiuas & factiuas; seu interiùs & exteriùs operantes. Videatur. P. Arriaga d. 6. Phy. s. 2. n. 16. vbi rem hanc bene discutit.

DISPV-

DISPVTATIO XVIII.

De Causis in Communi.

SECTIO PRIMA.

Quæ sit definitio Causæ in Communi.

I. CAusam aliqui definiunt esse *id à quo aliquid pendet*. At minùs rectè, sic enim quæuis conditio esset causa, & obiectum merè terminatiuum esset causa actus, & terminus causa relationis. Imò Pater in Diuinis esset causa Filij, & Filius Patris, latè enim sumptâ dependentiâ, certum est eos à se inuicem dependere, cùm neuter sine alio esse possit.

II. Variæ ab alijs assignantur causæ definitiones, quæ fortasse in idem recidunt. P. Suar. d.14. Met. s. 2. sic causam definit. *Causa est principium per se influens esse in aliud*: quam definitioné plurimi amplectuntur ex recentioribus, & ex parte approbat P. Hurt. d. 8. s. 1. §. 1. Per particulam *aliud*, excludit Suarez à ratione Causæ Patrem æternum respectu Filij, & Patrem ac Filium respectu Sp. Sancti, quòd scilicet Filius non sit *aliud* à Patre, sed solùm *alius*, nam vt in sacra scripturâ habetur 1. Ioannis. 5. v. 7. *hi tres* Pater scilicet, Verbum, & Sp. Sanctus *vnum sunt*. Contra hanc tamen definitionem obiici potest, licèt Filius non sit aliud simpliciter à Patre, seu aliud in essentiâ, est tamen aliud suppositum. Deinde docet P Suarez idē posse producere & conseruare seipsum, & de facto ait Christum se producere, & conseruare in Eucharistiâ, quo in casu dicit Christum esse veram causam sui, ergo causa non necessariò est ad aliud simpliciter, cùm idem non sit aliud à se.

Pater in Diuinis alius à Filio, non aliud.

III. Conimb. hic c. 7. q. 1. a. 1. sic causam definiunt, *causa est id à quo aliquid per se pendet*, Quæ definitio, si rectè explicetur, parum differt à definitione P. Suarij, cùm dicant ipsi nihil propriè pendere ab alio, nisi quod habet essentiam numero saltem ab eo distinctam. Rubius l. 2. tr. 1. n. 53. eandem tradit causæ definitionem quam Suarez, nisi quòd loco vltimæ particulæ *aliud* ponat effectum, quæ tamen particula minùs explicat naturam causæ, quàm particula *aliud* & parit difficultatem in explicando quid sit effectus, & quid sit causa. Per particulam tamen effectus excludit Rubius Patrem Æternum à ratione causæ respectu Filij, cùm iuxta fidem Filius non sit *factus*, sed *genitus*, & idem est de Sp. Sancto, qui non est *factus nec creatus*.

Definitio causæ à Conimb. & Rubio assignata.

IV. Mihi non displicet definitio illa P. Suarij nempe *causa est principium per se influens esse in aliud* Ly *per se* ponitur ad excludendum causas per accidens, vt cùm musicus est architectus, per accidens est quòd sit musicus, nec musica illius concurrit ad ædificiū; vnde ait Aristoteles *Musicus ædificat per accidens*. Additur etiam ly *per se* ad excludendas causas remotas, vt postea dicemus, quæ per se non influunt in effectum productum à causa proximâ. Ly *influens* significat proprium influxum & causalitatem, seu dependentiam.

Vera definitio causæ.

Musicus ædificat per accidens.

V. Tandem, ly *aliud* importat distinctionem in essentiâ seu substantiâ, quam distinctionem in causâ requirit S. Thomas 1. p. q. 33 a. 1. ad 1. vbi ait propterea apud latinos Patres non esse admissum nomen causæ ad intra in Trinitate, quia causa importat diuersitatem substantiæ, & dependentiam. Item Vasq. 1. p. d. 131. c 1. ostendit ex communi sensu Patrum *aliud* neutraliter prolatum significare diuersitatem in naturâ. Vnde Concilium Ephesinum, Toletanum, & Lateranense c. *Damnamus*. de summâ Trinitate, admittunt in Trinitate *alium & alium*, non tamen *aliud & aliud*. Et per hoc patet ad primum, quod n. 2. obiiciebatur, licèt enim admittatur *aliud suppositum* in Trinitate, non tamen *aliud simpliciter*, & propterea Patres admittere noluerunt in Trinitate causam ad intra, quia argueret distinctionem in essentiâ, seu *aliud & aliud simpliciter*, quam tamen distinctionem *aliud & aliud suppositum* non arguit, nam *aliud simpliciter* est idem atque alia natura, vel essentia. Circa secundum, vtrùm scilicet idem producere possit seipsum, dicetur disp. sequente.

Particula aliud denotat distinctionem in essentia.

Pater est alius à Filio non aliud.

VI. Sed obiiciet aliquis sequi, Verbum Diuinum esse causam humanitatis quam sustentat, cùm humanitas sit aliud à Verbo, & ab illo in esse dependeat. Resp. duobus modis pendere humanitatem à Verbo, vno modo in quantum à Verbo simul cum alijs duabus Personis producitur effectiuè, & secundùm hanc rationem non magis pendet à Verbo quàm à Patre, & Sp Sancto, cùm operationes ad extra sint omnibus Personis communes, vtpote procedentes ab vnâ omnibus communi voluntate. Sub hac ergo ratione omnes tres Personæ sunt causa humanitatis, sicut sunt causa ignis vel alterius cuiuscunque effectus, cùm vt sic humanitas à Verbo pendeat sicut res omnes aliæ nempe vt ab influente. Alio modo pendet humanitas peculiariter à Verbo vt à supplente locum subsistentiæ creatæ, & sub hac ratione non influit in eam Verbum, sed respicit per modum puri termini: cùm enim humanitas naturaliter existens non pendeat à subsistentiâ propriâ à priori, seu tanquam ab influente, sed tantùm vt ab vltimo termino naturæ, ita hac tantum ratione pendet à Verbo supplente vices subsistentiæ creatæ, quod proinde dat illi esse, non per modum influxus, sed terminationis.

Operationes ad extra sunt omnibus tribus Personis communes.

VII. Obiicitur vlteriùs; saltem Verbum Diuinum esse causa intrinseca Christi. Resp negando consequentiam, primò, quia nihil est propriè causa, vt multi etiam ex aduersarijs tenent, nisi quod physicè influit, & aliquid effectiuè producit, vnde materiā & formam reiiciunt à ratione causæ propriè dictæ, quia scilicet nihil efficiunt, nec propriè influunt, cū enim non influant in se inuicem & compositum nihil aliud sit quàm partes, si partes non efficiant, non efficient compositum. Secundò, admissa etiam materiam & formam esse causas compositi, adhuc Verbum non erit causa, quia non est quid incompletum ordinatum ex essentiâ suâ ad compositum aliquod constituendum, ita vt ex naturâ suâ exigat connaturaliter aliud. Quâ etiā de causâ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non dicuntur causa Trinitatis, sicut nec tres homines sunt propriè causa numeri ternarij. Vnde similiter negant multi Verbum Diuinum debere dici partem Christi. Sicut ergo illi ob hanc causam negant Verbum esse partem Christi, nos etiam negamus esse causam illius intrinsecam; quæ idem sonare videntur. Imò alij ob eandem rationem nolunt Verbum dici constitutiuum intrinsecū Christi. Alij tamen non refugiunt affirmare Verbum esse causam intrinsecam illius compositi, nempe Christi, & esse illius partem, cum compositum illud, seu

An verbum Diuinum sit causa intrinseca Christi.

Multi negant Verbū Diuinum dici partem Christi.

Christus non sit sola humanitas, vt est manifestum. Sed satis de quæstione de nomine.

VIII. *Actio non est causa, sed causalitas.* Dices; conuenire hanc definitionem actioni, quę tamen non est causa. Resp. verba illa *principium per se influens* sufficienter significare principium influens vt *quod*, sicque per illa satis excludi actionem. Secundò dico, actionem eo modo quo influit, esse causam: sicut ergo influit *vt quo*, seu est ratio formalis per quam causa influit, ita est causa *vt quo*, seu ratio formalis per quam constituitur materia in ratione partis actualis, & consequenter est pars *vt quo*.

IX. *Alia definitio causæ.* Alia à nonnullis assignatur definitio causæ in cōmuni, licèt in re fortè ab hac non differat, nempe, *causa est id à quo aliquid pendet, vt ab influente per se*. Per ly *pendet* dicunt significari productionem essentiæ, qua de causâ negatur ratio causæ ad intra in Diuinis quia licèt, inquiunt, Pater producat Filium, non tamen essentiam diuinam.

SECTIO II.

Deducuntur quædam ex dictis circa naturam causæ.

I. *Non necessariò definitioni causæ adduntur hæ particulæ cum prioritate naturæ.* Hinc infero primò, minùs necessariò definitioni causæ additas esse à quibusdam particulas illas *cum prioritate naturæ*, nam ante has particulas habetur sufficienter ratio causæ, cum Patres non propterea rejecerint rationem causæ à Trinitate ad intra ob proprietatem aliquam naturæ, saltem eo modo explicatam quo eam explicant hi auctores, sed quia causa arguit distinctionem essentiæ, & limitationem seu dependentiam, vt vidimus ex S. Thomâ suprà, & prioritas naturæ sequitur rationem causæ, vel fortè idem reipsâ est cum illâ.

II. *Actio etiam à conditione pendere potest à priori.* Infero secundò, in quo differat causa à conditione. Non autem differūt in eo, vt voluēt aliqui, quòd non dependeat actio vel effectus à conditione à priori: certum est enim, sæpe dependere à conditione à priori, vt, priùs aliquo modo debet igni approximari, quàm comburat, priùs aperiri oculi, quàm quis videat, priùs auferri obstaculum, vel aperiri fenestra, quàm lux ingrediatur, & alia huiusmodi.

III. *In quo differat causa à conditione.* Quidquid ergo habet virtutem in actu primo productiuam & hoc modo constituit principium influxiuum in actu primo, dicitur causa. Conditio autem, licèt requiratur, etiam à priori ad operationem, non tamen constituit principium illud tanquam aliquid à quo efficienter procedit effectus, sed vel auferendo impedimentum aliquod, vt in apertione oculorum; vel tanquam applicatio, vt cū duo portant idem pondus, illi duo constituunt principium adæquatum, requiritur tamen vtriusque approximatio tanquam applicatio illius principij, sine quâ portari pondus non potest: qua de causâ, huiusmodi vocantur conditiones sine quibus non.

IV. *Causa proxima duplex.* Infero tertiò Causam aliam esse proximam, aliam remotam. Causa proxima duplex est: primò, illa est causa proxima, quæ immediatè producit aliquem effectum, vt sol lucem, calor calorem. Secundò, causa proxima est entitas causæ connotans omnia ad operandum requisita, siue concausæ sint, siue tantùm conditiones. Sic ignis vt sit causa proxima, seu ad operandum expedita, præter lignum, & concursum Dei in actu primo paratum, quæ sunt concausæ partiales, materialis illa, hæc efficiens, requirit approximationem, quæ est conditio.

V. *Causa remota similiter duplex.* Causa etiam remota duplex est, in actu primo, & in actu secundo. Causa remota in actu primo est entitas causæ, cui vèl alia concausa, vel saltem conditio deest ad operandum necessaria, vt igni contigit in fornace Babyloniæ, cui tunc deerat concursus Diuinus. Causa remota in actu secundo, est causa quæ non immediatè producit effectum. De quâ plura numero sequente.

VI. Quartò infero, causam remotam non esse propriè causam, cùm non influat *per se*, sed per aliud à se distinctum, vt Adamus non est vera causa Petri qui hodie nascitur, nec ignis A caloris producti à solo igne B, qui tamen ignis antea productus fuerat ab igne A. Causa igitur remota non dicitur causa *per se*, sed *per accidens*; causa enim *per accidens* illa est, quâ ablatâ, maneret idem effectus & causalitas, vnde arguitur, causalitatem illam, & consequenter effectū, non habere dependentiam *per se* ab illâ causâ remota, sicque cùm aqua calida calefacit manum, denominatiuè tantùm tribuitur calefactio illa aquæ, cùm proueniat à solo calore, qui si poneretur à Deo in alio subiecto, vt in lacte, vel conseruaretur sine omni subiecto, eodem modo, & eadem numero actione calorem illum vel produceret, vel conseruaret, & tunc lac diceretur calefacere, non aqua; sicut dicitur videri paries licèt solùm videatur albedo, paries verò, quia obiectum remotum, est obiectum tantùm *per accidens*, quod proinde si abesset, eodē modo perstaret visio: vnde si albedo illa tolleretur à pariete, & poneretur in ligno, vel equo, diceretur per eandem numero visionem, adhuc permanentem, videri lignum aut equus. *Causa per se, & per accidens.*

SECTIO III.

An existentia requiratur ad agendum.

I. Respondeo affirmatiuè. Ita nostri omnes, contra recentiores quosdam dicentes posse causam aliquam operari eo instante, quo iam non est, modò immediatè antea extiterit: quam sententiam impugnat P. Suarez d. 14. Met. s. 3. P. Hurt. d. 8. Phy. s. 5. P. Arriaga d. 7. s. 5. P. Ouiedo cont. 7. Phy. p. 4. & alij. Suppono hic sermonem non esse de causa finali; illa enim, cum solùm sit causa intentionalis, & non agat physicè, non requirit existentiam physicam, sed solum intentionalem, seu vt mente concipiatur, cùm *nihil volitum quin præcognitum*: sicque agricola terram colit, & semen eidem committit ob segetem, quam inde sperat, quæ tamen nondum est. *Non est sermo de causa finali. Nihil volitum, quin præcognitum.*

II. *Certum est Materiam & Formā ad causandum requirere existentiam.* De causâ verò materiali & formali certius est quàm vt à quoquam in dubium vocetur, nam materia (idem est de forma) constituere nequit compositum, quando non est, cum illud constituat per suā entitatem. Præterea, quis dicet albedinem, quæ non est, posse physicè reddere parietem album? aut parietem etiam, qui non est, posse physicè & intrinsecè recipere effectum formalem albedinis, & esse album id, quod non est? Potest tamen id quod non est, recipere effectum formalem alicuius formæ intentionalis, & extrinsecæ, sicut Anti-christus iam denominatur cognitus.

III. *Causa efficiens operari nequit, nisi existat.* Sola itaque difficultas est de causâ efficiente, quā non posse physicè operari, & influere quando non existit, probatur primò, nam posse influere actu, est actu dari virtutem influendi, ergo virtus illa actu est & existit. Dices; est virtualiter & in esse causæ, non tamen formaliter & in esse entis. Contrà, conceptus entis est primus in vnaquaque re, ergo si est in esse causæ, est in esse entis, cùm esse causam supponat esse simpliciter, & existere: nisi per esse virtualiter, non formaliter, velint esse virtutem causæ in actu secundo, seu causalitatem & actionem illius, non entitatem: Sed si hoc dicatur, petitur principium, hoc enim est in quæstione, nempe vtrùm possit esse actio quando non est entitas causæ. Confir. hoc instante

quo

Posse aliquid agere est esse, seu existere potentiam agendi.

quo est actio & effectus, vel est virtus illius effectiua, vel non: si sit, habemus intentum; si non sit, est implicatio in terminis, cùm sequatur posse aliquid agere quando non est potentia, seu virtus agendi. Quod perinde est ac si quis dicat esse virtutem agendi & non esse. Conf. secundò, operatio est actus secundus, ergo supponit actum primum, ergo quandocunque est actus secundus debet esse primus, nec sufficit esse in potentiâ, nam quod solùm est in potentiâ, non est, esse enim, & existere sunt idem.

IV. *Sequitur posse aliquid agere instante antequam sit.*

Secundò probatur, si res possit agere primo instante quo non est, seu postquam desiit, sequeretur, similiter posse aliquid agere instante antequam sit, quæ enim est maior ratio vnius instantis, quàm alterius, nam primo instante quo non est, non habet plus quàm habuit instante immediatè ante existentiam, sed tam verè tunc non est, quàm non fuit in instante immediatè præcedente productionem, ergo.

V. *Posset similiter aliquid agere longo tempore postquam est destructum.*

Tertiò, eodem modo posset aliquid operari, etiã longo tempore post destructionem: tam enim nihil habet virtutis ad agendum primo instante, quo non est, quàm vllo sequente. Dices; requiri & sufficere contiguitatem Causæ & effectus, ac propterea posse causam, quæ non est, operari primo instante, quo non est, non tamen sequentibus: sicut vt candela producat lucem in aëre, sufficit contiguitas illius cũ aëre, non tamẽ propterea potest operari in distans. Et idem est de omni aliâ causa efficiẽte. Contrà primò, nã inintelligibile videtur aliquid operari, quando non habet virtutem operandi, vt suprà diximus. Contrà secundò, ergo saltem posset res operari instante immediatè antequam fuit, modo ipsa immediatè post effectum subsequatur, tunc enim non minùs contiguus esset effectus causæ. Sicut nil refert ad productionem lucis in aëre, ex qua parte sit aër localiter contiguus lucernæ. Deinde, si exemplum quidquam probet, probat posse etiam tempore discontinuatum agens agere, cum agentia physica possint agere in magna distantia, saltem supernaturaliter.

VI. *Posset enim homo videre primo instante post mortem.*

Confir. primò, ergo homo posset videre, & sentire primo instante post mortem, quidni enim æquè, ac ignis produceret calorem eo instante, quo non est? Conf. secundò, nam hac ratione cæci possent videre, surdi audire, & muti loqui, eo enim instante quo perditur visus, auditus, aut loquela, possunt hæ potentiæ operari, æquè ac ignis eo instante quo destruitur; sed tunc sunt cæci, surdi, & muti; ergo &c. Confirmatur tertiò, sequeretur posse hominem in gratia decedentem peccare primo instante post mortem, excitatum ab appetitu sensitiuo, & damnari.

VII. *Viuens moritur, instans peccat, & similia, sunt Amphibola, vel distractio.*

Nec quidquam video quod faciat pro hac sententiâ: quod enim dicunt hanc propositionẽ esse veram, *viuens moritur*, ergo in instante quo moritur, esse debet viuens aliquo modo, cùm illo instante verè dicatur mori. Hoc, inquam, nihil omnino probat: si enim tunc aliquo modo sit viuens, ergo nihil facit pro hac sententia, cum probare debeant hi auctores operationem ab aliquo procedere quod non est; viuens autem secundum ipsos tunc est. Dico itaque, in illâ propositione esse *ampliationem*, sicut cùm quis dicit, *Domus est combusta, hora est præterita &c.* id est, *domus quæ fuit, iam est combusta, hora quæ fuit, iam transiit, Petrus qui fuit, iã est mortuus.* Non ergo est viuus quando moritur, tunc enim est dissoluta anima à corpore, & consequenter non est viuus. Deinde, mors non est exercitium physicum viuentis, sed solùm connotat immediatè antea vixisse illum, qui hoc instante moritur.

Quod verò dicant aliqui, sacramenta physicè gratiam producere primò instante, quo non sunt, Resp. Sacramenta vel non omnino physicè producere gratiam, vt ostendi 3. p. d. 3. de sacramen. s. 3. vel si eam physicè producant, id præstant vltimo instante, quo per aliquid sui adhuc existunt. VIII

SECTIO IV.

Possitne idem effectus pendere simul à duplici causa totali.

I. *Res nequit dependere à duplici causâ materiali, aut formali.*

PRima Conclusio: Nullus effectus, etiam diuinitùs, dependere potest à duplici causâ materiali, vel formali. Ratio est clara, causa enim materialis & formalis sunt partes intrinsecè alicuius rei constitutiuæ, qualibet autem parte intrinseca mutata, mutatur eo ipso compositum, seu essentia, ergo altera parte variata, est essentialiter diuersus effectus.

II. *Potest à duabus causis in diuerso genere.*

Secunda conclusio: idem effectus producitur simul à duabus aut pluribus causis totalibus, in diuerso genere. Probatur, in productione ignis v. g. materia est causa totalis materialis, forma causa totalis formalis, & sic de cæteris. Difficultas itaque procedit de causis totalibus in eodem genere, tùmque efficientibus.

III. *Duæ causæ totales in actu primo, possunt eundem rem simul producere.*

Tertia conclusio: duæ aut plures causæ totales in actu primo eundem sæpe effectum simul producũt. Per causam totalem in actu primo intelligo rem aliquam, quæ licèt hic & nunc attemperet concursum cum alia concausâ, sicque proinde causa partialis in acto secundo, ex se tamen habet virtutẽ in actu primo sufficientem, vt rem illã sola producat. Sic Deus cum igne producit ignem, quem tamen solus, & sine concursu ignis posset producere. Sic quando duæ lucernæ eidem aëri, aut alteri medio diaphano simul applicantur, licèt respectu gradus alicuius intensi lucis sint causæ partiales, etiã in actu primo, cùm neutra illum, in tanta præsertim distantiâ, producere sine alterius concursu possit; at respectu primi gradus lucis in propinquo, vtraque lucerna vim habet in actu primo sufficientem, & quauis extincta, altera eum sola produceret.

IV. *Successiuè res pendere potest à duabus causis totalibus.*

Quarta conclusio: idem numero effectus successiuè pendere potest à diuersis causis totalibus. Hoc probatione non indiget, calor enim, vel ignis ab igne productus amoto igne, à Deo, sole vel cælo, tanquã à causâ adæquatâ conseruatur, sicque à variis causis totalibus successiuè.

V. *Simul non potest.*

Quinta conclusio: non possunt duæ causæ totales efficientes in actu secundo, seu duplici actione totali naturaliter concurrere ad eundem effectum. Ratio est, quia vna actio totalis sufficit, ergo non possunt naturaliter esse plures, cùm natura, sicut *non denegat necessaria, ita abhorreat superflua*: vnica autem actio totalis abundè præstat id ad quod requiritur actio, nempe ponit rem completè extra causas. Actio autem totalis illa est quæ sola sufficit ad producendũ effectum, siue alia ipsam comitetur, siue non, ita vt quacunque ex illis in particulari cessante, perstaret adhuc effectus. Dixi non posse duas causas totales in actu secundo, cõcurrere ad eundem effectum, nam quæ in actu primo, & seorsim totales essent, possunt simul concurrere, vt dixi: sicut cùm duo ignes simul tertium eadem actione producunt, attemperando sic concursum, quem tamen ignem singuli seorsim producere potuissent.

Ratio est, quia Natura abhorret superfluum.

VI. Obiicies primò; ignis A (idem est de aliis agentibus naturalibus) est agens necessarium, ergo aget quantum potest, sed per non potest ignem illum to-

taliter, & independenter ab igne B producere, ergo producet: nec enim ex additione alterius ignis in actu primo similiter sufficientis, minuitur aut ligatur virtus eius operatiua. Idem est in igne B. respectu ignis A, ergo vterque ignem illum tertium producet, vt causa illius totalis, & adæquata.

VII. *Nec dici potest attemperare sibi inuicem concursum.*

Dices; contemperabunt inuicem vim productricem, & non duplici actione totali singuli, sed vna ab vtraque causa procedente ignem illum ambo producent: sicut quando duo, quorum vterque est fortis vt sex, simul leuant pondus vt quatuor, quod vterum solus leuare, sed maiore conatu, potuisset. Quod etiam contingit in duobus equis eundem currum trahentibus, minùs enim vterque laborat, quàm si currum solus traheret. Idem ergo est in præsenti. Sed contrà, in his enim casibus operantur ex cognitione, vel perfectâ, vt in hominibus pondus illud leuantibus, vel imperfecta, & materiali, vt in equis currum trahentibus, ex qua imaginatione determinantur ad concursum sibi inuicem attemperandum. At in igne, & aliis rebus non sentientibus, non est vnde attemperent virtutem; quomodo enim diuinabit ignis adesse aliud agens totale, vt ipsi attemperet concursum?

VIII. *Resp. tamen ostendendo quomodo sibi attemperent concursum.*

Resp. tamen, nullâ opus esse diuinatione, sed ideo maiorem hic non exerit virtutem ignis A, quia in præsentiâ alterius causæ totalis non debetur ei concursus ad actionem totalem, & hoc sensu ligatur vis eius operatiua: sicut anima, licèt, etiam existens in corpore, vires habeat sufficientes ad se cognoscendum intuitiuè, hoc modo tamen non se cognoscit, sed abstractiuè tantùm, seu per species à rebus corporeis abstractas, quia nimirùm non debetur ipsi pro hoc statu concursus ad visionem sui intuitiuam.

IX. *A duplici causa finali non rectè arguitur ad duplicem efficientem.*

Obiicies secundò; dari potest duplex causa totalis finalis, ergo & duplex effectiua. Resp. primò, antecedens non esse vsqueadeo certum, cum ab omnibus non concedatur. Sed admisso pro præsenti posse rem eandem ob duos fines totales appeti, vt deambulationem propter sanitatem, & honestam animi oblectationem, non sequitur in causis efficientibus admittendum posse duos ignes tertium per duplicem actionem totalem producere.

X. *Differentia hac inter causam efficientem, & finalem.*

Disparitas est, quòd cùm actio ad hoc præcisè requiratur vt res ponatur extra causas, & hunc effectum formalem tam vna actio tribuat, quàm centũ, omnis actio præter vnam erit superflua. Sicut secundò omnes superflua esset duplex vbicatio homogenea, seu reus vno aliquo loco figens, cùm vna vbicatio plenè hunc effectum præstet. At verò actus vitales quibus finem appetimus, ordinantur ad perficiendum subiectum vitale, diuersa autem est perfectio, quam accipit anima appetendo finem aliquem ob vnum motiuum, ab illâ quam habet ab alio actu quo eundem finem appetit ob motiuum diuersum. Alia ergo ratio est de intentionalibus, alia de physicis.

SECTIO V.

An saltem diuinitus dari possit duplex actio totalis respectu eiusdem effectus.

I. *Diuinitus dari potest duplex causa totalis.*

CONclusio affirmatiua. Ita Suar. d. 26. Met. sect. 4. n. 9. & 3. p. d. 49. s. 1. Concl. 3. & d. 50. s. 4. Valen. t. 4 d. 1. q. 3. p. 3 Hurt. d. 8. s. 10. Coninck. de Euch. q. 75. ar. 4. d. 3. Moncæ. d. 10. c. 15. Arriaga hic d. 7. s. 10. Ouiedo contr. 7. p. 7. & alij contra Scotum in 3. dist. 1. q. 2. Caiet. Vasq. To. 1. in 3. p. d. 29. c. 4. id negantes. Probatur tamẽ, quia nulla apparet repugnantia, ergo non est cur hoc virtuti diuinæ, & infinitæ denegetur; quæ vnica est, & sufficiens huius rei probatio.

II. *Superfluitas non impedit quo minus diuinitus detur duplex actio totalis.*

Dices primò altera superflueret, ergo non possunt dari duæ. Distinguo consequens; naturaliter concedo, supernaturaliter nego: eodem enim modo probaretur Deum non posse ponere duas quantitates, aut duas albedines vel vbicationes in eodem subiecto, in eodem loco; cùm vna sufficiat, & præstet effectum formalem æquè perfectè, ac duæ. Licèt ergo naturaliter hæc fieri non possint, quia quoad finem à natura intentum altera sufficit, Diuinæ tamen potentiæ id propterea non est denegandũ, qui alium sibi finem, supra naturæ exigentiam, præfigit, ostensionem sc. suæ potentiæ. Sicut & camelum ponere potest aut elephantem in puncto, aut in foramine acus, ad ostendendam suam potentiam, quod tamen fini in iis à naturâ intento aduersatur, cum nullam ibi exercere operationem possint.

III. *Dices, actio est indigentia effectus, ergo non potest dari duplex.*

Dices secundò; & est fundamentum contrariæ sententiæ, quod etiam aliquos ex recentioribus in eam impulit: actio est indigentia effectus, vtpote quâ indiget vt ponatur à parte rei, ergo non potest dari secunda actio totalis. Patet consequentia, effectus indigere hac non potest, cùm altera sufficiat, ac proinde neutra est necessaria. Conf. nam sequeretur, effectum ab vtraque illa causâ pendere, & non pendere: pendere, quia actio est dependentia effectus à causa; non pendere, quia potest esse sine quacunque ex illis, imò sine vtraque.

IV. *Resp. nullã actionem determinatam esse indigentiam effectus.*

Ad argumentum, distinguo Antecedens, actio hæc determinata est indigentia effectus, nego antecedens; aliqua indeterminatè sumpta, concedo: non enim indiget effectus vllâ in particulari, cùm alia sufficiat, ac proinde nulla in particulari est necessaria, saltem absolutè & simpliciter, est tamen necessaria secundùm quid, & supposito quòd non detur alia, hoc enim supposito, necessariò requirit effectus hanc, cùm requirat aliquam. Ad Confirmationem Resp. si per pendere intelligatur, accipere suum esse, tùnc effectum pendere ab vtraque: si verò per pendere intelligatur, egere illis absolutè, tunc dico à neutra pendere determinatè, & simpliciter: vnde si pendere sumatur eodem modo, nunquam sequitur effectum pendere & non pendere ab illis causis totalibus.

V. *Actio nequit pendere à duplici causâ totali, quamuis possit effectus.*

Dices tertiò; non potest eadem actio pendere à duabus causis totalibus, ergo nec idem effectus. Nego consequentiã, disparitas est manifesta, actio enim cum sit per se actualis dependentia ab hoc numero agente, mutato vel partialiter agente, mutatur necessariò actio, quia est quasi essentialis affectio illius agentis; sicut ablata minima parte obiecti, mutatur & perit tota visio. At verò effectus non est essentialis dependentia ab hoc determinato agente, sed est indifferens vt ab hoc vel illo agente producatur, & hac vel illa actione; ac proinde non est eadem ratio effectus & actionis, cùm effectus sæpiùs mutare possit causas, actio nunquam.

VI. *Quid intelligatur per causam totalem in actu secundo.*

Vt autem tollatur omnis æquiuocatio, notandum per causam totalem & adæquatam non hic intelligi causam, quæ non habeat consortium alterius causæ vnà cum ea effectum illum producentis, sic enim clarum est non posse dari duas causas totales: sed per causam totalem in actu secundo intelligimus illam quæ independenter à concursu alterius ita hic & nunc operatur, vt licèt altera causa abesset, illa nihilominus effectũ produceret, atque eâdem actione, qua cum modò producit simul cum alterâ causâ per aliam actionem similiter ab hac independentem eundem producente.

Di-

VII. *Dicitur potentes duas actiones totales naturaliter pugnare, & de supernaturalibus.*

Dices quartò, hæ duæ actiones totales naturaliter pugnant inter se, ergo non potest Deus efficere vt sint simul, sic enim tollere deberet hanc earū oppositionem & repugnantiam; quam tamen tollere non potest, cū ea sit ipsa sola earum entitas. Confirm. Deus per suam voluntatem solam non potest efficere vt formæ, quæ sibi opponuntur, non opponantur, sicut efficere è contrario non potest, vt quæ non opponuntur, opponantur, vt v.c. calor albedinem, vel frigus lucem ex eodem subiecto expellat.

VIII *Resp. ostendendo quomodo Deus efficere vt hæ actiones non repugnent.*

Hæc obiectio non caret diffi.ultate. Ad argumētum tamen & confirmationem Resp. Deum non tollere naturalem actionum istarum repugnantiam, sed, illa non obstante, efficere, vt se inuicem compatiantur, non per meram suam voluntatem, sed producendo in illis duas rationes homogeneas, seu ipsas determinantes ad certum aliquod instans: per has autem supernaturaliter productas determinantur hæ duæ actiones, vt simul afficiant eundem terminum, quem naturaliter afficere non possunt. Sicut per duas vbicationes homogeneas duo corpora naturaliter impenetrabilia penetrantur inter se, & in eodem loco statuuntur.

Vrgebis, eadem est difficultas de durationibus illis homogeneis, cùm enim naturaliter sibi inuicem repugnent, non potest Deus efficere vt sibi non repugnent. Resp. non efficere Deum vt naturaliter nō repugnent, sed per voluntatem hanc supernaturalem illas in genere causæ efficiennis producere, & eas ipso facto sibi reddere coëxistentes: cùm enim indifferentes non sint vt existant, & non existant simul (quam tamen indifferentiam habent duæ actiones totales) idem est velle illas supernaturaliter, & velle vt supernaturaliter sint simul, vt ex natorā durationum constat. IX. *Differentia inter duas rationes, & duas actiones totales.*

DISPVTATIO XIX.

An idem possit producere seipsum.

SECTIO PRIMA.

Quid hac in re sentiendum.

I. *Propositio statui quæstionis.*

QVæstio procedit quoad secundum esse, seu vtrùm à re per vnam actionem à solo Deo, vel agente aliquo creato productā, possit noua actio procedere ad eandem rem terminata, quā se secundò producat: nam non posse rem vllam se primò producere certum omnino est; cùm enim prius sit esse quàm operari, quidquid agit, debet pro aliquo priori supponi existens, ergo ante omnem operationem est, ergo per illam actionem non primò accipit esse. Conf. actio productiua rei est physica, ergo procedere debet à principio physicè existente. Conf. secundò, non potest aliquid eleuari ad agendum nisi existat, cum quicquid elenatur, supponi debeat tanquam fundamentum eleuationis. *Certum est nihil posse producere se primò.*

II. *Nihil posse naturaliter producere se secundò.*

Deinde, non posse quidquam secundò se producere naturaliter, non minus videtur certum: cum enim vna res non possit aliam iam per vnam actionem ab aliqua causā productam, stante illā actione, denuò producere, multo minus id præstare poterit idem respectu sui ipsius. Ratio vniuersim est, quia, vt dixi d. præc. s. 4. fine, cùm actio ordinetur ad rem à parte rei, seu extra causas ponendam, & hoc perfectè præstetur per vnam actionem totalem, alia esset superflua. Quærimus itaque vtrum res existens per vnam actionem, eleuari diuinitus possit ad se secundò per actionem aliam producendum.

III. *Prima sententia negat posse aliquid creatum se producere secundò.*

Prima sententia est P. Vasq. Card. de Lugo d. 7. de Eucha. sect. 2. n. 22. P. Moncæi d. 10 c. 16 P. Oviedo c. 9. p. 10. P. Hurt. d. 9 Phy s. 13. vbi mordicus defendit non posse rem vllam obedientialiter eleuari ad se secundò producendum, quia hoc posito, non possemus, inquit, in Diuinis productionibus probare distinctionem trium personarum. Quam sententiam multi sequuntur ex recentioribus.

IV. *Posse aliquid vt causa moralis se secundò producere.*

Dico primò: potest aliquid tanquam causa moralis se secundò producere. Probatur, nam iuxta communem sententiam Theologorum, Christus meruit suam resurrectionem, ac proinde vt existens in vno tempore meruit existentiam sui pro alio, vnde & Angelus existens in vno loco vel tempore, mereri potest existentiam sui in alio, vel per nouam vbicationem, vel etiā reproductionem. Ex quibus infero, nullam apparere repugnantiam quo minus possit etiam mereri vt per aliam actionem à Deo producatur, vel conseruetur in eodem loco retinendo adhuc priorem actionem, per quam antè conseruabatur.

V. *Potest aliquid se secundò producere physicè.*

Dico secundò: non repugnat idem eleuari ad se secundò physicè producendum. Ita Suar. To. 3. in 3. p. d. 50. sect. 4. & plurimi ex recentioribus. Vt æquiuocatio, cui hæc quæstio obnoxia est, tollatur.

VI. *Quid sit se produci secundò.*

Notandum primò, quando dicimus aliquid producere se quoad secundum esse, non quoad primū, non esse ita intelligendum, quasi in re sint duo esse, seu duæ essentiæ, vel existentiæ, hoc enim falsum est cūm à parte rei nihil sit aliud quàm vnica indiuisibilis entitas, quæ, vt primò producitur, dicitur accipere primum esse, vt deinde per aliam actionem à priori aliquo modo dependentem secundò producitur, dicitur accipere secundum.

VII. *Vna actio aliam non necessariò ratione ordine supponit.*

Notandum secundò, non debere has actiones merè se habere disparatè sed secunda aliquo modo dependere debet à prima, & illam supponere. Vnde si Deus vel primo instante, vel sequentibus rem aliquam per duplicem actionem totalem & se inuicem independentem produceret, neutra esset prima vel secunda hoc sensu, quantumuis vna aliam, etiam tempore, præcederet. Hæ ergo duæ actiones talis sunt naturæ, vt Angelus vtramque intuens videat esse essentialem inter vtramq; subordinationem, & quæ sit prima, & quæ secunda; videt enim primo se secundam actionem à re illā vt existente, ac proinde rem illam necessariò actionem aliam supponere productiuam vel conseruatiuam sui; cùm esse nequeat à se. Et in hoc disparitas est inter actionem quā res secundò producit se, & quā effectus secundō producit suam causam; illa enim actio ita est secunda & dependens ab aliqua alia, vt esse non possit prima & independens; actio verò quā effectus producit secundò suam causam, licèt de facto mediatè ab aliqua actione quā causa producitur, dependeat, posset tamen esse prima, & ab omni actione productiuā causæ illius independens, cùm per accidens sit quòd principium à quo hæc actio producit, dependeat ab illā causā: licèt enim ignis A de facto primò *Vide Angelus quā à se sit primo, quā secundo.*

pro

producat ignem B. potuisset tamen è contrà ignis B. primò producere ignem A, idque per eandem actionem per quam eum modò producit secundò.

VIII. *Res ad hoc eleuari potest etiam primo instante quo existit.* Notandum tertio, non satis consequenter loqui illos qui concedunt posse rem aliquam eleuari ad se denuò producendum secundo instāte, vel aliis postquam est producta, non tamen primo instante suæ productionis. Hoc, inquam, non satis consequenter dicitur, primò, quia tam res est primo instante, ac vllo alio, ergo sicut sol potest naturaliter producere lucem primo instante quo est, ita quidni eleuari potest obedientialiter ad secundùm se eodem instante producendum? Deinde non vitant difficultatem; ideo enim asserunt non posse rem primo instante quo est, eleuari, quia non potest tunc intelligi cum sufficiente prioritate, sed contra hoc est, nam tam in secundo instante, quàm primo debet intelligi priùs quàm operetur, quoad influxum enim physicum perinde se habet existentia rei in instantibus præcedentibus, ac si omnino non fuisset, si eo instante non sit. Debent ergo ipsi in secundo, vel alio quocunque instante assignare prius & posterius naturæ, & rationis, ergo & assignari illa poterunt in primo; cùm enim, vt dixi, totum tempus præcedens eodem modo se habeat, atque si non fuisset, perinde est ad eleuationem, atque si hoc instans esset primum.

IX. *Hæc secunda actio est ordine naturæ conseruatio.* Notandum quartò, actionem illam quâ res secundò seipsam producit, si spectemus ordinem naturæ, posse vocari conseruationem: sicut enim in duratione reali illa actio est conseruatio quæ ponitur post primum instans realis durationis, estque tempore posteriùs primâ, ita & illa actio ordine naturæ non incongruè dici poterit conseruatio, quæ licèt non tempore, naturâ tamen est posterior, qualis est hæc secunda actio, vtpote quæ essentialiter supponit aliam se priorem; procedit enim, vt dixi, à re, vt pro aliquo priori existente, ergo vt habente aliquam actionem sui productiuam. Imò magis essentialiter est conseruatio ordine naturæ, quàm alia ordine temporis; illa quippe potuisset ordine temporis esse prima rei illius productio, hæc verò nec per potentiam absolutam potest esse prima productio, cùm necessariò supponat aliam actionem, vt ostensum est.

X. *Probatur posse aliquid eleuari ad se secundò producendum.* Probatur itaque conclusio; præcipua ratio cur idem non possit primò producere seipsum, vt initio sectionis vidimus, est, quia ad operandum prærequiritur existentia: qua de causâ nil potest primò se producere, nam ante productionem illam, (cùm sit actio) requiritur existentia rei, ex quo manifestè sequitur non posse rem illam dare sibi primum esse: sed hæc ratio hic non vrget, ergo. Probatur minor, ad hanc secundam actionem præsupponitur res existens per primam, cùm per illam independenter ab hac secunda ponatur extra causas, ergo pro illo priori habet sufficienter existentiam, & aptitudinem ad operandum, vt sit principium secundæ actionis. Conf. potest effectus eleuari ad secundò producendam suam causam, vt postea videbimus, ergo & idē vt se secundò producat, nec enim multò plus incōmodi ex hoc sequitur, quàm ex illo, vt ex argumentorum solutione constabit.

XI. Præcipua tamen conclusionis huius probatio (sicut & aliarum omnium quæstionum, quæ procedunt de potentiâ absolutâ) est argumentorum solutio, quam ponemus sec. sequente.

SECTIO II.

Argumenta contendentia non posse idem secundò producere seipsum.

Obiicies primò; hinc sequi, idem esse prius se, id enim quod aliud producit, necessariò esse debet prius producto. Conf. hinc enim sequeretur, idem dependere à se. Resp. primò, idem argumentum fieri posse de duabus causis mutuò se quoad secundum esse producentibus. Distinguo itaque antecedens, sequitur idem esse prius se quoad primum esse, seu quoad primam actionem, nego antecedens, quoad secundam actionem, concedo: in hoc autem nihil implicantiæ, cùm iam res illa pro aliquo priori sufficienter existat, ad operandum. Ad Confirmationem dico, dependere à se non simpliciter, sed secundùm quid, seu quoad secundum esse, hoc autem non est propriè & simpliciter dependere, cùm dependentia strictè sumpta dicat non posse rem sine actione illâ vel aliâ simili existere, quod, quoad secundam actionem, hîc non contingit, vt constat. I. *Quomodo res se secundò producens sit prior se.* Esse itaque rem per vnam actionem priorem se vt per aliam actionem, solùm est esse priorem actione quâ secundò producitur, seu priùs esse vno titulo quàm sit alio: vnde per primam simpliciter existit à parte rei antequam ponatur secunda, per secundam autem non existit res simpliciter, sed solùm secundùm quid. *Quid sit absurdum in hoc casu esse priorem se.*

II. *Obiij hanc doctrinam eneruare mysterium Trinitatis.* Obiicies secundò; ex hac doctrinâ valde eneruari mysterium Sanctissimæ Trinitatis, si enim non requiratur distinctio inter principium producens, & rem productam, ex duabus processionibus non argueretur esse tres Personas, duas productas, & vnam improductam, quæ sit origo totius Trinitatis; dici enim posset Verbum iam existens per generationē producere se secundò, & sic erunt duæ processiones & tantùm vna Persona producta. Nec satisfacit si respondeas, non posse idem producere seipsum nisi per eleuationem, & potentiam obedientialem, quæ in Deum cadere non potest: hoc, inquam, non satisfacit, dici enim posset ea quæ creaturis sunt supernaturalia, esse Deo naturalia, vt sunt impeccabilitas, visio Dei &c. Vnde vel prima, vel secunda Persona in Diuinis naturaliter producere posset se secundò, sicque ex duabus processionibus non argueretur Trinitas Personarum.

III. *Variis instantiis retorquetur argumentum.* Sed contrà primò, nam iuxta auctores contrariæ sententiæ, eleuari potest effectus ad secundò producendum principium, à quo primò fuit productus, vt ignis B productus ab igne A, eleuari secundùm ipsos potest ad secundò producendum ignem A: si ergo liceat à creatis argumentum deducere ad increata, quare non poterit Filius à Patre productus producere secundò Patrē? non obstat eleuatio, quia quod creaturis est eleuatio & supernaturale, est, secundùm aduersarios, Deo naturale, ergo ex duabus productionibus non licebit arguere esse tres Personas in Diuinis; sicque quod tam operosè stabilire contendunt, ex suis ipsi principiis destruunt.

IV. Contrà secundò; communissima est sententia, quam etiam admittunt plerique ex aduersariis, posse rem eandē in creatis supernaturaliter produci duabus actionibus totalibus, ergo si quod supernaturaliter conuenit creaturis, possit naturaliter conuenire Deo, poterit Pater secundò producere Filium, & sic ex duabus productionibus non arguetur Trinitas Personarum, vel etiam Filius secundò vel tertiò producere posset Spiritum Sanctum, & sic non duæ solùm, sed plures essent productiones in Diuinis.

Ad

V. Ad argumentum itaque Resp. licèt in creatis possit idem eleuari ad secundò producendum seipsum, quemadmodum & ad producendum principiū à quo producitur; sicut tamen secundum in Diuinis reperiri non potest, ita nec primum. Admittendum itaque, quod est verissimum, non posse quidquā in Deo esse ipsi supernaturale, nihil omnino ex nostrâ sententiâ infringitur mysterium Trinitatis, qui solùm dicimus posse supernaturaliter hoc fieri, non naturaliter: sicut autem ex eo quod supernaturaliter possit in creatis vel idem se, vel principium productiuum sui secundò producere, non sequitur posse id præstare naturaliter, ita nec sequitur posse illud reperiri in Deo, cùm si ibi esset, esset naturaliter. Ratio autem est, quia in iis quæ naturaliter fiunt, quando est vna actio sufficiens, alia siue totalis siue partialis est superflua: sicut autem in naturâ, ita multò magis in auctore naturæ vitari debet superfluum.

Argumentum supra propositum soluitur.

Nil in Deo esse potest Deo supernaturale.

Sicut Natura, ita multo magis Auctor naturæ in se abhorret superfluum.

VI. Et licèt in creatis possit Deus ad ostendendam suam potentiam, efficere vt res secundò producat se, non tamē potest in Diuinis hunc sibi finem præfigere, cum omnis operatio ad intra in Diuinis sit necessaria, & consequenter, nisi naturaliter hoc habeat, non potest id efficere, naturaliter autem hoc non habet ob rationem dictam, ergo. Dices; est finis sufficiens, nempe vt Filius sit etiam à se, ergo potest hoc habere sine superfluitate & consequenter naturaliter. Contrà, secundùm hunc modum philosophandi quot processiones haberemus in Diuinis? nam iterum nouus finis esset vt filius procedat à Patre simul & Filio, vt Filius producat Patrem, vt vel Pater Filium, vel Filius Patrem duplici actione producat, & sic de cæteris, atque ita nec finium, nec processionum esset finis.

VII. Obiicitur tertiò; Patres frequenter asserere nihil posse producere se, & ex hoc principio deducunt distinctionem Personarum in Diuinis. Sed contrà primò, nam vt notant communiter Theologi, rarissimè Patres mouent quæstiones de potentiâ absolutâ, ac proinde quando dicunt non posse idem producere se, intelligunt secundùm cursum naturam rebus à naturâ insitam. Et hoc sufficiebat ad eorum intentum, vt proximè ostendimus; si enim nihil se naturaliter possit producere & Deus quidquid agit, aget naturaliter, sequitur apertè, si Pater ad intra aliquid producat debere esse ab eo distinctum.

Patres raro mouent quæstiones de potentiâ absolutâ.

VIII. Contrà secundò, non minùs, imò magis frequenter dicunt Patres non posse creaturam creare, sed hoc esse proprium Dei, & tamen plurimi ex aduersariis docent, posse creaturam supernaturaliter creare, & mentem Patrum explicant, ea illa ipsius esse proprium Dei creare naturaliter.

IX. Obicies quartò; secundùm Theologos communiter, si Spiritus Sanctus, non produceretur, seu procederet à filio, non distingueretur ab illo, ergo ideo distinguitur quia procedit, ergo productio est signū sufficiens distinctionis, ergo nihil potest producere seipsum. Distinguo vltimum consequens, ergo nihil potest producere seipsum naturaliter, concedo consequentiam (nam illa actio foret supernaturalis, productio autem Spiritus Sancti est naturalis) ergo nihil potest producere seipsum supernaturaliter, nego consequentiam.

Argumentum ex processione Spiritus sancti. Respondetur obiectioni.

X. Obicies quintò; repugnet aliquid esse causam materialem vel formalem respectu sui ipsius, ergo & se producere effectiuè. Contrà primò, possunt secundùm aduersarios duæ causæ, formæ ignis v.g. eleuari ad se secūdò producendum efficienter, quidni ergo ad se informandum vel recipiendum? Diuersissima ergo est ratio de causâ materiali ac formali, & de efficiente.

Argumentum à paritate causæ materialis & formalis.

XI. Disparitas autem est, vel enim est sermo de re aliquâ completâ, Angelo v.g. & secundùm omnes non potest esse causa materialis, vel formalis respectu alterius Angeli, cùm sit quid completum, multò minùs respectu sui: vel sermo est de re incompletâ, & de hac eadem videtur ratio, vel enim est materia, & tunc non potest fieri forma nec diuinitùs, magis quàm homo equus; vel est forma, & hæc vicissim fieri nequit materia, sicque nec ab aliâ formâ substantiali informari.

Assignatur disparitas.

XII. Obiicit sextò P. Vasq. sequeretur rem eandem simul esse in fieri & facto esse. Quòd sit in facto esse, patet, cùm tunc operetur, esse autem est prius quàm operari; quòd verò etiam sit in fieri, probatur, tunc enim producitur, ergo simul est in fieri, & facto esse. Contrà primò, idem quoad hoc est de duabus causis se inuicem quoad secundum esse producentibus, vt discurrenti patebit. Contrà secundò, hoc enim probaret nec solem posse operari primo instanti quo est, sequeretur enim esse simul in fieri, cùm tunc producatur, & in facto esse, cum tunc etiam operetur prius autem est esse quàm operari. Resp. itaque respectu diuersæ actionis id non esse inconueniens, vnde respectu primæ actionis est in fieri, respectu secundæ in facto esse.

Obiicitur idem esse in fieri & facto esse.

Instantia obiectionis.

Argumentum solutum.

XIII. Vrgebis, etiam respectu eiusdem actionis est in fieri & facto esse, nam respectu secundæ actionis est in fieri, cùm ab illâ producatur secundò; est etiam simul respectu illius in facto esse, cùm res illa supponatur ad ipsam existens, vtpote illius principium, ergo. Distinguo primum antecedens, est in fieri & facto esse respectu eiusdem actionis, hoc est, per eandem actionem est simul in fieri & in facto esse, nego antecedens; est in fieri & facto esse respectu eiusdem actionis, id est, est in fieri formaliter & secundariò respectu illius, in quantum scilicet per illam secundariò producitur, & in facto esse respectu illius præsuppositiuè, per aliam scilicet actionem, per quā prius naturâ producitur independenter ab hac, concedo: sed hoc nihil contra nos, vt constat.

An respectu eiusdem actionis res sit in fieri & facto esse.

SECTIO III.

Tres aliæ difficultates circa eleuationem rei ad producendum seipsam.

I. OBiicies septimò; non potest idem esse Dominus aut Rex sui, ergo nec se producere. Resp. primò, ad rationem Domini, & Regis ex communi consensu omnium requiri distinctionem voluntatum, ob superioritatem, quam habere debent in subditos & relationem, quæ requirit terminos distinctos. Secundò dico, mihi non videri improbabile, sicut iuxta satis communem sententiam potest quis in duobus locis diuinitùs constitutus peccare & alia facere in vno loco & non in alio, ita & posse eum in vno loco constitui dominum, regem, & superiorē sibi vt in alio, cùm non vbique eandem necessariò seruet vitæ conditionem. Ad hoc autem, sicut & ad alia sufficit virtualis distinctio voluntatum, sicut idē in duobus locis esse potest superior sibi localiter, vt est manifestum. Et hinc infero, saltem posse aliquid eleuari ad se in diuerso loco constitutum secundò producendum.

Idem non potest esse Dominus respectu sui.

Homo vt in vno loco Rex sui vt in alio.

II. Obicies octauò; definitur causa esse *id quod influit esse in aliud*: ergo nihil potest producere seipsum, sic enim esset, & non esset causa. Conf. producens & productum sunt correlatiua, ergo distinguuntur. Ad argumentum Resp. latiùs extendi hoc quod est producere, quàm esse causam, vt patet in Diuinis: vnde dicimus, casu quo idem eleuaretur ad producendum se, non esset causa in hac strictâ acceptione causæ,

Arguitur ex definitione causæ. Respondetur.

causæ sed solùm principium.

III. Ad confirmationem Resp. etiam actum & obiectum esse correlatiua, & tamen potest actus aliquis esse obiectum sui vt constat in hoc actu, *nemo actus intellectus est spiritualis, simplex qualitas* &c. Deinde, distans dicit relationem aliquam ad id à quo distat, & tamen quando idem est in duobus locis, non dicit relationem vllam distantiæ ad se. Dices; res vt distans à se dicit relationem ad se formaliter vt distantem, seu ad formam per quam distat. Contrà, sic etiam dicere poterit relationem ad se vt productũ seu ad formam per quam producitur. Verum ergo habet dictum illud in productionibus tantùm naturalibus, has enim solas nouit dicti illius auctor Aristoteles. Reductiuè tamen & impropriè hîc dici possunt producens & productum correlatiua, in quantum scilicet similitudo quædam intercedit illius productionis quâ res vna aliam efficit. Aliqui tamen dicunt ad hoc sufficere virtualem distinctionem extremorum, vt numero 1. insinuaui de Rege & Domino.

Correlatiua solum sunt ea, quæ producunt, & producuntur naturaliter.

IV. Obiicies nonò; sequi ex nostrâ sententiâ dari formam quæ essentialiter supponat suum effectum formalem priùs communicatum. Probatur sequela, hæc secunda actio necessariò supponit rem productam per aliam actionem, ergo præsupponit suum effectum formalem, hoc autem non magis videtur fieri posse, quàm vt detur albedo quæ in subiecto supponat aliam albedinem, quod ab omnibus censetur magnum inconueniens. Sed contrà, licèt enim censeatur inconueniens vt detur forma, quæ supponat effectum suum formalem adæquatũ, non tamen quæ supponat effectum inadæquatum, quod omnes qui statuunt heterogeneitatem in intensione accidentium (quod præstant plurimi ex aduersariis) admittere debent, in albedine & aliis qualitatibus; secundus enim gradus albedinis non minus est albedo, & denominat subiectum album quàm primus, & tamen naturaliter supponit primum, & subiectum iam esse album.

Obij. formandam actionẽ fore superfluam, cùm supponat suum effectum.

V. Dices primò; secundus quidem gradus albedinis supponit primum, sed tribuit alium effectum formalem, nempe reddit subiectum intensiùs album. Contrà, etiam hæc secunda actio dat effectum formalem, saltem inadæquatè diuersum, licèt enim sit actio, est tamen diuersæ rationis ab alterâ, & potiùs conseruatio quædam illius rei, quàm prima productio. Imò maior esse videtur diuersitas inter hanc secundam actionem & primam, quàm inter primum, & secundum gradum albedinis.

Tam secunda actio dat nouum effectum formalem, quã secundus gradus albedinis.

VI. Dices secundò; secundus gradus albedinis supponit primum solùm naturaliter, vnde per potentiam absolutam potest esse sine illo: at verò hæc secunda actio ita essentialiter supponit primam, vt nec diuinitus existere sine illâ possit. Contrà primò, si in naturalibus detur forma, quæ connaturaliter semper supponit suum effectum, saltem inadæquatum, quidni diuinitus dari aliqua poterit, quæ effectum suum formalem inadæquatum supponat, etiam in ordine ad potentiam absolutam?

Obij. secundam actionẽ supponere primam essentialiter.

VII. Contrà secundò, ab omnibus admitti debere videntur formæ aliquæ quæ ita effectum suum inadæquatum supponant, vt eo non præsupposito, nec diuinitùs existere possint. Ex. g. effectus adæquatus vnionis inter animam & corpus est reddere partes illas essentiales hominis peculiari modo, intimè sibi inuicem præsentes, in ordine ad vnum compositum constituendum, & operationes sensitiuas eliciendas, & tamen ita per duas vbicationes has partes intimè sibi inuicem præsentes supponit, vt vbicationibus illis non suppositis, existere vnio non possit, nec diuinitùs. Idem est in opinione statuente figuram esse modum ab vbicationibus distinctum, collocantem certâ ratione partes in ordine ad se permanẽtes, qui tamen modus sine vbicationibus idipsum inadæquatè præstantibus produci nequit. Quod etiam de subsistentiâ totali, si sit modus, dici similiter debet.

Formæ aliquæ essentialiter supponunt effectum suum formalem inadæquatũ.

VIII. Quòd verò effectus formalis huius secundæ actionis sit inadæquatè diuersus ab effectu formali primæ, probatur, licèt enim vtraque sit productio, alio tamen modo producit rem secunda quàm prima, & per modum potiùs conseruationis quàm primæ productionis. Deinde, actio non solùm respicit terminum sed agens, vnde licèt ex parte termini nihil appareret diuersum in effectu formali vnius actionis ab effectu formali alterius, sufficeret tamen ad illius possibilitatem diuersitas effectus formalis prout respicit agens. Cùm itaque secunda actio denominet rem illam exercentem quasi potestatem quandam supra seipsam, quod non facit prima, habet effectum formalem inadæquatè ab illâ distinctum, & sufficientem vt supernaturaliter eiusmodi actio poni possit.

Diuersitas secundæ actionis à primâ.

DISPVTATIO XX.

De proprietate causæ respectu effectûs.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa prioritatem prænotantur.

I. PRioritas quoad præsens, triplex est: *temporis*, vt pater in creatis est prior tempore filio, dispositiones formâ, si vltimam exceperis: *rationis*, cùm scilicet in re realiter eâdem conceptus varios distinguimus, vbi vniuersaliores semper sunt priores, quia simpliciores: inuenitur tamen nonnunquam prioritas rationis inter prædicata quorum vnum non latiùs patet altero, vt in Diuinis intellectio est ratione nostrâ prior volitione, immutabilitas æternitate. Tertia demum prioritas est *prioritas naturæ*, quando scilicet vnum verè pendet ab alio, quam prioritatem præcipuè hîc declarandam suscipimus.

Prioritas triplex. Temporis. Rationis.

Naturæ.

II. Aliæ duæ numerantur à Philosophis prioritates, nempe *prioritas subsistendi consequentiâ*, & *prioritas originis*. Illa est, cùm aliqua duo non se habent conuertibiliter in subsistendi consequentiâ, seu quando non valet mutua consequentia vtriusque ad se inuicem, sed solum vnius ad alterum, non econtrà: id autem à quo non valet consequentia, est hoc sensu prius. Hæc non est propria prioritas, cùm hac ratione terminus sit prior actione qua producitur, valet, enim, *est hæc actio, ergo hic terminus*, non è contrà, *est hic terminus, ergo hæc actio*, cùm per aliam actionem produci idem terminus possit. *Prioritas originis* (quam S. Thomas & Theologi communiter ordinem potiùs, quàm prioritatem vocandam asserunt, nobisque ex principiis fidei innotescit) est dum Pater æternus producit Filium, cum omnimodâ tamen simultate temporis & naturæ, vnde non refugiunt Theologi dicere

Prioritas subsistendi consequentia.

Prioritas originis.

dicere Patrem æternum esse priorem origine Filio, vtpote à quo Filius verè procedit.

III. *Prioritas in quo.* Vlterius prioritatem diuidunt aliqui in prioritatem *in quo* & *à quo*. Prioritas *in quo* est cùm duo in eodem instante reali ita existunt, vt vnum dependeat, & accipiat esse ab alio, tanquam ab influente, non è contrà, saltem de facto; vnde præbetur fundamentum intellectui concipiendi vnum non concepto altero, vt solem non conceptâ luce: licèt autem etiam concipi possit lux non concepto sole, lux tamen non est prior sole prioritate *in quo*, quia sol non accipit suum esse à luce tanquam ab influente in solem.

IV. *Prioritas à quo.* Prioritas verò *à quo* est id à quo aliquid quomodocunque accipit suum esse, siue id à quo illud accipit, existere sine illo possit, siue non. Sic actio dicitur prior termino prioritate *à quo*, esto sine hoc numero termino esse omnino non possit, cùm sit modus illius. *Omnis causa prioritate à quo est prior suo effectu.* Omnis itaque causa est prior *à quo* suo effectu, quia effectus ab illâ pendet, & esse suum ab eâ accipit. Imò Pater æternus dicitur aliquo modo prior Filio prioritate *à quo*, cùm Filius ab eo verè producatur, non tamen debet dici prior naturâ Filio, cùm hoc sonet esse vnam naturam aliâ priorem; in Diuinis autem vnica tantùm est natura.

V. *Ad prioritatem naturæ tria requiruntur. Primò, vt influat.* Quæres ad prioritatem naturæ propriè dictam, quid requiratur? Resp. tria hæc requiri: primò, vt id quod est naturâ prius alio, det ei esse, seu verè in illud influat. Ratio est, quia prioritas naturæ imitatur prioritatem temporis, vnde sicut in prioritate temporis est successio quædam quoad durationem, ita hîc esse debet quædam consecutio quoad naturam, seu vt vnum physicè in aliud influat.

VI. *Secundò, vt realiter distinguantur.* Secundum ad prioritatem naturæ requisitum est, vt id quod producitur sit ab eo quod producit distinctum realiter in naturâ, seu essentiâ. Hoc ex ipsa notione nominis colligitur, esse enim naturâ prius re aliquâ, est habere naturam illâ priorem. Quo titulo, vt suprà dixi, excludunt Theologi prioritatem naturæ è Diuinis; licèt enim duæ ibi personalitates producantur, cùm tamen natura in omnibus tribus Personis sit numero eadem, nec Pater Filio, nec Pater simul & Filius Spiritu Sancto priores in naturâ esse possunt.

VII. *Tertiò vt sit ab effectu independens.* Tertiò ad prioritatem naturæ requiritur, vt id quod producit, sit à re productâ independens. Sed quia independentia hæc, quanta esse debeat non satis inter auctores conuenit, aliis maiorem, statuentibus, aliis minorem, ad rem hanc declarandam statuam sectionem sequentem.

SECTIO II.

Qua independentia requiratur ad prioritatem naturæ. Vbi an detur dependentia à posteriori.

I. *Quidam prioritatē naturæ cōstituunt in independentia.* REcentiores aliqui naturæ prioritatem inter causam & effectum constituunt in dependentiâ effectûs à causâ, cum omnimodâ independentiâ causæ ab effectu seu in dependentiâ, vt aiunt, cum independentiâ. Vnde, inquiunt, si causa vllo modo dependeat ab effectu, tollitur conceptus prioritatis naturæ, & tam effectus influet in causam, quàm causa in effectum.

II. Hæc sententia, quamuis eruditè à suis auctoribus explicetur & illustretur, mihi tamen nunquam placuit: antequam tamen eam impugnem.

III. *Independentia triplex: ab antecedente, concomitante, & consequente.* Notandum, independentiam, sicut & dependentiam, triplicem esse; ab *antecedente, concomitante, & consequente*, seu à priori, simultaneo, & posteriori.

Triplex hæc independentia Deo perfectissimè conuenit: independentia *à priori*; nullam enim habet causam sui: *à posteriori & concomitante*; ita enim creaturas producit, vt eas liberrimè producat, & earum existentiâ nullo modo indigeat. Res aliæ, creaturæ cùm sint, à suis quæque causis singulæ, à Deo omnes à priori dependent. Quædam etiam à rebus creatis *à concomitante* pendent, vt duæ partes compositi naturalis; ex quibus neutra aliam producit; quædam *à posteriori*, vt mox ostendam.

IV. Impugnatur itaque sententia iam relata; & probo prioritatem naturæ non consistere in dependentiâ effectûs à causâ, & in independentiâ omnimodâ causæ ab effectu, sed solùm in independentiâ illius à priori, seu ab effectu tanquam ab influente. *Causa interdū dependet ab effectu à posteriori.* Causa completa necessaria, seu cum omnibus ad agendum requisitis, est naturâ prior effectu, sed causa completa necessaria est dependens ab effectu, ergo prioritas naturæ non consistit in independentiâ causæ ab effectu. Maior ab omnibus admittitur, causa enim completa est vera causa effectûs, ergo prior natura illo. Consequentia est euidens. Minor probatur, tunc aliquid ab alio dependet, quando naturaliter, multò magis quando diuinitùs non potest esse sine illo, sed causa necessaria completa, seu proxima, quæ nimirum omnia habet ad agendum requisita, non potest esse sine operatione, & effectu, ergo Minor hæc probatur, si causa necessaria positis omnibus ad agendum requisitis possit non operari; ergo est causa libera, hæc enim est causæ liberæ definitio.

V. *Causa necessaria proxima est prior effectu, sine quo tamen esse nequit.* Dices; causa saltem secundùm se manere potest sine effectu, ignis ex. g. sine calore quem producit, licèt in illis circumstantiis, seu quando est omnino proximè paratus ad comburendum, non possit. Cōtrà, causa necessaria proxima vt proxima, seu vt completa ad operandum, & vt in illis circumstantiis, est prior natura effectu, & vera causa illius, imò eam non causat nisi quando est completa, sed tunc non potest non operari, nec esse sine effectu. Deus enim alio modo eam ab operando impedire non potest, nisi tollendo aliquid ad operandum necessarium, vt materiam applicatam remouendo, subtrahendo concursum suum, aut aliud huiusmodi, ergo. Et hoc est quod dicunt Philosophi causam ab effectu dependere à posteriori.

VI. *Dependentia à posteriori clarius constat in causâ liberâ.* Secundò idem ostenditur in causa libera proximè ad operandum expedita. Voluntas Petri est libera in instante A ad amandum & non amandum, seu ad efficiendum amorem & liberam illius omissionem, ergo pro aliquo priori est indifferens ad causandum vtrumque, & est prior illis; sed non potest vtroque in illo instante carere, cùm sint contradictoria, ergo potest aliquid esse prius natura illo, seu illius causa, quo non potest carere, sicque ab illo à posteriori dependet nempe à suo effectu.

VII. *Dependentia etiam hac cernitur in vnionibus continuatiuis.* Tertiò, hoc idem probatur in punctis, & aliis vnionibus quæ secundū multos reperiuntur in continuo, & aiunt subiectari in partibus, quod certè videtur probabile, ne quoties duæ aquæ, aut partes aëris, & alia huiusmodi (quod momentis propè singulis contingit) vniuntur, confugere ad Deum cogamur, vt vniones illas creet. Et tamen partes in illa sententia non possunt, nec per diuinam potentiam persistere sine vnionibus, alioqui continuum diuideretur simul & permanenter in omnes suas partes, ergo potest aliquid dependere essentialiter ab eo quod est illius effectus seu ab aliquo quod est illo natura posterius, sicque à posteriori. Et idem est de vbicatione, quam res omnes producunt, dū se de loco ad locū mouent, & tamen sine omni vbicatione esse res nulla potest, vel diuinitùs, vt ostendam d. 33. sec. 4.

VIII. *Dependentia tantum ab alio tanquam ab influente obstat prioritati naturæ.*

Dicendum itaque, non quamcunque dependentiam obstare prioritati naturæ, sed dependentiam tantùm à priori, seu tanquam ab influente. Vnde quantumuis causa completa necessaria, ignis ex. g. existere non possit, quin effectum, seu calorem producat, & ita ab illo dependeat, vt nisi effectus sequatur, tolli aliquid debeat in causa, vt ostensum est, adhuc ignis est prior natura calore. Licèt enim quoad existentiam in ratione causæ completæ, tam non possit ignis existere sine calore, quàm calor sine igne, calor tamen à priori ab igne pendet, seu tanquam ab influente, ignis verò à calore non nisi à posteriori, & tanquam ab effectu: non enim pro illo priori intelligitur calor quo ignis est proximè potens ad producendum calorem, seu tanquam aliquid antecedenter ad operationem ignis requisitum sed tanquam physicè in illo instante subsequens, seu ab igne productum.

IX. *Arist. prioritatem naturæ statuit cū dependentia à posteriori.*

Hæc videtur esse clara mens Aristotelis; ipse enim existimauit Deū necessariò res aliquas extra se fundere, quem tamen verè causam rerum & natura priorem esse vbique affirmat. Et licèt errauerit constituendo Deum necessariò ad extra operantem, ex eo tamen quòd Deo hæc in re tribuit, apertè docet dari dependentiam à posteriori, sicque solam dependentiam à priori, seu tanquam ab influente tollere rationem prioritatis naturæ.

X. *Vlterius declaratur mens Aristotelis circa prioritatem naturæ.*

Hoc ergo sensu intelligendus est Aristoteles 5. Met. c. 11. vbi ait, ea omnia esse *naturâ priora, quæ eiusmodi sunt vt sine aliis esse possint, non item sine eis illa*: intelligi, inquam, debet, effectum debere à causa pendere tanquam ab influente: si enim loquatur de quacunque dependentia, tam non potest causa completa necessaria esse sine omni effectu, quàm effectus sine omni causa. Sicut autem causa potest esse sine hoc vel illo effectu in particulari, ita similiter effectus sine hac vel illa causa. Hanc autem esse mentem Aristotelis suadetur ex c. de modis simul, vbi ait *ea dici simul naturâ, quorum alterum nullo pacto causa est vt alterum sit*: per causam autem intelligit communiter Aristoteles principium influens vt suprà vidimus in explicatione definitionis naturæ ab ipso assignatæ, ergo sensit Aristoteles, non quamcunque dependentiam, sed dependentiam per influxum tollere rationem prioritatis naturæ strictè sumptæ.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones contra dependentiam à posteriori, & quædam inferuntur.

I. *Obij. Dependentia à posteriori est reipsà ab influente.*

Obicies primò; si causa dependeat ab effectu, quantumcunque dicatur id esse tantùm à posteriori, reipsa tamen est à priori, & ab influente, influere enim rem vnam in aliam nihil aliud est quàm hanc ab illa dependere, ergo tam effectus influit secundùm nos in causam, quàm causa in effectum.

II. *Resp. non esse idem, vnum ab alio dependere. & hoc in illud influere.*

Sed contrà, nam certum videtur non esse idem, vnum ab alio dependere, & hoc in illud influere; primò enim secundùm omnes, dantur meræ conditiones, vt approximatio, & similes, quæ omnino non influunt. Secundò, duæ partes minimi naturalis in elementis, vel saltem cor & cerebrum in animalibus perfectis, à se inuicem pendent, quorū tamen neutrum in alterum influit. Tertiò, actio suo modo influit in terminum, à quo tamen vicissim essentialiter dependet, & tamen nec ipsi aduersarij dicent terminum vllo modo influere in actionem, ergo tanquā res indubitata in confesso apud omnes est, non esse idem hoc ab illo dependere, & illud in hoc influere. Quintò, iam ostensum est causam completam tam necessariam, quàm liberam essentialiter dependere ab effectu.

III. *Idem clarè ostenditur in Diuinis.*

Contrà quintò; Patet in Trinitate verè dependet à Filio, & tamen certum est Filium non influere in Patrem, nec dare esse seu producere Patrem, sicut Pater dat esse & producit Filium. Hinc ergo manifestè habetur non esse idem, vnum ab alio pendere, & hoc in illud influere, sed esse conceptus essentialiter diuersos, ergo & in creatis potest causa dependere, etiam essentialiter, ab effectu tanquam ab aliquo posteriori, absque eo quòd effectus influat in causam. Quare autem non detur prioritas naturæ in Diuinis, dixi sec. prima.

IV. *Nec in hoc situm est vllū mysterium.*

Obicies secundò; hoc esse mysterium Trinitatis, nec in res creatas inducendum. Resp. nihil hîc esse mysterij, nec in eo situm esse difficultatem. Trinitatis, quòd Pater Filium producat, à quo tamen essentialiter dependet, sed quòd eadem indiuisibilis entitas, vna sit, & Trina. In hoc, inquam, caligat ratio, vtpote, quod contrarium videtur principio illi vel oraculo Metaphysico, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: quod proinde assequi nunquam potuit Aristoteles, cùm tamen secundum assequutus sit, vt vidimus.

V. *Quid sit vnum influere in aliud.*

Quæres, quid ergo est influere? Resp. quidquid sit, certum videri non esse merè quòd vnum dependeat ab alio, vt iam ostensum est in actione, & dependentia Patris à Filio in Diuinis, qui tamen in Patrem nullo modo influit, & Pater, vt est de fide, verè producit Filium, licèt à Filio essentialiter dependeat. In hoc ergo explicando par omnibus est difficultas. Influere itaque est actionem productiuā ad aliquid sequi, quod vel formaliter, vel eminenter rem iam à parte rei positam continet; quam proinde causa totalis in perfectione vel superat, si sit causa æquiuoca, vel adæquat, si sit vniuoca.

VI. *Omnia ex parte causæ in actu primo sunt priora naturâ effectu.*

Hinc infero primò, omnia quæ se tenent ex parte causæ in actu primo constitutæ in ordine ad causandum, posse, aliquo modo dici naturâ priora effectu: licèt enim omnia non influant (vt conditiones) tenent tamen se ex parte causæ, & aliquo modo requiruntur vt causa operetur: vnde aliquo modo integrant causam in ratione causæ saltem vt aliqua necessariò præ requisita vt causa agat, & prodeat in actum secundum.

VII. *Actio est prior termino prioritate à quo.*

Infero secundò, actionem, aliquo modo, quamuis minùs propriè, esse natura priorem termino, prioritate *à quo*: licèt enim non possit esse sine hoc numero termino, & hoc sensu magis pendeat à termino, quàm terminus ab illa (cùm illa mutatâ, permanere possit adhuc idem terminus) independentiâ tamen per modum influxûs, quæ maximè obstat prioritati naturæ, non pendet actio à termino, sed tantùm à posteriori, & vt ab aliquo per actionem causato; terminus verò dependet ab actione à priori, tanquam à causalitate agentis, estque ipse influxus, quo causatur & producitur effectus. Consistit ergo prioritas naturæ in dependentia effectûs à causa per modum influentis, & in independentia causæ ab effectu in eadem ratione. Cùm ergo actio sit ipse influxus, pendet terminus ab eâ à priori *vt quo*, à causa, à priori *vt quod*, sicque causa est naturâ prior effectu *vt quod*, actio *vt quo*, licèt non adeò propriè, vt dictum est.

In quo consistat prioritas naturæ.

VIII. *Triplici prioritati triplex respondet simultas.*

Infero tertiò, triplici prioritati suprà positæ, *temporis, rationis, & naturæ*, triplicem respondere simultatem: *temporis*, cùm scilicet duo eodem tempore producuntur, vt sol & lux, intellectus & voluntas. *Rationis*, cùm aliqua duo necessariò cognoscuntur simul, vt dici communiter solet de relatione & termino, priuatione & forma, actione & effectu &c. Tertia est simultas *naturæ*, quando scilicet aliqua duo sunt

sunt à se inuicem omnino quoad influxum independentia, sese tamen naturali quadam consequentia comitantur, vt relationes paternitatis & filiationis.

IX. *Quædam sunt priora naturâ solùm in ordine ad vnum tertium.*

Aliquando verò quædam dicuntur simul naturâ, non in ordine ad se inuicem, sed in ordine ad aliquod tertium, vt præmissæ in ordine ad conclusionem, dum homines simul coniuncti ad portandum idem pondus, licèt hi dici non possint simul naturâ positiuè in ordine ad se, sed solùm negatiuè, id est, quòd neuter sit prior alio, cùm neuter ab alio dependeat. Dici ergo commodiùs possunt hæc & huiusmodi non simpliciter simul naturâ, sed simul priora naturâ, nempe priora naturâ respectu effectûs, ad quem producendum simul concurrunt. Imò aliquando contingit aliqua duo esse priora naturâ respectu alicuius tertij, quorū tamen alterum sit prius naturâ respectu alterius, & vera illius causa; vt anima est prior intellectu & verè illum causat in sententiâ potentias distinguente ab animâ, anima tamen & intellectus sunt priora naturâ respectu intellectionis ab vtroque productæ. Idem est de oculo & specie impressâ in eo receptâ, respectu visionis, & sexcentis huiusmodi.

Disputatur hic à multis, verùm causa in actu primo includat actionem. Hac de re dixi suprà d. 5. s. 2. n. nono. X.

DISPUTATIO XXI.

De mutuâ prioritate.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm causæ possint esse sibi inuicem causæ.

I. *1 sententia est affirmatiua.*

PRima sententia est affirmatiua: ita Vasq. 1. 2. d. 211. c. 3. n. 11. & c. 4. n. 25. & tusè c. 6. Suar. d. 27. Met. sec. 2. n. 4. & 5. Conimb. l. 2. Phys. c. 7. q. 9. a. 2. Ruuius l. 2. Phys. tra. 8. q. 2. & alij, saltem quoad causalitatem in diuerso genere.

II. *2. Negatiua.*

Secunda sententia negat posse causas esse sibi inuicem causas, siue in eodem, siue in diuerso genere: ita Erice 1. p. d. 16. c. 12. n. 101. Hurt. d. 8. Phys. sec. 8. n. 158. Arriaga d. 7. Phys. sec. 8. n. 96. & 102. Ouiedo cont. 7. Phys. p. 8. n. 3. & p. 9. n. 4. estque communis inter recentiores opinio.

III. *Quæstio procedit de eodem instanti reali.*

Notandum primò, quæstionem esse de eodem instante reali, nam de diuersis instantibus, seu successiuè, non videtur dubium: nil enim repugnare videtur quin ignis B qui in instante A productus fuit ab igne A, postea in instante C conseruet ignem A, à quo primò fuit productus, modò tamen in illo instante ignis B aliunde conseruetur, & non ab igne A.

IV. *Quæstio etiam est de causis physicis, nō intentionalibus.*

Notandum secundò, sermonem esse de causis physicis physicè influentibus, vt de efficiente & materiali, non de intentionalibus, seu quæ operantur in quantum sunt in mente, & apprehenduntur, quales sunt causa finalis & exemplaris; hæ enim sicut non requirunt omnino existentiam ad causandum, ita, vt in apprehensione seu esse intentionali, possunt esse causa sui in esse physico, id est, possunt mente conceptæ mouere causam efficientem, vt eas producat, & acquirat, vt de agricola semen terræ mandante, & aliis constat.

V. *Causa finalis & efficiens possunt esse sibi inuicem causæ. Pro hoc solâ causis mutuâ prioritatem concedit Aristoteles.*

Dico primò: causam finalem & efficientem non repugnare quominùs sint sibi inuicem causæ, vt deambulatio est causa valetudinis, & valetudo deambulationis, *finalis* valetudo, deambulatio *efficiens*. Hoc & nihil aliud vult Aristoteles 2. Phys. c. 3. tex. 30. dum ait: *sunt præterea, quæ mutuò sunt sibi causæ, vt exercitium est causa bonæ valetudinis, & hæc causa exercitij, at non eodem modo, sed hæc vt finis, illud vt principium motus.* His, inquam, verbis solùm astruit Aristoteles mutuam prioritatem, & dependentiam inter causam finalem, & efficientem, quarum illa est prior in intentione; seu vt apprehensa, hæc in executione, seu physicè. Cùm ergo nullius alterius causæ adhibeat exemplum Aristoteles præterquam finalis, & efficientis, dum dicit causas esse sibi inuicem causas, intelligi solùm debet loqui de *causâ finali*, & *efficiente*: per quod soluitur quidquid afferunt contrarij de auctoritate Aristotelis.

Dico secundò: non possunt duæ causæ inuicem se primò producere, seu dare sibi primum esse. Ita P. Hurt. hic d. 8. s. 8. n. 158. & alij citati n. 2. Ratio est primò, quia si vtraque sit causa sui inuicem, ergo sunt priores sibi naturâ, cùm iuxta Aristotelem & Philosophos, causa semper sit naturâ prior effectu, sed non possunt esse inuicem priores naturâ, ergo. Probatur minor, prioritas naturæ, vt suprà vidimus ex Aristotele, in eo sita est, vt id quod est prius naturâ altero, sit independens ab illo à priori, seu vt ab influente, sed hoc consistere nequit si effectus in illud vicissim quoad primū esse influat, ergo. VI. *Nō possunt duæ causæ mutuò se primò producere.*

Secundò probatur, prius est esse quàm operari, ergo prior est ignis A actione qua producit ignem B, ergo à fortiori est prior actione profluente ab igne B, cùm entitas ignis B sit prior causalitate ab ipsa procedente, sed nullus effectus potest esse prior causalitate qua producitur, ergo non possunt duæ causæ esse sibi inuicem causæ, quia tunc sequeretur vnamquamque priorem fore causalitate, qua producitur, cùm debeant esse priores sibi inuicem vt operantibus, & consequenter priùs operarentur quàm essent, cùm priùs operarentur quàm producerentur, si essent priores actione qua producuntur. VII. *Prius esse debet res, quàm operatur.*

Dices; probare hæc, non posse causas esse sibi inuicem causas in eodem genere, duas ex. g. causas efficientes, non tamen in diuerso, vt causam efficientem & materialem. Contrà, tam probant contra mutuam causalitatem in diuerso genere, quàm in eodem; nam esse prius in quocunque genere causæ est esse aptum ad agendum, ergo præsupponitur esse ante illud quod producit, ergo ante illius causalitatem, ergo non accipit primum esse per causalitatem ab illo profluentem, nam alioqui non præsupponeretur ad illud, ergo idem est de quocunque genere causæ. VIII. *Idem est de diuerso genere causæ.*

Vrgebis, cùm causæ in diuerso genere causæ se producunt, dans sibi diuersum esse, ergo quoad vnum esse potest causa efficiens præsupponi ad materialem, & quoad aliud materialis ad efficientem. Nego antecedens, idem enim & indiuisibile esse dant sibi inuicem, & à se mutuò accipiunt; quod proinde, indiuisibile cùm sit, non potest præsupponi ad causam sui productiuam, cùm tunc effectus esset in rerum natura priùs sua causa. IX. *Idē est esse, in quocunque genere causa producatur.*

Tertiò probatur, & est explicatio rationis præce-

dentis;

Implicat ut effectus ingrediatur actum primum productiuum sui.

dentis: non potest effectus productus in statu actualitatis ingredi actum primum physicum productiuum sui, vt videtur lumine naturæ notum; sed si darentur duæ causæ sibi inuicem causæ, effectus ingrederetur actum primum physicum productiuum sui, ergo. Maior videtur certa, nam alioquin idem esset productiuum sui quoad primum esse, quod in terminis implicat. Minor probatur, agens omne physicum agit in quantum physicè existens, ergo includit existentiam essentialiter, ergo supponitur existens, ergo extra omnes suas causas, ergo in illo priori præsupponuntur omnes eius causæ, sed altera causa est ipse effectus, si duæ causæ sint sibi inuicem causæ, ergo vel ingreditur, vel, quod magis est, supponitur ad principium productiuum sui.

XI. *Nec diuinitus dari potest mutua causalitas.* Quæ hactenus dicta sunt, probant, ne quidem diuinitus dari posse mutuam causalitatem, ita scilicet, vt duæ res se vel primo instante quoad primum esse producant, vel secundo instante conseruent: omnes enim rationes adductæ vrgent æqualiter in ordine ad diuinam potentiam. Vtrùm autem possint duo se quoad secundum esse producere, vel conseruare, videbitur sec. tertiâ.

XII. *Quicquid mouetur, ab alio mouetur.* Quartò probant aliqui, quia concessâ mutuâ causalitate quoad primum esse, sequeretur non posse probari Deum, seu primum motorem, cùm hinc communiter probetur, *quòd omne quod mouetur, ab alio moueatur*, vnde arguitur debere aliquando perueniri ad primum aliquem motorem qui non moueatur ab alio, admissâ autem hac mutuâ causalitate, non tenet prior argumentatio, res enim omnes possent se inuicem quoad primum esse producere & conseruare, sicque non esset opus inuestigare vlteriùs primam aliquam causam, quæ mouens alia, ab iis vicissim non moueatur. Hoc argumentum probabile est, videtur tamen responderi posse, licèt duæ causæ possint se mutuò producere quoad primum esse, neutram tamen habere potentiam operandi nisi dependenter à Causâ primâ, quæ debeat essentialiter supponi, & vtramque iuuare ad se mutuò ex nihilo extrahendum, quâ non præsuppositâ, nihil agere possent.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones pro mutuâ prioritate.

I. *Mens S. Thomæ circa mutuam prioritatem.* OBiicies primò Aristotelem, qui asserere videtur causas esse sibi inuicem causas. Sed illius mentem declarauimus sect. præcedente, n. 3. Difficilior est explicatio S. Thomæ, qui sæpiùs ait materiam & formam esse sibi inuicem causas. Probabilis tamen illius interpretatio est, solùm velle sanctum Doctorem, materiam recipere formam, & formam informare materiam, sicque per hoc duplex munus eas esse inuicem causas respectu compositi, non respectu sui, id est, mutuò concurrere ad constitutionem compositi.

II. *Non datur mutua prioritas inter calorem & formam ignis.* Obiicies secundò; vltimus gradus caloris qui disponit ad formam ignis, producitur ab ipsa forma ignis, ergo est prior ipsa in genere causæ materialis (cùm dispositiones teneant se ex parte materiæ) & est posterior eadem forma in genere causæ efficientis, cùm ab illa efficienter producatur. Quod etiam asserit P. Vasquez contingere inter gratiam habitualem, & actum contritionis, & alij inter materiam & formam. Sed contrà, non potest calor disponere ad formam ignis antequam calor sit, cùm prius sit esse quàm disponere, ergo in illo priori habet aliquam causam efficientem, cùm sit ens ab alio: ergo non potest produci à forma ignis, cùm priùs supponatur calor esse in subiecto, quàm forma ignis existat. Dices; præsupponi solùm materialiter seu in genere causæ materialis. Contrà, illud materialiter inuoluit entitatem illius existentem, ergo verè pro illo priori est illa entitas, non à se, ergo ab aliqua causa efficiente, ergo pro illo priori habet aliquam causam efficientem, & sic esse aliquid prius in vno genere arguit prioritatem simpliciter, cùm in quocunque genere sit causa, supponatur esse simpliciter, seu esse à parte rei sufficienter ad causandum, ergo non potest causari primò ab eo ad quod præsupponitur.

III. *Vltima dispositio non producitur ab igne.* Dico itaque vltimam dispositionem prærequisitam ad formam non produci à forma introducta, sed ab eadem causa à qua producuntur reliqui gradus. Ignis enim non semper requirit octo gradus caloris, vt introducatur, vt alibi dicam latiùs.

IV. *Obij: actionem eductiuã subiectari in termino.* Obiicies tertiò; generatio, seu actio eductiua subiectatur materialiter in termino quem producit, ergo terminus efficienter dependet ab illa, illa materialiter à termino, sicque sunt sibi inuicem priores, & posteriores, in diuerso genere causæ. Conf. creatio non habet aliud subiectum quàm terminum, ergo ibi saltem dabitur mutua causalitas inter ipsam & terminum.

V. *Resp. esse in termino, solùm vt in subiecto adhæsionis.* Ad argumentum negatur antecedens; solùm enim est in termino actio eductiua vt in subiecto adhæsionis, seu intimæ affectionis, non sustentationis; subiectum verò sustentationis illius est idem cum subiecto termini per illum producti. Actio eductiua ex. g. qua calor educitur ex materia ligni, non subiectatur in calore, vt in subiecto sustentationis, sed in materia ligni, in qua etiam subiectatur calor, quæ terminum, seu calorem sustentat *vt quod*, actionem *vt quo*, per actionem enim sustentat terminum. Ad Confirmationem Resp. creationem non esse in vllo subiecto sustentationis, cùm sit ratio per quam terminus productus sit independens ab omni subiecto sustentationis, ergo illa est independenter à subiecto sustentationis *vt quo*, licèt essentialiter sit in termino, vt in subiecto adhæsionis, & intimæ affectionis, quod tamen nihil facit ad mutuam prioritatem.

VI. *Obij: posse duo a se inuicem pendere in esse possibili.* Obiicies quartò; possunt duo in ordine transcendentali pendere à se inuicem quoad esse possibile, datur enim secundùm nos mutuus ordo transcendentalis inter res varias, materia enim pendet à forma ignis possibili, ita vt illa implicante implicaret; & forma vicissim implicante materia; dari ergo similiter possunt duo quæ se producant inuicem physicè & realiter quoad esse actuale, & à se mutuò dependeant in existentia.

VII. *Resp. prædicata illa possibilia solùm esse conditiones concomitantes.* Resp. prædicata illa possibilia solùm esse conditiones concomitantes, quas omnes adiunere debent, vt suprà ostendi, in corde & cerebro animalis perfecti. Hoc autem non probat dari mutuam causalitatem, vel mutuam antecedentiam, hæc enim æquè implicat in conditionibus, ac in causis ob rationes sec. præcedente allatas, sed solùm probat mutuam dependentiam, quam existimo à nemine negari posse.

VIII. *Quo pacto sit prioritas naturæ in esse possibili.* Dices; prioritas naturæ, quæ de facto datur inter causam & effectum, inter solem v. g. & lucem, erat antea possibilis, ergo datur prioritas in esse possibili. Resp. dari prioritatem naturæ in esse possibili, hoc sensu, nempe quòd res illæ conceptæ in esse possibili habeant in se relucentem ordinem quem seruare debent à parte rei existentes, concedo itaque hoc sensu consequentiam, nam in materiâ in esse possibili relucet prædicatum hoc, quòd sit semper prior formâ materiali à parte rei, & quòd petat esse causa materialis illius: sicut in potentiâ vitiuâ, aut quauis aliâ potentiâ relucet esse priorem illam suâ actione, non è contrà: At verò quoad ipsum esse possibile

nulla

nulla exercetur prioritas, nec materia priùs est possibilis vllà ratione quàm forma materialis sit possibilis, nec potentia visiua priùs est possibilis quàm actualis visio ab ipsâ in statu actualitatis elicienda sit possibilis, nec è contrà, sed quoad hoc omnia sunt simul. In statu ergo possibilitatis relucet solùm prioritas naturæ conditionata, nempe quando existent materia & forma materialis, illa respectu huius erit subiectum, & naturâ prior.

IX. *Variæ experientiæ pro mutuâ causalitate.*

Obiicies quintò varias experientias: primò, multæ prunæ simul positæ, inuicem se fouent. Secundò, manus coniunctæ calorem in se inuicem effectiuè conseruant. Tertiò, manus frigidæ mutuâ confricatione incalescunt. Quartò, piper calorem in linguâ producit, & lingua vicissim in pipere, sicque mutuò se calefaciunt. Quintò, duo ligna erecta, quorum alterum alteri innititur, mutuò se sustentant, ergo ibi datur mutua causalitas & prioritas. Sextò, partes minimi naturalis inuicem se conseruant, separatæ enim statim pereunt, ergo &c.

X. *Satisfit his experientiis.*

Ad duas primas instantias. Resp. Si ita ponatur casus vt calor non sit æqualis in vtràque manu, vel prunis illis, partes magis calidæ producent in aliis calorem; si verò æqualis sit in omnibus calor, non alio modo se conseruant quàm quòd hoc modo coniunctæ meliùs se contra agentia extrinseca contraria defendant: *Virtus enim vnita fortior*. Deinde, aërem etiam circumfusum magis, & ad maiorem distantiam calefaciunt, quo fit vt à frigore circumstante minus lædantur.

Virtus vnita fortior.

XI. *Motus est causa caloris.*

Ad tertium Resp. manus sese inuicem confricantes mutuò se calefacere per motum duplicem, qui calorem in vtràque producit, *motus enim est causa caloris*. Id verò præstat motus ille vel rarefaciendo aërem intermedium, vel spiritus vitales in quibusdam partibus manuum excitando, qui ad extimas partes deducti, illas calefaciunt. Ad quartum dico, piper non calefacere linguam per calorem formalem in ipso à linguâ productum, sed per virtualem, in se contentum, lingua verò producit in pipere formalem calorem, sicque non agunt secundùm eumdem calorem, calor enim qui in pipere producitur à linguâ, calorem in linguâ non producit.

XII. *Quomodo duo ligna erecta se sustentent.*

Ad quintum dico: duo illa ligna non se mutuò conseruare, sed esse inuicem conditiones concomitantes, vt vtrumque talem habeat situm, vtrumque enim nititur occupare locum alterius, & versùs illam partem cadere, impeditur verò ab alio, sicque sunt sibi inuicem impedimenta, non causæ. Ad vltimum Resp. eodem fere modo, partes minimi naturalis non in se inuicem agere, & conseruare hoc sensu, sed solùm esse conditiones inuicem concomitantes, vt forma minimi naturalis in iis partibus conseruetur.

XIII. *Cur dari possint conditiones concomitantes, non causæ.*

Quæres cur dari possint conditiones mutuò concomitantes, & non pari modo causæ inuicem concomitantes? Resp. rationem esse, quia iuxta Aristotelem, & Philosophos, omnis causa est prior naturâ effectu, vtpote in naturam à se distinctam realiter influens, vnde est implicatio in terminis dicere, causæ respectu sui inuicem concomitantes, cùm conceptus causæ sit vt naturâ antecedat effectum.

SECTIO III.

Possintne eleuari duæ causæ ad se producendum quoad secundum esse.

I. *Possunt duæ causæ se diuinitùs quoad secundum esse producere.*

Dicendum, nullam esse repugnantiã, vt duæ causæ diuinitùs mutuò se quoad secundum esse producant. Explico conclusionem: ponamus duos ignes primò produci à solo Deo, per duas actiones sibi proprias, & sufficientes ad illos independenter ab omni alio concursu conseruandos. In hoc casu dico posse illos ignes in eodem primo instante eleuari ad se inuicem secundò per duas alias actiones producendos, quæ tamen actiones essentialiter supponunt duas aliquas primas, à quibus ignes illi primò producantur.

II. *Ratio est, quia nulla planè est repugnantia.*

Probatur itaque conclusio: nulla est repugnantia vt hoc modo conseruati duo ignes se inuicem secundò producant, ergo poterunt hoc modo se producere. Antecedens patet, nam tunc pro aliquo priori intelligitur vterque ignis esse completè à parte rei, ergò & esse sufficiens in illo priori ad operandum. Cons. effectus in hoc casu non ingreditur cõstitutionem principij productiui sui, vt contingeret si duo se inuicem primò producerent, ergo. Antecedens probatur, vterque ignis completè intelligitur existens, independenter à se inuicem, per aliam actionem præcedentem, ergo ignis A non accipit virtutem qua producit ignem B ab ipso igne B cùm virtus illa vt producens ignem B, non procedat ab igne B, sed à solà actione Dei productiuâ ignis A, independenter à concursu ignis B: sicque eodem modo ignis A produceret ignem B, siue ignis B in illum vicissim influeret, siue non.

III. *Influere in se possunt duo ignes independenter à se inuicem.*

Secundò probatur: vt aliquid dicatur prius alio, influere in illud debet independenter ab influxu alterius, sed hic ignis A influit in ignem B independenter à concursu ignis B. & è contrà ignis B in ignem A independenter à concursu ignis A nam vterque ad se inuicem concurrit dependenter solùm à concursu illo primo Dei, qui est independens ab his aliis concursibus, & vterque iste secundus concursus est à se inuicem independens, perstaret enim quilibet, altero sublato, ergo hic nulla inuoluitur implicantia, & consequenter poterunt se inuicem secundò producere.

IV. *Sunt sibi inuicem priores quoad secundum esse.*

Dices primò; si ignis B producitur ab igne A, ergo dependet ab illo, ergo non est independens, nec illo prior. Distinguo primum consequens, ergo dependet ab illo quoad secundum esse, & secundùm quid, concedo consequentiam; quoad primum esse, & simpliciter, seu in primo produci, nego: nam simpliciter est ab illo independens, cùm eodem modo persisteret, licèt ignis A ad illum omnino non concurreret.

V. *Duo ignes in se inuicè sic agentes intelliguntur extra omnes suas causas.*

Dices secundò, vt res possit operari, debet intelligi extra omnes suas causas, ergo vt ignis A intelligatur potens producere ignem B, debet pro aliquo priori intelligi extra omnes suas causas, sed vna ex istis causis secundùm nos, est ipse ignis B, cùm ab illo etiam producatur, vt supponimus, ergo ignis B constituit principium productiuum sui, cùm constituat principium productiuum suæ causæ. Resp. distinguendo primum antecedens, vt possit operari, debet intelligi extra omnes causas, à quibus quoad illam operationem dependet, concedo antecedens; à quibus quoad illam operationem non pendet, nego: ignis autem A non dependet, vt operetur, à causalitate ignis B, cùm, si ignis B non cõcurreret, non minùs existeret à parte rei ignis A, & causaret ignem B, quàm modò; in operando enim solùm dependet à causalitate seu actione Dei, per quam existeret à parte rei, & operaretur licèt ignis B illum non produceret. Ab actione autem Dei ita dependet vterque ignis in esse & operari, vt si illa subtraheretur, vterque ignis periret, nisi alio simili concursu prior actio Dei suppleretur.

VI. Vnde vlteriùs dico, si posset naturaliter dari duplex actio totalis, duos istos ignes, in hoc casu, necessariò se conseruaturos inuicem pro secundo instanti rationis, vterque enim in eo casu, esset aptus ad agen-

dum independenter ab altero, cùm in esse, & operari à se inuicem non dependeant, ergo necessariò agerent in se, cùm sint agentia necessaria.

VII. *Non sunt priores, & posteriores quoad idē esse.*

Dices tertiò; sequi fore sibi inuicem priores & posteriores. Resp. negando sequelam, vt enim ignis A existat secundò, seu per secundam actionem, non dependet ab igne B vt existente secundò, seu per secundam actionem, nec è contrà, sed solùm ab illo vt primò, seu per primam actionem existente.

VIII. *Potest effectus eleuari ad secundò producendam suam causam.*

Imò, vlteriùs existimo posse eleuari effectum ad producendam secundò causam à qua ipse esse suum accipit, lucem ex. gr. ad secundò producendum solem, à quo ipsa primò producebatur. In quibus productionibus hic seruatur naturæ ordo: actio primò productiua solis est à solo Deo, & hæc actio in hac serie actionum de qua hic loquimur, est prima simpliciter, vtpote à qua omnes aliæ dependent, & quæ ab iis est independens: deinde sequitur actio qua sol producit lucem: tertio loco actio à luce procedens, quà secundò producit solem; licèt hæ omnes actiones sint in eodem instanti reali, & successio non sit temporis, sed naturæ, seu quoad signa rationis.

IX. *Secunda hac diuersa inuicē productio nihil derogat Mysterio Trinitatis.*

Dices quartò; si admittatur posse duas causas mutuò se producere secundò, non est vlla ratio vnde ostendatur Patrem æternum non posse secundo produci à Filio producto à Patre, par enim hic videtur ratio, atque in luce secundò producente solem, à quo ipsa primò producitur. Nego antecedens, licèt enim non oriatur repugnantia ex ratione mutuæ productionis vt sic, oritur tamen ex ratione mutuæ productionis in Diuinis, vbi nulla mutua productio dari potest: cùm enim nulla possit dari mutua productio quoad primum esse, sed solùm quoad secundum, semper ante secundam productionem supponitur res esse, ac proinde secunda productio naturaliter (in Deo autem nihil fieri potest supernaturaliter, vt suprà d. 19. ostendimus) dari non potest, cùm foret superflua, vtpote quæ supponit terminum suum priùs existentem, in Diuinis autem nihil potest esse otiosum aut superfluum, vt suprà latius d. 19. sect. 2. n. 5.

Quidquid est in Deo est ipsi naturale.

X. *Vtraque secunda actio pendet essentialiter a duabus primis.*

Notandum verò, cùm duò ignes conseruati à Deo, se inuicem secundò producunt, ablatis actionibus procedentibus à solo Deo, & aliis similibus in earum locum non suffectis, necessariò cessaturas actiones vtriusque ignis in se inuicem, cùm essentialiter dependeant ab vtràque illà actione, quâ ignes conseruantur, vtpote per quas accipiunt primum esse, & virtutem operandi quibus proinde ablatis amittunt ignes primum esse, & consequenter alia omnia quæ ad primum esse illorum subsequuntur.

XI. *Nec possūt causæ mediatæ se primo producere.*

Ex his infero, idem esse dicendum de causis mediatis, nempe non posse se inuicem causare quoad primum esse; ex. g. si ignis A producat ignem B, & ignis B ignem C, non potest ignis C producere ignem A quoad primum suum esse; nam ignis A, vt agat, debet in illo priori esse extra omnes suas causas, ergo non potest procedere ignis A ab igne C, quippe qui producitur tantùm in tertio instante, seu signo, cùm sit effectus ignis B qui producitur ab igne A, & consequenter est illi posterior naturâ. Poterit tamen ignis C quoad secundum esse eleuari ad productionem ignis A, seu ad illum secundò producendum.

XII. *Essent sibi priora & posteriora quoad idē esse.*

Dices; non repugnare vt aliqua duo primò se producant, nec enim essent sibi priora & posteriora sub eàdem ratione, sed sub diuersà, nam ignis A esset prior igne B vt causa eius, & posterior vt effectus. Sed contrà, quia in illo priori quando intelligitur ignis A potens operari, intelligi debet extra omnes suas causas, & ens ab alio, ergo in illo conceptu ingreditur actio procedens ab igne B, ergo etiam supponitur ignis B, ergo pro aliquo priori supponitur ignis B existens, antequam operetur ignis A, ergo in illo priori erit ens à se, cùm nulla supponatur actio, qua producatur.

SECTIO IV.

Statuuntur variæ diuisiones causarum.

I. *Causa materialis, formalis, efficiens, & finalis.*

Diuiditur primò causa vulgari illà diuisione ex Aristotele desumptà in *materialem*, *formalem*, *efficientem*, & *finalem* quæ & causa intentionalis dicitur, quia mouet in quantum est in intentione seu intellectu, quibus à nonnullis additur causa *exemplaris*, licèt ab aliis reducatur ad formalem, de quibus sigillatim postea. Aliis autem nominibus enumerantur hæ quatuor causæ à nonnullis, nempe causa *actiua*, *passiua*, *formalis*, & *finalis*. Secundò diuiditur causa in *Primam* & *secundam*, illa est Deus, hæc creatura. Tertiò, in immediatam, seu proximam, & mediatam seu remotam, quippe quæ per se non concurrit ad effectum, sed per aliquid à se productum, de qua diuisione dictum est suprà, d. 18. s. 2. Quartò in *intrinsecam*, vt in materiam & formam, & *extrinsecam*, vt in efficientem & finalem.

Causa prima, & secunda.

Proxima, & remota.

II. *Causa physica, & intentionalis.*

Quintò diuitur causa in causam physicè & realiter influentem, vt sunt efficiens, materialis, & secundum aliquos formalis (quæ proinde realiter existere debent, vt causent) & in influentem solùm intentionaliter, & metaphoricè, vt est causa aliqua moralis, & omnis finalis, quæ influunt solùm vt apprehensæ.

III. *Causa moralis est duplex.*

Causa verò moralis duplex est, moralis physica, & moralis quæ propriè dicitur talis: illa est causa omnis libera vt voluntas, quæ reuera est quid physicum, physicè & realiter producens suos actus: sicut ergo causa necessaria vocatur naturalis, ita causa libera vocatur moralis. Causa purè moralis est quæ per se non influit in effectum, in prudentum tamen æstimatione illi ascribitur effectus, æquè ac si physicè illum produceret; vt si quis suadeat furtum alicui, quod ille postea ex huius suasu committit: vel si quis canem incitet in viatorem, qui ipsum ex hac incitatione occidit, ille qui suadet & incitat, censetur in prudentum æstimatione causa illius furti, & cædis, perinde enim se habet in prudenti hominum æstimatione, atque si ipse per se abstulisset pecuniam, aut hominem occidisset: causa autem physica furti est fur, causa physica cædis, canis.

IV. *Causa totalis, & partialis.*

Sextò diuiditur in causam *totalem* & *partialem*. *Totalis* est vel causa aliqua simplex, vel complexum causarum sufficiens ad effectum ex se fundendum: *Partialis* è contrà, est illa, quæ sufficientes ex se vires non habet ad effectum producendum, sed ad hoc eget alterius adminiculo, & aliam concausam postulat. Sic oculus connotat speciem impressam immissam ab obiecto, estque solùm partialis causa visionis. Causa item actiua seu efficiens naturalis respicit passiuam, seu subiectum vt concausam, cùm creare non possit. Causa etiam secunda efficiens hoc modo respicit primam. In causis intrinsecis, materia vt causa partialis compositi respicit formam vt compartem, & è contrà.

V. *Causa totalis in vno, & in omni genere.*

Causa *totalis* vel est totalis in omni genere causæ, ad quam proinde constituendam saltem in causis naturaliter agentibus concurrunt omnia quatuor causarum genera: vel est totalis solùm in vno genere, efficientis scilicet, aut materialis. Sed de causa totali & partiali, seu adæquatâ & inadæquatâ plura infra d. 24. s. 3.

Septi-

VI. *Causa vniuoca, & Æquiuoca.* Septimò diuiditur causa in *vniuocam*, quæ in prædicatis conuenit cum effectu, vt cùm ignis producit ignem, calor calorem &c. & *Æquiuocam*, quando scilicet causa in prædicatis est dissimilis effectui, vt cum Deus producit Angelum, sol lucem &c.

VII. *Causa per se, & per accidens.* Octauò, in causam *per se* & *per accidens* causa *per se* illa dicitur, quæ necessaria est ad aliquem effectum, vt peritia ædificandi in architecto respectu domûs ædificandæ; & hoc sensu dici potest substantia aquę causa *per se* frigoris in manu, à frigiditate illius aquæ producti, licèt aqua ipsa ad frigoris illius productionem immediate non concurrat, quia nimirum *per se*, seu necessariò requiritur ad conseruationem frigoris in aquâ, & sic, saltem mediatè, concurrit ad frigus illud producendum. Causa *per accidens* est, quæ concomitanter solùm se habet ad effectum, nec vllo modo ad eum est necessaria; vt in exemplo Aristotelis, *medicum & musicum ædificare per accidens*, quia licèt architectus, nec esset artis medicæ peritus, nec musicæ, adhuc æquè perfectè ædificaret, ac modò, vnde musica & medicina sunt in ipso causa *per accidens* ædificij, quia ad ædificationem omnino non concurrunt. *Musicum ædificare per accidens.*

VIII. *Causa principalis, & instrumentalis.* Nonò tandem diuiditur causa in *principalem*, quæ primariò in effectum aliquem influit, & *instrumentalem*, quæ solùm concurrit secundariò; vt artifex est causa principalis; serra, securis, malleus, instrumentales. Qua de re plura infrà d. 24. s. 2.

DISPVTATIO XXII.

De causâ materiali & form[...]

SECTIO PRIMA.

In quo consistat ratio causæ materialis, & quomodo distinguatur ab efficiente.

I. *Hic latè sumitur causa materialis.* HIc latè sumitur causa materialis prout idem sonat, ac subiectum, & conuenit, non materiæ primæ tantùm, sed animæ etiam rationalis respectu intellectûs, ac voluntatis, & aliorum accidentium, quæ in se recipit: item Angelo respectu suorum actuum & proprietatum, respectu quorum dici potest aliquo modo causa materialis. Vno verbo, conuenit omni subiecto respectu formæ cuiuscumque, siue substantialis siue accidentalis, quam in se recipit.

II. *Materia, formā materialem respicit vt compartem, & vt effectum.* Notandum, materiam duplici ratione respicere formam in constitutione cuiusuis compositi materialis, vt compartem, & vt aliquo modo effectum. Prima ratio est, cùm recipit formam per vnionem, & constituit compositum, & hac ratione respicit etiam & recipit animam rationalem, idque licet vnio esset creata, cùm non minùs verè cum illâ tanquam cum comparte constituat compositum, etiam per vnionem creatam, quàm cum formâ naturali & vnione generatis, & eductis de illius potentiâ. Alia ratio, qua materia respicit formam, est tanquam subiectum sustentationis, & hoc modo formas tantùm materiales respicit, ad quas concurrit, materialiter in eas influendo. De vtráque ratione aliquid obiter dicendum.

III. *Materia est vera causa influens in formam.* Dico primò: materia prout est subiectum sustentationis formarum materialium, exercet veram & rigorosam rationem causæ respectu illarum. Ita Philosophi communiter. Probatur, verè enim influit esse in aliud, materialiter siquidem influit in formas, realiter à materiâ distinctas, ergo materia est propriè causa respectu illarum, cùm hic sit conceptus, & definitio causæ.

IV. *Ratio est, quia generantur, & educuntur ex potentiâ materiæ.* Quòd verò materia verè influat in formas materiales, videtur certum, tum quia generantur, & educuntur ex potentiâ materiæ, ergo materia ad illas concurrit; tum quia aliter se habet materia erga illas, quàm erga animam rationalem, quàm tantùm recipit informatiuè, seu per vnionem, ergo formæ materiales peculiari modo pendent à materiâ. Deinde, dicuntur præcontineri in materiâ, quod tamen animæ rationali non competit; licèt enim reluceat anima rationalis in materiâ, tamquam compars in comparte, vt suprà diximus, non tamen tanquam effectus in causâ, seu tanquam præcontentum in præcontinente. Probatur primò, actio generatiua & creatiua distinguuntur essentialiter, sed non ex eo quòd dependeat actio generatiua à materiâ tanquam à subiecto tantùm denominationis, hoc enim competit creationi, quæ est in termino tanquam in subiecto denominationis, & intimæ affectionis, ergo quod ab eâ dependeat, tamquam ab influente. Probatur secundò, alioqui formæ omnes materiales, & accidentia existere naturaliter possent separata, & independenter à subiecto, sicut anima rationalis, quod tamen ab omnibus negatur, dicunt enim Deum concursu miraculoso conseruare accidentia Eucharistiæ, supplendo scilicet concursum materiæ.

Hinc deduco, compositi vt compositi causam, hoc sensu, esse solam materiam, non formam. Ratio desumitur ex dictis lib. 1 nam compositum, vt compositum reduplicat compositionem seu vnionem; cùm ergo iuxta nos sola materia sit subiectum sustentationis respectu vnionis, materia sola erit propriè causa compositi, vt compositum est. V. *Quo sensu materia sit sola causa compositi.*

Dico secundò: tam materia quàm forma possunt dici causæ respectu compositi. Probatur, nam licèt influere, propriè loquendo, significet influxum aliquem, seu causalitatem secundariam procedentem à re, quæ est causa (qualis est influxus, seu actio procedens à causâ efficiente, & passio procedens à causâ materiali) possunt tamen tam materia, quàm forma dici aliquo modo influere, & dare esse composito per vnionem, qua quasi influunt, & communicant se composito, & dant se illi partes illius constitutiuas. VI. *Tam materia, quàm forma sunt causa compositi.*

Dices; ergo Deus Pater (idem est de aliis Personis) erit causa Trinitatis. Nego consequentiam, quis enim non videt latam disparitatem inter materiam & formam respectu compositi, & personam aliquam Diuinam respectu Trinitatis, cùm materia & forma tanquam entia essentialiter incompleta ordinentur ad constitutionem vnius per se. Pater autem in Diuinis non est quid incompletum, vt est manifestum. VII. *Personæ Diuinæ non sunt causa Trinitatis.*

Nec vllus dicet tres diuinas Personas coalescere ad faciendum vnum per se, seu constituere vnum compositum, sicut coalescunt & constituunt materia & forma. Eo tamen modo, quo Trinitas est vnum, non in naturâ, sed vt tres Diuinæ Personæ cõstituũt vnum numerũ ternarium, admitti potest Patrem VIII. *Sunt tamē partes illius constitutiuæ.*

trem aut Filium in Diuinis esse partem vel principium intrinsecum Trinitatis, sicut plurimi ex Theologis admittunt Verbum esse partem intrinsecam Christi.

IX. *In quo differat causa influens materialiter ab efficiente.*

Dico tertiò: causa materialis, prout dicit influxū respectu termini, in quem influit, seu prout dicit subiectum sustentationis, in hoc differt ab efficiente, quòd licèt vtraque sit principium per se influens esse in aliud, efficiens tamen quà efficiens, id præstat sine intrinsecâ mutatione sui, materialis verò ita influit in aliud, vt ex præcisâ ratione causandi materialiter petat immutari; qua de causâ, illius influxus vocatur passio, quod nimirum ab illâ subiectum patiatur.

X. *Eadem interdum est causa materialis, & efficiens.*

Dixi causam efficientem quà efficientem influere sine mutatione sui; aliquando enim (vt in intellectione, visione, & actibus omnibus vitalibus, & immanentibus) contingit causam efficientem per influxum suum mutari: sed hoc ab ea non prouenit, vt causa efficiens est, sed vt simul est materialis, vnde intellectus, & omnis potentia vitalis respectu sui actûs est non solùm causa efficiens, sed etiam materialis, & vt efficiens efficit actum suum, vt materialis eundem recipit: & hoc peculiare est actibus immanentibus, qui petunt inesse principio à quo fluūt, & illud intrinsecè immutare.

XI. *Causa efficiens habet se præcisiuè circa receptionem sui effectus.*

Ratio ergo causæ efficientis habet se præcisiuè ad receptionem suæ actionis, & illam in conceptu suo non includit, licèt etiam positiuè non excludat, ita vt non possint hæ duæ rationes subinde inueniri identificatæ. Sicut etiam animal præcisiuè se habet ad rationale, hoc est, illud in conceptu suo non inuoluit, licèt positiuè non excludat, nec renuat quò minùs illud aliquando habeat concomitanter quoad realem identificationem, vt contingit in homine.

XII. *Deus esse nequit causa materialis.*

Hinc euidens deducitur ratio, cur Deus ad effectum vllum concurrere materialiter non possit, argueret enim in eo imperfectionem & mutationem. Potest tamen in alio genere causæ, nempe efficientis, supplere defectum causæ materialis, seu concursum secundarium subiecti in formas, vel accidentia, sicut de facto fit in speciebus sacramentalibus; hoc enim nullàm dicit imperfectionem.

XIII. *Tres sunt effectus materiæ, forma, vnio, & compositum.*

Vltimò hic nota, tres communiter esse effectus materiæ, & omnis causæ materialis, *formam, vnionem, & compositum*; in vnionem & formam materialem verè influit per causalitatem, & influxum, vt diximus, nam materialiter in illas influendo concurrit per passionem quæ eadem realiter est cum actione, seu concursu agentis. In compositum verò non alio modo influit quàm dando se illi tanquam partem illius intrinsecè constitutiuam, & hoc modo causat totum inadæquatè saltem à se distinctum, nempe tanquam includens ab incluso, vt suprà dictum est.

XIV. Quomodo causalitas materiæ in formam distinguatur ab vnione formæ cum materiâ, dictum est suprà d. 14. s. 8 & 9. Qua ratione verò actio distinguatur à passione, dicetur infra d. 40. sec. tertia.

SECTIO II.

De causâ formali; vbi de pugna formarum, præsertim accidentalium inter se.

I. *Forma est vera causa compositi.*

NOtandum primò, formam, licèt non influat physicè in vnionem, & consequenter nec hoc sensu in compositum, sicut influit materia, sicque rigorosam illam causæ rationem, quam habet materia respectu formæ & vnionis, non sortiatur, in illo tamen conuenire cum materiâ, quòd verè constituat compositum, & hoc modo influat in illud, nempe dando se illi intrinsecè vt partem illius physicè constitutiuam. Licèt, vt suprà dixi, d. 15. s. 5. nec materia, nec forma sit propriè causa respectu compositi. Cuius ratio vlterior est, quia materia, vt pars actualis, includit in obliquo tam vnionem quàm formam, & forma eodem modo vnionem & materiam, materia autem vnio & forma sunt totum, ergo materia (idem est de formâ) vt pars actualis est totum, ergo non potest esse causa totius, cùm nihil possit esse causa sui.

II. *Causa formalis duos habet effectus formales, primarium, & secundarium.*

Notandum secundò, causam formalem duos habere effectus formales, primarium alterum, alterum secundarium: effectus primarius est ipsa forma vnita subiecto, cui tribuit effectum suum formalem, & denominationem primariam; vt albedo vnita subiecto denominat illud album, lux lucidum &c. qui proinde effectus, semper comitatur causam formalem. Effectus formalis secundarius non est mera forma in subiecto apto, sed quid consequens, vt calor vnitus subiecto per effectum primarium denominat ipsum calidum, secundariò expellit frigus. Vnde per Diuinam potentiam impediri nonnunquam potest effectus secundarius alicuius formæ, non primarius, Deus enim, si calor ponatur in subiecto apto, impedire nequit quo minùs denominet illud calidum, efficere tamen potest, vt non expellat frigus, potest enim, etiam in summo calorem & frigus simul in eodem subiecto conseruare.

III. *Ignis expellit frigus efficienter, calor formaliter.*

Alio tamen modo expellit calor frigus, quàm ignis idem frigus expellat; ignis enim illud expellit solùm efficienter, producendo scilicet calorem, calor autem vnitus subiecto, expellit frigus formaliter per suam entitatem. Vnde effectus formalis adæquatus caloris, primarius scilicet, & secundarius simul, est calidum sine frigido, id est, sine gradu frigoris sibi opposito, in conceptu enim adæquato inuoluitur vtrumque.

IV. *Eodem instante quo vna forma inducitur, alia expellitur.*

Dico itaque, eodem instante reali quo introducitur vna forma substantialis (idem est de accidentalibus, in gradibus in quibus sunt sibi inuicem contrariæ) expellitur alia. Conclusio est communis contra Lorcam Tom. 2. in 1. 2. d. 4. de gratiâ. Probatur conclusio, nam alioqui in eodem instante reali essent simul in eâdem parte subiecti duæ formæ substantiales, item calor & frigus in gradibus repugnātibus, peccatum & gratia &c. vel saltem esset materia vno saltem instante reali sine omni formâ. Probatur sequela, si non destruitur & expellitur forma præcedens eodem instante, quo altera inducitur, ergo vel instante præcedente destruitur, vel sequente: si primum, per vnum instans realis durationis materia est sine omni formâ; si secundum, per vnum instans realis durationis erit sub duabus, ergo. Nec in hac re vlteriore opus est probatione, cùm res per se sit manifesta.

V. *Dices, vt calor, & frigus pugnent, debere vtrumque simul existere.*

Dices; ergo ignis & aqua, calor & frigus, & alia huiusmodi non pugnant inter se, quod & est contra communem Philosophorum sententiam, & ipsam quotidianam experientiam. Probatur sequela, calor non pugnat cum frigore antequam existat, sed eo instante quo calor est, frigus, secundùm nos non est; ergo non pugnant inter se, cùm non magis pugnare possit frigus, postquam est destructum, quàm calor antequam producatur, ergo vt inter vtrumque detur pugna, debent ambo, vno saltem instante, simul existere.

VI. *Resp. hanc pugnā requirere vt non coëxistant.*

Resp. ad hanc pugnam tantùm abest vt necessaria sit vtriusq; coexistentia, vt, si vel ad vnum instās existere simul possent, non pugnarent: pugna siquidem hæc aliud nihil est, quàm naturalis quædam contrarietas, seu repugnantia, & incompossibilitas

vt sint

vt sint simul in eodem subiecto.

VII. *Si vno instante possint simul existere, possunt diutius.* Deinde si possunt esse simul quoad vnum instans, non apparet cur non possint esse simul diutiùs, sicut suprà arguebamus d. 18. s. 3. n. 5. si causa possit agere primo instante quo non est, quidni etiam vllo ex sequentibus? cùm ergo calor & frigus in summo sint agentia naturalia, si repugnant, necessariò repugnãt, ergo pro primo instante, vel nec repugnabunt secundo, nec sequentibus, omnia enim instantia vsque ad illud instans in quo dicuntur repugnare, perinde se habent ad instans illud, atque si non fuissent.

VIII. *Pugnare frigus idem est ac repugnare.* Pugna itaque inter calorem & frigus (si sit sermo de pugnâ formali) nihil aliud est quàm repugnantia vt simul quoad certos gradus existant, & pugnare hic frigus idem est ac repugnare: vnde resistit frigus in subiecto instante priore quàm expellitur, resistere enim frigus calori est obsistere, vel obstare, quominus calor inducatur, obsistit autem & obstat quando est, quando verò expellitur, cedit seu non amplius obstit, licèt, vt dicatur actu resistere, debeat impugnari ab agente aliquo parato inducere gradũ caloris illi repugnantem: pugna autem per quam calor inductus in subiectum dicitur pugnare cum frigore quod expellit, nihil est aliud quàm informare subiectum illud, & frigus expellere.

IX. *Nõ propriè pugnant gradus, sed agentia.* Gradus ergo se inuicem ab eodem subiecto expellentes non dicuntur propriè pugnare, cùm nunquam eodem instante existant, sed pugnant propriè duo agentia, ignis v. g. & aqua, inter quæ datur actio & reactio, quippe quæ sibi vires inuicem diminuunt, producendo in se mutuò contrarias qualitates, vt ignis producendo in aquâ calorem, & aqua vicissim in igne producendo frigiditatem. Et hæc est ratio cur calor in igne lentiùs agat in aquam, quàm in stuppam, quia nimirum frigus internum aquæ, actiuè resistit, vires ignis diminuendo, & frigus in se per ignem destructum, ex parte resarciendo. Pugna proinde hæc propriè exercetur inter principia effectiua, non formalia.

X. *Explicatur hæc pugna exemplo duorum corporum se loco pellentium.* Quæ declarari possunt exemplo duorum corporum, quorum vnum aliud loco pellit, corpus enim vt vbicatum in illo loco obsistit, quo minùs aliud pro eo tempore, quo est in illo loco inducatur, vnde obstat vbicatio illa instante priore quàm destruatur, & quàm ingrediatur aliud corpus, eodem autem tempore quo corpus illud ingreditur, expellitur hoc, & non resistit tunc, sed cedit: cedit tamen successiuè, sicut alterum inducitur; quo etiam modo cedit frigus calori, non totum simul, sed paulatim & successiuè. Vnde fit, vt paulatim etiam, & successiuè calor introducatur. Hoc tamen interest inter calorem & frigus, & inter duo corpora; quòd vtrumque corpus supponatur priùs existere quàm vnum aliud loco pellat, non sic calor & frigus priùs quàm ex eodem subiecto expellant: licèt si instituatur quæstio de corporibus vt vbicatis, seu de vbicationibus ipsis, par videatur ratio in vtroque exemplo. Plura hac de re dicam d. 7. de Gener. sect. 2.

SECTIO III.

De modo quo formæ se inuicem è subiectis expellunt.

I. *Formæ accidentales expellunt se inuicem in genere causæ formalis.* Dicendum, formas accidentales expellere se inuicem ex eodem subiecto in genere causæ formalis, ac proinde expulsio formæ præcedentis est effectus formalis subsequentis, iam inductæ. Probatur, hæc enim est vera causalis, ideo corrumpitur frigus quia introducitur calor, non è contrà, ideo introducitur calor quia corrumpitur frigus. Conf. dicunt Philosophi, *Generatio vnius est corruptio alterius*, non è contrà, corruptio vnius est generatio alterius.

II. *Primum in intentione est vltimum in executione.* Obiicies primò; generatio est finis à naturâ intentus, ergo licèt sit prior in intentione, erit tamen posterior in executione, ergo corruptio erit illâ prior in executione, quia generatio est finis corruptionis. Sed contrà, nam vt bene notat P. Arriaga d. 8. Phys. s. 4. n. 31. durum videtur Deum priùs naturâ expellere ex animâ gratiam, vt locum faciat peccato, quoties iustus de gratiâ decidit.

III. *Quibus modis finis sit executione posterior.* Resp. itaque negando primam consequentiam; licèt enim finis executione posterior sit mediis, quæ sunt propriè media, nempe quæ efficiunt finem, vel antecedenter ad illum prærequiruntur, non tamen in ordine ad omnia respectu quorum quacunque ratione potest dici finis. Ex. g. essentia est finis passionum suarum & proprietatum, & anima finis intellectûs, & voluntatis, & tamen viâ executionis passiones & proprietates non sunt priores essentiâ, nec intellectus, & voluntas priores animâ, cùm ab illa dimanent, sicque supponunt eam esse, cùm sit illarum causa. Idem est in præsenti, & vniuersim in omni ablatione impedimentorum, quæ auferuntur per ipsam formam inductam, cùm enim forma auferat illa informando materiam, debet forma priùs naturâ esse in subiecto, quàm illa auferat, cùm auferat existendo in subiecto, & hæc causalis est vera, *ideo auferetur frigus quia calor est in subiecto*, non è contrà. Finis ergo licèt quidem sit executione posterior mediis quibus acquiritur, & conditionibus ad finem requisitis, non tamen conditionibus ab ipso fine ortis, qualis hîc est expulsio, vel destructio formæ præcedentis, vtpote quæ ob nouæ inductionem destruitur.

IV. *Dices, expulsio prioris formæ est dispositio, sicque prior formâ inductâ.* Vrgebis tamen vlteriùs: expulsio formæ præcedentis est dispositio ad inductionem sequentis, ergo priùs expellitur, quàm alia inducatur, ergo expulsio illa non est effectus formæ inductæ, cùm sit prior illâ, vel concedenda est mutua prioritas: Antecedens verò probatur, frigus enim est impedimentum ad inductionem caloris, sed priùs debet auferri impedimentum inductionis formæ, quàm forma inducatur, sicut in aliis impedimentis videmus, ergo. Resp. negando antecedens, non enim est dispositio, sed quid consequens inductionem formæ sequentis, cùm inductio illius reddatur pro ratione expulsionis huius in propositione causali, vt vidimus, *ideo enim expellitur frigus, quia inducitur calor*. Ad probationem nego minorem, si enim sermo sit de prioritate temporis, ablatio prioris formæ, quæ impediebat, est in eodem instante, vel tempore reali cum inductione alterius, ac proinde nulla requiritur prioritas temporis: si verò loquamur de prioritate aliquâ rationis & naturæ, ablatio impedimenti, seu prioris formæ, est posterior inductione sequentis, vt ostensum est.

Resp. non esse dispositionem, sed illius effectum.

V. *Duo genera impedimentorũ.* Quòd verò dicitur ablationem impedimentorũ esse priorem effectione rei, quam impediebant, animaduertendum diuersa esse genera impedimentorum, alia enim sunt impedimenta, quæ quasi prærequiruntur, etiam tempore auferri debent, ex. g. vt quis aperiat ostium, debet priùs retrahere seram, vel pessulum, vt lux ingrediatur, seu producatur in caueâ, aut cubiculo, debent aliquâ ratione priùs aperiri fenestræ, vt quis constrictus catenis currat, debent priùs dissolui, vel diffringi catenæ, & alia huiusmodi.

VI. *Quædam impedimenta auferuntur per positionem alterius.* Alia verò impedimenta sunt, quæ per positionem alterius auferuntur, & horum ablatio non est prior positione illius, per quod auferuntur, sed posterior, & illius effectus. Sic diuersâ ratione se habet apertio fenestræ ad ingressum lucis, & ad ingressum venti, quando scilicet per motum, & impulsum venti aperitur,

riur, nam ad productionem lucis apertio fenestræ est quasi dispositio, & conditio antecedens, quia lux nullo modo est causa apertionis fenestræ; at verò respectu ingressus venti, apertio fenestræ non est conditio antecedens, sed effectus, cùm ventus per impulsum occupando spatium, in quo erat fenestra, illam propellat loco; ac proinde est causa cur fenestra relinquat locum illum, & alium occupet per motum & impetum in ipsam à vento impressum.

VII. *Prius natura quam ingrediatur domum aliquando, quam ostiū aperiat.* Dices; ergo si quis eodem impetu aperiat ostiū, & ingrediatur cubiculum, prius ingreditur, quàm aperiatur ostium, quod tamen videtur mirum. Distinguo consequens, prius tempore, nego consequentiam; prius ratione & naturâ, concedo; non prius tempore, nam eodem tempore quo ostium relinquit locum, homo eundem occupat, cùm fit ostiu immediatus, alioqui daretur vacuum. Quòd autem prius naturâ & ratione id fiat, nil aliud dicit quàm motum illum, & ingressum hominis in locum ostij, esse causam cur ostium locum illum relinquat.

VIII. *Sufficit vt vnum corpus eodem tempore locum relinquat, quo aliud ingreditur.* Instabis, non est aptus locus ille vt homo illum occupet, nisi prius deseratur ab ostio, cùm simul in eodem loco esse non possint. Nego antecedens, sed sufficit simul deseri seu relinqui à corpore illo eodem tempore quo homo ingreditur, tunc enim nullum est impedimentum, & consequenter locus est aptus ad recipiendum hominem, vel aliud corpus, quod illo tempore succedit in locum ostij: si verò propellatur ostium ab homine ingrediente, tunc prius naturâ est ibi homo quàm illud expellatur, hoc enim nihil aliud est quàm dimoueri corpus illud per ingressum hominis, seu per motum ostio impressum.

IX. *Pro eodem signo rationis, quo calor est in subiecto non intelligitur frigus non esse.* Obijcies secundò; pro illo priori intelligitur calor esse in subiecto, ergo intelligitur frigus non esse in subiecto. Distinguo consequens, non esse pro illo priori, nego consequentiam; pro aliquo posteriori, concedo: effectus enim non est pro eodem signo rationis cum causâ, sed illâ posterior. Instabis, pro illo priori non intelligitur expulsio, seu non esse frigoris, ergo pro illo priori intelligitur frigus, ergo simul in eodem subiecto intelligitur calor & frigus, ergo sunt ibi simul in gradibus repugnantibus. Resp. negando primam consequentiam, in illo enim priori nec intelligitur frigus, nec non frigus, sed habet se intellectus præcisiuè circa tam frigus quàm illius negationem pro illo priori. Quod euidens videtur in causâ liberâ, quoties se exercet, & actum liberum elicit.

X. *Agens solū efficienter expellit formam.* Obijcies tertiò; agens fortius, ignis ex. g. subiecto alicui applicatus, etiam antequam quidquam in eo producat, petit vt Deus frigus conseruare desinat, ergo destructio frigoris est naturâ prior inductione caloris. Resp. negando antecedens, agens siquidem non expellit frigus formaliter, sed solùm efficienter, per calorem scilicet à se productum.

XI. *Quo modo se habeat forma antior formæ substantialis.* Obijcies quartò; licèt hæc fortè probent de formis accidentalibus, formæ tamen substantiales non videntur destrui ad introductionem nouæ formæ substantialis, sed antecedenter semper ad eam, ad destructionem scilicet dispositionum, ideo enim expellitur forma ligni, quia deficiunt dispositiones, ad eam conseruandam sufficientes, harum autem destitio semper antecedit inductionem formæ nouæ substantialis, ergo prius destruitur forma præcedens, quàm noua inducatur.

XII. *Dici etiam hoc potest expulsio priorìs formæ effectus nouæ.* Resp. tamen probabiliter sustineri posse expulsionem prioris formæ substantialis sequi ad introductionem nouæ: vnde hoc modo statui possunt signa rationis. In primo signo ignis applicatur ligno: in secundo producuntur dispositiones ad formam ignis: in tertio destruuntur dispositiones ligni, & forma ignis introducitur: in quarto demum destruitur forma ligni. Vnde dispositiones formæ ignis ad hæc duo concomitanter determinant, nempe ad destructionem dispositionum ligni, & productionem formæ ignis. Si quis verò contendat; destructis dispositionibus ligni expellendam formam ligni, siue forma ignis producatur, siue non: hoc ad summum probat concomitanter se habere expulsionem formæ ligni, & inductionem formæ ignis: quod est satis probabile.

XIII. *In quo consistat causalitas formalis expulsiua.* Quæres, in quo consistat hęc causalitas causę formalis, respectu formæ corruptæ, caloris ex. g. respectu frigoris, quod expellit, aut formæ ignis respectu formæ ligni, ab illa expulsæ. Primò, certum videtur non esse solam vnionem formæ cum subiecto, cùm hæc per Diuinam potentiam dari possit, sine expulsione alterius formæ. Nec etiam consistit in vnione caloris, & destructione frigoris, potest enim Deus, non ob calorem inductum, sed alias ob causas, frigus in his circumstantiis destruere; quo casu non expelleretur frigus propter caloré. Consistit ergo hęc secundaria causalitas, si sumatur adæquatè, in vnione formæ cum subiecto, connotando voluntatem Dei volentis expulsionem frigoris propter exigentiam caloris, iam subiectum informantis.

DISPVTATIO XXIII.

De causa Finali, & exemplari.

SECTIO PRIMA.

Explicatur & diuiditur causa Finalis.

I. *Quid sit causa finalis.* Aristoteles lib. 2. phy. cap. 2. 3. & 7. & 2. Met. tex. 8. & alibi sæpe sic causam Finalem definit: *Finis est cuius gratiâ cætera fiunt.* Quam definitionem alijs verbis sic tradunt aliqui: *finis est propter quem consequendum aliquid fit.* Finis ergo est illud ob cuius amorem, & complacentiam mouetur quis ad aliquid agendum, vt, ob sanitatem amatam sumit potiones amaras infirmus, vt se patitur secari &c. Vbi notandum, voluntatem amare sanitatem præcipuè & *propter se* medicinam propter sanitatem; vnde sanitas est obiectum formale, medicinæ sunt obiecta materialia, quia in illis non sistit voluntas, sed vltenùs. Quod etiam contingit in aliis omnibus rebus. *Idem sæpè actu amari potest vt medium, & vt finis.* Idem tamen obiectum potest simul nonnumquam amari vt medium & vt finis, si nimirum in ipso repræsentententur duæ bonitates quasi disparatæ, vt si deambulatio aliqua ametur, & quia iucunda, sub quâ ratione est finis, & non vltenùs ordinata, & quia vtilis sanitati, vbi amatur vt medium. Idem est in potione aliquâ seu medicinâ dulci.

II. Diuiditur primò Finis in Finem *cui*, & finē *qui*. Finis *cui* est res illa vel persona, cui bonum amatur, vt Petrus est finis *cui* sanitatis. Finis *qui*, seu *cuius gratiâ* est

est bonum illud quod per se amatur, & alia in ordine ad illius consecutionem, vt sanitas est finis *cuius gratiâ* respectu mediorum, quibus comparatur. Sanitas verò seu finis *qui & cuius gratiâ* est propriè finis, & non medium respectu finis *cui*, & constituit vnum quasi finem adæquatum cum illo: quod enim plenè & adæquatè vult Petrus infirmus, est vt ipse fit sanus, sanitas autem non est medium respectu Petri. Licèt ergò finis *cui* sit finis magis principalis, finis tamen *qui* seu *cuius gratiâ* non est medium respectu illius, sed habet in se bonitatem, ratione cuius immediatè conuenit fini *cui*, media autem quà talia, hoc non habent, sed solùm remotè conueniunt fini *cui*, nec per se amabilia sunt, & propter se, sed solùm in quantum sunt apta ad consequendum finem *cuius gratiâ*, qui secundùm se immediatè est conueniens fini *cui*.

Finis cui & finis qui, seu cuius gratiâ.

Finis qui, & cui integrant vnum finem.

III. Secundò diuiditur finis in finem *qui*, & finem *quo*. Finis *qui* est ipsa res quæ amatur fini *cui*, vt Deus est finis *qui* beatorum; finis *quo* est vnio, vel possessio illius rei; vt visio beata, per quam possident Beati Deum, est finis *quo*, Deus finis *qui*, licèt ex vtroque simul integretur vnus finis adæquatus.

Finis qui, & finis quo.

IV. Notandum verò, id quod est finis respectu vnius, posse esse medium respectu alterius: sic fossionis finis est plantatio vitis, quæ tamen habet vlteriorem finem, nempe fructum. Vnde plantatio illa non est propriè & simpliciter finis, sed simpliciter medium, nec enim amatur propter se, sed propter fructum, qui inde separatur. Finis autem vltimus rerum omnium est Deus.

Finis respectu vnius potest esse medium respectu alterius.

V. Tandem mihi non displicet quod affirmant aliqui media scilicet quà talia, licèt nullam habeant in se bonitatem absolutam, seu honestam, aut delectabilem, habere tamen vtilem, & respectiuam, illamque se non accipere à fine, sed sibi habere propriam, licèt quà talis bonitas est, essentialiter ordinetur ad finem, potio enim amara, rheubarbarum ex. g. in se intrinsecè vim habet purgandi choleram, licèt hæc ipsa virtus ex se ordinetur vlteriùs ad finem, nempe sanitatem: & potio illa in tantum est appetibilis, in quantum iuuat ad affectionem illam noxiam pellendam, & hominem ad æquale humorum temperamentum, in quo consistit sanitas, reducendum.

Media habent bonitatem vtilem.

Sanitas est æquale humorum temperamentum.

SECTIO II.

Quænam agentia agant propter finem.

I. Dico primò: Bruta, pueri, & amentes non agunt propriè, & formaliter propter finem, sed solùm materialiter, & impropriè. Ratio est, quia sufficientem notitiam non habent, vt discernant inter finem & medium, & vnum iudicatiuè conferant cum alio, ac media appetant quà media, seu vt apta ad talem finem, licèt materialiter, & instinctu quodam naturæ media subinde proportionata ad rem aliquam perficiendam applicent: vt aranea tendit retia ad captandas muscas, hirundines nidos construunt ad excludendos pullos &c. qua de causâ materialiter dicuntur agere propter finem, id est, faciunt materiam finis & mediorum, licèt non perfectè conferant vnum cum alio.

Bruta, pueri, & amentes nō agunt propriè propter finem.

II. Existimo tamen cum S. Thoma 1.p.qu.78.art.4. corp. bruta, licèt propriè non agant propter finem, operari tamen subinde ex apprehensione vel imaginatione vtilitatis rei alicuius quæ ad opus, quod agunt, conducit. Sic inquit S. Thomas citatus, *auis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia vtilis est ad nidificandum.*

Operantur subinde bruta ex imaginatione vtilitatis.

III. Dices; ergo vtuntur quodam discursu, cùm sensu vtilitatem illam non percipiat. Nego consequentiam, sed id cognoscit per actum imaginationis ex speciebus insensatis, vt aiunt, seu à sensibus exterioribus non collectis, prouenientem, qui actus obiecta sensibus imperceptibilia repræsentat.

Nullo tamen vtitur discursu.

IV. Quòd si quis quærat, vnde Bruta has species habeant, cùm ministerio sensuum non colligantur? Dico, cùm species huiusmodi sint brutis ad vitam tuendam, & speciem propagandam necessariæ, in primâ eorum productione iis ab auctore naturæ infundi, id naturâ ipsorum, & bono vniuersi exigente.

Vnde habeant bruta species insensatas.

V. Ex quibus à fortiori deducitur, agentia naturalia, seu inanimata non agere propter finem propriè, cùm nullam habeant cognitionem. Aliquo tamen modo dici possunt agere propter finem, hoc nimirum sensu, quatenus per potentias suas & inclinationes, seu pondus quoddam naturæ tendunt ad certos terminos, à naturâ constitutos; vt ignis ad suam sphæram, terra ad centrum, &c. Cùm verò dicitur, *Opus naturæ est opus intelligentiæ*, vel est sermo de naturâ naturante, nempe Deo, à quo omnia, dum fiunt, ordinantur ad finem; vel sensus est, ita omnia ordinatè & certis veluti legibus procedere in vniuerso, quasi haberent intelligentiam, qua se in motibus dirigerent.

Inanimata non agunt propter finem.

Opus naturæ est opus intelligentiæ.

VI. Deus verò in operationibus ad extra, homines & Angeli propriissimè operantur propter finem, cùm distinctè, & perfectè cognoscant conuenientiam, ac proportionem mediorum ad finem, & medium quà tale distinguant ac discernant à fine, illudque ad finem referant, quod est propriè ac formaliter operari propter finem. Actus autem ad intra in Deo, seu volitiones eius liberæ non habent, nec habere possunt causam finalem. Ratio est, quia causa finalis est respectu illarum tantùm rerum, quæ fiunt, cùm causa finalis sit id, gratiâ cuius aliquid fit, sed volitiones diuinæ non fiunt, cùm nihil in Deo sit factum, ergo. Licèt itaque diuina bonitas dici possit finis actuum Dei ad intra, vel, vt loquitur S. Thomas 1. contra Gent. cap. 86. *Ratio finalis illorum*, causa tamen finalis dici nequit, cùm causa distinctionem semper dicat ab illo, cuius est causa; vnde etiam 1. par. quæst. 19. artic. 5. docet non dari causam diuinæ voluntatis.

Deus, Angeli, & homines propriissimè operantur propter finem.

Diuina bonitas est finis actuū Dei ad intra.

S. Thomas

VII. Dices; ergo nec Deus potest esse finis creaturarum, cùm fieri non possit, finis autem fieri debet per media, cùm tamen certum sit Deum esse creaturarum finem, iuxta illud Prouerb. 16. v. 4. *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Resp. negando consequentiam, ad rationem enim finis sufficit aliquid fieri propter ipsum, siue ipse finis fiat, siue non.

Deus est finis creaturarum.

VIII. Infero tamen vlteriùs, operationum eius ad extra dari propriè causam finalem, ad rationem enim causæ finalis non requiritur vt amor ipse finis causetur, amor enim in Deo, cùm sit ipsa Diuina volitio, fieri aut causari non potest, sed sufficit ad rationem causæ finalis, quod ab amore finis media causentur, vt hîc contingit, cùm Deus velit creaturas propter seipsum.

Operationum Dei ad extra datur causa finalis.

Tandem noto, quando ex. g. amicus præstat aliqua in gratiam amici qui proinde est illorum finis, illa tamen non habere propriè rationem mediorum, cùm non ideo ab eo fiant, vt aliquid per ea consequatur. Quare non est de ratione omnis finis, vt semper obtineatur per ea, quæ fiunt propter illum, sed illud solum est verum in fine *Qui*, & quando ea quæ fiunt, sunt propriè media.

SECTIO III.

Alia quædam ad perfectam causæ finalis cognitionem spectantia.

I. *Nihil volitum, quin præcognitum.* PRimum est, quomodo cognitio pertineat ad rationem finis? Primò, certum est requiri saltem vt conditionem, cùm *nihil volitum, quin præcognitum*. Secundò dico, non ingredi tanquam quid attrahens ad se voluntatem, per modum obiecti amati: hoc videtur euidens, nam cùm quis amat sanitatem, non amat nec partialiter, cognitionem, qua repræsentatur, cùm cognitio illa non cognoscatur. Tertiò, *Quomodo cognitio spectet ad rationem finis.* actus quo infirmus amat sanitatem, est actus desiderij, sed non desiderat actum quo repræsentatur sanitas, cùm illum possideat, ergo actus repræsentans sanitatem, non est obiectum actûs desiderij, Vnde id quod finalizat, seu constituit rationem finis per modum obiecti amati, est sola bonitas in obiecto, siue illa vera sit, siue solùm appareos. Vtrùm autem cognitio sit mera conditio, an ratio aliquo modo mouens & impellens voluntatem ad amorem finis, multum habet de nomine, sed pendet à dicendis in libris de Anima, vbi hoc fusiùs disputabitur d. 27.

II. *Quinam sint effectus finis.* Secundum est, quinam sint effectus finis? sermo autem est tantùm in creatis. Primò, ipse amor vel complacentia finis apprehensi est effectus illius, nam bonitas in obiecto mouet voluntatem ad actum illum complacentiæ eliciendum, licèt dici non possit effectus finis amati, cùm hic sit primus actus amoris, qui fertur in finem, & consequenter illum non supponit. Ex quo à fortiori deducitur, omnes alias actiones sequentes hanc complacentiam, esse effectus finis, vt sunt gaudium, & fruitio de obtento fine, dolor & tristitia de non obtento &c. Propriissimus tamen effectus finis est electio mediorum, si tamen electio hæc distinguatur ab intentione finis de quo in libris de Anima. Longè autem manifestiùs sunt effectus finis actiones externæ, quas exercet quis, vt finem consequatur.

III. *Sitne Finis causa realis.* Tertium est, sitne finis causa realis? Primò, entitatiuè sine dubio ex genere suo non est, cùm finis communiter sit res non existens, dum intenditur, imò aliquando quid impossibile. Secundò, si sermo sit de causa physicè influente, certum est finem non esse causam realem, cùm res non existens, & præsertim impossibilis, influere physicè, & realiter non possit. Solùm ergo dici potest finis causa realis intentionalis, non physica, in quantum sc. per realem repræsentationem mouet voluntatem ad illius amorem, & prosecutionem, quod est realiter intentionaliter mouere, non realiter physicè. Sed quæstio fermè est de nomine. Licèt autem Deus, qui est finis hominum, concurrat physicè od operationes virtutum, quibus sancti viri finem seu Deum consequuntur, non tamen concurrit ad illas vt causa finalis, sed vt efficiens.

IV. *In quo consistat causalitas Finis.* Quartum, in quo consistat causalitas finis? Primò, non est ipsa sola entitas finis, esse enim potest entitas illa, & non finalizare, seu quidquam causare, aut etiam mouere voluntatem. Nec est cognitio repræsentans finem, nam potest repræsentari finis per hanc cognitionem, & tamen non mouere voluntatem efficaciter ad ponenda media in ordine ad illum consequendum. Nec etiam videtur sola actio physica agentis, cùm hæc esse possit, iuxta probabilem sententiam, quamuis finis ille nullo modo in eam influat, vt cùm quis ambulat propter sanitatem, continuare deambulationem eamdem potest, etiamsi non recordetur sanitatis, nec ob eum finem id faciat, imò licèt actu reflexo nolit ambulare propter eum finem. Consistit ergo causalitas causæ finalis in actione quidem productiua effectuum, sed suppositis talibus circumstantiis in agente, nempe cognitione & amore finis, ad huiusmodi actionem impellentibus.

V. *An voluntas appetere possit aliquid impossibile.* Quintum, vtrùm voluntas appetere possit aliquid impossibile? Si repræsentetur vt possibile, certum est posse, res enim non amantur vel appetuntur, vt sunt, sed vt existimantur, cum potentiæ appetitiuæ, vtpote cæcæ, sequantur intentionales. Si verò impossibile repræsentetur vt impossibile, tunc actu efficaci appeti non potest, potest tamen inefficaci, seu simplici complacentia. Prirnum constat, nam voluntas efficax alicuius rei est illa, qua vult quis aliquid consequi, sed iudicium de impossibilitate tollit hoc motiuum, cum iudicet se hoc consequi non posse, seu, rem hanc omnino non posse obtineri, ergo non potest velle efficaciter illam consequi; sic enim vellet pugnantia. Secundum etiam constat, nam multi inefficaciter optant vitam amici mortui: & quid ni etiam posset aliquis vana quadam complacentia in volatu, & similibus delectari, & ea inefficaciter velle. Imò Scotus & Gabriel docent Luciferum, & Angelos malos habuisse de facto huiusmodi actus, quibus volebant se esse similes Deo, id est, appetebant æqualitatem cum diuina essentia quam tamen sciebant sibi esse simpliciter impossibilem.

VI. *Quomodo actus contritionis sit volitio quasi impossibilis.* Dices; etiam efficaciter potest quis velle impossibile cognitum vt impossibile, actus enim contritionis est efficax circa peccatum præteritum, quod sc. contritus vellet non fuisse. Respondetur, actum contritionis esse interpretatiuè tantum efficacem, id est, ita est animo affectus qui illum habet, vt si peccatum non esset perpetratum, illud nullo modo committeret. Præterea actus contritionis est efficax in mediis adhibendis ad destruendum peccatum commissum, quatenus manet habitualiter, non tamen est efficax eo sensu, vt tam velit efficaciter actu non fuisse, seu ita vt adhibeat media, quibus conetur efficere vt peccatum illud nunquam fuerit commissum, hoc enim nouit esse impossibile, nec id vllus sanæ mentis attentaret.

VII. *Quid dicendum de hoc actu, Vellem esse arbor.* Hic verò actus quo quis dicit, vellem esse arbor, aut aliquid huiusmodi, vel potest esse solum ex parte iudicij, id est, ita vt quis iudicet, si obiectum illud esset possibile, se habiturum actum efficacem voluntatis, quo illud appeteret; vel potest esse ex parte voluntatis, quo quis simplice quodam affectu optat se esse arborem, non tamen efficaciter. In hoc tamen actu saltem implicitè affertur alius actus conditionatus efficax, quasi quis inefficaci quodam affectu diceret, volo esse arbor, & si hoc esset possibile, illud vellem efficaciter. Hæc de causa finali in præsenti sufficiant; reliqua ad finem spectantia in libris de Anima discutiemus.

SECTIO IV.

Inquiruntur quædam circa naturam causæ Exemplaris, seu Idealis.

DE causa exemplari eo pauciora nobis hic necesse erit tradere quo plura de illa in Logica, vbi de actu practico & speculatiuo disputatum est, tradidimus. Qui plura cupit, habet quos consulat Conimb. c. 7. q. 3. Suar. in Met. d. 25. Rubium hic, & alios. I.

II. *Definitio causæ exemplaris.* Aristoteles primo Met. c. 7. t. 32. sic exemplar definit. *Exemplar est illud in quod operans inspiciendo operatur.*

tur. Quam definitionem alij sic explicant, *exemplar est forma quam effectus imitatur, ex directione agentis sibi determinantis finem.* Vnde, quæ omnino cognitione carent, operari per exemplar non possunt, sicque flores, vel folia in eâdem arbore, vel botro, licèt crescant sibi simillima, seque perfectissimè referant, non tamen operantur per se inuicem tanquam per exemplar. Bruta verò, sicut propriè non operantur propter finem, quia conuenientiam inter media, & finē propriè non discernunt, nec illa quà talia, ad finem quà talem conferunt; sic ex defectu eiusdem cognitionis non operantur per exemplar, licèt laro quodā modo per illud operari dici possint, vt cùm simiæ inspiciendo humanas actiones, illas imitantur, & ad amussim exprimunt.

III. In operante propriè per exemplar, vt cùm pictor aliquis, leonis imaginem intuens, aliam ei similem delineat, quatuor reperiuntur: obiectum externum quod intuetur pictor, cognitio illius obiecti, alia cognitio ex cognitione prioris orta repræsentans obiectum, seu imaginem faciendam, & quartò imago ipsa, seu opus externum, quod artifex molitur. Primum obiectum dicitur propriè exemplar, vtpote ex cuius inspectione occasio sumitur nouam imaginem depingendi, cognitio tamen prima quæ vocatur *exemplar formale*, est solùm speculatiua, vt dixi in Logicâ, cùm feratur in obiectum tantùm vt factum. Secunda autem cognitio quæ repræsentat imaginem faciendam, est practica, hæc enim sola est, quæ dirigit propriè, & immediatè operantem; alia verò, quæ sc. repræsentat exemplar, solùm dirigit remotè & occasionaliter, quatenus sc. ex occasione exemplaris per eam repræsentati, determinatur intellectus ad cognitionem, & repræsentationem imaginis, quam operans intendit depingere; quando enim pictor ducit hanc vel illam lineam, licèt quidem remotè excitetur ab imagine quam intuetur, sine ab exemplari, immediatè tamen dirigitur ab actu repræsentante lineam, quam ducit.

In operante per exemplar quatuor reperiuntur.

Quæres an Deus operetur per exemplar? quod aliis verbis proponi solet, vtrùm in Deo sint Ideæ? Resp. affirmatiuè: Deus enim, vtpote artifex omnium peritissimus, res ipsas faciendas perfectissimè præconcipit, sibique distinctissimè repræsentat, earumque inspectione ad illarum productionem dirigitur: iuxta illud Boëtij IV.

Deus operatur per exemplar.

—Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; ab imagine formans.

Vtrùm autem exemplar sit actus ipse intellectûs repræsentans obiectum, an obiectum ipsum repræsentatum, controuersia est de modo loquendi, quā proinde miror nonnullos tam operosè disputare. Mihi congruentiùs, & ad exemplaris naturam accommodatiùs loqui videntur, qui obiectum ipsum dicunt esse ipsum exemplar, hoc enim ostendit definitio exemplaris suprà ab Aristotele posita, *Exemplar est illud in quod operans inspiciendo operatur.* Vtrique tamen in suo genere conuenit ratio exemplaris, vnde cognitio exemplar formale dicitur, obiectum exemplar obiectiuum. V.

Obiectum & actus illud repræsentans constant vnum exemplar.

Differt exemplar à fine, quòd finis moueat ad consecutionem sui, exemplar verò solùm dat occasionem, vt aliquid ad imitationem ipsius fiat; vnde tota causalitas exemplaris, seu actuum circa exemplar peragitur in solo intellectu, non in voluntate, quod tamen est maximè proprium finis, vt sc. moueat voluntatem ad amorem, & consecutionem sui. VI.

Quomodo exemplar differat à fine.

Reliqua de causâ exemplari, nempe quomodo dirigat, & vtrùm efficienter concurrat, tractanimus in Logicâ, cùm de actu practico & speculatiuo, & disp. vltimâ proœmiali, vtrùm sc. Logica concurrat efficienter, an solùm directiuè ad actus aliarum scientiarum. VII.

DISPVTATIO XXIV.

De Causa efficiente.

SECTIO PRIMA.

An sit, & quid sit causa efficiens.

I. SErmo est de causâ efficiente creatâ, de Increata enim suppono pro præsenti dari, quod in Metaphysica d. 12. quæstione ad hanc ipsam rem peculiariter institutâ, ostendam.

Sermo est de creatâ.

II. Quidam apud Albertum Magnum hîc, tractatu 2. c. 3. & S. Thomam 1. p. q. 105. a. 5. corp. negarunt causas secundas quidquam omnino facere, sed solum Deum in præsentiâ ignis producere ignem, in præsentiâ caloris calorem, in præsentiâ solis lucem, & sic de cæteris: in rebus autem creatis nullam aiebant esse virtutem rei vllius effectricem. Quam sententiam, inquiunt Conimb. hîc c. 7 q. 11. a. 1. ab inferis reuocare velle videntur Aliacensis in 4. d. 1. q. 1. & Gab. d. 2. q. 1. & 3. Huius opinionis meminit Auerroës c. 9. Met comm. 7. & c. 12. com. 18. eiusque assertores ait debilis esse cerebri. Quam etiam sententiam hodie Philosophi omnes meritò reiiciunt vt improbabilem.

Negabant aliqui causas creatas quidquam agere.

III. Causas ergo secundas aliquid verè & physicè operari est manifestum: quia certum est liberum arbitrium aliquid operari, & actus producere. Quod, præterquam quòd definitum sit à Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. vbi damnat erroris illos omnes *qui dicunt liberum arbitrium nihil omnino agere, sed habere se passiuè, & mortuo modo*, probatur vlteriùs, quia alioquin homines nec peccarent, nec mererentur, sicut enim si Paulus aliquid laude dignum præstet in præsentiâ Petri, Petrus propterea non meretur laudem, ita nec si Deus opera illa producat in eiusdem præsentiâ. Deinde, vbique in Scripturâ ascribitur efficientia rebus creatis: *videte ficulneam & omnes arbores cùm producunt iam ex se fructum*, Luc. 21. v. 29 *lignumq; faciens fructum secundùm speciem suam*, Genes. 1. v. 12. & infinita huiusmodi.

Certum tamen est causas creatas verè & physicè operari.

Præterea, quando equus currit, quis dicet equum tunc nihil facere, sed Deum solum ad præsentiam equi motum illum producere? Imò, cur tanta quibusdam rebus datur membrorum, & organorum diuersitas, nisi vt illis ad varias functiones vtantur? Quare etiam non æquè producit Deus calorem ad præsentiam frigoris, atque ad præsentiam caloris? Dices; quia est maior affinitas & similitudo inter calorem & calorem, quàm inter frigus & calorem. Contrà, cur ad præsentiam albedinis non producit albedinem: cur etiam non producit lucem ad præsentiam frigoris? cùm tanta sit similitudo inter frigus & lucem, atque inter lucem & calorem: aut cur IV.

Varia organa, ac dispositiones in viuentibus arguunt ea verè agere.

non æquè producit Angelus Angelum, ac homo hominem?

V. *Diversis experimentis deprehendimus causas secundas operari.*

Cùm ergo videamus semper præsente & applicato igne, produci calorem, & ignem, non frigus; præsente niue frigus, non calorem; præsente sole lucem &c. colligimus hæc & alia agentia vim habere productiuam horum effectuum, & non aliorum, ac proinde causas secundas, seu creatas habere veram virtutem effectiuam aliquorum effectuum.

VI. *Causa efficiens inter causas prima.*

Quoad secundum in titulo propositum, Aristoteles hic tex. 29 & 5. Met. t. 2. sic causam efficientem definit: *Causa efficiens est vnde principium primum mutationis, & quietis*: per ly *Principium* conuenit cum aliis causis: *Primum* intelligitur dignitate, quia scilicet causa nobilissima, vnde à nonnullis sola causa efficiens vocatur causa. Licèt autem finis sit aliquo modo entitatiuè æquè, vel magis nobilis quàm efficiens, imò idē aliquando cum efficiente, adhuc finis est solùm causa intentionalis, non physica, nec physicè & realiter influens, ac proinde in ratione causæ est inferior causâ efficiente. Imò causa efficiens viâ executionis est aliquo modo prior aliis, nam hæc causalis aliquo sensu est vera, quia efficiens agit, materia patitur, non è contrà quia materia patitur, efficiens agit. Ly *vnde*, licèt si latè sumatur, conueniat omni principio, sicut *propter* conuenit omni causæ, sicut tamen *propter* strictè sumptum conuenit soli causæ finali, ita & *vnde* strictè sumptum conuenit soli efficienti, & denotat influxum extrinsecum. Particula *mutationis* si strictè sumatur, limitat causam efficientem ad solas generationes & mutationes naturales, & non conuenit causæ creanti, præsertim si aliquid creatum fuisset ab æterno: quod tamen non est mirum, cùm creatio Aristotelem latuerit. Vltima particula *quietis* addita est ab Aristotele, vt denotaret causam res omnes, non tantùm primò producere, sed etiam conseruare. Aliis tamen verbis explicatiùs tradi posset hæc definitio si diceretur, *Causa efficiens est principium per se influens esse in aliud, præscindendo à mutatione sui.* Quæ definitio est eadem, & eodem modo explicari debet, quo illa quam posui d. 22. s. 1. concl. 3. vbi differentiam assignaui in modo causandi inter causam efficientem & materialem.

Creatio latuit Aristotelem.

Definitio causæ efficientis.

VII. *Diuisiones causæ efficientis. Deus causa vniuersalissima.*

Diuiditur causa efficiens primò in creatam, & increatam. Secundò, in vniuersalem, & particularem: illa est, quæ vniuersali quodam & communi modo ad varios effectus cum causis quibusdam particularibus concurrit, vt sol, cœlum, &c. vnde Deus causa dicitur vniuersalissima, quia concurrit cum omnibus. Reliquæ causæ diuisiones positæ sunt suprà d. 21. s. 4.

SECTIO II.

Quid sit causa principalis, quid instrumentalis.

I. *Prima sententia conceptum causæ instrumentalis statuit in operatione præuiâ.*

PRimus hac in re procedendi modus est Thomistarum (& non semel insinuat S. Thomas, licèt alio sensu explicari possit) instrumentum esse quod aliquid operatur præuiè ad effectum. Verùm licèt hoc instrumentis fortè naturalibus vt plurimum conueniat: calor enim, antequam cum substantiâ producat substantiam, producit dispositiones aliquas accidentales in subiecto, in supernaturalibus certè locum communiter non habet, nam cùm sacramenta (quæ communis est apud Thomistas opinio) producunt gratiam, nihil operantur præuiè in animâ ad gratiam. Quòd si dicant, vt dicunt, produci motum aliquem localem in aquâ dum quis baptizat, vel in aëre, dum sacerdos verba absolutionis profert, motus tamen ille non producitur in animâ, cùm nihilominus, iuxta S. Thomam, id quod præuiè producitur ad effectum, in eodem subiecto producatur ac ipse effectus. Deinde posset Deus vti ipsâ animâ, vel intellectu tanquam instrumento ad producendum gratiam in animâ, & tamen ibi nulla tunc esset præuia operatio, ergo de ratione omnis instrumenti non est præuia operatio.

Impugnatur hæc sententia.

II. *2. sent. ait causam instrumentalem esse eam, cui nulla respondet formalitas in effectu.*

P. Hurt. d. 9. Phy. s. 12. in hoc ait consistere rationem instrumenti, vt illi nulla respondeat formalitas in effectu, & solùm concurrat dispositiuè, & non immediatè ad illum producendum, causa verò principalis, inquit, est cui aliquod respondet prædicatū, vel formalitas in effectu. Sed contrà, si Angelus eleuaretur ad producendum Angelum, vel vnus actus visionis ad producendum alium, Angelus & visio continerent omnes, vel plures saltem formalitates alterius Angeli, & visionis, & tamen non essent causæ principales, sed instrumentales respectu effectuum productorum, ergo. Circa id verò, quòd asserit causam instrumentalem non immediatè quidquā producere in effectu, contra hoc, inquam, est: nam causa instrumentalis est vera causa respectu illius effectûs cuius est causa, quod eainde confirmatur, quòd instrumenta artis ideo communiter dicantur non esse propriè instrumenta, quia scilicet non concurrunt effectiuè, nec producunt, sed solùm recipiunt motum, & consequenter nihil operantur propriè, ergo causa instrumentalis censetur vera causa respectu effectûs principalis, ergo non solùm disponit, nam si solùm disponat ad effectum, ergo verè illum non facit. Respectu verò dispositionis quam calor producit, non est causa instrumentalis, sed principalis.

Reiicitur hæc sententia.

III. *3. sent. vult causam principalem esse eam, quæ est æquè perfecta, vel perfectior effectu.*

P. Suarez d. 17 Met. s. 1. n. 16 17. & 18. ait causam principalem esse illam, quæ est æqualis vel maioris perfectionis, quàm effectus, dicitque ad illum proportionem: quod addi debet, quia Angelus non est causa principalis alterius Angeli, nec albedo albedinis, & alia huiusmodi, quia scilicet nullam dicunt proportionem & habitudinē ad illa in ratione producentis, & producti, cùm non possint inuicem se producere. Causa verò instrumentalis est illa, secundùm ipsum, quæ vel concurrit ad effectum se nobiliorem, vel ad eum ad quem nullam ea se habet proportionem: sicque effectus, licèt non superet subinde instrumentum in perfectione entitatiuâ, superat tamen virtutem eius naturalem operatiuam, vtpote quam in hunc effectum nullam habet. Prioris exemplum est, cùm calor producit ignem, & alia huiusmodi; posterioris, cùm Angelus eleuatur ad producendum alterum Angelum, albedo ad albedinem, muscam &c.

Quid causa instrumentalis.

IV. *Maior explicatio prioris sententiæ.*

Iuxta hunc ergo modum dicendi, quandocunq; aliquid concurrit ad effectum se præstantiorem, est causa instrumentalis, non principalis respectu illius. Imò aliqui hoc extendunt ad cœlos, & causas secundas vniuersales, quas dicunt esse causas instrumētales in productione viuentium, & omnium effectuum, ad quos concurrunt, ipsis præstantiorum: sicque in hac sententiâ semper debet esse, saltem aliqua causa, vel æquè perfecta, vel perfectior effectu, & quæ eleuet cæteras; quæ autem eleuat alias, est simpliciter perfectissima.

V. *Hic modus explicandi causam princip. & instrum. est optimus.*

Hanc acceptionē causæ principalis & instrumentalis non ita multis patere difficultatibus fatetur P. Hurtado: eam sequitur P. Arriaga d. 11. Phy. s. 3. & mihi vel ob hoc videtur amplectenda, quòd claram & instrumentis omnibus communem regulam assignet. Quod verò obiici posset, instrumenta artis esse entitatiuè perfectiora formâ accidentali, quam producunt, cùm sint substantia ac proinde fore causam

Difficultas de instrumentis artis.

sam illius principalem, non instrumentalem: Resp. instrumenta artis nullam dicere proportionem ad formam artificialem: vnde ex hoc capite sufficienter ostenditur ea esse instrumenta, non causas principales illius formæ. Præterea, vt suprà dixi, instrumenta artis non sunt propriè instrumenta, nec causæ instrumentales, cùm non omnino actiuè concurrant ad formam artificialem, sed ad summum remotè, & passiuè, recipiendo scilicet in se, non efficiendo impetum, vel motum localem, ad quem forma artificialis resultat: sicut aqua dicitur agere denominatiuè per calorem in se receptum.

VI. *Alius modus probabilissimus explicandi causam principalem, & instrumentalem.*

Volunt alij, non quidquid concurrit ad effectum se præstantiorem, censendum statim esse causam instrumentalem, modò effectus illud petat: sicque aiunt speciem impressam respectu visionis materialis esse causam principalem, & intellectum respectu visionis beatificæ. Secundùm hunc itaque modum dicendi, non erit opus vt vna aliqua ex causis sit perfectior effectu, sed omnes simul sumptæ, seu causa adæquata.

VII. *Declaratur vberiùs hæc sententia.*

Hæc sententia exinde illustrari potest, quòd licèt, partiales causæ sint imperfectiores respectu totius effectûs materialiter sumpti, respectu tamen illius formalitatis quæ singulis correspondet, singulæ causæ sunt saltem æquè perfectæ, cùm in illa formalitate præcisè considerata nihil reluceat, quod sit perfectius causà & in illà non præcontineatur: vt in visione beatificà ex. g. si concipiatur formalitas intellectionis præcisè, nihil in eà apparet quod intellectus solus producere non possit, cùm sic concepta intellectio nil differat à naturali. Et idem est de alijs formalitatibus respectu suarum causarum partialium.

Illustratur exemplo visionis beatificæ.

Perfectissima autem causa, per se loquendo, erit illa quæ, tribuendo singula singulis, concurrit ad perfectissimam formalitatem in effectu. Illa autem propriè non dicetur eleuari, nam licèt non possit sine concursu alterius producere effectum illum, non tamen censetur in hoc esse eleuata, cùm nihil dicatur eleuari nisi ab aliquo perfectiore, esto concurrat ad effectum se nobiliorem, & præstantiorem. Hic modus dicendi est acutior præcedente, mihique satis videtur probabilis.

VIII. *Instrumentum coniunctum, & separatum.*

Instrumentum aliud *coniunctum*, aliud *separatum*: *coniunctum* sumitur dupliciter, vel *quoad esse*, vel *quoad causalitatem*: instrumentum *coniunctum quoad esse* dicitur, id quod aliquo modo vnitur causæ principali, vel quoad præsentiam localem, vel quoad contactum physicum, vt serra, malleus, & alia instrumenta artis, vel deinum, & propriissimè, per vnionem physicam, vt calor vnitus igni.

IX. *Instrumentum non agit nisi motum à causâ principali.*

Instrumentum *coniunctum quoad causalitatem* est quod ad operandum requirit concursum principalis agentis: quo sensu dicitur instrumentum non agere nisi motum à causâ principali: vnde instrumentum separatum quoad causalitatem propriè dari non potest, cùm instrumentum eleuari debeat in actu secundo per actionem, & concursum agentis principalis; eo autem ipso quòd hoc fiat, est instrumentũ coniunctum quoad causalitatem.

X. *Instrumentum separatum quoad esse.*

Instrumentum separatum quoad esse est, quod nullo ex tribus superiùs dictis modis coniungitur causæ principali. Aliqua sunt instrumenta coniuncta quoad causalitatem, & separata quoad esse, vt secundùm aliquos sacramenta, quibus Christus in cœlo existens, vtitur vt instrumentis ad producendum gratiam in animabus hominum in terris. Alia sunt coniuncta & *quoad esse*, & *quoad causalitatem*, vt calor vnitus igni & cum eo producens alium ignem.

XI. Ad id quod hic quæri solet vtrùm scilicet causa sit perfectior effectu? patet solutio ex dictis. Secundùm formalissimam ergo rationem causæ & effectûs certum est causam esse nobiliorem effectũ; *beatius enim est dare, quàm accipere*, cùm hoc indigentiã & dependentiam sonet, illud potestatem & munificentiam. Quo sensu intelligendum est illud S. Augustini dum ait: *omne quod fit, ei à quo fit par esse non potest*, nam ignis productus & homo specificatiuè loquendo, est iam perfectus atque ignis, & homo producens, & ei in perfectione æqualis. Deinde, si sumatur collectio omnium causarum partialium, seu causa adæquata, semper est perfectior effectu, cùm causa prima in causarum complexione semper includatur, vel saltem æquè perfecta est ac effectus, si mente à causà primà præscindatur.

Beatius est dare, quàm accipere.

S. Augustinus.

XII. Quoad causam particularem, in modo dicendi Patru Suar. suprà relato, debet semper dari vna aliqua causa æquè perfecta, vel perfectior effectu. In postremo modo explicandi causam principalem, & instrumentalem, hoc non requiritur. Vterque dicendi modus est probabilis.

SECTIO III.

Vnde dignoscenda sit causa adæquata.

I. *Opinio P. Vasq. de causà adæquatà.*

PRima opinio est P. Vasq. 1. p. d. 43. quem sequitur P. Hurt. hic d. 9. s. 5. & alij, causam scilicet adæquatam desumendam esse penes correspondentiam formalitatum inter causam & effectum, vt nimirùm illa censenda sit causa adæquata, quæ vel formaliter, vt in vniuocis, vel eminenter continet omnes formalitates effectûs: illa verò partialis cui vna tantùm vel altera in effectu formalitas correspondet. Sic, inquiunt, ignis cum generali concursu Dei est causà adæquatà ignis, oculus cum specie & concursu Dei, est causa adæquata visionis; formalitas enim entis tribuitur Deo, formalitates accidentis, qualitatis, & vitalitatis potentiæ visiuæ, formalitas demum imaginis obiecti tribuitur speciei, vnde hæ omnes causæ partiales constant respectu visionis vnam totalem.

Formalitatũ correspondentia inter causam, & effectum.

II. *Hic modus ingeniosus est, sed difficilis.*

Hic philosophandi modus, licèt ingeniosè excogitatus sit, nullà tamen ratione videtur satisfacere, nec certam regulam inuestigandi causam adæquatam assignat.

III. *Impugnatur primò in causâ materiali.*

Contrà ergo est primò. Causam adæquatam creatam semper ingreditur causa materialis, & tamen nulla est formalitas in effectu causæ materiali peculiariter correspondens, seu quæ illi soli tribui debeat, & non alijs, ergo non est desumenda ratio causæ adæquatæ penes correspondentiam formalitatum. Maior est certa: minor probatur, quando calor educitur ex potentia subiecti, vel nulla omnino formalitas correspondet causæ materiali, vel nulla est quæ non correspondeat & causæ efficienti formaliter & materiali, ergo eadem formalitas tribuitur diuersis causis.

IV. *Secundò, quod omnis formalitas sit Ens.*

Contrà est secundò, nam, vt ostendi d. 40. Log. s. 4. nulla potest præscindi formalitas, quæ non sit formaliter ens, ergo formalitas ignis est formalissimè ens, ergo eidem formalitati assignari debet duplex causa, Deus nimirùm, cui tribuunt productionem prædicati entis, & ignis cui tribuunt formalitatem ignis, quæ, vt loco citato ostendi, est formalissimè ens.

V. *Tertiò, quia Deus præcontinet omnes formalitates.*

Contrà tertiò, Deus non rationem tantùm entis præcontinet, sed omnes etiam alias formalitates, ergo hoc etiam nomine plures causæ respiciunt eandem formalitatem. Conf. non propter formalitates tantùm, sed ob alias etiam rationes requiri subinde possunt causæ ad aliquem effectum, sicut requi-

runtur variæ conditiones, ergo regula hæc de formalitatibus non subsistit.

VI. Id solùm notauerim, probabile nihilominus mihi videri, quod à nonnullis acriter impugnari video, nempe tribuendo singula singulis, formalitatem entis peculiariter tribui posse Deo, seu causæ primæ in productione omniù effectûs. Ratio est, quia sicut vitalitatem ideo tribuimus potentiæ vitali, quia valet, *est actus vitalis, ergo est à potentiâ vitali*, sic eodem modo valet, *est ens, ergo est à Deo*: non tamen valet, *est ens, ergo est ab igne, aqua, sole, cælo, aut vllâ aliâ re creatâ*, cùm dentur entia quæ à nullâ re creatâ procedant, vt materia prima, Angeli, anima rationalis, &c. si autem hæc consequentia valeret, *est ens, ergo est ab igne*, quidquid est ens, esset ab igne.

Formalitas Entis tribuitur peculiariter Deo.

Hæc consequentia valet, est Ens, ergo est à Deo.

VII. Causa prima ergo in omni effectu respicit ens, in quantum ens, id est, si nulla alia ratio, vel formalitas esset in re productâ præter formalitatem entis creati, adhuc requireretur Deus, & hoc est *ens vt ens tribui Deo formaliter*, id est, Deus peculiari modo respicit prædicatum entis, vt ens est. Deinde, prædicatum entis est primum, cùm enim *vniuersaliora sint priora*, vniuersalissima sunt prima, sed conceptus entis est vniuersalissimus, ergo primus in re quauis reali.

Deus in omni re creatâ respicit Ens vt Ens.

Vniuersaliora sunt priora.

VIII. Cùm ergo Deus etiam determinet ad indiuiduationem, tribuetur illi propriè tanquam principio formali primum & vltimum in vnaquaque re: sicque optimè intelligitur quomodo non solùm respectu totius vniuersi, & vt finis & efficiens, sed respectu singulorum etiam effectuum sit Deus A & Ω in genere causæ efficientis. Hoc tamen non arguit quin causa omnis respectu transcendentali, qui est physicus & realis, respiciat omnes formalitates cuiusque rei, sicut easdem realiter, & physicè producit.

Deus respectu cuius rei A & Ω.

IX. In assignatione ergo causæ adæquatæ non existimo certi quidquam vniuersim statui posse, nec regulam vllam generalem dari, in qua animus plenè acquiescat, sed in particularibus casibus videndum quid pro effectuum varietate & exigentiâ censeri rationabiliter possit hic & nunc in productionem rei alicuius influere.

SECTIO IV.

An res aliqua possit seipsam conseruare inadæquatè.

I. SErmo est de conseruatione naturali: sicut enim, vt suprà dixi d. 19. s. 1. idem eleuari potest ad se, primo instante, secundò producendum, ita & in secundo & subsequentibus instantibus eleuari poterit ad se secundò conseruandum, actione scilicet ab eâ, quâ vel à Deo, vel ab agente aliquo creato priùs naturâ eo instante conseruatur, dependente.

Status quæstionis.

II. P. Lessius l. 10. de Perfect. Diuinis, c. 4. refert nonnullos existimantes, licèt res quædam adeò imperfectæ sint, vt conseruari connaturaliter, nisi ab iisdem causis, nequeant, à quibus primò fuerant productæ, quales sunt lux, species intentionales, & huiusmodi: aliæ tamen, inquiunt, sunt, vt calor, frigus, albedo, nigredo, colores omnes, odores, & pleraque accidentia & formæ substantiales, quæ cùm à Deo simul cum aliqua causâ secundâ sint productæ, postea tamen à Deo solo conseruantur, sicque minori conatu ex parte causæ extrinsecæ, quem proinde conatum partialiter supplent res istæ conseruatæ, & aliquo modo concurrunt ad conseruationem sui.

Existimant nonnulli posse res aliquas se inadæquatè conseruare.

III. Hanc sententiam loco citato doctissimè, more suo, refellit P. Lessius, & P. Arriaga d. 9. Phy. s. 6. quamuis per se falsa adeò videatur, vt refutatione non indigeat. Quia tamen plerique hodie, Atheniensium instar, (qui Act. 7. v. 21. *ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui*) si quid insuetum aut peregrinum in scholas inuehatur, auidè statim arripiunt, nec quàm solidum illud sit, curare videntur, sed, modò aures titillet, oraculi loco habēt: huic, inquam, malo vt occurratur, & ne silendo hanc approbare opinionem videar, eam etiam hîc breuiter refellam.

Multi non quàm vera sint curant, sed quæ noua.

IV. Impugnatur itaque primò: *prius est esse, quàm operari*, operatio siquidem prouenit à re existente, nihil enim operari potest nisi quod existit, vt suprà ostendi d. 18 s. 3. cùm ergo operatio proueniat à re existēte, existentia prior esse debet operatione, ergo operatio non potest esse prior existentiâ, sic enim daretur mutua prioritas, idque in eodem respectu eiusdem. Conf. primò, omnis causa naturâ prior esse debet effectu; quam ob causam fatentur Philosophi non posse idem se primò producere, ergo nec se poterit conseruare. Conf. secundò, vt res intelligatur apta ad operandum, intelligi debet extra omnes suas causas, ergo nō potest esse causa, etiam inadæquatè conseruatiua sui, vt est manifestum, sic enim non esset extra omnes suas causas. Conf. tertiò, hoc enim à fortiori probant ea omnia quæ suprà d. 21. contra mutuam prioritatem sunt allata, quæ non est opus hîc repetere.

Prius est esse, quàm operari.

Res, vt operetur, esse debet extra omnes suas causas.

V. Dices primò; probare quidem hæc, non posse rem vllam se primò, etiam inadæquatè, producere, non tamen obstare quò minùs res eadem se conseruet, iam enim pro aliquo priori res est producta, ergo habet existentiam & prioritatem sufficientem ad operandum. Sed contrà, vt aliquid habeat existentiam, & prioritatem sufficientem ad operandum, debet prioritatem illam & existentiam habere eo instante quo operatur, totum enim tempus quod instans illud in quo operatur, præcessit, perinde se habet ad operandum in hoc instante atque, si non fuisset, sicut de præmissis constat respectu conclusionis, quæ quantumuis longo etiam tempore in mente fuerint, nisi tamen illo instante in intellectu sint, quo elicitur cōclusio, perinde est quoad hunc effectum, ac si omnino non fuissent.

Hæc probant non solùm non posse aliquid se primò inadæquatè producere, sed nec conseruare.

VI. Dices secundò; conseruationem hanc, quâ res inadæquatè conseruat seipsam, non esse effectiuam, sed formalem, quâ scilicet per suam entitatem resistit formaliter contrariis, eaque ab expulsione & destructione ipsius impedit. Contrà primò, in quocunque genere causæ se conseruet, debet pro aliquo priori existere, cùm conseruare sit aliquid physicum, & reale, ergo pro illo priore debet res existerē, ergo & pro illo priori habere causam adæquatam conseruatiuam sui. Contrà secundò, resistentia illa est vt res non destruatur, rea autem, vt supponitur, hoc instante est, ergo non potest hoc instante destrui, ergo frustranea planè est eiusmodi resistentia pro hoc instante. Si autem dicat quis solùm exigere in instante A vt non destruatur in instante B, fateor hoc in aliquibus rebus inueniri, vt in Angelo, sole, & aliis naturaliter incorruptibilibus: sed hoc non est rem seipsam inadæquatè conseruare, imò si hæc sit conseruatio sui, conseruaret se adæquatè, cùm per se adæquatè petat vt sequente instante non destruatur.

Idem est de conseruatione sui in genere causæ formalis.

VII. Obiicies primò: res faciliùs conseruatur quàm primò producitur, ergo minore influxu. Contrà, hoc non probat rem conseruare seipsam, nec inadæquatè, sed non requirere tantum influxum in secundo instante, quantum requirebat in primo. Resp. tamen distinguendo antecedens, res faciliùs conseruatur quàm producitur, si eædem circumstantiæ permaneant,

Quo sensu res faciliùs conseruatur, quàm primò producatur.

neant,

neant, agentia nimirum contraria, quæ impediebant eius productionem, nego antecedens; si circumstantiæ mutentur, hoc est, si agentia contraria vel amoueantur, vel ita debilitentur, vt conseruationi rei non obsistant, sicut resistebãt primæ productioni, concedo. Vnde Angelus, sol, cælum, & similia eàdem planè facilitate conseruantur, quà primò producebantur.

VIII. Obiicies secundò: lux amoto luminoso statim perit, calor extincto vel amoto igne etiamnum permanet, ergo calor partialiter conseruat seipsum. Nego consequentiam, sed hoc in ipsas rerum naturas est refundendum: lux enim sicut momento tota producitur, ita tota momento perit, calor perit solùm successiuè, sicut successiuè producitur. Quemadmodum in naturas rerum refundere debent oppositum hic sentientes, cur foret miraculum si Deus sine cõcursu vllius causæ creatæ formam aliquam materialem produceret, & tamen nullum est miraculum quod hoc modo producat animam rationalem. Res ergo diuersæ diuersas habent exigentias.

Lux sicut momento tota producitur, ita tota momento perit.

Obiicies tertiò: ex eo quòd ad præsentiam ignis videamus semper ignem produci, colligimus vnum ignẽ alium producere, ergo ex eo quòd amoto igne calorem adhuc videamus persistere, rectè inferimus calorem se conseruare, tam enim oculis & experientiæ assensus in vno casu præbendus est, quàm in altero. Contrà, hoc enim probaret calorem conseruare se adæquatè, oculis enim, experientiâ, & sensu non cognoscimus Deum ad res creatas concurrere. Resp. ergo ita sensibus & experientiæ fidendum, vt via non præcludatur discursui, per quem sicut cognoscimus Deum cum causis secundis inadæquatè & partialiter concurrere, ita, vbi nulla est causa secunda sufficiens, colligimus Deum res quasdam vel primò producere, vel conseruare adæquatè, cùm ob rationes suprà positas certum omnino sit non posse rem vllam, etiam partialiter se primò producere, aut conseruare. IX.

In tantum sensibus credendum, in quantum volle rationi non aduersantur.

Hæ sunt præcipuæ rationes quas pro hac sententia à suis auctoribus afferri video. Alia plura affert P. Arriaga citatus, & bene refutat. Sed operæpretiũ non existimo huic rei diutiùs insistere. X.

DISPVTATIO XXV.

De causâ productiua substantiæ.

SECTIO PRIMA.

Variæ referuntur auctorum sententiæ.

I. PRima in hac re sententia est Platonis, qui Ideas seu formas statuebat separatas formarum sublunarium effectrices. In has proinde substantiarum omnium, quæ hic indies generantur, effectionem reiiciebat, & ignem in communi aiebat producere ignem particularem, rosam in communi rosam, hominem in communi hominem &c. Quæ opinio in Logicâ reiecta est d. 26. s. 1.

Causam substantiæ statuebat Plato substantiam in communi.

II. Secunda sententia est Auicennæ, qui formas quidem accidentales effici à rebus corporeis asserebat, vt calorem ab igne &c. formas verò omnes substantiales produci aiebat ab infimâ intelligentiâ. Sed cõtrà, æquè enim videmus ignem produci ad præsentiam ignis, ac calorem ad præsentiam caloris vel ignis, ergo ignis producit ignem, cum virtutem ad hoc habeat sufficientem. Deinde, intelligentiæ & animæ separatæ nihil in rebus extra se producunt præter motum localem. His ergo somniis relictis,

Auicenna infimam intelligentiâ.

III. Tertia celebris est Thomistarum opinio docentium, nullam substantiam creatam immediatè producere aliam substantiam, sed ignem asserunt adæquatè produci à calore, nullo igne concurrente. Sola proinde accidentia asserunt producere substantiam, in virtute tamen substantiæ: imò adæquatam operãdi virtutem solis tribuunt accidentibus, & nullam substantiam creatam aiunt respectu vllius effectûs esse immediatè operatiuam.

Alij solis accidentibus totam agẽdi vim tribuũt.

IV. Huic etiam sententiæ ex nostris subscripsit Vasq. 1. p. d. 186. Fons. 5. Met. cap. 2. qu. 6. s. 3. Rubius tr. 4. de causâ efficiente, qui in secundâ editione videtur mutasse sententiam. Eidem etiam opinioni fauent ex Recentioribus non pauci.

V. Quarta sententia est Scoti cum suis, Occami cum Nominalibus, Durandi cum aliis, quos sequitur P. Hurtado d. 9 Phy. s. 3. P. Arriaga d. 11 Phy s. 2. & 37. P. Ouiedo c. 9. Phy p. 4. & alij, qui totam efficientiam

Alij solam substantiam dicebant producere substantiã.

in substantiam tribuunt soli substantiæ, Ita vt accidentia ad illam omnino non cõcurrant, nisi tantum producendo dispositiones.

VI. Quinta demum sententia est media, & ait nec substantiæ soli, nec solis accidentibus tribuendam esse productionem substantiæ, sed vtraque per modum vnius causæ influere immediatè in substantiam quæ producitur. Ignem itaque & calorem simul dicit hæc sententia producere ignem. Ita Sua: disp. 18. Met. s. 2. Conimb. & alij secuti nonnullos ex antiquis, estque hodie communissima in scholis opinio. Et P. Arriaga nu. 42. fatetur possibile esse accidens quod partialiter producat substantiam. De singulis hisce sententiis aliquid strictim dicendum.

Alij demum substantiam simul cum accidente.

SECTIO II.

An sola accidentia producant substantiam.

I. COnclusio: Sola accidentia non possunt producere substantiam, hoc est, calor solus non potest producere ignem, frigus aquam &c. sed in substantiæ productione necessariò interuenire debet substantia. Hoc probatur primò ex Aristotele 2 de Generat. t. 53. vbi ait, *sicut materia est pati, & moueri, ita forma est agere & mouere.* ergo censet formam substantialem concurrere ad productionem substantiæ: t 54. sic habet, *præterea facultates, per quas res gignuntur, instrumentarias corporibus attribuunt, atque interea causam, quæ ad formam pertinet, auferunt,* ergo censet Aristoteles rationem agendi in productione substantiæ communiter esse ipsam formam. Dices; formis tribui efficientiam ab Aristotele quia ab illis proueniunt qualitates, quæ operantur. Contrà, hæc non potest dici vera & propria actio formæ, sed remota solùm, & radicalis, nec per illam dicitur forma operari, nisi impropriissimè, sicut paries dicitur videri, visâ albedine, cùm tamen sola albedo propriè videatur: sic in præsenti solùm accidens propriè ageret,

Ad substantiam non sufficiunt sola accidentia.

Probatur primò ex Aristotele.

substantia verò denominatiuè tantùm, & impropriè, quod reipsa est non omnino agere; sicut paries reipsa non videtur, sed sola albedo.

II. *Secundò à priori, ex ratione causæ totalis.*

Secundò probatur conclusio à priori: causa totalis debet in se continere totam perfectionem effectûs, vel formaliter, si sit causa vniuoca, vel eminenter seu virtualiter, si æquiuoca: sed calor non continet in se totam perfectionem ignis, seu effectum quem producit, ergo non potest esse causa totalis illius, sed simul cum eo concurrere necessariò debet aliqua substantia æqualis saltem perfectionis cum igne producto. Maior videtur certa, *nemo enim dat quod non habet*, id est, quod aliquo modo in se non continet, nempe vel formaliter, vel eminenter: si enim quidquam in effectu relucet, quod non relucet in causâ, effectus hoc recipere ab illâ nequit, sed habere debet aliunde. Minor etiam probatur, nam calor si contineat perfectionem ignis, vel debet illam præcontinere formaliter, vel eminenter: non primum, quod enim hoc modo aliud præcontinet, esse debet saltem æquè perfectum, atque illud quod præcontinet. Hoc ergo modo tantùm causa vniuoca præcontinet effectum, calor autem non est causa vniuoca ignis, vt constat. Nec etiam præcontinet calor ignem eminenter, quod enim hac ratione præcontinet aliud tanquam causa totalis, debet esse eo tanto perfectius, calor autem non est perfectior igne, vt est manifestum, ergo calor solus, & vt causa totalis, non potest producere ignem nec accidens substantiam.

Nemo dat quod non habet.

Calor nec formaliter præcontinet ignem, nec eminenter.

III. *Conf. ex visione beatificâ.*

Conf. ideo secundùm omnes intellectus solus non potest producere vt causa totalis & adæquata visionem claram Dei, quia in hoc effectu relucet perfectio aliqua quæ non continetur in virtute naturali intellectûs, sed intellectus est illâ imperfectior: Cùm ergo in igne reluceat prædicatum substantiale quod est longè perfectius calore, non poterit calor solus ignem producere. Conf. secundò, calor vt quatuor non potest producere calorem vt sex, quia scilicet effectus superat virtutem causæ, sed non minùs superat substantia virtutem accidentis, ergo.

IV. *Tertium argumentum ex Doctore subtili.*

Probatur tertiò, nam vt rectè Scotus, si hæc ratio non teneat, quod aliud vt causa principalis æquiuocè producit, est illo perfectius, siquis obstinatè defendere vellet Deum non esse perfectiorem rebus creatis, quas producit, non posset conuinci.

V. *Impugnatur quod dicitur accidens operari in virtute substantiæ.*

Dices primò; conuincere hæc argumenta, accidens, si operaretur in virtute propriâ, non posse vt causam totalem producere substantiam, sic tamen si operetur in virtute substantiæ. Sed contrà, accidens quando operatur, operatur in virtute propriâ, ergo. Probatur antecedens, operatur adæquatè per virtutem sibi intrinsecam, sine vllius, præterquam causæ vniuersalis, auxilio, ergo sicut cùm ignis in contrariâ sententiâ producit ignem, dicitur operari in virtute propriâ, quia agit per virtutem sibi intrinsecam, ita & accidens in hac sententiâ, cùm non minùs operetur adæquatè per propriam suam virtutem, quàm ignis quando producit ignem.

VI. *Nulla virtus à substantiâ in accidens deriuatur.*

Dices secundò; operari in virtute substantiæ, est accipere aliquam virtutem sibi à substantiâ communicatam. Contrà, virtus illa à substantiâ in accidens deriuata, vel est substantia, vel accidens: si secundum, idem redit de illo argumentum; si primum, ergo accidens solum non producit substantiam, sed simul cum eo concurrit substantia.

VII.

Dices tertiò; accidens gerit vices & locum substantiæ in productione alterius substantiæ, sicut Prorex vices Regis; sicut ergo Prorex habet auctoritatē Regis, quia illius loco substituitur, ita accidens virtutem habet substantiæ, quia illius hîc locum obtinet. Contrà primò, si Rex in loco illo quò mittit Proregem, nullam in se haberet auctoritatem, non posset vllam conferre alteri, seu eum constituere vicarium loco sui, sed substantia secundùm aduersarios nullam omnino habet vim agendi respectu alterius substantiæ, ergo non potest vllam conferre accidenti. Contrà secundò, Rex, quando constituit Proregem, aliquam ei virtutem moralem confert, sicut ipsi Regi communicata est quando assumptus est in regnum: ergo vt accidens sit loco substantiæ, conferri ipsi debet aliqua virtus physica à substantiâ, sicut ibi confertur Proregi virtus, & potestas moralis à Rege: sicut enim Prorex est moraliter loco Regis, ita accidens est physicè loco substantiæ: sed nihil huiusmodi physicum deriuatur in accidens à substantiâ, nam vt proximè dictum est, vel illud est substantia, vel accidens; sed neutrum, vt ibi ostendi, ergo accidens solâ sua virtute, sibique adæquatè intrinsecâ producaret substantiam, quod est impossibile.

Accidens in productionem substantiæ non potest gerere vices substantiæ.

VIII. *Substantia hic potius operaretur in virtute accidentis, quàm è contrà.*

Imò potiori iure secundùm hunc modum philosophandi diceretur substantia operari in virtute accidentis, quàm accidens in virtute substantiæ, sicut paries videtur in virtute albedinis: & si respondeatur parietem omnino non videri, sic etiam dico substantiam omnino non agere, vel si propterea substātia agit quia agit ipsius qualitas, sic & paries videbitur dum albedo, ipsius qualitas videtur, estque hæc in parte vicaria parietis.

IX. *Accidens non potest loco substantiæ producere nisi ad id quod habet vires.*

Dices quartò; calor (idem est de aliis accidentibus respectu suarum substantiarum) est virtus substantiæ, seu ignis, ad operandum, ergo poterit loco illius operari. Distinguo consequens, poterit loco illius operari ea ad quæ habet vires, concedo consequentiam; ea ad quæ non habet vires nego: sic enim aliquid daret quod non habet. Sicut si rex daret protegi auctoritatem ad hoc vel illud tributum imponendum, hanc vel illam causam iudicandam &c. non propterea posset alia tributa imponere, vel causas alias iudicare.

X. *Virtus accidentis est illi intrinseca, seq; non apta ad producendam substantiam.*

Instabis, substantia communicat accidenti omnem vim suam, non ad accidentia tantùm producenda, sed etiam ad substantiam. Contrà primò, substantia nullam habet per aduersarios virtutem ad producendam substantiam, ergo nullam potest cōmunicare. Contrà secundò quamcunque dat substantia virtutem accidenti, est accidenti intrinseca, & cum ipso identificata, vtpote ipsa illius entitas, ergo dum per eam operatur accidens, operatur virtute propriâ. Contrà tertiò, accidens non est capax in suâ entitate solâ, vt habeat vim sufficientem ad producendam substantiam, sic enim deberet esse vel æquè perfectum, vel perfectius substantiâ quam producit, ergo non potest talis virtus in accidens à substantiâ deriuari.

XI. *Discrimen inter res morales, & physicas.*

Vnde notandum latum discrimen inter res morales, & physicas; in rebus enim moralibus confertur personæ aliqua auctoritas distincta à personâ, cui confertur; hîc autem nihil confertur accidenti distinctum ab illius entitate, ergo si ex naturâ suâ non possit producere substantiam, non poterit illam producere ob aliquid ipsi collatum à substantiâ, cùm ab illâ nihil accipiat præter intrinsecam suam entitatē, & naturam.

XII. *Res hæc illustratur exemplis.*

Res hæc exemplis redderur clarissima. Imbelles quidam milites habentes ducem strenuum, præcisè ex eo quòd sint milites illius, non possunt hostē deuincere, nisi Dux aliquid ipsis conferat, & aliquo modo influat, vel vnà cum iis pugnando, vel verbis animos addendo, aut præbendo consilium, vel aliâ quapiam ratione cum iis concurrendo. Pauper etiā quispiam seruus heri opulentissimi, nihilo propterea

præterea est ditior, nisi herus aliquid ei pecuniæ conferat. Ita similiter accidens, nisi aliquid præter meram suam entitatem, & vim quam habet intrinsecam, accipiat à substantiâ, non fiet potentius, sed manebit in tenui suâ re, nec plus poterit quàm ea naturâ suâ, & propriâ virtute possit. Imò quicquid agit, agit virtute propriâ: & licèt concederemus agere nomine substantiæ, non tamen ageret virtute substantiæ, sed propriâ, nec plus posset; sicut nec puer plus posset, qui nomine viri fortis, ingens aliquod pondus leuare contenderet. Tandem res eò deuoluitur, vt idem sit agere in virtute substantiæ, & in virtute accidentis, cùm tota virtus actiua substantiæ, iuxta aduersarios, sit accidens.

Puer nomine gigantis non plus potest, quàm nomine proprio.

XIII. *Assignari nequit in virtute cuius rana, vana hic & nunc producatur.*

Deinde quando ex collisione duorum silicũ producitur ignis, aut ex putri generatur rana, quæro in virtute cuius ignis aut ranæ id præstent accidentia? non enim est maior ratio cur in virtute vnius ignis, vel ranæ producantur quàm alterius, cùm nulla sit ibi rana vel ignis, vt supponimus. Respondent aliqui, estque communis solutio, produci in virtute ignis & ranæ in communi. Contrà, rana illa in communi non est nisi per intellectum, illam abstrahentem à singularitatibus, & solùm habet esse repræsentatum, per quod tamen non est apta ad operandum physicè, ergo produci nequit à ranâ in communi. Præterea, qui hac solutione vtuntur, mirari desinant in his & similibus casibus recurri ad Deum, cùm ipsi recurrãt ad ranam in communi.

Rana in communi.

XIV. *Non est cur magis producatur in virtute ranarum præcedentium, quàm sequentium.*

Dicunt ergo alij, produci ranam illam ab omnibus ranis, quæ præcesserunt, illisque tanquam maioribus ascribendam ranam filiam, quæ iam incerto parente nascitur. Sed contrà, inquiro cur illis potiùs ascribatur, quàm subsequentibus? Dices; quia ipsæ petunt genus suum propagari. Contrà primò, sic etiam petunt subsequentes. Contrà secundò, ponamus, quod facilè potest contingere, primam ranam prognatam fuisse ex putri, tunc non fuisset producta in virtute ranarum præcedentiũ, vt est manifestum, cùm nulla præcessérit, in cuius ergo virtute fuit producta? Contrà tertiò, in illius enim substantiæ virtute operari deberent illa accidentia, iuxta aduersarios, cuius sunt proprietates, sed non sunt proprietates omnium, vel plurium ranarum, sed vnius tantùm, ergo nõ possunt operari in virtute plurium.

XV. *Nec producuntur in virtute ranæ vagè sumptæ.*

Et eodem modo impugnatur, quod insinuant aliqui, operari sc. accidentia illa in virtute alicuius ranæ vagè & indeterminatè sumptæ: hæc enim accidentia non sunt proprietates ranæ alicuius vagæ, & indeterminatæ, sed determinatæ. Deinde, non est maior ratio cur in virtute vnius ranæ operētur, quàm alterius.

XVI. Vltimò dici posset, calorem, quando producit ignem, & nullus alius ignis adest, operari in virtute illius agentis, quod calorem illum produxit. Sed contrà, calor ex duorum silicum collisione productus, ad quem sequitur ignis, fit per motum iuxta illud, *motus est causa caloris*, ergo producitur in eo casu ignis in virtute illius agentis quod produxit motum, ergo in virtute hominis, quod nullus dicet.

Motus est causa caloris.

SECTIO III.

Obiectiones contendentes sola accidentia producere substantiam.

I. *Difficultas circa mentẽ Aristotelis in productione substantiæ.*

OBiiciunt primò Aristotelem 7. de Generat. c. 50. dicentem; *nihil esse aptum agere, nisi quod habet contrarium.* Item de sensu & sensibili, cap. 4. ait: *ignem non agere in quantum ignem, sed in quantum calidum*, seu in quantum habet contrarium. Sed contrà, hæc loca Aristotelis explicanda etiam sunt ab auctoribus contrariæ sententiæ, lux enim operatur, & tamen non habet contrarium. Deinde, eodem modo ait Aristoteles *non pati nisi contraria*, non tamen propterea dicet, opinor, quisquam accidentia contraria, vt calorem & frigus se inuicem recipere.

II. *Resp. solum velle Arist. accidens debere concurrere cum substantiâ.*

Resp. itaque hæc ad summum probare, cum substantiâ necessariò debere concurrere accidens. Secundò, nullas propositiones magis incertas esse & fallaces quàm reduplicatiuas, nunc enim reduplicatur ratio formalis, nunc sola conditio; vt *ignis agit in quantum applicatur.* Vnde & ab Aristotele reduplicari hic potest calor vt dispositio ignis, vel vt conditio necessaria ad agendum, esto calor nil agat. Et certè omnis actio substantiarum in se inuicem pendet ab accidentibus, si enim substantiæ existerent sine accidentibus, non inter se mutuò agerent. Hoc tamen non arguit quando iam accidentia disposuerunt subiectum, eadem vlteriùs producere, saltem adæquatè formam substantialem, cùm non habeant virtutem ad hoc sufficientem.

III. Obiicies secundò; quod accidens sit imperfectius substantiâ, non arguitur non posse illud eam producere, nam actio quâ producitur substantia, est illâ lõgè imperfectior, imò secundùm multos est accidẽs, ergo si actio imperfectior substantiâ possit substantiam efficere, poterit & solum accidens. Resp. magnam esse disparitatem inter modum concurrendi actionis & accidentis, actio enim non concurrit per modum principij, & causæ in actu primo præcontinentis effectum, sed solùm est determinatio causæ ad agendum, & applicatio virtutis illius in actu secundo. Vnde sicut applicatio virtutis causæ in actu primo, nempe approximatio, est quid longè imperfectius effectu, ita & imperfectior esse poterit applicatio eiusdem in actu secundo. Accidens verò iuxtà auctores contrariæ sententiæ, est ipsa totalis causa & principium agendi, & quod solum producit effectum virtute sibi adæquatè intrinsecâ: vnde debet illum præcontinere, quod tamen non potest, vt ostensum est.

Disparitas inter accidens, & actionem in productione substantiæ.

IV. *Dices potentia, & actus esse debent in eodem genere.*

Obiicies tertiò; *potentia & actus debeat esse in eodem genere*: sed omnis actio, quæ est actus potentiæ generatiuæ, est accidens, ergo & potentia ipsa. Non vrget, primò enim cùm Deus solus accidens aliquod producit, non dicent credo potentiam illius esse accidentalem, cùm quicquid est in Deo, sit substantia, & Deus. Secundò, vniuersim loquendo, est falsum, dictum illud, si sumatur, vt iacet; nam materia prima est potentia ad formas accidentales, & tamen non est accidens; item est potentia ad formas spirituales, & tamen non est spiritus. Deinde, hoc argumentum probat contra aduersarios non posse accidens producere substantiam, cùm potentia & actus debeant esse in eodem genere.

Retorquetur argumentũ.

V. Dices; sensum esse, potentiam remotam esse debere in eodem genere, non proximam. Contrà, si intelligi hoc debeat de potentiâ remotâ, ergo substantia non potest per accidens producere accidens, tunc enim potentia remota non esset in eodem genere cum effectu, seu actu. Per potentiam ergo & actum illo loco intelligit Aristoteles materiam primam, seu potentiam passiuam in ordine ad constituendum vnum per se propriè & rigorosè; non enim potest cõstituere vnum per se substantia cum accidente, sed solùm cum aliâ substantiâ.

Quid hic intelligat Aristoteles per actum & potentiã.

VI. *Si accidens solum producat substantiam, est causa illius principalis.*

Obiicies quartò; nil vetat aliquid imperfectius, vt causam instrumentalem, producere rem se perfectiorem, modò causa principalis sit perfectior; ac proinde nil obstat quominùs calor, vt instrumentum ignis, producat ignem, est enim causa tantùm instrumentalis, ignis autem principalis. Sed contrà, quando

do accidens solum producit substantiam, nulla omnino est alia causa, quæ ad illius productionem concurrat, ergo accidens ibi est causa principalis, & adæquata virtus quæ illam producit, non *vt quo*, sed *vt quod*, nulla enim est illic alia causa principalis, seu quæ concurrat *vt quod*.

VII. *Quinto arguitur à conglobatis.*

Obiicies quintò; sæpe videmus produci substantiam in præsentiâ solorum accidentium, ergo tunc nulla concurrit substantia. Antecedens ostenditur primò, dum à ferro cādente accenditur stuppa. Secundò, dum rana & alia insecta producuntur ex putri. Tertiò, dum in furnis Ægypti excludūtur pulli. Quartò, in formâ cadaueris. Quintò, dum ex reflexione radiorum solarium, vel eorum coarctatione in vitro, aut ex collisione duorum lapidum producitur ignis. Sextò, quis neget si gutta aquæ infundatur in species vini consecrati versum iri in vinum? & tamē ibi nulla est substantia vini, ergo sola accidentia in eo casu producunt substantiam, & vini formam inducunt in materiam aquæ.

VIII. *Resp. experimenta nihil probare, vbi est aperta ratio in contrarium.*

Sed contrà, experientiæ nihil probant vbi est manifesta ratio in contrarium, quam hîc esse ostendimus sec. præcedente. In illis ergo experientiis recurrendum est ad causam aliquam vniuersalem, cælum sc. solem, vel in aliorum defectu ad ipsam etiam causam primam.

IX. *Obii: Non esse philosophicum recurrere ad Deum.*

Obiicies sextò; Parum esse philosophicum recurrere ad Deum. Contrà, idem ipsi facere debent in rerum conseruatione; quando enim accidentia ferri candentis producunt ignem in stuppâ applicatâ, amoto ferro non est aliud agens, quod ignem conseruet præter Deum.

X. *Resp. in quibusdam casibus esse maximè Philosophicum.*

Deinde dico, maximè esse philosophicum ad Deum in iis casibus recurrere, vbi aliquorum effectuum nulla assignari causa secunda potest; ad Deū enim, vt auctor naturæ est, spectat, non solùm res omnes creare & conseruare, mundum gubernare, & cum causis particularibus ad omnes earum effectus concurrere, sed etiam supplere defectus.

XI. *Quod in naui gubernator &c. hoc in mundo Deus.*

In quam rem præclarè Aristoteles l. de mundo ad Alex. c. 6. *Quod in naui gubernator est, in curru auriga, in Choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu Imperator, hoc in mundo Deus*; *cum hoc tamen* (inquit) *discrimine, quod illis principatus laboriosus, perturbatus, & anxiosus sit, Deo autem expers omnis molestiæ, & laboris, nullamque ei affert debilitatem, aut fatigationem.* Sicut ergo Imperatoris in exercitu munus est, non generalem solùm omniū curam gerere, sed militis etiam subinde munus obire, vbi vsus venerit, & necessitas postularit; ita & ad Deum pertinet nō solùm generalem vniuersi prouidentiam habere, & modo quodam vniuersali cum rebus omnibus influere, sed etiam particularium subinde causarum quasi munus obire, & illarum, vbi res tulerit, vices gerere.

SECTIO IV.

Vtrùm substantia sola, sine concursu accidentium, sit causa adæquata alterius substantiæ.

I. *Status quæstionis.*

ID est, vtrùm dum producitur ignis ab alio igne, causa adæquatè productiua illius sit ignis, an simul cum igne concurrat calor ad illius productionem. Affirmat Scotus, Hurt. Arriaga, Ouied. & alii supra s. 1. citati n. 4.

II. *Dicunt aliqui accidens semper concurrere cum substantiâ.*

P. Suar. verò d. illa 18. sect. 1. ait substantiam sine concursu accidentis numquam producere aliam substantiam: ad quod tamen probandum, inquit ipse, non est in re tam abditâ quærenda euidens aliqua ratio, & à priori, sed sufficiunt coniecturæ aliquæ, & rationes deductæ ab experientiis, atque à posteriori, quæ si rem hanc non conuincant, magnam tamen secum probabilitatem afferunt.

III. *Angelus per emanationem immediatè producit subsistentiam.*

Prima conclusio: substantia immediatè & sine concursu accidentis producit aliquando substantiā, per actionem sc. emanatiuam. Probatur primò, Angelus, anima, & aliæ substantiæ producunt per emanationem suam subsistentiam, sed subsistentia non est accidens, sed substantia, vel, vt aliqui loquuntur, est quid substantiale, ergo substantia aliqua substantiam producit immediatè. Ratio autem huius est, quia productio nullius rei est prior productione subsistentiæ, ergo nihil debet illâ priùs produci, ergo nec intelligi quidquam potest vt comprincipium partiale cum substantiâ illam coëfficiens, cùm sit omnibus aliis prior, saltem negatiuè, id est, nulli posterior, seu nihil est illâ priùs, præter ipsam substantiam animæ, vel Angeli. Conf. priùs debet substantia compleri substantialiter, quàm accidentaliter, ergo primus eius actus est subsistentia.

IV. *Accidens vnà cum substantiâ concurrit ad substantiam.*

Secunda conclusio: excepta actione emanatiuâ, nulla substantia immediatè potest sine concursu accidentis producere aliam substantiam: ita P. Sua. citatus, estque communior inter recentiores opinio. Variæ à nonnullis ad huius conclusionis probationē afferuntur rationes à priori, quæ tamen vereor vt assequantur intentum.

V. *Substantia esse nequit sine accidentibus, ergo nec operari.*

Probatur ergo conclusio primò, sicut se habet substantia creata ad esse, ita se habet ad operari, sed quoad esse non potest connaturaliter existere sine accidentibus, ergo nec sine iis connaturaliter operari, ergo ad operationem requirit consortium accidentium, per quæ in operando & producendo sibi simile compleatur, & coadiuuetur. Conf. substantia creata ex essentiâ suâ est ens, non per essentiam, id est, est ens quod intra se non continet intrinsecè omnem perfectionem, sed quod essentialiter petit

Modus operandi sequitur modum essendi.

compleri intrinsecè per accidentia, ergo nec debet esse principium per essentiam, seu in suâ essentiâ continens totam rationem formalem principii, sed sicut ad esse eget complemento accidentium, ita & ad operari, cùm *modus operandi sequatur modum essendi.*

VI. *Dices, est sufficiens proportio substantiæ ad substantiam.*

Dices primò; non minorem proportionem habet substantia cum aliâ substantiâ, ignis sc. cum igne, quàm accidens cum accidente, calor nimirùm cum calore, ergo sicut calor per se immediatè & adæquatè omni alio excluso, producere potest calorem, poterit similiter ignis solus producere ignem.

VII. *Resp. tamen esse contra limitationē substantiæ.*

Resp. primò, negando consequentiam. licèt enim æqualis sit proportio entitatiua inter substantiam & substantiam, atque inter accidens & accidens, repugnat tamen substantiam esse per se principium adæquatè operatiuum, quia esset contra limitationē, & imperfectionem propriam substantiæ creatæ, non sic contra limitationem propriam accidentis, accidens enim, vtpote entis ens, quidquid habet perfectionis, habet vt sit complementum substantiæ, sicque ex genere suo est quid imperfectum, ac proinde quantumcunque habet virtutis, habet tantùm in genere accidentis. Sicut licèt secundùm omnes detur accidens supernaturale, negatur tamen posse dari substantiam supernaturalem, quia sc. argueret nimiam perfectionem in substantiâ, non tamen in accidente, quod cùm ex genere suo sit imperfectū, quantumcunque crescat illius perfectio, crescit tantùm in genere imperfecto. Præcipua tamen ratio cur dicamus accidens producere adæquatè accidēs, & substantiam non adæquatè producere substantiam, desumi debet à posteriori ab experientiis & effectibus, quæ est præcipua probatio huius conclusionis, vt postea videbimus.

Se-

VIII. *Accidens nunquam producit aliud sibi in intensione æquale.*

Secundò respondetur, calorem, licèt producat alium calorem per se immediatè, & adæquatè, non tamen sibi in intensione æqualem, sed calor vt sex ex.g. producit calorem vt quatuor, vel quinque, & semper effectum minoris intensionis quàm sit causa: cùm ergo substantia non possit intendi, vtpote indiuisibilis intensiuè, & ex exemplo accidentis ostendatur non posse causam aliquam solam producere effectum sibi in intensione æqualem, substantia sola nihil poterit producere. Quod argumentum saltem vrget in causis substantialibus vniuocis.

IX. *Differentia inter causã materialem, & efficientẽ.*

Dices secundò; materia recipit formam substantialem per se adæquatè sine concursu accidentis, ergo & causa efficiens aliam substantiam efficiet per se adæquatè, & sine alterius concursu. Nego consequẽtiam, ratio est quia accidens non potest recipere formam substantialem, cùm forma substantialis ordinetur ad faciendum vnum per se cum suo subiecto, cum accidente autem non potest facere vnum per se, nec illud informare, in causa autem efficiente non requiritur vt vniatur suo effectui, nec vt vnum per se cum illo constituat.

X. *Præcipua conclusionis probatio.*

Secundò, & præcipuè probatur conclusio à posteriori, substantiis enim omnibus creatis, vt cœlo, soli, elementis, & aliis videmus potentias quasdam accidentales à naturâ tributas, quibus operationes suas exercent. Cùm ergo aliunde habeamus res varias concurrere ad effectus se perfectiores, vt species visibilis cum oculo concurrit ad visionem, species intelligibilis cum intellectu ad intellectionẽ, intellectus & voluntas ad actus supernaturales, &c. Verosimile est potentias hasce accidentales substantiis ob suam limitationem datas esse, hasque iis in omni operatione vti, ac velut instrumentis indigere.

XI. *Hoc probat, etiam ad operationes substantiales requiri accidentia.*

Dices; ad summum probare hoc argumentum, substantiæ dari potentias accidentales ad operationes accidentales, & ad disponendum subiectum, non tamen ad substantiales. Contrà primò, si vniuersaliter substantiæ dentur instrumenta accidentalia ad operandum, signum est fundatum hoc esse in illius naturâ, & ob suam limitationem illa vniuersim requirere, ergo etiam ad producendam substantiam, si enim ob limitationem requirat substantia instrumenta accidentalia ad operationes accidentales, quidni etiam ad substantiales? cùm hæ sint illis perfectiores.

XII. *Experientia in aliis rebus valent, ergo & hic.*

Contrà secundò, non habemus aliud fundamentum asserendi calorem producere calorem, & non albedinem producere albedinem, nisi quod in præsentiâ caloris semper videamus produci calorem, & non in præsentiâ albedinis albedinem, sed videmus semper in præsentiâ caloris intensi produci ignem, ergo cùm nulla sit repugnantia vt calor simul cum igne producat ignem, vt ostensum est n. 10. non est cur quis calorem neget de facto ignem producere. Cur autem, quando in præsentiâ solorum accidentium producitur substantia, accidentia sola illa non producant, dixi suprà s. secunda.

SECTIO V.

Quænam accidentia concurrant ad productionem substantiæ, num quæ in agente, an quæ in passo?

I. *Tam concurrunt accidentia in agente, quã in passo.*

RESP. vtraque accidentia concurrere, tam ea scilicet quæ sunt in agente, quàm quæ in passo. Est contrà P. Hurt. d. 2. de Gen. s. 2. §. 30. vbi latè cõtendit, positâ sententiâ quæ docet accidens producere substantiam, debere eam produci ab accidentibus, quæ sunt in agente, non quæ sunt in passo. Nobis etiam hac in parte aduersatur P. Sua. d. 24. Met. s. 2. Rubi. de Gen. c. 4. tr. 3. q. 11. & alij.

II. *Ratio est, quia vtraque sunt æquè apta.*

Probatur primò, accidentia quæ sunt in passo, æquè sunt apta producere effectum, atque ea, quæ sunt in agente, & æquè, imò meliùs applicata, ergo illum producent. Antecedens probatur, nam accidẽtia in passo sunt dispositio sufficiens ad inducendam formam, seu sunt vltima dispositio ad illam, ergo possunt illam æquè producere ac accidentia in agente, quod enim est sufficiens dispositio ad formam, est per se loquendo, si aliunde sit actiuum, sufficiens ad illam partialiter producendam.

III. *Accidentia in passo possunt esse instrumenta agentis.*

Dices primò; accidentia in passo non sunt instrumenta agentis, sed potiùs passi, cùm non sint coniuncta agenti. Distinguo antecedens, non sunt cõiuncta quoad esse, concedo antecedens; quoad causalitatẽ, nego: sunt enim instrumenta agentis, quia illius sunt instrumenta, à quo eleuantur ad agendum, seu quicum in operatione concurrunt.

IV. *An accidentia etiam conseruent formam substantialem.*

Dices secundò; saltem in conseruatione non possunt accidentia in passo concurrere ad producendũ seu conseruandum formam substantialem, cum sint proprietates illius in conseruatione, & consequenter ipsâ posteriores. Resp. primò, concedendo totum, cuius rei sufficiens ratio assignatur in argumento, quæ tamen non vrget in primâ productione. Resp. secundò, probabile esse non omnia accidentia in passo esse proprietates in conseruatione formæ, sed aliquas adhuc esse dispositiones, ergo illa saltem concurrere poterunt ad conseruationem formæ. Resp. tertiò, licèt omnes sint proprietatas, & posteriores formâ, adhuc posse concurrere ad formam conseruandam, non quidem vt illa pars accidentis conseruet illam partem formæ cuius est proprietas, sed proximam, & sic pars formæ A efficit partem A accidentis receptam in eadem secum parte materiæ, pars autem A accidentis non conseruat instrumentaliter eandem partem A formæ, à qua in conseruatione producitur, sed partem B proximam, & sic de reliquis.

V. *Partes caloris, frigoris, &c quæ partes formarum substantialium conseruent.*

Imò alicui non improbabile fortè videbitur partẽ A caloris, non solùm conseruare instrumentaliter partem B formæ sibi proximam, sed alias omnes præter partem illam formæ, à qua ipsa conseruatur, ac proinde totum calorẽ præter partem A dici posse conseruare partem A formæ, sicque omnes partes totam formam, nisi quòd singulæ non concurrant ad eam formæ partem conseruandam, à qua ipsæ conseruantur, seu cuius sunt proprietates. Hoc tamen postremum, quia nonnihil habet difficultatis, ob mutuam prioritatem, quæ inde sequi videtur, melior est prior pars huius solutionis, nempe, vt pars caloris, quæ in secundo instante conseruatur à parte A ignis, conseruet partem B caloris, & pars B caloris partem C ignis, & sic deinceps.

SECTIO VI.

Argumenta contendentia solam substantiam producere substantiam.

I. *Substantia est proportionata substantiæ in esse entis, non in esse causæ.*

OBiicies primò; substantia per se est proportionata ad producendam aliam substantiam, ergo producet. Hoc solutum est suprà s. 4. n. 7. Distinguo ergo antecedens, est proportionata in esse entis, concedo antecedens; in esse causæ, nego: est quippe cõtra limitationem substantiæ operari sine concursu potentiarum accidentalium, vt à posteriori colligimus ab experientiis.

II. Obiicies secundò: ignis solus continet in se perfectionem

Sola præcontinentia effectus, non arguit eum complete illum producturum.

fectionem alterius ignis, ergo poterit ipsum solus producere, & sine concursu accidentis. Retorqueo argumentum; ignis solus continet in se perfectionem alterius ignis, ergo non eget materiâ concurrente, sed sine illius concursu poterit ignem producere, aut etiam sine concursu vllius causæ vniuersalis. Sicut ergo ibi, licèt ignis contineat totam perfectionem ignis, adhuc non potest solus illum producere, ita nec hîc, ob limitationem & cætera sec. 4a allata.

III. *A qua causâ producatur forma cadaueris.*

Obiicies tertiò; saltem aliquæ substantiæ producuntur ab aliis immediatè, vt forma cadaueris, præsertim cùm aliquis moritur subitò, & nulla accidentia apparent, quæ cum vllâ causâ substantiali possint formam illam producere. Responderi potest primò, cœlum esse causam principalem formæ cadaueris, & operari mediis quibusdam accidentibus in operando similiter vniuersalibus. Quòd si nulla sint accidentia, quæ concurrere possint cum substantiâ cœli ad producendam formam cadaueris, dici potest causam primam solam illam producere. Nec est inconueniens ad causam primam recurrere pro tam vili formâ, cum nonnulla non ob perfectionem, sed ob imperfectionem Deo tanquam causæ efficienti ascribantur, vt secundùm multos quantitas dicitur produci à solo Deo, quia sci. est passio materiæ primæ, rei tam imperfectæ, vtpote quæ nullius, vt aiût, rei sit effectiua, ac proinde illa passio tribui debet generanti.

IV. *Aliud est de operatione ad intra & ad extra.*

Obiicies quartò; substantia sola sine concursu vllius accidentis producit suam subsistentiam, ergo eodem modo producere poterit aliam quamcunque substantiam. Resp. negando consequentiam. Disparitas est, quia subsistentia à naturâ intenditur ad perficiendam essentiam, à qua proinde ab intrinseco, & per emanationem producitur. Vnde sicut subsistentia in solâ essentiâ recipitur, ita ab illâ solâ, vt eius proprietas, producitur: secus in iis contingit, quæ producuntur ad extra.

V. *Licèt accidens solum producat accidens, non sequitur idem de substantiâ.*

Obiicies quintò; accidens solum producit aliud accidens, calor ex. g. calorem, ergo & ignis solus producere poterit ignem, cùm tanta sit proportio inter ignem & ignem, quanta inter calorem & calorẽ. Hæc etiam obiectio soluta est sec. quarta, n.7. Resp. itaque distinguendo consequens, tanta est proportio in ratione entis, concedo consequentiam; in ratione producentis & producti, nego, ob rationes illic positas. Addo, similitudinem in prædicatis vniuocis nihil facere ad proportionem in ratione producentis & producti, omnes enim animæ rationales sunt sibi in prædicatis similes, vna tamen aliam non producit. Sicut ergo dari potest forma, quæ aliam sibi similem omninò producere nequeat, quidni dari etiam poterit forma, quæ aliam producere possit solùm inadæquatè? vt nos, duce experientiâ contendimus fieri in productione omnis formæ substantialis materialis.

VI. Obiicies sextò; hinc sequi, etiam vbicationem & durationem in omnes effectus influere, cùm ad illarum præsentiam effectus semper emergat. Cõcedunt aliqui consequentiam, & dicunt rem vnam in aliam influere nihil esse aliud, quàm hanc ad illius præsentiam emergere, præsertim si illa ad huius existentiam requiratur.

VII. *Vbicatio & duratio non influunt in rerum productionem.*

Sed contrà, omnes formæ substantiales producuntur etiam ad præsentiam quantitatis, nec aliter produci naturaliter possunt, & tamen nullus dicit quantitatem in eas influere. Item anima rationalis, licèt conseruari possit sine materiâ, primò tamen, nisi illi vnita, produci naturaliter non potest, in quam tamen materia non influit. Resp. itaque negando sequelam, nullum enim indicium habemus, quòd vbicationes & durationes sint operatiuæ, quod tamen habemus de accidentibus: calor enim in aquâ manum immissam calefacit, & sic de aliis: vnde, sufficientem hinc rationem habemus, cur accidentia simul cum substantiis ad substantiam producendam concurrant, non tamen quòd concurrant vbicationes & durationes.

SECTIO VII.

Vtrùm substantia producat in se accidens.

I. *Prima sententia negatiua.*

PRima sententia negat, sed omnem efficientiam ait tribuendam esse solis accidentibus; substantias verò in creatis nihil omnino immediatè producere affirmat, sed solùm per accidentia. Hæc opinio tribui communiter solet Thomistis.

II. *Substantia producit in se aliqua accidentia.*

Conclusio: substantia per emanationem aliqua in se accidentia producit: vnde tota ratio agendi in creatis non est tribuenda solis accidentibus: ita Suar. d.18. Met. s.3. n.3. Hurt. d.9. Phy. s.1. n.23. Arria. d.12. Phy. s.2. n.11. Ouiedo c.9. Phy. p.3. n.1. & communis sententia.

III. *Probatur, dum aqua se ad frigiditatem reducit.*

Probatur primò experientia; aqua calefacta ad pristinam se frigiditatem reducit, sed ibi nullum est accidens, quod frigus illud producat, ergo producitur ab ipsâ aquæ substantiâ. Dices cum Iauello, latere in aquâ occultam quandam qualitatem, quæ amissum frigus in ea denuò efficiat. Contrà primò, gratis enim in aquâ statuitur huiusmodi qualitas, vnde, inquit Hurtado, vbi quis argumento premitur, confugere ad istiusmodi causas occultas est aram erigere *ignoto Deo*. Contrà secundò, saltem aqua producit occultam hanc qualitatem.

IV. *Frigus illud aquæ non producitur à generante.*

Dices; produci qualitatem illam, non ab aqua, sed à generante aquam, *qui enim dat formam, dat consequentia ad formam*. Contra, generans seu producens formam aquæ sæpe abest, imò frequenter perit, ergo tunc occulta hæc qualitas conseruari debet à substantiâ aquæ, ergo aliqua efficientia tribui necessariò debet substantiæ: si autem possit substantia accidens illud conseruare, quidni & primò producere? cùm conseruatio, aliud nihil sit, quàm iterata productio. Dices; in eo casu conseruatur illa qualitas à Deo. Contrà, iam in id incidunt quod præcipuè aliis obiiciunt, nempe confugiunt ad Deum, idque sine necessitate; cùm illic sit causa sufficiens, quæ conseruare qualitatem illam possit, ipsa sc. forma aquæ. Deinde, sicut occultam hanc qualitatem in aquâ produci dicunt à Deo, ita dicant frigiditatem ipsam à Deo immediatè produci, & sic non erit opus hac qualitate.

V. *Secundò prob. in actibus vitalibus.*

Secundò probatur conclusio, nam saltem actus vitales, intellectûs præsertim & voluntatis procedere immediatè debent à substantiâ animæ, vt suo loco ostendam, in lib. de Anim. d. 12.

VI. *Tertiò in causâ materiali.*

Probatur tertiò, substantia concurrit materialiter in quantitatem & alias formas accidentales; quidni ergo ad easdem concurrere poterit efficienter? cùm concursus materialis non minùs sit verus & physicus influxus, quàm concursus causæ efficientis.

VII. *Quæ efficientia repugnet substantiæ.*

Dices; influere materialiter est pati, pati autem est quid in genere suo imperfectum, sicque hoc nomine Deo repugnans: agere verò perfectionem sonat & dignitatem, adeoque substantiæ non concedendum. Contrà, ergo multò minùs concedendum est accidenti. Resp. itaque agere aliquid quasi sui iuris, & cum independentiâ, arguere perfectionem; at verò agere dependẽter ab alio, ad nutum scilicet causæ primæ, & iis tantùm legibus quæ ei à Deo præscribun-

scribuntur, & cum essentiali opis illius indigentiâ, non est nimia perfectio, nec creaturæ deneganda.

VIII. Obiicitur primò: in Sanctissimo Sacramento species vini non minùs se ad suam frigiditatem reducent, si calefiant, quàm aqua se reducit ad suam; sed ibi nulla remanet substantia, ergo reductio illa ascribitur tanquam radici debet alicui accidenti, quod post consecrationem remanens, frigus illud denuò producit. Resp. negando consequentiam, sed reductio illa vini ad iustum frigoris temperamentum fit à Deo, ad celandum mysterium. Quod asserere omnes debent quando species corrumpuntur, produci sc. à Deo materiam, in quam noua forma substantialis inducatur.

Species Eucharisticæ à Deo ad suum temperamentum reducuntur.

IX. Obiicitur secundò: si substantia producat accidẽs, sequitur aliquid nobilius specificationem suam sumere ab ignobiliore. Sed contrà, omnes enim fatentur substantiam materialiter concurrere ad accidens, ergo hoc modo sumit ab eo specificationem. Resp. itaque nihil in hoc esse incommodi, cùm rem sumere specificationem ab alio, nihil aliud sit, quàm dicere relationem transcendentalem ad illud: res autem quæque perfectissimæ relationem transcendentalem dicunt ad varia, multò se imperfectiora. Sic anima rationalis relationem transcendentalem dicit ad materiam; & actus spiritualis, imò supernaturalis ad negationes, & obiecta quæque vilissima.

Res quæq; perfectissima relationem transcendentalem dicunt ad imperfectissimas.

X. Dices; ergo aliquid perfectius ordinatur per se ad imperfectius. Resp. si per *ordinari per se* intelligatur solùm dicere relationem transcendentalem ad illud, concedo; sic enim sol respicit lucem, potentia actus, essentia passiones &c. si verò per *ordinari per se* intelligatur ordinari tanquam ad finem vltimum, seu finem *cui*, nego: sic enim, licèt potentia ordinetur ad actus tanquam ad finem *Qui*, actus tamen ordinantur vltimò, seu tanquam ad finem *cui*, ad potentiam, & passiones ad essentiam, vtpote quam ornant, & perficiunt.

Passiones ordinantur ad essentiã.

XI. Notandum verò, licèt productio passionum vocetur emanatio, est tamen vera & propria actio: dicitur autem emanatio quia necessitate quadam naturæ sequitur essentiam. Qua etiam de causâ productio passionum & proprietatum tribuitur generanti, quia sc. ab essentiâ à generante productâ necessariò promanant: sicut qui dat arborem, dat fructum, qui in eâ singulis annis enascitur, licèt sola arbor fructum illum producat.

Cur productio passionũ tribuatur generanti.

SECTIO VIII.

Possitne substantia extra se producere accidens.

I. PRima sententia est P. Hurtado d. 9. Phy. s. 3. n. 22. P. Arria. d. 11 Phy. s. 2. num. 17. & aliorum asserẽtium substantiam, ignem v.g. aquam, &c. posse accidentia quæ in se producunt, puta calorem, frigus, & alias qualitates actiuas, in subiecto quouis à se distincto producere. De facto tamen aiunt accidẽtia hæc in subiecto extraneo ab iis non produci, quia præueniuntur à calore, & frigore in ipsis substantiis existentibus. Vnde, inquiunt, nec ignis vnquam calorem, nec aqua frigus in subiecto applicato producit, sed solus calor in igne calorem in manu efficit, & frigus in aquâ similiter efficit frigus: licèt enim possint ignis & aqua qualitates hasce producere, magis tamen connaturale est vt producantur à calore & frigore, tanquam à causis magis his effectibus proportionatis, vtpote vniuocis. Quare, inquit Arriaga, si ignis miraculosè existeret sine omni calore, produceret calorem in passo sibi applicato.

1. Sent. ait posse substantiam producere extra se accidens.

II. Hæc sententia nunquam mihi placuit; vnde dico primò: huiusmodi accidentia non posse omnino ab igne vel aquâ produci in subiecto ab iis distincto, idque quantumuis aut ignis sine omni calore, aut aqua sine frigore miraculosè constitueretur.

Probabilius. esse non posse

III. Probatur primò: si substantia sola posset producere calorem ex.g. in extraneo subiecto, non est cur ei daretur calor operatiuus, vel productiuus caloris. Cons. substantia sola secundùm aduersarios sine concursu accidentis potest producere aliam substantiã, & sine concursu etiam accidentis potest producere accidentia; ad quid ergo illi dantur accidẽtia? Dices; vt sint dispositiones & ornamentum substantiæ. Contrà, ad quid saltem dantur ei accidentia operatiua? nam videmus primas qualitates non dari solùm vt ornamentum substantiæ, sed etiam vt adiumentum, quod tamen esset omnino superfluum, si substantia per se efficere posset, quicquid potest accidens: sicut frustra calori daretur alius calor per quem produceret calorem, cùm per se id possit.

Primæ qualitates dantur substantiæ, non vt ornamentũ tantùm, sed adiumentũ.

IV. Dices; licèt possit ignis producere calorem, non tamen producit, quando adest calor, quia non est connaturale causæ æquiuocæ agere in præsentia vniuocæ. Contrà, si ignis per se solum, & sine alterius adminiculo, sit productiuus caloris, superfluus esset calor, & causa hæc vniuoca, cùm nullus sit finis, cur ei detur calor productiuus caloris, si ignis per se sit caloris productiuus: sicut si nix, lac, paries &c. essent alba per se & suam substantiam, superflua in iis esset albedo, imò impossibilis: sicut propterea dicunt omnes vnionem non vniri aliâ vnione, nec actionem aliâ actione produci.

Calor actiuus additus igni esset superfluus.

V. Conf. sic enim daretur virtus naturalis ad effectũ, quem nunquam posset naturaliter producere: sol enim secundùm aduersarios habet vim producendi lucem in subiecto extraneo, quam tamen, non ex accidente tantùm, sed etiam per se nunquam potest in eo producere, cùm petat semper primò in se lucẽ producere, & illâ productâ, sol non potest lucem in alio subiecto efficere, sed produci semper secundùm ipsos debet à solâ luce in sole existente. Idem est in aliis substantiis respectu accidentium.

Daretur virtus naturalis ad effectum naturaliter impossibilem.

VI. Secundò probatur Conclusio: si substantia sola potest producere accidens, ergo aqua calida frigefaciet, seu producet frigus in manu, si quis eam illi inferat, præsertim si non sit in aquâ valde intensus calor, cuius tamen contrarium manifestâ constat experientiâ.

Aqua calida frigefaceret.

VII. Dices; est magis connaturale calori producere calorem quia est causa vniuoca, quàm aquæ producere frigiditatem, vtpote quæ solùm est causa æquiuoca, ac propterea tunc producitur calor in manu, non frigus. Contrà primò, ponamus ergo aquam esse magis frigidam quàm calidam, tunc saltem aqua producet intensum frigus in manu cùm sit causa necessaria, & possit, nihilque sit quod impediat; cuius tamen contrarium indies experimur, nunquam sc. intensius frigus in manu produci, quàm sit in aquâ, ergo signum est substantiam aquæ non posse producere frigus in manu. Contrà secundò, sæpe causa æquiuoca operatur in præsentiâ vniuocæ; si enim piper intense frigidum apponatur linguæ, statim in eâ producit intensum calorem, cùm tamen frigus formale quod in pipere reperitur, non agat in linguam, sed calor virtualis, ergo non semper operatur causa vniuoca in præsentia æquiuocæ, sed è contrà, cum ibi piper in præsentiâ frigoris, quod in se habet, producat in linguâ calorem intensum per calorem virtualem: ergo & aqua, si habeat in se vim producendi frigiditatem, etiam in præsentiâ caloris formalis illam producet, vel saltem quando est magis frigida,

Dices connaturalius operari causam vniuocam, quàm æquiuocam.

Contrà: causa æquiuoca sæpe operatur in præsentiâ vniuocæ.

quam

quam calida: quod tamen est contra omnem experientiam.

VIII. *Ignis licet ad intra producat calorem, non tamen ad extra.* Obj. potest substantia producere intra se calorem, vel frigus, ergo & in extraneo subiecto. Nego consequentiam: sicut enim non valet, calor producit calorem, ergo albedo albedinem, quia sc. est experientia in contrarium, ita nec hæc consequentia valet, substantia intra se producit accidens, ergo illud etiam producet in extraneo subiecto: sicut nec valet, vt suprà aduerti, accidens solum producit accidens, ergo substantia substantiam, quia sc. omnes experientiæ videntur innuere contrarium, imò potius innuunt à solis accidentibus produci substantias, quàm sine illorum concursu. Deinde nix, lac, cygnus &c. producunt intra se albedinem, & coruus nigredinẽ, non tamen extra se, vt constat.

Dico secundò: accidens solum producere potest aliud accidens. Probatur primò in albedine, & omni colore producente speciem visibilem sui, & in quocunque subiecto sine, æquè producunt has species, imò etiam separata ab omni subiecto, vt constat in speciebus Sacramentalibus. Secundò, calor in aquâ calefactâ producit calorem in manu illi insertâ: quod idem præstat frigus, & reliqua accidentia specierum panis & vini in sanctissimo Sacramento. IX. *Accidens solum potest producere accidens.*

DISPVTATIO XXVI.

De potentiâ Obedientiali.

Philosophia Christiana. CVm Philosophiam, non profanam, & ethnicam, sed Christianam, & Theologiæ subseruientem doceamus, dum de causis agimus, quæstio hæc, quæ ad grauissimas in Theologiâ difficultates enodandas maximè conducit, non est omittenda, quam tamen quà potero breuitate expediam.

SECTIO I.

Quid sit potentia obedientialis.

I. *Plurimi hac in re sunt dicendi modi.* INfinitus essem si omnes hac in re dicendi modos recenserem, resque foret & confusionis, & tædij plenissima. Præcipua ergo tantùm nonnullorum placita referam, deinde quid in hac quæstione tenẽdum sit, aperiam.

II. *1. Sent. ait potentiam obed. esse non repugnantiam ad obediendum creatori.* Zumel citatus à P. Hurt. d. 9. Ph. f. 14 subsec. 3. §. 199. docet potentiam obedientialem esse non repugnantiam creaturæ ad obediendum creatori. Sed si intelligat hæc sententia non-repugnantiam formalem, seu veram negationem, apertè refellitur, nam sicut omnis potentia, ita & obedientialis est vera virtus, & aptitudo aliquid recipiendi vel efficiendi, sed negatio nihil in se vel efficere potest vel recipere, vt constat; omnis enim effectio realis & physica est à potentiâ aliquâ reali, sicut & quicquid reale recipitur, in subiecto reali recipiatur necesse est. Fortè ergo per non-repugnantiam intelligit Zumel non-repugnantiam solùm radicalem, seu entitatem fundantẽ non-repugnantiam formalem, & negationem illam, tunc autem verum habere potest ipsius opinio, vt videbimus.

III. *2. Sent. docet eam consistere in qualitate superaddita.* Thomistæ communiter affirmant potentiam obedientialem consistere in qualitate quadam animæ infusâ, per quam efficit, & recipit effectus supernaturales. Sed contra primò, anima Christi non recipit vnionem Hypostaticam mediâ vllâ huiusmodi qualitate superadditâ. Contrà secundò & præcipuè: anima recipit immediatè hanc qualitatem sine ope alterius, sed hæc qualitas est supernaturalis, ergo dicendum vel potentiam obedientialem non consistere in huiusmodi qualitate superadditâ, vel dari processum in infinitum: si enim anima ad recipiendam gratiam, quia supernaturalis qualitas est, eget qualitate supernaturali superadditâ, egebit etiam aliâ ad qualitatẽ hanc recipiendam, cùm etiam sit supernaturalis, & sic in infinitum.

IV. Vt ergo explicetur quid sit potentia obedientialis, notandum, potentiam propriè dictam duplicem esse; *actiuam*, quæ est vis aliquid agendi, & *passiuam*, quæ est virtus, seu aptitudo aliquid recipiendi, vel etiam sustentandi. Vtraque hæc potentia tam actiua, quam passiua est etiam duplex; naturalis & supernaturalis: *actiua* naturalis dicitur in ordine ad illos effectus quos producere res aliqua potest cum concursu generali Dei, sibi iuxta communem rerum ordinem ac dispositionem debito, simul cum iis cõprincipiis, quæ iuxta naturæ leges adiungi possunt, ad illos nimirum effectus, ad quos res dicit proportionem naturalem. Ex. g intellectus creatus vim habet naturalem cognoscendi Deum abstractiuè, per actum scilicet abstractiuum in entitate naturalem, quia nimirum ex suis viribus, & virtute naturali coniungi potest cum omnibus comprincipiis ad hoc requisitis. Vnde similiter potentia *passiua naturalis* est in ordine ad formas sibi proportionatas, seu quas iuxta communem cursum rerum potest recipere. Potentia *actiua supernaturalis*, seu obedientialis est potentia in ordine ad effectus illos quos ex viribus propriis, & secundùm communes naturæ leges nequit efficere: sicut & *passiua supernaturalis* est in ordine ad formas illas, quas ex natura sua recipere non potest. *Potentia duplex, actiua, & passiua.* *Naturalis, & supernaturalis.*

V. *Potentia supernaturalis quoad substantiam, & quoad modum.* Dicitur autem supernaturalis potentia vel quoad substantiam, quando sc. effectus vel forma est quoad substantiam supernaturalis, vt gratia: vel quoad modum, vt restitutio visûs: vel quoad vtrumque, vt si Deus Angelum in duobus locis statueret per alteram vel vtramque vbicationem supernaturalem: & totidem modis dicitur etiam potentia aliqua naturalis.

VI. Est autem hæc obedientialis potentia substantialis vel accidentalis, naturalis vel supernaturalis entitatiuè, & materialiter, prout fuerit entitas quæ eleuatur ad operandum, substantia, vel accidens, supernaturalis, vel naturalis: vt si Angelus vel gratia eleuetur ad creandum alterum Angelum. Vnde si albedo eleuaretur ad producendum ignem, vel gratiam, operaretur vt naturalis, vel accidentalis potentia, si ly *vt* appellet supra entitatem meram rei producentis, non verò si appellet supra concursum, cùm concursus ille sit supernaturalis, & albedini indebitus. Vocatur verò potentia obedientialis quia in operando non tam procedit secundùm statutas naturæ leges, quàm secundùm Imperium Dei, cui res quæuis in omnibus, vbi non inuoluitur contradictio, obedit. *Potentia obedientialis vnde dicta.*

VII. *Declaratur potentia obedientialis.* Est itaque potentia obedientialis formaliter ipsa entitas rei, quę eleuatur, connotans extraordinarium concursum Dei, volentis cum ipsâ concurrere ad opus aliquod supra naturales illius vires, & exigentiã tam

tam rei illius, quàm comprincipiorum, quibus secundùm communem cursum rerum coniungi potest ad operandum. Connotatio verò hæc nihil aliud est quàm voluntas Diuina coniuncta extrinsecè cū potentiâ naturali ad actum aliquem supernaturalem, & ipsi indebitum, seu quem ex naturâ suâ non exigit, nec producere potest, cùm vel quoad substantiam, vel quoad modum non habeat cum illo effectu proportionem. In quo differt à potentiâ merè naturali quæ licèt sine volūtate Dei nihil possit, exigit tamen illam sibi, vt causa naturalis est, connaturaliter debitam. Vnde potentia obedientialis rei quæ eleuatur, est partim intrinseca, partim extrinseca.

VIII. *Potentia obedientialis passiua.* Non tamen ita voluntas Dei constituit potentiā obedientialem passiuam, vt ipsa voluntas partialiter recipiat formam, sed quia efficit vt recipiatur in subiecto, seu in potentiâ creatâ, aliquid sc. supernaturale producendo. Voluntas tamen Dei aut habitus supernaturalis constituit partialiter potentiam obedientialem actiuam, vt cōprincipium simul cum ea coëfficient, & partialiter producens effectum.

IX. *Potentia obed. quoad rectum frequenter est naturalis.* Dices; hinc sequi potentiam obedientialem esse naturalem, cùm sit rei cuiusque naturalis entitas. Resp. multum hîc esse de nomine, de re enim certum est res naturales ad effectus varios eleuari, quos solis naturæ viribus efficere non possunt, vt cùm anima eleuatur ad actum visionis Dei eliciendum, humanitas Christi ad vnionem Hypostaticam &c. Dico itaque potentiam obedientialem rei naturalis esse quoad rectum naturalem, virtutem sc. ipsam & entitatem rei aptam eleuari, in obliquo verò esse supernaturalem, voluntatem sc. talem Dei creaturæ indebitam.

X. *Potentia obed. actiua, passiua, terminatiua.* Potentia hæc obedientialis triplex est-*actiua*, vt si musca eleuaretur ad creandum Angelum & *passiua*, quæ etiam est duplex, *receptiua*, vt si Angelus vel anima eleuaretur ad recipiendam gratiam productam per actionem creatiuam, & *sustentatiua*, quâ sc. de facto anima influit in gratiam, & actus supernaturales, eosque sustentat. Tertia est potentia obedientialis *terminatiua*, vt cùm accidens creatur.

XI. *Latius patet potentia obed. actiua, quàm passiua.* Solùm noto, latiùs patere potentiam obedientialem actiuam, quàm passiuam: certo enim eleuari possit Angelus ad producendum alium Angelum, aut materiam primam, non tamen potest eleuari ad alium Angelum vel materiam recipiendam, cùm omnis aptitudo ad recipiendum, incompletionem in ea ratione dicat in qua debet aliud recipere, & ab eo informari.

SECTIO II.

Vtrùm in animâ & Angelo detur potentia obedientialis.

I. *In Angelo, & animâ est potentia obedientialis.* Dicendum, in anima rationali & Angelo reperiri potentiam obedientialem actiuam, & passiuam ad varios effectus supernaturales. Ita Bellar. l.6. de Gra. & lib. arb. Suar. tom. 1. in 3. p. d. 31. Mol. 1. p. q. 12. art. 5. d. 2. Vasq. 1. p. d. 43. c. 4. num. 1. & 12. Val. 1. p. d. 1. q. 12. Hurt. hic d. 9. s. 14. Arria. hîc d. 11. s. 4. Ouied. hîc c. 9. p. 6. & alij.

II. *Probatur ex variis effectibus supernaturalibus.* Probatur primò: anima rationalis recipit in se varios effectus supernaturales, ad quos, ex suis viribus & natura, nullam dicit proportionem, vt sunt vnio Hypostatica, gratia habitualis, habitus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, & omnium virtutum. Quòd verò vnio Hypostatica recipiatur immediatè in substantia animæ, & non medio aliquo accidente supernaturali, constat; nam alioqui faceret vnum per accidens, & non per se cum humanitate & Verbo: deinde, vt suprà arguebam, daretur processus in infinitum, cùm ad hoc accidens supernaturale recipiendum requireretur aliud, & ad illud aliud, & sic in infinitum.

III. *Angelus, & animâ elicit varios actus supernaturales.* Secundò probatur conclusio de potentia obedientiali actiua animæ & Angeli: anima producit varios actus intellectûs & voluntatis, ad quos ex natura sua est omnino improportionata, ergo non potest hos elicere per virtutem omnino naturalem, sed vt est eleuata per auxilium aliquod supernaturale. Antecedens constat in actibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum, ergo ad huiusmodi actus habet anima obedientialem potentiam actiuam.

IV. *Ostenditur animâ, & potentias concurrere immediatè ad actus supernaturales.* Dices; animam aut potentias, intellectum sc. aut voluntatem non concurrere immediatè ad actus illos supernaturales sed eos produci immediatè à solis habitibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis &c. Contrà primò, ergo non alio modo producit intellectus & voluntas actus supernaturales, quàm aqua calorem in manu, nempe solùm denominatiuè, vel potiùs non omnino, quia aqua calida non omnino concurrit per se ad calorem in manu producendum. Contrà secundò, habitus charitatis non est vitalis in actu primo, nec liber, ergo actus ab illo solo procedens non potest esse vel vitalis, vel liber, cum quidquid habet actus, hauriat à suo principio. Antecedens probatur, habitus enim ille non potest se determinare pro libitu ad operandum, vel non operandum, sed ad hoc eget concursu voluntatis, quæ est potentia libera, & quæ positis omnibus requisitis potest operari, vel non operari. Deinde, si habitus solus elicere & recipere possit actus vitales & liberos, esset voluntas, sicque in homine vel Angelo esset duplex voluntas, naturalis altera, altera supernaturalis.

V. *Sequeretur habitum charitatis conseruatū sine subiecto producturum actum charitatis.* Contrà, tertiò, hinc sequeretur, si habitus charitatis conseruaretur à Deo separatus ab animâ, & volūtate, sine omni subiecto, adhuc operaretur & produceret actus supernaturales charitatis, sicut calor separatus ab omni subiecto producit calorem. Patet sequela, nam non magis de facto in hac sententiâ concurrit voluntas, vel anima cum habitu illo charitatis, quàm tunc concurreret, cùm nunc secundùm hos auctores, cum eo non omnino concurrat. Dices; saltem nunc vnitur habitus ille voluntati, tunc autem non vniretur. Contrà, sola vnio cum voluntate non sufficit, vt dicatur habitus ille operari liberè, sicut nec sola vnio corporis cum animâ sufficit, vt propterea dicatur corpus propriè operari liberè, & velle aliquid aut intelligere.

VI. *Probatur potentia obedientialis ex Concil. Trid.* Probatur tertiò: dicere animam aut voluntatem Physicè ad actus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, & similes non concurrere videtur contra Cōcilium Tridentinum sess. 6. can. 4. vbi sic habet, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq́; passiuè se habere; anathema sit.* Ex quibus infertur necessariò debere liberum arbitrium aliquid agere & verè ad actionem concurrere, nam alioqui merè passiuè se haberet, & veluti quoddam inanime, ergo non solus habitus, sed ipsa etiam voluntas, seu liberum arbitrium operari debet, seu simul cooperari ad efficiendum actum charitatis.

VII. *Causa remota in tantum solum concurrit, in quantum concurrit proximæ.* Confirmatur, causa remota in tantum solùm est causa effectûs, in quantū concurrit ad causam proximam, sed voluntas merè passiuè concurrit ad habitum illum supernaturalem qui est causa proxima actuum supernaturalium, ergo simpliciter voluntas in actibus supernaturalibus eliciendis merè se habet passiuè, quod tamen videtur contra Concilium. Deinde, licèt actiuè concurreret voluntas ad habi-

tus supernaturales, adhuc definit Conciliũ post excitationem & motionem diuinam non se habere voluntatem merè passiuè, ergo debet Physicè simul cum habitu supernaturali concurrere ad eliciendum actum supernaturalem.

VIII. *Aliud est à voluntate, aliud de habitu, supernaturali.*

Dices; anima censetur liberè operari, licèt sola voluntas operetur; ergo & voluntas dici poterit operari, licèt solus habitus actum eliciat. Contrà primò, nam antecedens fortè est falsum, de quo in libris de Anima. Contrà secundò, voluntas est potentia vitalis, & libera, ac proinde est aliqua saltem apparentia cur anima denominetur vitaliter & liberè operans per actum liberè à potentiâ liberâ elicitum, hic autem habitus supernaturalis nihil in se habet vel vitalitatis, vel libertatis, sicque actus ab illo solo procedens nec esset vitalis, nec liber.

DISPVTATIO XXVII.

De potentiâ obedientiali latâ, seu cuiusuis ad quoduis.

AD quoduis, inquam, vbi nõ est specialis repugnantia, vbi enim esset repugnantia vel implicatio, certum est non dari huiusmodi potentiam, cùm dari nequeat ad impossibile. Prius verò quàm ad res vllas in particulari descendamus, inquirendum num ex eo quòd nulla appareat in re aliqua implicantia, sufficiens fundamentum sit, vt quis prudenter asserat rem illam non implicare, non leuis enim inter recentiores est hac de re controuersia.

SECTIO PRIMA.

An non-apparentia implicantiæ fundet assensum de rei possibilitate.

I. *Proponitur status quæstionis.*

DOcti quidam recentiores, vt negent potentiam obedientialem latam, hanc consequentiam, *non apparet implicantia cur musca eleuetur ad creandum Angelum, ergo potest eleuari ad eum creandum*, aiunt non esse legitimam, nec ex illo antecedente posse quempiam prudenter inferre, posse muscam per eleuationem assumi ad hunc effectum. Licèt enim, inquiunt, implicantia illic non appareat, potest tamen esse, nullius enim tam perspicax est ingenium, quamuis doctus sit, & his in rebus versatus, vt omnia, quæ in re aliquâ latent, discernat. Quare, negãt in his circumstantiis prudenter iudicaturum quemquam, vel posse muscam ad hunc effectum eleuari, vel non posse, sed aiunt suspendendum esse iudicium. Et ex hoc principio non admittunt potentiam obedientialem latam, vt vocant, quâ scires quæuis quidlibet fermè efficiat.

Prima sententia est negatiua.

II. *Secunda affirmatiua.*

Alij è contrà, sicut si reuera nulla sit implicantia, res est possibilis; ita si nulla appareat, seu nihil absurdi, aut ridiculi, aiunt prudenter affirmari posse rem illam esse possibilem. Acris vtrimque est disceptatio. Quid in hac re sentiam, sequentibus conclusionibus declarabo.

III. Dico primò: vniuersim loquendo, hæc consequentia non rectè semper deducitur, *non apparet implicantia quominùs res aliqua sit, vel esse possit, ergo est res illa, vel potest esse.* Hanc conclusionem neminem existimo negaturum. Duplici verò ex capite fieri potest vt hæc consequentia non teneat, ex parte sc. intellectûs iudicantis, & rei de qua fertur iudicium. Sic si rusticus, aut ignarus aliquis re quapiam obiectâ, statim eam vel possibilem esse pronunciaret, vel impossibilem, haud dubiè imprudenter faceret, cùm istbæc captum eius superent: meritò proinde de eorum numero censendus esset, *qui ad pauca respicientes definiunt.*

Non valet semper hæc consequentia, Nõ apparet implicantia, ergo res potest esse

IV. *Intellectus hic indicaret sicut cæcus de coloribus.*

Ex parte verò rei iudicatæ tunc contingit prudenter ferri iudicium non posse, quando est planè improportionata, ita vt intellectus nihil omnino inueniat, in quo figat pedem. Sic, imprudenter quis iudicauerit astra vel paria esse, vel imparia, cùm huic obiecto oculos mentis habeamus clausos, & de hoc ferre iudicium perinde est, ac si *cæcus iudicaret de coloribus*, & quis hic existens iudicare vellet qua parte ventus flet apud Antipodas.

Dico secundò: ex eo quòd non appareat implicantia, non potest quis (nisi fortè in rarissimo aliquo casu) certò affirmare rem illam non esse impossibilem. In hoc etiam puto non magnam fore inter auctores dissensionem, ex eo enim quòd aliquis, etiam doctus, in re aliquâ non videat implicantiam, non sequitur manifestè nullam illic implicantiam latere, nec vllum motiuum habet ex quo hoc certò pronuntiet. V.

Quo sensu existimo loquutum esse P. Vasq. 1. p. d. 75. c. 2. n. 11. illis verbis. *Obseruandum est*, inquit, *vt asseueremus aliquid à Deo fieri posse, non semper satis esse, non apparere nobis contradictionem aliquam: siquidem ratio ipsa esse potest, etiamsi nobis non appareat.* Nil mahit quis eum explicare quòd velit, vt affirmemus aliquid Deo esse possibile, non semper sufficere quòd nobis non appareat implicantia, quia nimirum, licèt nobis non appareat, habemus tamen auctoritatem aliquorum quòd illic sit aliqua implicantia. Et sanè his modis probabiliter videtur explicari posse: nostram verò sententiam clarissimè docet, vt paulò pòst videbimus. VI.

Explicatur locus quidam P. Vasquez hac de re.

Hoc etiam probat locus ille scripturæ, Sap. 9. v. 14. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile æstimamus quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore* &c. si ergo eorum, quæ nobis ob oculos ponuntur, notitia sit incerta, id est, variis erroribus intermixta, de iis certè quæ sensum fugiunt, suique per se abstrusissima, qualia sunt possibilitas & impossibilitas rerum, ægrè cognitionem scientificam habere possumus. VII.

Hic locus Sap. apertè probat non posse nos istas scientificè cognoscere.

Dico tertiò: Si viro docto seriâ consideratione rem perpendenti, omnibusque quæ ad eius impossibilitatem afferuntur sedulò discussis, nulla in ea appareat implicantia, probabiliter & prudenter inferre potest eam esse possibilem. Hanc existimo communem esse Theologorum & Philosophorum sententiam, qui tum demum probabiliter se rei alicuius possibilitatem ostendisse autumant, dum quæ contra eam opponuntur, soluerint. VIII.

Primaria hac tota conclusio.

Primò ergo Sua. 1. p. l. 2. c. 13. n. 10 postquam dixisset esse possibilem speciè impressam Deitatis, inquit, *bonum assertionis est, quia nulla contradictionis implicatio, vel repugnantia in hoc inuenitur* &c. & l. 1. de Angelis c. 15. n. 3. vbi disputans de possibilitate plurium Angelorum numero tantùm distinctorum, sic habet; *Contentus ero breui responsione fundamentorum, quia eo ipso quod ex parte rei non ostendunt, neque ostendi potest implicantia,* IX.

Probatur auctoritate Theologorum.
P. Suarez.

implicantia, probatur id fieri posse à Deo. Quid clarius? quod & alibi sæpe tradit.

X. Idem docet P. Raynaudus d.8. Theol. Moral. q.5.a.2.nu. 300. vbi de hac ipsa re loquens, sic habet. *Si occurrat*, inquit, *contradictio, negandum erit rem esse à Deo factibilem, si non interueniat, fatendum erit eam esse Deo possibilem. Et quamquam, quamdiu non probatur positiuè quod desit contradictio, tantumq́; nulla nobis occurrit, non adsit sufficiens fundamentum absolutè pronunciandi rem esse possibilem, quia potest contradictio latere, & subesse, quamuis non appareat, tamen tunc non habemus vnde eam negemus possibilem, & ex anticipato diuinæ perfectionis & potentiæ, nostræ autem in rerum naturâ penetrandâ imbecillitatis, præiudicio, simpliciter licet affirmare rem esse possibilem; non quòd talis eo ipso probetur euidenter, sed quòd verisimiliter talis censeatur, cùm nulla repugnantia occurrit, examine præmisso.*

Docet P. Raynaudus nō apparentiam implicātiæ verisimiliter ostendere rem esse possibilem.

XI. En vt eisdem verbis sententiam nostram tradit hic auctor, nempe, licèt ex eo quod non appareat contradictio, non possit quis absolutè & euidenter seu actu scientifico asserere rem esse possibilem, posse tamen eum simpliciter id affirmare (actu scilicet opinatiuo, & probabili) *verisimiliter* enim, inquit, *possibilis censetur, cum nulla repugnantia occurrit, examine præmisso.* Cuius verba eo fusiùs retuli, quod nonnulli eum citent pro contrariâ sententiâ.

Non rectè à quibusdā citatur P. Raynaudus pro cōtrario.

XII. Idem habet Erice t.4. d.40.n.82. Fasol. 1.p.q.7.a.4.d.12.n.12. & q.12. Mol. 1.p.q.12.d.1.concl.4. Valentia t.4.d.1.q.3.p.3.§. *Ideò plenius* Tanner. 1.p.d.2.q.11.d.4.n.4. Ripald.l.1 de ente Supern. d.11.s.3.n.12. Granado tr. de poten. Dei d.9.n.14. Arria.d.11. Phy.l.4. Ouiedo con.7. Phy.p.7.n.7. & cont.8.p.2.§.2.n.14. & con.9.p.7.§.2.n.7. & alij tum recentiores, tum antiqui.

XIII. Tandem Vasq (quem aduersarij à se stare existimant) apertè hoc idem docet 1.p.d.77.c.5.n.18. vbi postquam dixisset creaturam potuisse esse ab æterno, sic subdit: *Hæc autem manifestum erit, si soluerimus rationes quæ huic sententiæ solent opponi.* Et 3.p.tom.1.d.74.c.7.nu.49. idipsum clarissimè tradit, nempe, si nullam in aliquo obiecto implicationem contradictionis inueniamus, sufficere vt potentiam illud producendi tribuamus virtuti diuinæ. Quare non possum non mirari non neminem, qui (licèt multum se operæ in auctoribus hac de re perlegendis posuisse asserat) dicit nihilominus vix quemquam, præter vnum P. Arriagam, affirmasse non apparentiam implicantiæ in re aliquâ post maturam illius inspectionem sufficere, vt quis prudenter, ac probabiliter iudicet eam non esse impossibilem.

Nostram sententiam tenet P. Vasquez.

SECTIO II.

Ratione ostenditur, vbi non apparet implicantia, rectè inferri, rem esse possibilem.

I. PRobatur primò: si enim vir doctus, & in hisce rebus versatus, post seriam rei alicuius discussionem, nullam in eâ discernat implicantiam probabiliter sibi persuadere potest nullam esse: quidni enim adhibitâ sedulâ intellectûs perscrutatione, æquè hoc in re illâ prædicatum aduerteret, ac alia aduertit, quamuis abdita subinde, & abstrusa, & maximè à sensibus remota? Certè immeritò is temeritatis argueretur, & censeretur improbabiliter discurrere: aut si hic præceps censebitur, quis deinum existimabitur prudens?

Vbi nulla apparet viro docto implicātia, iudicat probabiliter nullam esse.

II. Dices; quantumuis nulla ipsi prædicata contradictoria in re illâ appareant, possunt tamen illic esse, vnde errandi se periculo exponit, dum negat ibi latere implicantiam, quæ fortasse illic latet. Sed contrà, si enim ideirco temerè quis procedere censeatur, & errandi se periculo exponere, quòd res aliter se habere possit, quàm ipse iudicet, ergo licèt pro implicantiâ in re illâ habeat quis rationem positiuam probabilem, imprudenter censebitur assensum præbere, & temerè de eâ iudicium ferre, omnis enim ratio probabilis est fallibilis, & in hoc differt à certitudine, ergo res aliter se habere potest, ergo errandi se periculo exponit. Imò hinc vlteriùs sequeretur, neminem rationi probabili, cognitæ vt probabili, posse citra imprudentiæ notam assequi, cùm, secundùm hunc Philosophandi modum, temeritatis se periculo exponeret.

Alioquin, vbi habet probabilem rationem, non posset iudicare prudenter.

III. Probatur secundò: hæc argumentatio in scholis (assentientibus etiam aduersarijs) semper est habita legitima, *nulla apparet inter eos aliqua disparitas, ergo nulla est: nulla apparet necessitas statuendi vnionem distinctam inter animam & corpus, actionem inter agens & terminum, ergo nulla est actio vel vnio ab iis distincta,* & alia huiusmodi. Et hinc ortum habuit principium illud, *equus Ockami* dictum, *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, quod in scholâ Nominalium semper Oraculi instar est habitum. Sicut ergo ibi secundùm omnes nulla censetur esse disparitas, aut talis vel talis entitatis necessitas, vbi nulla apparet, meritò etiam censebitur nulla esse implicantia, vbi similiter nulla apparet.

Probatur secundò ad hominem.

IV. Probatur tertiò: & ostendo hoc principium non in casu solùm præsenti, non apparentis sc. implicantiæ, sed in omnem opinionem probabilem influere. Inquiro itaque, cur viri, etiam docti (quod frequenter fit) vbi ob rationes quasdam probabiles opinionem aliquam tenuerant, postea tamen eam deserūt, & feruntur in oppositum? Dices; quia iam, re meliùs consideratâ, nouæ apparent rationes, quæ antea non apparebant, quarum efficaciâ, vis priorum argumentorum retunditur, & nouâ obortâ luce, mēs primâ relictâ, aliam opinionem amplectitur. Contrà, ergo adæquata ratio, cur priori sententiæ adhærebant, non erant solæ illæ rationes, sed simul etiam non apparentia rationis fortioris in contrarium, hac enim illucescente, mens statim resilit, & prioribus tum rationibus, tum conclusione relictis, contrariis adhærescit.

Hoc principium influit in omnē opinionem probabilem.

V. Probatur quartò: humana mens, vt quotidianâ constat experientiâ, longè proclinior est, vt implicantiam illic esse iudicet vbi non est, quàm vt possibilitatem appingat rei quæ verè est impossibilis, siquidem in hoc secundo rariùs error contingit, in priori frequentissimè, vt constat in mysterio Trinitatis, Incarnationis, & aliis plurimis, quæ humana ratio planè iudicabat impossibilia, re tamen verâ erant possibilia. In quam rem appositissimè Apostolus 1. ad Corin. c.1. v.20. *Stultam*, inquit, *fecit Deus sapientiam huius mundi*, illa sc. diuinâ virtute fieri posse ostendendo, quæ homines stultâ suâ sapientiâ firmissimè iudicabant in se implicantiam inuoluere. Sic in rerum creatione stultum ostendit illud Philosophorum oraculum, *Ex nihilo nihil fit*, quo ducti mundum statuebant ab æterno. Sic in sacrosanctâ Eucharistiâ, stulta illa alia prio ipsa probauit, *Accidens non potest esse sine subiecto, corpus nequit esse in duobus locis*, & similia, quæ quantumuis lumen naturale iudicabat impossibilia, Dei tamen virtus declarauit esse possibilia. Vnde in hæc ipsa verba sic ad rem nostram scribit S. Augustinus, *Sapientiam huius mundi fecit Deus stultam, faciendo & declarando esse possibile, quod ipsa iudicat impossibile.* Quod etiam expressè docet S. Anselmus l.2. *Cur homo Deus*, & alij.

Probatur quartò ex modo procedendi mentis humanæ.

Stultā fecit Deus sapientiā huius mundi.

S. Augustinus.
S. Anselmus.

VI. Hæc eò adduxi, vt probem intellectum humanum multò magis pronum esse ad inueniendas in

Mens humana multo pronior est ad inueniendas difficultates, quàm ad soluendas.

re aliquâ difficultates, quàm ad soluendas: quod cùm viro docto compertū sit, ipso facto quòd post sedulam disquisitionem nullam in re menti obiectâ implicantiam reperiat (ad quam reperiendam omnes sunt adeò procliues, & quodam naturæ impetu feruntur) prudenter sibi persuadere potest nullā esse, facilè enim appareret implicantia quæ est, cùm plurimæ rem quampiam consideranti ingerere se vltro soleant, quæ non sunt.

VII. *Explicatur locus quidam P. Suarij.*

Hoc & nihil aliud vult P. Sua. loco ab aduersariis pro suâ sententiâ citato, d. 30 Met. s.17.nu.26. vbi ait, intellectum humanum fidei lumine destitutum facilè in mysteriis fidei decipi, impossibilitatem scilicet vbi non est, imaginandu; quia nimirum multò procliuior est ad difficultates & implicantias in re aliquâ excogitandas, quàm soluēdas. *Vnde*, inquit, *vbi in huiusmodi rebus impossibilitas se eius menti ingerit, meritò suspendit iudicium.* Hoc autem nihil facit contra nos, imò confirmat potiùs hanc probationem nostræ conclusionis, quam manifestum est Suarium tenuisse, vt clarè ostensum est s.1.n.9. Dici etiam posset eum primâ parte, & in operibus illis Metaphysicâ posterioribus mutasse sententiam.

VIII. *Non est hoc lumē merè negatiuū.*

Hinc infero, lumen hoc, quo quis iudicat, rem in qua nulla apparet implicantia, esse possibilem, nō esse merè negatiuum, sed probabile, & positiuum ad hoc asserendum deduci argumentum. Deinde, quæstio procedit de viro docto, eoque non cursim, & leui solùm oculorum coniectu rem intuente, sic enim nihil distaret ab indocto, sed seriâ consideratione eam perpendente, & omnibus accuratè discussis, implicantias quæ occurrunt, soluente: hinc autem non videtur dubium quin probabile de illius possibilitate formare possit iudicium. Et licèt subinde erret, prudenter tamen errat, nec quisquam vitio ei vertere potest, si fallatur. Sin autem velint aliquem ex re obiter tantùm inspectâ, iudicium de illius possibilitate ferre, quòd primò statim respectu nulla in ea appareat implicantia, opinionem impugnant, quam, vt existimo, nemo tenet. Dicunt enim omnes debere primò rem maturè perpendi: secundò, obiectiones accuratè solui, & alia quæ in probatione nostræ sententiæ totâ hac sectione sunt allata; quæ, vt opinor, abundè sufficiunt ad sententiam prudenter & probabiliter de rei alicuius possibilitate ferendam.

Qui, sedulo inspectâ, in iudicando errat, inculpatè errat.

SECTIO III.

Obiectiones contendentes, ex non apparentiâ implicantiæ non rectè inferri rei alicuius possibilitatem.

I. MVlta eruditè congerunt aduersarij, vt hoc suū placitum illustrent, nullique vel labori parcunt vel industriæ, vt illius probabilitatem declarent, digni meliore causâ, cui se patronos præstent.

II. *Opponitur à Augustinus.*

Opponunt ergo primò auctoritatem quorundam Patrum: nam S. Augustinus aduersus Iulianum, de peccato originali disputans, rei difficultate oppressus, sic scribit; *Quid autem horum sit verum, libentiùs disco quàm dico, ne videar docere quod nescio.* Sixtus item Senensis l.4. in magnâ Origenis laude ponendum censet, quòd nihil temere definierit. Sed contrà, hæc enim nos nullo modo tangunt, qui non minùs, quàm aduersarij, asserimus non esse temerè de re vllâ pronuntiandum. Dicimus tamen sicut prudenter nonnunquam suspenditur iudicium, vbi id rei grauitas postulat, ita, dum probabilis in partem alteram apparet ratio, non sine vitio tantùm, sed etiam cum laude ferri posse sententiam. Hic autem sufficientem esse rationem ostensum est sec. præcedente.

Origenes.

Nō sine vitio tātùm, sed cū laude subinde fertur sententia.

III. *Non obstat luminis naturalis debilitas.*

Opponunt secundò; lumen naturale est admodum debile, quodque in rebus etiam ante oculos positis, in dies cæcutire animaduertimus, quanto ergo magis in abditis, & à sensuum experimento remotis deficiet. Sed contrà, ergo etiam habeat quis rationem probabilem de possibilitate vel impossibilitate alicuius rei, non poterit prudenter de eâ ferre iudicium, cùm lumen naturale sit admodum debile, & infirmum, quod tamen negant aduersarij: de quo plura dixi sec.2.n.2. Resp. itaque hoc ad summum probare, non posse quemquam certò inferre possibilitatem alicuius rei ex non apparentiâ implicantiæ, non tamen, non posse id inferre probabiliter, cùm hoc ipso quòd viro docto rem plenè discutienti nulla appareat implicantia, prudenter iudicare possit nullam esse: vt suprà ostendi s.1.n.5. & s.2. per totam.

IV. Opponunt tertiò; non potest quis ex eo quòd nulla appareat implicantia, prudenter iudicare de stellis, pares sint an impares, ergo nec rem esse possibilem, ex eo quòd nulla appareat implicantia cùm sit solùm lumen negatiuum. Nego consequentiam, cuius rationem suprà reddidi s.1.n.4. & s.2.n. octauo.

V. *Aliquid subinde infertur ex lumine negatiuo.*

Ad id verò quod obiicitur, hoc esse lumen negatiuum. Resp. primò, aliquando ex lumine negatiuo rectè inferri consequentiam: sicut ex eo quòd quis oculis apertis in hoc gymnasio non videat elephantem, rectè intulerit hîc non esse elephantem. Sicut ergo in hoc casu secundùm omnes, ex lumine negatiuo infertur tanquam certū certitudine physica, hîc non esse elephantem, ita in nostro casu infertur tanquam probabile nullam in re hac esse implicantiam. Deinde dico hoc non esse lumen merè negatiuum, cùm non ex solâ quacunque non apparentiâ implicantiæ oriatur hoc iudicium, sed ex plenâ rei discussione, & argumentorum solutione, quæ arguunt lumen plusquam negatiuum.

VI. Dices; disparem esse rationem in illo casu de elephante, & de implicantiâ, vir enim ille oculos habet, & lucem per quam obiecta discernat, intellectus autem in rebus his abstrusis, nec lucem habet, nec oculos, sed cæcutit planè, & quasi palpando incedit in tenebris.

VII. *Argumentum ad hominem.*

Contrà, aduersarij ipsi de rebus longè obscurioribus, magisque abstrusis sæpe ferunt iudicium, vt de continuo, infinito, actu libero Dei, & huiusmodi; respectu tamen quorum intellectûs nostri oculus longè potiore iure cæcus dici potest, quàm in quæstione de obiecti alicuius implicantiâ.

VIII. *Intellectus in his rebus non est cæcus.*

Resp. itaque intellectum in rebus, de quibus hic disputamus, non esse aut luce, aut oculis destitutum, sed sibi & lucem esse & oculos. Vnde viri docti, vbi rem aliquam maturè inspexerint, & obiecta soluerint, persuadere sibi probabiliter possunt nullum in eâ re prædicatum impossibile latere, vt suprà declaratum est: præsertim si aliarum rerum adhibeatur comparatio, vel æque vel magis difficilium, quas tamen cognoscimus esse possibiles.

IX. *Communis praxis Theologorum.*

Vnde Theologi passim in materiâ de Angelis, dum quæritur sintne plures Angeli possibiles, numero tantùm distincti, vbi Angelorum naturam considerauerint, & quæ opponuntur soluerint, plures numero tantùm distinctos possibiles esse pronuntiant, nec argumentum aliud ad huius decisionem quæstionis requirunt, vt suprà ex Suario ostendi sec.1.n.9. Alioqui dubitare quiuis deberet an aliud aliquod indiuiduum, præter ea quæ de facto creata sunt, sit possibile, alius scilicet sol, aut luna, & similia.

Oppo-

X. Opponunt quartò; nisi ratio aliqua positiua ad rei possibilitatem probandam afferatur, non magis sequitur eam esse possibilem quàm impossibilem, ergo in neutram partem prudenter ferri potest iudicium. Resp. iam ostensum esse hic esse argumentum positiuum. Deinde, sicut aliquid reipsa esse possibile est illud nulla in se continere prædicata contradictoria, ita apparere illud vt possibile, est cum probabilitate nulla in eo apparere prædicata contradictoria: hoc autem probabiliter hic ostendi satis declaratum est hac sectione & præcedente. Sicut si quis argueret alium mundum similem, à paritate quam cum hoc mundo habet, esse possibilem, & alter negaret paritatem, rectè secundùm omnes eam probaret dicendo nullam apparere disparitatem: quòd si alter adhuc instat, nec apparere paritatem, malè ab omnibus respondere censeretur, cùm ipso facto quòd res appareant, & nulla in eis disparitas, apparere censeatur paritas. Idem est in præsenti de possibilitate. Alia quædam à nonnullis opponuntur, sed quæ ex dictis facile solui possunt.

In rebus nihil frequentius quàm, Nulla apparet disparitas, ergo nulla est.

SECTIO IV.

An in re quauis detur potentia obedientialis ad producendum quidlibet.

I. PRima sententia est negatiua, aitque exceptis iis in quibus fides docet esse vim quandam effectuũ supernaturalium productricem, res omnes alias suis limitibus coërceri, & certum effectuum quibuscum peculiarem habent connexionem, numerum non excedere: ita Scotus cũ suis in 4.d.1.q.4.& 5. Vasq. 1.p.d.176.c.4. & 3.p.d.132.c.6. Ragusa 3.p.d.107. licèt n.15. contrarium probabile esse asserat propter auctoritatem Suarij, Erice 1.p.d.23. num.8. Alarcon tract. de Angelis d.9.c.9 hanc etiam sententiam acriter defendit Coninck 3.p.q.62.a.4. & multi amplectuntur ex recentioribus.

Prima sententia negat potentiam obedientialem latam.

II. Secunda sententia affirmat dari in rebus omnibus potentiam innatam seu inchoatam, quam obedientialem vocant, ad effectus supernaturales, vt aquæ ad gratiam, muscæ ad Angelum producendum, &c. ita Suar. to. 1. in 3.p.d.31.s.5. & 6. & d.43. s.4 n.9. Arubal to.2.d.181.c.3. in 1. partem. Valen. 3. p.d.1.q.13.du.2. Mol. 1.p.q.45. d.2.§. *ad Tertium.* Tanner. to.4 disp.3.q.3.du.3. Hurt. d.9. Phy s.14. subs.2. Albert. in primo princip. Philos.q 7. & in 2. prio.q.1. Arria.d.15. Phy. s.4. Mærat. de Sacram. in Genere d.4. Kellis. de Incarn. q.13.a.2.dub.2. & de sacram. q.62.a.5.dub.2. Ouiedo cont.9. Phy.p.7.§. 2.n.7. de quibusdam rebus possibilibus, estque communissima inter recentiores opinio.

Sententia affirmans cũ suis auctoribus.

III. Prima conclusio: peculiaris in quibusdam rebus inuenta repugnantia obstat, quò minùs in iis ad certos effectus detur potentia obedientialis actiua, aut passiua. Quoad actiuam, inprimis idem eleuari nequit ad primò producendum seipsum, cùm existentia pro aliquo priori requiratur ad agendum, vt suprà ostendi d.18 s 3. Secundò, nihil eleuari potest ad producendam actionem, cùm enim ipsa sit productio, produci per aliam actionem non potest, magis quàm albedo per aliam albedinem reddi alba. Tertiò, nihil eleuari potest ad producẽdum peccatum, odium Dei ex. g. Deus enim ad peccatum peculiari, & indebito modo concurrere non potest. Quoad potentiam etiam passiuam, vnus Angelus, vna materia aut forma substantialis, vna etiam albedo, aut quantitas eleuari nequit ad informandam aliam. Et sic de aliis.

Res ad quosdã effectus producendos eleuari nequeunt.

IV. Secunda conclusio: in re qualibet vbi peculiaris huiusmodi repugnantia nõ apparet, datur vis quædam innata ad obediendum creatori seu potentia tam actiua quàm passiua ad formas & effectus, spectatâ merâ rerum naturâ, ita omnino improportionatos. Ita auctores secundæ sententiæ.

Datur potentia obedientialis lata.

Probatur primò auctoritate S. Augustini l. 9. de Trin. c. 17. vbi vniuersim statuit potentiam aliquam seu aptitudinem in creaturis omnibus ad obediendum creatori, & in elementis ait esse vim quandam quam vocat *semen occultum* ad effectus naturalem eorum vim excedentes. Deinde ob illud Gen. 1. *germinet terra herbam virentem* &c. ait S. Augustinus *iubente creatore aqua, prima natatilia, & volatilia produxit, sicut & terra prima germina, & prima animalia.* Clarissimum verò hac de re S. Augustini testimonium est illud l. 5. de Gen. ad literã c. 27. vbi cùm vim naturalem rerum descripsisset, subiũgit *super hunc autem motum cursumq́; rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quàm eorum quasi seminales,* id est, naturales *rationes habent.* V.

Probatur primò auctoritate S. August.

Secundò probatur ex S. Thoma, tum aliis locis, tum q.6. de poten. a.4 qui est de miraculis; vbi, licèt affirmet solum Deum, cùm auctor naturæ sit, posse propriâ virtute miracula patrare, alios tamen dicit ex gratiâ, seu fauore peculiari posse etiam ea facere, & non moraliter solùm, nempe precibus rem illam impetrando; vel dispositiuè, sicut Angeli virtute naturali colligunt puluerem ex quo hominum corpora in resurrectione compinguntur, qui diuinâ virtute reducuntur ad vitam: sed etiam vt supernaturale aliquid operentur, coagendo cum Deo auctore supernaturali, citatque S. Gregorium l.2. Dialog. dicentem sanctos quandoque miracula operari orando, quandoque ex potestate, & tanquam instrumenta Dei supremi artificis. VI.

Probatur secũdò auctoritate S. Thomæ.

Miracula non quoad modũ tantùm, sed quoad substantiam. & Gregorius.

Idem habet S. Thomas in 4.d.8.q 2.a.3 ad 4. his verbis, *sicut creaturæ inest obedientiæ potentia, vt in eâ fiat quidquid creator disposuit, ita etiam vt eâ mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.* VII.

Tertiò prob. ratione: spectat ad perfectionem & commendationem creatoris, vt possit rem quamlibet ad quosuis effectus adhibere vbi non inuoluitur implicatio, vt per instrumẽta quæque vilissima effectus nobilissimos præstare. Sicut pictori illi maximæ laudi verteretur, qui baculo quouis obuio æquè excellenter pingere, tractusque artificiosos, ac lineamenta ducere posset, ac quouis alius maximè concinno, & affabrè facto penicillo: & quantò instrumentum quo vtitur est imperfectius, tanto maior est laus artificis. Cùm ergo nulla in hac appareat implicatio, quòd Deus per lapidem producat solem, aut per aquam gratiam, quidni eum facere posse dicamus?

Probatur ratione.

Quartò: datur potentia obedientialis in animâ rationali, & Angelo respectu visionis beatificæ, & aliorum actuum supernaturalium, ergo & dari in aliis rebus poterit ad effectus in entitate supernaturales, cùm non sit maior improportio inter has, & illos effectus, quàm inter animam, & visionem beatificam. VIII.

Quartò probatur à paritate animæ rationalis

Respondet P. Vasq. citatus, in visione beatificâ esse peculiarem formalitatem, quæ correspondet potentiæ vitali, nempe vitalitatem; at in gratiâ nulla est formalitas, quæ correspondeat aquæ. Contrà primò, à parte rei formalitas vitalitatis in visione beatificâ est realiter identificata cum supernaturalitate, ergo quod à parte rei conuenit vni, conuenit alteri: ergo si à parte rei supernaturalitas sit improportionata intellectui, seu animæ, etiam vitalitas est illi improportionata, & vires illius naturales excedens. Si autem non sumatur intellectus per se, sed coniunctus cum Deo auctore supernaturali, æquè IX.

Refellitur responsio de correspondentia formalitatũ.

proportionata est aqua, cum auxilio supernaturali, ad producendam gratiam, ac intellectus cum eodem ad visionem beatificam.

X. *Secundò refellitur eadem responsio.*

Contrà secundò, tantam habet proportionem in prædicatis, & formalitatibus potentia cognitiua bruti cum actu intellectûs naturali, ac potentia intellectiua cum visione supernaturali, sicut enim hæ conueniunt in ratione entis, accidentis, qualitatis, & repræsentationis spiritualis, solumque est improportio in ratione supernaturalitatis, ita ibi in reliquis conueniunt, præterquam in ratione spiritualitatis: sicut ergo in vno casu distantia vnius formalitatis potest suppleri à Deo, quidni poterit in altero? nec facilè reddi potest ratio, cur non æque possit res corporea, siue substantia sit, siue accidens, eleuari ad producendum rem spiritualem, ac res naturalis rem supernaturalem.

XI. *Instantia varia contra negantes potentiã obedientialem.*

Contrà tertiò, saltem nulla reddi potest ratio secundùm hanc responsionem, cur non possit vnus Angelus, vel anima eleuari ad producendam aliam animam, vel Angelum, aut saltem ad producendum formam ignis & aquæ, vel alterius substantiæ, aut accidentis, naturâ suâ generabilis; cur etiam vnum lumen gloriæ eleuari nequeat ad producendum aliud, sol ad alium solem, albedo ad albedinem, & sic de aliis.

XII. Quartò probatur conclusio: instrumentum eo plus potest, quo perfectiori agenti principali coniungitur, calor ex.g. solus producere tantum potest calorem, vel accidens; coniunctus substantiæ potest producere substantiam, vt cum igne ignem, cum sole metalla &c. cum semine & plantis efficere potest generationem & nutritionem plantarum. Vnde Aristoteles 2. de Anima, tex. 40. & 41. ait *ignem*, id est, calorem, *cum animâ primâ* scilicet vegetatiuâ, *efficere nutritionem in planta & aliis viuentibus*: coniunctus verò calor cum animali, producit animal, ergo cum Deo producere potest omnia, omnia, inquã, in quibus non inuoluitur implicantia, cùm secũdùm maiorem vel minorem vim causæ principalis, plura vel pauciora possit instrumentum, vt vidimus. Conf. puer, ex se debilis, coniunctus viro potest magnum aliquod pondus eleuare, ad quod ex se est impar, & cum pluribus & fortioribus concausis potest maius & maius pondus eleuare in infinitum, ergo & creatura, quantumuis imperfecta, & paucarum ex se virium, coniuncta tamen Deo poterit quidlibet.

Calor cum animâ primâ efficit nutritionẽ.

Quo fortior est causa principalis, eo plura potest instrumentum.

XIII. Quintò probatur: datur in materia primâ potentia obedientialis passiua ad vnionem Hypostaticam, vt constat in corpore Christi, vnde deducunt aliqui ex aduersariis formas etiam materiales habere potentiam ad eandem vnionem; sicque in Christo assumptos à Verbo fuisse dicunt Theologi quatuor humores humani corporis, capillos etiam, vngues, dentes &c. & quoad sanguinem affirmat S. Thomas 3. p. q. 5. art. 2. fuisse etiam in triduo vnitum Verbo, imò ait Suares in 3. p. d. 15. sect. 6. contrarium hoc tempore sine errore defendi non posse, cùm tamen hoc non habeatur immediatè ex reuelatione, sed solùm à paritate rationis deducatur per discursum. Quidni ergo similiter per discursum deducere licebit in aliis etiam rebus, præter animam, dari potentiam obedientialem ad producendum res supernaturales? cùm, stando præcisè in lumine naturali, longè magis superet captum nostri intellectûs, quomodo possit eleuari lapis, vt sit Deus, quàm quomodo eleuari possit ad producendum ignem, solem vel etiam gratiam.

Probatur à paritate potentia passiua.

XIV. Conf. primò, si sit possibilẽ corpus simplex, non puto negaturos aduersarios quin per consequentias deduci à paritate rationis possit, assumi illud posse à Verbo, sicut & Angelum assumi posse affirmant omnes, quia potest anima: quidni ergo sicut potest anima & Angelus producere effectus supernaturales, non poterunt aliæ res eosdem producere? Cõf. secundò, si in materiâ sit potentia obedientialis passiua ad vnionem Hypostaticam, quæ est sanctitas substantialis, & perfectissima, quidni & ad gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia recipienda? Conf. tertiò, alioqui posset quis similiter dicere sola accidentia posse conseruari sine subiecto, quia hoc scimus in speciebus sacramentalibus contingere, non verò posse formas substantiales: sin verò ab accidentibus ad formas licet deducere argumentum circa existentiam sine subiecto, quidni & ab intellectu ad alias res in ordine ad productionem effectuum supernaturalium?

Variæ probationes à paritate rationis.

SECTIO V.

Argumenta contra potentiam obedientialem.

I. Obiicitur primò: potentia illa in aquâ (idem est de aliis rebus) respectu productionis gratiæ, non est proportionata effectui, ergo non potest illam producere. Contrà, nec anima est proportionata respectu actuum supernaturalium. Distinguo itaque consequens, ergo non potest eam producere ante eleuationem, concedo consequentiam; post eleuationem, nego. Vrgebis, eleuatio non immutat entitatem aquæ, ergo si ante eleuationem erat improportionata, erit & post. Nego consequentiam, licèt enim nihil virtutis intrinsecæ ei addat eleuatio, addit tamen aliquid extrinsecum, sine quo non potest omninò operari: sicut etiam in rebus & potentiis naturalibus contingit, ignis enim sine concursu Dei in actu primo seu voluntate concurrendi, non potest agere, potest cum illâ, licèt hæc nihil addat igni virtutis intrinsecæ.

Quomodo aqua eleuetur ad producendam gratiam.

II. Instabis, ante eleuationem non erat intrinsecè potens, post eam est intrinsecè potens, ergo eleuatio in hac sententiâ addere debet aliquid intrinsecum, cùm iam intrinsecè aliquid habeat, quod antea nõ habebat. Contrà, idem argumentum fieri posset de concursu Dei cum causis naturalibus, hic tamen nihil ponit in illis intrinsecum. Resp. ergo negando suppositum, esse enim aliquid potens dicit duo, intrinsecum vnum, entitatem scilicet ipsam rei, extrinsecum alterum; nempe eleuationem, vel alteram concausam. Ante eleuationem ergo, solùm erat potens inadæquatè, quia defuit ipsi illud per quod redditur potens complетè.

Esse rem creatam potentem ad operandum dicit duo.

III. Obiicitur secundò: effectus non exigit talẽ causam, nec causa talem concursum, ergo non potest vel diuinitùs illum habere. Contrà, accidentia non exigunt actionem creatiuam, qua conseruentur, nec corpus vbicationem definitiuam, quâ modo spiritali existat, aut vt sit in duobus locis, nec duo corpora vt sint inter se penetrata, & sic de aliis, & tamen possunt hæc habere diuinitus.

Multa haberi possunt diuinitùs, quæ non exiguntur.

IV. Obiicitur tertiò: si sit possibilis hæc potentia, humanitas Christi eam habuit ad patranda miracula, sed non habuit, ergo. Minor probatur, Patres enim duo distinguunt operum genera, vnum solius diuinitatis, & hoc dicunt esse patrare miracula, alterum humanitatis, vt ambulare, loqui, pati &c. Vnde S. Leo in Decretali decima ad Flauianum de Christo sic habet: *Agit vtraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, carne exequente quod carnis est: vnum horum coruscat miraculo (nempe diuinitas) aliud succumbit iniuriis.* At certè dum Patres dicunt patrare miracula esse opus

S. Leo.

solius

In humanitate Christi fuit vis patrandi miracula.

solius diuinitatis, sicut ambulare, loqui, comedere &c. sunt opera solius Humanitatis, manifestè ostendunt se non excludere omnem concursum humanitatis à miraculis, sicut nec excludere possunt omnem concursum diuinitatis ab actionibus Humanitatis; vnde sicut iuxta S. Leonem caro exequitur quod est carnis, licèt Deus concurrat, ita iuxta eundem, Verbum exequi potest quod Verbi est, licèt concurrat Humanitas.

V. *Cur dicant Patres miracula esse opera solius diuinitatis.*

Iden ergo dicunt Patres miracula esse opera solius diuinitatis, quia tanto interuallo superant omnes vires Humanitatis secundùm se sumptæ, vt nihil quasi ad illa conferre videatur: sicut cùm puer aliquis simul cum viro leuat ingens pondus, vel cùm peritus scriptor, aut pictor ducit alterius manum, dicimus puerum nihil facere, & rudem illum cuius manus ducitur, nihil in artificiosis illis figuris & tractibus habere, sed quidquid est artificij, alteri tribuimus, licèt Physicè hic etiam ad opus illud artificiosum concurrat, sic dicitur Deus *solus bonus*, *solus habere immortalitatem*, & Propheta regius dicit, *tibi soli peccaui*, licèt certum sit eum homines etiam peccato illo offendisse.

VI. Obicitur quartò: non potest Deus facere vt lapis intelligat, aut brutum videat Deum, ergo nec commendat quidquam potentiam diuinam, quòd efficere possit vt aqua producat gratiam, nec quidquam derogat quod non possit. Nego consequentiam, Deus enim, sicut impedire non potest effectum formalem formæ in subiecto apto, ita nec supplere illius defectum; Deus quippe in genere causæ materialis, aut formalis concurrere non potest, nec hoc arguit imperfectionem aliquam, sed perfectionem, cùm illæ duæ causæ inuoluant imperfectionem & mutationem: at concursus causę efficientis est Deo proprius, & maximè facit ad illius perfectionem: vnde sicut hic positis omnibus ad operandum requisitis potest Deus suspendere concursum debitum, vt contigit in igne Babylonio, ita & præbere potest indebitum.

Deus non potest supplere defectum causæ formalis.

VII. *Obiicitur hanc potentiam fore naturalem.*

Obicit quintò P. Coninck n. 115. Si ignis habeat potentiam ad producendum frigus, & aqua ad calorem, sequeretur hanc potentiā non esse obedientialem, sed naturalem, & concursum Dei ad hos effectus esse indebitum, ideo enim debetur igni concursus ad calorem, quia habet in se virtutem illius productiuam, ergo si habeat etiam virtutem productiuam frigoris, debebitur etiam ei cōcursus ad frigus. Contrà, habet anima potentiam ad actus supernaturales, cur ergo ei non debetur concursus ad illos? Dices; quia sunt effectus simpliciter supernaturales, & consequenter concursus ad illos est simpliciter indebitus. Contrà, ergo saltem dari potest in aquâ potentia ad gratiam, & alios effectus simpliciter supernaturales, quin sequatur concursum ad illam esse debitum. Sed quidquid sit de hoc.

Respondetur.

VIII. *Variis instantiis refellitur præcedens argumentum.*

Contrà secundò, in materiā est potentia ad duas formas substantiales, in lapide, vel ligno ad duas qualitates contrarias in summo, in aquā & aëre, ad calorem vt octo, in corpore vt sit in duobus locis, in albedine vt creetur &c. quæro ergo vtrùm potentia corporis vt sit in duobus locis, vel accidentis vt creetur, & sic de cæteris, sit naturalis? non arbitror quemquam hoc dicturum, præsertim si naturale illud sit, vt volunt aduersarij, quod exigit id ad quod est aptitudo, seu potentia, nullus enim admittet corpus exigere vt sit in duobus locis, aut aquam, vel aërem petere calorem vt octo, &c.

IX. *Occurritur replica.*

Dices; vbi datur potētia in rebus naturalibus ad effectus naturales, petit hæc potentia per alia comprincipia compleri, vnde oculus petit speciem, ergo & aqua petit concursum ad Angelum. Distinguo antecedens, petit compleri in ordine ad operationes, ad quas peculiariter ordinatur, concedo antecedens; ad quas generaliter solùm habet potentiam, nego, vt ostensum est in exemplis iam positis.

Vnde mihi hæc potentia cuiuslibet rei creatæ ad quidlibet non incongruè videtur dici posse vniuersalis instrumentaria, sicut Dei potentia est vniuersalis principalis. Quare sicut potentia Dei vniuersalis ad effectus creatos non petit compleri; nec vllam intulisset Deus violentiam suæ omnipotentiæ, si nullam omnino creaturam produxisset (quo tamen casu non minùs potuisset cum igne producere ignem aut cum sole lucem, quàm nunc aqua sine concursu Dei potest producere Angelum) sic nullam violentiam potentiæ vniuersali instrumentariæ lapidis, aut formicæ infert quòd iis concursum non præbeat ad producendum solem, sed hæc potentia vniuersalis instrumentaria creaturarum non minùs substat perfectissimæ libertati Dei, quàm potentia vniuersalis ipsius Dei. X.

Potentia vniuersalis instrumentaria.

Obicitur sextò: si Deus eleuare possit aquam aut formicam ad producendam gratiam, aut solem, quidni etiam eleuare eam poterit ad operandum liberè? Contrà primò, cur ergo non poterit materia prima, aut formæ materiales eleuari ad recipiendam vnionem Hypostaticam liberè? Contrà secundò, cur irrationalis natura, sicut potest eleuari ad vnionem cum Verbo non poterit etiam eleuari ad constituendum personam? Dices; quia non est natura rationalis. Contrà, nec aqua aut formica est potentia libera, hæc autem sola est capax operationis liberæ, quæ procedere debet à cognitione indifferente, & consequenter à potentiā aptā per eiusmodi cognitionem intelligere, hæc autem non est aqua, aut formica, vt constat. XI.

Obiicitur sequi posse lapidem eleuari ad operandum liberè.

Respondetur.

SECTIO VI.

Soluitur alia obiectio contra potentiam obedientialem.

OBicit septimò P. Coninck num 116. & 117. ex hac sententiā sequi, posse brutum intelligere, & velle, oculum audire, aurem videre &c. potest enim iuxta nos brutum efficere & recipere intellectionem, auris visionem, auditionem oculus, &c. ergo & intelligere, videre, & audire. Quòd si dicas nō esse subiecta apta. Contrà, licèt naturaliter non sint subiecta apta ad has formas efficiendas, & recipiendas, sunt tamen supernaturaliter, ergo licèt naturaliter intelligere, videre, & audire non possint, possunt tamen supernaturaliter. I.

Obiicitur. sequi posse brutū intelligere & oculū audire.

Ad solutionem notandum, non omne subiectum quod est aptum ad recipiendum formam aliquam, vel quasi formam, esse aptum ad recipiendum omnem illius effectum formalem, & denominationem: sic anima Christi denominatur sancta à sanctitate increatā, seu naturā diuinā, quæ est ipsa intellectio diuina, & tamen non denominatur per eam intelligens: sic natura irrationalis, vt leo, lapis, vel lignum secundùm aduersarios potest assumi à Verbo, cùm tamen non ei tribueret subsistentia Verbi denominationem Filij Dei, Personæ, &c. sicut tribuit naturæ rationali: subsistentia item increata denominat Humanitatem dignam gloriā, quam tamen denominationem non tribueret lapidi: Gratia item habitualis non denominabat Christum Filium adoptiuum sicut denominat alios homines. In rebus etiam naturalibus species visibiles receptæ in aëre & oculo, hunc denominant visiuum, non illum. Actio eductiua subiectum denominat patiens, terminum productum, & sexcenta huiusmodi, II.

Subiectum aptum ad recipiendā formam nō est semper aptum ad omnē eius effectū formalem.

Ad

III. *Ostenditur brutum non posse eleuari ad intelligendum.*

Ad argumentum itaque. Resp. cùm non omne subiectum, quod est capax formæ, etiam in naturalibus, sit capax omnis illius effectûs formalis, vt cõstat in exemplis iam allatis. Resp. inquam, licèt brutum eleuari possit ad efficiendum & recipiendum actum intellectûs, aut voluntatis, non sequi, posse eleuari vt per eum intelligat, & velit. Ratio est, quia sicut in omnibus aliis formis, ita & hic, ad tribuendum effectum formalem requiritur certa quædam proportio in prædicatis inter formam & subiectum: vnde intellectio non tribuit effectum suum formalem nisi intellectui, nec visio nisi oculo, & auditio auri, à quocunque efficiantur & recipiantur.

IV. *Ratio à priori cur oculus non possit audire, nec brutum intelligere.*

Cum ergo Deus facere non possit vt imaginatio bruti sit intellectus, aut auris oculus &c. (cùm mutare nequeat prædicata earum essentialia) non potest facere vt brutum intelligat, auris videat &c. Sicut quia non potest facere vt lapis & leo sint rationales naturæ, non potest illos facere personas, amicos, vel filios adoptiuos, dignos gloriâ &c. quantumcunque eos assumat Hypostaticè: & tamen hic vrgeri posset replica in argumento posita, nempe brutum licèt naturaliter non sit subiectum aptum ad intelligendum, esse tamē supernaturaliter: sic enim simili formâ argui posset, lapis aut brutum, licèt naturaliter non sit subiectum capax denominationis personæ, amici Dei, filij adoptiui, &c. esse tamen potest supernaturaliter; cùm supernaturaliter capax sit illius formæ, quæ hos omnes effectus tribuit naturæ rationali: vel fatendum est non sequi, subiectum est capax alicuius formæ, ergo omnium illius effectuum formalium. Concursus verò causæ efficientis, cùm sit quid extrinsecum rei quam iuuat, potest suppleri à Deo, non potest suppleri formalis.

V. *Non magis sequitur brutū posse intelligere, quàm posse esse personā, aut amicum, & Filiū Dei.*

Vrgent recentiores aliqui, & quærunt, vnde sciamus brutum non esse capax denominationis intelligentis? Contrà, vnde sciunt ipsi idem brutum non esse capax denominationis personæ à personalitate diuinâ, filij adoptiui, amici Dei &c. vnde etiam sciunt, materiam seu corpus Christi non esse gratum, amicum, & filium Dei? Quicquid ipsi responderint, respondebimus & nos, & his instantiis puto infringi omnia illorum argumenta: nec certè video, cur magis teneat hæc consequentia, brutum est capax effectionis & receptionis actûs intellectûs, ergo est capax denominationis intelligentis, quàm hæc, corpus Christi, aut leo est capax personalitatis, & gratiæ increatæ, ergo est persona, gratus, amicus, & filius Dei: nec cur sit legitima hæc consequentia, imaginatio bruti est apta obedientialiter ad efficiendum & recipiendum intellectionem, ergo est potentia intellectiua, magis quàm hæc, materia prima, aut equus est aptus obedientialiter ad terminādum subsistentiam naturæ rationalis, ergo est natura rationalis. Ratio autem vnde colligamus in bruto nō esse capacitatem harum denominationum, est, quia plurima inde sequuntur absurda, vt, quòd equus & leo essent beati, amici Dei &c. quod verò brutum actus etiā supernaturales efficiat, quid incommodi?

VI. *Qua proportio requiratur vt forma det effectū suum formalem subiecto.*

Quæres, quænam proportio requiratur vt forma effectum suum formalem, & denominationem tribuat subiecto? Resp. difficile esse in hoc certam regulam assignare, nec est ad solutionem argumenti necessarium, cùm aduersarij, & omnes fateri debeât proportionem aliquam requiri; imò affirmant ipsi pro potentiâ obedientiali actiuâ non posse generalem regulam tradi, proinde hoc argumentum æqualiter soluendum est omnibus. Communiter ergo vt forma subiecto tribuat effectum, requiri videtur, vt licèt subiectum non petat talem formam, forma tamen petat subiectum; ex quo fit, vt licèt visio beatifica non sit connaturalis animæ, aut Angelo, anima tamen & Angelus sint subiecta connaturalia visionis beatificæ, quæ nimirùm peculiari modo produci postulat in intellectu animæ, & Angeli. Quæ etiam suo modo est ratio cur auditio non redderet oculum audientem, nec visio aurem videntem, intellectio brutum, aut lapidem intelligentem &c. quantumuis in iis miraculosè ponerentur.

VII. *Non benè sequitur rem quālibet fore omnipotentem.*

Mitto alia argumenta minoris momenti, vt, sequi, rem quamlibet esse omnipotentem, cùm possit quidlibet. Primò enim non potest quidlibet, cùm se producere primò non possit: deinde, omnipotentia est virtus cuncta primariò producendi, & sine indigentiâ alterius, non instrumentaliter & cum dependentiâ ab alio

VIII. *Nec sequitur Angelum videntem rem vnam, videre omnia.*

Nec est inconueniens muscam vel lapidem dependere à possibilitate omnium rerum, & transcendentalem ad ea ordinem dicere. Neque tamen hinc sequitur Angelum videntem intuitiuè muscam, cognoscere res omnes possibiles, non est enim necessarium vt quicquid videt Angelus, videat perfectissimè, & comprehendat in ordine ad omnes effectus possibiles: sicut nec iuxta aduersarios Angelus videns animam, aut alium Angelum, cognoscit gratiam, visionem beatificam, aut vnionem Hypostaticam, & alia dona supernaturalia. Quæ omnia latè supra discussa sunt d. 5.

SECTIO VII.

Vtrùm eleuari aliquid possit ad creandum.

I. *Prima sententia est negatiua.*

PRima sententia est negatiua: ita Albertus in 2. d. 1. art. 7. Scotus in 4. d. 1 q. 1. Valen. 1. p. d. 3. q. 2 p. 4. §. *sed contraria*. Molina 1. p. q. 45. ar. 3. d. 2. Fonseca 5. Met. c. 2 Granado 1. p. Cont. 6. d. 4. num. 3. & alij, qui licèt potentiam obedientialem in rebus propè omnibus concedunt ad reliquos effectus, negant tamen eleuari rem vllam posse ad creandum.

II. *Non est de conceptu instrumenti aliquid præuiè operari.*

Ratio eorum est primò: quicquid enim eleuatur est instrumentum, instrumentum autem præuiè aliquid producere debet in passo: si ergo, inquiût, semper necessariò habeat passum, & dependenter ab illo operetur, non creat. Sed contrà, nam suprà d. 24. s. 2. ostendi non esse de conceptu essentiali instrumenti, vt aliquid præuiè operetur. Instrumenta etiā naturalia tantùm requirunt passum, non supernaturalia. Deinde concedunt plerique ex his auctoribus Sacramenta Physicè producere gratiam in animâ, in quâ tamen aqua vel verba nihil efficiunt præuiè.

III.

Ratio eorum est secundò quia in effectu debet semper esse formalitas aliqua quæ correspondeat causæ. Contrà, quæ formalitas in gratiâ correspondet aquæ, & aliis effectibus, quos tamen hi auctores plerumque concedunt posse obediētialiter produci? Gratis ergo ad creationem requirunt hæc cõditio.

IV. *Potest creatura eleuari ad creandum.*

Dicendum itaque posse creaturam eleuari ad creandum; ita Suarez d. 20 Met. s. 3. Albert in. to. 1. princ. 2. coroll. 1. nu. 32. Tannerus 1. p. d. 6. q. 1. d. 2. nu. 10 Hurt. d. 1 2. Phy. sect. 7. nu 118. Arriaga d. 15. Phys. s. 5. nu. 106. Ouiedo cont. 13. Phy. p. 4 num. 12. quoad creaturas possibiles, & alij.

V. *Eleuari potest aqua ad creandum ignē, & calor ad creandum frigus.*

Lapis ergo eleuari potest ad creandum solem, & musca ad creandum Angelum. Imò aqua eleuari potest ad creandū ignem, & calor ad creandum frigus. Fortè etiam alicui videbitur posse peccatum eleuari ad producendum, vel creandum gratiam; nō tamen potest, vel gratia, vel vlla omninò creatura eleuari ad producēdum peccatum, vt dixi suprà sec. 4. num. 3. Ratio conclusionis est, quia cum nulla in

hoc

hoc appareat repugnantia, vt vidimus ex solutione argumentorum, probationes suprà sect. 4. adductæ æquè de creatione vrgent, ac de aliis effectibus.

VI. *Satisfit auctoritati S. Augustini.* Obiiciet aliquis S. Aug. l. 9. in Gen. c. 15. vbi asserit Angelum tam non posse quamuis rem creare, quàm non potest creare seipsum. *Resp.* posse Angelum eleuari ad secundò creandum seipsum, vt suprà ostendi d. 19. S. autem Augustinus loquitur solùm de productione, & creatione naturali.

DISPVTATIO XXVIII.

De Causâ primâ.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Causa prima immediatè cum secundis concurrat ad omnes suos effectus.

I. *Definitio causæ Primæ.* Causa prima, vt ab omnibus communiter definitur, *est primum rerum omnium creatarum principium, quodq; à nullo alio sumit originem.* Dari causam primam hic in libris Physicorum probant multi: commodiùs tamen huius rei discussio differtur in Metaphysicam.

II. *Sententia Durandi, Deum sufficere non concurrere immediatè ad operationes verò creaturæ.* Circa modum quo Deus ad operationes rerum creatarum concurrit, Durandus in 2. d. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. vt quasdam difficultates euitet, & præcipuè quomodo Deus non sit auctor peccati, ait creaturas non indigere immediato concursu creatoris ad omnes suas operationes, sed solùm requirere vt ab ipso producantur, & conseruentur, iuxta illud Ioannis 1. *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, & ad Rom. 11. v. 36, *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia*: item ad Hebr. 1. v. 3. *portans omnia verbo virtutis suæ*: & alibi sæpe: quo posito, inquit Durandus: operari poterunt per se sine immediato Dei concursu, imò & de facto ita ait contingere.

III. *Sententiâ Durandi fusè defendit P. Franc. Ludouicus à Dola.* Hæc tamē sententia antiquior videtur fuisse Durando: quam etiam sententiam defendit Nicolaus Bonetus l. 7. Theol. cap. 3. & non ita pridem P. Frat. Ludouicus à Dolà libro de hac ipsa re scripto (vbi hanc quæstionem fusè & eruditè tractat) hoc idem ostendere conatur, multis ad id sanctorum Patrum ac Theologorum congestis testimoniis.

IV. *S. Thomas hanc sententiam ait esse duobus erroribus proximā.* Alij tamen acerrimè in hanc sententiam inuehūtur, grauissimasque ei censuras inurunt. S. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. ait *eam proximam esse duobus erroribus, nempe esse duo prima principia, vnum bonorum, alterū malorum, & Deum non esse causam vniuersalem.* Albertus Magnus in 2. d. 35. art. 7. dicit hanc sententiam à multis modernorum appellari hæreticam. Suar. d. 22. Met. s. 1. n. 7. ait eā esse erroneam in fide: & l. 1. de concursu Dei sic habet: *ab omnibus probatis Theologis non solùm reprehenditur, sed etiam vt error in fide reiicitur sententia Durandi* &c.

Suarez esse erroneam in fide.

Bellar. l. 4. de Gra. & lib. arb. c. 4. illam vocat errorem, *& Scripturæ, Patrum testimoniis, & manifestæ rationi repugnare asserit.* Molina parum ait esse tutam in fide. Vasq. 1. 2. d. 126. c. 3. n. 8. ait *hanc sententiam Durandi errore nomine ab omnibus scholasticis iamdiu esse reiectam.*

Bellarm. eam vocat errorem.

Conimb. Murcia, & alij hanc Durandi senétiam appellant periculosam, temerariam, erroneam, & Durandismum, nec mitiùs de ea loquuntur, quàm Orthodoxi de Arianismo, & similibus.

Alij periculosam, temerariā, erroneam.

Capreolus in 4. d. 12. q. 1. ad 1. eam asserit esse sententiam Manichæi. S. Hieronymus Ep. ad Cresiphontem docet hanc sententiam esse doctrinā Pelagij, qui, inquit, S. Hieron. *dicebat Deum, collato semel libero arbitrio, vlteriùs nobis ad operandum non esse necessarium*: loquiturque de operationibus naturalibus, vt de motū manûs, de ambulatione, & similibus. Quod etiam fuisse placitum Lutheri docet Camerarius 1. de gratia & lib. arbitrio c. 10. §. 3.

Alij Durandismū.

S. Hieronymus.

V. Ego censuram de hac sentētiâ non fero: hæc verò eò adduxi, vt ostendam quale iudicium Philosophi ac Theologi, tum moderni tum antiqui de eâ formauerint: qua in re, cùm tot ac tales viri conspirent, signum est, aliquid in eâ latere, ob quod digna non sit, vt vllus vir doctus illius patrocinium suscipiat. Vnde meo iudicio Pater Dola, qui virū se doctum & eruditum ostendit, meliùs & vtiliùs in aliâ quæstione illustranda operam suam posuisset.

VI. *Vera sententia de concursu Dei.* Secunda itaque & vera sententia docet, Deum, non virtutem tantùm in actu primo operatricē rebus omnibus conferre, sed cùm iis etiam ad singulas actiones immediatè & proximè concurrere: ita Doctor Seraphicus in 2. d. 37. art. 1. q. 1. dicens: *hanc sententiam absque omni ambiguitate esse tenendam*: vnde mirum est, eum à P. Dola citari pro contrariâ.

Doctor Seraphicus.

Scotus in 2. d. 1. & 37. q. vnica. Gabriel, dicens *hanc esse indubitatam opinionem apud Catholicos*: Gregorius in 2. d. 35. q. 1. ar. 3. Suar. d. 22. Met. s. 1. n. 7. & l. 1. de concursu Dei c. 4. n. 2. dicens *hāc esse veram & certam doctrinam, & in qua reliqui omnes, præter Durandum, conueniunt.* Bellar. citatus; Vasq. 1. 2. d. 129. c. 3. vbi eā variis Scripturæ & S. Augustini testimoniis illustrat Hurtado d. 10. Phy. s. 2. n. 34. Arriag. d. 10. Phy. s. 1. n. 7. Ouiedo cont. 10. Phy. p. 1. n. 5. & alij.

VII. *Scripturæ testimonia pro immediato Dei concursu.* Probatur primò tribus illis Scripturæ locis, nu. 2. allatis, quæ propriè nisi de concursu Dei immediato intelligi non possunt. Secundò, ex illo Act. 17. v. 28. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*, vbi particulæ *mouemur*, & *sumus* immediatam denotant dependentiam in existentiâ. Particula etiam *in* in phrasi Scripturæ idem sonat ac *per*, seu auxilio alicuius, & adiutorio fieri, vt Psalm. 17. v. 30. *In Deo meo transgrediar murum*, & Psal. 59. v. 14. *In Deo faciemus virtutem*, id est, Deo nobiscum cooperante, & concursum suum præbente.

VIII. Idem efficaciùs probatur ex illo Isaiæ 26. v. 12. *Domine, omnia opera nostra operatus es.* Item 1. ad Corint. 12. v. 6. ait Apostolus *qui operatur omnia in omnibus*. Deinde Ioan. 5. v. 17. dicit Christus, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Quibus verbis vtitur S. August. to. 3. l. 5. de Genesi ad litteram cap. 20: aitque *Deum non magna solùm, & præcipua in nobis operari, verùm etiam ista terrena & infima.*

S. Augustinus to. 3. l. 5. de Genesi.

IX. Hæc scripturæ loca, licèt (vt fateat quod res est) Deum cum creaturis ad omnes earum operationes immediatè concurrere non conuincant, quisquis tamen indifferenti ea oculo inspexerit, inficiari nequit quin hanc sententiam valde reddant probabilem: præsertim cum vix quidquam è diuinis literis proferatur, quod opinionem, immediatum hunc Dei concursum negantem (excepto fortè actu peccati, de quo postea) vel probabiliter suadeat. Deinde, in Symbolo Concilij Nicæni habetur, Deum esse *factorem visibilium omnium, & inuisibilium*, quod sine concursu Dei immediato vix commodè videtur explicari posse.

Concilium Nicænum docet concursum Dei immediatum.

P. Hur-

X. P. Hurtado d. 10. Phy. s. 2. n. 11. ait probare quidem hæc Deum de facto ad omnes operationes nostras immediatè concurrere non tamen non potuisse rem aliter contingere. Contrà primò, ergo ob hæc loca scripturæ sustineri non potest sententia Durandi, & aliorum, qui aiunt Deum immediatè nobiscum in operationibus, & ad res alias producendas de facto non concurrere. Quod verò nec aliter possit contingere, ostendam sec. tertia.

XI. *Patres hæc scriptura loca intelligunt, etiã de possibili.* *S. Hieronymus.* *Loquitur S. Hieronymus de auxilio immediato.*

Contrà secundò, non cuiuis arbitratu suo fas est sacram Scripturam, & Conciliorum Canones interpretari, sed iuxta explicationem & sensum Patrum: Patres autem hæc non de facto solùm sed etiam de possibili intelligunt. Vnde S. Hieronymus l. 2. contra Pelagianos acriter eos impugnat quòd dicerent posse se sine Dei auxilio scribere, ambulare, curuare digitum, &c. Quod verò respondet Durandus loqui S. Hieronymum de auxilio mediato, nullam habet probabilitatem, non enim negabant Pelagiani auxilium Dei mediatum, seu liberum arbitrium se accepisse à Deo, sicque mediatè, seu ratione illius posse operationes nostras tribui Deo, reprehendebat ergo illos quòd actiones naturales sine alio Dei concursu, nempe actuali fieri posse assererent. Vnde in Epist. ad Ctesiphontem supra citatâ, *Audite,*

Verba Pelag.

inquit, *sacrilegium, si voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate,* &c. Non negabat iste in quem tam vehementer inuehitur S. Hieronymus, virtutem se motricem à Deo accepisse, ergo ob aliud auxilium negatum, nempe actuale, eum redarguit S. Doctor, & ingratitudinis ac sacrilegij reum pronunciat.

XII. *Durandi opinio refellitur ex Patribus.*

Secundò, hoc idem probatur ex Patribus. Inprimis de mente S. Hieronymi satis constat ex proximè allato testimonio. Idem expressè docet S. Aug. epist. 146. q. 2 *Quomodo,* inquit, *negare poterimus Deum etiamnum operari cuncta quæ fiunt, cum Dominus dicat, Pater meus vsque modò operatur.* Quod etiam probat testimonium eiusdem Sancti Doctoris allatum suprà, n. 4 Dicere autem Deũ operari quia ante multa annorum millia produxit res aliquas, quæ longâ serie modò alias producunt, est impropriissima locutio: sic enim ignis à mille annis destructos posset dici iam operari, & ignem ac calorem producere, vt dicetur sec. sequente: Scripturæ autem & Patrum dicta debent in sensu maximè proprio accipi, vbi possunt, posse autem Deum immediatè cum creaturâ concurrere, nullus, credo, inficias ire audebit.

Scripturæ & Patrum testimonia debent propriè accipi.

XIII. *Testimonium S. Anselmi*

In eundem sensum loquitur S. Anselmus de concordiâ præscientiæ, prædestinationis, gratiæ & liberi arbitrij cap. 1. *Facit,* inquit, *Deus omnia, quæ iustâ, vel iniustâ voluntate fiunt,* id est, *opera bona & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt, in malis facit quod sunt, sed non quod mala sunt.* Hæc ille.

SECTIO II.

Ratione probatur Deum ad omnes rerum creatarum operationes immediatè concurrere.

I. *Deus, in sententiã Durandi, non esset propriè causa vniuersalis.*

PRobatur primò, si enim Deus non alio modo in rerum creatarum operationes influat, in ignem ex g. calorem, lucem, &c. quàm quòd horum effectuum causas primò produxerit, derogaretur conceptui causæ vniuersalis; iam enim non magis esset Deus causa vniuersalis rerum creatarum, quam Adamus causa vniuersalis omnium hominum primus ignis, equus, leo, omnium ignium, equorum, leonum &c. quod perfectioni, & dignitati Dei, multùm detrahit.

II. *Perfectissimo modo possibili dependere debet creatura à Deo.*

Secundò, per concursum immediatum Dei in res omnes longè melius explicatur perfecta dependentia quam dicit creatura à creatore, si scilicet dicatur non in essendo tantùm, sed etiam in operando ab illo immediatè dependere, hæc enim est perfectissima dependentia, & consequenter, si est possibilis, tribui debet creaturis respectu Dei, & Creatoris.

III. *Clariùs intelligitur perfectissimum Dei in res omnes dominium.*

Tertiò, multo clariùs intelligitur absolutum & perfectissimum Dei in res omnes dominium, vt possit liberè vel imperare vel impedire earum actiones, & non de ipsâ solùm entitate creaturarum, sed de earum etiam actionibus liberè disponere, quod spectat ad perfectissimum dominium: hoc autem in contrariâ sententiâ non ita facilè declaratur.

IV. *Probatur ex cõceptu opposito creatoris, & creaturæ.*

Quartò probatur, de conceptu creaturæ vt creatura est, dependere à creatore; sicut enim conceptus Dei & creatoris est conceptus independentis, & vt non sit ab alio, nec à quoquam in existendo dependeat, sed sit à se; ita è contrario conceptus creaturæ est conceptus dependentis, & petit essentialiter dependere à creatore, idque immediatè, dependentia enim remota est quasi nulla, vt dixi sec. præcedente n. duodecimo.

V: *Res creatæ sicut entia, ita sunt agentia per participationem.*

Quintò, sicut creaturæ sunt entia per participationem, ita & agẽtia per participationem, ergo non in esse solùm, sed etiam in operari depẽdent à Deo: vnde sicut per solam subtractionem concursûs potest Deus illas destruere, & facere vt non sint, ita & per solam subtractionem concursûs facere similiter potest vt non operentur.

VI. *Æqualitas perfectionis non arguit aliquid non egere ope alterius.*

Obiicies primò: causæ creatæ aliquando adæquant, aliquando superant in perfectione suos effectus, ergo ad eos producendos ope alterius non indigent. Nego consequentiam, licèt enim Angelus sit in perfectione æqualis alteri Angelo, & albedo albedini, non tamen potest ille Angelum, hæc albedinem producere: ergo ex æqualitate perfectionis nullum sumitur argumentum ad productionem. Hic autem peculiaris est exigentia concursûs causæ primæ, ob rationes iam allatas.

VII. *Causa prima non cõcurrit imperfectè.*

Obiicies secundò: si causa prima & secunda concurrant immediatè ad eundem effectum, ergo vel vtraque imperfectè procedit, vel altera est superflua; nam si non procedant imperfectè, vtraque sufficit, si autem vtraque sufficiat, ergo altera est superflua. Resp. negando sequelam, vtraque enim sufficit, non simpliciter, sed in suo genere, Deus in genere causæ primæ, & vniuersalis, à qua res omnes essentialem dicunt dependentiam; creatura in genere causæ particularis, & secundæ, quæ essentialiter dependet à primâ simul concurrente.

VIII. Obiicies tertiò: ergo Deus producit etiam actus prauos, sicque erit causa peccati. Huic difficultati satisfiet disp. sequente.

SECTIO III.

Vtrùm Deus ita concurrat immediatè cum creaturis, vt aliter fieri non possit.

I. *Opinantur quidã hoc nullo firmo argumento ostendi.*

P. Hurtado licèt Deũ de facto cum creaturis immediatè ad suas actiones concurrere affirmet, disp. tamen 10. Phy. n. 33. sententiam affirmantẽ posse Deum creaturam aliquam ad quosdam saltem effectus, sibi hac in parte substituere, ait nullo firmo argumento refelli. P. Arriaga etiam d. 10. Phy. s. 1. n. 32. fatetur nullam se inuenire hac in re implicantiã. Neuter tamen ob auctoritatem Theologorum, & censuras

censuras in contrariam sententiam latas id audet asserere.

II. Mihi verò dicendum videtur, creaturas non solùm effectus suos sine Dei concursu de facto non producere, sed nec hoc modo producere eos posse. Primò enim id suadent auctoritates Patrum suprà allatæ.
Contraria est probabilior.

III. Secundò, creatura illa quam Deus ad hoc munus loco suo sufficeret, ad ignem ex.g. simul cum igne, sine immediato Dei concursu producendum, vel esset naturalis, vel supernaturalis: non secundum, (quod tamen asserere videntur hi auctores, dum eam supernaturaliter influere debere affirmãt) substantia enim supernaturalis dari nequit, vt suppono ex primâ parte, vbi hoc communiter docẽt Theologi: creatura autem hæc substantia esse deberat, cùm accidens causa principalis substantiæ esse non possit. Nec etiam esse potest naturalis, cur enim non dicemus coelum nunc, aut solem esse eiusmodi creaturam, sicque de facto res omnes sine concursu Dei immediato produci? Certè nullum in hoc sequitur inconueniens, quod in illâ rerum serie non sequeretur, inconueniens enim tantùm esset quòd res creatæ solæ, sine concursu immediato Dei effectus suos naturaliter producerent, id autem in illâ rerum perstasi contingeret, ergo &c.
Creatura illa loco Dei operãs nec foret naturalis, nec super naturalis.

IV. Tertiò, derogare videtur perfectissimo Dei in res omnes dominio. Quartò, sicut infinita Dei scientia essentialiter postulat, vt nulla res existere possit, quin eã Deus actu cognoscat, ita infinita eius virtus productiua poscere videtur, vt nihil existere possit, quin illud Deus actu producat.
Probatur à paritate scientiæ Dei.

V. Quintò & præcipuè quia iuxta P. Hurtado, etiã dato quòd de facto non concurrat Deus ad omnes, vel aliquas operationes creaturarum immediatè, adhuc censetur ab ipso & omnibus inconueniens, si non posset concurrere immediatè ad omnes earum operationes, imò hoc iudicat P. Hurtado hæresi proximum, vel saltem temerarium: sed si de facto non concurrat Deus immediatè ad omnes operationes creaturarum, sequitur, nec posse eum immediatè ad plurimas ipsarum operationes concurrere, ergo. Maior admittitur ab aduersariis: Minor probatur, si de facto Deus non concurrat immediatè cum igne ad productionem caloris A, vel ignis, cum sole ad productionem lucis, & sic de aliis, actiones illæ profluunt immediatè à solo igne, vel sole, & non à Deo: sed tunc actiones istæ nec per diuinam potentiam dependere poterunt immediatè à Deo,
Sequeretur Deum non posse ad aliquas operationes immediatè concurrere.

Actiones plurimæ non possent dependere à Deo immediatè.
ergo. Minor probatur, actio quæ semel est totaliter vnius agentis, non potest nec partialiter esse actio alterius, nec enim minorem connexionem habet, nec minùs essentialem respectum dicit actio ad agens, quàm vbicatio ad spatium, aut vnio ad extrema, ergo aliquæ operationes creaturarum peterent essentialiter non dependere immediatè à creatore: ergo ex hac sententiâ id sequitur, quod ab omnibus magnum censetur inconueniens.

VI. Hinc infertur modum concurrendi causæ primæ, longè esse perfectissimum, vtpote quæ petit vt res omnes ab eâ dependeant, & sine cuius influxu, nec ad momentum persistere possint. Vnde & arguitur imperfectio non perfectio in architecto quòd domus ab ipso extructa, ab eo non dependeat in conseruatione: arguit enim minorem esse necessitatem architecti, minusq; quasi illi debet domus, cùm solùm primum esse ipsi debeat, non conseruationem. Deinde, domum illam perpetuò conseruare nequit architectus, tum quia defatigaretur, tum quia vni semper tantùm loco affixus esse deberet, quorum neutrum reperitur in causâ primâ, vtpote quæ & vbique existit, & in quam nulla cadit defatigatio.
Modus concurrendi causæ primæ est perfectissimus.

VII. Quæres vtrùm causa prima & secunda, dum ad eundem effectum concurrunt, dici debeant causæ partiales? Resp. ex parte effectûs non sunt partiales, si per causas partiales intelligantur illæ quarum vna producit vnam partem effectûs, altera aliam; nam tam Deus quàm creatura producit totum effectum sicut cùm duo homines simul portant idem põdus, singuli portant totum. Si autem sermo sit ex parte causarum, aliqui dicunt posse eas vocari causas partiales, alij negant: sed lis est de modo loquendi, si enim causa partialis sit, quæ sola sine alterius consortio non produceret hîc & nunc effectum, seu non eo influxu ad eum concurreret, quo de facto concurrit, vtraque est causa partialis: sin verò per causas partiales intelligatur, non esse vtramque sufficientem in genere suo, falsum est dicere esse causas partiales. Dici ergo possunt materialiter causæ partiales, formaliter, seu vnaquæque in suo genere, totales
Causa prima, & secunda sint ne dicenda causa partiales.

VIII. Concurrit ergo Deus cum creaturis omnibus ad omnes earum actiones immediatè, non solùm immediatione virtutis, sed etiam suppositi, id est, actio illa, quâ operatur creatura, fluit etiam immediatè ab ipso Deo, & non ab aliquo ipsius loco substituto. Nec concurrere Deum immediatè, immediatione virtutis intelligi potest de solâ creaturâ, nam illa non est, propriè loquendo, virtus Dei in operando, hæc enim est sola Dei omnipotentia.
Concurrit Deus, non immediatione solum virtutum, sed suppositi.

SECTIO IV.

Vtrùm causa prima concurrat cum secundis eâdem actione.

I. Ratio dubitandi est quia non videtur quomodo eadem numero actio possit procedere à duobus principiis realiter distinctis. Conf. hinc enim sequeretur, aliquando eandem actionem esse transeuntem & immanentem, vt in actibus intellectûs nostri & voluntatis, qui simul à principio intrinseco, & extrinseco procederent.
Proponitur ratio difficultatis.

II. Ad argumentum Resp. nullum in eo reperiri inconueniens, in causis præsertim subordinatis: sicut, iuxta probabilem sententiam, eadem visio potest esse diuersorum obiectorum disparatorum, vt albedinis & viriditatis, multò magis subordinatorum, vt coloris & lucis: quod de intellectu est manifestum, hic enim eodem actu in obiecta fertur diuersissima, & maximè disparata.
Varia potentia eodẽ actu feruntur in obiecta diuersissima.

Quid sit causas esse subordinatas.
Causæ autem subordinatæ illæ dicuntur, quæ ex naturâ suâ ordinantur ad eundem effectum, vt intellectus, species impressa, & habitus, quæ tria vix quisquam dixerit actionibus diuersis concurrere ad eandem intellectionem. Similiter causæ subordinatæ sunt Deus, & creatura, ita enim creatura in agendo subordinatur Deo, seu ab eo dependet, vt sine immediato illius concursu nihil omnino præstare possit, vt iam ostensum est.

III. Ad confirmationem dico, id nullam inuoluere repugnantiam respectu diuersorum principiorum: non tamen sequitur, simpliciter eandem actionem esse immanentem & transeuntem, sed esse immanentem respectu creaturæ, intellectûs scilicet eius aut voluntatis, in quibus recipitur; transeuntem respectu Dei à quo efficitur, sed non recipitur.
Actus intellectûs creati est intellectui immanens, Deo transiens.

Eadem actio quomodo sit vitalis, & non vitalis, libera, & non libera.
Sic non est dicenda simpliciter vitalis & non vitalis, sed vitalis vt ab hoc principio, non vitalis vt ab illo. Item actio quâ ignis producit ignem, est libera respectu Dei, non libera, sed necessaria respectu ignis, nõ tamen est libera & non libera simpliciter, tunc enim respectu eiusdem principij illas duas rationes sortiri deberet, quod implicat, cùm implicet idem princi-

pium

pinm ita se habere, vt simul sit in illius potestate vt procedat vel non procedat ab co actio, & simul non sit in illius potestate vt procedat vel non procedat: hæc enim sunt aperte contradictoria, vt constat.

IV. Notandum, influxum Dei cum causis secundis esse duplicem, in actu primo, & in actu secundo. Influxus Dei in actu primo nihil est aliud, quàm ipsa voluntas diuina parata cum creaturis ad earum operationes concurrere, cum singulis iuxta vniuscuiusque naturam, & exigentiam. Influxus verò Dei in actu secundo est actio creata, per quam ad extra operatur Deus, & producit effectus: & de hac procedit præsens quæstio, non de influxu in actu primo; certum enim est illum distingui à creaturis, cùm sit ipse Deus.

Influxus Dei duplex: in actu primo, & in actu secundo.

V. Conclusio: Deus & creatura concurrunt eàdem semper actione ad effectus omnes rerum creatarũ. Ita Suar. d. 22. Met. s. 3. & l. 1. de Auxiliis, cap. 4. Mol. 1. p. q. 14. a. 13. Hurt. hic d. 10. s. 3. Ouiedo contr. 10. Phys. p. 1. n. 12. estque communis inter recentiores. Et certè eo modo ponere duas actiones distinctas, vt ponebant aliqui, nempe disparatas, vnam scilicet quâ Deus solus producat effectum, alteram quâ creatura simul cum Deo, videtur planè carere fundamento: si enim illa prima actio Dei sufficit ad effectum à parte rei ponendum, quod ipsi aiunt, omninò superflua est secunda, abundè enim sine illâ poneretur à parte rei & conseruaretur effectus dependenter à Deo, tanquam à causâ adæquatâ. Deinde, illa actio Dei est creatio, cum independenter ab omni subiecto producat effectum, actio autem procedens à creaturâ esset generatio, ergo effectus omnes producti à creaturis producerentur simul per creationem, & generationem.

Deus & creatura eâdê actione concurrunt.

VI. Probatur itaque conclusio primò; actio qua causa secunda agit, est verè creatura, ergo pendet à creatore seu Deo, sed non tanquam terminus productus & *vt quod*, seu ita vt detur alia actio Dei ad actionem illam terminata, *actionis enim non datur actio*, ergo pendet à Deo *vt quo*, seu vt productio alterius, ergo per se fluit etiam à Deo tanquam actio & influxus Dei, seu qua Deus etiam simul cum causa secunda producit effectum illum, quem producit creatura.

Ratio à priori conclusionis.

Actionis non datur actio.

VII. Dices; dependet actio creaturæ ab actione Dei tanquam à concomitante, ita vt profluere à creatura non possit actio illa nisi alia actio profluens à Deo illam comitetur. Contrà primò, actio creaturæ pendere debet à Deo à priori, cùm hic sit conceptus creaturæ, vt scilicet dependeat à Deo à priori tanquam à causa; si autem hæ actiones solùm se habeant concomitanter, actio creaturæ non dependet à Deo tanquam a causa, vt est manifestum: sicut nec partes minimi naturalis à se inuicem pendent à priori, esto nulla ex illis esse possit sine illarum aut similium concomitantia. Contrà secundò, iam enim sequeretur dari aliquam creaturam ad quam Deus non concurrat immediatè, imò & ad quam concurrere immediatè non possit: de quo fusiùs dictum est sec. præcedente n. quinto.

Actio creaturæ non dependeret à Deo à priori.

VIII. Quòd verò non habeat Deus actionem terminatam ad actionem creaturę, & quæ sit causa actionis creatæ, vt aliqui volunt, præter superiùs dicta ostenditur, nam ad actiones liberas non potest hoc modo Deus concurrere, tolleret enim libertatem; illa namque actio Dei esset natura antecedẽs actionem creaturæ, & vera causa illius. posita autem illa actione Dei, non potest non poni eius effectus, seu actio creaturæ ad quam dicunt eam terminari, cùm implicet actionem esse sine termino. ergo posita illa actione Dei non potest non poni actio creaturæ, sicut posita actione productiua ignis, non potest non poni ignis, seu effectus, ergo posita hac actione Dei, non est in potestate liberi arbitrij non operari, sed hæc actio Dei ponitur antecedenter ad actionem creaturæ, & omnino independenter ab illius consensu ac libero arbitrio, ergo infert vim voluntati, eamque ad operandum necessitat, cùm, vt dixi positio illius actionis Dei non sit in potestate liberi arbitrij, ergo voluntas antecedenter ad operationem determinatur ad operandum per hanc actionem Dei, ergo pro aliquo priori ad operationem non est indifferens ad operandum & non operandum, ergo non est libera.

Actio Dei non potest terminari ad actionẽ creaturæ.

Ex dictis in hac & superiore sectione infertur, Deum non ad primam solùm rerum productionẽ, sed etiam ad conseruationem concurrere immediatè, idque non tantùm quando solus res conseruat, sed etiam simul cum causis secundis immediatè influendo, vtpote quæ ab immediato Dei concursu, non in producendo tantùm, sed etiam in conseruando, omnique sua actione essentialiter pendent. IX.

Deum immediatè etiam res omnes conseruat.

Quæres, vtrùm tanta requiratur virtus ad conseruandum effectum, quanta ad eum primò producendum? Conimbr. hic cum aliis putant minorem requiri virtutem ad rem conseruandam quàm ad primò producẽdum. Suar. d. 21. Met. requirit æqualem. Dico itaque, per se loquendo, & cæteris paribus, eandem virtutem requiri ad conseruandum & ad primò producendum effectum, licèt per accidẽs maior subinde requiri possit ad eum primò producendum. Prima pars probatur, quia virtus requisita ad effectum per se loquẽdo pensanda est penes perfectionem effectûs, & modum quo petit produci, sed quando ignis conseruatur, est idem numero ignis, qui antea, & eiusdem perfectionis, modus item producendi est idem, nempe dependenter à subiecto, seu per generationem, ergo &c. Idem est in conseruatione Angeli per creationem. X.

Eadem requiritur virtus ad rem cõseruandã, & primò producendam.

Secunda etiam pars probatur, nam aliquando vt inducatur forma aliqua in materiam, in qua sunt valida contraria, seu dispositiones repugnantes formæ introducendæ, requiri potest maior virtus in causâ, non præcisè ad inducendam formam, sed ad vincendum contraria. Dico ergo, per se loquendo non requiri maiorem virtutem ad rem primò producendam, & ponendam extra causas, quã ad eandem postea conseruandam, nempe ea præcisâ ratione primæ productionis, & conseruationis, si enim secundo instante requiratur minor virtus in causâ quàm in primo, in tertio minor requireretur quàm in secundo, in quarto quàm in tertio, & sic deinceps, quod tamen nullus concedet: adde, conseruationem rei nihil aliud esse quàm iteratam eius productionem, ergo per se loquendo, par virtus requiritur ad vtramque. XI.

Per accidẽs requiri potest maior virtus ad rẽ primò producendam.

SECTIO V.

In quo consistat concursus Dei in actu primo.

VT causa aliqua creata proximè expedita sit in actu primo ad agendum, varia requiruntur: inprimis entitas causæ, ignis v. g. actu existens: secundò, passum, tertiò, approximatio seu applicatio ignis ad passum, quartò demum, concursus Dei in actu primo, seu voluntas qua paratus est cum causis secundis concurrere. Præcipua autem difficultas est de causis liberis, quæ nimirum sit voluntas, qua Deus suam iis omnipotentiam in actu primo applicet, & salvâ earum libertate compleat ad agendum. I.

Quæ requirantur vt causa creata sit proximè expedita ad agendũ.

Nodus

Nodus hic semper visus omnibus est solutu difficillimus, qui proinde auctores in varias distraxit sententias, quarum præcipuas hîc obiter subiiciam, & postea quid mihi similius vero videatur, aperiam.

II. *Primus modus explicandi concursum Dei in actu primo.*

Dicunt ergo aliqui omnipotentiam Dei omnia necessariò producere nisi per volũtatem Dei impediatur. Actus ergo, inquiunt, qua ex parte voluntatis Diuinæ fit applicatio omnipotentiæ, est iste, *nolo impedire omnipotentiam meam, quo minùs producat hunc actum, volo tamen impedire quo minùs producat alios.* Hinc duo inferunt, primò qua ratione omnipotentia causæ liberæ creatæ applicetur: secundò, quo pacto Deus permissiuè solùm se habeat circa peccatũ, non illud vllo modo volendo positiuè,

III. *Hic modus non satisfacit.*

Contrà primò, non minùs sancta & pura est Dei omnipotentia quàm voluntas, si ergo sanctitas omnipotentiæ non obstet quo minùs physicè producat peccatum, nec obstabit sanctitas voluntatis quo minùs illud producere velit. Contrà secundò, nam etiam circa res omnes alias præter peccatum, videtur secundũ hunc procedendi modum habere se Deus tantùm permissiuè. Contrà tertiò, ægrè enim explicatur obiectum illius actûs. *nolo ponere impedimentum.*

Hic modus contrarius videtur sacræ scripturæ.

Contrà quartò, & præcipuè; hic enim modus explicandi applicationem omnipotentiæ Diuinæ contrarius videtur modo loquendi scripturæ, quæ rerum productionem & conseruationem tribuit positiuæ voluntatis Diuinæ determinationi: sic ad Ephes. 1. v. 11. dicitur, *qui operatur omnia iuxta consilium voluntatis suæ.* & Sap. 11. v. 26. *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses?*

IV. *Secundus modus statuit hanc Dei voluntatem formaliter cõditionatam.*

Secundus aliorum procedendi modus est, qui dicunt voluntatem, quâ Deus causæ liberæ omnipotentiam suam applicat, esse formaliter conditionatam, ita vt dicat Deus, *volo tecum ad actum amoris concurrere si tu amorem elicias, sin ad odium te determinaueris, ego tecum concurram ad odium.* Sed contrà, implicat vt determinatio seu actio voluntatis creatæ antecedat decretum applicandi omnipotentiam, omnipotentia enim physicè cum voluntate creata determinationem illam efficit, ergo pro illo signo est iam applicata omnipotentia, ergo voluntas illam applicandi non potest esse in signo aliquo posteriore, cũ decretum hoc, seu volũtas Dei sit causa applicationis omnipotentiæ, ergo illam antecedit: cùm tamen, secundùm hanc sententiam, voluntas hæc Dei subsequi debeat determinationem, seu operationem voluntatis creatæ præuisam, illamque vt cõditionem supponat.

V. *Tertiò alij voluntatẽ illam Dei aiunt esse decretum efficax effectiuis.*

Tertiò, alij affirmant illam Dei voluntatem, quâ omnipotentiam suam voluntati creatæ ad agendum applicat, esse decretum efficax quo absolutè vult effectum, quem proinde in hoc decreto videt certissimè sequuturum. Contrà, decretum hoc cùm secundùm illos antecedat actum, planè tollit libertatem, cùm nec in voluntatis potestate sit vt hoc decretum non ponatur (in quo, differt à prædefinitione) nec illo posito possit voluntas non elicere actum, ad quẽ determinat.

VI. *Occurritur cuidam replicæ circa hunc modum.*

Dices; etiam posito hoc decreto, posse voluntatem creatam actum illum, cuius est hoc decretum, non elicere, ita enim actum hunc per illud decretum vult Deus, vt velit illum elici liberè. Contrà, sic enim vellet Deus pugnantia, in actu enim signato vult actum illum elici liberè, & in actu exercito ponit aliquid, quod essentialiter impedit quo minùs fiat liberè, cùm hoc decretum simpliciter antecedat actum, & cum illius negatione stare nequeat.

VII. *Alij rem hanc explicant per mutationẽ virtualiter voluntatis creatæ.*

Quartò, dicunt nõnulli voluntatem creatam pro aliquo signo naturæ & rationis antequam actum eliciat, se per mutationem virtualem ad illum virtualiter, & inchoatè determinare, hac autẽ virtuali determinatione ad certum aliquem actum præuisa, Deus dat ei concursum in actu primo determinatum ad illum actum eliciendum, & per decretum efficax omnipotentiam suam ita ad hunc actum applicat, vt nec in potestate voluntatis creatæ sit eum omittere, nec alium elicere. Si autem quæras, ad quid virtualem illam determinationem in voluntate statuant? respondent, quia actus determinatus à principio indeterminato procedere non potest: ita Coninck 3. p. q. 77. a. 1. d. 1. n. 6. Albertinus corollar. 2. ex sexto princip. num. 26. Raynaudus d. 8. Theol. mor. q. 2. a. 4. n. 87. & alij nonnulli.

VIII. *Reiicitur virtualis ista determinatio.*

Sed contrà, vt ab hoc vltimo incipiam, virtualis illa determinatio procedit à principio indeterminato, ergo & ab eodem procedere potest actus. Consequentia videtur euidens: Antecedens probatur, determinatio enim illa virtualis procedit immediatè à voluntate; nec enim ad hanc determinationem poni potest alia, sic namque iretur in infinitum. Contrà secundò, hoc enim est mysterium actûs liberi Dei passim in res creatas inducere, omniaque obscurare & tenebris inuoluere, nec difficultatem hanc soluere, sed alteri infinities maiori legentium mentes implicare.

IX. *Virtualis hac determinatio, licèt admittatur, non soluit difficultatem.*

Contrà tertiò, posita illa virtuali determinatione ad actum peccati, odij Dei ex. g. voluntas adhuc nõ peccauit, ergo si Deus intuitu virtualis illius determinationis, velit absolutè, & efficaciter odium Dei, vult vt peccet, quod summa illa bonitate est planè indignum. Imò Deus esset peccati illius causa, cùm nec sine hac efficaci Dei voluntate, secundum hos auctores, fieri peccatum illud possit, nec ea posita omitti. Contrà quartò, Deus peccatum, etiam dum fit, non vult: sed auersatur & odit, multò ergo minùs efficaciter illud vult antequam fit, & ad illud, vt fit, positiuè inclinat.

X.

Alij concursum hunc Dei in actu primo explicãdi modi videri poterunt apud P. Arriag. d. 10. Phy. s. 2. & P. Ouiedo contr. 10. Phy. p. 4. vbi eos fusè & benè refutant. Præcipui sunt quos hîc recẽsui. Quędam tamen hac de re addam in libris de Anima d. 27. s. tertia, vbi hac de re iterum redibit sermo.

SECTIO VI.

Verus modus explicandi concursum Dei in actu primo.

I. *Deus ad concurrendum cum omnibus causis est paratus.*

PRima Conclusio: Deus in actu primo voluntate quadam generali paratus est ad concurrendum cum creaturis ad omnes earum operationes: qui cõcursus generalis à creaturis, prout res tulerit, nunc ad hunc effectum, nunc ad illũ applicatur, dum vel causæ liberæ se ad operandum determinant, vel necessariæ in variis circumstantiis positæ, effectus suos quodam naturæ impetu producunt. Concursus ergo Dei in actu primo est indeterminatus ex se, & indifferens ad hunc vel illum actum, nec magis ad hũc inclinatur, quàm ad alium, nec ad actum quàm negationem actûs, determinatur verò à causis secũdis, ad quarum operationem secundùm leges causæ vniuersalis, & vt operetur tanquam auctor naturæ, ac iuxta naturale bonum vniuersi, concurrere tenetur, atque vt indemnem seruet libertatem voluntatis creatæ, & cum ea, ac rebus omnibus conformiter ad cuiusque naturam operetur: quod est maximum bonum vniuersi.

Concursus Dei est ex se indeterminatus.

II. Deus ergo vt auctor naturæ generalẽ huiusmodi concursum semper rebus omnibus offerre tenetur, idque licèt videat fore, vt voluntas creata subinde se determinet ad actum prauum, & concursu

Concursus Dei generalis maximum naturæ bonum.

hoc generali ex se indifferente abutatur, & ex sua peruersitate applicet ad malum, ob quod tamē non est rationi consonum, vt Deus interrumpat generalem illam voluntatem, & legem de concurrendo cū causis secundis immutet, cùm ad maximum naturæ bonum spectet vt rebus omnibus modus operandi ipsarum naturis cōformis permittatur. Sicut si quis, cui ex officio incumbit vendere gladios, licèt sciat multos iis ad innocentium cædes abusuros, ipse tamen mortis illorum causa dici nequit, nisi ad summum per accidens, quia scilicet alio fine gladios iis vendidit, nempe vel ornatus causa, vel vt se data occasione defenderent.

III. *Voluntas, quâ Deus applicat omnipotentiam, est virtualiter conditionata.*

Secunda Conclusio: voluntas hæc generalis qua Deus omnipotentiam suam offert & applicat creaturis, non est simpliciter efficax, ita nimirū vt absolutè velit eas hac sua omnipotentia vti, & actus aliquos elicere; nec etiam est formaliter conditionata ob inconuenientia contra hunc respondendi modū posita sec. præcedente n. 4. sed est voluntas quædam inefficax, & virtualiter conditionata, quâ in manu quasi liberi arbitrij ad hos effectus ponit suam omnipotentiam, vt vti eâ possit vel non vti: sicque ex vna parte nulla voluntati creatæ vis infertur, ex alia verò omnia ad operandum necessaria ei abūdè, suppeditantur. Hoc modo procedere videtur Suar. d. 22. Met. s. 4. nu 14 & l. 1. de concursu Dei c. 14. n. 5. P. Moncæus d. 3. c. 9. & alij.

IV. *Hic explicandi modus nihil derogat maiestati diuinæ.*

Obiicies primò: hunc modum procedendi parū Maiestati Dei & honori consulere, vtpote quo indignum videtur omnipotentiam suam in manu volūtatis creatæ ponere, hoc enim subiectionem quandam præseferre videtur, dignitati diuinæ supremæque eius excellentiæ parum consonam. Resp. nullā hic esse subiectionem, Deus enim quod hac in parte facit, liberè facit, à nullo coactus, nisi à bonitate sua, qua ita omnipotentiam rebus creatis permittit, & attemperat, vt penes ipsum sit momentis singulis cōcursum, quem præbet, suspendere. Vnde hæc volūtas, Dei bonitatem, liberalitatem, ac munificentiam commendat, nihil officit dignitati.

V. Obiicies secundò: actio voluntatis creatæ, & concursus Dei in actu secundo, sunt secundùm nos eadem entitas, ergo si actus quo Deus omnipotentiam suam volūtati creatæ applicat, sit conditionatus, nempe *volo concurrere si voluntas creata operetur*, perinde est ac si diceret, *volo concurrere, si ponatur meus concursus*, operatio enim creatæ voluntatis, vt dixi, & concursus Dei sunt idem. Resp. conuincere euidenter hoc argumentum, volūtatem Dei, qua suam voluntati creatæ omnipotentiam applicat, nō esse formaliter conditionatam, sicque benè impugnat secundam sententiam sec. præcedente relatam. Dico ergo hanc Dei voluntatem non esse formaliter, sed tantùm virtualiter conditionatam, & meliùs explicari per particulam *quando*, quàm *si*, ita vt dicat Deus, *quando voluntas creata operatur, ego simul cum ea concurram:* quo decreto posito, operante voluntate creata, vnà operatur Deus, & cum eâ pariter concurrit. Hæc optimè explicantur per concursum habituum naturalium, vel supernaturalium, qui, operante volūtate, simul cum illa eadem numero actione concurrunt.

Hæc Dei voluntas meliùs explicatur per particulam Quando, quàm Si.

VI. *Modus concurrendi Dei est diuersus à modo concurrendi creaturæ.*

Obiicies tertiò: etiam concurrente Deo operatur voluntas creata, cùm sit eadem actio, ergo tam dici posset *si* vel *quando Deus concurrit, operabitur voluntas creata*, ac è contrà. Resp. realiter loquēdo, & quoad rem ipsam ita esse: quoad modum tamen operandi, determinatio meritò tribuitur causæ particulari, cū vniuersalis ex se, & modo concurrendi sit indifferēs, vt in cælo, & sole constat, quæ ab igne determinātur ad producendum ignem, à leone ad leonem, ab equo ad equum &c. licèt eadem cum his omnibus actione concurrant.

VII. *Quomodo actus inefficax ex parte Dei ad hunc effectum, sufficiat.*

Obiicies quartò: actus inefficax voluntatis, licèt internos aliquos actus excitare possit, nihil tamen operatur ad extra, qui enim inefficacem tantùm habet voluntatem ambulandi, aut sumēdi medicinam, ad neutrum se vnquam efficaciter accinget, ergo applicatio omnipotentiæ, vt sit efficax, fieri debet nō per actum conditionatum & inefficacem, sed per efficacem & absolutum. Resp. si determinatio ad operandum, seu producendum actum liberum fieri deberet à Deo, habere necessariò deberet actum efficacem: at cùm determinetur hic & nunc à voluntate creata, sufficit voluntas inefficax illius operationis, quæ, operante creatura, transit in efficacem & absolutam. Addo, licèt hæc Dei voluntas sit inefficax respectu operationum voluntatis creatę (vtpote quas per hoc decretum non prædefinit, nec eam ad operādum prædeterminat) est tamen efficax respectu exhibitionis omnipotentiæ, quam verè in potestate liberi arbitrij per hunc actum ponit, ita vt iam vti ea ad quemcunque voluerit actum, possit, quod tamen, nisi talis in Deo actus præcederet, non posset.

Hæc Dei voluntas respectu actionis est efficax.

VIII. *Concursus Dei est prior subsistendi consequentia concursu creaturæ.*

Quæres, concursus hic Dei respectu concursus voluntatis creatæ, sitne antecedens an subsequens? Resp. realiter loquendo esse neutrum, sed esse concomitantem. Vnde, Deus & creatura concursu simultaneo ad operationes omnes creatas influunt. Dici tamen potest concursus Dei prior subsistendi consequentia, cùm non valeat consequentia ab operatione Dei ad operationem creaturæ, valet tamen ab operatione creaturæ ad operationem Dei, legitima enim est hæc consequentia, *operatur creatura, ergo operatur, vel cooperatur Deus*, non tamen è contrà, *operatur Deus, ergo operatur creatura*, cū Deus absque creatura producere infinita possit, creatura sine Deo nihil.

DISPVTATIO XXIX.

De concursu Dei ad actum malum.

Argumentum præcipuum Durandi, quòd Deus esset causa peccati.

Præcipuum argumentum pro sententia Durandi negantis Deum immediatè cum creaturis ad actus suos concurrere, est quòd inde sequi videatur, Deū esse causam peccati: si enim ad omnes creaturarum effectus concurrat, ergo & ad actiones earum peccaminosas: imò actio mala procederet etiam à Deo, ergo Deus tam esset causa peccati, quàm creatura, seu voluntas creata: quod tamen damnatum est in Concilio Triden. sess. 6. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera, ita vt bona, Deū operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè, & per se, &c. anathema sit.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Patris Fratris Ludouici à Dolâ sententia circa concursum Dei ad actum peccati.

I. *P. Dola defensũ putat Deum non concurrere immediatè ad actum peccati.*

Pater Frater Ludouicus à Dolâ quarta parte sui operis de *concursu Dei & creatura* c.7.n.2. & 3. existimat canone illo Concilij Trid. proximè citato definitum esse, Deum proximè & immediatè ad actum peccati non concurrere, sed mediatè tãtùm, & remotè, totumq́ue influxum in peccatum adæquatè à libero arbitrio procedere, Deumq́ue non alio modo ad actum prauum concurrere, quàm voluntatem creatam, à qua immediatè producitur, cõseruando. Vnde per particulas illas *propriè & per se* vult intelligi concursum physicum & immediatum, quem asserit definire hîc Cõcilium in Deo respectu peccati non reperiri. Quod toto capite 9. ex professo ostendere conatur.

II. *Refellitur hæc sententia ex ipso Concilio.*

Sed contrà, quod hoc loco negat Concilium de operibus malis, asserit de bonis, & iuxta Concilium, sicut Deus *propriè & per se* non operatur opera mala, ita *propriè & per se* operatur bona. Si ergo per has particulas *propriè & per se* intelligatur cõcursus physicus & immediatus, & definiat Concilium Deum non cõcurrere physicè, & immediatè ad actus malos, eadem opera definit concurrere Deum physicè, & immediatè ad actus bonos, ergo hac definitione Concilij percutitur anathemate opinio Patris Dolæ, qui, vt vidimus disp. præcedente, negat Deum ad vllos omnino actus voluntatis creatæ, etiam bonos, concurrere physicè & immediatè. Re tamen vera nec vnum definitur nec alterum, vt mox ostendam.

III. Longè ergo alia est mens Concilij. Pro cuius intelligentia Notandum, extitisse eo tempore nonnullos, qui nouarum rerum studiosi, varia spargebant dogmata, Deo iniuriosa, eiusq́ue sanctitate, bonitate, & æquitate maximè indigna.

IV. *Blasphema quadam voces, quæ Concilium ad hanc definitionem impulere.*

Vt verò ex multis pauca excerpam hæc & similia erant eorum placita, vel potiùs blasphemiæ, *Deus*, inquiebant, *non permittit tantum, sed directè vult & decernit peccata omnia, quæ indies fiunt ab hominibus*, & quod plus est, *ea ab æterno statuit, ordinauit, prædestinauit*: nec hoc tantùm, *sed modò etiam occulta vi, & suggestione quadam secretâ ipse per se homines ad flagitia mouet, incitat, imò & necessitat.* Addebant, *Deum mandare, vrgere, impellere diabolum, vt quotidie maleficia concipiat, & homines quoquo modo ad peccandum inducat.* Vnde aiebant Deum ab æterno ordinasse, & prædestinasse vt Adamus peccaret, & posteros in eandem secum ruinam pertraheret. Quare, inquiebant, *simpliciter asserendum est Deum propriè causam, & auctorem esse omnium peccatorum, vtpote quæ volente, iubente, prædestinante, & impellente perpetrantur. Nec minùs proprium opus esse Dei asserebant adulterium Dauidis, & Iudæ proditionem, quàm vocationem Pauli, & aliud quodcunque pium opus, in quo misericordia Dei, & bonitas maximè elucet.* Hæc & his similia extant in operibus Lutheri, Zuinglij, Caluini, & aliorum: qui vbi semel ab Ecclesia defecerant, in huiusmodi blasphemias præcipites ruerunt.

V. *Harum blasphemiarum prolatores hoc damnat Concilium.*

Contra hos ergo Canone citato pronuntiat Ecclesia, eosq́ue, qui in tam fœdis erroribus obstinati persisterent, hoc fulmine ab Ecclesiæ communione relegat, indignos nimirùm, qui, cùm sanctitatis omnis origini ac fonti tam fœdas maculas aspergant, Ecclesiæ quæ sancta est, & immaculata, membra censeantur. Contra illos verò, qui Deum solo physico & immediato influxu ad peccatum concurrere affirmant, nihil vel per vmbram definit, quippe qui nihil Deo indignum asserunt, quem sc. iustissimis de causis concursum omnibus, non qui ad malum impellat, sed indifferentem offerre dicunt, vt vnusquisque eo ad opera naturæ suæ, & rectæ rationi congrua vtatur, siquis autem secus fecerit, Deus dum cum eo vt auctor naturæ, & vt indemnem seruet creaturæ rationalis libertatem, concurrit, nihil vel sanctitate, vel æquitate suâ indignum præstat. Vt tamen magis propriè loquar, huic, omnipotentiæ non tam præbet, quàm non denegat concursum.

Deus quibusdam nõ tam præbet, quàm non denegat cõcursum.

VI. *His cõsonat doctrina Patrum.*

His etiam consonat communis doctrina Patrum, qui in eos acerrimè inuehũtur, non qui influxu physico, & indifferente Deum cum creatura rationali iuxta naturæ leges concurrere, sed qui eum instigatione quadam aut suasu homines ad malũ impellere, vel ferreo quodam decreto ad peccandum eos cogere, ac necessitare affirmabant. Sic Euseb. Cæsar. l.6. de præpar. Euang. c.5. *Impius*, inquit, *profectò indicabitur, imo verò pessimus omnium, qui à creatore vniuersi, alios ad adulteria, alios ad rapinam, alios ad alia vitia impelli arbitratur, vnde sequitur, aut hæc peccata non esse, aut peccandi causam in creatorem referri.* Idem sæpe docet S. Augustinus, & alij Patres, nihilq́ue in eorũ scriptis frequentius: iis verò, qui Deum influxu solùm generali, & indifferẽte cum hominibus ad peccatum concurrere asserebant, nullus sanctorum Patrum id vertit vitio.

Eusebius Cæsariensis.

S. Augustinus.

VII. *Non est damnatum à Concilio Deum concurrere immediatè ad peccatum.*

Dogma ergo hæreticorum, aut hominum impiorum nunquam existimatum est, quòd Deus, modo iam explicato, ad peccatum cõcurreret, sed viri maximè pij, & catholici, quique frequentes tunc Concilio interfuerunt, & sententiam istam tuebantur, hunc canonem condiderunt: nec tamen propterea opinionem suam de generali, & immediato Dei cõcursu ad peccatum postea mutarunt, quod tamen haud dubiè fecissent, si se illo anathemate feriri existimassent. Vnde mirũ mihi videtur, Patri Dolæ in mentem venire potuisse vt assereret definitum à Concilio, & fidei articulum esse, Deum physico & immediato influxu ad peccatum non concurrere.

VIII. *Cur dicatur Deus operari opera bona, & non mala.*

Dices; definiri hoc canone Concilij Deum *non operari opera mala*, hoc autem sonat concursum physicum. Cõtrà, additur Deum *non operari opera mala, vt bona*, ergo, vt suprà dixi nu.2. si definiatur Deum nõ concurrere physicè, & immediatè ad peccatum, definitur similiter contra P. Dolam cõcurrere Deũ physicè, & immediatè ad actus virtutum. Resp. itaque, ideo dici Deũ operari opera bona, & non mala, quòd per inspirationes varias homines ad bonum operandum instiget, & præmiis etiam propositis ad exercendam virtutem inuitet, imò & opera multa bona præcipiat, sicque ad bonum homines omni ratione monet, vrget, & impellit. Mala verò è contrà seuerissimè pœnæ etiã interminatione prohibet, vt mortales ab eorum perpetratione deterreat. Vnde bona operari propriissimè dici potest, & hæc in eũ tanquam in authorem refundi, secus verò mala. Quo sensu ibidem damnat Concilium eos, *qui dixerint proprium opus Dei non minùs esse proditionem Iudæ, quàm Pauli vocationem.*

IX. *Propositio quædam P. Suarij non rectè à P. Dola reprehenditur.*

Hinc cõstat, propositionem illam P. Soarij l.1. de concursu Dei, c.4. n.2. vbi dicit omnem actum voluntatis creatæ indigere actuali Dei auxilio, seu cõcursu quo verè propriéque, ac per se à Deo fiat, non esse contra hunc canonem Concilij, vt prætendit P. Dola p.4. ca.8. num 5. & toto c.9. loquitur enim P. Suarez eo loco de productione tantùm physica cuiusque actûs, idque per concursum indifferentem: Concilium autem, quando negat Deum *propriè & per se* operari opera mala, contra illos loquitur de quibus suprà nu.4. qui Deum aiebant homines ad

mala perpetranda mouere, vrgere, impellere, imò & neceſſitare: quorum nihil in illa Suarij propoſitione reperitur, vt conſtat.

SECTIO II.

Deus immediatè cum creaturâ producit actum peccati.

I. *Deus phyſicè, & immediatè concurrit ad actum peccati.* *S. Thomas.* *Probatur auctoritate Theologorum.*

DIcendum itaque Deum phyſicè, & immediatè ad actum peccati ſimul cum creatâ voluntate concurrere. ita S. Thomas in 2. d. 37. q. 2. art. 1. cuius verba retuli d. præcedente ſ. 1. num. 4. idem habet S. Doctor. 1. 2. qu. 79. art. 2. corp. Suarez locis citatis: Vaſq. 1. 2. d. 79. c. 3. nu. 9. dicens ibidem eſſe eam expreſſam ſententiam D. Anſelmi de caſu diaboli cap. 20. & alibi: Tanner. 1. 2 d. 4. q. 9. d. 5. nu. 76. aſſerens *tanquam certiſſimum eſſe tenendum Deum, per modum cauſæ vniuerſalis verè, propriè, & immediatè efficere actum peccati, vnà cum cauſa ſecunda, adeò vt oppoſita ſententia, etſi manifeſtè non ſit hæretica, prorſus tamen ſit falſa, & improbabilis.* Hæc ille. Idem docet Zumel 1. 2. q. 79. art. 2. aiens *contrariam opinionem vt minimum eſſe valdè periculoſam in fide, & fortè erroneam.* Monteſinus 1. 2. diſp. 10. qu. 3. num. 25. aſſerens *eſſe erroneum, vel errori proximum negare Deum concurrere ad actum peccati.*

II. *Malderus Epiſcopus Antuerpienſis de Durandi opinione iudicium.*

Omnium vero clariſſimè Malderus Epiſcopus Antuerpienſis 1. 2. q. 79. d. 2. in articulum 2. & 2. S. Thomæ, vbi cum Durandi ſententiam retuliſſet, negantem Deum concurrere per ſe & immediatè ad actiones malas, ſic ſubdit: *pro contraria ſententia ſit vnica aſſertio: Eſt fidei, Deum tanquam cauſam primam concurrere ad omnem operationem creaturæ, adeoq; ad actum materialem cuiuſuis peccati, per ſe, & immediatè. Ita tenent omnes Theologi, quorum multi apertè dicunt, ſententiam Durandi eſſe hæreticam: reliqui omnes hanc noſtram, tanquam dogma Catholicum, de quo dubitare non liceat, amplectuntur.* Hæc ille, qui tamen diu ſcripſit poſt Concilium Tridentinum. Vnde P. Hurt. d. 10. Phy. ſect. 2. licèt in ſententiam negantem Deum concurrere ad actum peccati propendeat, ob auctoritatem tamen Theologorum ei ſubſcribere non audet. Eãdem ſententiam tenet P. Arria. d. 10. Ph. ſ. 1. nu. 34. P. Ouiedo, cont. 10. phy. p. 1. & alij.

III. *Vnde deſumenda ſit rei huius probatio.* *Eadem actio aliquando peccatum, aliquando non.*

Probationes huius concluſionis eædem ſunt cum illis, quibus diſp. præcedente ſ. 1. probaui Deum ad omnes omninò effectus phyſicè & immediatè cõcurrere, quod non minùs de actu peccaminoſo verum eſt, quàm de alio quocunque, cùm non minùs ſit entitas phyſica, & realis. Imò aliquando eadem actio, ſaltem externa, quæ modò ob aduertentiam ad Deum, præceptum, vel malitiam, eſt peccatum, ſi ſine hac aduertentia fuiſſet facta, non fuiſſet peccatum, dicere autem in vno caſu à Deo phyſicè & immediatè produci, in alio ſolùm mediatè, videtur incredibile.

IV. *Explicãtur dicta quædã Patrum circa concurſũ Dei ad peccatũ.*

Quæ vero in cõtrarium ex S. Auguſtino, vel aliis Patribus afferuntur, ſolùm probant, vel Deum non velle directè, & abſolutè peccata: vel non concurrere ad peccata formaliter, ſeu ita vt ipſe, ea producendo peccet: vel tandem (quod peculiariter in S. Auguſtino non caret fundamento) ſolebant peccatum, quoad formalem rationem malitiæ, & peccati, conſiſtere in negatione, ſicque licèt ad totam entitatem phyſicam peccati immediatè, & phyſicè cõcurrat Deus, non tamen ad peccatum, quà tale, ſeu ad rationem formalem, quam dicunt multi non tã eſſe, quàm non eſſe, nec habere cauſam efficientem, ſed deficientem. Putat autem Arriaga citatus hanc quæſtionem non fuiſſe vnquam à Patribus in terminis diſputatam. Vtrùm autem Deus, dum immediatè ad actum peccati concurrit, dici poſſit cauſa illius phyſica, conſtabit ex dicendis.

SECTIO III.

Dicine poſſit Deus cauſa Phyſica actûs praui.

I. *Quid ſit eſſe cauſam moralem peccati.*

PHyſica, inquam, nã Deum non eſſe cauſam moralem actûs praui certum eſt; cauſa quippe moralis eſt quæ ſuadet, conſulit, præcipit, & alio huiuſmodi influxu morali ad rem aliquã concurrit, quod tantum abeſt vt Deus præſtet reſpectu peccati, vt etiam ab eo homines omni modo auocet, imò, vt ſuprà dixi ſ. 1. ſeuerè illud prohibeat, & pœnis propoſitis ab eo deterreat. Sic Pſ. 50. v. 5. dicitur, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*: & Eccleſiaſtici 15. v. 21. *nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi*, ſeu, vt peccaret. Vnde tandem Iac. 1. v. 13 ſic habetur, *nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminẽ tentat.*

II. *Refutantur dicta hæreticorum.* *Hæretici ſui dogmatis pudunt.*

Hinc refutatæ manent blaſphemiæ hæreticorum noſtri temporis quas ſuprà retuli ſ. 1. nu. 4. qui ſequuti Simonem Magum, Marcionem, & alios antiquos hæreticos, Deum ad peccata & flagitia mouere, vrgere, & impellere homines dicebant. Huius tamen dogmatis eos poſtea puduit, vnde Philippus Melancthon *Crudelis*, inquit, *opinio eſt, quæ facit Deum authorem peccati, à quâ auribus & animis abhorrere debemus*, & alibi, *ſumma contumelia Dei eſt*, inquit, *tribuere ei quòd velit peccatum, & impellat homines ad turpitudinem.* Quam etiam blaſphemiam Lutherani moderni deteſtantur, licèt, vt varia ſemper eſt hæreſis, in eam multi ex iis relabantur. Sed hæc Theologis relinquamus.

III. *Dicine poſſit Deus cauſa vniuerſalis phyſica peccati.*

Difficultas itaque præſens eſt, vtrùm, poſito quòd Deus phyſicè concurrat ad actum peccati (vt docet communis Theologorum ſententia contra Durandum) dicendus ſit cauſa ſaltem phyſica vniuerſalis peccati, ſeu illius entitatis phyſicè & materialiter ſumptæ, ſicut eſt cauſa aliarum rerum. Qua in re prima ſententia eſt negatiua, quæ tamen non eodem modo à ſuis auctoribus defenditur.

IV. *Varij modi defendendi Deum non eſſe cauſam phyſicam peccati.* *Impugnantur hi procedendi modi.*

Primò itaque dicunt aliqui Deum ideo non eſſe cauſam phyſicam peccati, quòd nulli ſubiiciatur, ſicque concurrendo ad peccatum, nullam violat legẽ: ita Becanus Opuſc. 1. c. 3. Secundò, Hurtado d. 10. Phy. n. 42. ideo Deum negat eſſe cauſam phyſicam peccati, quòd nõ cauſet illud modo peccaminoſo, ſicut nec vitaliter. Tertiò, Sotus, Salas, Vaſquez 1. 2. d. 129. c. 7. quòd ſola voluntas creata ſit cauſa libera peccati. Sed contra hos omnes modos eſt, ſolùm enim probant Deum non peccare concurrendo ad actum peccati, non tamen nõ eſſe cauſam illius phyſicam, cùm habitus ſit cauſa phyſica actus peccaminoſi, qui tamen nec liberè concurrit, nec ſubditur legi, cùm non ſit rationalis. Deinde, Deus concurrit liberè aliquo modo ad peccatũ. Præterea ſequeretur Deum non eſſe cauſam actuum liberorum, qui non ſunt peccata, cùm ſola voluntas ſit principium eorum vitale, & propriè liberum. Tãdem in productione aliarum omnium rerum non ſubditur Deus legi, & tamen eſt cauſa earum phyſica.

V. *Alij, vt hoc vitent, peccati aiunt conſiſtere in priuatione.*

Faciliùs ab hac difficultate ſe expediunt illi, qui malitiam peccati conſtituunt in negatiuo. priuatione ſc. aliqua ad entitatem poſitiuam actûs ſequente; vnde cùm Deus non concurrat ad hanc priuationem immediatè, ſed ad ſolam poſitiuam entitatem actûs, ſequitur non eſſe cauſam malitiæ peccati, cauſa

ta enim mediata non censetur causa effectûs positi ad positionem causæ immediatæ, seu fundamenti alicuius effectûs, vel priuationis inde sequutæ, nisi vel ponat causam immediatam, & fundamentum ea intentione vt sequatur effectus, aut priuatio, vel teneatur à positione talis causæ abstinere, quorũ neutrum Deo competit: Deus enim, cum sit causa vniuersalis, non tenetur concursum ad peccatum negare. Ita Bellar. l. 2. de amissione gratiæ, c. 18. Molina in Concord. q. 14. ar. 13. d. 3. & q. 19. art. 6. disp. 3. Suarez l. 2. de Aux. c. 3. Valen. 1. 2. q. 9. p. 2. Azor. To. 1. l. 4. c. 22. q. 1. Salas 1. 2. d. 3n. s. 2. num. 32. Tanner. 1. 2. d. 4. q. 9. dub. 5. n. 82. & alij.

VI. *Ratio illa de peccato consistente in priuatione nec subsistit, nec satisfacit.*

Contrà primò, multò probabilius est, formalem malitiam peccati consistere in positiuo, vt ostendi 1. 2. d. 1. s. 1. Contrà secundò, non ob aliam rationem homo censetur causa physica illius priuationis, nisi quia producit physicam entitatem actûs peccaminosi, ad quam sequitur priuatio; sed Deus æquè entitatem illam physicã producit, ergo æquè erit causa priuationis. Quamcumque igitur rationem reddiderint hi auctores, cur hæc priuatio sequatur ad actionem illam physicam vt est ab homine, & non vt est à Deo, reddi eadẽ poterit cur homo sit causa physica peccati, non Deus, etiamsi malitia peccati cõsistat in positiuo. Statuere ergo peccatum in priuatione, nihil ad nodi huius solutionem conducit.

VII. *Nouus respondendi modus.*

Quintò itaque nonnulli sic procedunt: dicunt Deum causare omnes partes peccati, nempe, qualitatem, actionem, & vnionem cum subiecto distributiuè sumptas, nõ tamen collectiuè, sed totũ, quod distinguitur à partibus sigillatim sumptis: sicque licèt sit causa partium, non tamen est causa totius, ac proinde nec peccati.

VIII. *Refellitur hæc responsio.*

Sed contrà, totum iuxta hos auctores est quid distinctum à partibus, ergo debet Deus illud producere, alioqui esset aliquid ad quod Deus immediatè non concurrit, sicque incidunt in opinionem Durandi. Conf. esto, totum sit quid distinctum à partibus distributiuè sumptis, non tamen producitur per aliam actionem, præter actiones partium, sed omnes actiones partium sunt actio totius, ergo ille qui producit omnes partes, producit ipso facto totum, sicut qui producit duo alba, ipso facto producit similitudinem, in sententia relationem non distinguente à fundamento & termino. Conf. secundò, implicat vt quis producat omnes partes distributiuè, & nõ producat easdem collectiuè, cùm à parte rei sint idem, ergo & quin producat totum. Conf. tertiò, si ex centum hominibus singuli coniiciant vnum lapidem in eundem locum, omnes simul aceruum illum faciũt: quod etiam contingeret si vnus sigillatim eosdem lapides in cumulũ illum proiiceret, ergo quoad confectionem aggregati alicuius, vel aceruì, idem in re est producere, vel proiicere omnes partes, aut lapides distributiuè, & collectiuè.

IX. *Vlterius impugnatur postremus hic respondendi modus.*

Quòd si dicatur produci in dictis casibus totum ex eo quòd ponantur, vel producantur partes distributiuè, ergo & Deus erit causa physica peccati, licèt illius partes ponat solùm distributiuè, alioqui nec homo erit causa physica peccati, cùm quoad hoc eodem modo illius partes producat, quo Deus: imò Deus non erit causa physica actûs boni, cùm eodem modo producat partes illius, actionem sc. qualitatem & vnionem, quo producit partes peccati. Præterea, certum est Deum permittere peccatum cùm tamen non permittat totum alio modo, quàm per ipsius concursum partes istæ peccati ab homine producuntur. Deinde, ipsa actio productiua peccati est mala, & peccatum, ergo Deus concurrendo ad illam, concurrit ad peccatum. Imò vlteriùs, cùm actio sit immediata productio termini, qui ponit actionem, ponit immediatè terminum, qualitatem scilicet malam, & vnionem & sic totum, seu effectũ malum. Alia multa excogitari facilè contra hãc sententiam possent, sed hæc sufficiunt.

SECTIO IV.

Proponitur alius modus defendendi, Deum non esse causam physicam peccati.

I. *Ideo negant aliqui Deũ esse causam physicam peccati, quia concursus eius est indeterminatus.*

SExtò itaque dicunt alij (& est communis hodie responsio) ideo Deum non esse simpliciter causam, etiam physicam peccati, quia licèt influxu vniuersali concurrat ad actum peccaminosum, concursus tamen eius, inquiunt, non est determinatus, sed indifferens, Deus enim in actu primo nõ magis parat concursum ad amorem quàm odium, calorem quàm frigus, & vniuersim ad vnam speciem quàm ad aliam: causa autẽ secunda hîc & nunc determinat, vt potiùs egrediatur amor, quàm odium, & sic de cæteris; ideoque causa secunda est causa horum simpliciter, non prima: ita Mol. cit. Lessius de Aux. c. 4. & l. 13. de Perfectionibus Diuinis, num. 18. Conink d. 10. de actib. n. 70. Arriaga d. 10. Phy. s. 1. nũ. 45. & plurimi ex recentioribus.

II. *Impugnatur, quia sequeretur Deum non esse causam vllius rei.*

Sed contrà, si enim ideo Deus non sit causa physica peccati, quia concursus eius est indifferens, ergo nec erit causa vniuersalis vllius rei, nam concursus eius vniuersalis est indifferens respectu omnium rerum, & ab igne determinatur ad producendum ignem, ab aquâ ad aquam, à sole ad metalla, à potentia libera ad hunc vel illum effectum bonum, vel indifferentem &c. Contrà secundò, hinc enim sequeretur, intellectum non esse verè causam suorum actuum, nam ex se, seu in actu primo est indifferens ad varios actus specie distinctos, ad quos determinatur à tali specie intelligibili: imò etiam posita tali specie, est indeterminatus ad actus specie distinctos, nempe ad hoc vel illud specie iudicium, affirmatiuũ sc. vel negatiuum, posita enim eadem specie vel apprehensione, affirmare potest stellas esse pares, vel negare, ergo intellectus non est propriè causa horũ actuum.

III. *Alij tandem negãt Deũ esse causam physicam peccati, quia ad illud concurrit cum auersione.*

Propter hæc & alia huiusmodi, quæ quiuis facilè excogitare poterit, dicunt tandem alij solam indeterminationem non sufficere, sed ad hoc vt aliquis sit causa vllius rei, requiri vlteriùs, vt cum inclinatione quadam & propensione ad illud concurrat, vel saltem non cum auersione, ac displicentiâ, & inuoluntariè; Deus autem, cum maxima auersione & inuitus concurrit ad peccatum, vtpote rem Deo ingratam, & inuisam: cuius indicium est, quòd Deus actus malos non prohibeat solùm, sed pœnis & suppliciis propositis, vt antè dixi, ab iis homines deterreat: ita ferè P. Arria. d. 10. Phy. s. 1. num. 47. & l. 2. n. 87. & P. Ouiedo Cont. 10. Phy. p. 4. n. 38. & 39. & ex recentioribus non pauci.

IV. *Hæc etiam ratio non videtur satisfacere.*

Sed contrà primò, hæc enim solùm probant, Deũ non esse causam moralem peccati, non tamen non esse physicam. Contrà secũdò, peccatum prout procedit à Deo, non est malum, sed solùm prout procedit à facultate creata, sub hac enim sola ratione est actus ille difformis rectæ rationi vnde P. Erice. t. p. d. 18. c. 1. nu. 9. & alij affirmant Deum amare actum peccaminosum merè vt est terminus omnipotentiæ diuinæ, ergo nihil est quo minùs dici possit causa physica illius.

V. Contrà tertiò Deus concursu vniuersali non cõcurrit cum auersione ac displicentia, ad omnem saltem actum peccati, ergo etiam iuxta hunc modum respondendi, est causa physica vniuersalis respectu aliquo-

Deus concursu vniversali, & antecedenter, non concurrit cũ auersione ad omne peccatum.

aliquorum peccatorum. Antecedens probatur, in actibus iis. qui sunt mali quia prohibiti, qualis erat comestio illius pomi in paradiso. Ex quo sic argumentor, Deus concursum vniuersalem ad hunc, & similes actus non præstat inuitus, inuoluntariè, cum displicentia, auersione, &c. ergo est causa physica vniuersalis respectu illorum. Antecedens probatur, actus volendi concurrere ad hos actus, seu concursus illorum vniuersalis est præstitus ante auersionem, & displicentiam, ergo. Antecedens probatur, concursus vniuersalis hic ex parte Dei est præstitus ante causam auersionis & displicentiæ, ergo à fortiori ante displicentiã: antecedens hoc probo, Deus prudenter non potest prohibere, sicut nec præcipere nisi actus proximè possibiles; vnde non potest prudenter prohibere homini hic in terra ne manu tangat cœlum, aut ne loquatur is, qui caret lingua; sed non magis potest quis elicere huiusmodi actus physicos sine cõcursu vniuersali Dei parato, quã homo loqui sine lingua, ergo pro aliquo priori ad prohibitionem positus in actu primo est ex parte Dei concursus vniuersalis, ergo à fortiori pro priori ad auersionem & displicentiam, quæ posteriores sunt prohibitione, cùm hæc, vt dixi, sit earum causa. Eodem itaque signo parat Deus concursum vniuersalem ad hos actus, quo ad productionem ignis, caloris, & aliarum omnium rerum: vnde eodem etiam modo, quoad concursum generalem, ad illos concurrit.

VI. *Vlterius hoc idem declaratur.*

Accedit itaque prohibitio ad illud, ad quod Deus antecedenter ad prohibitionem nullam habet auersionem, ergo ad id, quod si ponatur à parte Dei, ponetur sine auersione (per eundem enim concursum res semper producuntur, per quem videbantur producibiles) cùm ergo Deus vt causa vniuersalis, nullam habeat auersionem à re vlla indifferente quà indifferente, & non alio modo vt causa vniuersalis respiciat hos actus, quàm omnes alios indifferentes, vtpote qui antecedenter ad prohibitionem ab iis non differunt, sequitur Deum vt causam vniuersalem concurrere ad illos sine auersione, & consequẽter esse respectu illorum propriè causam vniuersalem.

VII. *Certũ est Deo displicere omnia peccata.*

Dices; negari non posse, quin Deo displiceant peccata, non ea solùm, quæ sunt intrinsecè mala, & ideo prohibita, sed illa etiam quæ tantùm sunt mala quia prohibita; ergo vt causa vniuersalis ad hæc etiam concurrit cum auersione, & displicentia. Fateor Deum ad omne peccatum concurrere cum auersione, non tamen vt causa vniuersalis est: Dei enim voluntas præbendi concursum vniuersalem est pro aliquo priori ad displicentiam, imò & ad causam displicentiæ, cùm debeat actus esse completè possibilis, antequam prohibeatur. vt suprà ostendi num. 5.

VIII. *In his peccatis displicentia hæc est tantum consequens.*

Displicentia ergo hæc est consequens ad omnia principia physica horum actuum Deo à posita, displicentia autem consequens non potest efficere vt antecedenter, & vt causa vniuersalis influat Deus cum auersione, cùm pro illo priori non sit posita causa auersionis. Sicut voluntas damnandi Iudam, & eos qui moriuntur in peccato mortali, non tollit voluntatem antecedentem, quam habet Deus illos, & omnes saluandi. Comestio ergo illius pomi ab Adamo antecedenter ad præceptum (quo modo eã respicit concursus Dei vniuersalis) nihil differt à comestione, qua Petrus modò pomum aliquod comederet, aut Adamus pomum illud comedisset, si nulla fuisset prohibitio.

IX. Dices secundò, esse in Deo duas voluntates concurrendi ad huiusmodi actum, vnam ante, aliam post prohibitionem. Contrà primò, concursus vniuersalis secundùm communem sententiam Philosophorum, & Theologorum est tantùm vnus, & inauditum est hactenus in scholis ponere duos. Contrà secundò, actus huiusmodi indifferens pro eodem signo quo prohibetur, potuisset præcipi, sed ad illum actum quando præcipitur, nullus ponit nouum cõcursum vniuersalem, ergo nec quando prohibetur, nec præceptum enim, nec prohibitio mutat substantiam actûs. Contrà tertiò, alioqui non concurreret Deus ad eandem actionem quam prohibebat, mutato enim vno principio mutatur actio. Deus siquidem quando prohibet actum, non videt illum in circumstantiis prohibitionis, nec habet prohibitionem suam, nec se pro obiecto, sed nudè prohibet illum actum, ad quem iam præbuit concursum, cùm videat illum possibilem.

Dici nequit esse in Deo duos concursus in actu primo.

SECTIO V.

Resolutio quæstionis circa concursum Dei ad actum prauum.

I. *Deus circa peccatum habet se solùm permissiuè.*

PRima conclusio: Deus respectu actûs peccati habet se solùm permissiuè. Hæc conclusio est fide certa, & definita in Conc. Tridentino, sess. 6. can. 6.

II. *Deus cum auersione ad peccata concurrit.*

Secunda conclusio: Deus peccata omnia odit, & auersatur, & cum displicentia ad ea vna cum libero arbitrio producenda cõcurrit. Ratio est, quia Deus eo affectu in res omnes fertur quem merentur, peccata ergo, cùm malorũ omnium sint maxima, Deus auersatur, & odit. Hanc tamen auersionem, respectu eorum peccatorum, quæ non sunt ex se mala, sed mala tantùm quia prohibita, non habet Deus antecedenter, & vt præbet concursum vniuersalem, sed solùm consequenter, vt latè dictum est sec. præcedente, numero maximè octauo.

III. *Non est contra Patres, aut Concilia Deum esse causam vniuersalẽ physicam actus peccati.*

Tertia conclusio: nihil dicit contra Patres aut Concilia, qui affirmat Deum esse causam vniuersalem physicam actûs peccati. Ratio est, quia quando Concilia, & Patres negant Deum esse causam peccati, per causam idem intelligunt, ac auctorem, seu non esse causam cur homines praua opera faciant, nec Deum eos ad peccata instigare, & impellere, multò minùs physicè ad actus malos determinare, eosue prædefinire, vt suprà latiùs dixi s. 1. n. 3. & 4. Quòd verò Deus eo modo sit causa physica physicè influens in actum peccati, sicut in alias res per concursum vniuersalem, & indifferentem, nũquam negant Patres: & sæpe sanctus Thomas, vt 1. 2. qu. 79. a. 2. & alibi expressè, docet Deum esse causam actûs peccati, qui nimirum, prout procedit à Deo, non est malus.

IV. Quarta conclusio: quamuis videri fortè alicui posset non esse inconueniens, si dicatur Deus esse causa physica vniuersalis actûs peccati quoad totum positiuum, modo iam explicato, id tamen nullo modo est sine explicatione concedendum.

V. Primam cõclusionis partem existimo esse secundùm mentem sanctorum Patrum, qui frequenter asserunt Deum esse causam actûs illius positiui, & quando negant, solùm id faciunt in sensu conclus. præcedẽte explicato. Vnde præter alios hoc expressè docet Malderus citatus supra s. 2. & Tãnerus 1. 2. d. 4 q. 9. dub. 5. n. 76. quo etiam modo passim loquitur Zumel, & Vasquez, & alij ex recentioribus. Vnde tandem Molina citatus d. 31. ait Deum esse causam vniuersalem actionis quæ materialiter peccatũ est. Nec in re fortè aliud vult Caietanus 1. 2. q. 79. a. 2. dum ait, Deum esse causam peccati, licèt non adiunctæ priuationis. Ratio secundæ partis est, quia *ex verbis incautè prolatis nascitur hæresis.*

Ex verbis incautè prolatis nascitur hæresis.

DISPV-

DISPVTATIO XXX.

Quomodo Causa prima applicet secundas ad agendum.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Causa prima physicè prædeterminet secundas ad operandum.

I. NOn inquirimus in præsenti vtrum physica prædeterminatio vim inferat voluntati, tollatque libertatem ad actum contrarium; hæc enim controuersia Theologorum propria est, quam fusè & eruditè tractant Molina in Concord. q. 14. a. 13. d. 37. & 38. & q. 23. a. 4. & 5. Bellarm. l. 1. de gra. c. 12. & l. 4. c. 14. & l. 6. c. 15. Valent. t. 2. q. 3. p. 4. §. 2. Vasq. 1. p. d. 88. c. 6. & d. 98. c. 5. Fonseca l. 6. Met. c. 2. q. 5. s. 10. Less. de gra. efficaci c. 1. Tanner. t. 2. d. 6. q. 2. dub. 3. Salas 1. 2. tr. 5. d. 3. s. 2. & alij.

II. *Status quæstionis.* Quod ergo modò disputatur, est vtrùm causa secunda speciali egeat Dei applicatione per aliquid ei superadditum, per quod ad operandum determinetur.

III. *Prima sententia statuit prædeterminationem physicam.* Triplex hac in re est sententia. Prima est Thomistarum, saltem recentiorum, quæ asserit, à Deo causis omnibus qualitatem quandam antecedenter infundi, tanquam complementum virtutis earum actiuæ, quam præmotionem, vel prædeterminationem physicam appellant, eamque talis naturæ statuunt, vt nec sine illa causa secunda, siue libera, siue necessaria; operari quidquam possit, nec ea posita, ab operatione desistere. Dixi hanc opinionem esse Thomistarum, saltem recentiorum, nam P. Ouiedo cont. 10. Phy. p. 3. n. 3. ait ex illustrissima Prædicatorum Familia nullum ante Bannez huiusmodi prædeterminantem qualitatem agnouisse, & modò plures ex eodem ordine eam vt inutilem reijcere.

IV. *Secunda ponit decretum Dei extrinsecū efficax.* Secunda sententia est Scotistarum, qui nihil huiusmodi physicum & intrinsecum creaturæ inditum esse volunt, sed eam dicunt per decretum Dei extrinsecum absolutum, & efficax ad agendum applicari, ac determinari. Qui proinde à priori sententia in eo solùm differre videntur, quod illa hanc creaturæ applicationem ad opus per aliquid intrinsecū fieri dicat, hi per aliquid extrinsecum.

V. *Tertia neutrū ait esse necessarium.* Tertia demum & vera sententia affirmat, nihil huiusmodi, vel intrinsecū, vel extrinsecum requiri, vt causa vlla secunda vel necessaria vel libera operetur, nec aliam applicationem hac in parte requiri, quàm vt Deus (à quo res omnes, vt in esse, ita & in operari essentialiter dependent, vt suprà ostendimus) in actu primo paratus sit suum iis concursum præstare; sicque, nullo alio superaddito, res omnes creatæ cõformiter cuiusque naturæ suæ in opus prodire possunt, siue necessariò, siue liberè.

VI. *Probatur nihil requiri in causis necessariis.* Et sanè in agentibus necessariis, quoad effectus naturales nulla videtur requiri determinatio, cùm ex natura sua sint ad certos effectus determinata & quodam naturæ pondere necessitata. Quid enim opus alia qualitate præter grauitatem, vt lapis sursum proiectus deorsum cadat, vt ignis stuppæ applicatus, aut sulphureo puluери ea incendat, vt equus famelicus in prato aliquo herbido ad comedendum se applicet, & similia: ægre sanè inuenietur qualitas efficacior fame, quæ pecora ad pabulum instiget. Gratis ergo aliud siue intrinsecum siue extrinsecum istiusmodi requiri videtur, vt agentia necessaria ad operandum determinentur.

VII. *Requiritur aliquid in supernaturalibus.* Dixi quoad effectus naturales, quoad supernaturales enim, vt scilicet ignis materiam applicatam non comburat, vt lapis sine obstaculo pensilis hæreat in aëre, & similia, requiritur specialis aliqua voluntas, & decretum Dei, quo velit agentia naturalia ad illa, quæ vel supra, vel contra eorum naturam sunt, applicari. Hoc sensu, res, etiam inanimatæ, audire dicuntur vocem creatoris, eiusque imperio obedire: *Res inanimatæ audiunt vocē creatoris.* Sic Matth. 8. v. 26. de Christo dicitur *tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna:* & mox subditur: *qui est hic, quia venti & mare obediunt ei?*

VIII. *Nihil etiā ad determinationē requiritur in causis liberis.* Idem etiam probatur de agentibus liberis: licèt enim non eâ necessitate, & naturæ impetu ad operationes suas ferantur, vim tamen in se sufficientem habent, vt, posito concursu Dei in actu primo indifferente, suo se arbitratu ad agendum applicent, & pro voluntate operentur vel non operentur, in quo differunt à necessariis, quæ posito concursu, ita operantur, vt non possint non operari. Cùm ergo agentia libera se ad agendū applicare possint, quidquid ad ea determinanda superadditur, est superfluum. Quæ etiam eodem modo probant non requiri ad hoc, decretum Dei, aut aliud determinatiuum extrinsecum.

SECTIO II.

Argumenta contendentia requiri physicam prædeterminationem vt res applicetur ad agendum.

OBijcitur primò S. Thomas qui hanc doctrinam de prædeterminatione sæpe tradere videtur, l. enim 3. cont. Gent. c. 70. & 1. p. q. 105 a. 5. & alibi sæpe, ait causas secundas moueri, & applicari ad agendum à Deo, sicut securis ab artifice, ergo per virtutē aliquam iis impressam. Clariùs q. 3. de Poten. a. 7. corp. & ad 7. vbi ait quatuor modis Deum operari cum creaturis: primò, dando eis esse, & virtutem operatiuam: secundò, eas & virtutem earum actiuam conseruando: tertiò, applicando eas ad agendum sicut artifex applicat instrumenta artis: quartò demum, in quantum omnis causa secunda operatur vt instrumentum primæ, & cum quadam subordinatione ad illam. I.
Deus quatuor modis operatur cū creaturis.

II. *Mens S. Thomæ circa prædeterminationem physicam.* Hæc sunt præcipua, quæ ex S. Thoma proferuntur, quæ licèt omnia concederemus, nec multùm pro contrariâ sententiâ, nec contra nos quidquam facerent. Nihilominus S. Thomas variis locis, vt 3. cont Gent. c. 66. & 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. docet concursum Dei cum causis secundis esse indifferentē, has verò esse particularizantes: & determinantes: item voluntatem solùm moueri à Deo, hominem verò seipsum ad hoc vel illud determinare, & non obstante motione Dei, esse in potestate voluntatis seipsam determinare in hanc vel illam partem.

III. *Resp. ad obiecta ex S. Thoma nū. primo.* Ad illa quæ suprà ex S. Thomâ allata sunt, Resp. loqui illum de concursu tātùm generali, per quem mouet & applicat causas secundas ad operandum: hoc enim concursu optimè intelligitur quod affir-

mat S.Doctor.causam scilicet secundam non agere nisi motam,& adiutam à Deo. Per hæc ergo non probatur, posuisse S.Thomam motionem aliquam præuiam antecedẽter ad operationem, sed ad summum motionem concomitantem,& cooperantem. Vnde exemplũ illud securis solùm probat non magis posse hominem, aut aliam quamcumque creaturam, siue necessariam, siue liberam, agere sine cõcursu, & influxu Dei, quàm malleum, aut aliud instrumẽtum artis sine influxu artificis. Licèt in causis liberis Deus præuiè etiam influat immittendo illuminationes & inspirationes, quibus ad bonũ eas inuitat.

IV. *Quomodo ad agendũ applicentur causæ liberæ.* Obiicitur secundò: causæ tam liberæ quàm necessariæ applicantur ad agendũ à Deo, ergo aliquid præuium ab illo recipiunt. Resp. liberas applicari modo proximè dicto, etiam præuiè, qui est modus proprius mouendi, & applicandi creaturam rationalem, aliæ autem causæ dici etiam possunt applicari à Deo ad agendum, quatenus per suam prouidentiam ita res disponit & ordinat, vt agens applicetur passo: & tollantur impedimenta: quibus hoc modo dispositis, & concesso concursu simultaneo, *Quomodo applicentur necessaria.* dici possunt etiam hæ applicari à Deo ad agendũ, certo enim consilio, & summa sapientia de rebus creatis disponit, vt pluuia, serenitas, copia rerum omnium, sterilitas,& similia sequantur. Nec alia prędeterminatio in rebus irrationabilibus est necessaria, cùm enim sint agentia naturalia, seu necessaria, ipso facto quòd applicentur, agunt,& æquè ex se sunt res istæ determinatæ ad agendum ac, prædeterminatio ipsa physica.

V. Et per hæc etiam patet ad id quod obiici solet, Deum scilicet esse causam primam, ac proinde ab ipso debere incipere actionẽ, sicque debere aliquid in causam imprimere, quod operationẽ inferat. Ad hoc, inquam. Resp. Deum multis aliis modis verissimè censeri causam primam. *Deus sex modis dicitur causa prima.* Primò, dignitate. Secundò, subsistendi consequentia, quatenus nimirũ concursus Dei ita est necessarius, vt sine ipso agere omninò non possit causa secunda, sic tamen è contrà, quam rectè vocant aliqui prioritatem logicam, *Prioritas Logica.* quia nimirum benè arguitur ab operatione causæ secundæ ad operationẽ causæ primæ, non tamen è contrario; sicut & ab inferiore ad superius, non è contrà, qua de causa, vniuersaliora dicũtur esse priora. Tertiò, quia dat esse causis secundis & virtutẽ agendi, sicque necessariò semper incipit. Quartò, easdem conseruat. Quintò, applicat ad agendum, efficiendo nimirum vt applicetur agens passo. Sextò, peculiariter in causis liberis in quibus producit aliquid præuium, inspirationem scilicet, & illuminationem, per quam intẽtionaliter applicãtur præuiè ad agendum, sicut agentia necessaria per motũ localem. *Præmotio intentionalis in causis liberis.*

VI. Obiicitur tertiò: hinc sequi, causam secundam determinare Deum ad operandum, quod tamen falsum est. Deus enim determinat se, imò & causas secundas. Resp. si sermo sit de Deo vt causa vniuersali, concursum eius esse indifferentem, nec, prout antecedenter procedit in actu primo à Deo, magis esse determinatum ad vnam etiam speciẽ effectus, quàm ad aliã, sed indifferenter eum præbet omnibus causis secundis, vt vnaquæq; illo vtatur, prout occasiones & circumstãtiæ tulerint. Vnde hoc sensu causæ secundæ determinant primam, licèt radicaliter determinentur ipsæ à causa prima, vt ostendi n. quarto. Causis tamen liberis præter concursum generalẽ immittit subinde illuminationes, vt proximè dictũ est, quibus ipsas præuiè incitat,& mouet ad agendum.

VII. Obiicitur quartò: voluntas ex se est causa indeterminata, quod autem est indeterminatum in ratione agendi, eget aliquo determinatiuo, ergo aliquid aliud ei debet superaddi. Resp. illam solũ causam indeterminatam indigere determinatiuo, quæ ex imperfectione est indeterminata, (vt contingit in bilance, quę vt determinetur magis in vnam partem quàm alteram, eget aliquo pondere iniecto) non illam, quæ indeterminata est ex perfectione, seu ex maiori potestate, qualis est omnis libera; hæc enim eo ipso quòd libera sit, potest se pro libito in hanc vel illam partem inflectere. Id ergo per quod causa se determinat in actu secundo ad operandum, est ipsa actio: in actu primo verò nihil est per quod purè antecedenter determinetur infallibiliter, seu necessariò ad alteram partem contradictionis, sic enim non foret libera. *Qua causa indeterminata egeat determinatiuo extrinseco.* *Determinatur in actu secundo.*

VIII. Nec aliud quàm hoc vult S.Thomas 1.p.q.19.ar.3.ad 5. dum ait causam indeterminatam indigere aliquo alio à quo determinetur, loquitur enim de causa indeterminata ex imperfectione: si verò alicubi, sicut facit, de voluntate etiam insinuet egere aliquo inclinante præuio, hoc nihil aliud est quàm actus intellectûs proponens obiectum bonum, sine quo actu nihil potest voluntas, sed se habet instar illius bilancis; at posita intellectione, potest se in vnã vel alteram partem determinare pro libito, nisi bonum quod proponitur, sit eiusmodi, vt omninò rapiat voluntatem, vt contingit in Beatis. *Explicatur S.Thomas circa determinatione causæ indeterminata.*

IX. Obiicitur quintò: si voluntas maneat indifferens, ergo non est magis determinata ad amorem quàm odium, ergo nunquam operabitur. Resp. in actu primo, seu pro aliquo priori naturæ est indifferens, & in secundo tãtùm signo determinatur per ipsam actionem tanquam per causam formalem. In actu primo verò non requiritur aliud quàm indifferẽtia naturalis potentiæ, & vt rationes sufficientes proponantur ab intellectu, ad hanc vel illam partem amplectendam. *Quomodo se determinet voluntas.*

X. Obiicitur sextò: concursus, vt procedit à Deo, debet esse determinatus; si enim voluntas humana se determinaret, esset *primum liberum*. Ad huius explicationem difficultatis, notandum, *Primum liberum* esse illud, quod ita ad operationem liberam se determinat, vt exercitium liberum alienæ voluntatis non requirat, nostra autem voluntas non est huiusmodi, cùm essentialiter supponat Deum priùs voluntate indifferente concursum suum nobis exhibuisse. Vnde solus Deus est *Primum liberum*, vtpote qui solus alienam voluntatem & concursum pro priori non requirit. Quo pacto autem causæ determinentur ad hunc numero effectum producendum potiùs quã alium, dicetur disp. sequente. *Quid sit primum liberum. Deus solus est primũ liberum.*

XI. Obii. septimò: causa secunda non agit nisi moueatur, imò & præmoueatur à Deo, qui ideo est primus motor, quia mouet non motus. Conf. ex Aristot. 8. Phy. tex. 33. vbi ait *omne quod mouetur, ab aliquo mouetur*, ex quo principio probat dari primum aliquod mouens, quod mouet immotum. Resp. iam ostensum esse quomodo causa secunda moueatur semper à prima, imò & quomodo voluntas aliquo modo præmoueatur, accipiendo scilicet cognitionẽ præuiam, sine quã operari penitùs non potest. Non tamen hinc sequitur, causam secundam prædeterminari, quia voluntas, adhuc posita illa præmotione per intellectum, manet sui iuris,& potest vel agere, vel non agere. *Deus primus motor. Mouet non motus.*

XII. Ad Confirmationem dico, Aristotelem eo loco solum affirmare omne quod mouetur, ab aliquo moueri, nempe vel ab alio, vel à seipso, inchoans actionem, ergo potiùs hoc Aristotelis testimonium pro nostra sententia facit, quam pro contraria. Iam verò ostendimus quo modo Deus sit causa prima,& primum

Quid sit causam secunda operari in virtute Primæ. primum mouens, dando scilicet esse causis secundis, & easdem conseruando, atque ad agendum applicando, & hoc sensu mouet non motus. Quando etiam subinde dicitur causa secunda agere in virtute primæ, & tanquam instrumentum illius, sensus solum est, agere per virtutem acceptam à causa prima: quo sensu etiam vocatur instrumentum Dei, à quo scilicet habet, quidquid habet.

DISPVTATIO XXXI.

De determinatione ad indiuiduationem.

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo causa prima determinet secundas ad indiuiduationem effectûs.

I. *Aperitur status quæstionis.* Quæstio est, dum in his determinatè circumstantiis, loci, temporis, &c. ignis A applicatur ali passo, cur ex pluribus, imò infinitis indiuiduis numero tantùm distinctis, hic numero ignis prodeat potiùs quàm alius. Hac in re Philosophi, more suo, in varias abiere sententias.

II. *Prima sententia est res determinari seipsis.* Nonnullis placet, inter effectus ipsos certum esse ordinem prioris & posterioris, ita vt vnus effectus natura sua petat antè alterum, & vt nullus alius prodeat, donec hic fuerit productus. Vnde, inquiunt, ignis A (idem est de aliis omnibus effectibus) produci naturaliter petit ante ignem B. B ante C, & sic in infinitum. Quare, sicut in partibus temporis est essentialis ordo prioris & posterioris, ita vt pars A essentialiter petat produci ante partem B. & sic deinceps, qui ordo nec diuinitus inuerti potest, ita, inquiunt, inter effectus omnes numero distinctos est ordo connaturalis, & series successionis vnius ad alium, quam Deus vt auctor naturæ mutare nō potest, licèt possit miraculosè. *Explicatur exemplo partium durationis.*

III. *Impugnatur ex fundamento effictum.* Sed contrà, hoc enim videtur gratis dictum; cum enim effectus sint planè similes, perinde & ipsis & vniuerso est quis primò producatur, seu quis antecedat, quis sequatur. Hanc sententiam impugno latiùs postea, maximè in tertia probatione secundæ conclusionis.

IV. *P. Vasq. indiuid. re fundat in circumstantias loci & temporis.* P. Vasq. To. 1. in 3. p. d. 74. c. 5. ait causam cur producatur hic potiùs numero effectus quàm alius, refundendam esse in circumstantias, in quibus hic & nunc producitur, ita vt effectus dicat peculiarem quendam ordinem ad has circumstantias potiùs quàm ad alias, nec sit indifferens vt in aliis producatur.

V. *Reiicitur hac sententia.* P. Suar. d. 5. Met. s. 3. n. 34. & s. 6. n. 9 & deinceps, ait hanc sententiam multis viris doctis visam esse creditu difficilem; quis enim sibi persuadeat indiuiduationem effectuū, seu causam cur hic potiùs numero homo quàm alius, hic equus, hic ignis potiùs quàm alius hic & nunc producatur, reduci ad solā circumstantiam temporis aut loci, nec potuisse indiuiduum, quod producitur hoc instante, produci naturaliter in alio, & si causa tantillum loco moueatur, aut vno momento seriùs applicetur, debere necessariò producere diuersum effectum?

VI. *Quædam se ad indiuid. determinant.* Prima conclusio: causæ aliquæ possunt seipsas ad aliquorum effectuum indiuiduationem determinare. Probatur, Angeli & animæ separatæ videntur actus suos possibiles: vnde ex pluribus actibus indiuiduis numero tantùm distinctis, tum intellectûs, tum voluntatis possunt pro libitu hunc vel illum seligere. Sicut ex pluribus rosis omninò similibus, nos quam volumus, eligimus: & sic in aliis quibuscunque huiusmodi rebus.

VII. *Deus ad indiuid. determinat.* Secunda conclusio: indiuiduatio effectuum refundi debet in causam primam. Ita Suar. citatus, Tol. 3. de anima q. 18. Conimb. l. 2. Phy. c. 7. q. 15. a. 2. & 2. de Gener. c. 11. Hurt. d. 10. Phy. f. 4. Ouiedo ca. 10. Phy. p. 2. n. 2. Fons. 5. Met. c. 2. q. 9. f. 10. Rub. tt. 4. q. 9. n. 3. & alij sequuti Greg. in 1. d. 17. a. 2. & 7. & d. 25. q. 1. a. 1.

VIII. *Ratio prima, quia nulla alia causa sufficiens.* Probatur primò, quæ enim ratio assignari potest cur non sint plures numero effectus possibiles ab hac causa hic & nunc, in his circumstantiis loci, temporis &c. vel ex quo capite sufficienter probatur effectum aliquem, ignem ex. g. dicere tam peculiarem respectum ad tale tempus & locum, vt in proximo produci non potuisset, ita vt Christus Dominus nō potuisset produci idem numero, si alio loco vel tempore, aut vno instāte seriùs fuisset productus? Conf. nam alioquin si Deus vno instante seriùs mundum hunc produxisset, non potuisset hunc numero connaturaliter creasse, sed alium, quod tamen valdè videtur mirum.

IX. *Angeli, & res spirituales non pendent à loco & tempore.* Secundò probatur, nam saltem de Angelis dici hoc non potest; vnde enim connexionem eiusmodi haberent Angeli cum loco & tempore, vt non possint naturaliter creari nisi certo loco & tempore, & vt hi petant produci tali tempore, hi alio? Conf. saltem de gratia & aliis effectibus supernaturalibus, & visione beatificâ, actu charitatis, lumine gloriæ, & similibus, durum videtur hoc concedere. *Multò minùs res supernaturales.*

X. *Alij actus essent priores Asia, alij Europa, alij hominis, alij sequentis.* Tertiò probatur, Angelus enim videns effectum aliquem possibilem, ignem v.g. lapidem, actum intellectûs aut voluntatis &c. videbit quo tempore & loco petunt produci, ita vt hi actus intellectûs & voluntatis sint proprij Europæ, hi Asiæ &c. si tranfierent, quo tempore & loco fuerunt primò producti. Conf. hinc sequitur Petrum qui de facto productus est ante Paulū, petere ex natura sua produci ante illum, Cain ante Abelem, Ioseph ante Beniamin &c. imò homines esse natura sua primogenitos & maiores vel minores natu aliis, cùm eo determinato tēpore petant produci, quo de facto sunt producti; sicque Christus ex natura sua petiit nasci post Simeonem senem aut Herodem, & post pastores qui ipsum noctu Natiuitatis inuisebant, quod mirum dictu videtur. Deinde Angelus videns tres homines, qui tribus diuersis instantibus sibi immediatè succedentibus sunt nati, sciet quis sit natu maximus.

XI. *Dispositiones non determinant ad indiuiduationem.* Quartò probatur conclusio contra eos qui recurrunt ad dispositiones pro indiuiduatione effectuū, & dicunt rationem cur hic numero effectus producatur potiùs quàm alius, prouenire ex eo quod hæ numero potiùs otue dispositiones non aliæ. Sed contrà primò, esto enim hoc aliquid fortè verosimilitudinis habeat in formis substantialibus, ad quas certæ requiruntur dispositiones, de quo postea, ipsæ saltem dispositiones vnde habent quòd hæ potiùs producantur quàm aliæ, certè vel procedetur in infinitum, vel dicendum ab aliquo alio quā à dispositionibus fieri determinationē ad indiuiduationem.

Contrà

Contrà secundò, in actibus sensuum, vt visus & cæteris, vnde prouenit hunc numero actum elici potiùs quàm alium ex multis, imò infinitis possibilibus circa tale determinatum obiectum? ibi enim nullæ sunt particulares dispositiones ad vnum actum potiùs quàm ad alium, sed tam oculus quàm species impressa est indifferens ad varios actus. Idem à fortiori est in actibus intellectûs & voluntatis.

XII. *Idem ostenditur in actibus sensuum, & intellectûs.*

XIII. Contrà tertiò, nulla enim est ratio cur eædem numero dispositiones nō possint diuersæ numero formæ deseruire. Dices; diuersæ formæ specie requirūt diuersas dispositiones specie, ergo diuersę formę numero diuersas dispositiones numero. Nego consequētiam, cùm enim diuersæ formæ specie sint principia valdè diuersarum operationum, cōnaturaliter habere debent diuersam seriem dispositionū m diuersæ illi seriei actionum subseruientem; nec enim dispositio frigoris & humiditatis deseruit igni ad suas operationes, nec calor & siccitas aquæ ad suas. At verò duo ignes aut aquæ eiusdem omnino rationis quid habent vnde requirant diuersas dispositiones, ita vt dispositiones ignis A non possint deseruire operationibus ignis B, & è contrà, cùm sint in operando omnino similes?

Eædem numero dispositiones deseruiunt diuersis formis.

XIV. Deinde, eodem modo arguere quis posset: diuersæ causæ specie petunt producere diuersos effectus specie, ergo diuersæ causæ numero diuersos semper effectus numero, ita vt idem effectus numero à duabus causis numero distinctis produci nequeat, quod videtur incredibile, præsertim cùm videamus eūdem numero effectum à pluribus causis successiuè cōseruari, vt eundem ignem vel calorem tam ab igne, postea à sole vel Deo.

Idem effectus numero produci potest à diuersis causis.

XV. Dices; aliquæ dispositiones sunt aptiores huic formæ numero, quàm sint aliæ. Contrà primò, in conseruatione eædem numero dispositiones deseruiunt diuersis numero formis, quidni ergo & in prima earum productione idem contingere poterit? Contrà secundò, eodem modo arguere quis posset singulas etiam operationes requirere singulas dispositiones numero diuersas.

Occurritur cuidam replicæ.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones contra indiuiduationem effectuum.

I. OBiicies primò: species impressa huius albedinis non potest effici ab aliâ, ergo aliquis effectus numero non est indifferens ad diuersas causas numero. Conf. primò, intellectus, voluntas, & alia huiusmodi determinant sibi peculiares causas numero, nec enim potest intellectus, aut Voluntas Petri profluere à Paulo. Conf. secundò, vbicatio & duratio peculiariter determinant sibi suas causas.

Quidam effectus petunt certas numero causas.

II. Ad argumentum. Resp. non negare nos effectus aliquos petere determinatè profluere à tali numero causa, sed dicimus determinationem huius numero speciei impressæ præ alia, non prouenire ab illa albedine, cùm plures species impressæ omnino similes potuissent pro illo priori ab eâ produci: quòd ergo hæc numero producta sit, potiùs quàm alia, in aliquid aliud refundi debet, quàm in albedinem, & causam secundam. Peculiariter autem petit species impressa profluere à tali determinata causa, quia cū sit qualitas intentionalis tendit peculiariter ad repræsentandum effectiuè hoc numero obiectum, cū sit semen & imago illius, & non alterius, sicque peculiariter ab hoc obiecto petit causari, non ab alio, cùm species sit repræsentatiua illius tantùm obiecti, à quo connaturaliter profluit.

Cur species impressa petat causam determinatam.

III. Ad primam Confirmationem Resp. primò, in illis fortè esse peculiarem rationem quia probabiliter dici posset, non esse possibilem nisi vnum intellectum, vnam voluntatem, & vnam subsistentiam Petri, cùm fini à natura intento sufficiant, nec possint naturaliter deperdi: sicut multi philosophantur de forma cæli respectu materiæ quam informat. Resp. secundò non improbabiliter dici posse esse plures intellectus, voluntates & subsistentias Petri possibiles, & consequenter etiam ibi determinationem ascribi debere causæ primę & non essentiæ Petri. Ad secundam confirmationem dico, illa quidem fortasse peculiariter petere causam & subiectum determinatum, & hac in parte cōuenire cum formis intentionalibus, quod autem hæc vbicatio & hæc duratio numero producatur potiùs quàm alia, refundi non potest in causam secundam, cùm sint plures vbicationes ac durationes possibiles numero distinctæ, quæ æquè potuissent hîc & nūc ab iisdem causis produci: quod etiam de modo est dicendum.

Quod dictum de intellectu, & voluntate.

Peculiaris ratio de modis.

IV. Obiicit secundò Vasquez: si causa secunda sit hîc & nunc indeterminata ad plures effectus quam vnum, ergo ad infinitos, cùm certus assignari numerus nō possit, in quo eius virtus sistat: hoc autem dici non potest, sequeretur enim, causam secundam esse infinitæ virtutis. Cons. tunc enim naturaliter posset iterum reproduci idem effectus iam destructus. Cōcessis cæteris, nego fore infinitæ virtutis non enim est indeterminata & indifferens causa ad plures seu infinitos effectus collectiuè, sed diuisiuè, nec enim potest eos omnes producere simul: sicut est indifferens Petrus ad equitandum in infinitis equis, id est, in aliquo ex infinitis, & non magis in vno quàm in alio, sed non in infinitis equis simul. Ad confirmationem dictum est suprà d. 8. s. 3.

Obiicitur causam secundā fore infinitæ virtutis.

Respondetur.

Exemplum ad hoc appositum.

V. Obiicit tertiò idem Vasquez: si Deus determinet ad indiuiduationem effectuum, lædi libertatem, nec enim solùm liberi sumus ad amandum, vel odio habendum, sed ad amādum etiam, & odio habēdum, hoc determinato actu amoris, & odij: nec punientur peccatores solùm quia peccarunt, sed quia peccarunt tali actu, seu quia admiserunt hæc numero peccata, ergo hæc numero peccata sunt in eorū potestate, ergo possunt ad illa se determinare. Resp. nō magis lędi libertatem in hac sententia, quàm in contraria, quod enim asserimus nos fieri à causa prima, asserunt ipsi fieri à circumstantiis. Dico itaque esse voluntatem nostram liberam, etiam quoad exercitium horum numero actuum, licèt determinetur à causa prima quoad eorundem indiuiduationē, nam est illi integrum exercere quemcunque actum in particulari, quem exercet, licèt non sit in illius potestate eligere & determinare se ad hunc actum potiùs quàm alium: cùm enim hos actus non cognoscat in particulari, non potest se ad illos determinare, & vnum præ alio eligere. Vnde Beati in cælo, cū actus suos possibiles videant in Verbo, possunt se ad vnum aliquem ex iis, quemcunque voluerint, determinare, & eum in particulari præ cæteris eligere.

Obiicitur lædi libertatem si Deus determinet ad indiuiduationem.

Retorquetur argumentum.

Hæc opinio nihil officit libertati.

Beati eligunt suos actus.

VI. Nec tamen in hoc est perfectio aliqua peculiaris libertatis, cùm enim omnes illæ operationes sint eiusdem rationis, non est peculiaris perfectio vnam eligere præ aliâ; sicut nec contrà in peccato specialis aliqua malitia consistit in eligendo vnum actum peccaminosum præ alio eiusdem omninò rationis, posito quòd sit determinatus quis quoad speciem actûs, & gradualem illius intensionem. Sicut si quis sit determinatus ad dandum in eleēmosynam vnū aureum, nihil meriti in eo est quòd hunc aureū pręferat alteri eiusdem planè rationis. Punientur quidē peccatores ob hæc numero peccata indiuidua quæ ad-

Nec laudi vnquam vertitur, nec vitio, quod hunc numero actum eligat præ alio omnino simili.

Impij ob hae numero peccata puniuntur. admiserunt, non quòd his numero peccatis deliquerint, potiùs quàm aliis eiusdem omninò rationis, sed quòd hos actus numero elicuerint, cùm potuerint, & debuerint illos omisisse, seu quòd eos elegerint potiùs quàm eorum negationes.

VII. *Deus ad indiuiduationem determinat negatiuè.* Obicies quartò non videtur posse Deum determinare ad indiuiduationem in prauis actibus; sic enim Deus esset causa cur hic actus malus fiat, & cõsequenter esset causa peccati. Resp. Deum non esse causam cur hic actus eliciatur, nec omnino dici posse causam peccati: Deus enim non determinat positiuè impellendo, vel physicè scilicet mouendo, vel moraliter, nempe suadendo ad hunc actum numero, sed determinat solùm negatiuè, subtrahendo scilicet concursum ad omnes alios actus: sicut si quis volenti scribere auferat alterum calamum, vbi sunt tantùm duo, determinat quidem vt scribat hoc calamo, non tamen potest dici causa cur scribat, etiam hoc calamo, sed causa potiùs cur non scribat altero, ipse autem qui scribit, est causa cur scribat hoc calamo, cùm velit eo vti, alter verò non vult absolutè vt vtatur illo, sed solùm conditionatè, id est, si velis scribere, scribes tantùm hoc calamo, seu hoc vel nullo.

Res haec declaratur exemplo.

VIII. Similis est determinatio primæ causæ ad actum peccati; non enim cogit Deus vt homo eliciat hunc actum, sed solùm parat cõcursum in actu primo ad hunc actum, non ad alium, seu permittit ipsi tãtùm hunc: Deus enim vellet voluntate beneplaciti vt omninò non peccaret, si tamen velit peccare, permittit ipsi vt eliciat hũc actum, non alium. Nec etiam, si propriè loquamur, potest Deus dici causa cur eliciat hunc actum potius quàm alium, cùm propriè non velit Deus hunc potius quàm alium, cùm neutrum velit propriè, vt constat, & omnem huiusmodi actum prohibeat, velitque potius illi cõtradictoriũ. Solùm ergo vult hunc actum permissiuè, & conditionatè, vt scilicet habeat concursum volũtas quicũ operetur, iuxta leges vniuersi.

Deus circa actũ prauũ habet se tãtùm permissiuè.

IX. *Causa secunda determinat Primam ad speciem actûs.* Obicies quintò: causa prima determinatur à secunda ad speciem actûs, siue effectûs, ergo non potest secunda determinari à primâ ad indiuiduationẽ eiusdem actûs & effectûs, patet consequentia, indiuiduum siquidem & species non distinguũtur, ergo quod determinat ad vnum, determinat eo ipso ad aliud. Primò, hoc argumentum quod tantùm à nõnullis fit, æqualem omnino habet difficultatem in omni sententia, vndecunque dicant fieri determinationem ad indiuiduatiuuem: eadem quippe formâ sic proponi potest argumentum; causa secunda, calor v.g. determinat se quoad speciem effectus: nẽpe ad producendum calorem, ergo non potest determinari à circumstantiis ad indiuiduum, nam species & indiuiduum non distinguuntur, ergo quod determinat ad vnum, determinat ad aliud, imò in re non est vnum & aliud: quidquid ergo ad hoc respõdebunt aduersarij, respondebimus & nos in determinatione facta à Deo.

X. *Determinatio variis modis sumitur.* Resp. itaque pro omni sententia, si per determinare intelligatur influere in effectum, tam causam secundam determinare ad indiuiduationem quàm ad speciem, cùm vtramque physicè efficiat, imò, vt dixi, non sunt duo, sed vnum, sicque hoc sensu tam determinat se causa secunda ad indiuiduationem, quàm determinatur à causa prima, cùm verè ipsam etiàm indiuiduationem efficiat. Deinde, ad rationem specificam contractam in tali determinato indiuiduo concurrit etiam & determinat Deus, cùm ratio illa specifica non distinguatur à ratione indiuiduali.

XI. Dicitur ergo causa secunda determinare actum & effectum quoad speciem, quia ipso facto quòd applicetur ignis v.g. passo, petit producere aliquem calorem, per aliquam calefactionem, seu vnum aliquod ex tota collectione indiuiduorum speciei caloris & calefactionis, licèt quòd magis hũc numero calorem producat quàm alium, & per hanc calefactionem quàm per illam, refundatur in causam primam, quæ negat concursum ad alia omnia indiuidua, & solùm eum permittit ad hunc numero calorem, per hanc numero calefactionem.

Quid sit determinare quoad speciem.

XII. *Aptè explicatur determinatio per propositionẽ causalem.* Vnde determinatio hæc aptè explicatur per propositionem causalem, vel quasi causalem, dicimus enim ideo hanc actionem esse calefactionem, & non frigefactionem, non quia est à Deo, nam æquè infrigidatio oritur à Deo ac calefactio, cùm sit causa vniuersalis, sed est calefactio quia est à calore vel igne, qui non producunt frigus, sed tantùm calorem: sicut etiam è contrà dicimus actionem talem esse infrigidationem, quia est ab aquâ, non quia à Deo. Quare in illo priori petit ignis concursum Dei ad aliquam calefactionem ex multis possibilibus, quod est determinare ad speciẽ, quia scilicet Deus ex ipsa natura & exigentia ignis determinatur ad concurrẽdum ad aliquod indiuiduum in specie caloris, nõ tamen ad hunc numero magis quàm ad illum, nec per hãc actionem magis quàm per aliam, sicque est hæc numero calefactio, & hic numero calor, quia oritur à causa prima parata concurrere ad hũc tantùm calorem, & non ad alios, quod est determinare ad indiuiduationem.

SECTIO III.

Attexuntur quædam de causis per accidens.

I. *Causa per accidens quid, & quotuplex.* Causa per accidens est quæ planè contingentem habet connexionem cum effectu. Est verò duplex, *ex parte causæ, & ex parte effectûs. Ex parte causæ* illud dicitur per accidens, quod ita adest causæ alicui, vt quãuis abesset, effectus eodem modo sequeretur: sic musica in Philosopho aut architecto respectu effectuum ab iis productorum, dicitur causa per accidẽs, nec enim minùs rectè philosopharetur ille, hic ædificaret, quamuis musica instructus nõ esset. *Ex parte effectûs* tũc dicitur aliquid esse causa per accidens, quãdo posita causa, quidpiam contingenter accidit effectui primario, seu principaliter intento, vt dum quis ob aliquam causam effodiens terrã, inuenit thesaurum, fossio in hoc casu est causa per accidens respectu inuentionis thesauri.

II. *Quid sit Casus.* Huiusmodi euentus, quando contingunt, dicuntur casuales, & fortuiti. *Casum* verò & *Fortunam* licèt vulgus pro eodem accipiat, rem tamen penitiùs intuẽtes ea distinguunt. *Casus*, itaque strictè sumptus, est *causa per accidens effectus rarò contingentis, in agentibus propter finem, absque electione.* Casus proinde contingit etiam brutis, imò tribuitur aliquando, licèt impropriissimè, rebus etiam inanimatis, vt dum tegula è domo aliqua in transeuntis caput lapsa, eum occidit. Fortuna verò definitur, *causa per accidens effectûs rarò contingentis, in agentibus propter finem, cum electione*: quæ proinde in solis per intellectum agentibus reperitur.

Quid Fortuna.

III. *Duo ad euentus fortuitos requiruntur.* Ad euentus casuales & fortuitos duo requirũtur: primò, vt ait Aristoteles l. 2. Phy. cap. 7. vt rarò contingant, secundò, vt accidant præter intentionem: licet subinde ea quæ intenduntur, si ex causa incerta prouenant, dici soleant accidere casu, vt dum alicui iactus aleæ, quem intendit, euenit. In agentibus verò per intellectum vlteriùs requiritur, vt accidant

præter

Contrà secundò, in actibus sensuum, vt visus & cæteris, vnde prouenit hunc numero actum elici potiùs quàm alium ex multis, imò infinitis possibilibus circa tale determinatum obiectum? ibi enim nullæ sunt particulares dispositiones ad vnum actum potiùs quàm ad alium, sed tam nullus quàm species impressa est indifferens ad varios actus. Idem à fortiori est in actibus intellectûs & voluntatis.

XII. *Idem ostenditur in actibus sensuum, & intellectûs.*

XIII. Contrà tertiò, nulla enim est ratio cur eædem numero dispositiones nõ possint diuersæ numero formæ deseruire. Dices; diuersæ formæ specie requirũt diuersas dispositiones specie, ergo diuersę formę numero diuersas dispositiones numero. Nego consequẽtiam, cùm enim diuersæ formæ specie sint principia valdè diuersarum operationum, cõnaturaliter habere debent diuersam seriem dispositionũm diuersæ illi seriei actionum subseruientem; nec enim dispositio frigoris & humiditatis deseruit igni ad suas operationes, nec calor & siccitas aquæ ad suas. At verò duo ignes aut aquæ eiusdem omnino rationis quid habent vnde requirant diuersas dispositiones, ita vt dispositiones ignis A non possint deseruire operationibus ignis B. & è contrà, cùm sint in operando omnino similes?

Eædem numero dispositiones deseruiunt diuersis formis.

XIV. Deinde, eodem modo arguere quis posset: diuersæ causæ specie petunt producere diuersos effectus specie, ergo diuersæ causæ numero diuersos semper efficiunt numero, ita vt idem effectus numero à duabus causis numero distinctis produci nequeat, quod videtur incredibile, præsertim cùm videamus eũdem numero effectum à pluribus causis successiuè cõseruari, vt eundem ignem vel calorem iam ab igne, postea à sole vel Deo.

Idem effectus numero produci potest à diuersis causis.

XV. Dices; aliquæ dispositiones sunt aptiores huic formæ numero, quàm sint aliæ. Contrà primò, in conseruatione eædem numero dispositiones deseruiunt diuersis numero formis, quidni ergo & in prima earum productione idem contingere poterit? Contrà secundò, eodem modo arguere quis posset singulas etiam operationes requirere singulas dispositiones numero diuersas.

Occurritur eidem replicæ.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones contra indiuiduationem effectuum.

I. Obiicies primò: species impressa huius albedinis non potest effici ab aliâ, ergo aliquis effectus numero non est indifferens ad diuersas causas numero. Conf. primò, intellectus, voluntas, & alia huiusmodi determinant sibi peculiares causas numero, nec enim potest intellectus, aut Voluntas Petri profluere à Paulo. Conf. secundò, vbicatio & duratio peculiariter determinant sibi suas causas.

Quidam effectus petunt certas numero causas.

II. Ad argumentum. Resp. non negare nos effectus aliquos petere determinatè profluere à tali numero causa, sed dicimus determinationem huius numero speciei impressæ præ alia, non prouenire ab illa albedine, cùm plures species impressæ omnino similes potuissent pro illo priori ab eâ produci: quòd ergo hæc numero producta sit, potiùs quàm alia, in aliquid aliud refundi debet, quàm in albedinem, & causam secundam. Peculiariter autem petit species impressa profluere à tali determinata causa, quia cũ sit qualitas intentionalis tendit peculiariter ad repræsentandum effectiuè hoc numero obiectum, cũ sit semen & imago illius, & non alterius, sicque peculiariter ab hoc obiecto petit causari, non ab alio, cùm species sit repræsentatiua illius tantùm obiecti, à quo connaturaliter profluit.

Cur species impressa petat causam determinatam.

III. Ad primam Confirmationem Resp. primò, in illis fortè esse peculiarem rationem quia probabiliter dici posset, non esse possibilem nisi vnum intellectum, vnam voluntatem, & vnam subsistentiam Petri, cùm fini à natura intento sufficiant, nec possint naturaliter deperdi: sicut multi philosophantur de forma cæli respectu materiæ quam informat. Resp. secundò non improbabiliter dici posse esse plures intellectus, voluntates & subsistentias Petri possibiles, & consequenter etiam ibi determinationem ascribi debere causæ primę & non essentiæ Petri. Ad secundam confirmationem dico, illa quidem fortasse peculiariter petere causam & subiectum determinatum, & hac in parte cõuenire cum formis intentionalibus, quod autem hæc vbicatio & hæc duratio numero producatur potiùs quàm alia, refundi non potest in causam secundam, cùm sint plures vbicationes ac durationes possibiles numero distinctæ, quæ æquè potuissent hîc & nũc ab iisdem causis produci: quod etiam de modo est dicendum.

Quid dicendum de intellectu, & voluntate.

Peculiaris ratio de modis.

IV. Obiicit secundò Vasquez: si causa secunda sit hîc & nunc indeterminata ad plures effectus quam vnum, ergo ad infinitos, cùm certus assignari numerus nõ possit, in quo eius virtus sistat: hoc autem dici non potest, sequeretur enim, causam secundam esse infinitæ virtutis. Conf. tunc enim naturaliter posset iterum reproduci idem effectus iam destructus. Cõcessis cæteris, nego fore infinitæ virtutis non enim est indeterminata & indifferens causa ad plures seu infinitos effectus collectiuè, sed diuisiuè, nec enim potest eos omnes producere simul: sicut est indifferens Petrus ad equitandum in infinitis equis, id est, in aliquo ex infinitis, & non magis in vno quàm in alio, sed non in infinitis equis simul. Ad confirmationem dictum est suprà d.8 s.3.

Obiicitur causam secundam fore infinitæ virtutis.

Respondetur.

Exemplum ad hoc oppositum.

V. Obiicit tertiò idem Vasquez: si Deus determinet ad indiuiduationem effectuum, lædi libertatem, nec enim solùm liberi sumus ad amandum, vel odio habendum, sed ad amãdum etiam, & odio habẽdum, hoc determinato actu amoris, & odij: nec punientur peccatores solùm quia peccarunt, sed quia peccarunt tali actu, seu quia admiserunt hæc numero peccata, ergo hæc numero peccata sunt in eorũ potestate, ergo possunt ad illa se determinare. Resp. nõ magis lędi libertatem in hac sententia, quàm in cõtraria, quod enim asserimus nos fieri à causa prima, asserunt ipsi fieri à circumstantiis. Dico itaque esse voluntatem nostram liberam, etiam quoad exercitium horum numero actuum, licèt determinetur à causa prima quoad eorundem indiuiduationẽ, nam est illi integrum exercere quemcunque actum in particulari, quem exercet, licèt non sit in illius potestate eligere & determinare se ad hunc actum potiùs quàm alium: cùm enim hos actus non cognoscat in particulari, non potest se ad illos determinare, & vnum præ alio eligere. Vnde Beati in cælo, cũ actus suos possibiles videant in Verbo, possunt se ad vnum aliquem ex iis, quemcunque voluerint, determinare, & eum in particulari præ cæteris eligere.

Obiicitur lædi libertatem si Deus determinat ad indiuiduationem.

Retorquetur argumentum.

Hac opinione nihil officitur libertati.

Beati eligunt suos actus.

VI. Nec tamen in hoc est perfectio aliqua peculiaris libertatis, cùm enim omnes illæ operationes sint eiusdem rationis, non est peculiaris perfectio vnam eligere præ aliâ; sicut nec contrà in peccato specialis aliqua malitia consistit in eligendo vnum actum peccaminosum præ alio eiusdem omninò rationis, posito quòd sit determinatus quis quoad speciem actûs, & gradualem illius intensionem. Sicut si quis sit determinatus ad dandum in eleëmosynam vnũ aureum, nihil meriti in eo est quòd hunc aureũ prę ferat alteri eiusdem planè rationis. Punientur quidẽ peccatores ob hæc numero peccata indiuidua quæ ad-

Nec laudi vnquam vertitur, nec vitio, quod hunc numero actum eligat præ alio omnino simili.

Ipsi ob hoc numero peccata puniuntur.

admiserunt, non quòd his numero peccatis deliquerint, potiùs quàm aliis eiusdem omninò rationis, sed quòd hos actus numero elicuerint, cùm potuerint, & debuerint illos omisisse, seu quòd eos elegerint potiùs quàm eorum negationes.

VII. *Deus ad indiuiduationem determinat negatiuè.*

Obicies quartò non videtur posse Deum determinare ad indiuiduationem in prauis actibus; sic enim Deus esset causa cur hic actus malus fiat, & cõsequenter esset causa peccati. Resp. Deum non esse causam cur hic actus eliciatur, nec omnino dici posse causam peccati: Deus enim non determinat positiuè impellendo, vel physicè scilicet mouendo, vel moraliter, nempe suadendo ad hunc actum numero, sed determinat solùm negatiuè, subtrahendo scilicet concursum ad omnes alios actus: sicut si quis volenti scribere auferat alterum calamum, vbi sunt tantùm duo, determinat quidem vt scribat hoc calamo, non tamen potest dici causa cur scribat, etiam hoc calamo, sed causa potiùs cur non scribat altero, ipse autem qui scribit, est causa cur scribat hoc calamo, cùm velit eo vti, alter verò non vult absolutè vt vtatur illo, sed solùm conditionatè, id est, si velis scribere, scribes tantùm hoc calamo, seu hoc vel nullo.

Res hoc declaratur exemplo.

VIII. Similis est determinatio primæ causæ ad actum peccati; non enim cogit Deus vt homo eliciat hunc actum, sed solùm parat cõcursum in actu primo ad hunc actum, non ad alium, seu permittit ipsi iãtùm hunc: Deus enim vellet voluntate beneplaciti vt omninò non peccaret, si tamen velit peccare, permittit ipsi vt eliciat hũc actum, non alium. Nec etiam, si propriè loquamur, potest Deus dici causa cur eliciat hunc actum potius quàm alium, cùm propriè non velit Deus hunc potius quàm alium, cùm neutrum velit propriè, vt constat, & omnem huiusmodi actum prohibeat, velitque potius illi cõtradictoriũ. Solùm ergo vult hunc actum permissiuè, & conditionatè, vt scilicet habeat concursum volũtas quicũ operetur, iuxta leges vniuersi.

Deus circa actũ prauũ habet se tãtùm permissiuè.

IX. *Causa secunda determinat Primam ad speciem actûs.*

Obicies quintò: causa prima determinatur à secunda ad speciem actûs, siue effectûs, ergo non potest secunda determinari à primâ ad indiuiduationẽ eiusdem actûs & effectûs, patet consequentia, indiuiduum siquidem & species non distinguũtur, ergo quod determinat ad vnum, determinat eo ipso ad aliud. Primò, hoc argumentum quod tanti à nõnullis fit, æqualem omnino habet difficultatem in omni sententia, vndecunque dicant fieri determinationem ad indiuiduationem: eadem quippe formâ sic proponi potest argumentum; causa secunda, calor v.g. determinat se quoad speciem effectus: nẽpe ad producendum calorem, ergo non potest determinari à circumstantiis ad indiuiduum, nam species & indiuiduum non distinguuntur, ergo quod determinat ad vnum, determinat ad aliud, imò in re non est vnum & aliud: quidquid ergo ad hoc respõdebunt aduersarij, respondebimus & nos in determinatione facta à Deo.

X. *Determinatio verò modo sumitur.*

Resp. itaque pro omni sententia, si per determinare intelligatur influere in effectum, tam causam secundam determinare ad indiuiduationem quàm ad speciem, cùm vtramque physicè efficiat, imò, vt dixi, non sunt duo, sed vnum, sicque hoc sensu tam determinat se causa secunda ad indiuiduationem, quàm determinatur à causa prima, cùm verè ipsam etiàm indiuiduationem efficiat. Deinde, ad rationem specificam contractam in tali determinato indiuiduo concurrit etiam & determinat Deus, cùm ratio illa specifica non distinguatur à ratione indiuiduali.

XI. Dicitur ergo causa secunda determinare actum & effectum quoad speciem, quia ipso facto quòd applicetur igni v.g. passo, petit producere aliquem calorem, per aliquam calefactionem, seu vnum aliquod ex tota collectione indiuiduorum speciei caloris & calefactionis, licèt quòd magis hũc numero calorem producat quàm alium, & per hanc calefactionem quàm per illam, refunditur in causam primam, quæ negat concursum ad alia omnia indiuidua, & solùm eum permittit ad hunc numero calorem, per hanc numero calefactionem.

Quid sit determinare quoad speciem.

XII. *Aptè explicatur determinatio per propositionẽ causalem.*

Vnde determinatio hæc aptè explicatur per propositionem causalem, vel quasi causalem, dicimus enim ideo hanc actionem esse calefactionem, & non frigefactionem, non quia est à Deo, nam æquè infrigidatio oritur à Deo ac calefactio, cùm sit causa vniuersalis, sed est calefactio quia est à calore vel igne, qui non producunt frigus, sed tantùm calorem: sicut etiam è contrà dicimus actionem talem esse infrigidationem, quia est ab aquâ, non quia à Deo. Quare in illo priori petit ignis concursum Dei ad aliquam calefactionem ex multis possibilibus, quod est determinare ad speciẽ, quia scilicet Deus ex ipsa natura & exigentia ignis determinatur ad concurrẽdum ad aliquod indiuiduum in specie caloris, nõ tamen ad hunc numero magis quàm ad illum, nec per hãc actionem magis quàm per aliam, sicque est hæc numero calefactio, & hic numero calor, quia oritur à causa prima parata concurrere ad hũc tantùm calorem, & non ad alios, quod est determinare ad indiuiduationem.

SECTIO III.

Attexuntur quædam de causis per accidens.

I. *Causa per accidens quid, & quotuplex.*

Causa per accidens est quæ planè contingentem habet connexionem cum effectu. Est verò duplex, *ex parte causæ*, & *ex parte effectûs*. *Ex parte causæ* illud dicitur per accidens, quod ita adest causæ alicui, vt quãuis abesset, effectus eodem modo sequeretur: sic musica in Philosopho aut architecto respectu effectuum ab iis productorum, dicitur causa per accidẽs, nec enim minùs rectè philosopharetur ille, hic ædificaret, quamuis musica instructus nõ esset. *Ex parte effectûs* tũc dicitur aliquid esse causa per accidens, quãdo posita causa, quidpiam contingenter accidit effectui primario, seu principaliter intento, vt dum quis ob aliquam causam effodiens terrã, inuenit thesaurum, fossio in hoc casu est causa per accidens respectu inuentionis thesauri.

II. *Quid sit Casus.*

Huiusmodi euentus, quando contingunt, dicuntur casuales, & fortuiti. *Casum* verò & *Fortunam* licèt vulgus pro eodem accipiat, rem tamen penitiùs intuẽtes ea distinguunt. *Casus*, itaque strictè sumptus, est *causa per accidens effectus rarò contingentis, in agentibus propter finem, absque electione*. Casus proinde contingit etiam brutis, imò tribuitur aliquando, licèt impropriissimè, rebus etiam inanimatis, vt dum tegula è domo aliqua in transeuntis caput lapsa, eum occidit. Fortuna verò definitur, *causa per accidens effectûs rarò contingentis, in agentibus propter finem, cum electione*: quæ proinde in solis per intellectum agentibus repetitur.

Quid Fortuna.

III. *Duo ad euentus fortuitos requiruntur.*

Ad euentus casuales & fortuitos duo requirũtur: primò, vt ait Aristoteles l. 2. Phy. cap. 7. vt rarò contingant, secundò, vt accidant præter intentionem: licet subinde ea quæ intenduntur, si ex causa incerta proueniant, dici soleant accidere casu, vt dum alicui iactus aleæ, quem intendit, euenit. In agentibus verò per intellectum vlteriùs requiritur, vt accidant

præter

talem cursum ascendit aqua attracto per fistulam plumbeam aere, et in phialis vitreis, extincto igne, leuatur, folles obturato orificio aperiri nulla vi possunt, aqua in vase angusti oris inuerso non effluit, ne scilicet in suprema vasis illius parte detur vacuum: quòd si vel minimum in illius summitate foramen fiat, ita vt aër ingredi possit, statim aqua omnis effluit. Vtrùm autem Angelicâ virtute fieri possit vacuum, negat id ab Angelo fieri posse Ouiedo Cont. 15. Phy. p. 12. Existimo tamen probabile Angelicâ virtute fieri hoc posse: cùm enim Angelus moueat cælum, &, saltem plures simul mouere possent totum vniuersum, quidni vincere poterunt resistentiam quam totus mundus habet contra vacuum, cùm fortiores sint vniuerso, sicque hoc sensu fieri potest naturaliter.

Probabile tamen est virtute Angelicâ fieri posse.

III. *Cur natura abhorreat vacuum.*

Quæres primò, cur tantopere natura abhorreat vacuum? Ratio communiter assignari solet, quòd cum res omnes sublunares pendeant in productione & conseruatione ab influxu cælorum, si daretur vacuum, influere non possent, saltem lineâ rectâ, & modo connaturali, sicque magna saltem ex parte impediretur productio & cōseruatio rerum, ac sensim pessum iret vniuersa.

IV. *Putant aliqui motum in vacuo fore instantaneum.*

Quæres secundò, num, si daretur vacuum, & homo quispiam aut lapis in eo moueretur, motus esset successiuus an instantaneus. Nonnulli dicunt totam rationem successionis in motu prouenire ex resistentiâ medij, quod, inquiunt, quò densius est, eò motus est tardior, vnde si omnino tollatur omne medium, seu aër ex hoc gymnasio v. g. existimant aliquem ab vno eius angulo ad alium, imò à cælo ad terram in instante moueri posse. Dico tamen, nullum omninò motum, saltem alicuius corporis, nec in vacuo, nec extra illud in instante fieri naturaliter posse. Ratio est, quia si transit per medium, seu spatium imaginarium sequitur, in eodem instante esse illud simul in omnibus partibus spatij intermedij, vt consideranti patebit: si verò non transeat per medium, primò hoc videtur corpori naturaliter impossibile. Deinde non esset motus propriè loquendo, sed potiùs quoddam mutatum esse: vnde si Deus destrueret Petrū, aut eius vbicationē hîc & eodem instante ipsum statueret Romæ, non diceretur eum Romæ collocare per motum.

Contrarium est probabilius.

V. *Medium licèt retardet, non tamen est adæquata causa successionis in motu.*

Ad argumentum ergo contrarium Resp. resistētiam medij, licèt aliquid conferat ad maiorem vel minorem tarditatem in successione motûs, non tamen esse causam illius adæquatam, vt constat dum Angelus se mouet successiuè, cui tamen nullum medium resistit. vnde omni ablato medio non sequitur motum fore instantaneum, vt in exemplo Angeli proximè allato constat; medium enim quod non resistit, perinde se habet quoad argumentum aduersariorum, atque si non esset. Alia ergo sunt impedimenta, vel causæ successionis motûs præter resistentiam medij, vt vidimus.

VI. *Duplex causa motus ad impediendum vacuum.*

Quæres tertiò, à quo agente moueantur corpora ad impediendum vacuum? Dicunt aliqui causam efficientem horum motuum esse res ipsas quæ mouentur: asserunt proinde aquam, vt est pars vniuersi, naturaliter ascendere, licèt secundùm suam particularem naturam grauitet, ac descendat; sicque dicunt, si aër omnis cælum inter & terram annihilaretur, fore vt terra naturaliter ascenderet, & coniungeret se concauo lunæ, vt hac ratione frueretur influxibus cælestibus. Quæ solutio licèt à multis acriter impugnetur, videtur tamen non planè carere probabilitate. Secundò tamen dici potest causam illius motûs effectiuam esse agens illud à quo motus primò corpori imprimitur; quod inde probabiliter suadetur, quia dum quis aërem ex. g. extrahit è fistula plumbeâ, seu antliâ, quò profundior est puteus, eò plus aquæ simul cum aëre attollitur, & plus ponderis sentitur: homo autem qui aërem extrahit, non sentiret maius, imò nullum omnino pondus, si aqua per se ascenderet, aut si homo ille solum aërem attolleret, non aquam.

VII. *Quid sit centrum mundi.*

Solùm hîc restat nonnulla breuiter subiungere de centro. Centrum itaque vniuersi est punctum illud quod ex omni parte maximè distat à cælo, & quò grauia omnia ex naturali quadam propensione ac pondere inclinant. Terra autem remotissimo loco à naturâ collocatur à cælo, & aqua loco illi proximo, quia cùm sint corpora aliis densiora, impedirent influxum cæli in reliqua præsertim lucem. Si ergo per rectam lineam foramen per diametrum terræ fieret, & per ipsum centrum transiens perueniret ad partem superficiei illi ex alterâ parte oppositam, sicque tota terra perforaretur, lapis hinc dimissus, vbi pertingeret ad centrum sisteret: nam alioquin naturaliter ascenderet. Nec resiliret, vt solet dum cadit in terram, vel in alium lapidem impingit, quia in centro nihil inuenit quod obsistat: cùm ergo naturaliter appetat centrum, vbi ad illud peruenit, naturaliter quiescet.

Lapis in centrum decidens quiesceret.

SECTIO II.

Quid sit locus extrinsecus.

I. *Quid sit locus extrinsecus.*

ARistoteles l. 4. Phy. t. 42. sic locum extrinsecum definit: *Locus est vltimum terminus continentis.* Quæ definitio ab aliis clariùs his verbis tradi solet, *Locus est superficies concaua corporis ambientis, immobilis*: sic pisces in flumine, & lac vel aqua in vase sunt vt in loco, sicut etiam aër est in igne, dum hic in suâ sphærâ existit, ignis in concauo lunæ, vnum cælum in alio &c. Ex hac itaque definitione infertur, supremum cælum seu empyreum saltem secundùm totum, non esse actu in loco hoc modo accepto (hîc enim sermo tantùm est de loco extrinseco reali, non imaginario) cùm à nullo corpore ambiente actu circumdetur, sed solùm est in loco reali extrinseco potentiâ, quia scilicet creari potest à Deo aliud cælum, vel corpus altius cælo empyreo, quodque illud circumdet, & tunc actu esset in loco reali.

Supremum cælum non est in loco extrinseco actu sed potentiâ.

II. *Locus extrinsecus inuoluit vbicationem.*

Locus verò extrinsecus non est sola superficies corporis continentis, seu ambientis, sed superficies immobilis, vt constat ex definitione positâ, quare superficies illa in obliquo inuoluit necessariò vbicationem sui, seu locum intrinsecum, cùm per illam solam reddatur superficies immobilis. id est, tali loco sita: vnde corpus locatum inuoluit etiam vbicationem sui, cùm per illam applicetur, & approximetur loco extrinseco: non enim est in loco reali nisi illi applicetur.

III. *Aqua in eodem vase delata mutat locum extrinsecum ex parte.*

Dices primò; cùm aqua in eodem vase defertur ab vno loco in alium, mutat locum, ergo locus non est superficies ambiens, nam hanc non mutat, vas quippe illud eandem retinet superficiem quam antea. Resp. primò, mutare aquam illam locum extrinsecum non planè, sed ex parte, cùm vt diximus, vbicatio ipsa superficiei ambientis ingrediatur constitutionem loci extrinseci in ratione immobilis, quod requiritur ex ipsâ loci definitione. Secundò dico absolutè aquam illam non mutare locum extrinsecum realem, quod non debet videri mirum, cùm simul cum aquâ moueatur ipsa superficies ambiens, seu locus ipse extrinsecus. Quando autem dicitur, quidquid mouetur, mutat locum, intelligi debet de loco intrinseco, & correspondentiâ ad spatium imaginarium.

IV. Dices secundò; nil potest mutare locum extrin-

secum, quin moueatur, sed columna flante vento non mouetur, & tamen mutatur superficies corporis ambientis, nempe aëris, cùm nouus semper succedat amoto priori, ergo vltima superficies corporis ambientis non est locus extrinsecus. Resp. distinguendo maiorem, nil potest mutare locum extrinsecum imaginarium quin moueatur, concedo maiorem; locum extrinsecum realem, nego. vt clarè ostenditur exemplo in argumento proposito, & in trabe vel columnâ fixâ in flumine, quæ physicè singulis momentis mutant locum realem extrinsecum, & solùm retinent eundem moraliter. Quod etiam contingeret in mutatione loci intrinseci, si Deus destructâ hac vbicatione, aliam corpori illi daret vbicationem homogeneam.

Ad mutationem loci extrinseci sufficit locum moueri, vt immotâ.

Idem est de loco intrinseco.

SECTIO III.

Noua quædam opinio de vacuo.

I. *Ren. Des Cartes. par. 2. phil. n. 21 & 22.*

Recentior quidam ita vacuum implicare asserit vt ne quidem supra cœlos locum vllum conceptibilem esse dicat, in quo de facto non sit aliquod corpus. Mundum proinde, seu substantiam corpoream nullos extensionis suæ fines habere docet, sed indefinitè in immensum vndique sine termino protendi, & omnia omninò spatia imaginabilia occupare & vbicunque mundos quis etiam infinitos, & infinitè extensos finxerit, ibi eos, seu substantiam realem, & corpoream de facto iam esse affirmat.

II. Hanc sententiam, quatenus prout mundum ait esse infinitum, & de facto existere substantiam corpoream, quæ nullos extensionis suæ fines habeat, adeò falsam existiment viri docti, vt confutatione non indigeat, vt tamen eius falsitas magis omnibus innotescat, hîc eam obiter impugnabo.

III. *Mundus certos habet limites, & non extenditur in infinitum.*

Dico itaque, certum esse, mundum hunc non esse infinitè protensum, sed certos ac determinatos extensionis limites habere vltra quos nullum existit corpus sed datur hoc sensu vacuum, quòd scilicet nihil illic corporeum actu reperiatur, siue vacuum illud dicendum sit spatium imaginarium, siue non; de hoc enim controuersia est inter philosophos, vt videbimus disp. sequente, sect. primâ.

IV. *Conclusio hac communis est Philosophorũ, ac Theologorum.*

Hæc conclusio est communis Philosophorum ac Theologorum, quos proinde superuacaneum foret hîc arcessere. Imò plurimi, iique doctissimi viri, ita negant mundum de facto esse infinitè extensum, vt hec diuinitùs extendi in infinitum posse asserant, vt infrà videbimus d. 46. f. 4. dum de infinito. Idem docent sancti Patres, quos d. sequente f. 4. ex aliâ occasione adducam quorum auctoritates hoc saltem probant, mundum scilicet non esse actu infinitum, seu infinitè extensum. Hoc etiam clarissimè docet S. August. l. 11. de Ciuit. Dei cap. 5. vbi quosdam impugnans sic habet: *An fortè, inquit, substantiam Dei &c. à tanta locorum extra mundum spatio absentem esse dicturi sumus, vt in vno tantum, atque comparatione ipsius infinitatis tam exiguo loco in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros.* Quid clarius? Idem docent S. Dionys. S. Hieron. S. Greg. citandi d. sequente, f. 4. S. Basilius Hom. 16. S. Damasc. l. 2. de Fide c. 6. Orig. l. 7. contra Celsum, S. Greg. Nazianz. orat. 34. & Apol. 1. & alij.

Sancti Patres passim docent mundum non extendi in infinitum, sed certos limites habere.

V. Quid ad hæc respondebit recentior iste, quicum præsens mihi est disputatio? Quam huius sui effati rationem affert tam solidam, vt non Philosophis tantùm, ac Theologis, sed tot etiam Ecclesiæ luminibus relictis, illi censeat adhærendum? Audite. *Mente, inquit, percipio mundum nullos habere fines, & substantiam aliquam corpoream esse indefinitè extensam, ergo mundus nullos habet fines, & de facto existit substantia corporea in immensum vndique infinitè diffusa, & omnia spatia, etiam imaginabilia actu occupans, ac replens.* Hæc ille; nec aliam huius tam miri pronunciati rationem assignat.

Mira recentioris huius argumentatio.

VI. *Apprehensionem statuit Philosophiæ regulam.*

Quo deuenimus? Apprehensio Philosophiæ norma, ac regula statuitur: quod sibi illa fingit, firmum adeò ac fixum habendum est, vt de illo dubitare sit nefas. *Ego percipio substantiam corpoream esse in infinitum diffusam, ergo est infinitè per spatia omnia, etiam imaginabilia, diffusa.*

VII. *Alij omnes percipiunt mundum non esse infinitum, ergo non est infinitus.*

Contrà primò. viri quique perspicacissimi, qui in florentissimis hodie per totum orbem Academiis Philosophicas disciplinas pertractant, percipiunt contrarium, nempe mundum non esse infinitè diffusum, sed certos ac determinatos limites habere. Imò, tot iam retro seculis, homines doctissimi, ipsique adeò Sancti Patres, vt vidimus, perceperunt non existere corpus aliquod infinitum, quodque spatia omnia imaginabilia occuparet. ergo mundus non est infinitè diffusus, nec datur eiusmodi corpus, quod nullos extensionis suæ, ac magnitudinis fines habeat. Iudicet quiuis æquus rerum æstimator, vtrùm hæc argumentatio non sit efficacior ad negandum mundum esse infinitum, quàm ipsius ad illud affirmandum: *Ego percipio mundum esse infinitum, ergo est infinitus.*

VIII. *Hic eius argumentandi modus viam innumeris aperit figmentis.*

Contrà secundò, hic eius argumentandi modus viam infinitis figmentis aperit, occasionemque vnicuique præbet suo arbitratu noua dogmata cudendi, & sine vllo omnino fundamento quiduis affirmandi. Dicet enim similiter alius esse, vel regionem aliquam in mundo ignotam, vel mundum aliũ ab hoc nostro segregatum, in quo aues omnes sint bicipites, canes cornuti, equi alati, homines Cyclopum instar monoculi, & alia huiusmodi. Quòd si quis ab eo quærat quo fundamento nixus rem tam exoticam affirmet, Ego inquiet, *isthæc ita esse percipio; spiritum mihi hæc dictat Philosophicum: &, si apprehensionibus agendum sit, cur non æquè meæ apprehensioni deferatur, ac alterius?*

IX. *Tertiò efficacior redditur hac illius argumentatio.*

Contrà tertiò, potuisset Deus initio mundi solum paradisum, & in eo primos parentes produxisse: vel etiam iam annihilare potest Deus totum mũdum, vnâ aliquâ regione exceptâ. Hoc absque dubio sine ingenti temeritate negari non potest. Vlteriùs illius loci homines (ponamus esse locum in quo hic auctor degit, qui hoc argumentandi genere vtitur) illius, inquam, loci homines, & hic inter alios, non minùs concipere possent rem aliquam corpoream in infinitum vndique diffusam, ergo tunc etiam existeret huiusmodi res corporea infinita, quod tamen vel cæcus videt esse falsum.

X. *Sequeretur tempus reale fuisse ab æterno.*

Contrà quartò, sicut mens nostra fertur in infinita spatia quoad locum, ita tempus reale concipere potest, variasque sphærarum cælestium circumuolutiones anteriùs & anteriùs in infinitum à parte antè; mens enim humana, vt locorum, ita nec temporum vllis limitibus coërcetur, ergo tempus reale, & cœlorum motus fuerunt ab æterno, quæ est aperta hæresis: & tamen euidenter infertur, si hæc argumentatio valeat, *Ego rem percipio, ergo est.*

XI. *Non percipimus tantũ, inquit, corpus infinitum, sed verè & perspicuè percipimus.*

Addit hic auctor: *Non percipimus, inquit, tantùm corpus per infinita illa spatia sine vllo termino extensum, sed verè, perspicuè percipimus, ergo est huiusmodi corpus,* & consequenter mundus infinitus. Contrà, Patres, vt vidimus, Theologi omnes, ac Philosophi verè percipiunt non esse huiusmodi corpus infinitum, ergo non est. Contrà secundò, ille de quo antè, dicet se verè & perspicuè percipere canes cornutos &c. ergo illic sunt. Contrà tertiò: diceret Aristoteles, se verè, & perspicuè percepisse mundum fuisse ab æterno, & alia huiusmodi. En quæ consequentiæ ex hoc

argu-

argumentandi modo inferantur.

XII. Dico itaque, *verè aliquid percipere*, habere duplicem sensum: primò, ita vt solùm significet tale quid menti obuersari: & hoc sensu, qui Anti-Christum concipit iã existere, aut aliud huiusmodi, verè illud percipit, quia verè obiecta illa apprehendit. Secundò & præcipuè, *verè aliquid percipere* est actum, quo id ita se habere asserimus, seu iudicamus, esse verum: dicere autem hoc sensu nos verè percipere mundũ esse infinitum, est petere, vt aiunt, principium, seu illud assumere tanquam verũ, quod est in quæstione; quærimus enim in præsenti an actus ille sit verus, seu, an obiectum ita se habeat, sicut actus affirmat, & negamus ita se habere, imò argumentis suprà positis claré probatur actum illum esse falsum

Verè aliquid percipere duplicem habet sensum.

XIII. Dices; spatia illa concipimus extensa, longa, lata, & profunda, ergo sunt corpus. Contrà, Angelos, imò Deum ipsum concipimus instar corporis, & varias quasi partes habentem, nec alio modo anima hic corpori affixa concipere eum potest, ergo eodẽ argumento quis inferret Deum esse corpus. Spatia ergo illa supra cælum Empyreum, vel nihil omninò sunt, vt multi probabiliter affirmant, vel ad summum sunt negationes: de quo disp. sequente. Ideo autem hæc concipimus instar corporis, quia cùm omnis nostra cognitio pro hoc statu sit abstractiua, seu habeatur per sensus, sensibus autem nihil percipimus præter corpora, seu res corporeas, ideo etiam mente ea instar corporum concipimus, cùm tamen reipsa corpora non sint. Et hinc deceptus est hic auctor, quòd quidquid instar corporis concipitur, corpus putet. Quæ sine dubio periculosissima est persuasio, & nisi corrigatur, in plurimos, & perniciosissimos errores homines paulatim ducet,

Non quidquid concipitur instar corporis, est corpus.

Vnde deceptus sit hic auctor.

DISPVTATIO XXXIII.

De spatio imaginario.

Res hæc vtpote imaginaria, variis vana imaginandi occasionem præbuit. Constat verò inprimis, spatium imaginariũ non esse quid reale positiuum, primò, quia imaginarium, deinde fuit ante mundum conditũ, nihil autem reale tunc extitit præter Deum. Item extra cœlum empyreũ sunt modò spatia imaginaria in immensum vndique diffusa, in quibus nihil est reale, ergo spatium imaginarium non est quid reale positiuum.

SECTIO PRIMA.

Variæ opiniones circa spatium imaginarium.

I. Primò, volunt nonnulli spatium imaginarium esse merè quid fictum, & tantùm habere esse obiectiuè in intellectu: ita P. Val. 1. p. d. 29 c. 3. n. 11. & 12. P. Arriaga d. 14. Phy. s. 3. n. 63. & P. Ouiedo Con. 15. Phy. p. 2. n. 1. Contrà primò, nemine cogitante Petrus est in loco, seu affixus spatio imaginario. Contrà secundò, extra cœlum empyreum, imò ab æterno erant spatia imaginaria, quando tamen nullus erat intellectus fingens. Contrà tertiò, sectione sequente ostendam esse aliquid existens nemine cogitante. Contrà quartò, Arriaga citatus s. 4. n. 69. ait Deum de facto esse in spatiis imaginariis, Deus autem non est in Chimæris, nec eget intellectu fingente vt sit in his spatiis, in quibus fuit ab æterno. Contrà quintò, spatium imaginarium debet esse quid fixum & immobile, sed ens rationis cessante actu intellectûs cessat, ergo in eo non est situm spatium imaginarium.

Spatium imaginarium non est quid fictum.

II. Secunda sententia est asserentium spatium imaginarium esse negationem rei vel illius vbicationis. Sed nisi aliud addatur, contrà est, nam res vbicata debet esse præsens spatio imaginario, sed nulla res est, vel esse potest præsens negationi sui, sic enim in eodem spatio idem simul esset & non esset, ergo. Confirmatur, spatium imaginarium debet esse quid fixum, & nullâ vi tollibile, ergo non est huiusmodi negatio, cùm hæc de facto, positâ re, tollatur necessariò eo saltem loco quo res constituitur.

Spatium imaginarium non est negatio rei locatæ.

III. Tertiò, alij spatium imaginarium esse dicunt immensam aliquam molem corpoream merè possibilem, vndique in infinitum diffusam vel vbicationem possibilem eiusmodi molis corporeæ. Ita P. Hurtad. d. 14. Phy. s. 2. quem multi sequuntur. Sed contrà primò, spatium imaginarium debet esse quid actu, cùm res in illo actu existant, sed res vel vbicatio merè possibiles, non sunt quid actu, ergo. Dices; sunt actu possibiles. Contrà, hoc perinde est atque siquis dicat, sunt actu non actu, quæ videtur implicatio in terminis, cùm possibilitas meræ excludat omnem actualitatem.

Nõ est immensa moles corporea possibilis.

Secundò impugnatur, hac ratione idem esset spatium imaginarium, & reale, patet, hæc enim vbicatio & moles antea possibilis, quando producitur, fit realis, estque eadem numero existens & possibilis, & consequenter vbicatio illa & moles antea spatium imaginarium, iam fit reale, sicque non conuenit ipsi vna ex proprietatibus spatij imaginarij, nempe, vt non sit tollibile, tollitur enim res de purè possibili, dum fit actualis, & existens. IV.

Quartò, recentiores aliqui secuti P. Lessium lib. 2. de Perfectionibus Diuinis, cap. 2. dicunt, spatium imaginarium esse ipsum Deum, qui secundùm immensitatem suam, est vbique seu infinitè necessariò diffusus, & licèt realiter idem, est tamen virtualiter seu eminentialiter multiplex, & diuersus pro singulis minimis partibus & punctis spatij, sicque rem figi in spatio imaginario, esse affigi & correspondere tali vel tali virtuali extensioni immensitatis Diuinæ. Sed contrà, nam est celebris quæstio inter Theologos vtrùm Deus sit in spatiis imaginariis extra cælum, quæ tamen quæstio esset omninò vana, si per spatium imaginarium intelligeretur ipse Deus, sic enim quæreretur vtrùm Deus esset in seipso, de quo nemo dubitat; vlteriùs ergo quæritur vtrùm Deus per immensitatem alteri alicui præter se extra cœlum empyreum correspondeat. V.

Nonnulli Deum asserunt esse spatium imaginarium.

Refellitur.

Quidquid ergo sit vtrùm possint variæ proprietates spatij imaginarij conuenire Deo ob immensitatem eius & eminentialem vbique præsentiam, Deus tamen non est spatium illud quod hic inquirunt Philosophi & Theologi in quæstione propositâ. Aliud proinde inuestigandum. VI.

Quintò, alij spatium imaginarium omnino tollendum censent. Essentiam verò vbicationis hoc modo explicant; dicunt vbicationem Romanam ex g. illius esse naturæ, vt petat in actu primo essentialiter tantũ distare ab omni alia vbicatione non Romanâ, nempe vt possit tantum spatij intercipi inter VII.

Aliqui negant spatium imaginarium.

Quomodo hi explicent essentiam vbicationis.

illam & vbicationem Leodiensem, Parisiensem, Mexicanam &c. ita vt nec per Diuinam potentiam possint esse vllæ duæ ea istis vbicationibus, & non esse fundamentum talis distantiæ. Non tamen hoc ita intelligendum est, vt vna vbicatio existere actu non possit sine aliâ, sed vt in actu primo petat vbicatio A ex g. quandocunque existit alia vbicatio, tantum distare ab ea, & nec plus nec minùs. Vnde immensitatem Dei differre hoc titulo dicunt ab omni vbicatione creatâ, quod vbicatio creata sit fundamentum distantiæ ab aliis multis vbicationibus, immensitas verò Dei sit fundamentum indistantiæ, talis quippe est naturæ vt petat essentialiter esse præsens omni vbicationi possibili, quandocunque ponitur extra causas. Hanc sententiam multi amplectuntur ex recentioribus, & fauere videtur P. Hurtado citatus.

VIII. *Hæc sententia, licet probabilis, non satisfacit.*

Hic modus dicendi non est improbabilis: in eo tamen displicet quòd secundùm illum dici non possit propriè rem esse hîc aut ibi, nisi ad summum cõsecutiuè, & quasi argutiuè, nempe si tantum distet ab omni aliâ vbicatione, consequenter esse hîc. Addo, in hac sententia nec consecutiuè dici rem esse posse hîc, cùm temesse hîc sit esse in hoc loco, si ergo locus omnino non sit, non potest omnino dici esse hîc: si autem velint, esse hîc dicere solùm petere tanto interuallo distare ab omni aliâ vbicatione, est contra communem conceptum omnium, qui rem esse hîc concipiunt independenter ab omni aliâ vbicatione. imò si omnis alia vbicatio esset impossibilis, non tolleretur conceptus existendi hîc, quid enim refert vt Petrus sit Leódij, vtrùm Paulus possit, vel non possit esse Romæ? Nec cùm quis dicit, Petrus est hîc, vnquam cogitat de vllo alio loco, sed solùm de hoc, in quo affirmat Petrum existere.

IX. *Volunt aliqui spatium imaginarium esse negationem Chimæræ.*

Sextus modus dicendi est aliquorum asserentiũ, spatium imaginarium esse negationem Chimæræ, hippocerui v. g. vel alterius similis: hæc enim negatio est vbique diffusa, cùm nullibi sit hippoceruus, & tolli non potest cùm sit negatio rei impossibilis, ergo &c. Sed contrà, nihil commercij mundo reali cum entibus rationis, sed sua omnia intra se habent res reales independenter ab illis, vel illarum negationibus, vnde si aliquid aliud assignari probabiliter possit pro spatio imaginario, non est recurrendum ad Chimæras.

SECTIO II.

Vera sententia de spatio imaginario.

I. *Spatium imaginarium est negatio nõ tollibilis vbicationis realis.*

Dico itaque spatium imaginarium esse negationem non tollibilem vbicationis realis. Explicatur conclusio: vbicatio Romana Petri v. g. non potest esse alio loco quàm Romæ, vnde negatio illius vbicationis est vbique seu vndique diffusa, vbicunque non est vbicatio illa Romana Petri, cùm vbicunque non est forma positiua, sit illius negatio, vbique enim esse debet vel forma positiua, vel illius contradictorium, vt in Logica probaui d. 18. s. 9. vbi ergo potest poni hæc vbicatio, negatio illius est tollibilis, vbi non potest poni, non est tollibilis, cùm tolli nequeat nisi per positionem formæ, quam negat. Ad cuius pleniorem intelligentiam, & simul probationem conclusionis.

II. *Conditiones ad spatium imaginarium requisita.*

Notandum quæ conditiones requirantur ad spatium imaginarium. Primò spatium imaginarium esse debet quid infinitè suo modo diffusum, idque non versus vnam tantùm partẽ, sed omnes, ac proinde trinè dimensum, seu extensum versus longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Secundò, debet item esse fixum, permanens, & immobile ita vt nullâ vi aut ratione tolli possit. Tertiò, suo etiã modo debet esse æternum. Quartò, esse debet capax corporis, non tamen simul duorum corporum impenetrabilium. Quintò, habere debet diuersas partes, vel quasi partes heterogeneas, quibus res positiuæ, & reales diuersimodè correspondere possint. Has autem omnes conditiones conuenire negationi vbicationis, quam ponimus pro spatio imaginario, disputationis decursu constabit.

Notandum secundò, in hoc conuenire omnes negationes, vt communis habet sententia, quòd sint per se in loco, seu sua vbicatio, ac proinde modò sunt, & ab æterno fuerunt per se vbique diffusæ, secundùm diuersas partes heterogeneas, ita vt nullæ duæ negationis alicuius partes sint omninò similes, cùm petat vna non esse vbi est alia, ac proinde ex hoc capite est aliqua inter eas varietas, ac dissimilitudo, licèt in ratione contradicendi præcisè, seu in quantum respiciunt rem quam negant, participent eandem rationem, nec vlla inter eas sit diuersitas. III. *Negationes habent diuersas partes heterogeneas.*

Quòd si cuiquã non placeat (sicut nec mihi videtur necessarium) omnes negationes esse in loco per se, & habere huiusmodi partes heterogeneas, dicere poterit, sicut res à loco absolutæ, vt aqua, ferrum, ignis, &c. sunt in loco per vbicationes à se distinctas, ita negationes harum rerum esse in loco per negationes earundem vbicationum: ac proinde solas negationes vbicationum habere partes heterogeneas, certo loco affixas. Quod mihi videtur probabilius. IV. *Verum hoc est de solis negationibus vbicationum*

Notandum tertiò non quaslibet negationes aptas esse vt constituant spatium imaginarium, cùm duæ ex præcipuis conditionibus iis desint, nempe vt habeant partes heterogeneas, & vt non sint tollibiles: negationes enim rerum absolutarum, vt ignis, aquæ &c. sunt, vel secundùm omnes partes simul tollibiles, in sententiâ concedente infinitum actu, vel saltem, secundùm quaslibet, in sententiâ infinitum negante, ita vt producto igne, nulla ignis negatio illic maneat vbi ignis producitur: At cùm vbicationes non sint formæ absolutæ, sed certo loco alligatæ, non possunt poni vbique, nec in vllo alio loco, præterquam in eo, quem ea naturâ suâ respiciunt, & consequenter earum negatio nisi eo loco tolli nequit. V. *Non quæuis negationes aptæ sunt ad cõstituendum spatium.*

Notandum quartò, hinc sequi, nullius vnius vbicationis realis negationem posse adæquatè constituere spatium imaginarium. Ratio est clara, nam spatium imaginarium debet esse immobile, nulla autem vna negatio vbicationis realis hoc habet, ipso facto enim quòd sit negatio vbicationis realis, tolli alicubi potest, cùm quidquid est reale, possit alicubi poni à parte rei, positâ autem re, tollitur ibi vbi ponitur illius negatio, alioqui simul esset ibi res, & non esset. VI. *Nulla vna negatio sufficit ad spatium imaginarium.*

Spatium ergo imaginarium adæquatè sumptum conflatur ex partibus omnibus negationum non tollibilibus, nullo autem loco non sunt huiusmodi partes negationum, sed quaquauersum diffunduntur, cùm ibi necessariò sint, vbi non sunt vbicationes quas negant: necessariò etiam permanent, cùm ibi non possint esse vbicationes & formæ, vt iam ostẽdam. Vbicatio itaque Romana Petri ex essentiâ suâ petit figere Petrum partibus non tollibilibus negationum aliarum vbicationum, vt vbicationis Leodiensis, Parisiensis, Mexicanæ &c. quæ negationes sunt, & essentialiter petunt semper esse Romæ; vbicatio Parisiensis figit rem partibus illis negationum aliarum vbicationum, quæ partes sunt Parisiis, & sic de aliis omnibus: nulla tamen vbicatio figit rem suæ negationi, vt vbicatio Romana negationi vbicationis Romanæ, cùm hæc, positâ vbicatione, tollatur. VII. *Ex quibus negationibus conflatur spatium imaginarium.*

SECTIO

SECTIO III.

Obiectiones contra hunc modum explicandi spatium imaginarium.

I. Obiicies primò: hæc ipsa negatio est alicubi, & correspondet spatio imaginario, ergo est in loco aliquo & spatio, ergo non est locus ipse & spatium imaginarium. Contrà primò, idem in omni sententiâ fieri potest argumentum, siue spatium imaginarium dicatur Deus, siue illa non-repugnantia, negatio Chimæræ, aut aliud quidlibet, eodem enim modo argui posset esse alicubi. Respondetur itaque, cùm hæc negatio sit fundamentum ipsum, seu locus, & quasi mensura & capacitas omnium aliarum rerum, non esse opus vt sit in aliquo alio tanquam in loco: sicut enim vbicatio, cùm sit locus intrinsecus, non requirit alium locum intrinsecum; ita nec hæc negatio, cùm sit locus extrinsecus, requirit alium extrinsecum. Cùm autem dicitur, quidquid est, debere esse alicubi, seu in loco, intelligitur de eo quod non est locus.

Locus extrinsecus non est in loco extrinseco, sicut nec intrinsecus in intrinseco.

II. Obiicies secundò: hæc negatio est negatio Chimæræ, ergo incidimus in sententiam quam sexto loco suprà impugnauimus. Antecedens probatur, hæc negatio est negatio vbicationis Romanæ hîc, seu Leodij, sed Vbicatio Romana Leodij est Chimæra, cùm implicet vbicationem Romanam esse Leodij, ergo Resp. negando antecedens, ad probationem, distinguo maiorem, est negatio vbicationis Romanæ hîc in actu quasi signato, nego maiorem; in actu exercito, concedo, hoc est, negatio quæ est hîc, negat hîc, seu hîc excludit non vbicationem Romanam aptam hîc existere, sed tantùm vbicationem Romanam secundùm se. Vnde hæc negatio, licèt in infinitum diffusa, vbique dicit idem in actu quasi signato, nempe, negare illam formam; at in actu exercito, variatur secundùm singulas sui partes, cùm singulæ essentialiter negent illam in diuerso loco, vt negatio Londinensis negat eam Londini, negatio Cantabrigiensis Cantabrigiæ &c.

Obiicitur hanc negationem esse negationem Chimaræ.

Diuersæ partes negationis negat eandem formam.

III. Exemplum huius rei clarum est in cognitione eiusdem vbicationis: ponimus itaque dari actum intellectûs hîc repræsentantem vbicationem Romanam: actus iste in actu exercito repræsentat vbicationem Romanam hîc, seu hîc est repræsentatio illius, non tamen in actu signato, id est, ita vt repræsentet vbicationem Romanam Leodij, seu hoc complexum, nempe vbicationem Romanam existentem Leodij, tunc enim repræsentaret Chimæram, & si esset iudicium iudicans vbicationem Romanam esse hîc, esset actus falsus; non tamen si hîc appellet super actum, non obiectum, vt si actus hîc iudicet vbicationem Romanam Petri existere, seu Petrum esse Romæ. Idem est de hac negatione vbicationis Romanæ hîc.

Res explicatur exemplo actûs intellectus.

Particula hîc appellat supra actum non supra obiectum.

IV. Obiicies tertiò: per hunc modum explicandi spatium imaginarium incurri circulum; si quis enim petat quid sit spatium imaginarium, respondetur esse negationes non tollibiles vbicationum realium: si quis vlteriùs petat, quid sit vbicatio realis, respondetur esse modum applicantem corpus ad spatium imaginarium, sicque est perpetuus circulus.

Obiicitur incurri circulum.

V. Sed contrà, quæro ego vicissim ab iis, qui hoc obiiciunt, quid sit Anti-Christum posse existere: respondent, posse tollere negationem sui. Inquiro vlteriùs, quid sit negationem Anti-Christi posse tolli? respondent, Anti-Christum posse existere. En vt propriis telis confodiuntur, & suo se claudunt circulo. Idem est, vt suprà ostendi, dum materia explicatur per formam, & forma vicissim per materiam, actus per potentiam, & potentia per actum, & sexcenta huiusmodi, quæ passim in philosophiâ occurrunt.

Retorquetur obiectio.

VI. Resp. itaque (quod fusiùs in Logicâ declaraui, dum de regressu in Demonstratione) non omnem circulum in scientiis esse vitiosum: cum enim naturæ circulos fecerit in essendo, duas scilicet res à se inuicem dependentes, Philosophus subinde sine vitio circulos quosdam scientificos facit in his naturæ circulos explicandis, præsertim si alterius extremi maior aliunde habita sit notitia, quod in præsenti contingit; disp. enim 18. Logicæ, dum de negationibus ostensum iam fuerat, quæ negationes erant tollibiles, quæ non, quæ ex parte tantum auferibiles, quæ ex toto, & reliqua declarata, quæ ad earum cognitionem erant necessaria. Hac ergo negationum notitiâ aliunde habitâ, non incongruè modò, vel vbicatio, vel alia quæcunque res positiua, quæ necessariam cum iis habet connexionem, per easdem explicatur. Deinde dum dicitur vbicatio esse applicatio ad spatium imaginarium, spatium sumitur tantùm generatim, id est, ad spatium quodcunque demum illud fuerit, quo penitius inspecto, illi in particulari, quod ad hoc munus aptissimum censetur, clariùs applicatur vbicatio.

Natura circulos facit in essendo, Philosophus in explicando.

VII. Quæres, cur hæc negatio, cum existat à parte rei, vocetur spatium imaginarium? Resp. cùm nos abstractiuè res cognoscentes, & per species alienas, non concipiemus negationes saltem communiter, nisi ad modum rerum positiuarum, quas videmus, vel experimur, vtpote per quarum species negationes repræsentantur, imaginamur hanc negationem ad instar aëris, vel alterius corporis, & spatij veri, ac realiter extensi, ac propterea vocatur spatium imaginarium. Quod autem obiici hîc posset, posita re aliqua in rerum natura, tolli vbique illius negationem, contrarium ostensum est in Logica d. 18. sect. nona.

Cur negationes istæ vocentur spatium imaginarium.

SECTIO IV.

Sitne Deus in spatiis imaginariis.

I. PRima sententia est negatiua: ita S. Bonau. in 1. d. 37. 1. p dist. a. 2 q. 2. Scotus in 1. q. 17. Richardus in 1 d. 37. a. 1 q. 7. Capreol. d. 37. q. vnica ad 4. Scoti. Vasq. 1. p. d. 29 c. 23. & 4. Granado 1. p q. 5. d. 3 s. 2. Moncæus d. 1. c. 2. Faslnlus 1 p. q. 2. a. 2. d. 3. Ouiedo contr. 15. Phys. p 3. n. 5. Tanner. 1. p. d. 2. q. 2 dub. 4. licèt hic facere videatur quæstionem de nomine.

Prima sententia negat.

II. Secunda sententia affirmat Deum esse in spatiis imaginariis: ita Maior in 1. d. 37. q. 2. & in 2. d. 1. q. 1. Sotus l. 4. Phys. q. 2. Caiet. in cap. 12. Ioann. Suarez d. 30. Met. s 7. n 30. Fonseca l. 5 Met. c. 15. q 9. s. 4. Molina 1. p. q. 8. a. 1 d. 3. Valen. 1. p. q. 8. p. 1. Lessius de Perf. Diuinis. l. 2. c. 2. Hurtado d. 14. Phys. s. 4. Arriaga d. 14. Phys. s. 4. n. 69. P. Raynaud. d. 7. q. 6. a. 6. Albertinus in Prædicam. vbi, q 2. Arrubal, Gammachæus, Becanus, & alij.

Secunda affirmat.

III. Hæc sententia omnino est amplectenda. Dico itaque cum auctoribus secundæ sententiæ Deum esse in infinitis spatiis imaginariis extra cœlum in immensum diffusis.

Conclusio affirmatiua.

IV. Probatur primò ex illo Iob. 11. v. 8 vbi de Deo dicitur *excelsior cœlo est*, & secundùm communem interpretum sententiam sermo ille est de immensitate Dei. Deinde, canit Ecclesia, *quem totus non capit orbis*: ergo censet Deum diffundi vltra orbem, & esse intimè præsentem & penetratum esse cum spatiis illis imaginariis, quæ supra cœlum empyreum in immensum protenduntur.

Probatur ex Scriptura.

V. *Probatur secundò ex Patribus.*

Idem secundò probatur ex Patribus, qui ex illo Iob, & similibus scripturæ locis docent, *Deum esse intra omnia, & extra omnia, intrinsecum, forinsecum, circumfusum &c.* qui loquendi modi passim reperiũtur apud S. Hieronymum in c. 66. Isaiæ, v. 1. S. August. in appendice de essentia Diuinit. & alios. S. Dionys. de Diuin. nominib. c. 1. *Deus, inquit, in cælo est, atque in terrâ, in mundo, circa mundum, supra mundum, & supra cælum.* & c. 9. Sic habet, *Deus extrinsecus supra omnem magnitudinem funditur, & supra extenditur.* S. Greg. homil. 17. in Ezech. *Deus, inquit, est interior, & exterior, replendo interior, circumdando exterior.* Ex quibus apertè constat hanc fuisse mentem, & communem sensum sanctorum Patrum, tam clarè enim his in locis loquuntur, vt de eorum mente dubitare nemo possit, nec aliter eos intelligere, nisi eorum verba in peregrinos, & impropriòs sensus distorquendo.

VI. *Probatur tertiò ratione.*

Tertiò probatur ratione, Deus actu est immensus, ergo actu est in infinitis spatiis imaginariis extra cælum in immensum diffusis, id est, talem habet præsentiam, vt, re aliquà creatâ supra cælum empyreum, esset Deus ipso facto illi intimè præsens, absque eo quòd nouum locum acquireret: alioqui Deus mutabilis foret quoad locum, quod & inintelligibile est, & Deo indignum.

VII. *Sequeretur Deum moueri posse successiuè.*

Conf. sequeretur Deum moueri posse successiuè, vt si mundus hic totus mutaret locum, & moueretur versus vnam partem, tunc enim Deus (cùm intimè illi præsens necessariò sit) vnà cum mundo mutaret locum successiuè, quod est moueri: Conf. secundò, sequeretur vlteriùs, Deum posse esse in duobus locis discontinuis, vt si crearet alium mundum, vel corpus quodcunque, interuallo aliquo à cælo empyreo disiunctum, cui, vt dixi, Deus necessariò, secundùm omnes, debet esse intimè præsens. Conf. tertiò, si in hoc casu alter ex illis mundis annihilaretur, vel Deus maneret vbi antea mundus erat, vel non; si primum, habemus intentum; si secundum, ergo verè desineret Deus esse in loco, sicque realiter mutaret locum.

Deus in illâ sententiâ foret in duobus locis discontinuis.

VIII. *Quarta conclusionis probatio.*

Probatur quartò, si homo quispiam collocaretur supra cælum empyreum, ita vt pedibus illud tangeret, posset Deus corpus illius hominis annihilare, nullâ factâ mutatione in eius anima, ergo anima illa esset in spatio imaginario, ergo & Deus, esset enim animæ illi intimè præsens, ergo & in eodem loco esse potest, licèt nulla ibi anima existat.

IX. *Quinta probatio.*

Probatur quintò, Deus extitit ante omne tempus reale in tempore imaginario, alioqui non extitisset verè ante mũdum, quod nullo modo dici potest, ergo similiter modò existit in spatiis imaginariis, nulla enim ratio differentiæ videtur assignari posse.

X. *Nam Deus spatiis imag. coëxistat, quæstio est de nomine.*

Est ergo Deus actu in spatiis imaginariis super cælos in infinitum diffusis, quod nihil aliud est quã Deum per suam immensitatem esse actu intimè penetratum cum negationibus illis vbicationum realium vbique diffusis, & ab iis indistantem. Vtrùm autem dici debeat iis coëxistere, quod tamen præcipuè vrget Vasquez, Ouiedo, & alij communiter, est quæstio de nomine; si enim per coëxistere intelligatur vera duorum existentia simul, vt communiter sumitur, sic non potest propriè Deus dici coëxistere spatiis imaginariis, negationes quippe in quibus consistit ratio spatij imaginarij, propriè non existunt, cùm non sint entia, sed non-entia, & consequenter non existentia, sicque propriè nec Deus coëxistit ipsis, nec ipsæ Deo: eo tamen modo quo existunt, dicitur Deus iis coëxistere. Vnde dicunt Philosophi negationem Anti Christi & negationẽ alterius solis iam sibi coëxistere. Eadem est difficultas de tempore imaginario, cui si aduersarij concedant Deum coëxistere, quidni idem fateantur de loco similiter imaginario?

Dices; affirmate Patres Deum ante mundum creatum non fuisse in loco, nec nisi in seipso, sic enim loquitur Tertullianus, S. Aug. S. Bernardus, & alij. Contrà, etiam dicunt Deum istum non esse in loco. Vel ergo volebant, non ita eum esse aut fuisse in loco, vt illo clauderetur, vel non fuisse in loco positiuo & reali. XI. *Quomodo Deus ante mundum conditum fuerit in loco.*

Solùm noto, in nostrâ sententia de spatio imaginario, quòd scilicet consistat in negatione, facillimè explicari quo modo Deus sit in spatiis imaginariis, in quo tamen alios (eos præsertim qui affirmant spatium imaginarium nihil esse, nisi merum figmentum) plurimùm video laborare, & vbi in omnem se partem verterint, vt se ex difficultatibus occurrentibus extricent, vix tandem commodè se expediunt. XII.

SECTIO V.

Possitne res esse, & nullibi esse.

PRima sententia est affirmatiua: ita Vasq. 1. p. d. 188. n. 25. & 27. Moncæus d. 1. c. 8. Mæratius 1. p. d. 19. s. 1. num. 6. Ouiedo Cont. 15. Phy. p. 7. quam etiam opinionem sequuntur docti quidam recentiores, licet inter se diuisi: aliqui enim dicunt, rem tantùm indiuisibilem, vt Angelum, existere posse nullibi, seu sine omni vbicatione, non tamen hominem, aut rem vllam compositam. Alij tamen, etiam hominem, & alias res compositas quascumque dicunt absolui posse à loco. I. *Prima sententia est affirmatiua.*

Secunda sententia, quæ mihi semper visa est longè probabilior, affirmat rem nullam, siue ea simplex sit, siue composita, posse, etiam diuinitùs esse, & nullibi esse, seu priuari omni vbicatione, & absolui, vt aiunt, à loco. ita Suar. l. 4 de Angelis, c. 3. n. 5. Arriaga d. 123. c. 1. Molina q. 52. ar. 1. disp. vn. memb. 4. asserens intelligi non posse Deum producere aliquid, & nullibi illud producere, Conink 3. p. q. 75. art. 4. d. 2. n. 72. aiens id esse inconceptibile, Bubalus q. 52. de Angelis, ar. 1. q. 2. diff. vltima, Hurt. d. 12. de Anima f. 6. Arria. d. 14. Phy. s. 4. n. 72. & idem sentire videtur Val. 1. p. d. 4. q. 3. p. 2. & alij. II. *Nequit res vlla esse, & nullibi esse.*

Probatur primò: nam, vt benè Mol. citatus, planè videtur inconceptibile, vt aliquid producatur, & nõ in aliqua parte spatij imaginarij, seu ita vt non sit intimè præsens negationibus in infinitũ diffusis. Vnde sancti Patres, Nazian. Aug. & alij passim dicunt, *quod nullibi est, non est.* Et alioqui dicet alius posse simul parietem esse album, & non esse album, vel saltem posse Petrum assentiri & dissentire eidem obiecto, amare illud simul & odisse: & addet, corrigendam esse imaginationem, qua hoc concipitur esse impossibile. III. *Probatur primò, quia contrarium est inconceptibile.*

Probatur secundò: nihil creatum existere potest, cui saltem Deus nõn sit intimè præsens, ergo existere nulla res potest, quin existat alicubi. Antecedens videtur adeò certũ, vt licèt P. Ouiedo affirmet posse rem spoliari omni vbicatione, non tamen audeat negare rem omnem creatam necessariò esse intimè præsentem Deo. Imò Cont. 15. p. 8. n. 3. citat. P. Vasq. (qui etiam tenet contrariam sententiam) 1. p. d. 28. asserentem esse veritatem catholicam Deum esse intimè præsentem omni creaturæ, neque illi esse liberum esse in vna potiùs quàm in alia, ex suppositione quòd illam creauerit. IV. *Res quæuis necessariò est intimè præsens Deo.*

Consequentia itaque, quòd sc. nulla res existere possit, quin existat alicubi probatur, si Deus creaturæ illi, Angelo ex. g. sit intimè præsens, ergo & Angelus est intimè præsens Deo, hæc enim sunt correlatiua V.

latius ergo creari nequit res vlla, absoluta ab omni loco, mutua enim præsentia est præsentia ex vtraque parte eorum quæ sibi inuicem sunt præsentia.

VI. *Angelus ille non est præsens, vt Deo vt existenti vbique.*

Conf. Angelus ille, vt intimè præsens Deo non est præsens illi vt existenti vbique, sic enim assat immensus, ergo est intimè præsens Deo, vt habenti talem virtualem determinationem, ergo Angelus tali virtuali Dei determinationi peculiariter respondet, ergo certam & determinatam habet vbicationem, per quam vni virtuali Dei determinationi respondeat, potius quàm alteri.

VII. *Non potest Angelus esse intimè præsens Deo sine vbicatione.*

Dices cum P. Ouiedo citato; Angelum esse præsentem Deo, non per vbicationem aliquam in Angelo receptam, sed per ipsam Dei immensitatem, quæ essentialiter est vbique, & omne creatum necessariò complectitur. Contrà, Angelus ille, vt dixi, non est præsens toti immensitati Dei extensiuè, sic enim esset vbique, ergo peculiariter correspondet tali virtuali Dei determinationi, inquiro ergo per quid? non per suam entitatem meram; Angelus enim indifferens est ex se, vt tam huic virtuali determinationi immensitatis Dei correspondeat, quàm alteri: nec etiam ad hanc peculiariter determinatur per immensitatem Dei, hæc enim est similiter indifferens vt Angelus tam huic eius virtuali determinationi respondeat, quàm illi, ergo aliqua dari debet determinatio, per quam huic potiùs virtualitati immensitatis Dei respondeat, quàm alteri.

VIII. *Clarius hoc cernetur, si Deus duas tantùm res creat.*

Conf. primò, sicut Deus primò Angelum creauit correspondentem virtualitati A, potuisset ipsum creare correspondentem virtualitati B, ergo aliquid habere debet, per quod huic virtualitati immensitatis primò respondeat, non illi. Conf. secundò, ponamus Deum duas tantùm res creasse, solem sc. & lunam, vel Deus est vtrique præsens per eandem virtualem sui determinationem, vel per diuersam: si primum, ergo res illæ sunt sibi etiam intimè præsentes; si secundum, per tantum spatium inter se distant, ergo neuter est à loco absolutus.

IX. *Si Deus à parte solis nobis obuersâ tolleret vbicationem, nil appareret hiatus.*

Probatur tertiò: Si Deus vbicationem à magnâ parte solis nobis obuersâ tolleret, vel nos aduerteremus, aut saltem Deus videret hiatum & vacuum in sole, vel non: si non, ergo eodem adhuc loco remanet pars illa solis quo antè; si ita, ergo reliquit locum priorem, ergo habet aliquam vbicationem. Idem argumentum fieri posset de quinque Angelis, quorum singuli occuparent spatium palmare, & ita rectâ lineâ sese inuicem immediatè sequerentur, vt ne minimum inter eos interuallum relinqueretur, si enim Deus ab Angelo aliquo intermedio vbicationem tolleret, vel videret spatium aliquod vacuum, quod priùs occupatum fuerat ab Angelo, vel non, & cætera quæ supra.

X. *Ostenditur res compositas non posse priuari vbicatione.*

Probatur quartò: specialiter contra eos qui asserunt, non Angelum tantùm, aut rem simplicem, sed quoduis etiam compositum posse absolui, à loco, quod sanè videtur impossibile ipso facto enim quòd vbicatio tollatur ab homine ex. g. periret vnio inter animam eius & corpus, cùm omnis vnio partium essentialiter supponat approximationem, & vnio informationis intimam præsentiam, pereunte autem vbicatione, anima & corpus non ampliùs sibi sunt intimè præsentia, ergo.

XI. *Duo esse sibi intimè præsentia est esse præsentia eidē spatio.*

Dices; licèt non sint intimè præsentia spatio, sunt tamen intimè præsentia sibi, quod sufficit ad vnionem. hæc quippe solùm requirit, vt partes sibi sint præsentes, non spatio. Contrà, implicare videtur contradictionem, vt duæ aliquæ res sint sibi intimè præsentes, & non spatio, cùm aliud nihil sit esse duo sibi intimè præsentia, quàm esse in eodem spatio, eo enim ipso quod vni tertio sint intimè aliqua duo præsentia, sunt intimè præsentia sibi. Conf. si vbicatio tollatur à domo ex g. vel partes domus retinent tantam inter se distantiam, quantam antè, ita vt tectum ex g. seiunctum sit à fundamentis, & parietes à se inuicem, vel non: si ita, ergo retinent vbicationem, cùm distantia essentialiter dicat situm localem; si non, ergo perit domus, vt videtur manifestum.

XII. *Quidquid est, necessariò est in aliquo tempore, ergo & in aliquo loco.*

Probatur quintò: argumento desumpto ex S. Augustino 11. de Ciuit. cap. 5. implicat rem aliquam existere, & non in tempore aliquo, vel vero, vel imaginario, ab instante sc. æternitatis vsque ad hoc instans, quia nimirum tempus imaginarium ab hoc instante fuit à parte antè in infinitum, seu sine vllâ limitatione diffusum, sed non minùs locus imaginarius, seu negationes illæ, de quibus suprà, dum de spatio imaginario, sunt infinitè diffusæ quoad spatium, ergo. Quia tamen maiorem à nonnullis recentioribus negari video, ad illam probandam statuam sec. sequentem.

SECTIO VI.

Possitne res esse, & nunquam esse, seu sine omni duratione.

I. *Nequit res esse, quin de eâ affirmari possit, Fuit, Est, vel Erit.*

CONclusio: implicat rem vllam existere, etiamsi diuinitùs, & non in aliquo tempore, vel vero, vel imaginario, seu quin de eâ verum sit vnum ex his tribus affirmare, *Fuit*, *Est*, vel *Erit*. Ita auctores sec. præcedente, n. 2. citati.

II. Probatur primò. quia (vt s. præcedente, n. 13. dixi de spatio) inintelligibile videtur aliquid existere, quin eorum ex illis tribus ei competat, *Fuisse*, *Esse*, aut *Fore*; quod P. Arriaga d. 14. Phy. s. 4. n. 73. ait esse tam euidens quàm duo & tria esse quinque, & à nemine negari posse.

III. *Sequeretur ergo illam posse destrui, & non posse.*

Probatur secundò, ponamus Deum producere Angelum aliquem, vel hominem sine duratione, seu, quod eòdem recidit, in nullo instante aut tempore: sicut hominem illum sine duratione produxit, ita poterit eum destruere, & homo ille mori, hoc autem fit subtrahendo ab eo concursum, hæc verò omnia destrui, mori, subtrahere concursum, essentialiter supponunt successionem, seu existere negationem illius rei, quæ fuit: alioquin quare Anti-Christus modò, licèt non existat, non tamen est mortuus? Et licèt secundùm plurimos, res aliquæ produci possint ab æternò, secundùm omnes tamen nihil potest ab æterno destrui, quia destrui dicit successionem, seu non esse aliquid quod fuit. Cùm ergo certum sit posse Angelum illum annihilari, & hominem destrui, ac mori, manifestum etiam videtur necessariò interuenire durationem & successionem, ergo nihil potest esse sine omni duratione.

IV. *In quouis instante esse debet, vel res, vel illius negatio.*

Probatur tertiò, implicat secundùm omnes vt quouis instante non sit vel Angelus, vel illius negatio, seu quòd Angelus quouis instante nec sit, nec non sit, cùm sint contradictoria, sed in contrariâ sententiâ sequitur in aliquo, imò pluribus instantibus, nec Angelum esse, nec illius negationem, ergo. Probatur minor, à S. Michaële ex. g. qui durauit vsque ad instans B. tollat Deus durationē; in illo instante non existit S. Michaël, vt est manifestum, & concedunt aduersarij, cùm existere in illo instante sit habere durationem ipsum affigentem tali instanti. sed nec existit illo instante ipsius negatio, nam S. Michaël illo instante non destruitur quoad substātiam, ergo in instante illo B nec existit S. Michaël, nec illius negatio. Hoc argumentum non eos tantùm viget, qui admittunt negationes, sed alios etiā,

omnes enim admittunt aliquid negationibus æquiualens, vt formas purè possibiles &c. de quibus idem formari potest argumentum.

V. *Sequeretur rem existere, & non tollere negationem sui.*

Probatur quartò, & suppono negationes fluere, & esse affixas tempori per se, vel, si hoc negetur, argumentum procedit de eo per quod negationes determinantur, vt sint hoc potiùs tempore, quàm illo. Implicat rem existere, & non tollere, vel impedire (si producatur ab æterno) negationē sui, sed si producatur res sine duratione, nullam negationem tollit, ergo. Probatur Minor, si aliquam tollat, tollit omnes, nempe præteritas, præsentes, & futuras, nec enim est maior ratio cur vnam tollat quàm aliam, cùm non magis vni sit applicata, quàm alteri, imò nulli applicetur, cùm applicetur seu determinetur per durationem. Nec etiam tollit omnes, si enim tollat vel impediat negationem quæ fuit, aut fuisset ab æterno, ergo fuit res ab æterno, cùm illi negationi applicetur. Idem argumentum fit de quacunque negatione in particulari, vt cuiuis rem consideranti facilè constabit.

VI. *Sequeretur posse hominem, vel Angelum esse naturaliter in gratiâ & peccato.*

Probatur quintò, si Deus Angelum aut hominem conseruaret sine duratione, sequeretur posse in eo esse assensum & dissensum de eodem obiecto, amorem & odium, grauam & peccatum naturaliter, imò & posse Deum homini in peccato existenti, dare vnionem Hypostaticam absque eo quòd peccatum destruatur, cùm iuxta aduersarios, hæc non repugnent nisi rei in certo loco ac tempore, quòd hic non inuenitur.

Sextò, sequeretur etiamsi Deus alicui promisisset se eum nunquam, seu nullo tempore vel instante destructurum, posse illum nihilominus destruere, si nimirum durationem ab eo & aliis tollat, sic enim, stante etiam promissione, eum destrueret, & tamen nunquam destrueret. Pleraque ex his argumentis probant etiam rem non posse existere sine omni vbicatione.

SECTIO VII.

Obiectiones contendentes posse rem esse, & nullibi, ac numquam esse.

I. *Obiicitur rem esse priorem vbicatione, ergo potest esse sine illa.*

OBiicit P. Ouiedo Cont. 15. Phys. p. 7. n. 2. res producit suam vbicationem & durationem, ergo est prior illis, ergo ab iis independens, ergo existere res quæuis poterit, etiamsi duratio omnis, & Vbicatio ab ea separetur. Hoc etiam argumento vtuntur docti quidam recentiores, eoque putant rem confici.

II. *Non vrget.*

Hæc ratio nunquam mihi visa est efficax: primò enim eos tantum vrget, qui docent rem producere suam vbicationem; si ergo quis hoc neget, quod multi faciunt, argumentum nullam habet vim, vt constat.

III. *Variis instantiis infringitur. vis argumenti.*

Deinde hoc argumentum in multis à suis auctoribus solui debet: ex. g. nullus existere potest, & non quouis instante habere vel gratiam, vel negationem gratiæ, vt est manifestum, sed potest ille esse vtràque prior, & independens ab iis, independentiâ antecedente, ergo. Maior est certa, sunt enim contradictoria: minor itaque probatur, homo iustus pro aliquo priori est indifferens ad peccandū, vel non peccandum, ergo in illo priori est indifferens ad gratiam & illius negationem, si enim non peccet, habebit adhuc gratiam, si peccet, habebit illius negationē, ergo hic apertè ostenditur quomodo possit quis esse prior iis, quorum vtroque non potest carere, vel diuinitùs, ergo & prior esse poterit vbicatione & duratione, licèt sine iis nec diuinitùs esse possit. Idem est de calore, frigore, &c. & illorum negationibus. Idem latè suprà dum de dependentiâ à posteriori d. 20. s. 2. ostendi in causâ necessariâ & liberâ & aliis quæ non est opus hic repetere.

IV. *Obiic. vbicationem, & durationem non esse de intrinseco conceptu rei.*

Obiicitur secundò: Vbicatio aut duratio non est de intrinseco conceptu seu constitutione rei, Angeli v.g. ergo iis ablatis, non sequitur rem debere perire, cùm adhuc maneant prædicata illius intrinseca. *Respondetur.* Resp. res frequenter ab iis in existentia dependere, quæ non sunt de intrinseco illarum conceptu seu constitutione: sic enim duæ partes minimi naturalis, in homine saltem, aut alio animali perfecto, ita in existentia à se inuicem pendent, vt, vna ablata, alteram perire necesse sit. Quid ergo vetat vt etiam in ordine ad Diuinam potentiam, vnum hoc modo ab alio pendeat?

V. *Obiic. non inde sequi duo contradictoria, ergo Deo hoc non est denegandum.*

Obiicitur tertiò: non sequi duo contradictoria ex eo quòd res existat sine vbicatione aut duratione, ergo hoc Diuinæ potentiæ non est denegandum. Contrà, nec etiam assentire & dissentire eidem, amare idem & odisse, gratia, vel vnio Hypostatica & peccatum sunt expressè & formaliter contradictoria, & tamen vel ipsis aduersariis assentientibus, non possunt eidem simul competere.

VI. *Resp. esse virtualiter contradictoria, & argumentũ.*

Dico itaque, licèt non sint contradictoria formaliter, esse tamen arguitiuè, cùm enim talis sit natura spatij (idem est de tempore) vt vndique in infinitum diffundatur, ex eo quòd res aliqua existat, & alicui eius parti non coëxistat, sequitur illam existere & non existere: sicut propterea existere nihil potest, quin coëxistat Anti-Christo vel illius negationi, quòd scilicet, vt vtrumque horum simul esse, ita alterum non esse impossibile est. Vnde sicut propterea negant aduersarij posse quempiam amare idem simul & odisse, quia hoc conceptu est difficile, ita cum non minùs imò magis inconceptibile sit posse aliquid existere, & non in aliquâ parte spatij imaginarij: aut non coëxistens Deo, à fortiori hoc Philosopho est negandum.

VII. Obiicitur quartò: potest sol diuinitùs existere sine luce, ignis sine calore &c. ergo & Angelus sine vbicatione, aut duratione, seu nullibi & nunquam. Resp. negando consequentiam, ex eo sc. quòd spatium imaginarium & tempus sint infinitè diffusa, vt sæpe dictum est, quod luci non competit. Vnde si lux esset in infinitum diffusa sicut spatium, dicerem nec diuinitùs existere posse solem, quin sit intimè præsens alicui parti lucis: imò si vnio etiam lucis esset simul cum eadem luce vndique per infinita spatia extensa, adderem nec diuinitùs creari posse solem, quin luce informetur.

DISPVTATIO XXXIV.

De Loco intrinseco, seu vbicatione.

Quod nullibi est, nihil est.

Nihil certiùs quàm res omnes esse in loco, vnde ait Aristoteles 4. Phy. c. 1. t. 1. *quæcunque sunt, alicubi sunt*, seu; vt alij explicant, & eòdem penè recidit, *quod nullibi est, nihil est*, vnde, inquit ipse ibidem, tragelaphus & sphinx, & aliæ huiusmodi Chimæræ, quia nihil sunt nullibi sunt. Per quid autem vel quomodo res sint in loco nihil difficilius: quod proinde multorum ingenia mirum in modum torsit, vt disputationis huius decursu videbimus.

SECTIO PRIMA.

Varij modi explicandi existentiam rei in loco.

I. *Esse in loco est aliquid aliud præter rem, & locum.*

Inprimis esse hoc aliquid aliud præter ipsam nudam entitatem rei & locum, seu spatium, videtur clarum ex communi argumento de separabilitate reali: possunt enim existere locus & corpus, & tamen corpus in loco illo non existere, seu non esse coniunctum loco, ergo rem esse in loco est aliquid aliud præter meram entitatem rei & locum. Confirmatur, iam res, Angelus scilicet, vel homo est distans ab hoc loco, iam indistans, ergo est indifferens ex se ad hunc vel illum locum, seu vt sit vel non sit in hoc loco, ergo non est ex se determinatus ad hunc locum, ergo determinari debet per aliquid aliud: quid ergo illud aliud sit, hîc inuestigandum proponimus.

II. *Vbicatio non est voluntas Dei.*

Primò, dicunt aliqui esse decretum Dei quo vult creaturam esse hoc vel illo loco. Contrà primò, hoc decretum nouum, & voluntas Dei, vel est efficax, vel solùm inefficax: si secundum, nihil ad rem præsentem, tunc enim solùm denominaret Deum volentem rem esse in loco inefficaciter, & consequenter ex vi illius non esset nouus hic effectus coniunctionis ad nouum locum, cùm voluntas inefficax sit illa quæ non habet effectum, sed solùm est per modum cuiusdam simplicis complacentiæ, & velleitatis; qualem habet Deus de saluatione totius mundi, *vult* enim *omnes homines saluos fieri*. Si autem decretum hoc, & voluntas sit efficax, ergo aliquid efficit ex parte creaturæ, ergo fit aliquid de nouo, vel positiuum, vel negatiuum ex parte rerum creatarum, præter rem & locum, hæc enim erant antè, ergo hoc nouum decretum & voluntas Dei vult aliquid aliud præter rem & locum.

III. Secundò impugnatur, & inquiro, quando Deus vult vt Petrus qui erat Leodij, sit Londini, quodnam sit obiectum voluntatis huius Diuinæ? nec enim est sola voluntas loci, nec sola voluntas rei, Petri v. g. nec Petri & loci, cùm Petrus & locus fuerint antea.

IV. *Aliud est Deū simul aliqua velle, aliud velle ea simul.*

Dices; est voluntas Petri & loci simul. Contrà, vel illud simul tenet se ex parte obiecti, vel solùm ex parte actûs, ita vt simul velit Deus Petrum & locū, hoc autē non sufficit, Deus enim simul voluit primum annum creationis mundi, & præsentem, qui iam est, non tamen voluit illos esse simul, sed multa annorum millia inter vtrumque interponi: ergo quando vult Petrum & locum esse simul, vult aliquid aliud. Debet ergo dari aliquid aliud superadditum quod sit formalis determinatio Petri ad hunc potius locum quàm alium. voluntas verò hæc Dei, vel alia causa producens est determinatio solùm effectiua, seu efficiens determinationem formalem, vt suprà disp. 14. s. 2. in simili diximus de vnione, cuius causa productiua non est vnio formalis, sed effectiua, seu vnitio.

V. Tertiò impugnatur, oculis enim cernimus res esse tali vel tali loco, ac tantum inter se distare, & tamen non cernimus voluntatem Dei, alioqui lupus videns agnum in prato, videret voluntatem Dei. Deinde si possit per huiusmodi solum nouum decretum Dei statui res in diuerso loco, ita vt decretum hoc sit ratio formalis per quam sunt res in loco, quidni etiam dari possit decretum aliquod quod sit vnio, vel actio, imò & albedo, ita vt paries sit albus, & aër lucidus per voluntatem Dei?

VI. *Vbicatio non est actio simul productiua.*

Secundò ergo dicunt alij, probare quidem hæc, dari debere necessariò aliquid distinctum ab entitate rei & loci, per quod dicatur res esse in loco, hoc autem, inquiunt, est ipsa actio quâ res producitur, quam dicunt simul esse actionem, vbicationem, & durationem, & ex naturâ suâ producere vel conseruare rem hîc & nunc, ergo simul est actio, vbicatio, & duratio.

VII. *Impugnatur hæc opinio.*

Contrà primò, si hoc sufficiat vt dicatur actio esse simul vbicatio, & duratio, quòd Deus per actionem producat Petrum hîc & nunc, ob quam causam dicunt actionem habere has tres formalitates, productionis, vbicationis, & durationis, quidni ergo & vnio erit simul vbicatio & duratio? cum Deus intendat per vnionem vnire formam materiæ, & accidens subiecto hîc & nunc. Dices; vnio potest manere eadem, licèt res mutetur quoad locum. Contrà, sic etiam & actio: quæ enim est maior ratio cur vnio maneat, mutatâ re quoad locum, quàm actio; certè nulla assignabitur extra præsentem controuersiam, nisi petatur principium. Licèt ergo producatur & conseruetur res hîc & nunc, non tamen hæc tria munera præstantur per solam actionem, sed tribuendo singula singulis, producitur & conseruatur res per actionem, hîc per vbicationem, nunc per durationem: effectus enim formalis actionis non est reddere rem hoc vel illo loco præsentem, sed solùm eam producere, nec effectus formalis vbicationis est producere, sed reddere rem præsentem.

VIII. *Sequeretur albedinē esse vbicationē & durationem.*

Impugnatur secundò, cur non posset quis eodem modo dicere, albedinem esse suam vbicationem & durationem, & consequenter mutari singulis momentis? vt philosophantur hi auctores de actione, æquè enim ex conceptu suo actio est absoluta à loco & tempore atque albedo, & sicut actio producit albedinem hîc & nunc, ita albedo reddit subiectum album hîc & nunc, ergo etiam mutabitur albedo singulis momentis, sicut iuxta hos auctores mutatur actio.

IX. *Columna nōmutaret singulis momentis vbicationem.*

Contrà tertiò, quis dicet columnam loco aliquo fixam singulis momentis mutare vbicationem, & habere diuersam vbicationem vespere quàm manè, vel diuersam etiam actionem conseruatiuam? habemos verò fundamentum cur mutet durationem, cū duratio sit correspondentia cum tali tempore reali, vel imaginario, cùm ergo tempus perpetuò fluat, debet etiam fluere duratio ipsi correspondens: sicut

dum

dum quis mutat locum, & ſpatium imaginarium, neceſſariò mutatur illius vbicatio: cur autem mutetur actio, nullum eſt fundamentum, cùm non magis ex conceptu ſuo vnum tempus reſpiciat actio quam aliud.

X. *Sequeretur nihil poſſe mouere ſe.*

Contrà quartò, ſi vbicatio identificetur cum actione productiuâ, ſequitur non poſſe quidquam propriè dici mouere ſe. Patet, nam vbicatio eſt actio productiua, & conſeruatiua, iuxta hanc ſententiam, ſed non poteſt quidquam producere, aut conſeruare ſe, ergo nec poteſt ſe mouere, cùm ſint idem, vel ſi dicatur mouere ſe, dicetur etiam ſe producere. Confirmatur, Angelus non poſſet omnino dici naturaliter mouere ſe, ſi motus eſſet actio illius conſeruatiua, nam illa eſt creatio, ſed Angelus nec ſe, nec aliud quidquam poteſt naturaliter creare, ergo nec poterit ſe mouere, cum iuxta hanc ſententiam ſint idem.

XI. *Non poſſet quis in diuerſo loco habere eũdem actũ liberum.*

Tandem ſecundùm hunc modum philoſophandi, non poſſet Petrus aut quiuis homo, vel Angelus habere eundem actum liberum in duobus locis vel momentis ſed neceſſariò illum mutare debet quoties mutat locum. Probatur antecedens, actum enim liberum, vt liberum, neceſſariò ingreditur ipſa actio, ſed actio ſecundùm hos auctores eſſentialiter affixa eſt huic loco, & tempori, ergo non poteſt in diuerſo loco & tempore habere eundem actum liberum: quod tamen meritò cenſetur inconueniens.

SECTIO II.

Peculiaris modus explicandi exiſtentiam rei in loco.

I. *Nouus modus explicãdi exiſtentiam rei in loco.*

TErtius aliquorum dicendi modus eſt, rem eſſe in loco non dicere aliquid ſuperadditum rei & loco, ſed ſolùm coniunctionem corporis cum hoc ſpatio, hæc autem, inquiunt, coniunctio formaliter nihil aliud eſt, quàm ipſa entitas rei tollens negationem ſui in hac parte ſpatij, idque per ſe adæquatè. Pro quo ſupponunt nobiſcum negationes habere partes, vel quaſi partes extenſiuas ſecundum ſpatium in infinitum diffuſas. Eſſe ergo Petrum hic, inquiunt, eſt tollere hanc partem negationis ſui, ſeu partem illam quæ huic ſpatio peculiariter correſpondet.

II. *Impugnatur hic philoſophandi modus.*

Sed contrà, tota & adæquata ratio formalis, per quam res eſt hic, ſeu tota ratio per quam tollit formaliter hanc partem negationis ſui, eſt ſecundum hunc modum dicendi, ipſa ſola entitas illius rei, ſed tota entitas rei, Petri v. g. erat antea in tempore præcedente, & antequam Petrus eſſet hic, ergo in tempore præcedente tollebat hanc partem negationis, & antequam Petrus huic loco coexiſteret, datâ enim causâ formali adæquatâ non poteſt non poni effectus eius formalis, ergo Petrus exiſtens Romæ tollere deberet partem negationis ſui, quæ eſt Leodij, Pariſiis, Londini &c. vel ad hunc effectum aliquid aliud requiritur, præter meram Petri entitatem. Dices; requiri vt applicetur Petrus huic loco. Contrà, ergo eſſe ipſum applicatum ſuperaddit aliquid aliud, nempe applicationem, hæc ergo applicatio inquiro quid ſit, vel quid ſuperaddat: certè vel aliquid aliud includit præter meram Petri entitatem, vel Petrus antea tollebat hanc partem negationis ſui & conſequenter antea erat hic.

III. *Dicunt ſuperaddi negationem negationis.*

Dices primò; illam applicationem non eſſe quid poſitiuum, ſed negationem negationis, nempe negationem huius partis, quæ ſcilicet iam reſultat loco prioris, ita vt ratio formalis per quam Petrus eſt hic ſit hæc negatio negationis. Contrà primò, ergo ratio formalis per quam Petrus eſt hic, non eſt ſola eius entitas. Contrà ſecundò, nam d. 18. Log. ſect. 21. oſtendi non dari huiuſmodi negationes negationum contradictorias, ſed pro contradictorio habere debere rem aliquam poſitiuam, cùm contradictoria ſint, quæ maximè inter ſe diſtant, vt ibi fuſiùs. Deinde, contradictoria omnia æqualiter inter ſe diſtant, duæ autem negationes non tantùm inter ſe diſtant quantum res poſitiua & illius negatio, cùm duo non entia non tantùm diſtent, quantum ens & non-ens. *Non dantur negationes negationũ.*

IV. *Dicunt tollere hanc partem negationis, quia coexiſtit omnibus aliis.*

Dices ſecundò; ideo corpus tollere hanc partem negationis ſui, quia coexiſtit omnibus aliis partibus ſuæ negationis: implicat autem vt exiſtat corpus & omnes aliæ partes negationis huius corporis, quin corpus tollat hanc partem, cùm exiſtere non poſſit quin tollat aliquam, ac proinde determinatur ad ablationem huius partis per coexiſtentiam ad omnes alias. Contrà, eadem hic, vel maior videtur difficultas, nam non minori egeret determinatione vt coexiſtat aliis omnibus partibus, quàm vt tollat hanc, ergo aſſignandum eſt aliquid aliud per quod determinetur ad coexiſtendum cum illis. Confirmatur, ideo tulit hanc partem negationis ſui potiùs quàm aliam, quia applicatur huic parti ſpatij, & non alteri, ergo eſt aliqua noua & peculiaris applicatio, per quam redditur correſpondens huic parti ſpatij, potiùs quam alteri, quæ applicatio non erat antea, hæc autem eſt vbicatio. *Reijcitur hæc reſponſio.*

V. *Fundamentum præcipuum huius ſententiæ.*

Dices; (& eſt fundamentum huius ſententiæ) res non eſt hic formaliter & adæquatè per negationem ſui hic, ſeu per hanc partem negationis, ergo res eſt hic adæquatè per ſuam entitatem ſolam. Patet cõſequentia, per id eſt hic formaliter per quod tollitur eius negatio hic, ſed tollitur formaliter & adæquatè per ſolam rei entitatem, ergo. Minor probatur nam negatio rei ſolùm tollitur formaliter per entitatem ipſius rei ſibi contradictoriè oppoſitam, nec enim negatio Petri hîc tollitur formaliter per vbicationem Petri, ſed per entitatem, ergo per ſolam ſuam entitatem Petrus eſt hic, cùm per ſolam ſuam entitatem tollat partem illam negationis ſui hic.

VI. *Refellitur ratio poſita.*

Reſp. verum eſſe Petrum tollere negationem ſui hîc formaliter, & adæquatè per ſuam entitatem, neceſſariò tamen requiritur applicatio, tanquam conditio eſſentialiter requiſita, alioqui non eſſet maior ratio cur tolleret hanc partem ſuæ negationis, quàm aliam. Ratio igitur cur tollat potiùs hanc partem, quàm aliam, eſt quia applicatur huic parti ſpatij, potiùs quàm alteri. Sicut licèt rem exiſtere ſimpliciter ſit tollere ſuam negationem, & illam tollat adæquatè per ſuam entitatem ſolam, neceſſariò tamen requiritur actio productiua, per quam ponatur res extra cauſas & quaſi applicetur ad eſſe, & ad negationem illam auferendam.

VII.

Ad id autem quod dicunt, ipſo facto quòd intelligatur tolli hæc pars negationis intelligi formaliter rem eſſe hîc. Reſp. negandum eſſe ſuppoſitum, poſſe ſcilicet intelligi rem tollere hanc partem negationis, quin intelligatur cum vbicatione, ſi formetur conceptus adæquatus & cum omnibus requiſitis; vt enim intelligatur res tollere hanc partem negationis, debet intelligi applicata huic ſpatio, applicatio autem hæc eſt ipſa vbicatio, cùm res ex ſe ſit indifferens vt hanc partem negationis tollat, vel aliam. In quo differt res abſoluta ab vbicatione, hæc enim ipſo facto quod intelligatur tollere hanc partem negationis ſui, intelligitur eſſe hîc, quia non eget alio applicatione vel determinatione, ſicut egent res omnes abſolutæ, ſed idem eſt in vbicatione eſſe, & eſſe applicatam tali ſpatio.

VIII.

Licèt itaque Petrus per ſuam entitatem ſolam tollat

Vbicatio requiritur tanquam applicatio.

tollat formaliter hanc partem negationis sui, sicut tamen requirit actionem conseruatiuam tanquam conditionem ad hoc necessariam, ita & requirit vbicationem, quæ sit applicatio illius ad hanc potiùs partem negationis quàm aliam, ex quo prouenit vt partem illam solam tollat, & nullas alias.

IX. *Res non est in loco per negationem spatij interiecti.*

Alij demum cum Gregorio, Gabriele & cæteris Nominalibus, ac Patre Valentiâ 1.p.d.4.q.3 p.2. §. *In eo autem*, dicunt rem esse in loco per negationem spatij interiecti, & hoc modo ponunt varias negationes negationum: spatium enim est vna negatio secundùm ipsos, interiectio est alia, deinde negatio spatij interiecti est secundùm illos negatio huius negationis. Hæc sententia magnam mihi videtur parere confusionem: quæro enim quis sit conceptus spatij, vt vocant, interiecti inter Petrum & Paulum? dicunt esse negationem coniunctionis. Inquiro vlteriùs quid sit illa coniunctio, cuius spatium interiectum est negatio? dicunt esse non-coniunctionis, seu negationem negationis coniunctionis, & sic philosophantur in circulo.

X. *Hoc modo philosophandi negari posset vnio.*

Deinde contra hunc modum philosophandi est, quidni enim negari eâdem ratione posset vnio, quam tamen concedunt aliqui ex his auctoribus? probatur sequela; ponantur namque anima & corpus intimè inter se penetrata, sed non vnita, quæro cur non sint iam vnita? Respondent quia deest coniunctio, seu quia habent negationem coniunctionis, ergo si ponatur negatio negationis huius coniunctionis, iam per hanc negationem coniungentur, implicat enim auferri negationem coniunctionis inter aliqua, & ea non coniungi; gratis autem negaretur posse dari huiusmodi negationem negationis coniunctionis inter corpus & animam, si concedatur, vt ab ipsis conceditur, dari eam in coniunctione quoad locum: quæ enim maior ratio in vno casu, quàm in altero?

SECTIO III.

Res existit in loco per vbicationem: vbi, vtrùm vbicatio sit modus

I. *Res in loco existit per vbicationem.*

Dico itaque primò: rem esse in loco per vbicationem, seu formam aliquam positiuam, à re realiter distinctam: ita Suarez d. 51 Met s.1.n.14. Mol.1.p.q.52, a.1.disp.vn. mem.5. Albertin.To.2. prædi. *quæst.* coroll.15.d.1.3.4. Tanner d.5. de Ang. q.2. d. 2. n. 1. Murcia hîc d.1. q.4. Tol.l. 4. Phy. q.3. concl.2. Hurt. hîc d. 14. s. 2. Arriaga d. 14. Phy. s.2. n. 4. Ouied. cont. 15. Phy p.4.n.3.& alij. Contra Valent. 1.p. d.4 q.3.p. 2. Conninck, de sacram. q. 75. a. 4. & alios.

II. Prob. primò, ex refutatione omnium aliorum modorum explicandi existentiam rei in loco, quos sect. præcedente retulimus & impugnauimus. Secundò probatur argumento illo quod suprà latè posuimus s 1.n. 2. & seq. de separatione reali, quod non est opus hîc repetere.

III. *Vbicatio non necessariò est modus.*

Dico secundò: probabilius mihi videri, positiuũ hoc quod superadditur, seu vbicationem (idem est de duratione) non necessariò debere esse modum, sed posse esse formam aliquam superadditam absolutam, absolutam inquam, non à spatio, sed à subiecto: ita Arriaga d.14.Phy.s.2. n.49. contra Ouiedo cont.4.Met. p.6. n.7. fine, & alios plurimos. Conclusionis vnica & sufficiens ratio est, quia intelligitur vbicatio & duratio abunde præstare munus suũ figendi, scilicet rem in hoc spatio, ac tempore, licèt ipsæ subiectis suis vniantur per vniones distinctas, modò connectantur spatio ac tempori immediatè & per seipsas. Conf. non videtur cur magis vbicatio, & duratio sint modi quàm actus intellectûs, voluntatis, & omnium sensuum, quos tamen communis sententia negat esse modos.

Dices primò; vbicatio est essentialis determinatio & coniunctio rei cum tali loco, ergo est modus. Contrà, etiam visio est determinatio & coniunctio intentionalis oculi, vel animæ cum tali determinato obiecto, ergo vel vtraque est modus, vel neutra. Sicut autem visio potest per Diuinam potentiam conseruari sine hoc, imò sine omni subiecto, ita quidni poterit vbicatio? vbicatio ergo est essentialis determinatio sui ad hoc numero spatium, non ad hoc numero subiectum, ita vt sine eo existere non possit. Dici ergo potest vbicatio modus spatij, non subiecti. IV.

Conseruari potest vbicatio sine subiecto.

Dices secundò; implicat concipere sessionem vel eternitatem quin concipiatur reddens aliquid sedẽs, vel eternum. Conf. vbicatio secundùm nos est applicatio, sed implicat concipere applicationem, & non concipere aliquid applicatum, ergo vbicatio essentialiter afficit suum subiectum, & consequenter est modus, etiam subiecti. Ad argumentum Resp. non maiorem in eo esse difficultatem quàm vt concipi possit visio & cognitio quin concipiantur actu reddentes videntem aut cognoscentem. Est ergo sessio & eternitas essentialis ordo & correspondentia sui ad tale spatium, non tamen denominat necessariò subiectum hoc modo extensum, nisi illi actu vniatur. Ad confirmationem distinguo minorem: implicat concipere applicationem completam, & non aliquid applicatum, concedo minorem; applicationem incompletam, nego. Applicatio autem completa dicit vbicationem seu applicationem vnitam subiecto, sicque includit vnionem, licèt semper intelligatur applicatio vnita & applicata spatio, est enim ex essentiâ suâ applicata per se huic spatio, non tamen applicat necessariò aliud à se, cùm non necessariò vniatur suo subiecto. V.

Sessio & eternitas esse possunt sine subiecto.

Vbicatio est applicatio incompleta.

Dices tertiò; ergo etiam tolli poterunt omnes modi. Nego consequentiam, longè enim maior est necessitas aliorum, quàm vt vbicatio sit modus: nam si vnio ex.g non esset modus, sequeretur processus in infinitum, si enim vnio esset substantia absoluta, quantumcunque incompleta, & non esset intima affectio, & vnio sui cum subiecto & formâ, egeret aliâ vnione vt iis vniretur, cùm eadem tunc esset ratio de vnione ac de materiâ & formâ: illa ergo alia vnio vel vniretur seipsâ, & sic esset intima affectio per se sui subiecti, sicque esset modus, vel vniretur per aliam adhuc vnionem distinctam & illa per aliam, & sic in infinitum, nisi tandem concedatur aliqua vnio, quæ sit intima affectio sui subiecti, & modus. Quòd autem vbicatio sit entitas absoluta & solùm determinata quoad spatium, quid sequitur incommodi? nullus enim hic processus in infinitum, sicut in exemplis proximè allatis. VI.

Non benè sequitur tolli posse omnes modos.

Dices quartò aliqui modi sunt in loco per vbicationes à se distinctas, ergo vbicatio non est qualitas vel accidens absolutum, huiusmodi enim qualitas subiectari nequit in modo ob imperfectionem modi, sicut nec propterea potest substantia subiectari in accidente. Resp omnes modos non esse imperfectiores semper accidentibus: quis enim dicet subsistentiam, quam multi ponunt modum, non esse perfectiorem calore, vel frigore? cùm sit modus substantialis quod etiam verum habet in vnione, saltem hypostaticâ. Deinde esto sint modi omnes imperfectiores accidentibus absolutis, quidni tamen poterit aliquid perfectius subiectari in subiecto se imperfectiori? vt formæ substantiales subiectantur in materiâ primâ: concursus enim materialis non requirit produci à principio perfectiore illâ re in VII.

Modi non sunt semper imperfectiores accidentibus.

quam

Perfectionis subiectari potest in imperfectione.

quam influit, cùm sit modus concurrendi ex genere suo imperfectus. Ratio autem cur substantia nō possit recipi in accidente, non est imperfectio accidentis, vt constat in materiâ primâ respectu formarum substantialium, & vnionis Hypostaticæ, sed quia substantia ex naturâ suâ ordinatur ad faciendum vnum per se cum suo subiecto, ac proinde subiectum quod præsupponitur substantiæ, debet esse substantia: vnde forma substantialis recipi nequit in accidente.

VIII. *Vbicatio est absoluta a subiecto non à loco.*

Est ergo vbicatio accidens absolutum à subiecto, non à loco, seu spatio, vnde esse potest quin actu afficiat vllum subiectum, non tamen quin alligetur loco, idque per se, alioqui daretur processus in infinitum, sicut & in duratione. Vt ergo tribuat vbicatio effectum suum formalem, vniri debet subiecto per vnionem distinctam, sicut alia omnia accidentia. Vtrum autem vbicatio Petri possit esse vbicatio Pauli, & è contrà, ex vnâ parte nec est magnum inconueniens si concedatur, nec est negatu difficile, cùm multi, qui negant subsistentiam esse modum, non tamen admittant posse subsistentiam Petri esse subsistentiam Pauli, vel è contrâ, quia est quasi quædam proprietas Petri. Quod idem dici potest de vbicatione, vtpote quæ spectat ad completam rei perfectionem, & quasi integrum illius primum conceptum, vt sit in loco, cùm esse omnino non possit quin sit alicubi, vt ostendi disp. præcedente sec. quinta.

Possitne vbicatio Petri esse vbicatio Pauli.

SECTIO IV.

Obiectiones contra distinctionem vbicationis à re vbicatâ.

I. *Obiicitur Petrum, ablatâ vbicatione Romanâ, adhuc futurum Romæ.*

OBiicies primò; Deus tollere potest à Petro Romæ existente omnem vbicationem, Petro quoad cætera immutato, sed tunc Petrus tam esset adhuc Romæ, quàm antea, ergo. Minor prob. Petrus tunc esset alicubi, nam iuxta Aristotelem suprà citatum, *quod nullibi est, nihil est*, sed non acquisiuit nouam correspondentiam ad aliquod aliud spatium, cùm illud acquirere non possit sine nouâ vbicatione, supponimus autem omnem ab ipso ablatam esse vbicationem, ergo adhuc est Romæ idque sine vbicatione. Maior prob. hæc vbicatio pendet à Petro à posteriori, cùm sit effectus illius, ergo sicut potest materia diuinitùs denudari omni formâ, si Deus subtrahat concursum, ita & Petrus sine omni vbicatione. Confirmatur primò, nulla alia causa ita dependet à suo effectu, vt sine omni effectu existere non possit, ergo &c. Confirmatur secundò, Deus per nouum concursum liberum distinctum à concursu quo producit Petrum, concurrit ad hanc vbicationem, ergo adhuc producto Petro, & exhibito concursu ad illius entitatem, poterit concursum suspendere ad vbicationem.

II. *Satisfit obiectioni positæ.*

Ad argumentum Resp. negando maiorem, ob rationes suprà allatas d. præcedente. s. 5. Ad primam confirmationem, negatur antecedens, vt ostendi suprà d. 20. s. 2. n. 4. 5. 6 & 7. in causâ tum necessariâ, tum liberâ. In præsenti verò hoc prouenit ratione circumstantiarum, spatij scilicet, seu negationum vndique in infinitum diffusarum, vnde implicat quidquam esse, quin cum aliquâ parte illarum sit intimè penetratum: sicut ob eandem rationem ostendi d. præcedenti, s. 5. n. 4. nihil existere posse, quod non sit intimè præsens Deo: sicut nec quin coëxistat Anti-Christo, vel eius negationi.

III. Ad secundam confirmationem dico, Deum, posito quòd rem quampiam producat, non posse non producere aliquam illius vbicationem, & durationem: alioqui sequerentur duo contradictoria, nempe, rem esse intimè præsentem Deo, & alicui parti spatij, & non esse ei intimè præsentem.

IV. *Præcipua obiectio contra vbicationem distinctam.*

Obiicies secundò, & præcipuè: priùs naturâ quàm ponatur vbicatio, datur effectus formalis vbicationis, ergo vbicatio est superflua. Antecedens probatur, priùs naturâ quàm Petrus ex. g. producat aut recipiat vbicationem in hoc spatio, potiùs quàm in alio, debet esse in hoc spatio potiùs quàm in alio, cùm prius sit esse hîc, quàm operari hîc, ergo antecedenter ad operandum hîc, seu in hoc spatio debet esse hîc, & applicatus huic spatio, ergo priùs naturâ est hîc quàm habeat hanc vbicationē, ergo vbicatio non est ratio formalis per quam Petrus est hîc.

V. *Vbicatio non praerequiritur ad producendam vbicationem.*

Resp. negando primum antecedens: ad probationem nego etiam antecedens, licèt enim approximatio, & applicatio sit conditio prærequisita ad alias operationes, & effectus, non tamen ad productionem ipsius vbicationis, seu applicationis. Sicut licèt ad alias operationes requiritur subsistentia iuxta illud, *actiones sunt suppositorum* non tamen potest subsistentia prærequiri tanquam conditio requisita ad productionem sui. In hac ergo propositione & similibus est *suppositio accommoda*, sicut in hac, *quod tegit omnia cælum*, id est, præter seipsum: qua de re egi d. 3 Introd. s. 1. n. 9. Idem ergo affirmari potest de productione vbicationis.

VI. *Petrum producens hanc vbicationem non propriè operatur hîc.*

Dico itaque Petrum producentem hanc vbicationem, quâ figitur hîc, seu in hoc gymnasio, non propriè operari hîc seu producere vbicationem in hoc gymnasio, nisi sermo sit de toto instanti reali, quia pro illo priori præscindit ab omni spatio, nec potest propriè dici producere vbicationem in hoc spatio pro illo priori, quia pro illo priori non est in hoc spatio, nam est in illo solùm per vbicationem, ac proinde non potest in eo priùs esse quàm habeat vbicationem, illam autem pro illo priori non habet, Pro illo ergo priori habet se præcisiuè respectu vbicationis, & spatij.

VII. Requiritur ergo vbicatio tanquam conditio antecedenter ad operationes tantùm externas, non ad productionem vbicationis & operationum internarum, seu quæ exercentur in ipsâ re, quæ operatur. De quo plura d. 36. s. 5.

VIII. *Obiicitur rem esse naturâ priorem suâ vbicatione.*

Sed vrgebis, res priùs naturâ est, quàm producat vbicationem, ergo aliquid assignari debet in actu primo, quod pro illo priori eam determinet ad productionem huius vbicationis, potiùs quàm alterius, res enim ex se, Petrus ex. g. non magis petit vnam producere, quàm aliam, cùm sit ad varia loca indifferens, & consequenter ad varias vbicationes. Assignari ergo debet aliquod determinatiuum, hoc autem aliud esse nequit, quàm quòd applicetur res potiùs huic spatio, quàm alteri: alioqui cur magis producit vbicationem Leodiensem, quàm Romanam? ergo res est applicata spatio pro aliquo priori naturæ, antequam habeat vbicationem, ergo vbicatio non est applicatio, sed planè superflua.

IX. *Cur res tali loco primò producantur.*

Resp. si sermo sit de primâ rerum productione, ideo rem aliquam, ignem ex. g. hîc produci, quia hîc sunt dispositiones, & causæ ad eum producendum applicatæ. Si autem sit effectus qui à solo Deo dependet, vt Angelus, ideo hîc producitur merè ex decreto libero Dei, volentis sic eum potiùs producere, quàm alibi. Si verò sermo sit de motu locali, dico in illo determinationem prouenire à voluntate in Angelo, & homine, in brutis verò ab imaginatiuâ, & appetitu, cuius ductu in vnam partem potiùs feruntur, quàm aliam. Reliqua, grauia scilicet & leuia, impetu quodam naturæ in sua quæque loca feruntur, hæc sursum, illa deorsum.

Quid determinet in motu locali.

Ad

X. *Fuisse in loco proximo determinat ad hanc vbicationem.*

Ad id verò quod opponebatur, nisi detur aliquod determinatiuum ad productionē vbicationis, nullam esse rationem cur Petrus in instanti A existens Leodij producat in instanti B vbicationem Leodio proximam, potiùs quàm Romanam, dico rationem esse, quia immediatè antè fuit Leodij: cū ergo moueri naturaliter non possit nisi transeundo per medium, Romanam vbicationem producere priùs nequit, quàm produxerit intermedias.

XI. *Quædam replica circa conditiones extrinseca.*

Vrgent aliqui: quòd res fuerit immediatè antea in spatio proximo, parum refert, cùm ad operandum in hoc instanti nihil conferat quicquid fuerit in instantibus præcedentibus? Sicut quòd dispositiones ignis fuerint in materia in instante A, nihil conducit ad introductionem formæ ignis in instante B, nisi dispositiones illæ permaneant in instante B: ita similiter habuisse hanc vbicationem nihil iuuat ad producendam proximam, cum illa iam ampliùs non existat.

XII. *Res præterita sæpe sunt conditiones ad effectus præsentes.*

Sed hoc nullam mihi videtur habere difficultatem, & ab ipsis aduersariis solui variis in rebus debere. Primò ergo, vt quis moriatur hic, ab eo pendet quod immediatè antè fuerit hic. Deinde, in impetu vt sex, qui simul totus productus perit successiuè, quintus gradus, vt pereat connotat sextum immediatè ante periisse, & sic de cæteris gradibus vsque ad primum. Quod etiam contingit in gradibus caloris in aquâ productis, & similibus. Item iuxta aduersarios, vt res vlla, vel permanens, vel successiua possit produci, petit æternitatem à parte antè transiuisse. Et magis propriè ad rem præsentem, fuisse Petrum immediatè antè in spatio A, efficit vt Deus agens naturaliter non possit ipsum in instante sequēte collocare nisi in spatio proximo. Quidni ergo & fuisse hic immediatè antè esse possit conditio vt res cōstruatur in spatio immediatè sequente, seu vt producat vbicationem proximam heterogeneam?

XIII. Aliud est de formis substantialibus, tum quia experientiâ constat eas non introduci, nisi positis dispositionibus: tum quia accidentia iis data sunt, vel vt ornamentum, vt omnes fatentur, vel etiam vt adiumentum, vt suprà ostēdi disp. 25. sect. 8. n. 3.

XIV. *Obiicitur, si detur vbicatio posse eam cerni oculis.*

Obiicies tertiò si detur huiusmodi vbicatio posset cerni oculis & vna discerni ab alia, præsertim si notabiliter differant, sed non possunt discerni: siquis enim inclusus naui, secundo vento deferatur per integrum diem in mari aut flumine, diuersa notabiliter est vbicatio nauis vespertina ab vbicatione eiusdem matutina, quarum tamen diuersitatem vector inclusus naui non discernit.

XV. *Resp. eam cerni, sed non semper discerni.*

Resp. admisso quòd videantur Vbicationes, hæ, si sint eiusdem speciei rei, non differre specie completâ quantum enim Vbicatio Petri Leodij differt seu distat ab vbicatione Pauli, qui est Romæ, tantū vbicatio Pauli Romæ differt & distat ab vbicatione Ioannis, qui est Constantinopoli, sicque habent prædicata similia, sicut & spatium ipsum, cuius partes non differunt specie. Licèt ergo cernantur vbicationes, non tamen discernuntur, nisi per comparationem ad alia, vel secundùm diuersas figuras, vt lineam, circulum, triangulum, & alia huiusmodi, quæ fundant.

SECTIO V.

Diuisio vbicationis: & quibus rebus diuersa vbicatio competat.

I. Fusè hac de re Suarez d. 51. Met. P. Hurt. d. 12. Met. sect. 6. vbi latè impugnat P. Vasq. 1. p. d. 188. c. 7. asserentem Angelū solùm esse in loco per vnionem ad aliquod corpus, vnde ait Vasq. posse Angelum pro libito esse nullibi, si nimirum nolit se vlli corpori coniungere, de quo alibi.

II. *Vbi circumscriptiuum, & definitiuum.*

Celeberrimâ itaque diuisione diuiditur Vbi in Vbi *circumscriptiuum* & *definitiuum*. Vbi circumscriptiuum est, per quod corpus existit commensuratiuè, & quantitatiuè, ita vt pars parti spatij correspondeat, & totum toti, idque impenetrabiliter cum alio corpore quantitatiuo. Vbi *definitiuum* latè sumptum est Vbi illud, cui aliqua ex his conditionibus iam assignatis pro Vbi circumscriptiuo deest. Vnde dicunt aliqui si materia prima, vel forma lapidis, ablata quantitate, maneret adhuc extensa quoad locum (probabilius enim est in eo casu eas non necessariò confluxuras ad punctum) illud Vbi futurum *definitiuum*, non *circumscriptiuum*, licèt adhuc per illud pars materiæ & formæ parti spatij, & tota toti correspōderet. Vocatur præterea Vbi illud definitiuū, idque strictè, quod ita limitibus quibusdam rem definit & coercet, vt vlteriùs non extendatur: quo sensu omnia habent Vbi definitiuum præter Deum, licèt existant quantitatiuè in loco.

III. *Vbi definitiuum propriissimè sumptum.*

Appellatur etiam subinde Vbi *definitiuum*, per quod aliquid extenditur, vel quasi extenditur ad vltimum suæ sphæræ. Vbi autem *definitiuum* propriissimè sumptum, est quod locat rem in spatio indiuisibiliter, ita vt pars non correspondeat parti, sed totum sit in toto, & totum in qualibet parte spatij, quomodo Angeli sunt in loco, & est communis modus existendi spirituum. Video nonnullos fusè hîc examinantes alias acceptiones Vbi *definitiui*, sed hæc est de modo loquendi, quibus quæstionibus non libenter insisto.

IV. *Quid sit vbi sacramentale.*

Peculiare est hac in parte Vbi illud quo corpus Christi est in Eucharistiâ & vocatur Vbi *sacramentale*, nec enim solùm reddit corpus Christi penetratum cum quantitate panis, sed etiam omnes partes Corporis Christi penetratas inter se, vt quantitatem capitis cum quantitate manus, pedis, &c. cum totum corpus Christi sit in singulis partibus, & punctis spatij. Habet ergo hoc singulare hæc vbicatio, quòd singulæ illius partes vniantur toti corpori Christi, & reddat omnes partes penetratas inter se, quod nulli alteri vbicationi competit respectu corporis, quod in spatio collocat.

V. *Vbicatio, actio eius productiua, & vnio, sunt in loco per se.*

Quoad secundum, quod in titulo quærimus, nempe, quibus rebus diuersæ competant vbicationes: imprimis vbicationem ipsam non egere aliâ vbicatione à se distinctâ est clarum, sic enim daretur processus in infinitum, & eadem quoad hoc ratio est de vbicatione, ac de actione, vnione &c. Actio item productiua præsentiæ localis, vnio etiam quâ in nostra sententiâ sec. 3. num. 3. & sequentibus explicatâ, vbicatio vnitur suo subiecto, non egent alia præsentiâ, quâ sint in loco, tum quia daretur processus in infinitum, tum præcipuè quia actio hæc & vnio sūt affectiones huius præsentiæ, ergo ex natura sua possunt esse in eodem spatio cum illa, ergo sicut illa nō est in loco per præsentiam à se distinctam, quia petit essentialiter per se esse in hoc spatio, eodem modo actio eius productiua & vnio erunt in hoc loco essentialiter per se, cùm nec diuinitus inde dimoueri, seu in alio loco statui possint. Idem existimo de vbicationis duratione.

VI. Dices; sunt in loco per ipsam præsentiam quam afficiunt, seu per suum terminum. Contrà, ratio existendi in loco est effectus formalis proueniens ab aliqua forma, seu ab aliquo informante; sed terminus non informat actionem sui productiuam, nec vnionem, sed potius è contrà, ergo potius terminus est in loco per actionem & vnionem, quàm illæ per terminum.

VII. *Materia, Forma, & qualitates, habent vbicationes singula diuersas.*

Materia, forma, & omnes qualitates sunt in loco singulæ per vbicationes distinctas. Patet, nam si vna esset omnium vbicatio, sequeretur, quoties vel vnum aliquod accidens in composito destruitur, perire totam semper vbicationem, idque manente re in eodem prorsus loco, pereunte enim termino vel subiecto etiam partiali vbicationis, perit vbicatio. Dicit Vasquez, omnia in composito esse in loco per Vbicationem quantitatis. Contrà, possunt accidentia varia, & ipsa forma substantialis perire, manente adhuc in eodem loco quantitate, ergo non sunt in loco per vbicationem quantitatis.

VIII. Essentiam & passiones omnes ab eâ naturaliter inseparabiles probabile est esse in loco per eandem vbicationem. Ratio est, quia petunt semper esse in eodem loco, nec possunt ab inuicem naturaliter separari, ergo non est cur iis assignentur diuersæ vbicationes, cum non sint multiplicandæ entitates sine necessitate.

Dices, vnam non sufficere, nec enim subiectari potest idem accidens in subiectis specie distinctis. Contrà, dicunt multi, actus materiales sensuum subiectari & in materiâ & in animâ: item vnio materiæ & formæ, imò accidentis cum subiecto: vt albedinis vel quantitatis cum pariete, recipitur iuxta multos in vtroque, ergo sola diuersitas subiecti non sufficit. Habent ergo vt plurimùm res compositæ vbicationes etiam compositas, ita vt singulis partibus singulæ correspondeant vbicationes, nisi vbi est peculiaris ratio in contrarium, vt aliquando esse ex dictis constat. IX. *Idem subiectari potest in subiectis specie distinctis.*

Entitates etiam modales, præter superius positas nu. 4. habent vbicationes distinctas à subiectis quibus insunt. Ratio est, tum quia perire possunt manentibus in eodem loco subiectis, tum quia vnio & actio conseruatiua partium in composito possunt ab vno in alium locum, moto composito, transferri. X. *Modi formæ singuli habent vbicationem diuersam.*

DISPVTATIO XXXV.

De existentia rei in duobus locis.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm eadem res possit naturaliter esse in duobus locis: præcipuè forma materialis.

I. *Sermo est de duobus locis discontinuis.*

IN duobus inquam locis adæquatis, & discontinuis, seu totalibus, nam in duobus aut pluribus non adæquatis, nec discontinuis posse rem existere, non est dubium, cùm anima rationalis sit tota in capite, tota in pede, & tota in singulis corporis partibus: item Angelus est totus in primâ, & vltimâ parte suæ sphæræ, & simul in omnibus partibus intermediis. Quæstio ergo est, vtrùm possit simul esse vel corpus, vel spiritus in duobus locis discontinuis, seu ita, vt non simul sint in medio. Vtrùm v.g. possit aliquid naturaliter esse hîc, & Romæ, ita vt non sit in spatio interiecto.

II. *Nulla res esse naturaliter potest in duobus locis discontinuis.*

Non posse rem eandem, saltem completam, naturaliter in duobus locis existere constans est omnium opinio, & quotidianâ probatur experientiâ: vnde quandocunque huiusmodi aliquid visum est, manifestò ascriptum est miraculo: quare nec Angelum nec animam rationalem, nec compositum vllũ substantiale posse vi agentium naturalium in duobus locis adæquatis, & totalibus, seu discontinuis simul collocari, videtur certum: rationem tamen eius congruam assignare, factu non est ita facile. Ratio ergo vna esse potest, quòd cùm res quæuis sit sua pte naturâ limitata, petit ipsius limitatio limitatum etiam locum, vnde expletur naturalis eius capacitas per vnam vbicationem adæquatam, ac proinde stante vna non potest naturaliter habere aliam, magis quàm ignis duplicem simul calorem vt octo, vel materia simul duas formas substantiales eiusdem rationis. Secũdò, quia si posset res aliqua esse in duobus locis simul, ergo in pluribus sine fine, idque naturaliter, quod tamen videtur incommodum, & in simili negatur posse materiam duas simul formas substantiales recipere, quia nullus numerus formarum assignari posset, quarum simul esset susceptiua. *Causa huius est limitatio cuiusque rei naturæ.*

III. Quæres vtrùm saltem forma aliqua materialis substantialis, vel accidentalis possit produci simul in diuersis locis adæquatis, & discontinuis: affirmant aliqui, quorum rationes ponentur sect. sequente.

IV. *Idem dicendum de formâ materiali.*

Dicendum, nullam omnino formam, siue substãtialem, siue accidentalem posse vi agentium naturalium produci, aut collocari in diuersis locis adæquatis, ac discontinuis. Prob. primò rationibus num. 2. allatis, quæ hîc etiam vim suam habent, & à thesi applicantur ad hypothesim. Secundò, nam alioqui non possemus scire vtrùm de facto non sit eadem forma ignis vbicunque est ignis, & non diuersa pro diuersitate loci: quod idem dici posset de omnibus formis tum substantialibus, tum accidentalibus.

V. *Habitum semper est miraculum quoties res extitit in duobus locis.*

Probatur tertiò, secundùm omnes censetur miraculum quandocunque aliquid est in duobus locis adæquatis, & totalibus simul, ergo non potest quidquam naturaliter statui in duobus locis huiusmodi, seu discontinuis. Dices, solùm censeri miraculum quod res aliqua completa, vt homo, vel Angelus statuitur in diuersis locis, non verò quòd res incompleta. Contrà primò, nunquam in scholis audita est hæc disparitas à quoquam data, sed ipso facto quòd aliquid sit in diuersis locis, reputatum semper est miraculum. Contrà secundò, hinc valde infringuntur miracula: nam concederetur posse res aliquas naturaliter esse in diuersis locis, quidni enim, si vni rei hoc concedatur, poterit & concedi aliis? Vnde ex communi consensu omnium, si poneretur eadem albedo in duobus parietibus, altero hîc, altero in Indiis, censeretur miraculum.

VI. *Sequeretur quodam esse posse naturaliter in duobus locis.*

Quartò & præcipuè probatur, si enim forma materialis possit vi agentium naturaliũ statui in diuersis locis discontinuis, sequitur posse etiam compositum eâdem ratione in duobus locis collocari: vnde Deus vt auctor naturæ posset ignem aut arborem Londini simul & Parisiis statuere. Si enim hoc ex limitatione rei creatæ non proueniat, & concedatur formæ, non est vnde negetur composito.

VII. *Quadam solutio.*

Dices; ignem aut lapidem, vel aliud huiusmodi compositum non posse statui in diuersis locis, quia sequeretur penetratio, cùm locus omnis in vniuerso sit corpore aliquo repletus, & nullibi detur vacuum.

Con-

VIII. *Varijs modis refellitur.* Contrà primò, ergo si Deus tolleret à composito aliquo quantitatem, posset lapis ex g. aut arbor naturaliter poni in duobus locis discontinuis. Contrà secundò, ergo si Deus alicubi efficeret vacuum, possent illic res quævis habere duas vbicationes discontinuas. Vnde & de facto supra cælum empyreum posset homo aliquis, aut lapis, habere naturaliter duas huiusmodi vbicationes discretas. Contrà tertiò, nullus hactenus, si corpus aliquod statueretur in diuersis locis, in eo miraculum consistere asseruit, quòd sequeretur penetratio, sed in limitatione rerum creatarum.

IX. *Sequitur Angelum, & animam posse naturaliter esse in duobus locis.* Contrà quartò, & est quinta probatio conclusionis: saltem Angelus, aut anima posset ab agentium naturalium in duobus locis discontinuis statui, vt si Angelo vel animæ rationali in certo loco constituto accedant hinc & inde duo Angeli, & Angelum illum vel animam non renitentem mouere velint, alter Orientem versus, alter versus Occidentem: hic enim nulla sequeretur penetratio. Hoc autem est contra communem iam opinionem Theologorum, vt ostendit Suarez l.4.de Ang.c.10. Vasq.1.p.d.190.c.3. vbi id probat ex Patribus: Mol.1.p.q.52 ar.2. Arrub. d.157.c.3. Grana.1.p.q.52. Tanne.1.p.d.5.q.2.d.4.n. 3.& alij.

X. *Dicunt Angelos illos se inuicem impedire.* Dices; nec animam illam moueri, nec Angelum, non ob repugnantiam vllam quæ reperiatur ex parte vel Angeli, vel animæ mouendæ, sed ex parte mouentium, vtpote qui sibi obsistunt, & se inuicem impediunt: vel enim imprimunt impetum æqualem, & tunc non omnino mouebitur Angelus ille medius vel anima; vel alter adhibet vim maiorem, tunc autem is præualebit, & simpliciter Angelum vel animam mouebit versus illam partem, versus quam propellit, licèt aliquantulum retardetur ab impetu alterius, modò contingit in motu orbium cælestium, & formicæ in rotâ, in naui aduerso flumine attractâ, & similibus.

XI. *Reiicitur prædicta responsio.* Sed contrà, suppono vtrumque Angelum adhibere impetum sufficientem ad Angelum illum vel animam mouendum, impetum v.g. vt sex: hoc posito, non se impedient, quod sic ostendo. Ideo duo ignes simul parati ad producendum eandem formam ignis in duobus locis discontinuis, simul eam producent secundùm hos auctores, quia vterque simul vim habet sufficientem ad formam illam producendam, & ex parte formæ non est repugnantia, sed hic vterque Angelus adhibet simul vim sufficientem ad mouendum dictum Angelum versus Orientem & Occidentem, & ex parte Angeli mouendi nulla est repugnantia, ergo eum simul versus Orientem & Occidentem mouebunt.

SECTIO II.

Argumenta contendentia posse formam materialem naturaliter produci in duobus locis adequatis.

I. *Præcipua ratio cur formam materialis produci posse in duobus locis.* Obiicies primò: (& est fundamentum contrariæ sententiæ) possunt duo agentia naturalia; duo ignes ex.g. simul applicari in duobus locis discontinuis vt alter Romæ, alter Leodij, & esse apti proximè ad agendum, seu ad producendam aliquã formam ignis, sed secundùm nos tribuentes indiuiduationem effectus causæ primæ, potest eadem forma ex se iam produci vno loco, quàm alio, ergo, posteris causa prima dare concursum ad quæ igni ad producendum formam illam in vtroque loco, vterque enim ignis est æqualiter aptus illam producere, & forma vicissim æqualiter apta ab vtroque produci, ergo vterque potent illam producere, ergo producet, sed illi ignes sunt in diuersis locis, ergo illam producent in diuersis locis.

II. *Potest forma illa ab vtrouis igne produci, non ab vtroque.* Resp. omissis cæteris, negando consequentiam, licèt enim possit forma illa ab vtrouis igne in vtrouis loco produci, & diuisiuè, non tamen ab vtroque & in vtroque loco, seu collectiuè, quia nimirum est repugnantia naturalis ex parte effectus producendi qui scilicet ob suam limitationem potest tantùm esse simul in vno loco, vnde vnicâ vbicatione expletur naturalis eius capacitas, aptitudo autem causæ ad causandum est semper spectanda penes non repugnantiam effectus.

III. *Dicitur multiplicari forma virtutem.* Dices; ipso facto quòd ponatur forma in duobus loco multiplicatur eius virtus informatiua, sicut & multiplicatur virtus receptiua materiæ, si hæc statueretur in diuersis locis. Contrà primò, ergo etiam multiplicaretur virtus Angeli, & consequenter poni posset in duobus locis naturaliter. Contrà secundò, priùs naturâ quàm ponatur forma in diuersis locis, debet esse apta naturaliter ad recipiendum duplicem vbicationem, sed ante positionem in duobus locis non est apta recipere duplicem vbicationem, *Resp. non multiplicari eam antecedenter.* solùm enim est apta per multiplicationem, priùs autem ad actualem receptionem duplicis vbicationis deberet multiplicari eius virtus, cùm in aliquo priori debeat esse apta recipere, quàm actu recipiat, sed multiplicatur virtus formaliter per duplicem vbicationem, ergo pro nullo priori est apta habere duas vbicationes, quàm illas habeat, ergo non potest naturaliter habere duas.

IV. *Obj. Vnum ignem non impedire vim operatiuam alterius.* Obiicies secundò: quod ignis aliquis Romæ sit paratus & aptus ad producendum formam A, non impedit, quo minùs alius ignis Leodij sit similiter aptus ad eandem formam producendam Probatur vnus namque ignis appositus diuerso loco non minuit virtutem operandi alterius. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, vnum ignem non impedire alterum diminuendo vires, sed afferendo aliud impedimentum nempe indeterminationem. *Resp. impedire afferendo indeterminationem.* Sicut quòd alius effectus sit possibilis vt hic & nunc producatur, & non vnicus tantùm, non minuit virtutem causæ, imò auget potiùs, impedit tamen quo minùs possit causa hic & nunc prodire in actum ob indeterminationem quam affert. Quod ergo hic faciunt duo effectus apti simul produci respectu eiusdem causæ, faciunt ibi duæ causæ respectu eiusdem effectus, qui cùm naturaliter sit incapax duplicis vbicationis simul, ipso facto quòd simul ponantur in diuersis locis duæ causæ aptæ, neutra est apta proximè, nisi aliunde determinetur in quo loco effectus sit producendus.

V. Obiicies tertiò: ponamus esse creatas sex materias loco dissitas, & solùm quinque formas esse possibiles: tunc saltem deberet necessariò eadem forma naturaliter poni in duobus Locis, alioqui vna materia manebit sine formâ. Retorqueo argumentum, creet Deus sex formas & ponamus esse quinque tantùm materias possibiles, ergo tunc vna materia deberet naturaliter poni in duobus locis, alioqui forma vna manebit sine subiecto. Resp. ergo casum esse impossibilem, cum ponatur subiectum naturaliter aptum ad formam, & tamen non esse possibilem formam, quæ illud naturaliter informet. Posito ergo illo casu impossibili, vel deberet vna ex illis materiis manere sine omni formâ, vel duæ materiæ penetrari, & informari eâdem, vel aliquid huiusmodi; tùm enim non esset relictus modus in natura componendi omnia, ac proinde miraculo aliquo deberet Deus supplere defectum naturæ. *Ad Deum spectat supplere defectus naturæ.*

VI. *Forma in duobus locis more suam sphæram.* Obiicies tertiò: potest forma nunc maius, nunc minus spatium occupare, quare ergo forma illa, quæ potest naturaliter extendi ad duas vlnas per rarefa-

ctionem, non poterit ad easdem extendi, licèt relinquat aliquid spatij in medio; non enim occuparet plus spatij, quàm naturaliter possit, & petat. Contrà, quidni ergo etiam Angelus posset relinquere aliquid spatij in medio suæ sphæræ, & occupare duas alias partes extremas? nec enim occuparet plus spatij, quã naturaliter possit, & petat.

VII. Ratio ergo vtriusque est modus ille spatium occupandi, cuius causam à priori assignare omnes fatentur esse difficile, experientià tamen constat hoc Angelo non posse contingere, cùm sæpe compertũ sit dæmones cùm aliò transmigrare vellent, reliquisse ad tempus corpora obsessa, quod tamen non fecissent, si simul in vtroque loco esse potuissent: si autem semel possit Angelus esse in duobus locis discretis, & planè à se, vt ita dicam, discontinuis, cùm res in duobus locis disiunctis constituta sit à se prorsus independens, vt ostendam sect. 4. posset Angelus ille se gerere in vtroque loco, atque si esset à se realiter distinctus, sicque ad quemcumque locum se pro libito transferre.

SECTIO III.

An diuinitùs possit idem corpus esse simul circumscriptiuè in duobus locis, vel duo corpora in eodem.

I. *Duo supponenda vt certa.* DVo hîc supponenda tanquam certa: primò posse corpus circumscriptiuè in vno loco existens poni definitiuè in alio: de fide enim est Christum, qui in cælo existit circumscriptiuè, & modo sibi connaturali, in sacrosanctâ Eucharistiâ existere definitiuè, ita scilicet vt totus sit in toto & totus in qualibet parte hostiæ. Secundum est, corpus duas huiusmodi vbicationes circumscriptiuas loco dissitas habere naturaliter non posse.

II. *Prima sententia est negatiua.* Prima itaq; sententia negat posse corpus aliquod etiam per diuinam potentiam poni circumscriptiuè in duobus locis inter se dissitis: ita S. Bonauentura in 4. d. 49. p. 2. art. 3. q. 1. in solutione ad 3. Durandus in 4. d. 10. q. 5. n. 30. & 31. Henricus quodlib. 9. q. 32. Paludan. in 4. d. 10. q. 1. Capreol. in 4. d. 10. q. 1. art. 3. & recentiores fermè omnes Thomistæ: quos sequitur Vasq. 3. p. d. 189. c. 5. citatur etiam S. Thomas in 4. d. 19. q. 1. ad 3. & d. 44. q. 2. ar. 2. q. 3. ad 4. & alibi: Sotus tamen, & Caiet. aiunt S. Doctorem de potentia tantùm ordinaria esse loquutum.

III. *Secunda & vera sententia affirmatiua.* Secunda & vera sententia ait, nullam in hoc apparere implicantiam, ac proinde posse idem corpus circumscriptiuè, & commensuratiuè in duobus simul locis discretis, ac separatis constitui: ita Alensis 4. par. q. 11. art. 1. Richard. in 4. d. 10. art. 2. q. 2. Okã in 4. q. 4. dub. 6. Maior. in 4. d. 10. qu. 4. Idem docet Alanus l. 1. de sacram. Euchar. c. 1. nu. 12. Sotus lib. 4. Phys. & in 4. d. 10. q. 1. ar. 3. Bellar. To. 3. l. 3. de Eucha. c. 3. fine. Tuar. To. 3. in 3. p. d. 44. s. 4. Valen. To. 4. d. 6. q. 3. p. 1. n. 2. Cardinal. de Lugo d. 5. de Euchar. s. 1. n. 12. Coninck 3. p. qu. 75. ar. 4. d. 3. Hurta. disp. 14. Phys. sect. 5. Arriaga d. 14. Phy. sec. 8. subs. 2. Ouiedo cont. 15. Phy. p. 9. Conimb. l. 4. Phy. ca. 5. qu. 5. ar. 2. Rub. l. 4. Phy. & alij.

IV. *Scotus Doctor verè subtilis.* Tandem hanc sententiam in 4. d. 10. q. 2. tenet, & optimè explicat, & illustrat acutissimus Scotus, Doctor verè subtilis, Oxoniensis quondam Academiæ splendor: non alienigena, vt quidam non rectè opinantur, sed in Anglia natus, vt clarè in suâ Britannia ostendit Gu. Camdenus in Northum. p. 670. *In Angliâ natus.* Horum tamen, hàc in parte studium non improbo, is enim est Scotus, vt non tres tantùm, sed tricies tres de eo nationes meritò certare possint.

V. *Probatur ex S. Augustino.* Probatur primò ex S. Augustino l. de cura pro mortuis gerenda c. 16. vbi ait, *Aliæ sunt humanarum limites rerum, aliæ diuinarum signa virtutum, alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt*: ex quo principio pro comperto habet S. Augustinus, animas sanctorũ simul esse posse in duobus locis, in cælo scilicet & in terra, quando nimirum hîc mirabiliter aliquid operantur, ergo & poterit aliquod corpus esse simul in duobus locis discontinuis, cum nulla sit specialis in eo difficultas, vt videbimus ex solutione argumentorum.

VI. *Sæpe contigit corpus esse circumscriptiuè in duobus locis.* Probatur secundò: de facto enim constat hoc sæpe contigisse: & in primis Christus ex quo ascendit in cælum, nunquam cælum reliquit, nec relinquet ante diem iudicij; quod colligitur ex illo Actorum 3. v. 21. *quem oportet cælum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium*: sed post ascensionem eius in cælũ certum est eum apparuisse multis in terrâ: & præcipuè ostenditur ex celebri illa apparitione facta S. Paulo in ipsius conuersione prope Damascum, relatâ Act. 9. quòd enim fuerit Christus ipse, qui ei tũc apparuit, & non Angelus eius loco, videtur certum tum quia dixit, *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*, tum quia ipse Paulus 1. ad Cor. cap. 15. v. 8. id affirmat, & sese inter oculatos resurrectionis Christi testes numerat. Quod autem non viderit Christum in cælo, vt aliqui volunt, constare videtur, tum ex magnâ illâ luce, quâ circumdabatur, quæ prouenit ex præsentiâ Christi, tum ex voce, quam ipse & alij audierunt, ore Christi prolatam. Confirmatur ex variis scriptoribus omni exceptione maioribus, qui id variis sanctis sæpe contigisse asserunt: ita vt qui hoc in dubium vocaret, de re quauis dubitare posset. *S. Franc. Xauerius fuit simul in duobus locis.* Varia exempla affert Maior citatus, & ante annos aliquot S. Francisco Xauerio contigisse certũ est & multorum, qui id viderunt, testimonio comprobatum, vt habetur in eius vitâ.

VII. *Corpus facilius est in duobus locis circumscriptiuè, quàm definitiuè.* Tertiò probatur: non repugnat idem corpus poni definitiuè in diuersis locis, vt est de fide in corpore Christi in Eucharistiâ, quod sub diuersis hostijs, quantumuis loco dissitis continetur; nec etiam repugnat corpus esse circumscriptiuè in vno loco, & definitiuè in alio, vt ex eodem mysterio constat, ergo nec repugnabit poni in duobus locis circumscriptiuè. Patet consequentia, nam si possit poni in duobus locis definitiuè, vel in altero circumscriptiuè, in altero definitiuè, multò magis in duobus circũscriptiuè, cùm vltra miraculum de positione in duobus locis, sit aliud miraculum, nempe, positio corporis, seu rei materialis ita, vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte: facilius, autẽ est corpus statuere in duobus locis modo ei proportionato, quàm improportionato, vt videtur manifestum.

VIII. *Possunt duo corpora quãta esse in eodem loco ergo & idẽ esse potest in duobus.* Quartò probatur, & simul ostenditur secunda pars tituli: possunt duo corpora extensa, & habentia duas vbicationes circumscriptiuas, poni in eodem loco, ergo & idem corpus in diuersis. Patet consequentia, sicut enim naturaliter non potest poni idem corpus in duobus locis discontinuis, ita nec vnum corpus quantitatiuum admittit secum naturaliter aliud quantitatiuum in eodem loco, sed petit naturaliter impenetrabilitatem cum illo, ergo sicut potest Deus negare huic quod ipsi naturaliter debetur, quidni concedere alteri poterit, quod illi naturaliter non debetur? Antecedens verò constat in natiuitate & resurrectione Christi, quando corpus ipsius penetrabatur cum purissimâ carne Virginis Matris, & lapide sepulchri: Christus enim nec nascens imminuit integritatem Matris, nec resurgens diuoluit lapidem ab ore sepulchri, vt perperam pictores cõmuniter in suis imaginibus insinuant. Item post resurrectionem ingressus est ad discipulos ianuis clausis,

ſis,ergo non repugnat duo corpora quantitatiua inter ſe penetrari ſupernaturaliter.

IX. *Probatur vlterius poſſe duo corpora quanta inter ſe penetrari.* Vlteriùs hoc idem oſtenditur:non eſt de eſſentiâ quantitatis eſſe actu impenetrabilem, ſed ſolùm ex natura ſua petere, vt ſit impenetrabilis; ſicut ignis petit calorē,& accidens ſubiectū, quod tamen non impedit quò minùs diuinitùs poſſit quantitas non eſſe actu impenetrabilis, ſicut & ignis poteſt eſſe diuinitùs ſine calore, & accidens ſine ſubiecto; ſicut etiam calor intenſus,& frigus intenſum petunt non eſſe naturaliter in eodem ſubiecto ſimul, in quo tamen eſſe poſſunt ſupernaturaliter. Vnde malè audit apud omnes hoc nomine Durandus aſſerens, nec per diuinam potentiam poſſe duas quantitatē inuicem inter ſe penetrari,ac proinde cogitur negare, Chriſtum in Euchariſtiâ habere ſuam quantitatem. Quod idem fortè diceret de natiuitate, & reſurrectione. Quæ tamen ſententia à multis cenſetur temeraria. Et per hæc patet ad ſecundam etiam partem tituli.

Opinio quædam Durandi.

X. Quintò probatur:nulla eſt repugnantia, vt corpus ponatur circumſcriptiuè in duobus, vel pluribus locis ſimul,ergo poni in poterit, cùm non ſit negandum omnipotentiæ diuinæ omne id,quod nō implicat contradictionem: Antecedens oſtendetur ex ſolutione argumentorum.

SECTIO IV.

Argumenta contra exiſtentiam circumſcriptiuam corporis in duobus locis.

I. *Obij. fore circumſcriptiuè, & non fore.* OBiicies primò; in ipſis terminis inuolui contradictionem vt corpus ſit in duobus locis circūſcriptiuè: nam eſſe corpus hoc modo in loco,eſt circumſcribi loco, ſed circumſcribi loco eſt ita in illo eſſe,vt non ſit extra illū, ergo non poteſt eſſe ſimul in alio,& circumſcribi hoc, ſic enim eſſet circumſcriptiuè, & non eſſet,ſeu ſimul eſſet extra hunc locum,& non eſſet. Contrà primò,ergo ſi ſit circumſcriptiuè in vno loco, non poteſt eſſe nec definitiuè in alio,ſi eſſe circumſcriptiuè in loco dicat non eſſe extra illum locum.Contrà ſecundò, nam eſſe definitiuè in loco,ſi vim vocis ſpectemus,dicit etiam definiri loco illo,ſeu loci illius finibus contineri, ergo nec poterit eſſe in duobus locis definitiuè,quod tamen eſt contra fidem.

II. *Satisfit Obiectioni.* Reſp. ergo,eſſe rem in loco circumſcriptiuè ſolū dicere ita eſſe in loco,vt non ſit tota in toto, & tota in qualibet eius parte,in quo diſtinguitur ab exiſtētiâ definitiuâ. Quæ autem implicantia vt illo modo ſit ſimul in duobus locis, magis quàm definitiuè?

III. Obiicies ſecundò;hinc ſequi,idem diſtare à ſe, vt ſi Petrus hîc ſtatuatur & Romæ. Contrà, idem eſt de corpore in duobus locis conſtituto per duas vbicationes definitiuas, vt de facto corpus Chriſti exiſtit in diuerſis hoſtiis.Suarez itaque To.3. in 3.p.d. 48.ſ.4.ait, non eſſe inconueniens vt corpus in duobus locis conſtitutum diſtet à ſe. Dici tamen poſſet corpus illud non diſtare à ſe: ſicut enim corpus habens in eodem loco duas vbicationes homogeneas, non dicitur penetrari ſecum, defectu diſtinctionis, ita defectu diſtinctionis dici poſſet non diſtare à ſe, ſed tam conceptum diſtantiæ,quàm indiſtātiæ, ſeu penetrationis requirere diſtinctionem realem.

Num corpus in duobus locis diſtaret à ſe

IV. *Obij. poſſe eſſe in pluribus locis in infinitū.* Obiicies tertiò;ſi homo poſſit eſſe in duobus locis poterit eſſe in pluribus & pluribus in infinitum, nec enim certus locorum numerus aſſignari poteſt Conf. hinc enim ſequitur ex vno homine conflari poſſe integrum exercitum, & templum ex vno lapide conſtrui:vilis ſanè orbi opinio, ſi res hæc tam factu eſſet facilis,quàm dicto. Ad argumentū Reſp. idem obiici poſſe de corpore in duobus locis conſtituto definitiuè,vt de corpore Chriſti ſub pluribus & pluribus hoſtiis: vnde cenſeo hoc non debet inconueniens in vno caſu, magis quàm in altero. Ad confirmationem dico, hæc quidem naturæ viribus fieri non poſſe, nullus tamen iure ei negauerit, qui ex quinque panibus, ac duobus piſcibus quinque hominum millia refecit, quod lo. Maior ſect. ſequente citandus num. 3. probabile cenſet factum fuiſſe per localem eorundem panum multiplicationem.

Idem ſequitur in contrariâ ſententia.

V. *Poſſitne idē in duobus locis moueri vtrinque.* Obiicies quartò; ſi corpus poſſit ſupernaturaliter ſtatui in duobus locis, ergo & naturaliter acquirere poterit duplicem vbicationem, quidni enim in vtroque loco naturaliter moueri poſſit? ex.g.ſi idem lapis ſtatuatur in diuerſis locis ſuper trabem, & in vtroque ſimul auferatur traba, tunc lapis in vtroque loco cadet,cum ablatum ſit impedimentum, & non ſit maior ratio, cur in vno loco cadat, quàm in altero. Huic argumento præcipuè inſiſtit Vaſq. 3. p.d 189.c.6.n.47. quod tamen adeò leue videtur Patri Hurt.d. 14.Phy.ſ.5.n.54.vt dicat, mirari ſe tam robuſtum militem tam imbecilla tela torquere. Hoc tamen telum non eſſe ita leue conſtat ex ſeptem ſolutionibus,quibus quaſi ſeptemplici clypeo illi obſiſti ſolet:ex iis aliquas referemus.

VI. *Dicunt aliqui lapidem illum in aere penſilem in neutro loco mouendum.* Reſpondet ergo P.Hurt.citatus, & alij, lapidem illum neutro in loco motum iri naturaliter, quia non eſt capax, inquit, duarum vbicationum ſimul naturaliter. Contrà primò,ergo Chriſtus iam in cœlo, poſitâ miraculosâ eius exiſtentiâ in Euchariſtiâ, non poterit naturaliter ſe mouere, nec loqui. Contrà ſecundò,ex eo quòd ponatur in duobus locis,& conferatur ei alia vbicatio ſupernaturaliter, nihil minuitur de virtute eius naturali,ergo in altero ſaltem loco caderet, & acquireret nouam vbicationem naturaliter. Sicut licèt eleuetur intellectus Angeli ad ſupernaturaliter videndum Deum, non propterea tollitur virtus eius ad eliciendum ſimul actum naturalem cognitionis Dei. Dices; hæ duæ vbicationes ſunt oppoſitæ. Contrà primò, quo genere oppoſitionis? certè nec ſunt contradictoriæ, nec ſicut calor & frigus:relatiua autem oppoſitio, ſi in iis reperiretur,nihil obſtaret ſimultan motuum. Contrà ſecundò, eſto ſint oppoſitæ, at non pugnarent in diuerſis locis,ſicut nec calor & frigus,ſed vt pugnent, debent eſſe circa idem ſubiectum in quantum idem ſeu in iiſdem circumſtantiis loci & temporis, vt dicetur ſec. ſequente.

VII. *Dicunt alij lapidem illum in vno tantùm loco mouendum.* Reſpondet ſecundò Arriaga d.14.Phy.ſ.8.n.129. lapidem illum in vno tantùm loco mouendum, eo nimirum vbi Deus lapidem conſeruat naturaliter. Contrà primo, ſi ſermo ſit de vbicationibus quoad ſubſtantiam, vtraque eſt naturalis, ſi de iis quoad modum,vtraque eſt ſupernaturalis, & lapidi in his circumſtantiis indebita, tam enim conſeruatio primæ eſt quoad modum ſupernaturalis, ob productionem ſecundæ, quā productio ſecundæ, ob conſeruationem primæ vt latè oſtendi in ſimili ſuprà d. 51.ſ.6. de duabus formis ſimul in eâdem parte materiæ conſeruatis: ergo lapis ille, vel in vtroque loco mouebitur naturaliter,vel in neutro.

VIII. *Lapis ille mouebitur naturaliter in vtroque loco.* Ad argumentum itaque reſp. lapidem in vtroque loco naturaliter caſurum: res enim in duobus locis diſcretis conſtituta eſt virtualiter duplex,ſicut in diuerſis temporibus. Quæ clariùs conſtabunt ex ſec. ſequente.

SECTIO V.

Vtrùm res in duobus locis constituta plus possit naturaliter, quàm quando erat in vno.

I. *Prima sententia est negatiua.*

NEgat Moncæus d. 10. c. 9. Hurt. d. 14. Phy. s. 5. n. 64. & 65. Arriaga d. 14. Phy. s. 9. n. 134. & s. 10. 156. Ouiedo Cont. 15. Phy. p. 10. n. 6. & alij nonnulli: quam etiam sententiam tenere videtur Cardin. de Lugo d. 5. de Euchar. s. 2. nn. 50. & 51.

II. *Explicatur hæc sententia.*

Asserunt ergo hi auctores corpus aliquod Leodij constitutum, & Londini ex. g. non posse calorem vt octo in vno loco habere, & frigus vt octo in alio, & sic de cæteris, sed eos tantùm gradus caloris & frigoris, qui naturalem eius virtutem exæquent, vt si Leodij habeat sex gradus caloris, Londini habere solum potest duos vel caloris vel frigoris, & vniuersim in vtroque loco simul habere tantùm potest octo gradus.

III. *Secunda, & vera sententia est affirmatiua.*

Secunda sentẽtia, quæ mihi semper visa est multò probabilior, affirmat rem in duplici loco discreto constitutam, posito hoc miraculo, bis tantum posse naturaliter, ac poterat in vno, & æquiualere duabus eiusdem virium. Vnde, lapis Leodij constitutus & Londini, poterit hîc naturaliter habere septem vel octo gradus caloris, & Londini totidem frigoris. Petrus fortis vt sex hîc constitutus & Romæ, potest hîc leuare pondus vt sex, & eodem tempore Romæ leuare similiter pondus vt sex; & sic de alijs effectibus naturalibus.

IV. *Quid hac de re dicat Ioannes Maior.*

Hanc conclusionem tenet Io. Maior in 4. d. 10. q. 4. vbi ad 4. sic habet, *Concedo*, inquit, *quòd Thersites tantum pondus portare potest in pluribus locis, quantum Aiax in paucioribus: & quòd gutta aqua multoties replicata localiter ferre possit mille naues, quibus Græci ad Troiam applicuerunt: & quod vnus panis potest sufficere exercitui Xerxis, vel Darij, per positionem in pluribus locis*, &c. hæc ille. Idem tenet Okam in 4. q. 4. dub. 6. Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. p. 8. c. 3. Coninck de sacram. q. 75. a. 4. d. 3. & Suarez 3. p. To. 3. d. 48. s. 6. quoad actiones transeuntes, & alij.

V. *Res in duobus locis est virtualiter duplex.*

Ratio à priori est, quia res in duobus locis discretis constituta, est virtualiter duplex, & à se independens, sicut quando existit in diuersis temporibus. Vnde, sicut aqua potest hodie esse intensè frigida, & cras intensè calida propter solam varietatem temporis, licèt eadem persistat aquæ entitas, ita & hæc eadem in duobus locis posita, suscipere potest contraria propter varietatem loci. Cùm ergo omnes fateantur diuersam circumstantiam temporis reddere rem virtualiter duplicem, reddet etiam eam virtualiter duplicem circumstantia loci.

VI. *Refellitur disparitas assignata inter locum, & tempus.*

Dices primò cum P. Arriaga d. 14. s. 9. n. 137. disparitatem quoad hos effectus esse inter vbicationes & durationes, quòd durationes illæ non sint simul, sicque nil mirum quòd vnus homo diuersis temporibus æquiualeat duobus. Sed contrà: hoc eodem argumento contendo ergo hominem in duobus locis æquiualere duobus, quia loca illa non sunt simul, simultas enim simpliciter dicit non solùm existentiam in eodem tempore, sed etiam in eodem loco, seu coexistentiam omnimodam. Vnde, hæc solutio probat potiùs nostram sententiam.

VII. Dices secundò; duæ vbicationes nil addunt virium rei in duobus locis constitutæ, ergo non plus in duobus locis poterit, quàm in vno. Retorqueo argumentum, duæ durationes nihil addunt virium rei in diuersis temporibus constitutæ, ergo non plus in duobus temporibus poterit, quàm in vno, quæ consequentia est apertè falsa, vt constat. Dico itaque virtutem rei actiuam aut passiuam in duobus locis existentis non esse quidem auctam intensiuè, sicut enim Petrus est solùm fortis vt sex Leodij, ita similiter est solùm fortis vt sex Romæ, augetur tamen eius virtus extensiuè, id est, per nouam vbicationem extenditur eadem virtus ad nouum locum, sicut per nouam durationem ad tempus.

Quo modo augeatur virtus rei in duobus locis.

Augetur extensiuè, non intensiuè.

VIII. *Duæ actiones totales non multiplicant rei virtutem.*

Dices tertiò; si res in eodem loco conseruaretur duabus actionibus totalibus non plus posset quàm si conseruaretur tantùm vnâ, ergo nec si conseruaretur duabus huiusmodi actionibus in diuerso loco. Contrà primò, si conseruaretur res duabus actionibus totalibus in eodem tempore, non plus posset quàm si conseruaretur tantùm vna, ergo nec si conseruaretur in duobus temporibus: nulla consequentia.

IX. *Duæ vbicationes, aut durationes homogeneæ nihil faciunt.*

Dices quartò; si res aliqua habeat duas vbicationes homogeneas, seu in eodem loco, non plus poterit quàm si habeat tantùm vnicam, ergo duæ vbicationes nihil ad hunc effectum conferunt. Contrà, idem argumentum fieri posset de re conseruata duabus durationibus homogeneis, seu respectu eiusdem temporis, vt constat. Sicut ergo in ordine ad huiusmodi effectum diuersa ratio est de durationibus homogeneis & heterogeneis, ita & de vbicationibus, ob rationes assignatas n. 4. & 6.

X. *Duæ vbicationes heterogeneæ multiplicant virtutem actiuam, & passiuam.*

Dices quintò; calor, frigus, & reliqua accidentia, & formæ substantiales non respiciunt subiecta vt hanc vel illã vbicationem habentia, cùm nec partialiter recipiantur in vbicatione, sed respiciunt subiecta secundùm se. Contrà, manifestum est in omni sententia vbicationes ad huiusmodi effectus aliquo modo conducere, nam contrariæ sententiæ auctores asserunt, assensum & dissensum, amorem & odium eiusdem obiecti posse diuinitus eidem animæ vel angelo in diuerso loco inesse, negant iis posse diuinitus inesse in eodem, ergo vbicationes hîc aliquid conferunt tanquam conditiones ad hæc necessariæ, licet qualitates istæ in vbicationibus non recipiantur. Eodem ergo modo conducere poterunt duæ vbicationes ad hos effectus naturaliter habendos, cum per eas res in duobus locis constituta reddatur virtualiter duplex, & à se planè independens, sicut contingit rei in duobus temporibus: vt tota hac sectione ostensum est.

XI. *Locus inadæquatus multiplicat rei virtutem, ergo à fortiori adæquatum.*

Secundò probatur conclusio: Res in diuerso loco inadæquato existens recipere naturaliter potest denominationes oppositas, ergo à fortiori existens in duplici loco adæquato, ac discontinuo. Consequentia probatur, res enim in diuerso loco adæquato existens, multò minorem secum habet connexionem, multoque magis est à se independens, quàm quando est diuerso solum loco inadæquato. Antecedens ergo probatur, anima in corpore existẽs mouetur in manu, dum interim frequenter non omnino mouetur in pede: in manu dextra attollitur, & simul deprimitur in sinistrâ: actus intellectus est in animâ in capite, non in manu. & sic de alijs: ergo locus inadæquatus sufficit ad effectus formales maximè oppositos, multo ergo magis ad hæc sufficit diuersus locus adæquatus.

XII. Dices; ergo poterit Angelus in hac scholâ ex. g. existens habere in angulo [orie]ntali assensum, in occidentali dissensum, hîc amorem, ibi odium eiusdem obiecti, nulla enim secundùm nos esset contradictio. Contrà, hoc argumentum ab omnibus solui deberet, cum omnes fateantur animam in manu moueri, non in pede, & alia numero præcedente posita.

XIII. Resp. itaque negando sequelam, non ratione contradictionorum, quæ, quamuis hoc contingeret, nulla

Angelus nõ potest in vno parte loci inadæquati habere assensum in alia dissensum.

nulla essent, sed ob alia incommoda quæ inde sequerentur: sic enim posset Angelus esse pugnantia in diuersis locis inadæquatis, vt si in hoc angulo haberet voluntatem mouendi se adæquatè versus orientem, in illo versus occidentem, hic petendi cœlum, ibi centrum terræ, & similia: sic. que Angelus ex vi harum voluntatum conaretur ad opposita, & pugnaret secum. Hæc ergo cùm sint inconuenientia, & per se appareant indigna perfectione Angelica, non videtur via ei ad hæc à natura tributa. Deinde cùm ibi existat Angelus per modum vnius, operari etiam debet per modum vnius. Angelus autem in diuersis locis discretis existens, cùm nullam habeat connexionem in vno loco secum vt in alio, hæc omnia potest sine incommodo. De quo plura dixi in materia de Angelis.

SECTIO VI.

Inferuntur quædam circa existentiam rei in duobus locis discretis.

I. *Homo idem in vno loco potest mereri, in alio peccare.*

HInc infero primò, rem aliquam, hominem ex. g. in duobus locis adæquatis existentem, posse in vtroque naturaliter moueri: in vno esse intensè calidum, in alio intensè frigidum: in vno habere naturaliter assensum, in alio dissensum; in vno amorem, in alio odium eiusdem obiecti: in vno mereri, & esse in gratiâ, in alio peccare: in vno saluari, in alio damnari, & similia.

II. *Dices hinc sequi posse Angelum in eodem loco esse simul naturaliter in gratia, & peccato.*

Dices; hinc sequi, posse Angelum aut animam separatam habere simul naturaliter assensum & dissensum, esse in gratia & peccato in eodem loco adæquato. Sequela probatur, ponamus Angelum in angulo orientali gymnasij ex. g. in palmo constitutum, peccare, & eundem in angulo occidentali in palmo similiter existentem esse in gratiâ: poterit hic Angelus naturaliter mouere se rectâ linea ab vno angulo gymnasij ad alterum, ergo vbi ad palmum in medio gymnasio peruenerit, penetrabitur secum, ergo in eodem loco erit simul in gratia, & peccato.

III. *Retorquetur argumentum.*

Contrà, hæc difficultas communis est omnibus, qui dicunt Angelum in duobus locis posse diuinitus habere assensum & dissensum, esse in gratiâ & peccato in diuersis locis discretis: saltē enim post Deus Angelum illum lineâ rectâ versus vtrumque angulum mouere, ergo in palmo illo medio erit simul in gratiâ & peccato. Imò in opinione dicente posse Angelum in altero loco vi suâ moueri, hoc fieri posset naturaliter, cùm ad se accedere naturaliter posset.

IV. *Angelus in eo casu non posset secum penetrari.*

Resp. itaque primò, in huiusmodi casu debere connaturaliter Deum impedire quo minus Angelus secum penetraretur. Secundò dico, licet Angelus in eo casu possit proximè ad se accedere, non tamen posse secum penetrari, quia hæ formæ impedirent. Sicut si eadem anima esset simul in duobus locis discretis in duobus corporibus, quamuis ad se proximè accedere posset, non tamen secum penetrari, quia corpora obstarent: qua de causâ de facto anima in manu dextrâ non potest secum in sinistrâ eiusdem hominis penetrari. Quod hic facit moles corporea, ibi facit formalis vel virtualis contradictio, quæ in assensu & dissensu, amore & odio, peccato & gratiâ & huiusmodi alijs reperitur, ob quam sibi in eodem subiecto eodem loco constituto repugnant.

V. Infero secundò, perinde esse quoad hos effectus, siue res in duobus locis ponatur per nouam productionem, siue per adductionem, actio enim productiua nihil addit virtuti rei productæ, alioqui quò res perfectiori actione producitur, eò maiorem haberet virtutem productiuam. Actio ergo nihil ad hos effectus confert, vnde si per impossibile res esset à se, tantam haberet virtutem actiuam, ac modo. *Non requiritur ad hoc vt res denuo producatur.*

VI. *Homo in duobus locis sibi occurrens non posset secum penetrari.*

Quæres primò, vtrùm si Petrus in duobus locis constitutus, sibi obuius fieret, secum penetraretur, vel an sibi consisteret? videri non nemini posset forte, vt secum in eo casu penetretur, idem enim corpus non minùs sibi est peruium, quàm eadem anima quæ, si in duobus locis constitueretur, posset sine dubio secum penetrari, nisi esset peculiare aliquod impedimentum, quale posuimus numero quarto. Omnino tamen dicendum, Petrum in eo casu non secum penetrandum. Ratio est manifesta, nec enim ita sibi occurrere potest, quin diuersæ semper corporis partes sibi applicentur vt dextra sinistræ, dorsum pectori, aut aliquid huiusmodi.

VII. Quæres secundò, possitne homo quispiam Romæ constitutus, & Leodij, hic viuere, illic mori? Magna est hic lis de nomine, certum enim est posse animâ Romæ à corpore deuniri, & remanere adhuc vnitam Leodij.

VIII. *Homo in duobus locis constitutus, in vno posset viuere in alio mori.*

Probabilior mihi in hoc casu videtur pars affirmatiua. Probatur, certum est enim victurum adhuc hominem illum Leodij, cùm videret, audiret, loqueretur, & reliquas vitæ functiones exerceret. Quòd etiam Romæ foret mortuus, ostenditur; verè enim anima illius Romæ separaretur à corpore, quæ est definitio mortis. Deinde, corpus illud putresceret, & in vermes ac saniem diflueret, non minùs quàm alia corpora corruptibilia. Conf. ex Trid. sess. 13. c. 3. vbi animam Christi comitari corpus eius in Eucharistiâ asserit, quia Christus à mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus: ergo censet Concilium, si, dum Christus iam viuit in cœlo, corpus eius esset in Eucharistiâ sine animâ, corpus illud fore mortuum, ergo secundùm mentem Concilij potest idem corpus esse viuum in vno loco, & mortuum in alio.

IX. *Dici potest corpus illud mortuum, non tamen non viuum.*

Licèt autem in hoc casu dici verè possit corpus illud esse mortuum, dici tamen absolutè non potest, non esse viuum, hoc enim perinde sonat ac animam nullibi esse ei vnitam, cùm particula *non* sit malignantis naturæ. Sicut de Christo verum est dicere, *fuit mortuus*, non tamen *non fuit viuus*, particula enim *non* indefinitè prolata omne tempus ambit, & omnem locum.

SECTIO VII.

Quæ accidentia corpus in duobus locis constitutum connaturaliter comitentur.

I. *Sermo est de accidentibus à loco absolutis.*

QVæstio procedit de accidentibus à loco absolutis: accidentia enim certo loco affixa, qualia sunt vbicatio rei, & actio vbicationis productiua, vnio quâ vbicatio affigitur rei, cùm secundùm nos vbicatio mo-do sit modus, & alia huiusmodi, certum est vnà cùm re in alium locum non transferri: sicut dum Petrus successiuè locum mutat, accidentia hæc localia cum eo non mouentur.

II. *Duplex difficultas.*

Quoad accidentia ergo à loco absoluta difficultas est, tùm de ijs quæ corpori insunt quando primò in alio loco replicatur, tùm de alijs quæ corpus iam replicatum, varijs locis decursu temporis acquirit.

III. *Corpus alio translatum non necessariò fert secum sua accidentia.*

Dico primò: quando corpus aliquod Leodij ex. g. existens replicatur, & simul collocatur Romæ, non necessariò cum eo trãsferuntur calor, color, & alia accidentia absoluta, quæ ipsi inerant Leodij: ita Sotus in 4. d. 10. q. 10. a. 5. Suarez To. 3. in 3. p. d. 48.

 s. 5. Car-

s.5 Cardin. Lugo d.5. de Euchar. s.2. n. 35 Hurt. d. 14. Phy. s.5. n.68. Arriaga d. 14. Phy. s.10. n.14. Ouiedo Cont. 15. Phy. p.10. n.14. & alij contra Scotum in 4 d.10. q.4. Fabrum ibid. d.37 c.4. Vas. 3. p. d. 189. c.4. & alios.

IV. *Ex nullo capite ostenditur esse necessarium.* Ratio est primò. quia cùm non eadem sit necessariò vbicatio rei & accidentium, vt suprà ostendi d. præcedente, s.5 n.6. poterit Petrus transferri Romā relictis accidentibus Leodij. Secundò & præcipuè, quia nulla in contrarium vrgens ratio afferri potest, ergo non est hoc diuinæ potentiæ denegandum.

V. Nec vim vllam habet cui tantopere insistit Vasquez, inde scilicet sequi contradictoria, cùm accidentia absoluta à loco prædicentur de subiectis simpliciter, & non cum restrictione, & limitatione ad certum aliquem locum in particulari: hoc, inquam, non obstat, si enim ferrum Romæ esset calidum, & frigidum Leodij, posset verè de eo vtrobique affirmari, absolutè esse frigidum, non tamen esse frigidum vtrobique. Vnde, siquis videns ferrum illud Romæ, vbi est calidum, dicat, hoc ferrum est frigidum, verum dixit, cùm reuera sit frigidum: licèt enim ipse Romæ affirmet esse illud frigidum, obiectum tamen propositionis illius non ingreditur locus, ita vt dicat, est frigidum Romæ, tunc enim propositio esset falsa, sed solùm affirmat de eo frigus abstrahendo à loco, sicque nihil affirmat quod non sit verùm. *Aliud est Romæ affirmare ferrū esse frigidum aliud esse frigidum Romæ.* Multò minùs qui dicit, hoc ferrum est frigidum: dicit, est frigidum vbicunque est, si enim abstrahit ab omni loco, vt vult Vasquez, quo pacto ait esse frigidum in duobus locis? Licèt autem dici absolutè possit, *ferrum est frigidum*, non tamen, *non est calidum*, ob rationem in fine sec. præcedentis allatam.

VI. Dices; accidentia isthæc abstrahunt à loco, ergo locus has propositiones non ingreditur, sicque sunt contradictoriæ, ergo duæ contradictoriæ erunt simul veræ. Admissis reliquis, nego hanc vltimam consequentiam, semper enim esset falsum dicere, ferrum illud non est calidum, vt ostensum est.

VII. *Congruum tamen est accidentia absoluta simul cum corpore, transferri.* Dico secundò: congruum videtur, vt omnes propemodum affectiones rei & accidentia, siue naturalia, siue supernaturalia ponantur in loco quò res transfertur, simul cum re illa cuius sunt affectiones quia iam sunt facta illius, & illa quasi possidet, & per vnionem ius ad illa acquisiuit, congruum autem est vt omnia sua secum portet. Qua de causâ ex Concilio Trid. sess.13. c.3. docent Theologi in sacrosanctâ Eucharistiâ poni per concomitantiam animam, & Diuinitatem Christi, licèt corpus tantùm, & sanguis ibi ponantur ex vi verborum.

VIII. *Accidentia, quæ res postquam est in duobus locis acquirit, non transferuntur.* Dico tertiò: si corpus, postquam est in duobus locis replicatum, alteretur, calefiat scilicet, aut frigefiat Leodij, non calefiet aut frigefiet connaturaliter Romæ. Est contra Ouiedo citatum p.10. n.19. & alios nonnullos ex auctoribus citatis nn. 3. Ratio assertionis est, quia res in duobus locis constituta, est virtualiter duplex, vt ostensum est sec. 5. & 6. ergo eodem modo se habebit quoad affectiones omnes, & accidentia de nouo aduenientia, ac si esset realiter duæ res, & secum non identificatæ. Conf. si ignis existens Leodij, & illic ferrum calefaciens, calorem etiam produceret in ferro Romæ, ageret in distans, quod, naturaliter saltem, fieri nequit, vt ostendam disp. sequente.

SECTIO VIII.

An res in duobus locis existens, vtrobique habere debeat actionem sui conseruatiuam.

Negat P. Ouiedo cont. 15 Phy p 10. n. 11. Vnde ait, si Petrus ex. g existens Matriti in instante A cum actione sui conseruatiuâ transferatur Londinum in instante B. adhuc remanens Matriti, posse eum existere Londini licèt actio eius conseruatiua maneat tantùm Matriti, nec vnà cum Petro Londinum transferatur, aut vlla alia actio Petri conseruatiua Londini eius loco substituatur. I. *Opinio afferens rem conseruari vno loco posse sine actione.*

II. *Refellitur, quia conseruatio est denominatio intrinseca.* Hanc tamen philosophandi modū probare nullâ ratione possum. Contrà ergo est primò productio, conseruatio, & siqua sint huiusmodi alia, sunt denominationes termini intrinsecæ, ergo effectum suū formalem tribuere ibi non possunt, vbi non existunt: licèt enim causa efficiens secundùm quosdam agere in distans possit, saltem supernaturaliter, id tamen in causâ formali est inintelligibile, cùm effectū suum formalem per intimam sui vnionem, seu informationem tribuat: cùm ergo actio conseruatiua Petri non sit Londini, denominare Petrum Londini conseruatum non potest. *Causa formalis non agit in distans.*

III. Contrà secundò, non potest albedo aut calor Romæ existens denominare lac album aut calidum Leodij, nisi cum eo albedo & calor illuc transferantur, vt videtur manifestum, ergo nec actio Romæ existens denominare potest lac conseruatum Leodij, cùm non minùs, imò magis requirat actio vnionem cum termino, vt effectum illi formalem tribuat, quàm albedo aut calor: actio enim, vtpote modus, per se immediatè petit afficere subiectum, albedo autem & calor tantùm immediatè, & per vnionem distinctam. *Calor Romæ non potest denominare ferrū calidum Leodij.*

IV. *Separatur corpus alicubi viuere sine vnione animæ ad corpus.* Contrà tertiò, si dum Petrus Leodij existeret & Matriti, anima eius hic Leodij à corpore separaretur, Deo adhuc eam vnitam conseruante Matriti, sequeretur, animam eius esse adhuc hic vnitam eius corpori, si enim actio effectum suum formalem & denominationem intrinsecam tribuere potest in loco distante, quidni idem præstare poterit vnio? sicque in hoc casu Petrus adhuc verè diceretur viuere Leodij per vnionem Matriti existentem, sicut in alio casu diceretur conseruari Londini per actionem existentem Romæ.

V. *Ignis Romæ potest producere calorem Matriti.* Dices primò cum P. Ouiedo citato; (& est fundamentum huius opinionis) si calor productus Romæ ab igne A transferretur Matritū, igne illo non translato, sed manente tantùm Romæ, posset adhuc actio illa persistere Matriti, licèt tot milliaribus sit à suo principio, seu igne remotum, & ignem illū Romæ denominare conseruantem calorem Matriti ergo si calor solus sine actione eius conseruatiua Matritum transferretur, actione manente Romæ & ibi calorem conseruante, posset actio hæc calorē illum denominare conseruatum Matriti.

VI. *Differentia inter causam formalem, & efficientem.* Contrà, manifesta, secundùm omnes, est disparitas inter causam efficientem, & formalem, cùm illa ex genere suo sit in operando extrinseca, & operetur vt plurimum transeunter, hoc autem essentialiter repugnat causæ formali physicæ, quæ scilicet non alio modo quàm per intimam sui exhibitionem effectum suum præbet, alioqui, vt dixi albedo Romæ denominabit parietem album Leodij, & alia sequentur suprà illata.

VII. Dices secundò cum eodem; munus actionis est conseruare, munus autem vbicationis rem hoc vel

illo

Actio rem intrinsecè afficere non potest, vbi non est.

illo loco statuere, tribuendo ergo singula singulis, res per actionem conseruatur, hic vel ibi per vbicationem. Contrà, licèt solius actionis munus sit rem conseruare, cùm tamen actio sit causalitas intrinseca, non potest eo loco rem conseruare, vbi non est, cùm nisi illic vbicetur, afficere rem intrinsecè non possit, vt per se videtur manifestum.

DISPVTATIO XXXVI.

De propinquate causa ad agendum.

SECTIO PRIMA.

Darinè possit actio in distans,

I. *Prima sententia est affirmatiua.*

PRima sententia est affirmatiua? ita Okamus in 1.d.37.q.vnica, Auicenna de Anima, s. 4.c.4.Alex.3.Met.comm.18.Gabriel, Bassolis, & Mairon.tribui etiam solet Scoto: de cuius tamen mente plura sec.sequente.

II. *Experientia pro,e ferentes actionem in distans.*

Præcipuè nititur hæc sententia quibusdam experientiis: primò magnus ignis producit calorem secundùm omnes suas partes in manu, vel ligno, & tamen partes remotiores nihil agunt in propinquiores, cum simile non agat in simile, ergo partes remotæ ignis agunt in distans nihil agendo in medio. Secundò, sol producit gemmas in visceribus terræ. Tertiò, magnes trahit ferrum, & succinum paleas. Quartò, torpedo piscis stuporem quendam, & torporem incutit manui arundine & lineá piscantis, cũ tamen in arundine ipsâ & lineá nullum huiusmodi effectum operetur, quod habetur ex Aristotele, 9. de Historia Animalium c.37. & aliis auctoribus omni exceptione maioribus. Quintò, Basiliscus, seu regulus dicitur visu occidere homines distantes.

Magnes, succinum, Torpedo.

Basiliscus.

III. Sextò, certum est veiulas intensè, & fixis oculis paruos pueros, etiam remotos inspicientes, eosdem fascinare; de quo licèt Delrio in sua Magia dubitet, res tamen est certissima, & non solùm experientia, sed grauissimorum etiam virorum auctoritate firmata: id enim refert Aristoteles, Plutarchus. Magister Sententiarum, Albertus Magnus, S. Thomas 1. p.q.117.a.3.ad 2. vbi ait, *si igitur, cum anima aliqua fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maximè in vetulabus contingit, efficitur aspectus eius venenosus, & noxius, maximè pueris, qui habent corpus tenerum, & facilè receptiuum impressionis.* Hæc ille. Cui auctoritati tantorum virorum consonat illud Poëtæ, *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Hoc vero fit eiaculando quoddam virus ex oculis rectà in oculos alterius qui cum sint tenerrima pars corporis, facilè venenum admittunt, & inficiuntur.

Vetula pueros fixis oculis intuentes, veneno eos inficiunt.

Fit hoc eiaculando virus.

IV. *Fundum lebetis temperatum, aquâ ebulliente. Galgulus auis.*

Aliæ etiam adducuntur experientiæ, vt de aquâ feruente in lebete, cùm tamen fundum lebetis sit temperatum. Item si oleum fundatur in chartá cõcauam & supponatur lucerna, feruebit oleum ita vt pisces in eo frigi, & oua coquat, charta tamen non combureretur. Galgulus auis, etiam distans humores noxius ex hominum oculis ad se attrahit, & ex iis moritur. Item commune illud experimentum, quo Leodij & alibi vtuntur metallorum indagatores, qui vtrâque manu virgultum arboris nucis auellanæ tenere solent. & hac ratione per prata & montes incedere: si verò contingat transire eos per locum vbi in terræ visceribus latent metalla, præcipuè ferrum, mouetur statim virga, & in terram inclinatur. Tacta etiam vna chordâ in fidibus, sonat alia eiusdem toni in fidibus ad interuallum aliquod distantibus: & sexcenta huiusmodi.

Modus metalla indagandi.

Chorda chorda consonat.

V. Ad hæc omnia respondebitur sec. sequente, vbi iterum recurret sermo de experientiis.

SECTIO II.

Praefertur sententia negans actionem in distans.

I. *Secunda sententia negat actionem in distans.*

SEcunda itaque sententia negat posset rem vllam creatam agere in distans: ita Aristoteles 7 Phy. c. 2. quod fusè ibidem probat. S. Thomas ibid. lec. 2. & 3. & 1.p.q.8.a.1.corp. & ad 3 & 3. contra Gent. c. 68. Caiet. ibid. Durand. in 1.d.18.q.1. Suarez d.18 Met. s.8.n.16. Molina 1.p.q.8 a.1.d.2. Conimb. l.7 Phy. c.2.q.1.a.2. Rub. ib.q.1.n.9. Hurt.d.9.Phy.s.6.n.70. Arriaga d.7.Phy.s.6.n.48. Ouiedo cont.18.Phy.p.1. n 1.& alij. Scotus verò licèt citari plerumque soleat pro contrariâ sententiâ, videtur tamen quoad causas creatas expresè asserere non posse eas agere in distans, nam in 1.d.37.q.vn.n.4.§.*ad argumentum* explicat Aristotelem de solâ causâ creatâ.

II. *Nullum agens naturale potest agere in distans.*

Prima conclusio: non potest agens naturale operari in distans, nisi operando aliquid in medio. Ita auctores proximè citati, Probatur primò, nam passim experimur interpositio inter agens & passum aliquo corpore actionis incapace, impedire effectum: sic terra interposita inter solem & lunam, aut corpus aliquod opacum inter lumen & rem illuminandam impedit quo minùs luminosum in eâ lucem producat. Idem præstant lignum aut paries inter ignem & manum: tunc enim nec sol illuminat lunam, nec ignis manum calefacit; ergo signum est hæc omnia efficere aliquid in medio: alioqui quid impediret interpositio alicuius corporis, nisi solùm quòd corpus interpositum sit incapax effectus qui in illo produci deberet?

Probatur experientia

III. *Resp. ad exemplum torpedinis, & reliqua.*

Vnde, in exemplo torpedinis, si manus tantillum distaret ab arundine, non rigesceret, sicut non rigescit manus alterius cuiuspiam astantis piscatoris: signum ergo est qualitatem quandam per lineam & arundinem traiici ad manum. Idem ad omnes illas experientias dicimus, nec vlteriore ad eas responsione est opus. Huiusmodi autem qualitatem in medio produci constat ex experientiis numero præcedente adductis. Quòd verò rigescat manus; non linea; trahatur à magnete ferrum, non aer, vel lignũ interpositum, prouenit ex diuersa dispositione materiæ, & naturâ qualitatis emissæ, quæ est attractiua huius non alterius, sicut calor est liquefactiuus ceræ, non luti, & sic de aliis huiusmodi.

Cur magnes trahat ferrum, non lignum.

IV. *Dicunt medium resistere.*

Dices; medium illud opacum interiectum inter luminosum & rem illuminandam, resistere actioni, & sic impedire luminosum quo minùs agat vlterius. Contrà, non resistit medium positiuè, seu aliquid efficiendo, sicut calor in subiecto resistit frigori per resistentiam positiuam actiuam, destruendo frigus, seu vires agentis per reactionem imminuendo, sed solùm negatiuè, quia scilicet non est aptum in se recipere lucem, seu vt luminosum in ipso lucem producat; si autem possit aliquid agere in distans, non

Resp. solùm vetifiers medium negatiuè, quia non est aptū ad recipiendum lucem.

omnino agendo per medium, hæc incapacitas medij non potest illius operationem impedire. Deinde, esto resisteret medium agenti quo minus produceret lucem in ipso corpore opaco, seu medio, nō tamen resisteret nec impediret, quo minus agens illud produceret effectum in passo capaci distante, si posset operari in distans nil operando in medio.

V. *Sequitur si non agat in medio, posse causam operari physicè in quacunque distantia.*

Secundò probari hoc solet ex quadam quasi sollicitudine quam res omnes præsefertę videntur, vt vitent vacuum, quod ideo abhorrent quia impediret quò minùs cæli influxus posset ad eas pertingere, quod tamē non esset necessarium si cælum agere posset in distans, nihil agendo per medium. Cōf. quia si non agat in medio, potest agere in quacunque distantiâ. sicut propterea intellectui potest intelligere in quacunque distantiâ, quia non dependet in intelligendo à spatio.

VI. *Occurritur replica.*

Dices primò, maior propinquitas est conditio vt agens meliùs operetur, ergo potest esse tanta distantia, vt nihil omnino possit operari. Contrà, ideo maior propinquitas est conditio ad faciliùs operandum, quia traiicitur actio per medium, & faciliùs vincitur difficultas parui medij quàm magni, sed si non requiratur vt traiiciatur actio per medium, non est maior difficultas in magno medio, quàm in paruo.

VII. *Cur proiici nequeat lapis in quamcunque distantiam.*

Quoad lapidem verò proiectum (quod à nonnullis obiicitur) ideo non potest proiici in quamcunque distantiam, quia impetus, vel virtus motiua producit motum per totum spatium, per quod mouetur lapis: maior autem vis, per se loquendo, requiritur ad maiorem motum producendum quàm ad minorem, siue motus ille sit intensiuè maior, siue extensiuè. At verò hîc nihil fit nisi talis effectus à tali causâ, si ergo fieri possit in distantiâ sex vlnarum, quidni fieri poterit in distantiâ septem. vel octo? nec enim tunc plus produceret, quàm modò, ergo non requireret maiorem virtutem, sicque in quacunque distantiâ posset operari, cùm in nullâ plus producatur, quàm effectus ille idem, qui produceretur in loco viciniore.

VIII. *Cur certa rebus præscribatur sphæra actiuitatis.*

Dices secundo; cuique rei certam assignari debere sphæram actiuitatis, extra quā agere non possit, ergo res illa, licèt agere posset intra sphæram vnius milliaris ex. g. non tamen extra illam. Contrà, ideo assignantur agentibus certæ sphæræ actiuitatis, quia agendo per medium vires paulatim atteruntur ac debilitantur, ita vt vlteriùs agere non possint, quia scilicet iam totam suam agendi vim insumpserunt, & planè exhauserunt virtutem. Si autem non esset necessarium vt agerent in medium, tota adhuc virtus agendi maneret integra, sicque non est cur agere non possent in quacunque distantiâ, si propinquitas non sit necessaria ad agendum.

IX. *Angelus loquens alteri nihil in eo physicè producit.*

Dices; Angeli, etiam distantes loquuntur sibi inuicem ergo ibi datur actio indistans, cùm Angelus loquens necessariò aliquid producat in eo cui loquitur. Resp. quicquid sit de modo quo sibi inuicem loquuntur Angeli, de quo in materiâ de Angelis. respondetur inquam, Angelum, qui loquitur alteri distanti, nihil vel in eo physicè producere, vel in medio: sicque nihil hoc facit ad præsentem difficultatem.

X. *Agens non eundem semper effectum producit in propinquo, & remoto.*

Secunda conclusio: vt agens creatum producat aliquid in passo distante, non est necessarium. vt eūdem effectum operetur in medio, quem producit in distante; sed sufficit, quòd in medio aliquid operetur, per se conducens ad illum effectum. Prob. sol namque producit metalla in visceribus terræ, quæ tamen non producit in cælo, vel aëre. Item sol producit calorem in aëre, quem non producit in orbibus cælestibus, calor enim est qualitas corruptiua, ac proinde in cælo recipi non potest. Sic etiam ignis subinde accendit stuppam distantem non accenso aëre intermedio. Ratio autem horum est, quia licèt per se loquendo, & cæteris paribus maior propinquitas passi conducat ad effectum citiùs & perfectiùs inducendum, aliunde tamen compensari potest hic excessus, per peculiarem scilicet dispositionem passi distantis, quæ non reperitur in propinquo, vt contingit in exemplis iam adductis.

XI. *Nihil mediare debet, quod non sit vel agens, vel passum.*

Deinde simultas agentis & passi non requiritur quoad omnes partes agentis, sed quoad aliquas tantùm, vt constat in magno igne secundū omnes partes producente calorem in aëre proximo, & tamen omnes partes non sunt illi aeri proximæ. Sufficit ergo si nihil mediet quod non sit vel agēs vel passum: licèt namque partes remotiores ignis non sint immediatæ passo faciunt tamen vnum agens cum partibus proximis sicque agens est immediatum passo. Quod eodem modo dicendum est ex parte effectus.

SECTIO III.

Obiectiones contendentes dari actionem indistans.

I. *Apostolus hoc loco probare intendit præsentiam intentionalem Dei, non physicam.*

OBiicies primò illud Actorum 17. v. 28. *Deus non longè abest ab vnoquoque nostrum in ipso viuimus & mouemur, & sumus:* vbi S. Paulus ex operatione Dei in nobis probat eius præsentiam. Resp. cum P. Vals. p. d. 28. c. 4 nu. 14. solùm intendere eo loco Apostolum probare præsentiam intentionalem Dei, non præsentiam physicam, seu immensitatem, & arguere Athenienses cæcitatis, quòd cùm Deum esse, & vnum esse cognoscere vbique possint ex eius effectibus quos vbique videbant, imò secum circumferebant, illum tamen ignorarent. Non longè ergo abest à nostrâ cognitione, cū ex effectibus reddatur quasi palpabilis eius cognitio, ita vt facile ex rebus quas palpamus, possimus cognoscere vnum motorem & illarum effectorem.

II. Hæc ergo est argumentatio S. Pauli: *in Deo viuimus & mouemur, & sumus*, ergo non longè abest ab vnoquoque nostrum illius notitia, vel non est difficile ipsum cognoscere, cùm ex effectibus quos oculis intuemur, & palpamus, facilè eum cognoscere possimus effectus enim manu quasi ducunt in cognitionem causæ. Hic ergo non immensitatem Dei, sed vnitatem intendit probare S. Paulus, eamque ostendere Atheniensibus. Imò alioqui argumentum nimium probaret; probaret enim ad operationem requiri penetrationem, & intimam præsentiam cum passo, cum Deus sit nobis intimè præsens, & nos illi, hoc autem non est necessarium ad operationem agentis in passum, vt est manifestum in agentibus omnibus creatis operantibus per actionem transeuntem.

Si de physicâ Dei præsentiâ loqueretur Apostolus, nimium probaret.

III. *Explicatur locus adductus ex regio Propheta.*

Obiicies secundò, illud Psal. 138. v. 7 *si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum, ades &c. et enim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Resp. per manum hîc non intelligi physicam Dei potentiam, & operationem, sed intentionalem, seu Dei prouidentiam, per quam curam omnium gerit Deus vbicunque fuerint, vt explicant locum illum S. Hieronym. & S. Chrysostomus, & post eos Genebrardus, & Card. Bellarminus. Vnde totus ille Psalmus est de cognitione & prouidentia Dei, incipit enim, *Domine probasti me. & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas de longè:* & alia quæ illic habentur.

IV. Obiicies tertiò: quando à calore in igne existente

te calefit stupa uno vel altero digito ab igne remota, intra sphæram tamen activitatis ignis, & ubi fuerit disposita, introducitur in eam ab igne illo forma ignis, tunc ignis agit in distans, nihil agendo per medium, nam calor ille in stupâ non producitur ab igne, sed à solo calore, ergo ignis in hoc casu omnino agit in distans. Resp. hoc argumento urgeri illos qui asserunt substantiam solam producere aliam substantiam, accidentia verò in medio, & in passo ad eam omnino non concurrere.

V. *Ignis accendens stupâ aliquantulû remotam non agit in distans.*

In nostrâ autem sententia, qui asserimus accidentia, tam quæ sunt in medio & passo, quàm quæ in agente, concurrere cum substantiâ ad productionem illius effectus substantialis, & cum iis constituere unum agens totale, nulla videtur difficultas: nec enim est necessarium secundùm ullam sententiam, ut agens totale secundum totum, seu omnes partes suas coniungatur cum effectu, ut patet in partibus remotioribus ignis & solis, sed solum ut coniungatur secundùm aliquid sui, nempe secundùm accidentia.

VI. *Ebulliente aquâ fundû lebetis manet moderatè calidum.*

Obiicies quartò: aquâ supra ignem ebulliente, fundum lebetis remanet frigidum ergo ignis calorem producit in distans. P. Arriaga d.7. Phy. sect.6. num.53. ait se occasione huius argumenti rem hanc semel fuisse expertum, & fundum lebetis sensisse intensè calidum. P. Oviedo è contrà, Cont. 18. Phy. p. 1. n. 8. testatur se expertum esse contrarium, & dum lebes aquâ fervente plenus subitò ab igne amoveretur, lebetis latera præ vehemente calore a nemine tangi potuisse, fundum autem, quod igni erat proximum, moderatum tantùm calorem habuisse, ita ut ab omnibus commodè tangi posset. Cui credemus?

VII. *Respondetur ad prædictâ experimentum.*

Quidquid ergo fit de horum experimento, ad argumentum Resp. ignem in lateribus lebetis ingentem calorem producere, & per illa calefacere aquâ. Cur autem fundum lebetis ab igne applicato non calefiat, ab omnibus independenter ab hac quæstione solui debet. Dico itaque, rarefactâ per calorem aquâ, tenuiores eius partes ascendere, crassioribus semper ad fundum subsidentibus, sicque (frigidiores cùm sint) intensi caloris in fundo productionem impedire.

VIII. *Non requiritur effectibus continuus, sed contiguus.*

Notandum tamen, non esse semper opus, ut vel actio, vel effectus per totum medium continuetur, continuatione propriè dictâ, sed sufficit esse plures effectus, & actiones contiguas sibi localiter succedentes, & hoc solo sensu continuas, prout scilicet continuum sonat idem atque continuatum, seu ut partes actionis, & effectus per spatium aliquod non sint ita interruptæ, ut nihil effectus, vel actionis in illo spatio existat, sed quasi per saltum traiiciatur actio: nec enim actio quâ sol producit gemmas, & metalla, est eadem continua actio cum ea, quæ producit accidentia in medio, ut constat.

IX. *Unde producatur maior lux in remoto, quam in propinquo.*

Notandum secundò contra nonnullos, qui quando intensior lux, vel calor in remoto producitur, quàm in propinquo, volunt ea produci à substantia solis, vel ignis: notandum inquam, hoc non esse necessarium, sed intensior lux, & calor produci possunt à calore & luce in sole, vel igne existentibus, ob meliorem scilicet dispositionem subiecti in remoto, quâ propinquo, sicut ipsi affirmant de substantiâ solis, & ignis.

X. Dices; non solùm in pariete, vel speculo, quæ sunt meliùs disposita, & aptiora ad recipiendam lucem, producitur intensior lux, & calor, sed etiam in âere illis proximo, qui tamen non est meliùs dispositus, quàm aliæ partes aëris, quæ sunt viciniores agenti. Contrà, eadem est difficultas de substantiâ ignis, & solis, cur intensiorem calorem, & lucem producant in partibus aëris remotioribus, quàm propinquis. Dico itaque, intensiorem illam lucem & calorem in aëre produci posse à calore illo, & luce intensiore, quæ est in pariete, & speculo, & in hoc consistit ratio reflexionis, quòd nimirum passum recipiens lucem ab agente, producat intensiorem lucem in partibus medij sibi proximis versus agens; & hoc modo illam quasi reflectit versus principium, à quo lucem recepit, non quòd eandem numero reflectat quam recepit, sed aliam similem pauloque minùs intensam. Si autem sit maior lux, vel calor in illo medio, quàm in corpore reflectente, tunc recurri potest ad ignem, vel solem.

Maior lux & calor per reflexionem.

Quid si sit maior lux in medio, quàm in corpore reflectente.

SECTIO IV.

An divinitus dari possit actio in distans.

I. Quæres an saltem supernaturaliter dari possit actio in distans? Negat P. Molina 1. p. q. 8. a. 1. d. 2. Rubius l. 7. Phy. q. 2. c. 2. & alij.

II. *Divinitus potest dari actio in distans.*

Contraria tamen sententia est probabilior: ita Tanner. 1. p. d. 2. q. 4. d. 3. n. 6. Oviedo Cōt. 18. Phy. p. 3. n. 2. & alij. Ratio est, quia licèt naturaliter dari nequeat actio in distans, sicut nec duo corpora quantitatiua inter se penetrari, aut idem corpus in duobus locis statui: sicut tamen hæc duo postrema fieri possunt virtute diuinâ, ita & primum. Utrùm autem ex operatione Dei certò concludatur eius immensitas, disputandum relinquo Theologis 1. p. q. 8.

III. *Causa intrinseca ut operetur hic, debet esse hic, non extrinseca.*

Dices; ut res operetur hic, debet esse hic, ergo non potest quidquam illic agere, ubi non est. Existimo hoc argumentum conuincere causam intrinsecam nullibi operari posse, ubi non est, cum operatio ipsius aliud nihil sit, quàm eius entitas unita subiecto: ex quo fundamento d. præcedente §. 8. intuli contra P. Oviedo non posse effectum aliquem aliò transferri sine actione illius conseruatiuâ, nec magis posse actionem Romæ tantùm existentem conseruare Petrum Leodij, quàm albedinem tantùm Leodij existentem reddere parietem album Romæ. In agentibus verò extrinsecis nullam habet difficultatem, actio enim non necessariò localiter coniungitur cum principio transeunter operante.

IV. *Dices: ut ignis operetur hic, debet actio ab illo profluere hic.*

Urgebis; ut ignis operetur hic, debet actio ab illo profluere hic, hoc autem fieri nequit, nisi ignis sit hic. Contrà, hoc nimium probaret; hinc enim sequeretur, ignem producentem debere esse in eodem loco cum igne producto, cum ibi operetur. Dices; sufficit si sit in proximo. Contrà, ergo hæc argumentatio, non valet, si ignis operetur hic, debet ab illo actio profluere hic: vel si ignis dici possit operari in spatio B, licèt existat in spatio A, ergo dici similiter poterit operari in spatio B, licèt existat in spatio D, aut alio remotiore, ut benè aduertit P. Arriaga, d. 7. Phy. s. 6. n. 65.

Retorquetur & soluitur argumentû.

V. Dices secundò; ut ignis operetur nunc, debet esse nunc, ergo ut operetur hic, debet esse hic. Contrà, hoc enim, ut proximè dixi, probaret debere ignem esse in eodem loco cum igne producto, cum necessariò debeat esse in eodem tempore. Deinde, dico latam quoad hoc esse differentiam inter locum & tempus; si enim res non sit in hoc tempore, non habet omnino existentiam, sed tunc non est simpliciter: at verò si non sit in hoc loco, non infertur eam non esse simpliciter, nam potest esse in alio. Cuius ratio ulterior est, quia non est nisi unum instans temporis simul; at verò possunt simul seu eodem tempore existere plura loca.

Differentia inter tempus & locum, quoad operationes.

SECTIO V.

Utrùm ubicatio in agente requiratur antecedenter ad operationem.

I. ANtecedenter, inquam, aliquo enim modo sequitur ubicationem, saltem concomitanter, vel consequenter, suppono ex disp. 33. s. 4. ubi probaui non posse rem esse, & nullibi esse.

II. Dico primò: uniuersim loquendo ubicatio non est conditio antecedenter requisita in causa ad agendum. Prob. quando enim res operatur ad intra, & suas passiones, ac proprietates producit (vt quando anima per emanationem producit intellectum, & voluntatem, si ab eâ distinguantur, aut subsistentiam &c.) nullam video necessitatem, cur ad hoc antecedenter requiratur ubicatio. Cuius ratio est, quia ubicatio ad operandum requiritur tanquam applicatio, quâ scilicet agens applicetur passo, res autem quæuis est sufficienter applicata sibi, cùm à se distare nequeat, sicque ad operandum in se ubicationem non requirit, cùm & agens sit, & passum.

Ad agendum immanenter non requiritur antecedenter ubicatio.

III. Hinc infero, si homo vel Angelus per impossibile poneretur nullibi, seu omni ubicatione spoliaretur, posse ipsum actus intellectus & voluntatis non minùs expeditè elicere, quàm modò. Idem censeo de sole respectu lucis, de igne, & aquâ respectu productionis caloris & frigoris in seipsis, & de aliis similibus.

IV. Existimo itaque passiones omnes, & proprietates rei cuipiam connaturaliter debitas, vt in sole ex. g. subsistentiam, lucem, & ubicationem in eodem signo rationis produci, nec ullum inter eas prioris, & posterioris ordinem inueniri. Imò vlteriùs addo, tantùm abesse vt ubicatio antecedenter se habeat ad productionem vel lucis, vel subsistentiæ in sole, vt existimem posse Deum lucem illam aut subsistentiam eleuare ad ubicationem solis primò producendam, itaque posse ubicationem illam esse iis naturâ posteriorem. Difficultas ergo tota est in operationibus in passo externo.

In sole eodem signo rationis producuntur subsistentia, lux & ubicatio.

V. Dico secundò: quando primò agens aliquod, ignis ex. g. agit in passum externum, requiritur ubicatio tanquam conditio antecedens ad effectum in passo illo producendum. Ratio est, quia cùm nihil agere possit in distans ad hoc vt causa aliqua operetur, requiritur approximatio, seu applicatio agentis ad passum, quæ consistit in duplici ubicatione, sine quâ applicatione non intelligitur causa in actu primo completa, & proximè expedita ad agendum.

In primâ applicatione agentis ad passum ubicatio est conditio antecedens.

Hæc est communis sententia, nec puto Philosophos loqui nisi de primâ applicatione, quando ubicationem antecedenter requiri asserunt ad agendum in subiecto extraneo.

VI. Dico tertiò: postquam agens & passum semel fuerunt sibi inuicem approximata, in instante A ex. g. existimo instantibus sequentibus, eorum approximationem, seu ubicationes non requiri antecedenter ad operandum, seu pro ullo priori, sed sufficere vt ubicationes habeant se concomitanter cum aliis effectibus, calore scilicet, frigore, & similibus: ita P. Arriaga d. 7. Phy. s. 6 n. 74. Prob. quando enim homo manu tenens lapidem in instante A ex. g. tempore immediatè sequente imprimit illi impulsum, & eum mouet versus Orientem, pro illo priori quando imprimit impulsum, & motum producit, non habet approximationem cum lapide, approximatio enim est ubicatio, hæc autem producitur per motum, ergo ubicatio est uno signo posterior motu, ergo ad impulsum illum & motum in lapide producendum non requiritur antecedenter ubicatio lapidis, vt videtur manifestum, cùm hæc ubicatio sit effectus motus, causa autem & effectus nunquam esse possunt in eodem priori naturæ. Sicut ergo pro priori ad approximationē potest homo in lapide producere motum, & impulsum, quidni etiam in eodem tunc producere poterit calorem, aut alium huiusmodi effectum, ad quem, sicut ad motum & impulsum, sufficit quod immediatè antè fuerit manus lapidi applicata.

Post primam instantis ubicatio non se habet semper antecedenter.

Sufficit sufficiens immediatè ante connexio.

VII. Dices; hinc sequi; posse manum in lapide illo producere calorē in sequente instante, licèt lapis à manu distaret, cùm pro illo priori secundùm nos non requiratur ubicatio. Contrà primò: quando Petrus in instante A existens in spatio A, mouet se instante B in spatiū B proximū, non requiritur pro priori ad motum illum ubicatio Petri in spatio B: sic enim priùs esset in illo spatio quàm habeat illam ubicationem, quod fieri nequit, cùm in illo spatio sit per ubicationem, & tamen nullus propterea dicet posse Petrum in instante B collocare se in loco distante, sed tantum in proximo, quidni ergo idem in nostro casu dici poterit de productione caloris, & aliorum huiusmodi effectuum? Dico itaque, licèt non requiratur ubicatio, seu approximatio pro priori, requiri tamen pro illo instante reali, & concomitanter, cùm tamen nec concomitanter poni posset approximatio si lapis illo instante reali esset in loco à manu distante, vt in similitam ostendi in motu Petri Videatur P. Arriaga disp. illâ citatâ, ubi rem hanc fusè, & benè explicat.

Requiritur ubicatio in illo instanti reali.

DISPUTATIO XXXVII.

De tempore, æternitate, & æuo.

ARistoteles tempus cognitu difficile, explicatu difficilius esse asserit. Cuius ratio, inquit S. Thomas opusc. 44 est, quod tēpus sit minimæ entitatis, & quid successiuum, ac veluti lubricum, & semper fugiens sicque oculis se & cognitioni hominum perpetuo subducens. Unde S. Aug. l. 11. Conf. c. 14. *Quid sit tempus, inquit, si nemo ex me quærat, scio, si quærenti explicare velim, nescio.* Quæ si de tēpore vera sint, multò certè magis de æternitate, quæ vt ab hominum conspectu longè remotior, ita captu & explicatu, communi omnium consensu, longè est difficilior.

Cur tempus sit cognitu, & explicatu difficillimum.

SECTIO PRIMA.

Declaratur quid sit tempus, & æternitas & in quo inter se, & ab æuo discrepent.

I. ARistoteles 4. Phy. c. 11 definitionem tēporis tradit his verbis: *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius.* Quæ definitio intelligi debet de partibus determinatis temporis, vt de quadrantibus in horâ, horis in die, diebus in mense, mensibus

Definitio temporis.

in anno

in anno &c. inter hæc enim vera intercedit successio, & numerabilitas, vt constat; non enim est sermo de partibus eius proportionalibus, quæ cùm & infinitæ sint in sententiâ Aristotelis, & indeterminatæ, numerari nullo modo possunt.

II. Licèt verò nullus sit motus, qui non possit vocari tempus, cùm nullus sit motus qui non sit successiuus, & qui non habeat partes post partes, & consequenter qui numerari non possit secundùm prius & posterius, & assumi vt mensura aliarum rerum, communi tamen omnium consensu, solus motus cœlorum, & præsertim primi mobilis, vtpote motus maximè vniuersalis, notus, & quod caput est, æqualis, & nunquam interruptus, appellatur tempus, & pro rerum omnium mensurâ assumitur. Motus verò horologiorum, qui cœli motum exprimunt, dici similiter tempus solet. Vnde notio temporis in extrinsecâ denominatione sita est: Quo sensu dixit Aristoteles hîc, tex. 131: *si anima non esset possibilis, tempus non esset possibile*: nempe secundùm rationem mensuræ actualis.

Motus cœli est tempus primariò, motus horologiorum secundariò.

Tempus est denominatio partim extrinseca.

III. Dices; tempus essentialiter includit duas partes, ergo nunquam de eo affirmari potest quòd sit, ergo non est ens reale. Distinguo vltimum consequens, ergo non est ens reale permanens, concedo consequentiam; non est ens reale successiuum, nego: hæc enim est natura rei successiuæ, vt petat non habere omnes, imò nec vllas partes simul, sed vnam post aliam. Ad hoc autem vt tempus sit ens reale, sufficit quòd possit successiuè esse à parte rei, res enim impossibilis nec hoc modo potest existere.

Quomodo tempus sit ens reale.

IV. Æternitas triplex est: alia à parte post, qualis est duratio Angeli, vel animæ rationalis, quæ semel producta, nullâ vi agentium naturalium destrui potest: alia est æternitas solùm à parte antè, vt si Deus Angelum creasset ab æterno, & destruxisset eum in tempore: tertia demum æternitas est & à parte antè, & à parte post, vt si Deus creasset Angelum ab æterno, & eum in æternum conseruare decreuisset. Aliquando verò æternitas sumitur pro longâ duratione: quo sensu psal. 75. v. 5 *montes* dicuntur *æterni*. Propriissima autem ratio æternitatis est illa Dei, quæ non solùm est sine principio & fine, sed petit essentialiter & esse ab æterno, & in æternum durare; quod nulli creatæ rei potest competere.

Æternitas triplex: à parte antè, à parte post, & vtroque modo.

Æternitas Dei est perfectissima.

V. Quæres, vtrùm æternitas Dei vocanda sit duratio? Quæstio hîc esse potest de nomine: primò, certum est hanc Dei æternitatem esse totam simul iuxta receptam illam ab omnibus Theologis ex Boëtio desumptam æternitatis Dei definitionem, nempe, *æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*: si ergo duratio ex naturâ suâ sit successiua, æternitas Dei non est duratio. Deinde, duratio dicit essentialem ordinem ad certum aliquod tempus, vel verum, vel imaginarium; æternitas autem hoc non dicit, sed anteuertit omne tempus, etiam imaginarium, vtpote ante quod æternitas Dei tota erat, vel, vt magis propriè loquar, est. Vnde æternitas Dei est eminentialis perseuerantia in esse, nō formalis, seu secundùm partes successiuas formales.

Æternitas Dei est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.

VI. Dici tamen potest Deus nouis & nouis cœlorum & motuum circumuolutionibus coëxistere, vt horis, diebus, annis &c. & hoc sensu durare, ita tamen, vt tota eius æternitas correspondeat singulis partibus & instantibus temporis. Tandem si per durare solùm intelligatur retinere idem esse in sequente instante, quod habuit in præcedente, hoc etiam sensu dici poterit Deus durare, vt est manifestum, cùm ipse totus sit in hoc instante, qui etiam totus fuit in præcedēte, & ideo omnino fuit ab æterno.

Quo sensu Deus dici possit durare.

VII. Æternitas ergo Dei, vt ex Boëtio l. 5. de Consol. prosâ vltimâ vidimus, est *interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*. De qua definitione latè Theologi cum S. Thomâ 1. p. q. 10. a. 1. Ly *interminabilis* denotat carentiam principij, & finis: *tota simul*, non habere partes formales: *perfecta*, id est, necessaria, seu ita vt possessione illâ carere non possit, quod Angelo, si ab æterno crearetur, non competeret: vnde aliqui volunt Angelum in eo casu dicendum non æternū, sed sempiternum, licèt alij cum S. Isidoro vtrumque nomen pro eodem sumi asserant.

Explicatur definitio æternitatis Dei.

VIII. Æuum sumitur subinde pro ætate diuturnâ, sic senes dicuntur longæui. Subinde etiam æternitas ipsa vocatur æuum. Tertiò, & propriissimè, æuum dicitur duratio rerum naturalium, quæ ex naturâ suâ sunt incorruptibiles, esto à Deo corrumpi possint, vt sunt Angeli, anima rationalis, cœlum &c. videtur ergo æuum media quædam duratio inter tempus & æternitatem: tempus enim est duratio motûs successiui, æternitas est existentia indiuisibilis Dei: æuum est duratio rerum permanentium, naturaliter incorruptibilium.

Quid sit, & quibus competat æuum.

SECTIO II.

De tempore Imaginario.

I. VT suprà, præter spatium reale, statuimus spatium imaginarium, cui reale corresponderet, seu, cui vbicatio rem veluti affigeret, ita hîc tempori reali assignandum est imaginarium, cui correspondeat, ac veluti affigatur. De quo fortè locutus est S. Augustinus l. 11. Confess. c. 23. dum loquēs de pugnâ illâ tempore Iosuæ, quando sol stetit, *sol*, inquit, *stabat, tempus ibat*. De tempore ergo imaginario tot ferè sunt, vel esse possunt opiniones, quot suprà d. 33. s. 1. retulimus de spatio imaginario, alijs scilicet, vt spatiū, ita tempus imaginarium negantibus: alijs asserentibus esse tempus possibile, alijs negationem Chimæræ, alijs Deum, alijs nihil. Quæ opiniones eodem modo impugnantur, quo suprà illas impugnauimus de spatio.

Tempore Iosue sol stabat, tempus, nempe imaginarium, ibat.

II. Vt meam de tempore imaginario opinionem declarem: Notandum, quemadmodum, vt suprà d. 33. s. 2. n. 4. dixi, negationes rerum à loco absolutarum, aquæ, ignis &c. sunt in loco per negationes vbicationum illarum rerum, ita & earum negationes per negationes durationum earundem rerum durant: negationes enim harum durationum per se durant, & sunt in perpetuo fluxu, nec vllæ duæ earum partes possunt esse simul, sed sunt essentialiter heterogeneæ, sicut durationes ipsæ quas negant. Negationes verò aliarum rerum eædem esse possunt heri, & hodie, & centum abhinc annis, nisi per productionem rerum positiuarum, quibus contradicunt, tollantur.

Negationes rerum absolutarum durant per negationes durationum.

III. Cùm ergo ab æterno fuerint negationes omnium rerum, fuerunt etiam iam inde ab æternitate perpetuò fluentes, & secundùm diuersas sui partes, vel quasi partes sibi semper succedentes negationes harū durationum, ita vt pars hodierna negationis durationis Anti-Christi non potuerit esse nisi hodie, nec seriùs, nec citiùs. Sicut ergo pars negationis vbicationis Leodiensis Petri non potest esse alibi quàm Leodij, sic negatio hodierna durationis Petri non potest esse nisi hodie. Vnde sicut negationes vbicationum sunt secundùm diuersas partes heterogeneas extēsæ quoad locum, ita negationes temporis, seu durationis sunt extensæ successiuè secundùm diuersas partes heterogeneas quoad tempus.

Negationes durationum durant per se.

IV. Sicut ergo partes negationis vbicationis, quæ nō sunt tollibiles, constituunt in nostrâ sententiâ spatium imaginarium; ita partes illæ negationum durationis, quæ quando existebant, non potuissent non existere,

Assignatur in quo consistat tempus imaginariū.

existere, constituunt tempus imaginarium, cùm eædem ipsis conditiones competant, ac partibus negationis vbicationum. Tempus itaque imaginarium cui affigeretur duratio hodierna Anti-Christi, sunt negationes hodiernæ omnium durationum eius, præterquam hodiernæ, hodierna enim negatio durationis hodiernæ Anti-Christi non est apta cōstituere tempus imaginarium, cùm tolli possit, ac proinde est priuatio potiùs, quàm negatio. Sic etiam tempus imaginarium cui affigebatur hesterna duratio, erant negationes hesternæ aliarum durationum præter hesternam, & sic de aliis.

V. *In quo differat tempus imaginariũ à spatio imaginario.*

Hic vlteriùs notandum, non in omnibus conuenire tempus imaginarium cum spatio imaginario: spatium enim petit esse quid fixum, & permanens, tempus verò imaginarium non potest esse quid permanens, sed essentialiter successiuum, & semper fluēs secundùm diuersas sui partes. Aliqua tamen pars temporis imaginarij necessariò semper existit; cùm enim duratio nulla realis poni possit, nisi certo quodam tempore, negatio ipsius necessariò debet esse omni alio tempore, saltem quoad aliquam sui partē, cùm semper debeat esse vel res, vel negatio rei.

VI. Dices; negatio omnis temporis fuit ab æterno, & durauit vsque ad creationem mundi, ergo negatio temporis non potest esse tempus imaginarium, cùm tempus imaginarium debeat esse aptum cui affigantur diuersa tempora realia, tempore autem reali producto, tollitur eius negatio, & consequenter tollitur tempus imaginarium, si in huiusmodi negationibus consistat. Resp. negationem quidem omnis temporis fuisse ab æterno, non tamen omnem negationem temporis, hæc enim negatio, est successiua, vt dixi, & habet diuersas partes sibi inuicem succedentes: sicut in hoc palmo spatij, vel etiam puncto, est negatio totius montis, & templi, non tamen tota negatio montis & templi. Cùm ergo sint partes harum negationum sibi semper succedentes, & consequenter diuersi dies imaginarij, sunt hæ partes aptæ ad constituendum diuersos dies veros, per modum scilicet terminí, cui dies veri affigantur.

Negatio omnis temporis fuit ab æterno, non tamen omnis negatio temporis.

SECTIO III.

De modo incipiendi, & desinendi rerum.

I. Aliquid de his necessariò hîc dicendum, licèt fusior eorum tractatio ad libros de Generat. pertineat. Hîc ergo solùm terminos explicabimus, ne, cùm Philosophis sint valde frequentes, primò auditu obscuritatem & confusionem pariant.

II. *Modus incipiendi, & desinendi extrinsecus.*

Duplex ergo est modus incipiendi, & desinendi rerum, *intrinsecus* & *extrinsecus*. Res ergo aliquæ incipiunt per vltimum sui non esse, ita vt sit verum de re huiusmodi affirmare, *iam non est, immediatè postea erit*. Desinunt etiam res aliquæ per primum sui non esse, ita nimirum, vt sit verum de tali re dicere, *nunc non est, immediatè antea fuit*. Hîc autem modus incipiendi, & desinendi vocatur incipere & desinere extrinsecè.

III. *Incipere extrinsecè est incipere successiuè, seu in tempore.*

Inceptio igitur rei per vltimum sui non esse est quando res aliqua incipit successiuè, & in tempore, tunc enim assignatur vltimum instans determinatū, in quo res illa non est, iuxta modum explicandi superiùs positum. Similiter desitio rei per primum sui non esse, seu extrinsecè est quando assignatur primum instans determinatum, in quo verum sit dicere, *nunc non est, immediatè antè fuit*. Sicque in expulsione caloris, & frigoris, eo instante reali quo est verum dicere, *calor non est*, seu non est inductus, & immediatè post inducetur, in eodem etiam est verum dicere, *frigus est*, & immediatè postea non erit, seu expelletur: vbi calor incipit extrinsecè, frigus desinit intrinsecè, quod iam explicabo.

IV. *Desinere, & incipere intrinsecè.*

Desinere itaque rem aliquam intrinsecè, seu per vltimum sui esse, est cùm assignari potest vltimum instans determinatum, in quo res illa est, ac proinde est verum dicere, *nunc est, immediatè postea non erit*. Incipere autem rem *intrinsecè* est illam incipere per primum sui esse, ita nimirum, vt sit verum dicere, *nunc est, immediatè antè non fuit*. Vnde videtur posse rem aliquā simul incipere, & desinere intrinsecè, nempe, si duret per vnum tantùm instans; vt siquis actum aliquem intellectûs, aut voluntatis eliciat in instante, & per vnicum tantùm instans illum conseruet, tunc enim hic actus illo instante incipit intrinsecè, seu per primum sui esse, & desinit intrinsecè, seu per vltimū esse, esset enim verum de actu illo dicere, *nunc est, immediatè antè non fuit*; & similiter, *nunc est, immediatè postea non erit*: non tamen destruitur nisi in tempore sequente illud instans.

Potest res aliqua simul incipere, & desinere intrinsecè.

V. *Angelus produci primò potest in tempore, & successiuè.*

Quæres vtrùm res indiuisibilis, seu quæ nullas habet partes, Angelus v.g. possit incipere extrinsecè, seu per vltimum sui non esse, & produci in tempore? Probabilius mihi videtur posse. Dices; est implicatio in terminis, quidquid enim producitur in tempore, producitur successiuè, sed Angelus non potest produci successiuè, sed totus simul, cùm non habeat partes, ergo. Resp. distinguendo maiorē, producitur successiuè, ex parte temporis, id est, in tempore successiuo, concedo maiorem; producitur successiuè ex parte sui, id est, ita vt aliquid illius producatur priùs alio, nego: hoc enim implicat, cùm in Angelo, & re quauis indiuisibili non sit aliquid & aliquid realiter.

VI. *Productio [illegible] Angeli simultanea ex parte sui.*

Productio ergo hæc vocanda est simultanea, non instantanea, simultanea inquam, ex parte sui, non ex parte temporis, quia verè in productione correspondet tempori. Cùm ergo dicitur res illa producitur in tempore, ergo non simul, semper distingui debet consequens, ergo non simul quantum ad tempus, concedo consequentiam; nam in productione correspondet tempori: ergo non simul ex parte sui, nego: cùm enim res illa indiuisibilis sit, & nullas habeat partes, debet necessariò ex parte sui produci simul.

DISPVTATIO XXXVIII.

De Duratione.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Duratio: & an distinguatur à re durante.

An res vno tantum instante existens dici possit durare.

DVratio duobus modis sumi potest: primò, pro permanentia in esse: quo sensu res vnico tantùm instante existens, non potest dici durare, cùm permanentia duo saltem instantia inuoluat, seu quod res retineat esse, quod habuit. Aliò tamen modo sumitur duratio, nempe, vt sit determinatio per quam res hoc potiùs tempore existit, quàm alio: secundùm quam acceptionem, res vnico tantùm instante existens dici posset habere durationem.

II. *Prima sententia negat durationem distinctam.* Quoad secundum: prima sententia negat durationem distingui ab existentiâ rei durantis. Ita Scotus in 2.d.2.q.2. Okamus, & Gabriel ibid.q.11. Val.s. p.q.10.p.1.§ *Quod ad* 2. Suar.d.50.Met.s.1.n.5 Molina 1.p.q.3.a.4.d.2.circa medium: Vasq.1.p d.33.c.4. n.18.& 19 Pererius l.12.Phy.c.5.conclu.3. Tolet. in Logica, de Prædicam.c 10.s.2.de *Quando*: Hurt.d.17. Met.s 3 n 37. Ouiedo contr.16. Phy.p.1.n.16. & ex recentioribus non pauci.

III. *Secunda sententia ait durationem à re distingui.* Secunda sententia affirmat durationem distingui realiter ab existentiâ rei durantis. Ita S.Bonau.in 2. d.2 p.1.a.1.q.1. Salas 1.2 d.2.s.12.n.122. Conimb.in c. 2.Categor. Arist.q.3.a.1.& in Phy.l 4.c.14 q 2.a.2. Rub.l.10.de Prædi.q.vnica n.18. Murcia l.4.Phy.d. 3.q.4.§ *Dico tertiò*. Arriaga d.15.Phy.s.1.n.5.& plurimi ex recentioribus.

IV. *Duratio distinguitur à re durante.* Conclusio: Dicendum cum auctoribus secundæ sententiæ, durationem distingui à re durante. Prob. primò, potest existere Petrus, & non correspondere huic tempori, sicut existere potest, & non correspondere huic spatio, ergo sicut propterea ipsi additur vbicatio & entitas aliqua distincta, quæ ipsum determinet seu applicet & affigat huic spatio potiùs quàm alteri, ita & habere debet aliquid distinctum à suâ entitate, per quod determinetur, applicetur, & affigatur huic tempori potiùs quàm alteri, cùm Petrus ex naturâ suâ non magis sit in hoc tempore, quã in hoc spatio.

V. *Assignatur disparitas inter locum, & tempus.* Dices primò; latam esse disparitatem quoad hoc inter locum & tempus, nam potest existere & Petrus & hic locus, & tamen Petrus non correspondens, seu coëxistere huic loco, vt constat; at non potest existere Petrus & hoc instans, quin Petrus ei coëxistat, cùm coëxistentia non sit aliud quàm duorum existentia. Contrà, potest existere Petrus & hoc instans, & tamen Petrus non coëxistere huic instanti, ergo. Probo antecedens, Petrus potest existere heri, & hoc instans hodie, quin Petrus coëxistat huic instanti, potest enim Petrus mori ante hoc instans, ergo potest existere Petrus, & hoc instans, & tamen Petrus non coëxistere huic instanti. Dices; non possunt existere simul quin Petrus illi coëxistat. Contra, ergo existere Petrum, & hoc instans simul, est aliquid aliud, quàm existere Petrum, & existere hoc instans, ergo istud *simul* habere debent per aliquid aliud, cùm vtrumque esse possit in rerum naturâ, quin sibi inuicem coëxistant, seu sint simul.

Ostenditur disparitatem illam esse nullam.

VI. *Dicitur spatium imaginarium esse quid fixum, tempus autem esse fluxum.* Dices secundò cum P. Hurt. citato; ideo requiri vbicationem distinctam, non durationem, quia cùm spatium imaginarium sit quid fixum, debet fieri mutatio in mobili, seu re vbicatâ: at verò cum tempus imaginarium sit quid fluidum, & successiuum ex naturâ suâ, non est opus vt fiat mutatio in re ipsâ, sed sufficit mutatio in tempore, ad hoc vt dicatur res correspondere diuersis partibus temporis. Sicut vt arbor sita in flumine diuersis aquæ partibus correspondeat, non est opus vt arbor mutetur, sed sufficit sola mutatio aquæ.

VII. *Res fluxum temporis non auferre necessitatem durationis distinctæ.* Contrà primò, saltem in primâ productione rei necessarium est aliquod determinatiuum, cùm potuisset esse hoc tempus, & produci Petrus, & tamen Petrus non correspondere huic tempori, nec fuisse in illo productus sed in alio. Contrà secundò, Petrus ex se est indifferens vt existat, vel non existat cras, quantumcunque fluat tempus imaginarium, ergo hoc quod est connotare crastinum tempus, seu illi coëxistere, est aliquid aliud præter entitatem Petri, cùm illa ex se sit indifferens vt coëxistat, & correspondeat crastino tempori, vel non; idque quantumcunque tempus fluat, vt dixi.

VIII. *Duratio non est negatio suspensionis concursûs Dei.* Dices; posito quòd Deus producat rem in instante A, & non suspendat concursum in sequente instante, sufficienter intelligitur rem illam correspõdere instanti B, sine aliquo alio determinatiuo. Contrà, suspensio concursûs est negatio concursûs, ergo non suspensio concursûs est ipse concursus, sicut non-negatio frigoris est frigus, & non-negatio hominis homo, sed concursus ex se est indifferens vt continuetur, & existat sequente instante, seu ad durandum & coëxistendum sequenti tempori imaginario, ergo addi ipsi debet aliquod determinatiuum.

IX. *Voluntas Dei non determinat formaliter, sed efficienter.* Dices; Deus determinat volendo vt illi tempori coëxistat. Contrà, & sit secunda probatio conclusionis: voluntas Dei non alio modo determinat ad extra, quàm aliquid efficiendo; si enim determinaret formaliter, res illa fuisset ab æterno, cùm volitio Dei fuerit ab æterno: ergo aliquid debet efficere præter rem illam, nam res ex se, præcisè quòd producatur, non petit esse nunc, ergo debet Deus velle aliquid aliud præter entitatem rei, vt constat fusiùs ex dictis suprà d.34.s.2.& 3. dum de vbicatione. Ad illud de arbore in aquâ sita dicetur sec. sequente n. quinto.

X. *Probatur ex Patribus duratio distincta.* Tertiò probatur auctoritate Patrum, qui in hoc durationem creaturæ distinguunt ab æternitate Dei, quòd æternitas Dei sit tota simul, duratio verò creaturæ nequaquam, sed habeat præsens, præteritum, & futurum: quod tamen dici non potest nisi habeat durationem distinctam ab entitate, entitas enim Angeli tam est indiuisibilis, & tota simul, quando est, ac æternitas Dei.

XI. Quartò probatur: potest Deus velle Petrum esse futurum, & crastinum diem, vel Paulum esse futurum, & tamen non velle Petrum esse cras, aut coexistere Paulo, sicut de facto vult Anti-Christum esse futurum, & diem crastinum esse futurum, & tamen non vult eos esse futuros simul, ergo tunc vult Deus aliquid distinctum.

XII. Probatur quintò: Petrus existens in instanti A, potest illo instante petere à Deo, vt ipsum conseruet

Quid petit Petrus dum vult vt Deus ipsum conseruet sequenti instanti.

pro sequente instante, vel tempore. Inquiro, quid tunc petat Petrus? non petit suam existentiam, illam enim iam habet, nec tempus reale, seu vt cæli contineant suum concursum, primò, quia hoc non est necessarium ad cõseruationem ipsius, cùm licèt cœli non mouerentur, adhuc posset is conseruari, sicut de facto conseruabuntur homines post diem iudicij, cessante omni motu cœli. Nec etiam petit tempus imaginarium, hoc enim inaniter peteretur, cùm necessariò semper fluat: sicut inaniter peteret quis à Deo, vt existat negatio Chimæræ, cùm existat necessariò: ergo petit aliquid distinctum à suâ entitate, & tempore extrinseco siue reali, siue imaginario.

XIII.
Aliud est velle Deum aliqua, aliud velle illa esse simul.

Dices; petit vt Deus velit ipsum esse ens actu sequente instante. Contrà, potest Deus velle ipsum esse ens actu, & velle sequens instans, & tamen non velle ipsum esse ens actu sequente instante, seu velle ipsum esse ens actu & sequens instans simul, ergo velle Deũ ipsum esse ens actu sequente instante, seu ens actu simul cum illo instante, est quid distinctum, & diuersa voluntas Dei.

SECTIO II.

Argumenta contra Durationem distinctam.

I.
Obij. posse durationem G immediatè subsequi durationem A.

OBicit primò P. Ouiedo: si Duratio sit accidẽs, vel aliud quodcunque à rei (Petri ex. g.) existentiâ distinctum, sequitur, posse Deum efficere, vt Petrus durãs hodie, seu primo Martij anno 1647. duret immediatè pòst, primo Martij anno vertente: ita vt dum reliqui homines durant secundo Martij 1647. ipse duret primo Martij 1648. vel etiam anni 1700. sequela probatur, si enim Duratio sit entitas à rei existentiâ distincta, poterit Deus entitatem hãc, nullo interuallo interposito, immediatè post durationem hodiernam producere, sicque Petrus immediatè post durationem hodiernam, durabit primo Martij anni sequentis.

II.
Satisfit obiectioni suprà positæ.

Hoc argumentum in meâ sententiâ, qui, sicut spatium imaginarium suprà d. 33. s. 2. constitui in negatione quarundam vbicationum, ita disp. præcedẽte sec. 2. tempus imaginarium situm similiter esse dixi in quibusdam negationibus durationum essentialiter fluentibus, nullam habet difficultatem. Dico itaque, sicut Deus per nullam potentiam producere potest vbicationem Matritensem Londini, aut efficere vt vnio inter animam & corpus Petri sit vnio inter animam & corpus Pauli; ita nec efficere potest, vt duratio crastina existat hodie, cùm terminus ipsius, pars scilicet crastina illius negationis, seu temporis imaginarij hodie poni non possit: sicut secundùm P. Ouiedo tempus possibile crastinum per nullam potentiam poni potest hodie.

III.
Obij. non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Obicies secundò: non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hîc nulla est necessitas, ergo: Probatur minor, ipso facto quòd detur hoc aggregatum Petrus existens, & hoc instans existens, Petrus necessariò correspondet, & coëxistit huic instãti, & in eo durat, licèt nulla alia entitas superaddatur.

Resp. ostendendo necessitatem.

Resp. negando minorem: ad probationem nego suppositum, nempe, posse dari hoc aggregatum *Petrus & hoc instans simul*, nisi aliquid aliud addatur, præter entitatem Petri existentem, & existentiam instantis, vt suprà ostensum est.

IV.
Obij. rem permanentem coëxistere per se rei successiuæ.

Obiicies tertiò: quando aliqua duo ita se habent, vt alterum sit successiuum, alterum permanens potest id quod est successiuum, per se tollere indifferentiam rei permanentis ad correspondendum ipsi, absque eo quòd res permanens omnino mouetur. Conf. Deus sine vllo superaddito correspondet & coëxistit variis rebus creatis incipientibus, & desinentibus indies, ergo sufficit mutatio ex parte alterius, ad hoc vt complexum dicatur mutari, nec est necessarium vtrumque extremum, seu partem complexi mutari.

V.
Quando res permanens correspondeat per se rei successiuæ.

Ad argumentum distinguo antecedens, si res permanens sit per se, vel aliquid aliud determinatum ad permanendum vel correspondendum successiuo illi, vel quoad locum vel quoad tempus, concedo antecedens; si non sit, nego. Et per hoc patet ad id quod sec. præcedente n. 6. obiciebatur de arbore in fluuio sitâ, quæ cùm habeat vbicationem, quâ figitur in illo loco permanenter, nil mirum si correspõdeat diuersis partibus aeris, & aquæ prætetlabentibus: at res istæ per se, & per suam entitatem non sunt determinatæ ad permanendum, vel ad vnum, vel duo instantia, aut partes temporis, quantumcunque ergo instantia illa sibi inuicem succedant, res tamen absolutæ habere debent aliquod aliud determinatiuum, per quod determinentur ad permanendum sequente instante.

VI.
Cur Deus per se coëxistat omni tempori.

Per quæ etiam patet ad confirmationem: Deus enim ex essentiâ suâ est determinatus per æternitatem ad coëxistendum omni tempori reali, & imaginario, estque ex naturâ suâ semper permanens. Petrus autem, vel Angelus ex naturâ suâ non est permanens essentialiter, nec ad vnum, nec duo instãtia, si enim peteret essentialiter permanere ad duo instantia, non posset à Deo destrui secundo instante, postquam est creatus.

VII.
Cur tempus per se correspondeat rebus permanentibus.

Obicies quartò: tempus ipsum, quia fluidum, non requirit aliquid aliud, per quod coëxistat rebus permanentibus, ergo nec è contrà res vt coëxistant tempori: & idem est de loco. Resp. tempus & locum imaginarium ex essentiâ suâ habere esse hîc & nũc, & consequenter ipso facto quòd res à tempore & loco absolutæ ponantur hîc & nunc, per suas durationes & vbicationes, possunt ipsis sine vllo superaddito correspondere tempori & spatium imaginarium. Non tamen propterea res absolutæ sunt per se determinatæ ad correspondendum ipsis, cùm sint ex se indifferentes ad existendum vel non existendũ hoc tempore, & loco imaginario, potiùs quàm alio.

VIII.
Prioritas naturæ non obstat productioni durationis.

Obicies quintò: pro aliquo priori debet res esse in primo aut secundo instante, quàm in iis duret, si ergo producat suam durationem, priùs habet effectum formalem durationis, quàm habeat duratione. Hoc etiam argumentum vrget P. Ouiedo citatus p. t. n. 18 Contrà, idem argumentum fieri posset de vbicatione, quam tamen Ouiedo, & multi ex aduersariis concedunt. Resp. itaque durationem vniuersim educi ex potentiâ rei durantis, illud enim prius in argumento propositum, solùm est prioritas naturæ, seu causalitatis, vnde pro illo priori solùm intelligitur substantia rei terminans actionem, non tamen terminans eam pro illo priori hoc vel illo instante, is enim est effectus formalis durationis, quam pro illo priori non habet.

IX.
Declaratur prioritas naturæ in productione durationis.

Sicut ergo prius natura est res, quàm sit in loco, ita priùs naturâ est, quàm sit in hoc tempore, ac proinde in illo priori non magis petit esse in hoc tempore quàm in alio Dices; ergo pro illo priori est, & tamen est in nullo instante, vel tempore. Distinguo consequens, est in nullo præcisiuè, id est, non determinatur in illo priori ad vllum tempus sed præscindit ab omni, concedo consequentiam; est in nullo negatiuè, id est, pro illo priori intelligi potest cum negatione determinationis ad omne tempus, nego. Quam responsionem latius prosequutus sum suprà d 34. in simili de vbicatione. Addo, non omnes qui dicunt rem producere suam vbicationem, dicere eam producere suam durationem.

X.

Obicies sextò: res per se, & sine aliquo distincto

coëxisti

Cur res permanens correspondeat per se sua durationi.

coëxistit suis durationibus, ergo & eodem modo coexistere posset tempori. Contrà, res per se, & sine aliquo distincto correspondet suis vbicationibus, ergo eodem modo correspondere posset spatio. Idem est in materiâ & formâ respectu vnionis. Resp. ergo negando consequentiam: disparitas est, duratio enim, cùm sit determinatio rei ad tempus, eâdem operâ determinat rem ad ipsam durationem, alioqui procedetur in infinitum: tempus autem est indifferens vt res ei coëxistat, vel non coëxistat.

SECTIO III.

Alia quædam circa naturam Durationis.

I. *Sitne possibilis duratio indiuisibilis.*

PRimum est, vtrùm dari possit duratio aliqua indiuisibilis, quæ correspondeat per se, & essentialiter pluribus partibus temporis, vt integræ horæ, vel diei? Affirmat P. Arriaga d.15. Phy. s.2. n.64. imò addit dari Angelum posse qui petat essentialiter durare per horam, vel diem.

II. Exinde putant aliqui repugnare huiusmodi durationem, quòd repugnaret huiusmodi duratio perfectæ libertati & dominio Dei: si enim ex essentiâ suâ petat durare per diem, debet Deus si illam producat, conseruare per integrum diem, & consequenter nō posset destruere quando vellet, quod obstat eius libertati.

III. *Duratio petens durare per horam non derogat dominio Dei.*

At certè hanc rationem non puto efficacem: primò, quia non magis repugnat perfecto dominio Dei non posse aliquid destruere quandocunque vult, quam non posse aliquid producere quandocunque vult, cùm productio non minùs spectet ad perfectā dispositionem de re aliqua, & ad dominium, quàm destructio: sed Deus non potest rem quamlibet producere quando vult, ergo. Probatur minor, secundùm multos non potuit omnino quidquam producere ab æterno, ergo per totam æternitatem non potuit de re vllâ disponere pro libito. Deinde secūdùm multò plures non potuit producere tempus ab æterno, nec partem temporis modò in instante, aut è contrà, ergo non potest quidlibet producere pro libito quocunque tempore, ergo similiter non obstabit perfectæ libertati & dominio Dei durationem illam, postquam semel producta est, non posse nisi post horam destruere.

IV. *Vlterius ostenditur talem durationem non obstare libertati Dei.*

Secundò ostenditur hoc idem: nam non potest Deus producere durationem diei crastinæ hodie, sed debet expectare vsque in diem crastinum. Nec vbicationem Romanam producere potest hic, aut alibi quàm Romæ. Dices; hæc non posse Deum quia repugnat tempus ab æterno, duratio crastina hodie, vbicatio Romana hîc &c. Contrà, etiam repugnat durationem illam destrui ante finitam horam, ergo si impossibilitas ibi facit quo minùs illa sint contra perfectam libertatem, & dominium Dei, faciet & hîc: & sicut non est contra libertatem & dominium Dei, non posse facere id quod fieri non potest, ita nec est contra eiusdem libertatem non posse tollere, quod tolli non potest: sicut nec est contra omniscientiam non posse cognoscere quod cognosci non potest, vt hominem esse equum.

V. Perfectissimè ergo saluatur libertas & dominium Dei in eo quòd in potestate Dei fuerit creaturam illam omnino non produxisse; præsertim cùm sciuerit Deus, si eam produceret, debere se illam conseruare per horam: cùm enim illam produxit hoc sciens, ipso facto quòd velit producere, vult eam durare per horam.

VI. *Dicunt hinc sequi Deum non esse perfectissimè liberum.*

Dices; hinc sequi, Deum non esse infinitè liberum, vel saltem non esse liberum omni libertate possibili: patet sequela; illa libertas esset maior, quà posset destruere durationem hanc sequenti, & quolibet instante postquam eam produxit. Resp. negando sequelam, ad probationem nego suppositum: nulla enim est libertas & dominium possibile ad aliud eo instante tollendum, quod illo instante tolli non potest. Sicut siquis argueret, Deum non habere maximam potentiam, quia non potest producere hippocentaurum, cùm illa potentia esset maior, quæ eum posset producere. Negatur ab omnibus suppositum, nempe, talem potentiam esse possibilem. Idem est in præsenti. Addo, sicut non est contra dominium Dei non posse hanc durationem vno instante citiùs producere, quàm petat produci, ita nec est contra eius dominium, non posse eam vno instante citiùs destruere, quàm petat destrui.

Resp. talem libertatem, & potentiam non esse possibilem.

VII. *Implicat huiusmodi duratio indiuisibilis; & quare.*

Ex alio tamen capite existimo implicare huiusmodi durationem entitatiuè indiuisibilem, quæ coëxistere petat successiuè diuersis partibus temporis, seu spatio diuisibili. Ratio à priori est, quia cùm sit indiuisibilis, vt supponitur, non potest habere partes, & consequenter in singulis instantibus, & partibus vnius horæ deberet habere totam suam essentiam, sed in singulis non posset habere totam suam essentiam, ergo. Maior est certa, cùm sit indiuisibilis, sicque tota correspondere debet singulis instantibus illius horæ. Minor probatur, essentia ipsius est actualiter coëxistere toti horæ, sed singulis instantibus nō coëxistit toti horæ, cùm in primo instante non coëxistat vltimo quadranti illius horæ, sicque in primo instante haberet reale prædicatum, quod non habet in secundo, & sic de aliis instantibus, ergo in singulis non haberet totam suam essentiam. Plura hac de re in præsenti non addo, quia hanc durationem in simili impugnaui suprà d.13. s.5. de vbicatione & vnione indiuisibilibus: quæ impugnationes à fortiori vrgent de duratione indiuisibili.

VIII. *Per quid durent negationes.*

Secundum quod circa durationem inquirimus, est, per quid durent negationes? Ad hoc disp. præcedente, s.2. n.3. dixi durare per negationes, vel priuationes potiùs durationum rerum positiuarum, quibus apponuntur.

IX. *An duratio sit modus.*

Tertium est, vtrùm duratio sit modus? Resp. non esse necessariò modum respectu rei durantis, sed solùm respectu spatij. De quo latè dictum est in simili, d.34. s.3. n.3. dum de vbicatione.

X. Quartum est, quibus rebus diuersa competat duratio? De hoc etiam dixi d.34. s.5. n.5. eodem enim modo hac in re philosophandum est, ac de vbicatione.

XI. *Possitne res esse sine duratione.*

Quintum, vtrùm possit res spoliari omni duratione, seu esse & nunquam esse? Huic etiam difficultati satisfactum est suprà d.33. s.6.

DISPVTATIO XXXIX.

De Origine mundi.

SECTIO PRIMA.

An Mundus potuerit esse ab æterno quoad res permanentes.

I. *Fide certum est mundum de facto non fuisse ab æterno.*

MVndum non fuisse ab æterno, est de fide ex illo Gen. 1. v. 1 *In principio creauit Deus cælum & terram*: & definitur in Concilio Lateran. sub Innoc. 3. In quo dupliciter lapsus est Aristoteles, primò, quòd mundum ab æterno fuisse asseruerit, deinde, quòd hoc ex alio peiore principio deduxerit, nempe, primum mouens, seu Deum esse agens necessarium, & necessariò operari. Quare, inquit, non potuit non semper operari quando potuit, non magis quàm ignis applicatus stupæ non comburere. Quamuis S. Thomas 1. p. q. 46. ar. 1. & alij eum excusare conentur.

II. *Prima sententia est negatiua.*

Prima ergo sententia est negatiua, ita S. Bonau. in 2. d. 1. a. 1. q. 2. Albertus in Sum. p. 2. t. 1. q. 4. m. 2. & in 1. d. 44. a. 1. & in 2. d. 1. ar. 10. Henricus quodl. 1. q. 7. Less. l. 4. de Pers. Diui. c. 2. Valen. 1. p. d. 3. q 3 pu. 2. Tol. l. 8 Phy. d. 1. q. 2. Murcia l. 8. Ph. d. 1. q. 3. Tann. 1. p. d. 6. q. 1 d. 3. n. 11. & alij plurimi.

III. *Secunda sententia est affirmatiua.*

Secunda sententia est affirmatiua: tenet S. Thomas 1. p. q. 46. ar. 2. Durand. in 2. dist. 1. q. 2. & 3. Suar. d. 20. Met. s. 6. n. 11. 14. & 15. Vasq. To. 1. d. 177. c. 5. Molina 1. p. q. 10. ar. 3. Conimb. l. 8. Phy. c. 2. quæst. 6. & 7. Hurt. d. 16. Phy. s. 1. Arriaga d. 17. Phy. sect. 2. n. 15. Ouiedo Cont. 19. Phy. p. 1. nu. 2. item S. Bonau. citatus, si solam spectemus rationem: & multi ex recentioribus.

IV. *Res creata permanens potuit esse ab æterno.*

Conclusio: potest creatura permanens produci ab æterno. Ita auctores secundæ sententiæ. Probatur primò: non apparet ex quo capite id repugnet, ergo. Antecedens probatur nam non ex eo quòd sit productio, Pater enim æternus generauit Filium suum ab æterno: nec repugnat ex parte Dei, Deus enim potest quicquid non inuoluit contradictionem ex parte effectûs: nec demum repugnat ex parte creaturæ, non enim sequitur, fore eam infinitam simpliciter, sed solùm secundùm quid, nempe secundùm durationem à parte antè, & participatam: sicut Angeli & animæ durabunt in æternum à parte pòst, & tamen non habent propterea infinitatem simpliciter, sed solùm secundùm quid. Conf. potest dari creaturæ, & physicè ei vniri sanctitas ipsa infinita Dei, vt contingit Humanitati Christi, quæ per subsistentiam Verbi reddita est infinitè sancta; quare ergo creaturæ communicari non poterit æternitas creata, infinities sanctitate increatâ imperfectior?

Potest creatura communicari sanctitas increata, ergo & æternitas creata.

V. *Causa non est necessariò prior tempore effectu.*

Dices; inde oriri repugnantiam, quòd causa esse debeat prior effectu. Distinguo, debet esse prior naturâ, concedo; prior tempore, nego: prioritas autem naturæ non exigit vt causa tempore antecedat effectum, vel vt duret plus quàm effectus, sed solùm arguit dependentiam effectûs à causâ: imò parum refert quòd extiterit causa tempore ante effectum, existentia enim toto tempore præcedente perinde se habet quoad hunc effectum hîc & nunc, seu in hoc instante producendum, atque si non fuisset. Deinde, sol primo instante quo fuit, produxit lucem, anima intellectum & voluntatem &c. Et ratio est manifesta, cùm enim primo instante habeat res tantam virtutem ad hos effectus, atque vnquam postea, non est cur non possit æquè tunc exercere hanc virtutem, ac postea: nec enim hîc requiritur aliquid aliud tanquã applicatio, aut quid simile, applicatio enim non est inter causam & effectum, sed tantùm inter agens & passum, vt suprà dictum est.

Ratio huius à priori.

VI. *Agens etiam liberum operari potest primo instante quo est.*

Nec est cur quis dicat, agens necessarium posse operari primo instante, non tamen agens liberum: primò enim Deus ab æterno habuit actus liberos. Deinde, Angelus primo instante quo creabatur, potuit elicere actum liberum, & de facto anima Christi primo instante suæ creationis obtulit se Deo Patri ad patiendum pro redemptione mundi, quòd enim aliquid temporis præcesserit in causâ liberâ antequam operaretur, parum refert, cùm solùm liberè operetur per vim innatam liberam, quam habet eo instante quo operatur, totum autem tempus quod præcessit, sicut in causis necessariis, ita & in liberis, perinde se habet, atque si non fuisset. Vnde dum Angelus operatur in secundo instante, perinde est atque si in eo fuisset primò productus.

SECTIO II.

Obiectiones contendentes rem permanentem non posse produci ab æterno.

I. OBiicies primò: ignis produceretur ab æterno, sequi, ignem fore combustiuum ab æterno, & tamen nihil posse comburere, & consequenter non esse combustiuum, sicque fore ignem, & non fore. Contrà, Deus ab æterno est omnipotens, & tamen iuxta aduersarios nihil potest producere ab æterno, ergo est omnipotens, & non est omnipotens. Resp. ergo, ignem illum posse comburere ab æterno, si enim Deus crearet ignem ab æterno & prope illum materiam dispositam, posset ignis ab æterno in illam inducere formam ignis.

Ignes ab æterno existis posset ab æterno producere ignem.

II. Dices; implicat hoc contradictionem, sic enim ab æterno materia illa haberet, & non haberet formam ignis: non haberet, vt supponitur, cùm Deus materiam illam produceret sine omni formâ: haberet, cũ ignis ab æterno formam ignis in eam induceret, ergo simul haberet, & non haberet formam ignis. Resp. negando sequelam; haberet siquidem materia illa formam ignis, licèt eam non acciperet à Deo, sed ab igne, Deus enim non produxit materiam illam excludendo formam, seu cum negatione formæ, nec ad vnum instans, sed præcisiuè se habet, vt agens totale, circa formam in illâ materiâ; non negatiuè, id est, Deus vt agens totale præbet concursum ad solã materiam dispositam: non tamen vult vt pro illo instante materia illa non habeat formam aliunde, sed solùm vt quantum ad hunc concursum Dei eam nõ habeat: quod est Deum habere se præcisiuè, non exclusiuè. Et idem est, si Deus nunc in instante A produceret simul solem & aërem, aër ille in eodem instante haberet lucem à sole in se productam, nec ad vnum instans esset sine luce.

In hoc casu non sequitur materiam habituram, & non habituram formam ignis.

III. Vrgebis; saltem si puluere nitrato applicaretur ignis ab æterno, non posset illum comburere, & formam destruere, nisi post æternitatem. forma enim illa pulueris esset ab æterno, & non esset. Contrà, nec Deus, qui est omnipotens, potest iuxta aduersarios quidquam producere, nisi post æternitatem. Vtrum

Ignis productus ab æterno applicatus stupæ, non posset eam ab æterno comburere.

trum autem magis videtur mirum, Deum qui infinitam habet virtutem, nihil posse per totam æternitatem à parte antè producere, an ignem per totam æternitatem à parte antè non posse comburere? Instabis, non potest assignari certum instans, aut tempus, quando ignis ille posset primò comburere puluerem, nam ab æterno non potest. Contrà, nec etiã assignari potest certum instans aut tempus, quando Deus potest primò creaturam aliquam producere, ab æterno siquidem non potest iuxta aduersarios, ergo non est maior difficultas in nostrâ sententiâ de igne respectu combustionis, quàm in illorum de omnipotentiâ respectu productionis cuiuscunque creaturæ. De quo plura sec. sequente.

IV. *Ubi actum liberum fore, & non fore liberum.* Obiicies secundò: Angelum, si produceretur ab æterno, posse etiam ab æterno elicere actum liberum. Hinc autem sequitur, actum illum fore, & non fore liberum: fore, vt supponitur; non autem fore liberũ probatur, actus enim ille necessariò debet continuari per æternitatem, quod enim ab æterno producitur, non potest ab æterno destrui.

V. Resp. primò, esse fortè peculiarem difficultatem quominùs talis actus liber posset ab Angelo produci, ob rationem iam positam. Secundò dici posset, si actus de libero transire possit in necessarium, actum liberè productum, continuari necessariò, ob circumstantias extrinsecas. Tertiò tandem dico, eandem esse difficultatem de actu libero Dei, quo voluit creare mundum, aut de alio quouis, qui tamen fuit ab æterno, & ab æterno liber. Clarè ergo hinc intelligitur posse actum esse ab æterno, & ab æterno liberum, imò esse liberum per totam æternitatem. Vnde actus ille simpliciter esset liber, ad hoc enim sufficit, quòd tunc quando elicitur, potuerit non elici; sicque quòd Angelus liberè se flexerit ad hanc partem contradictionis, cùm potuerit non se flexisse: licèt posito quòd ab æterno se ad hanc partem flexerit, debeat actum continuare per totam æternitatem. Hæc tamen est necessitas tantùm consequens, seu ex suppositione quòd voluerit illo instante actũ illum elicere, posito enim quòd voluerit eum in illo instante elicere, debet necessariò eundem cõseruare, seu habere per æternitatem. Plura hac de re sect. sequente, n. 13.

Variis modis ostenditur actum illum non simul fore liberum & non fore liberum.

VI. *Res producta ab æterno esset ex nihilo.* Obiicies tertiò: creatura omnis fieri debet ex nihilo, ergo ex negatione sui, ergo ab æterno erat illius negatio, ergo non potest res esse ab æterno, sic enim eodem instante esset res & illius negatio. Resp. rem esse ex nihilo esse eam produci, sine subiecti cõcursu, non tamen vt procedat ex negatione sui, & hoc modo illud ex nihilo explicant S. Thomas, & alij, vt postea videbimus.

VII. *Obiicitur auctoritas Patrum.* Obiicies quartò: Patres negant vllam creaturam potuisse existere ab æterno, & inferunt contra Arium, Verbum non esse creaturam, quia fuit ab æterno. Conf. innuunt frequenter Patres æternitatem esse propriam Dei, nec posse competere creaturæ.

VIII. Ad argumentum Resp. rectè Patres contra Arium probare Verbum, ex eo quòd fuerit ab æterno, non esse creaturam, cùm ex fide constet nihil creatum fuisse ab æterno. Ad confirmationem dico, Patres, dum æternitatem dicunt esse propriam Dei, solùm loqui de æternitate per essentiam, seu ita vt creatura aliqua exigat, vt sit coæterna Deo. Quo sensu dixit S. Aug l. 12. de Ciuit. c. 15. Angelos, licèt semper fuissent, non futuros fuisse coæternos Creatori: *Ille enim*, inquit, *semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt.*

Solùm negant Patres creaturam exigere vt sit ab æterno.

S. Augustinus.

SECTIO III.

An, & quid sit instans Æternitatis.

AD perfectam æternitatis cognitionem, plenamque præsentis de productione rerum ab æterno disputationis notitiam, plurimùm conducit hæc quæstio: quare, antequam vlteriùs in eâ progrediamur, expedit eam discussisse. I.

II. *Quid intelligatur per instans æternitatis.* Per instans æternitatis intelligo instans aliquod imaginarium formaliter indiuisibile, virtualiter tamen diuisibile, immateriali quadam extensione excedens omne tempus, etiam possibile, & imaginarium, illudque essentialiter petens anteuertere, & in quo quicquid est, dicitur esse ab æterno: quicquid autem in eo non est, quantumcunque, tempore etiam infinito, hoc instans, aut horam in qua sumus, antecesserit, non est ab æterno.

III. *Negant quidam instans hoc æternitatis.* Negant quidam recentiores; qui esse aliquid ab æterno nihil aliud esse dicunt, quàm priùs & priùs extitisse in infinitum, nec posse certum tempus assignari, quando primò extitit.

IV. *Probatur tamen debere necessariò concedi.* Existimo tamen concedi necessariò debere huiusmodi instans æternitatis. Probatur primò: nihil apud Patres & Theologos frequentius, quàm Deum esse ante omne tempus, etiam possibile, & hoc dicũt esse Deum fuisse ab æterno; ergo secundùm illos est instans aliquod, omne tempus anteuertens, Deo proprium, & quod omne aliarum rerum consortium cõnaturaliter excludit.

V. *Pater in diuinis non generauit Filium successiuè, sed instantaneè.* Probatur secundò: Pater in Diuinis Filium suum, seu Verbum generans, non eum generauit successiuè, sed instantaneè, vt constans habet Theologorum sententia, ergo eum generauit ante omne tempus, etiam imaginarium, & possibile, ergo concedi instans aliquod debet, ante omne tempus, in quo illum generauerit, hoc autem voco instans æternitatis. Conf. siquis dicat Patrem generasse Filium successiuè, inquiro quantum temporis in illius generatione insumpserit, antequam verum esset dicere, iam est productus Filius æternus? quæ tamen facilè euitantur si huiusmodi instans statuatur, tempus omne essentialiter antecedens.

VI. *In æternitate non est prius & posterius, plus & minus.* Probatur tertiò: docent Patres & Theologi in æternitate non esse prius & posterius, plus & minus, quod in huiusmodi instante virtualiter infinito, & indiuisibili clarissimè explicatur. In sententiâ autem ducente existentiam ab æterno solùm esse, quòd res priùs & priùs extiterit in infinitum, dici hoc non potest, cùm ibi sit prius & posterius, plus & minus, vt constat.

VII. *Dices ad hoc sufficere instans nostri temporis.* Dices; probare hæc quidem debere instans aliquod dari, in quo Pater generauit Filium, & de quo alia suprà posita verificentur, non tamen est necessarium, vt sit instans huiusmodi virtuale, sed sufficere momentum seu instans nostri temporis formaliter, & virtualiter indiuisibile.

VIII. *Ostenditur Patres non loqui de instante nostri temporis.* Contrà primò, S. Aug. S. Thomas, & alij Patres, dum de æternitate à parte antè, non Dei tantùm, sed etiam participatâ loquuntur, aiunt in eâ reperiri necessariò debere immutabilitatem, & vniformitatem, tam in essendo, quàm in operando, ergo manifestum est non loqui eos de instante solùm nostri temporis, in eo enim non posse non esse immutabilitatem, & omnimodam vniformitatem, certius est, quàm vt probatione egeat. Dum ergo hoc peculiariter affirmant, & tam operosè probant de instante æternitatis, de longè alio instante loquuntur, quàm sit instans momentaneum nostri temporis, nempe de aliquo virtualiter diuisibili.

IX. *Sequeretur Deum aliquando per vnum tantum diem, aut horam extitisse.*

Contrà secundò, si Pater Filium suum ab æterno genuit in instante nostri temporis, ergo verum est dicere, Filium (& consequenter Patrem, totamque adeo Trinitatem) per vnicum tantùm momentum aliquando extitisse, sicque similiter per vnum tantū diem, aut horam nostri temporis durasse. Dignior ergo Deo, & illius æternitate est philosophandi modus, quem hic amplectimur: dicimus enim nunquā ita propè ad initium existentiæ Dei peruenire posse, quin infinito adhuc interuallo Deus antecesserit: punctum enim hoc, seu instans æternitatis, quod dicimus esse ante omne tempus, licèt formaliter sit indiuisibile, est tamen virtualiter multiplex, & infinitum à parte antè, adæquans, imò excedens infinities infinita tempora.

X. *Instans æternitatis essentialiter antecedit omne tempus.*

Hinc infero primò, instās hoc, quamuis diuisibile, multiplex, & infinitum modo dicto, excludere tamē essentialiter à se coëxistentiam temporis vllius, etiam possibilis, cùm habeat prædicatum huiusmodi coëxistentiæ repugnans, petit enim essentialiter anteuertere omne tempus, vt ostensum est. Licèt verò explicari non possit, nisi per tempus, non sequitur ipsi formaliter correspondere tempus, nec æternitatem hanc in se habere partes. Sicut ex eo quòd negationes explicari nequeant, nisi per res positiuas, & res spirituales per corporeas, non sequitur, vel illas esse entia positiua, vel has quid corporeum.

XI. *Differentia inter æternū, & infinitū.*

Infero secundò, differentiam inter æternum & infinitum in duratione à parte antè, licèt enim aliquid anteriùs & anteriùs extiterit per varias successiones, & durationes in infinitum, non tamen fuit æternum, seu ab æterno, cùm non semper fuerit, sed aliquid illud antecesserit. E contrà verò si aliquid fuerit productum in hoc instante æternitatis, quamuis in nullo omnino tempore extiterit, sed adueniente tempore perierit, adhuc fuit ab æterno.

XII. *Quomodo res ab æterno producta nō habeat principium in existendo.*

Infero tertiò, licèt hoc instans æternitatis antecedat omne tempus, non tamen dici posse rem in eo productam habere principium, in sensu Philosophorum negantium id quod est ab æterno habere principium: in sensu enim Philosophorum id solum censetur habere principium, quod incipit, vt aiunt, *intrinsecè*, seu, de quo dici possit, *nunc est, immediatè antè non fuit*; aut *extrinsecè*, de quo scilicet verum sit dicere, *nunc non est, immediatè post erit*. Quorum neutrum rei in instante æternitatis productæ conuenit, vt constat.

XIII. *Res ab æterno producta non durat necessariò nisi per instans.*

Infero quartò, rem ab æterno productam (vt Angelum, solem, aut actum liberum, de quibus sec. præcedente) non necessariò conseruari debere nisi ad vnicum hoc instans, & adueniente tempore imaginario posse destrui. Duratio verò per quam in illo instante existebant, nō erat diuisibilis & successiua formaliter, sed tantùm virtualiter, sicut instans ipsum cui rem figebat; quæ proinde duratio, accedente tēpore imaginario, vel possibili, destruitur. Si verò res, cuius erat duratio, Angelus ex. g. adhuc perseueret, loco durationis huius instantaneæ accipit successiuā. Quod etiam de negationibus ab æterno ad hoc vsque tempus durantibus dici debet.

XIV. *Cur non sit punctum indiuisibile immensitatis, sicut instans æternitatis.*

Quæres, cur, sicut pro æternitate statuimus huiusmodi instans virtualiter indiuisibile, ante omne tempus imaginarium, cur, inquam, non statuamus aliquid indiuisibile in spatio imaginario locali, vltra quod non sit assignabilis extensio localis? Resp. rationem esse, quòd non habeamus tale fundamentū, quod nos ad hoc vrgeat, sicut ad illud, Deum scilicet fuisse, & Patrem æternum genuisse Filium ante omne tempus possibile, quod manifestū est fuisse in instante, nam quocunque tempore vel spatio diuisibili potuit esse tempus, ergo instans æternitatis petit anteuertere omne tempus, vt suprà fusiùs est declaratum. Et eodem modo respondendum est, si quis opponat, in æternitate à parte pòst eiusmodi instans virtualiter infinitum non inueniri: dico enim non habere nos idem fundamentum ad vnum asserendum, quod habemus ad asserendum aliud. *Cur non sit instans æternitatis à parte pòst.*

SECTIO IV.

Vtrùm aliquid successiuum potuerit esse ab æterno.

PRima sententia est affirmatiua: ita Okam in 2. q. 8. & in quodl. 2. q. 5. Greg. in 2. d. 1. q. 3. Gabriel ibid. & alij Nominales. Vasq. 1. p. d. 177 c. 5. Pererius l. 15. Phy. c. 13. Conimb. 8. Phy. c. 2 q 6 & 7. hoc problematicè defendunt quoad motum circularem, nō quoad rectum. Arriaga d. 17. Phy. s. 2. Ouiedo cont. 19. Phy. p. 3 & alij. I. *Prima sententia est affirmatiua.*

Secunda sententia negat posse motum, aut rem vllam successiuam esse ab æterno: ita Durand. in 2. d. 1. q. 2. & 3. Suar. d. 20. Met. s. 6. n. 13. Sotus 8. Phy. q. 2. Rub. 8. Phy. q. 3. n. 27. Val. 1. p. d. 3 q. 3. p. 2 §. *prima assertio*. Tol. 8. Ph. q. 2. Hurt. d. 18. s. 2. & 3. & plurimi ex recentioribus. II. *Secunda sententia est negatiua.*

Prima Conclusio: motus non potuit esse ab æterno. Ratio in nostrâ sententiâ sect. præcedente explicatâ, est clara. Instans enim æternitatis est quid indiuisibile, essentialiter anteuertens omne tempus, etiam possibile, & imaginarium, vt ibidem ostendi, ergo implicat quidquam successiuum in eo reperiri. III. *Motus non potuit esse ab æterno.*

Secunda conclusio: nihil successiuum, quà successiuum potuit esse ab æterno. Hæc etiam conclusio videtur certa, nec egere nisi terminorum explicatione. Ad quod meliùs præstandum supponamus tempus & motum componi ex indiuisibilibus. Probatur itaque conclusio: successiuum quà successiuum includit essentialiter prius & posterius, seu duo instātia, sed nulla duo instantia sibi inuicem succedentia possunt esse ab æterno, quod enim est ab æterno, semper fuit, sed implicat de duobus instantibus affirmare quòd vtrumque semper fuerit, si sibi inuicem succedant, ergo. Idem est in opinione, tempus, & res omnes successiuas componente ex partibus, cùm enim nulla pars sit, quæ non sit diuisibilis successiuè, nulla est quæ non includat prius & posterius, sicque idem hîc redit argumentum. IV. *Nihil successiuum, quà successiuum potuit esse ab æterno.*

Tertia conclusio: potest dari series continuata durationum ab æterno, vsque ad præsentem diem: continuata, inquam, non continua. Explico conclusionem: continuata dicuntur quæ nō sunt interrupta, sed inter quæ nulla intercedit intercapedo, aut interuallum, sed perpetuo ordine & concatenatione sibi inuicem succedunt. Vt autem aliqua sint continua, requiritur vlteriùs vt sint eiusdem rationis, ita vt sibi inuicem vniri possint. Quod suo etiam modo verum est de rebus successiuis. V. *Potest dari series continuata durationum ab æterno vsque ad hunc diem.*

Probo ergo conclusionem: Ponamus Angelum ab æterno productum conseruari à Deo vsque ad hodiernum diem: hic Angelus necessariò semper habere deberet aliquam durationem, quæ ipsum determinaret, & ad coëxistendum instanti æternitatis, & toti tempori imaginario, quod iam inde ab instante æternitatis ad hanc vsque horam fluxit. Hæ tamen durationes non sunt continuæ, sed tantùm continuatæ, seu non interruptæ; licèt enim reliquæ omnes durationes dici possint continuæ, duratio tamen illa, quæ Angelum fixit puncto æternitatis, nō potest vnum continuum successiuum cum reliquis conficere, cùm specie ab iis differat, vtpote realiter indiuisibilis, virtualiter autem infinitè diuisibilis, & extensa. VI. *Duratio Angeli in instante æternitatis non potest continuari cum sequentibus.*

Quarta

VII. *Dari poſſunt durationes à parte antè in infinitum.*

Quarta concluſio: dari poſſunt plures & plures durationes à parte antè in infinitum. Hæc concluſio patet in exemplo proximè poſito Angeli ab æterno creati, & ad hanc vſque horam conſeruati, hic enim plures & plures à parte antè habuiſſet durationes horarias in infinitum. Et de facto concedere hoc omnes debent, qui negationes admittunt à rebus poſſibilibus diſtinctas.

VIII. *Argumentū contra durationes à parte antè infinitas.*

Contrà hanc concluſionem hoc argumentum proponit P. Arriaga citatus n. 17. quod ait eſſe inſolubile. In hac durationum infinitarum collectione, inquit, vna eſſe debet prima: cum enim continuâ ſerie ſeſe inuicem ſequantur, vnam dari neceſſe eſt quæ reliquas omnes antecedat; & ſicut poſtrema harum durationum, nempe hodierna, habet quòd ſequatur, & non præcedat, intermediæ quòd ſequantur ſimul & præcedant, ita vna à parte antè eſſe debet, quæ præcedat, & non ſequatur. Hoc autem dici nequit, ſi enim inter eas detur prima, ergo dabitur initium æternitatis, quod implicat, Angelus enim, ſi fuerit ab æterno, non poteſt dici habuiſſe initium ſui, ſeu incepiſſe.

IX. *Soluitur prædictum argumentū.*

Hoc argumentum, quamuis in aliis de æternitate philoſophandi modis vim habeat, in meâ tamen ſententiâ non vrget. Dico itaque, in infinitâ illâ durationum collectione, etiamſi concedamus fuiſſe aliquam primam, nulla tamen ex iis fuit ab æterno, vtpote ante quas omnes præceſſerit duratio indiuiſibilis correſpondens inſtanti æternitatis, quam explicui totâ ſectione præcedente, & hic n. 6. Deinde dico, etiamſi prima ex illis durationibus fuiſſet ab æterno, nihil per hoc derogati naturæ, & perfectioni æternitatis: quando enim philoſophi negant rem ab æterno productam incipere, ſolùm negant eam incipere *intrinſecè*, ſeu, vt verum ſit dicere, *nunc eſt, immediatè antè non fuit*: &c. De quo latiùs dixi ſect. præcedente, n. 12.

X. Ex dictis infero, poſſe diuinitùs dari generationes ab æterno ad hunc vſque diem ſine interruptione continuatas, vt ſuprà de durationibus dixi n. 6. & 7. Dico itaque, ſi Deus ab æterno creet ignem, & ſimul approximatam ei materiam diſpoſitam, ignis ab æterno in materiâ illâ producet alium ignem. Deinde, ſi in ſingulis partibus ſubſequentibus, diebus ſcilicet, horis, aut etiam inſtantibus temporis imaginarij, apponatur ſucceſſiuè alia & alia materia, noui ſemper & noui ſine intermiſſione producentur ignes vſque in diem præſentem.

Difficultatibus quæ circa infinitum in hoc philoſophandi modo occurrere poſſent, ſatisfiet poſtea d. 46. dum diſputabitur de infinito.

DISPVTATIO XL.

De Motu, Actione, & Paſsione.

SECTIO PRIMA.

Definitio, & terminus Motûs.

I. *Motus eſt actus entis in potentiâ, prout in potentiâ.*

OMiſſis variis motûs definitionibus quæ in idem recidunt, Ariſtoteles l. 3. c. 2. & cum eo Peripatetici omnes hanc ſtatuunt motûs definitionem: *Motus eſt actus entis in potentiâ, prout in potentiâ.* Quæ definitio non motum ſolùm, ſeu alterationem ſucceſſiuam complectitur, quâ ſcilicet qualitas aliqua ſucceſſiuè in ſubiecto producitur, vt volunt Conimb. l. 3. c. 1. q. 1. a. 1. ſed alterationem etiam inſtantaneam.

II. *Explicatur definitio motûs ſuprà poſita.*

Motus itaque eſt ratio formalis qua potentia actiua & paſſiua, in quantum potentia actiua & paſſiua ſunt, prodeunt in actum, & exercent ſuam virtutem. Senſus proinde definitionis eſt, *motus eſt actus entis in potentiâ*, id eſt, entis in actu primo potentis, *prout in potentiâ*, id eſt, in quantum habet potentiam actiuam & paſſiuam, ſeu vt motiua eſt & mobilis, vel in quantum eſt potens mouere & moueri. Non tamen eſt neceſſarium ad motum, vt ſit eadem res quæ habet potentiam actiuam & paſſiuam, cuius motus ſit actus & exercitium, nam actio quâ ignis, vel calor producit calorem in ligno, eſt verè motus, & actus ſeu exercitium potentiæ actiuæ ignis, & paſſiuæ ligni: licèt aliquando potentia actiua & paſſiua in eandem rem concurrant, vt contingit in actibus internis.

III. *Actio ex conceptu ſuo non requirit terminum à quo.*

Circa ſecundum: terminus motûs duplex eſt, *à quo*, & *ad quem*. Circa quæ notandum, licèt actio ex conceptu ſuo, non requirat terminum *à quo*, ſiue poſitiuum, ſiue priuatiuum, vt conſtat ſi Deus ab æterno produceret rem aliquam, & in productione Verbi æterni, vbi nec ſuit priuatio termini, nec actionis, ex quâ terminus ille, & actio proceſſerit: licèt, inquam, hoc ita ſit, actio tamen ſub conceptu motûs requirit terminum à quo, qui ad poſitionem rei per motum productæ deſtruatur, vt dum ex calido fit frigidum, ex albo nigrum &c. ac proinde debet inter hos terminos eſſe naturalis oppoſitio: vnde albedo non eſt terminus à quo dulcedinis, nec dicimus, ex albo fit dulce, licèt quod erat ſolùm album, poſtea fiat dulce, non enim neceſſariò deſtruitur albedo ad poſitionem dulcedinis. *Sub conceptu tamen motûs, actio requirit terminum à quo.*

IV. *Quomodo differant motus, & mutatio.*

Aliqui motum & mutationem confundunt, qui conſequenter dicunt ad motum non requiri niſi terminum à quo priuatiuum, vt cùm aër ex tenebroſo fit lucidus, anima ex non vidente, intelligente, amante, videns, amans, intelligens, &c. Alij tamen & meliùs, ad motum requirūt duplicem mutationem, poſitiuam alteram, alteram priuatiuam, & conſequenter terminum duplicem *à quo*, priuatiuum alterum, alterum poſitiuum. Sic cùm lignum ex frigido fit calidum, illic deſinit & frigus, & negatio caloris, ſicque eſt duplex terminus *à quo*. Vnde motus propriiſſimè dictus eſt inter qualitates contrarias, in quarum productione & corruptione ſubiectum mutatur duplici mutatione intrinſecâ, nempe & per carentiam formæ quam amittit, & per formam quam de nouo acquirit. Alij demum volunt mutationem cenſendam eſſe quando forma inducitur in ſubiectum inſtantaneè, motum verò quando inducitur forma ſucceſſiuè, vt cùm calor paulatim producitur in ligno, vel manu. Sed eſt quæſtio de nomine. *Motus includit duplicem mutationem.*

V. *Motus eſt denominatio partim extrinſeca.*

Motus ergo vt motus inuoluit in ſe denominationem extrinſecam, eadem ſiquidem numero actio potuiſſet exiſtere, & non eſſe motus, vt de facto contingit in conſeruatione, quæ eadem numero perſeuerās in ſecundo inſtante & in primo, in ſecundo tamen non eſt motus. Deinde, ſi non eſſet frigus in ligno inſtante præcedente antequam in illud ignis induceret calorem, adhuc poſſet eâdem numero actione in illud induci calor, quâ modò inducitur & tamē actio illa non eſſet motus propriè dictus.

Dicitur

VI. *Ad motum requiritur, vt subiectû vno saltem instante extiterit sine forma.*

Dicitur ergo actio motus seu mutatio, quando immediatè antè præcessit in subiecto carentia formæ, vel saltem actionis. secus quando non præcessit. Vbi notandum, non sufficere ad motum, præcessisse carentiam illam quomodocunque, (nam carentiæ omnes erant ab æterno) sed debet subiectum vno saltem instante habuisse illam carentiam, seu extitisse vno instante sine formâ. Vnde in primâ rerum conditione, non fiebant res per motum, seu mutationem, quia licèt carentiæ fuerint antè, imò ab æterno, vt dixi, subiecta tamen non existebant, vel vnico instante sine formis, seu cum carentiâ formarum. Et hæc de termino *à quo* motûs.

VII. *De termino* ad quem *motûs.*

Alius terminus motus est terminus *ad quem*, illud scilicet, quod per motum producitur. Sicut enim terminus *à quo* motûs est illud, quod ad illius positionem destruitur, seu desinit, ita terminus *ad quem* est illud, quod per motum ponitur, vel producitur. Hic terminus duplex similiter est, *qui*, & *quo*. Terminus *qui* est compositum ipsum: terminus *quo* est vnio.

Terminus ad quem *motûs est duplex*, qui, & quo

Licèt enim compositum sit id quod producitur, vnio tamen est *id quo* tanquam termino actionis constituitur. Actio tandem est id, *quo* tanquam ratione generandi producitur homo. Terminus itaque formalis productus in generatione compositi est vnio; nam in generatione hominis nihil aliud producitur directè & immediatè, præter vnionem, quæ est forma compositi, vt compositum est, datque actioni denominationem generatiuæ, quæ etiam ab vnione producta dicitur vnitio: licèt terminus formalis vnitus possit dici anima.

VIII. *Angelus dici potest terminus formalis creationis.*

Quæres vtrùm Angelus dici possit terminus formalis creationis? Quæstio tantùm est de modo loquendi. Dico itaque, licèt terminus formalis propriè dicatur tantùm respectu compositi, vtpote quod habet formam, quia tamen omnis terminus immediatus dat speciem actioni, ideò, licèt non ita propriè, dici poterit Angelus terminus formalis actionis creatiuæ.

SECTIO II.

In quo subiecto recipiatur Actio.

I. *Sermo est de subiecto sustentationis.*

SErmo est de subiecto sustentationis, & de actione eductiuâ, seu passione, creatio enim subiectum sustentationis non habet, cùm sit productio rei independenter ab omni subiecto.

II. *Dicunt aliqui actionem subiectari in agente.*

Quoad subiectum ergo motûs seu actionis, (supponimus pro præsenti, actionem, & motum distingui ab agente & termino) dicunt aliqui actionem, etiam transeuntem, subiectari in agente. Sed contrà primò, ipsum nomen actionis transeuntis destruit hanc sententiam, in hoc enim differt actio transiens ab immanente, quòd hæc subiectetur in eodem principio, à quo procedit, non illa: in hac autem sententiâ omnes actiones essent immanentes. Licèt verò actiones immanentes sint in agente, non tamen in eo sunt vt agens est, sed vt patiens.

Contra hoc est, omnes enim actiones essent immanentes, & Deus mutaretur physicè.

Contrà secundò, hinc sequeretur Deum mutari physicè, & intrinsecè, si in se recipiat actionem, quâ producit ignem, lucem, calorem, &c. Contrà tertiò, actio & passio nõ distinguuntur, vt postea videbimus, sed passio non est in agente, ergo nec actio. Contrà quartò, sol nõ perficitur intrinsecè per calefactionem, seu actionem quâ producit calorem, vel argentum, aurum, & metalla in visceribus terræ, ergo actionem in se non recipit.

III. *Actio est relatio agentis pro posteriorata.*

Dices; actio est relatio, quâ causa refertur & respicit effectum, ergo debet esse intrinseca agenti, cum relatio sit intrinseca fundamento. Resp. actionem esse quidem aliquo modo relationem, & respectum agentis ad terminum, modo tamen proportionato: cùm ergo agens vt agens non sit patiens, non debet in se recipere suam actionem. Actio itaque eo modo est exercitium, & relatio causæ, quo natura causæ postulat; si causa sit extrinseca, relatio est extrinseca, si intrinseca, intrinseca &c.

IV. *Alij dicunt actionem subiectari in termino. Sed contrà: hinc enim sequeretur ignem esse causam sui.*

Alij ergo asserunt, actionem non esse in agente, sed in termino, vt in subiecto sustentationis, ita vt terminus, ignis B v. g. productus, sit subiectum sustentationis, & vere causa materialis actionis, per quam producitur, & physicè in eam influat. Sed contrà, ergo ignis ille B erit causa sui; patet, non alio modo ignis A est causa ignis B, quàm efficiendo causalitatem seu actionem qua fit ignis B: ergo si ignis B in aliquo genere causæ producat suam causalitatem, & actionem, qua fit, erit in eodem genere causa sui. Conf. hinc sequeretur, terminum esse naturâ priorẽ se, priùs operari quàm esse, & alia huiusmodi.

V. *Actio educti̇ua, licèt adhæreat termino, subiectatur tamen in subiecto termini.*

Dicendum itaque, actionem & motum, licèt intrinsecè afficiant terminum, subiectari tamen solùm in subiecto termini, seu in eo subiecto in quo subiectatur ipse terminus, cuius est actio, seu ad quem terminatur. Actio v. g. productiua caloris subiectatur in eodem subiecto, in quo subiectatur calor, nempe in materiâ, vel quantitate ligni, actio productiua lucis subiectatur in aëre, & sic de alijs: ita Sua. d. 48. Met. l. 4. n. 13. Hurt. d. 11. Phy. l. 7 n. 57. Ouiedo Cõt. 12. Phy. p. 3. n. 7. & alij. Actio ergo est intrinseca & termino, & subiecto termini, sed diuerso modo, est intrinseca termino vt termino, seu vt subiecto intimæ affectionis, intrinseca verò subiecto termini, seu mobili, vt subiecto sustentationis, quod solum propriè est subiectum.

VI. *Ratio conclusionis est, quia nihil aliud est, à quo subiectari possit actio, præter subiectum termini.*

Probatur conclusio: nihil enim aliud est in quo subiectetur actio, ergo subiectari debet in subiecto termini. Antecedens iam suprà ostensum est, nam nec in agente subiectari potest, nec in termino, ergo. Conf. nihil sequitur incommodi ex eo quòd subiectetur actio in subiecto termini, ergo in eo potest subiectari. Conf. secundò, causa materialis debet esse naturâ prior effectu, & consequenter prior causalitate effectûs, sed nihil est quod possit esse prius naturâ actione eductiuâ, seu causalitate effectûs, nisi vel agens, vel subiectum termini; agens autem non est subiectum actionis eductiuæ, & causa materialis illius, vt probatum est, ergo passum, seu mobile esse debet illius subiectum. Conf. tertiò, actio & passio identificantur, sed passio est in mobili, vt in subiecto sustentationis, vt postea ostendetur, ergo & actio.

VII. *Eadem forma diuersa subiecto dat diuersum effectum formalem: & quare.*

Dices; si actio est in passo seu mobili denominabit illud agens. Nego antecedens, nihil enim frequentius, quàm vt varietur denominatio, & effectus formalis pro diuersâ capacitate subiecti, licèt forma sit eadem. Sic eadem vnio denominat materiam informatam, & formam informantem, eadem visio oculum videntem, & parietem visum, & sexcenta huiusmodi. Cuius ratio est, quia effectus formalis non est sola forma, sed subiectum forma & vnio, vnde tam potest variari effectus formalis per variationem subiecti, quàm formæ: sicque diuersus esse potest, licèt forma sit eadem.

SECTIO III.

Quomodo motus distinguatur ab Actione & Passione, & Actio & Passio inter se.

QVoad primum, certum est motum non esse de conceptu actionis & passionis, tum quia crea- I.

tio

Motus non est de conceptu actionis, & passionis.

fio est actio, & non motus: item in conseruatione reperitur actio & passio sine motu: præterea in primâ rerum conditione, quando simul cum subiecto producebatur forma, & ex illo educebatur, subiectum nec ad vnum instans existebat sine formâ, & consequenter non erat motus propriè dictus, vt sec. primâ ostensum est, ergo motus propriè dictus distinguitur ab actione & passione.

II. *Actio tamē, & passio sunt de conceptu motûs.*

Actio tamen & Passio sunt de conceptu motûs. Patet, nam mouere est formaliter agere, & moueri est formaliter pati, ergo Actio, & Passio sunt de conceptu motûs; motus enim est id per quod agens seu mouens mouet, & mobile mouetur. Motus verò propriè talis supra conceptum Actionis & Passionis connotat carentiam formæ vel actionis in subiecto, in instante, vel tempore præcedente inductionem formæ, vt suprà dixi, sicque motus distinguitur ab actione & passione sicut includens ab incluso.

III. *Aristoteles an motum differre tantum ratione ab actione, & passione.*

Quoad secundum de distinctione Actionis à Passione. Aristoteles l.3.t.19. absolutè asserit Actionem, & Passionem idem esse realiter, differre tamen ratione, vt viam accliuem & decliuem, *viam* scilicet *Thebis Athenas, & Athenis Thebas.* Actionem ergo esse realiter eandem cum Passione probatur, nam alioqui Passio vel produceretur per actionem ab ipsâ distinctam & ad eam terminatam, vel non; non secundū, sic enim daretur entitas in rerum naturâ, quæ nec esset actio, nec haberet actionem ad se terminatam.

Probatur actionem non distingui à passione.

Non etiam primum, nam vel illa actio educitur ex potentiâ alicuius subiecti & consequenter est Passio, sicque habemus intentum, nempe Actionem & Passionem non distingui realiter; vel non educitur, & est creatio, sicque res naturales in omni actione creāt. Deinde, Passio cùm sit essentialis dependentia à subiecto, non potest creari, ergo non potest ad eam terminari actio creatiua. Præterea Passio non est terminus sed via subiecti ad terminum, ergo non potest ad illam terminari Actio.

IV. *Actio, quâ ignis producit formam ignis, est simul passio.*

Secundò probatur, quando ignis educit formam ignis è materiâ ligni, eductio illa est Passio: patet, nam est dependentia formæ ignis à subiecto, ergo hîc Actio & Passio identificantur. Conf. si illa productio non sit passio, & dependentia formæ ignis à subiecto, ergo est independentia, ergo creatio, ergo denominat terminum independentem à subiecto, sicut modò actio quâ Deus conseruat quantitatem panis in Eucharistiâ sine omni subiecto.

V. *Prædicamenta nō distinguuntur omnia realiter.*

Nec obiiciat quispiam distinctionem prædicamentorum: hæc enim omnia non necessariò distinguūtur realiter. Vnde multi, ne quidem substantiam, & quantitatem distingui à se inuicem volunt realiter. Nec etiam dicat eandem causalitatem non posse prouenire à diuersis causis; id enim constat esse falsum, si causæ sint partiales, præsertim si ab vnâ proueniat intrinsecè, ab aliâ extrinsecè, vt constat in visione procedente à potentiâ & specie, & in aliis infinitis.

SECTIO IV.

Diuisio & specificatio Motûs & Actionis.

I. *Variæ acceptiones motûs.*

VAriis modis accipitur Motus; alius enim est Motus terminatus ad substantiam, & peculiariter vocatur *generatio:* cui opponitur corruptio. Motus ad quantitatem vocatur *accretio*, actio scilicet illa, quâ noua acquiritur, & adiungitur quantitas priori. Motus ad qualitatem vocatur *alteratio*, quia scilicet aliter se habet subiectum per qualitatē, quàm antea, sicque alteratur. Motus ad Vbi vocatur *motus localis, & latio*, per quam scilicet fertur corpus ab vno loco in alium. Ad relationem non datur Motus, nisi per accidens, vt ex Aristotele docent communiter Philosophi.

II. *Motus physicus continuus, & discretus.*

Diuiditur generatim Motus (non est sermo de locali) in successiuum, & instantaneum, licèt solus successiuus nomen Motûs propriè obtineat, instantaneus enim vocatur potiùs mutatio quàm Motus, vt suprà notauimus. Motus successiuus vel fit per successionem continuam (vt cùm ignis actione continuatâ, per quadrantem ex. g. sine vllâ intermissione comburit lignum, & in eo successiuè producit formam ignis) vel per discretionem, & per morulas quasdam interruptas, & identidem quasi interceisas, vt si in instante A ignis producat vnam partē ignis, & motûs, seu actionis, in instante C aliam, aliam in instante E, & sic interruptè agat, & non per successionem perpetuam continuando actionem.

III. *Terminus per motum physicum successiuè acquisitus manet totus simul.*

Terminus tamen successiuè per motum acquisitus, imò & motus ipse productus successiuè, manere potest, & de facto manet postea totus simul: per accidens enim est quòd calor ille producatur successiuè. Hoc tamen non contingit in Motu locali saltem corporum; cuius ratio est, quia scilicet prout res mutat locum, noua semper & noua vbicatio producitur, & prior necessariò deperditur: at verò in calore acquisito successiuè, non necessariò perit prior gradus acquisito secundo, sed manet simul cum eo naturaliter, & per accidens est quòd acquiratur successiuè, nempe ratione contrarij. Dixi, saltem in motu locali corporum: si enim Angelus existens in palmo spatij, manens priori loco extendat se versus Orientem ex.g. nil obstat quo minùs in fine motûs simul cum priori palmo vbicationis, retineat omnes reliquas, iam per motum successiuè acquisitas.

Secus contingit in motu locali corporum.

IV. *Duplex cuiusque rei specificatio, intrinseca, & extrinseca.*

Quoad specificationem Motûs, notandum, vnāquamque rem formaliter, & intrinsecè specificari à suâ entitate, vt homo ab animâ rationali, & prædicatis suis intrinsecis: hîc autem non quærimus intrinseca hæc specificatiua motûs, sed extrinseca, seu illa, à quibus tanquam terminis, relatio transcendentalis specificationem suam desumit, non formaliter & intrinsecè, sed arguitiuè & consequenter, sicut visio specificatur ab obiecto, materia prima à formis, relatio in opinione S. Thomæ, & Aristotelis, à fundamento & termino, &c. Hic ergo inquirimus vtrùm ex diuersitate termini, agentis, & passi arguatur distinctio specifica actionis, ita vt arguere possimus tanquam à signo, *tendunt duæ actiones ad terminos vel agentia specie distincta, ergo distinguuntur specie actiones ipsæ.*

V. *Diuersus modus tendendi reddit actionem specie diuersam.*

Certum inprimis est, diuersum modum tendendi sufficere ad specificam diuersitatem actionum, licèt sint ab eodem agente, & ad eundem terminum, vt actio quâ Deus crearet formam materialem ignis, distinguitur specie ab actione quâ Deus sor ā illam eandem produceret per generationem: sicut specie ex modo tendendi differunt simplex apprehensio & iudicium, licèt & ab eodem intellectu sint, & de eodem obiecto. Sed hæc distinctio actionis non spectat ad præsentem quæstionem, hic enim non inquirimus specificatiua intrinseca, sed extrinseca.

VI. *Distinctio specifica terminorum reddit actiones specie diuersas.*

Dico itaque primò: sola distinctio specifica terminorum sufficit ad distinguendum specie diuersas actiones, quæ ad illas terminantur. Probatur, sicut enim visio albedinis & nigredinis distinguūtur specie, quia obiecta, seu termini sunt specie distincti, ita & actiones productiuæ terminorum specie distinctorum, specie similiter distinguentur: nec enim est maior ratio cur actiones intentionales specificationem à suis terminis desumant, quàm physicæ à suis. Imò multo minor est ratio, cùm actiones intentionales

rationales extrinsecè solùm terminentur ad suos terminos, physicæ verò intrinsecè afficiant suos. Conf. non est maior ratio cur actiones specificentur à terminis, quàm vniones ab extremis, cùm actiones sint etiam vniones suæ ad suos terminos. Conf. secundò, tota essentia actionum est vt sint via ad terminos & consequenter habent totam suam essentiam in ordine ad suos terminos, ergo sicut esse habent in ordine ad illos, ita & specificationem.

VII. *Eadem numero actio terminari potest ad terminos specie distinctos.*

Hinc tamen non sequitur quin sicut eadem numero visio potest terminari ad albedinem simul & nigredinem, vt in Logicâ dixi, & eadem vnio ad extrema specie diuersa, materiam scilicet & formam, sic & eadem numero actio terminari similiter possit ad diuersos effectus specie distinctos. Quod ergo dicimus, est, actionem productiuam caloris tantùm, esse specie distinctam ab actione productiuâ frigoris, vel dulcedinis tantùm; sicut visio albedinis tantùm, est specie diuersa à visione nigredinis tantùm.

VIII. *Diuersitas specifica subiecti reddit actionem specie diuersam.*

Dico secundò: diuersitas specifica solius subiecti sufficit ad arguendam diuersitatem specificam actionum: actio v.g. generatiua, quâ Deus educit gratiam è potentiâ animæ, est specie diuersa ab actione quâ educit gratiam è potentiâ Angeli. Ratio est, quia non minùs intrinsecè & essentialiter respicit actio eductiua, seu passio subiectum, quàm vnio extrema, vel quàm eadem actio terminum, & visio obiectum; sed vnio, actio, & visio specificantur ab extremis, termino, & obiecto, ergo & actio seu passio specificabitur à subiecto. Maior probatur, actio quippe non minùs intrinsecè vnit se passo, quàm termino, estque intima & intrinseca illius affectio, ergo specie distinguetur ad distinctioné specificam passi, seu subiecti.

IX. *Diuersitas specifica agentium totalium reddit actiones specie diuersas.*

Dico tertiò: sola etiam diuersitas agentium totalium sufficit ad variandam specie actionem. Est contra P. Hurt. d. 11. Phy. s. 8. n. 65. & alios nonnullos. Probatur, non minùs essentialem ordinem dicit actio ad agens, quàm vel ad subiectum, vel ad terminum: ergo non minùs specificationem ab agente sumet, quàm à subiecto, vel termino. Dixi, *agentium totalium*, non enim nego diuersas causas specie ad eandem numero actionem posse concurrere, vt de facto sol & ignis producit ignem, & Deus cum omni re creatâ ad effectus quoslibet concurrit.

X. *Vnde sumatur distinctio numerica actionum.*

Dico quartò: multiplicantur numero actiones pro multiplicatione numericâ agentis, subiecti, vel termini. Ratio est quia actiones sunt modi, sed non potest modus vnius rei esse modus alterius, ergo quot sunt termini distincti, agentia, vel subiecta, tot esse debent actiones saltem numero distinctæ. Nec tamen necessariò multiplicantur numero vel à loco, vel tempore, cùm eadem actio diuersis locis, ac temporibus, & primò produci possit, & conseruari. Nec etiam specificantur actiones à termino *à quo*, non enim apparet cur eadem numero actio non potuisset calorem vel ignem in materiâ ligni producere, licèt nullum in eâ frigus, aut forma ligni, vel carentia caloris, aut formæ ignis præcessisset: per accidés enim est actioni vt actio est, quòd in materiâ præcesserit, vel positiuus aliquis terminus *à quo*, vel priuatiuus. Per accidens, inquam, est actioni vt actioni, nam vt actio est mutatio & motus, requirit priuationem in subiecto præcessisse, vt suprà ostendimus sec. 1. Conceptus autem mutationis, & motûs est actioni extrinsecus.

Terminus à quo non variat actionem.

SECTIO V.

Alia quædam de Motu, & Quiete & præcipuè vtrum moueri idem possit motibus contrariis.

I. *Duplex esse motu mutatio.*

EX dictis infertur primò, in omni motu ab vno positiuo contrario ad aliud positiuum, duplicem interuenire mutationem, positiuam alteram, quando scilicet inducitur, & destruitur terminus positiuus, vt dum inducitur calor, & expellitur frigus; alteram priuatiuam, quando nimirum expellitur vna priuatio, nempe caloris, & inducitur alia priuatio, nempe frigoris. Quando autem non præexistit terminus positiuus in subiecto, est vnus tantùm motus, seu vnica mutatio, nempe à priuatiuo in positiuum.

Mutatio positiua, & priuatiua.

II. *Nihil moueri simul potest naturaliter motibus contrariis ad loca adæquatè diuersa.*

Infertur secundò, non posse idem naturaliter moueri simul motibus contrariis ad loca adæquatè diuersa: adæquatè, inquam, diuersa, nam nil vetat quominùs eadem res indiuisibilis moueri simul possit motibus contrariis ad diuersa loca inadæquatè distincta, vt dum quis simul attollit vnam manum, & deprimit alteram, anima simul mouetur sursum & deorsum: sicut etiam cùm Angelus existens in puncto, vel palmo spatij, simul extendit se vndequaque ad omnes partes suæ sphæræ; in his enim casibus tam anima quàm Angelus mouetur simul motibus contrariis ad loca inadæquatè distincta, id est, non discontinua.

III. *Sequeretur enim idem esse simul in duobus locis discontinuis.*

Probatur illatum: si idem simul moueretur motibus contrariis, esset simul in diuersis locis adæquatis, & discontinuis naturaliter. Patet sequela, si eodem tempore quo Petrus mouet se versus Orientem Paulus illum moueret versus Occidentem, Petrus simul & semel accederet versus Orientem & Occidentem, ergo simul acquireret locum versus vtramque partem, ergo simul esset in duobus locis discontinuis naturaliter, quod tamen fieri non posse ostensum est suprà d. 35. s. 1. & 2. Conf. peculiariter pro rebus corporeis, sequeretur siquidem, duas partes quantitatis penetrari secum naturaliter. Probatur, nam si Petrus simul moueatur versus Orientem & Occidentem lineâ rectâ, frons, & occiput, pectus & humeri secum penetrarentur, nam si lineâ rectâ moueretur versus vtramque plagam, singulæ partes deberent lineâ rectâ per se transire, vt est manifestum, & consequenter inuicem naturaliter penetrabuntur. Quæ iam clara videntur, vt non sit opus quidquam aliud adiungere.

Imò & duas quantitates se naturaliter penetrare.

IV. *Soluuntur obiectiones de nautâ in naui, formicâ in rotâ, & de cœlo.*

Contra hoc tamen multæ obiici possunt, & solent experientiæ, vt de nauta in naui, qui versus septentrionem incedit, dum nauis fertur versus meridiem: de formicâ, vel muscâ in rotâ, de motu cœlorum, vbi sol ex. g. à primo mobili mouetur motu raptûs ab Oriente in Occidentem, & simul motu proprio à suâ intelligentiâ impresso mouetur ab Occidente in Orientem. Ad hæc tamen omnia. Resp. eodem modo moueri, solem scilicet vnico tantum motu ferri, nam impetus impressus versus Orientem ex. g. vel est maior, vel minor, vel æqualis cum impetu impresso versus Occidentem; si sit maior, ergo res per illum fertur simpliciter, & acquirit locū versus Orientem, versus Occidentem autem non mouetur omnino, licèt motus ille versus Orientem nonnihil retardetur ex resistentiâ alterius agentis. Si impetus Orientem versus sit minor, fertur simpliciter versus Occidentem; si æqualis sit vterque impetus, non mouetur omninò, sed manet in eodem loco, quo priùs. Licèt autem nauta, musca, & formica simpliciter

Dum pedes nauta in naui mouentur, corpus manet immotum.

simpliciter maneant in eodem loco secundùm corpus, pedes tamen mouentur, vt est manifestum, cùm, dum pes ille, qui tangit nauem, fertur versus Occidentem impulsu nauis, alter moueatur versus Orientem, sicque paulatim longiùs à se disiunguntur, ex quo apertè constat eos moueri. Dum autem pedes in diuersa feruntur, corpus quasi libratum manet in eodem loco, si pes, qui mouetur versus orientem, æquè celeriter moueatur, ac pes qui fertur motu nauis versus Occidentem.

V. *Ex duplici impetu sit nonnunquam motus obliquus.*

Hæc autem intelligenda sunt si vterque impetus imprimatur versus partes sibi è diametro oppositas, vt versus Orientem & Occidentem lineâ rectâ, tunc enim impetus minùs vehemens non mouet corpus, sed solùm retardat impetum contrarium vehementiorem. Si verò alter impetus non è diametro, & lineâ rectâ imprimatur, sed aliquantulum obliquè, tunc nec simpliciter mouetur versus Orientem nec Occidentem, sed obliquè ad punctum aliquod prope punctum Orientis vel Occidentis, vt contingit in motu solis, qui est motus obliquus, & modificatus, nunquam secans idem punctum Zodiaci, & horizontis.

VI. *Idem est dum homo tendens versus Orientem, brachium protendit versus Septentrionem, aut Meridiem.*

Idem est dum homo mouens se versus Orientem eodem tempore protendit brachium, non versus Occidentem, sed septentrionem, vel meridiem. Nec vrget quod obiici posset, versus quamcunque partem mouet se homo, necessariò debere ipsum ferre secum omnes suas partes; hoc enim verum est nisi aliqua pars conitanitatur. Præterea idem est, licèt conceptu sit paulò difficilius, in rotâ cursûs, quæ dum currus mouetur versus Orientem, & consequenter rotam illam fert versus Orientem, moueri tamen simul videtur versus alias partes: dicimus enim eodem modo, moueri rotam simpliciter versus Orientem cum curru, sed motu modificato, mixto ex circulari & recto, nam spatium quod tunc conficit rota illa, si delinearetur in aëre, inueniretur non esse omnino circularis: vnde in terra vbi orbitâ signat locum, apparet motus eius rectus.

VII. *Satisfit auctoritati Aristot. circa motus contrarios.*

Dum autem Aristoteles 2. de cælo, c. 2. ait omnes orbes cælestes, præter primum mobile, moueri duobus motibus, altero proprio versus Orientem, altero raptûs, seu à primo mobili impresso, quo feruntur versus Occidentem. Resp. vel loqui ipsum de duobus motibus virtualiter, vel de duplici motu in actu primo, id est, quòd duplicem impetum contrarium in se recipiant, alterum ex naturâ sua propellentem versus vnam partem, alterum versus contrariam.

VIII. *Motus vt successiuus produci nequit in instante.*

Quæres primò vtrùm motus successiuus produci possit in instante? Resp. vt successiuum non posse, vt vel ipsum successiui nomen ostendit. Sicut tamen calor vt sex. productus successiuè, potuisset totus produci simul, sicut totus simul conseruatus, idem dici posset de motu.

IX. *Quies duplex positiua, & priuatiua.*

Quæres secundò, quid sit quies? Resp. quietem esse duplicem, positiuam, & negatiuam. Quies negatiua est priuatio formæ, quæ per motum acquiri solet, siue ea, accidentalis sit, vt calor. frigus, &c. siue substantialis, vt forma ignis, lapidis &c. Quies positiua dicitur, quando forma per motum acquisita, vt calor. ignis, vbicatio, finito motu conseruatur. Sed de his satis.

SECTIO VI.

An motus, seu actio generatiua distinguatur ab agente, subiecto, & termino.

I.

ACtio, inquam, generatiua, seu eductiua termini è potentiâ subiecti: creatio enim distinguatur necne ab agente & termino, videbimus disp. sequente.

II. *Prima sententia negat actionem distinctam.*

Prima sententia docet actionem eductiuam non esse distinctam ab agente, subiecto, & termino: ita plerique Nominales, Okam in 1. d. 30. q. 2. Greg. in 1. s. 28. q. 2. ad 13. Gab. in 1. d. 30. q. 4. ar. 1. concl. 3. Sotus 3. Phys q. 2. Tol. 3. Phy. q 3. art. 2. Valent. 1. p. d. 3 q. 2. p. 1. §. *Si autem creatio*, & alij nonnulli.

III. *Secunda sententia admittit actionem distinctam.*

Secunda sententia asserit actionem eductiuam modaliter saltem distingui ab agente, subiecto, & termino: ita S. Thomas 1. p. q. 45. ar. 3. in arg. *sed contra* Suarez d. 40. Met. s. 2. n. 5. Rub. 3. Phy. s. 4. n. 26. & 30. Murcia 2. Phy. d. 4 q. 12. §. *Hoc supposito.* Durand. in 3. d. 5. q. 2. n. 4. Hurt. d. 11. Phy. s. 2. n. 7. Arriaga d 9. Phy. s. 3. n. 18. Ouiedo cont. 12. Phy p. 1. n. 9. estque communis fere hodie sententia.

IV. *Actio eductiua distinguitur ab agente, subiecto, & termino.*

Conclusio: actio eductiua necessariò distinguitur ab agente, subiecto, & termino: ita auctores secundæ sententiæ. Probatur communi, & in similibus omnibus efficaci argumento: possunt existere à parte rei entitas agentis, etiam approximata, entitas passi, & entitas effectûs, vt ignis A, materia A. & ignis B, & tamen ignis B non dependere, vel produci ab igne A; ergo ignem B produci ab igne A est aliquid aliud, quàm hæc tria existere, etiam approximata, ergo superaddi debet aliquid aliud,

Effectus sæpe mutat causas.

Conf. videmus indies effectus mutare causas, vt calor qui primò producebatur à sole, postea conseruatur ab igne. Vel Deo, ergo effectus ipse non est formalis dependentia à tali determinata causâ, cùm existere possit, & ab illa non dependere, ergo effectus non est actualis dependentia à tali causa, sic enim non posset ab ea non dependere.

V. *Angelus videns intuitiuè effectum videbit à quâ causa dependeat.*

Secundò probatur: sint applicata æqualiter duo agentia, duo ignes v. g. sufficientes ad producendum eundem effectum, qui sit intra sphæram vtriusque, effectus tamen producatur vel conseruetur ab altero tantùm, quòd faciliùs percipitur si alter ignis applicetur post productum iam effectum à priori igne: Angelus intuens effectum, videbit à quo agente pendeat, cùm hæc sit veritas naturalis, naturaliter cognoscibilis, & non excedens virtutem & perfectionem Angelicam, ergo videt aliquid in effectu, per quod pendeat ab vna causa potiùs quàm alia: Hoc ergo debet esse actio. Conf. in casu posito velit Deus, vt ignis productus, vel conseruatus ab igne A, postea pendeat & conseruetur ab igne B, manente adhuc illic igne A, quæro, quid videbit Angelus diuersum? certè nihil præter nouam dependentiam, & causalitatem, cùm ambæ entitates, vt suppono, maneant eædem, & eodem modo approximatæ.

VI. *Aliud est ad præsentiam rei alicuius produci, aliud ab illa produci.*

Dices; videbit ignem illum iam produci, vel conseruari ad præsentiam ignis B. Contrà, produci ad præsentiam ignis B, non est idem ac dependere ab igne B, cùm produci possit in illius præsentia, & tamen ab illo non dependere. Conf. secundò, potest Deus efficere vt eadem res producatur per duplicẽ actionem totalem, seu à duobus agentibus vt à causis totalibus: quid tunc diuersum efficit Deus, ac quando dependet res illa ab iisdem causis tanquam ab vno solùm agente totali, ita scilicet vt mutuò attemperent virtutem? certè attemperatio virtutis in

actu secundo intelligi nequit sine aliqua actione.

VII. *Esse rem, & non dependere ab aliâ causa, est dependere ab hac argutiuè, non formaliter.*

Dices; produci ignem ab hac causa, est ignem existere, & non dependere ab alia causa. Contrà primò, dependere seu produci ab hac causa est conceptus positiuus. Contrà secundò, non dependere ab alia causa, cùm sit negatio, debet esse alicuius positiui negatio, ergo dependentia hæc, cuius illa est negatio, est aliquid positiuum. Resp. itaque, argutiuè quidem benè inferri ignem existentem, & ab alia causa non dependentem, dependere ab hac, cùm existere, nisi à causa aliqua productus, non possit. Non tamen hinc sequitur, produci ignem A ab igne B, esse ignem A non dependere ab alia causa. Sicut si Petrus nec sit Paulus, nec Ioannes, nec alius quispiam ex hominibus, est Petrus, non tamen propterea rectè quis intulerit, esse Petrum formaliter esse conceptum negatiuum, nec aliud dicere, quàm eum non esse Paulum, Ioannem &c.

Res hæc declaratur exemplo.

VIII. *Ostenditur actio distincta ex successiua varietate in rerum conseruatione.*

Tertiò probatur: eundem effectum, formam ignis v. g. potest Deus conseruare vel simul, vel successiuè per concursum generatiuum & creatiuum, ergo quando hoc facit, quæro quid diuersum facit in vno casu, & in alio? Conf. quando Deus suspendit concursum generatiuum, vult suspensionem alicuius concursûs, sed suspensio illa est negatio, ergo vult negationem alicuius concursûs, ergo ille concursus erat aliquid præter subiectum, agens, & terminum, nam vult hæc omnia adhuc vt suppono, ergo hæc negatio est negatio alicuius alterius, nempe actionis

IX. *Actio eductiua non est voluntas Dei.*

Dices; actio eductiua est voluntas Dei qua vult ignem B produci ab igne A, & educi è tali subiecto. Contrà, potest Deus velle ignem A, ignem B, & tale subiectum, etiam simul & approximata, & tamen non velle vt ignis B producatur ab igne A, & educatur ex illo subiecto; imò potest velle contrarium, nempe, vt creetur, vel educatur ex potentiâ alterius subiecti, & ab alio agente producatur, ergo voluntas illa vult aliquid noui ex parte obiecti, cùm habeat aliud obiectum, quàm hæc posterior, vt constat. Illud ergo aliud quærimus quid tandem sit?

X. *Idem viterius ostenditur.*

Quòd eodem modo vrget, quando Deus vult vt duo agentia applicata iam agant vt duplex agens totale, iam vt vnum, iam vt omninò non agant, & alia quæ posuimus superiùs; quæ omnia sunt quidem effectus diuersæ voluntatis Diuinæ causaliter, sed non formaliter, ita scilicet vt voluntas Diuina sit ipsa ratio formalis per quam fiant, sed solùm diuersa ratio causalis, seu effectiua. Voluntas enim diuersa debet aliquid diuersum efficere ex parte effectûs, alioqui dicere eodem modo quis posset, parietem esse album, aut nigrum, nihil esse aliud, quàm diuersam virtualem voluntatem Dei.

Voluntas Dei est actio causalis, non formalis.

XI. *Angelus non posset videre effectus naturales.*

Conf. Angelus, vt suprà dixi, potest videre effectus naturales, & à quo agente effectus talis producatur, quod tamen videre non posset, si productio esset voluntas Dei, hanc enim naturaliter videre non potest, cùm sit ipse Deus.

SECTIO VII.

Argumenta contendentia Actionem non distingui ab Agente, subiecto, & termino.

I. *Actio non ipsa dependentia, sed alia non indiget.*

OBiicies primò: Actio est etiam effectus causæ, ergo Actio deberet habere aliquid per quod producatur, & dependeat à sua causa. Nego consequentiam, Actio enim per se essentialiter pendet ab hac causa determinata, & non est indifferens vt procedat ab alia; ter autem absolutæ non sunt hoc modo determinatæ, nam calor B ex. g. est indifferens vt producatur ab igne, luce, vel sole, aut à calore A, vel à calore C, ac proinde, vt producatur & dependeat ab hac potiùs causa, quàm alia, eget aliquo alio per quod determinetur ad dependendum ab hac potiùs causâ, quàm alia, præsertim cùm successiuè dependere & conseruari possit à diuersis.

Obiicies secundò: non possunt hoc agens, hic effectus, & hoc passum esse approximata, quin hic effectus ab ipsis dependeat, ergo non est opus assignare aliquam aliam dependentiam, sed dependebit per se. Nego antecedens, nam licèt inter se sint approximata hæc tria, adhuc potest Deus effectum illum conseruare per concursum creatiuum: Sicut licèt sol in instante A producat lucem in aëre concursu generatiuo, potest tamen Deus in instante B eandem lucem conseruare concursu creatiuo, & efficere vt sol quantumcunque præsens, & applicatus non concurrat, tunc ergo inquiro quid velit Deus, & quid sit obiectum huius voluntatis, *volo vt sol iam non concurrat?* non est *volo vt sol non sit*, nec *vt non sit applicatus*, nam est adhuc applicatus, vt supponitur, cuius ergo rei negationem vult, omnia enim eodem modo manent, præter actionem, ergo vult negationẽ actionis, ergo erat antea actio, cuius negationem iam vult Deus. II.

Potest hoc agens, hic effectus, & hoc passum esse approximata & tamen effectus ab illis non dependere.

Obiicies tertiò: si ignis applicetur stupæ, vel sol aëri, non possunt non producere, hic lucem, ille calorem, & ignem, ergo non egent determinatiuo, cùm sint ex natura sua determinata, ergo non est necessaria Actio, cùm Actio propterea solùm ponatur vt determinetur effectus ad dependendum ab hac potiùs causa, quàm ab alia, hic autem non potest effectus non dependere, seu non procedere ab hac causa, cùm sit causa necessaria. Resp. primò, saltem hoc argumentum non probare quin in causis liberis dari adhoc debeat actio distincta, cùm sint indifferentes, & consequenter indeterminatæ ad agendum. Resp. secundò, de causis necessariis nego similiter consequentiam. Ad probationem dico, etiam applicato hoc agente huic passio, posse tamen effectum non dependere ab hoc agente, potest enim Deus impedire, & velle vel vt omninò non producatur, vel vt creetur lux ex. g. vel calor, sicque vt non producatur ab igne aut sole. III.

Obi. causas necessarias non egere determinatiuo, cùm non possint non agere.

Respondetur argumento suprà posito.

Dices; connotat præterea voluntatem Dei hîc & nunc applicantis suam Omnipotentiam. Contrà, hæc voluntas Dei, vt sæpe dixi, sine actione distincta, in quam tendat, intelligi non potest, debet enim esse voluntas alicuius alterius, præterquam agentis, & passi inter se applicatorum, effectûs, & Omnipotentiæ Dei; hæc enim omnia velle potest Deus, & tamẽ nolle vt effectus ille producatur & dependeat ab illo agente, & subiecto, vt ostensum est. Vnde ad id quod dicitur causam necessariam esse determinatam ex se ad agendum, ergo non eget alio determinatiuo, distinguo antecedens, est determinata in actu primo id est, necessariò debet agere, & elicere actionem, ac producere effectum, concedo antecedens; est determinata in actu secundo, id est, est ipsa actio, nego. Sicut apertis oculis, & proposito debitè obiecto, non potest potentia visiua non videre, sed est determinata ad videndum, non tamen, etiam iuxta aduersarios, propterea potest videre per se, & sine visione distincta. Sicut ergo visio est determinatio intentionalis potentiæ intentionalis necessariæ ad obiectum, ita actio est determinatio physica causæ necessariæ physicæ ad effectum. Dices; visio est determinatio vitalis. Contrà, quidni æquè potentiæ potentia vitalis esse viue, ac potentia non vitalis mortua determinatio sui? IV.

Causa necessaria sūt determinata in actu primo, non in actu secundo.

Explicatur exemplo potentia visiua.

So-

V. *Declaratur ampliùs determinatio in actu primo, & in actu secundo.*

Solùm ergo ex hac necessitate in actu primo habetur, debere, nisi aliquod impedimentum interueniat, necessariò sequi determinationem in actu secundo: & hæc est differentia inter causam necessariam, & liberam, quòd hæc nec in actu primo sit necessitata, & determinata ad operandum, sic tamen illa, vtpote quæ, quandocumque potest, operatur necessariò, & determinat se ad agendum. Sic etiam, si Deus velit Petrum moueri, & parietem esse album, nec ille potest non moueri, nec hic non esse albus, sed vterque est determinatus in actu primo, ad motum ille, hic ad albedinem, vterque tamen vlteriùs eget determinatiuo formali, seu in actu secundo, nempe formâ aliquâ, per quam Petrus moueatur, & paries reddatur albus. Vnde prior determinatio, seu in actu primo tantùm est mediata, remota & effectiua determinationis formalis, non autem est ipsa formalis determinatio in actu secundo.

Determinatio causalis, & formalis.

VI. *Non repugnant effectus dependentes per se à solis causis.*

Addo nihilominus, licèt res, quæ de facto sunt, producantur per actionem distinctam, cùm sint indifferentes, vt nunc ab hac causâ producantur, nunc ab illa, nullam tamen mihi apparere implicantiam quo minùs dentur nonnulli effectus qui immediatè, & per se, seu sine actione distinctâ ab agente aliquo dependeant. Quod multi affirmant de actibus intellectûs, & voluntatis.

DISPVTATIO LXI.

De Creatione.

SECTIO PRIMA.

Sitne possibilis Creatio.

I. *Quid nomine creationis intelligatur.*

PEr Creationem, cum Patribus & Theologis omnibus intelligo *productionem rei ex nihilo.* Quam Creationis definitionem cum S. Thoma 1. p. q. 45. ar. 1. arg. *Sed contra*, admittunt Theologi omnes, vt testatur Vasq. 1. p. d. 171. c. 1. num. 1. & Tanner. 1. p. d. 6 qu. 1. dub. 1. num. 3. ait esse certam, atque ab omnibus receptam doctrinam. Et præter communem Theologorum consensionem, ita loquitur Beda in cap. 1. Genesis, & Anselm. cap. 8. Monolog. & alij. Qui de re sect. sequente iterum redibit sermo.

II. *Aristot. negauit creationem, & mundum statuit ab æterno.*

Negat itaque Aristoteles Creationem esse possibilem, eâque de causâ mundum statuit ab æterno, vt esset commune aliquod subiectum, ex quo res omnes educerentur. vnde ex nihilo aliquid fieri, seu non ex aliquo subiecto, omninò iudicabat impossibile. Subiecti verò huius nullum principium assignauit, ne si illud ab aliquo productum fuisse diceret, agnosceret creationem.

III. *In eodem errore fuit Plato, & alij quidam ex antiquis.*

In hoc eodem errore fuisse Platonem, & alios nonnullos ex antiquis refert Tertullianus lib. contra Hermogenem c. 1 & 8. Epiphan. hær. 7. Lactant. lib. 2. de orig. errorum, & alij. Hos Philosophos multi secuti sunt ex Hæreticis, vt Hermogenes, Manichæus, & alij. Plato ergo, ne Creationem, seu productionem rei *ex nihilo* agnosceret, materiam negabat esse factam, sed ex se existentiam semper, & necessariò habuisse, fuisseque Deo coæternam: quem, vt dictum est, hac in parte plurimi sequuti sunt ex Philosophis antiquis: adeò omnibus animo insederat *ex nihilo nihil fieri.*

IV. *Hoc ab omnibus censetur erroneum.*

Hanc sententiam vt erroneam, Theologi omnes, & Philosophi sanctorum Patrum auctoritati inuixi reiiciunt, & tanquam omninò falsam & improbabilem longissimè à Scholis ablegandam censent.

V. *Ren. Des Cartes 1. p. phi. num. 75. Ex nihilo nihil fit, ait esse æterna veritatis.*

Vereor tamen ne in eam recentior quidam non ita pridem inciderit, qui licèt verbo tenus creationem admittat, re tamen verâ eam penitùs tollit, imò impossibilem esse affirmat. Ita enim cum Philosophis ciuatis principio illi *ex nihilo nihil fit* tenaciter adhæret, vt illud *æternæ veritatis* esse pronunciet, cuius proinde veritas infringi nullâ ratione possit. Priùs ergo quàm hanc sententiam impugnem.

VI. Notandum cum Philosophis omnibus, propositiones *æternæ veritatis* esse illas, quarum veritas eiusmodi est, vt violari nullâ ratione possit, nec res per vllam potentiam, etiam Diuinam, aliter se habere quàm talis propositio affirmet. Huiusmodi propositiones in omnibus fermè scientiis reperiuntur, vt *homo est animal: Homo est rationalis:* in Physicâ *Omne totum est maius suâ parte:* in metaphysicâ, *Non potest idem esse simul, & non esse:* in Arithmeticâ, *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, erunt æqualia:* in Geometriâ, *Triangulum rectilineum habet tres angulos æquales duobus rectis:* quibus contraria, inquit S. Thomas l. 2. cont. Gen. c. 25. n. 9. & 10. ne quidem Deus facere potest. Sicut, vt est manifestum, facere nequit vt homo sit, & non sit animal. His circa naturam propositionum æternæ veritatis prænotatis, sit.

Quid sit propositio æternæ veritatis.

S. Thomas.

VII. *Hæc propositio Ex nihilo nihil fit non est æternæ veritatis. Probatur quia mundus ex nihilo est factus.*

Conclusio: Certissimum est, hanc propositioné *Ex nihilo nihil fit*, non esse æternæ veritatis. Ratio est clara: propositiones omnque *æternæ veritatis*, vt proximè dictum est, sunt illæ, quarum veritas ita fixa est ac firma, vt nec Deus contrarium illi facere possit quod hæ propositiones enuntiant, sed Deus potest facere contrarium illi quod hæc propositio enuntiat, ergo non est *æternæ veritatis.* Maior & consequentia sunt claræ: minor probatur, Deus de facto hunc mundum produxit *ex nihilo*, licèt enim formas materiales eduxerit ex materiâ, tanquam ex subiecto, materiam tamen ipsam produxit *ex nihilo*, vt est certissimum, nec inficiari vllus potest, nisi labatur in errorem Philosophorum suprà positum, qui, ne quidquam *ex nihilo* fieri concederent, materiam Deo coæuam posuerunt, & improductam. Conf. Angeli *ex nihilo* producti sunt: cùm enim sint substantiæ totales & completæ, nequeunt vlli subiecto formarum instar vniri, sicque ex eius potentiâ educi, vt est manifestum.

Angeli sunt ex nihilo.

VIII. *Secundò probatur auctoritate scripturæ.*

Secundò probatur ex illo Machab. 2. cap. 7. v. 28. *Peto nate, vt aspicias ad cælum & terram & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Conf. ex illo Genesis 1. v. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram:* hoc est, (vt explicat Beda, & S. Thomas num. 1. citati, & alij Patres) ea *ex nihilo* fecit. Certissimum ergo est, hanc propositionem. *Ex nihilo nihil fit*, non esse *æternæ veritatis.*

Beda. S. Thomas.

IX. *Ratio à priori, quare non sit æternæ veritatis ex nihilo nihil fieri.*

Ratio demum à priori est: quamuis enim actioni creatiuæ naturæ vires sint impares, nec *ex nihilo*, seu non concurrente subiecto, facere quidquam possint; Deus tamen, cuius infinita est vis agendi, has naturæ leges infringere potest, & per se concursum subiecti perfectiori modo, seu in genere causæ efficientis supplere, vt de facto facit in speciebus Eucharisticis.

X. *Hac Cartesij doctrina occasionem errandi prabet simplicioribus.*

Inueniet fortasse rationem aliquam hic auctor, quâ se ab hoc errore eximat, quam libenter videbo. In hoc tamen tractatu, in quo creationis naturam explicandam suscepi, dissimulare hoc non debui, ne in rebus Philosophicis minùs versati, ex hac eius doctrinâ, errandi occasionem sumant, & cum Philosophis suprà citatis opinandi, mundum non *ex nihilo*, sed ex præiacente aliquâ materiâ fuisse conditum: quod sine dubio euidenter sequitur, si hæc propositio *Ex nihilo nihil fit*, sit *æterna veritatis*.

SECTIO II.

Nonnulla circa Creationem; vbi, an idem terminus possit simul generari & creari.

I. *Creatio nonnunquam latè sumitur, & idem est ac productio.*

CReatio aliquando latè sumitur, prout idem est ac productio: sic res omnes dicuntur creaturæ, & Deus *creator cæli & terræ*: sic etiam dicitur *creasse cete grandia, & omnem animam quam produxerant aquæ*, licèt aquæ non crearent, & alia huiusmodi. Ideò tamen dici potest Deus hæc omnia creare, non quòd actio totalis ad res istas terminata sit creatio, cùm formæ & vniones plerumque educantur, sed quia actio terminata ad materiam, quæ est quasi fundamentum aliorum omnium, & basis totius compositi, ex quâ nimirum forma & vnio educuntur, est creatio. Hîc verò sermonem instituimus de creatione propriè, & strictè dictâ, & prout distinguitur ab actione eductiuâ, quo sensu definitur à S. Thoma 1.p.qu.45.art.1. estque ab omnibus recepta definitio: *Creatio est productio entis ex nihilo.*

Definitio Creationis strictè sumpta.

II. *Quid intelligatur per particulas ex nihilo.*

Magna hîc est inter auctores controuersia quid intelligatur per particulas illas *ex nihilo*. P. Vasq. 1.p.d.172.c.3.n.12. Tanner.1.p.d.6 q.1.dub.1.& dub.3.n.12. quibus fauere videtur Valét. 1.p.d.3.q.2.p.1. rem ex nihilo produci perinde esse dicunt, ac produci ex negatione sui. Asserunt ergo, particulas illas *ex nihilo* duobus modis sumi posse, affirmatiuè, & negatiuè: negatiuè, vt *ex nihilo* idem sonet, ac *non ex aliquo*: affirmatiuè, vt particulæ illæ *ex nihilo* idem significent atque *ex non aliquo*, seu, *ex non ente*, vt scilicet res aliquo modo connotet negationem sui.

III. *Ex nihilo non significat ex negatione sui.*

Contrà primò, tam forma materialis, vel accidens quodcunque, quando generatur, procedit ex negatione sui quàm Angelus & materia prima, & tamen non creatur. Contrà secundò, si Angelus creatus fuisset ab æterno, quod possibile esse admittit P. Vasquez, licèt Tannerus neget, verè actio illa fuisset creatio, quâ productus tunc fuisset Angelus, & tamen non processisset Angelus ex negatione sui, cum, si productus sit ab æterno, semper fuerit, ergo nunquam fuit verum dicere, *nunc non est*, ergo nec etiam dicere, *nunc negatio eius est*, ergo non processit de negatione sui, cùm illa negatio nunquam fuerit. Nec vrget quod contra hoc infert Tannerus loco citato, sequi nimirum, generationem Verbi æterni esse creationem, cùm hoc solùm capite, inquit, excludatur à creatione, quòd non procedat Verbum Diuinum ex negatione sui. Hoc, inquam, non vrget, multis enim alijs nominibus differt generatio Verbi æterni à creatione, nempe, quòd non procedat per veram dependentiam, & causalitatem; quòd non recipiat suum esse per participationem, & limitatè, sicut creaturæ &c.

Cur generatio Verbi Diuini non sit creatio.

IV. *Ex nihilo perinde est atque ex nullo subiecto.*

Ly ergo *ex nihilo* idem dicit atque ex nullo præsupposito subiecto: sicut enim illa actio vocatur generatio, quæ producit terminum dependenter à subiecto, ita creatio quæ illi opponitur, est quæ producit terminum independenter ab omni subiecto, quo pacto materia prima, anima rationalis, & Angeli producuntur, nullo scilicet concurrente subiecto. Hoc etiam confirmat quod dici solet, creationem esse productionem entis simpliciter, generationem verò non simpliciter, sed secundùm quid, seu ex tali particulari non esse, nempe de non esse in tali subiecto: non quòd verè non producatur etiam res per generationem, sed quòd illud quod creatur, dicatur procedere de non esse simpliciter ad esse simpliciter, & non ad tale esse, seu in subiecto, cùm id quod creatur, reddatur per actionem creatiuam omninò absolutum & independens ab omni subiecto, quo sensu dicitur communiter *creationem esse rerum subsistentium*, seu per se stantium, nempe sine adminiculo subiecti.

Creatio est productio ens simpliciter, generatio productio secundum quid.

Creatio est rerum subsistentium.

V. *Modi propriè non creantur.*

Quod ergo creatur, potest ex vi suæ productionis existere extra omne subiectum, nisi aliunde subiecto alligetur, vt contingit in modis, qui proinde non ita strictè & rigurosè possunt creari, licèt produci possint independenter ab omni subiecto materialiter in eos influente: de quo suprà d.13.s.3. Obstare etiam videtur creationi propriè dictæ, si tollatur res aliquo termino *à quo* positiuo, qui pereat ad creationem huius, vt si ad creationem formæ ignis in materiâ ligni pereat forma ligni, tunc enim foret conuersio, & non purè creatio: sed est quæstio fortè de nomine, & dici poterit conuersio creatiua, vel creatio conuersiua.

Conuersio creatiua, creatio conuersiua.

Quæres vtrùm eadem res possit diuinitùs simul generari & creari? Quoad diuersa loca non videtur dubium, quin scilicet possit Deus eandem formam ignis, vel albedinem, quam hîc educit è potentiâ subiecti, conseruare Romæ sine omni subiecto. Difficultas ergo est de eodem loco: de quo etiam Resp. affirmatiuè, nempe posse eandem rem per diuersas actiones totales simul creari & generari, in hoc enim nulla apparet implicantia; creatio namque & generatio non opponuntur contradictione: nec enim creatio requirit vt aliunde terminus non dependeat à subiecto, seu per aliam actionem, sed solùm vt non dependeat per ipsam creationem. Si ergo creatio reddit terminum independentem à subiecto, vt ly *independens* non sumatur negatiuè, seu exclusiuè, id est, ita vt dicat negationem dependentiæ simpliciter & absolutè, sed solùm sumitur præcisiuè, ita scilicet, vt à creatione dependentiam illam non habeat. Sic in Logicâ d. 50. s. 2. diximus scientiam & fidem posse esse simul in eodem intellectu de eodem obiecto; licèt enim fides, vtpote obscura, non afferat claritatem, eam tamen aliunde habitam non excludit. VI.

Potest albedo, etiam in eodem loco generari simul, & creari.

Dices; ergo eadem actio numero poterit esse generatio & creatio, cùm iuxta dicta d. illa 50. Log. s. 4. idem actus possit esse fides & scientia. Resp. mihi hoc videri satis probabile respectu diuersi termini, etiam in eodem loco: ex g. si Deus eâdem actione in animâ Petri creet illius intellectum, & educat voluntatem, vel in eâdem materiâ primâ producat duas formas ignis, vel duas albedines eâdem actione, quarum tamen altera forma & albedo generetur, altera creetur: nec enim magis videtur sequi, fore actionem illam creationem, & non fore creationem, cùm sit respectus ad diuersum terminum, quam alium actum qui est fides & scientia, fore scientiam, & non fore scientiam, quia scilicet diuersam illam rationem fidei & scientiæ habet à diuerso motiuo. VII.

Dices ergo eadem actio poterit esse generatio, & creatio.

Dicendum tamen, non posse eandem actionem numero, ne quidem respectu diuersi termini, esse simul creationem & generationem. Ratio est, quia actio necessariò tribuit suis terminis illam denominationem *vt quod* quam in se habet *vt quo*: cùm ergo VIII.

hæc

Resp. non posse eandē actionem esse generatiuam, & creatiuam, & quare.

hæc actio educatur è subiecto *vt quo*, denominat necessariò omnes terminos ad quos terminatur, eductos *vt quod*; denominationem autem independentis à subiecto nulli termino dare potest cùm hanc in se non habeat *vt quo*: in se enim est verè dependens à subiecto, & ex illius potentia educitur.

IX. *Ostenditur vlterius cur eadem actio non possit esse generatiua, & creatiua.*

Nec vrget siquis dicat, actionem illam habere hanc denominationem *vt quo* respectu vnius termini, non respectu alterius. Hoc, inquam, non vrget, denominatio enim dependentis vel non dependentis desumitur præcisè à subiecto, seu passo. Vnde sicut, quia albedo non est in se nigra, aut calida *vt quo*, non potest hanc denominationem vlli subiecto communicare *vt quod*, sic, cùm hæc actio simpliciter sit dependens à subiecto, non potest vllum terminum denominare independentem, cùm in se non sit independens *vt quo*. Licèt ergo forma non semper det omnem denominationem & effectum formalem quem habet, omni subiecto, cùm effectus formalis detur secundùm capacitatem subiecti, vt diximus, nunquam tamen potest forma vlli subiecto tribuere denominationem aliquam, & effectum formalem quem non habet.

SECTIO III.

Vtrùm Creatio sit distincta ab Agente & Termino.

I. *1. Sententia negat creationem distingui ab agente, & termino.*

PRima sententia negat Creationem distingui ab Agente & Termino. Hanc sententiam à fortiori tenent illi omnes quos disp. præcedente, s. 6. citaui pro sententiâ asserente actionem eductiuam non distingui ab agente, subiecto, & termino. Idem tenere videtur Scotus in 2. d. 1. qu. 2. §. *ad quæst. istam*: Valentia 1. p. d. 3. q. 2. p. 1. §. *si autem creatio*: Vasq. 1. p. d. 173. c. 3. & alij.

II. *2. Sententia creationem ad minus distinctam.*

Secunda sententia affirmat creationem esse aliquid realiter à termino distinctum, & per quod creatura refertur ad creatorem: ita S. Thomas 1. p. qu. 45. ar. 3. corp. & 2. cont. Gent. c. 18. Ferrar. ibidem §. *ad euidentiam 3. dubij*: tenet absolutè Suarez d. 20. Met. s. 5. n. 11. & 15. Molina 1. p. q. 45. ar. 3. Tanner. 1. p. d. 6. q. 1. dub. 1. num. 11. & 12. Idem quoad terminum naturâ suâ eductibilem tenet Hurt. d. 12. Phy. s. 3. num. 26. Arriaga d. 9. Phy. sect. 4. num. 53. & Ouiedo cont. 13. Phy. p. 2. num. 11. & 14. quamuis magna cum formidine.

III. *Res naturâ suâ generabiles produci debent per creationem distinctam.*

Dico primò: res quæuis naturâ suâ à subiecto dependens, vt quantitas, albedo, &c. procedit ab agente per creationem à se realiter distinctam. Ita auctores secundæ sententiæ. Probatur in speciebus Eucharisticis, sapore, odore, frigore, albedine &c. quæ, cùm priùs per actionem eductiuam, seu generatiuam conseruarentur, postea conseruantur per creationem: manifestum ergo videtur, creationem realiter distingui ab earum entitate, cùm species illæ antea extiterint, & non extiterit creatio.

IV. *Res etiam ingenerabiles producuntur per creationem distinctam.*

Dico secundò: probabilius mihi videtur, Angelum, animam rationalem, materiam primam, & si qua sint huiusmodi, produci à Deo per actionem distinctam: ita Suar. d. 20. Met. s. 5. num. 12. & 15. Arriaga d. 9. Phy. s. 4. num. 53. Ouiedo cont. 13. Phy. p. 2. num. 11. & alij contra Hurtado, d. 12. Phy. sect. 3. n. 51. Hæc opinio est conformior illi quàm suprà disp. 27. sect. 4. & 6. num. 9. sequutus sum de potentiâ obedientiali lata, vbi admisi eleuari posse nullam ad producendum Angelum.

V. *Ratio est quia eleuari potest creatura ad producendum Angelum.*

Ratio est, licèt enim Angelus connaturaliter petat produci à solo Deo, non sequitur quin supernaturaliter produci possit ab aliquo alio, simul cum Deo ad illius creationem concurrente: sicut licèt accidentia connaturaliter petant educi ex subiecto supernaturaliter tamen possunt sine subiecto per concursum creatiuum produci & conseruari. Hinc ergo apertè sequitur, Angelum non esse suam productionem, sic enim nihil eleuari posset ad eum producendum, cùm ad actionem dari nequeat actio.

VI. *Effectus primarius creationis est dare existentiam termino.*

Obijcit P. Hurt. citatus: Angelus per se, & suam entitatem est independens à subiecto, ergo non eget forma aliqua distincta, seu creatione, per quam habeat hanc independentiam, hæc enim forma supponeret suum effectum formalem. Resp. primò, effectum primarium creationis non esse, reddere terminum independentem à subiecto, sed dare illi existentiam: reddere verò eum independentem à subiecto, est effectus tantùm secundarius.

VII. *Varia forma supponunt effectum suum secundarium, & inadæquatum.*

Ad id quod additur, creationem hîc supponere effectum suum formalem, Dico, varia subinde supponere effectum suum secundarium, & inadæquatum, vt latè ex alia occasione ostendi suprà, d. 19. sect. 3. num. 4. & 6. Quibus addo, hoc in omni vbicatione circumscriptiua quantitatis contingere: partes enim quantitatis ex natura sua habent vt vna sit extra aliam, cùm naturaliter inter se penetrari nequeant, & tamen hoc iterum habent à tali vbicatione, quæ denuò hoc eis tribuit, & qua stante, nec diuinitùs possunt inter se penetrari, sed vna necessariò est extra aliam, sicque nouo titulo tribuit effectum, quem antecedenter ad sui existentiam inuenit. Quod tamen non censetur inconueniens, cùm solùm sit effectus eius secundarius, primarius enim effectus vbicationis est quantitatem tali loco figere. Idem loco proximè citato ostendi in vnione, subsistentiâ totali, & alijs: quæ applicari hîc possunt creationi respectu Angeli.

VIII. *Creatio distincta requiritur ad tollendā indifferentiam.*

Resp. secundò, distinguendo antecedens: Angelus est independens à subiecto & simul essentialiter determinatus ad dependendum ab hoc agente potiùs quàm ab alio, nego antecedens; est independēs cum indifferentiâ vt producatur ab hoc vel illo agente, concedo. Ad hanc ergo indifferentiam tollendam requiritur operatio distincta, non ad dandam independentiam.

IX. *Indifferentia duplex, positiua, & negatiua.*

Addo vlteriùs cum P. Arriaga citato n. 55. independentiam duplicem esse, positiuam, & negatiuam: hanc tantùm habet Angelus ex se, & ipsi conuenit antequam producatur, cùm ab æterno verum fuerit Angelum non dependere à subiecto. Per creationem verò accipit independentiam positiuam à subiecto, quam antea non habebat, sicque à nouâ formâ nouus ei prouenit effectus formalis.

X. *Res essentialiter pēdens à Deo solo non potest produci per actionē distinctā.*

Dico tertiò: si sit possibilis res aliqua creata, quæ ita essentialiter respiciat Deum solum, vt non possit, nec diuinitùs produci ab aliquo alio ad hoc à Deo eleuato, res illa non producetur per actionem à se distinctam, sed erit sua creatio. Ratio est clara, iam enim omninodè est per se determinata ad vnicum principium productiuum, sicque, cùm nulla omninò sit indifferentia, & indeterminatio, nihil ad eam tollendam requiritur, sed res per se est omnis indeterminationis sublatio.

SECTIO IV.

An Creatio consistat in volitione Diuinâ.

I. *Creatio nō consistit in volitione diuinâ.*

PRima Conclusio: Creatio non est volitio Diuina, quâ vult terminum tali tempore existere: ita Suar. Hurt. & alij citati. Probatur, quia volitio Diui-

na erat ab æterno, sed creatio non erat ab æterno, ergo volitio Diuina non est creatio. Maior est certa, minor probatur, si creatio fuit ab æterno, ergo & terminus creatus erat ab æterno; sicut enim implicat cognitionem Dei esse ab æterno, & obiectum non esse cognitum ab æterno, vel vnionem esse ab æterno, & non extrema vnita ab æterno, ita & implicat creationem esse ab æterno, quin res fuerit creata ab æterno, non enim minùs est creatio actualis tendentia in terminum, quàm cognitio in obiectum, vel vnio in extrema.

II. *Dices creatio est volitio diuina pro tali tempore.*

Dices; volitio Diuina non est creatio pro quocunque tempore, sed solùm pro illo determinato tempore quod connotat, vult enim Deus creare Angelum, non ab æterno vel quocunque tempore, sed tali determinato instanti temporis, ac proinde volitio illa est creatio, non pro æternitate, aut quocunque tempore sed pro illo determinato, in quo illum vult creare. Contrà, ergo volitio Diuina quæ est ab æterno est creatio ab æterno pro tali tempore, ergo Angelus est creatus ab æterno pro tali tempore, sicut enim quia volitio Diuina, illum vult ab æterno pro tali tempore, est volitus ab æterno pro tali tempore; ita si sola volitio illa sit creatio ab æterno pro tali tempore, erit etiam creatus Angelus ab æterno pro tali tempore, ergo vel non est idem voluntas creandi & creatio vel, si sit voluntas creandi ab æterno, erit etiam creatio ab æterno pro tali tempore; si enim idem sit velle ab æterno creare pro tali tempore, & creare, si vult ab æterno creare pro tali tempore, etiam creat ab æterno pro tali tempore, idem enim est in re, vt supponitur.

Sed contrà, hinc enim sequeretur Angelum esse creatũ ab æterno pro tali tempore.

III. *Creatio nõ est volitio Dei & talis tempus.*

Dices; volitio Dei sola non est creatio, sed volitio Dei & tale tempus, ita vt creatio sit aggregatum ex volitione Dei, & tali tempore. Contrà, actualis productio est actualis tendentia physica in terminum seu effectum, sed per solum tale tempus non potest volitio illa Dei fieri actualis physica tendentia in terminum, si antea non erat, illud enim non potest habere à tempore, præsertim imaginario, cùm hoc vel nullum sit vel ad summum negatio. Deinde, hoc tempus non est formalis & actualis respicientia physica illius Angeli, cùm non maiorem connexionem habeat Angelus cum hoc instante vel tempore, quàm cum vllo alio. Tandem, non potest id à se habere, nihil enim habet volitio Dei in tempore, quod non habuit ab æterno. Hic etiam vrgent pleraque ex iis, quæ d. præcedente s. 6. & 7. attuli ad probandum actionem eductiuam non cõsistere in voluntate Dei.

IV.

Obiicies primò: licèt volitio huius numero creationis, quâ in hoc instante creatur Angelus, fuerit ab æterno, hæc tamen creatio non propterea emerſit ab æterno, sed solùm eo tempore pro quo illam volebat hæc volitio, ergo licèt volitio illa fuerit ab æterno creatio, non sequitur Angelum debere fuisse creatum ab æterno. Resp. negando consequentiam, disparitas est manifesta, quia volitio illa non est productio illius creationis, si enim esset, eodem modo philosophandum esset de vtrâque voluntate & termino, vnde dicerem non posse esse ab æterno volitionem illius creationis, & non existere ab æterno creationem ipsam: sicut non potest ab æterno esse illa volitio, quin ab æterno sit creatio volita. Potest ergo Deus velle creationem ab æterno, & tamen creatio non produci ab æterno, quia non vult illam ab æterno pro æternitate seu tunc pro tunc, sed pro alio tempore, sicut cùm Deus hodie vult diem crastinum, vult quidem hodie sed non pro hodie, sed pro tempore imaginario crastino: si autem illa volitio esset productio diei crastinæ, non posset non eum producere hodie, cùm volitio, vt supponitur

Quare creatio ponatur in tempore, licet eius volitio in Deo fuerit ab æterno.

sit actualis eius productio, seu ipsa ratio formalis, per quam ponitur extra causas.

V. *Obi. positâ volitione diuinâ, & tali tempore, sequitur tunc necessariò effectus.*

Obiicies secundò: positâ hac volitione Dei, & tali tempore, non potest, nec per Diuinam potentiam, non existere effectus volitus, ergo non requiritur actio aliqua distincta, hæc enim tunc solùm datur, quando requiritur vlterior aliqua determinatio, ob indifferentiam, quæ adhuc relinquitur positis requisitis ex parte causarum in actu primo; hîc autem nulla videtur relicta indifferentia, ad quam tollendam requiratur vlterior determinatio.

VI. *Resp. in obiecto volitionis diuinæ includi necessariò actionem creandi.*

Resp. concesso antecedente, negando consequentiam, nam non potest dari talis voluntas Diuina, quin in obiecto ipsius inuoluatur actio, hæc siquidem voluntas Dei est eiusmodi, *volo vt hæc quantitas, vel hæc forma materialis dependeat à me solo*: hoc autem non potest Deus velle nisi volendo aliquid per quod determinetur ad dependendum ab illo solo: sicut enim voluntas, quâ vult Deus formam ignis educi ab hac materiâ solâ, vel produci ab hoc igne solo, inuoluit in suo obiecto aliquod determinatiuum ad hanc materiam, vel hunc ignem solum, ita & ad dependendum à solo Deo.

VII. *Res explicatur per alias volitiones diuinas.*

Quæ omnia confirmantur ex aliis volitionibus Diuinis, nam posito quòd Deus velit Petrum videre nigredinem, quòd velit parietem esse album, aquam calidam &c. non potest nec per Diuinam potentiam Petrus non videre nigredinem, aut paries non esse albus, aut aqua non calida, non tamen sequitur, habere hæc sine visione, albedine, & calore distincto, & tamen positâ illâ volitione Diuinâ, tam est potentia visiua Petri necessariò determinata ad nigredinem, quàm positâ aliâ voluntate, quantitas est necessariò determinata ad dependendum à solo Deo. In vtroque ergo casu dicendum est solùm determinari causaliter, non formaliter, à volitione Diuinâ inquantum scilicet volitio Diuina vtrobique vult, & causat determinationem formalem, nempe actionem quâ determinatur ibi potentia visiua Petri ad nigredinem, hîc quantitas, vel Angelus ad dependendum à solo Deo.

VIII. *Negatio dependentiæ à causâ omni creatâ non est dependentia à Deo nisi tantùm argumentè.*

Dices; ipso facto quòd Deus velit quantitatem existere independenter ab omni causa creatâ, vult eam dependere à solo Deo, ergo saltem non requiritur aliquid positiuum distinctum, sed solùm negatio dependentiæ ab omni causa creata. Resp. vt suprà d. præcedente, s. 7 dixi in fine, negationem dependentiæ ab omni causa creata non esse formaliter dependentiam à solo Deo, sed tantùm arguitiuè: sicut si tres tantùm essent colores possibiles, albedo nigredo & viriditas, & paries nec per Diuinam potentiam posset non habere vnum, sequitur euidenter, si paries nec habeat albedinem, nec nigredinem, habere eum viriditatem, & tamen non est viridis formaliter per negationes albedinis & nigredinis.

IX. *Creatio nõ est aggregatum ex voluntate Dei, & termino.*

Secunda conclusio: creatio non est aggregatum ex voluntate Dei, & termino creato. Ratio breuiter est, quia iam ostendi terminum creatum, Angelum ex. g. esse indifferentem vt pendeat à variis agentibus, ergo requiritur aliquid aliud ad hanc indifferentiam tollendam: præsertim cùm voluntas Dei non determinet ad quidquam producendum in genere causæ formalis, sed efficientis, vt iam ostensum est tum in hac sectione, tum disp. præcedente s. 7. n. 4. & 5.

SECTIO

SECTIO V.

Vtrum Creatio habeat subiectum.

I. *Creatio habet subiectum adhæsionis, non sustentationis.*

RESP. habere subiectum intimæ affectionis seu adhæsionis, & denominationis, non tamen subiectum sustentationis & inhæsionis. Prima pars constat, creatio enim, si sit actio distincta ab agente & termino, est modus, ergo petit afficere aliquod subiectum, cùm essentia modi consistat in actuali adhæsione, & affectione, vt suprà ostensum est d. 13. Secunda etiam pars ostenditur, nam quando creatur Angelus, nihil est quod possit esse creationis subiectum præter ipsum terminum, nempe Angelum; sed terminus non potest subiectum sustentationis respectu actionis, quâ producitur, ob rationes positas d. præcedente. s. 2. sic enim esset causa sui, & alia quæ ibidem habentur, ergo. Deinde, creatio reddit terminum independentem à subiecto sustentationis, ergo ipsa similiter debet esse à tali subiecto independens. Tandem terminus creationis, Angelus v. g. non potest inhærere seu esse in subiecto, ergo nec inesse seu inhærere ei potest eius creatio, cùm non aliunde terminus sit in subiecto, nisi quia actio quâ producitur inest.

II. *Obiicitur creationem esse accidens, sicque debere habere subiectum sustentationis.*

Dices; creatio est accidens, ergo debet esse in subiecto, cùm *accidentis esse sit inesse*, saltem aptitudinaliter, creatio autem nec aptitudinaliter est in subiecto sustentationis, cùm, vt diximus, esse nequeat in subiecto materialiter in illam, & eius terminum influente. Huic argumento P. Suar. d. 40. Met. s. 5. n. 27. cum aliis respondet, creationem non esse accidens, sed modum substantialem. Existimo tamen probabilius cum P. Hurt. d. 12. Phy. s. 4. n. 80. P. Arriaga d. 9. Phy. s. 4. n. 57. & recentioribus communiter, creationem esse modum accidentalem.

III. *Explicatâ naturâ accidentis, ostenditur quomodo creatio sit accidens.*

Ad argumentum ergo Resp. si per inesse subiecto intelligatur pendere ab eo in genere causæ materialis, hunc non esse essentialem conceptum accidentis, cùm conueniat etiam formæ substantiali materiali. Inesse ergo hic sumi debet pro adhærere, & dici debet conceptum accidentis in duobus situm esse, tum vt sit extra constitutionem rei, tum vt sit forma aliqua, seu perfectio rei illi mediatè vel immediatè affixa. Et hac ratione creatio inest, & inhæret, (si quis ita loqui velit) vel potiùs adhæret termino, quem producit.

IV. *Cur Angeli, & materia prima nequeant, etiam diuinitùs generari.*

Quæres tertiò, vtrùm res quæ ex naturâ suâ possunt creari, possint per Diuinam potentiam generari, & educi ea potentiâ subiecti? Quæstio præcipuè procedit de animâ rationali, nam de Angelis & materiâ primâ, videtur clarum non posse, nec diuinitùs generari, cùm nec diuinitùs habere possint subiectum: Angeli quidem, quia sunt entia completa, & consequenter nec diuinitùs esse possunt in subiecto. De materiâ etiam non minùs videtur certa assertio, tum quia tunc non esset primum subiectum, contra eius definitionem: tum quia si educeretur ex potentia subiecti, deberet esse in alio tanquam in subiecto, & consequenter esset forma. quod implicat: sic enim esset actus physicus, & non pura potentia physica.

V. *Anima etiam rationalis non potest generari.*

Idem censeo de animâ rationali, nempe, non posse eam educi ex potentiâ alicuius subiecti, seu generari. Cùm tamen anima sit quid incompletum, & forma corporis, res hæc non est adeò clara.

SECTIO VI.

Vtrùm possit creatura aliqua creare.

I. *Status quæstionis.*

POsse creaturam diuinitùs eleuari ad creandum, ostendi suprà d. 27. s. 6. n. 9. Quod ergo in præsenti quærimus est, an possibilis sit creatura quæ naturæ viribus creare aliquid possit.

II. *Nulla hactenus creatura quicquam creauit.*

Suppono tanquam certum, nullam vnquam creaturam hactenus quidquam creasse: sic enim habetur Eccles. 1. v. 8. *vnus est altissimus creator omnipotens.* Quare errauit Auicenna l. 1. suffic. c. 10. qui asserit Angelum superiorem creasse inferiorem sibi proximum, infimum verò Angelum creasse res corporeas. Errauit Simon Magus, & alij eius discipuli apud Irenæum l. 1. aduersus Hæreses c. 20. qui mundi creationem non Deo, sed quibusdam intelligentiis tribuebant. Omnium autem pessimè errarunt Manichæi, & Albigenses apud D. Antonin. 3. p. Hist. tit. 19. c. 1. qui rerum visibilium creationem adscribebant Deo cuidam, seu principio malo. Sed his erroribus & deliramentis relictis.

Error Auicennæ, & aliorum circa mundi creationem.

III. *Dicût aliqui posse creaturam naturaliter creare.*

Prima sententia affirmat dari posse creaturam tam perfectam, vt tanquam causa principalis, & suis naturæ viribus possit creare: ita Durand. in 2. d. 1. q. 4. cui etiam sententiæ subscribit P. Arriaga d. 11. Phy. s. 5. n. 97. Ratio est, quia nulla vrgens ratio afferri potest vnde ostendatur hoc esse impossibile.

IV. *Potentia naturaliter creandi competit soli Deo.*

Secunda & vera sententia asserit, virtutem creatricem, seu ex nihilo productricem nulli omninò creaturæ tanquam causæ principali concedi posse, sed esse solius Dei propriam: ita Mag. st. in 4. d. 1. S. Thomas 1. p. q. 45. a. 5. corp. & 2. contra Gent. c. 21. Scotus in 4. d. 1. q. 1. Okam in 2. q. 7. Valentia 1. p. d. 3. q. 2. p. 4. Suar. d. 20. Met. s. 2. Vasq. 1. p. d. 175. c. 1. & 2. Albertin. To. 1. Princip. 1. coroll. 17. Murcia l. 1. de gen. d. 1. q. 6. Hurt. d. 12. Phy. s. 7. Granado 1. p. Cont. 6. d. 3. n. 2. Tanner. 1. p. d. 6. d. 2. n. 3. Ouiedo cont. 13. Phy. p. 4. n. 10. & communis Theologorum sententia, cui hac in parte refragari non est tutum, vt notat P. Hurt. citatus. In ratione tamen huius rei assignandâ non parum omnes laborare video. Præcipuas hic producam: deinde quæ ratio mihi ad hunc finem efficacissima videatur, aperiam.

Ratio huius rei difficulter redditur.

V. *Prima ratio. quod effectus vniuersalissimus reduci debeat ad causam vniuersalissimam. Medicus non curat hominem, sed Socratẽ.*

Prima itaque ratio assignari solet, quòd effectus vniuersalissimus reduci debeat ad causam vniuersalissimam, nempe Deum, sed terminus creationis est vniuersalissimus, nempe *ens* in quantum *ens*, ergo. Hæc tamen ratio non parum videtur difficilis: vel enim intelligitur creationem respicere ens vt sic, & hoc dici nequit, sic enim & Deus creari posset, cùm sit Ens. Deinde actiones physicæ primò sunt circa singularia, & ratione illorum feruntur ad rationes communes cùm respiciant res vt ponendas à parte rei, hoc est vt singulares: vnde ait Aristoteles medicum non curare hominem, sed Socratem, aut Platonem.

VI. *Quo sensu creatio respiciat Ens vt Ens.*

Vel dum dicitur creationem respicere *Ens* vt *Ens*, sensus est, per creationem produci non solùm alias rationes, & prædicata in re quauis reperta, sed etiam rationem Entis: hoc autem sensu etiam generatio respicit *Ens* vt *Ens*; nec enim rationem tantùm caloris, qualitatis, & accidentis in calore producit, sed etiam rationem Entis. Quare autem Deus dicatur respicere *Ens* vt *Ens*, dictum est suprà d. 24. s. 3. n. 6.

VII. *Secunda ratio, quia si sit possibilis creatura potens creare deberet de facto dari.*

Secunda ratio est P. Suarij d. 20. Met. s. 2. n. 1. quia si esset possibilis talis creatura, deberet de facto dari, cùm spectet ad perfectionem vniuersi, vt ex omni serie rerum aliquæ saltem sint productæ. Sed contrà, vnde probatur Deum creasse omnia quæ spectant ad perfectionem vniuersi, & non esse possibi-

les plures & plures series rerum, quas Deus de facto non creauit? sicut esse possibile corpus simplex asserunt plurimi, quod tamen negant de facto dari.

VIII. Tertia: quia si posset dari creatura aliqua quæ posset creare sequitur posse illam creare quælibet, quod tamen non videtur concedendum, illa enim esset nimia virtus & non concedenda creaturæ. At sanè, non video vim huius rationis; quidni enim dari poterit creatura aliqua quæ ex peculiari suâ entitate & proportione cum aliquibus effectibus, & non cum aliis, possit dicere ordinem transcendentalem ad hos effectus, non ad alios? Sicut licèt de facto causæ omnes secundæ operentur dependenter à materiâ, adhuc tamen maiorem habent ex naturâ suâ particulari limitationem singulæ, quàm accipiant à materiâ, materia enim est indifferens ad effectus omnium ferè causarum secundarum, ergo non restringuntur causæ secundæ à materiâ, sed aliunde, nempe ex suâ particulari & specificâ, vel indiuiduali differentiâ.

Tertia ratio, quia sequeretur creaturam illam posse creare quælibet.

IX. Quarta est Caietan. 1. p. q. 45. a. 5. quia quò maior est distantia inter terminum *à quo* & *ad quem*, maior virtus requiritur ad effectum ab vno ad alterum reducendum, sed infinita est distantia inter terminum creationis, nempe *Ens*, & terminum eius *à quo*, nempe *nihil*, ergo requiritur infinita virtus ad creandum. Contrà, tam procedit terminus generationis ex nihilo, vt ostendi suprà d. 11. s. 7. n. 5. & 6. si per nihilum intelligatur negatio rei generatæ, quàm terminus creationis. Deinde, non est infinita distantia inter rem finitam & eius negationem, nec aliter plus distant quàm habet res illa perfectionis, quæ cùm non habeat perfectionem infinitam, non potest infinité distare à negatione sui.

Quarta ratio, ob infinitam distantiam inter terminum a quo, & ad quem, seu inter Ens, & Nihil.

Non distat infinitè Ens & nō Ens.

X. Quinta est P. Vasquij To. 2. in 1. p. d. 175. c. 2. & desumpta videtur ex Scoto, quia creatura illa, quæ posset naturaliter creare, deberet esse spiritualis, res enim omnis materialis, cùm in essendo sit dependens à materiâ, debet etiam esse dependens ab eâdem in operando: sed non potest esse res spiritualis, ergo. Probatur minor, deberet enim creare per voluntatem, sed hoc dici nequit, voluntas siquidem est accidens, & consequenter non apta ad creandum & producendum effectum substantialem. Contrà primò, voluntas secundùm multos non est accidens, sed ipsa substantia Angeli & animæ. Contrà secundò, probabile est posse dari corpus simplex; illud autem non dependeret à materiâ in essendo, cùm non esset compositum ex materiâ & formâ. Contrà tertiò, esto sola res spiritualis posset creare, non tamen sequitur, debere ipsam creare per voluntatem, tanquam per rationem formalem, sed solùm tanquam per applicationem rationis formalis, & virtutis creatiuæ; sicut de facto homo non generat per volitionem, tanquam per rationem formalem, sed per potentiam generatiuam.

Quinta ratio: quia creatura illa potens naturaliter creare, deberet esse spiritualis.

Hæc ratio in multis deficit.

XI. P. Hurt. d. 12. Phy. s. 7. §. 69. reiectis aliorum rationibus, hanc affert: Nulla, inquit, est creatura quæ non habeat aliquam compositionem, vel ex materiâ & formâ, vel natura & subsistentiâ, vel essentia & accidente, consequenter nulla creatura potest elicere aliquam actionem quæ non sit pars verè compositionis, vel per modum formæ, vel subiecti, sed creatio neutro modo facit veram compositionem, nam non vt subiectum, vt constat, nec etiam vt forma, creatio enim non potest esse in vllo, tanquam in subiecto: ergo. Hæc ille. Quæ ratio si non placet, quære, inquit, aliam.

Sexta ratio: quia creatura elicere nequit actionem quæ non sit pars compositionis physicæ.

XII. Non placet: primò, quia creatio verè est in termino, vt in subiecto subhæsionis, & intimæ affectionis, & facit veram compositionem cum eo: nec enim ad veram compositionem requiritur, vt educatur forma ex potentia subiecti, vt suprà probauimus: vnde non minùs esset verè homo, & compositum substantiale ex materia & animâ rationali, si vnio crearetur, quàm dum generatur, vt ostendi suprà d. 14. s. 7. tam enim verè vniret extrema illa inter se, & compositionem inter materiam & formam faceret vnio creata, quàm educta ex potentia alterius, vel vtriusque extremi. Secundò, quia in opinione P. Hurt. creatio non distinguitur ab entitate Angeli, & animæ, nec materiæ primæ & tamen hæc omnia faciunt veram compositionem cum formis, potentiis, & actibus vitalibus &c. ergo creatio facit veram compositionem, vtpote cum iis identificata.

Hæc ratio non tenet, creatio enim facit veram compositionem physicam.

SECTIO VII.

Vera ratio cur creatura nequeat creare.

Alia ergo ratio sic efformari posse videtur: non potest actio aliqua habere perfectiorem modum essendi, quàm principium adæquatum & totale à quo profluit, hîc autem id contingeret, nam creatio peteret ex naturâ suâ esse independens ab alio tanquam à subiecto, principium autem adæquatum in se includit aliquid dependens à subiecto, nam substantia vt connaturaliter operetur, debet esse subsistens, cùm *actiones sint suppositorum*. item habere debet vbicationem aliquam & durationem; hæc autem connaturaliter petunt educi ex potentiâ sui subiecti. Cùm ergo principium adæquatum, nempe Angelus subsistens, Angelus vbicatus, aut durans includat in se aliquid generatum, actio quæ procedit ab hoc principio, non debet habere perfectiorem modum existendi quàm principium ipsum, sicque nec debet esse creatio. I.

Actio non potest habere perfectiorem modum essendi, quàm principium eius adæquatum.

Et si quis dicat Actionem procedere efficienter à sola substantia Angeli, non à subsistentia, vbicatione, aut duratione. Hoc non obstat, nam saltem substantia illa, vt operetur, requirit connaturaliter vt habeat subsistentiam, vbicationem, & durationem eductas ex illius potentia & consequenter vt principium completum inuoluit in se connaturaliter aliquid generatum, actio autem connaturaliter refert quoad modum existendi principium à quo profluit. Confirmatur in istis quoad modum existendi posset quis dicere, idem contingere, ac in conclusione respectu præmissarum, nempe, sequi debiliorem partem? & consequenter si in principio adæquato reperiatur aliquid eductum seu generatum, actio à principio illo procedens debet esse educta seu generata. II.

Principium includit aliquid generatum, ergo actio inde profluens non potest esse creata, vel creatio.

Alia etiam ratio, saltem à posteriori, mihi formari posse videtur, licèt à priori fortè difficile sit claram assignare. Ratio ergo est: videtur siquidem spectare ad dignitatem Dei, vt aliquæ sint actiones & effectus, vel aliqua series operationum, quæ ipsi soli iure competant, saltem connaturaliter: videmus enim res per se loquendo, quò perfectiores sunt eò habere perfectiorem aliquam operationum seriem sibi correspondentem: sic viuentia habent operationem vitalem, animalia sensitiuam, rationalia intellectualem, ergo ens omnium perfectissimum videtur debere habere aliquam seriem sibi peculiarem, alia autem non apparet, quæ assignari possit commodiùs, quàm creatio, ergo licet à priori assignari manifesta ratio non possit, adhuc dicendum ob hanc congruitatem, non posse actionem creatiuam naturaliter competere creaturæ. III.

Præcipua ratio cur creatura nequeat creare, deducta à posteriori.

Decet Deum, vt sit series actionum ipsi peculiaris.

Quòd verò hæc actio ex omnibus videatur ad hoc aptissima inde probabiliter suadetur, quòd creatio sit quoad modum actio perfectissima, nam arguit IV.

Creatio ad hoc munus aptissima ob independentiam.

guit modum operandi omninò independentem, ſicut autem dependentia quæ eſt maior arguit per ſe loquendo, maiorem imperfectionem, ita è contrà independentia ex genere ſuo arguit perfectionem: vnde licèt alias actiones habeant creaturæ communes cum Deo, vt operationes vitales, intellectuales &c. congruum tamen eſt vt aliqua ſit Deo peculiaris, nempe creatio, quippe quæ dignitatem quandam præſefert, & excellentiam.

V. *Opinio negans creaturam posse creare nititur maximè auctoritate Patrum.*

Præcipua verò huius rei probatio deſumitur ex auctoritate ſanctorum Patrum, qui omnes vno ore negant poſſe alteri, quàm Deo actionem creatiuam competere: & inde probant contra Arium Christum eſſe Deum, quia habet virtutem creandi. Impotentiam verò hanc creandi refundunt in limitationem creaturæ. Sic enim, vt alios omittam, loquitur S. Athanaſius contra Arrianos: *administrare, inquit, creaturarum, & ſeruorum eſt, condere autem, & creare ſolius Dei*; quod tamen dici cum veritate non poſſet, ſi eſſet poſſibilis creatura, cui virtus creandi inſtar cauſæ principalis communicari poſſet; ſic enim creare non eſſet ſolius Dei.

SECTIO VIII.

Quæ res poßint creari.

I. *Angeli, anima rat. & materia possunt creari.*

DIco primò: Angeli, anima rationalis, corpora ſimplicia, & materia prima connaturaliter creantur, imò ita per creationem petunt produci, vt educi ex ſubiecto nequeant, vel diuinitùs, vt oſtendi ſuprà ſ. 5. n. 4. & 5.

II. *Formæ substantiales, & accidentales absolutæ possunt creari.*

Dico ſecundò: formæ aliæ ſubſtantiales, imò & accidentales abſolutæ, ſiue materiales ſint, vt calor, albedo, lux, frigus; ſiue ſpirituales, vt gratia, lumen gloriæ, & habitus tum in intellectu, tum voluntate, licèt connaturaliter educantur, poſſunt tamen diuinitùs produci per creationem. Hoc à paritate rationis probatur in ſpeciebus Euchariſticis: ſi enim illæ, accidentales cùm ſint, & materiales, conſeruari poſſint per actionem creatiuam, quidni eodem modo conſeruari poterunt formæ materiales ſubſtantiales & accidentales ſpirituales.

III. *Plerique Modi possunt creari.*

Dico tertiò: modi omnes (iis exceptis in quibus eſt ſpecialis repugnantia, de quibus hîc aliquid ſubijciam) creari poſſunt, vt oſtendi ſuprà d. 13. ſ. 3. nec quidquam hîc addendum occurrit.

IV. *Eductio nequit creari, nec creatio educi.*

Dico quartò: actio eductiua produci per creationē non poteſt, ſicut nec creatio educi. Ratio videtur clara: actio enim eductiua eſt eſſentialis dependentia à ſubiecto, ergo produci nequit per creationem, quæ terminum ſuum reddit independentem à ſubiecto. Et eodem modo è contrario probatur creationem, quæ eſt independentia à ſubiecto, non poſſe ex eo educi: ſic enim eſſet independentia dependens quod perinde ſonat, ac ſiquis diceret, indiſtantia diſtans, præſentia abſens, coniunctio ſeparata, & alia huiuſmodi.

V. *Creatio per aliā creationem produci nequit.*

Dico quintò: nec creatio per aliam creationem produci poteſt, nec eductio per aliam eductionem educi. Probatur, quod enim eſt per ſe & eſſentialiter tale, non poteſt illud habere per aliquid à ſe diſtinctum, ſicut ſecundùm omnes albedo non poteſt reddi alba per albedinem à ſe diſtinctam, nec calor ſimiliter calidus.

VI. *Difficultas ex vnionibus continuatiuis quantitatis.*

Dices; vniones continuatiuæ partium quantitatis, aut albedinis, licèt ſint modi, & per ſe immediatè afficiant partes illorum accidentium, per inhærentiam tamen, & vnionem à ſe diſtinctam inſunt materiæ tanquam ſubiecto, vt ſuprà dixi d. 13. ſ. 1. n. 10. Sicut ergo vnio aliqua poteſt per aliam vnionem vniri, quidni & actio poterit per aliam actionem produci? Sed contrà hoc enim nimium probat; probat ſiquidem poſſe creationem etiam naturaliter per aliam actionem produci, cùm vniones illæ continuatiuæ quantitatis, & albedinis naturaliter vniantur materiæ tanquam ſubiecto.

VII. *Vniones illæ continuatiuæ habent duplex munus.*

Reſp. itaque. vniones illas continuatiuas habere duplex munus; vnum eſt vt partes illas extenſionis inter ſe vniant & continuent & ſecundùm hanc rationem immediatè illas afficiunt, & connectunt, ſuntque reſpectu illarum modi, nec per aliam vnionem continuationis poſſunt iis vniri, etiam diuinitùs, vt omnes fatentur. Aliud munus harum vnionū continuationis eſt, vt informent materiam, & ſimul cum partibus quantitatis, & albedinis reddant illam quantam, & albam: ſub hac autem ratione non ſunt modi, ſiquidem nil mirum ſit per vnionem diſtinctam illi connectantur. Hæ ergo vniones continuatiuæ non ſunt purè modi, ſed duas in ſe complectuntur formalitates, modi alteram, alteram rei abſolutæ, ſicque ſunt entitates mixtæ.

Vniones illæ continuatiuæ non sunt puri modi.

At creatio ſecundùm omnes eſt purus modus, nec aliud in eâ munus aut prædicatum reluceat, quàm vt faciat talem terminū dependentem à tali principio effectiuo, ſine concurſu alicuius cauſæ materialis: nec cum fundamento aliam quis ei formalitatem affinxerit. Vnde non magis poterit vna creatio produci per aliam, quàm res quæ eſt eſſentialiter alba, per aliam albedinem dealbari. Quod tamen nemo concedet: & rationem dicunt omnes eſſe quia quod habet aliquid per eſſentiam, non poteſt illud accipere ab extrinſeco. Idem ergo hîc dicendum de Creatione.

Creatio nō magis creari potest, quàm albedo dealbari.

DISPVTATIO XLII.

De partibus continui.

Continuū meritò vocatur Labyrinthus.

INgredimur labyrinthum, in quem, introitum multi, exitum nemo hactenus inuenit. Quod eò magis mirum, cùm de rebus, quæ ob oculos quotidie verſantur, & ipſis etiam manibus palpamus, futurus ſit ſermo, vt de ligno, aquâ lapide; videmuſque res quaſque minutiſſimas, perſpicaciſſimis etiam ingeniis negotium faceſſere, & viros longè erudiriſſimos ſub vnius pili pondere gemere, ſeque ferendo non eſſe agnoſcere. Imò quò penitiùs rem hanc quis intuetur, eò maioribus, magiſque perplexis implicari ſe nodis, ac nexibus animaduertit. Hîc proinde verè contingit, quod in monſtro illo fabuloſa finxit antiquitas; vno enim, vt ita dicam, præciſo, noua & nona difficultatum capita ſuccreſcunt; ita vt in hâc paleſtrâ labore victi philoſophi etiam præſtantiſſimi animum deſpondeant, ſeque certamini impares agnoſcentes, de victoriâ deſperent. Nondum natus Hercules qui hoc monſtrum domet. Nulla emerſit hactenus mens tam perſpicax, quæ paleæ nobis, aut pili vnius ſtructuram euoluat.

Sub pili vnius pondere gemūt Philosophi.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Denturne partes actu in continuo, an tantùm in potentiâ

I. *Opinio negans partes actu distinctas in continuo.*

ALiqui, vt difficultates euitent, quæ in compositione continui reperiuntur, asserunt in nullo continuo esse partes actu, & realiter distinctas, sed solùm potentiâ, & caput in homine non distingui actu à pedibus, aut vnam manum ab alterâ, nisi præscindantur, & separentur licèt ipso facto, inquiunt, quod partes illas concipiamus iam eas assignemus, & distinguamus: ita Auerroës, Simplicius, Themistius, Albertin. in præd. quan. d. 3. quæst. 6. Fasolus 1. p. qu. 7. ar. 1. d. 7. Tann. 1. p. d. 2. q. 4. d. 2. num. 24. & multi alij docti viri, & de re literariâ optimè meriti.

II. *Hi tamen fortè non differunt à communi sententiâ.*

At sanè existimo hos auctores in re non discrepare à communi sententiâ, & per distinctionem hîc non intelligere aliud, quam diuisionem: dum enim duas assignant identificationes, physicam seu quantitatiuam, & metaphysicam, & hanc secundam solùm aiunt esse rigorosam identificationem, aliam autem secundùm quid tantùm, & cum additio, nempe identificationem continuatiuam, seu quantitatiuam, re ipsa dicunt non esse veram identitatem, sed solùm vnionem, & consequenter tantùm dicunt non esse partes illas actu diuisas, non tamen non esse actu distinctas.

III. *Dantur partes actu distinctæ in cōtinuo.*

Secunda, & vera sententia docet dari in continuo partes actu, & realiter distinctas: ita Greg. in primo d. 24. q. 1. ar. 2. Sua. d. 40. Met. s. 5. Tol. l. 6 Phy. q. 1. conclu. 3. Comm. lib. 6. Phy. c. 2. quæst. 1. ar. 2. & 3. Rub. l. 6. Phy. tract. de continuo. 40. Mursia l. 6. Phy. d. 1. q. 6. Hurt. d. 15. Phy. s. 1. num. 2. Arriaga d. 16. Phy. s. 2. num. 14. Ouiedo contro. 17. Phy. p. 1. num. 2. & alij. Quam etiam sententiam fusè, & eruditè tradit D. Libertus Fromondus opere de Continuo peculiariter scripto.

IV. *Reperiuntur in eis signa omnia distinctionis realis.*

Ratio est, primò, quia omnia signa distinctionis realis inter eas partes reperiuntur, vt realis separabilitas, posse vnam partem perire, altera manente, esse naturaliter simul in diuersis locis, produci distinctis locis, & temporibus, & alia huiusmodi: quæ si non arguant distinctionem realem, quidni negemus Petrum & Paulum distingui realiter? Dices ipso facto quod separentur, distinguuntur. Contrà, separatio supponit distinctionem, nihil enim separari potest à seipso, alioqui quidni animal & rationale in homine à se inuicem separari poterunt? certè non ob aliam rationem, nisi quia identificantur.

V *Si manus identificetur cū brachio, hæc propositio est vera, manus est brachium.*

Secundò, si manus & brachium non distinguuntur realiter in corpore humano, ergo identificantur, ergo potest vnum prædicari realiter de alio, ergo tam potest dici, manus à parte rei est brachium realiter quam animal realiter est rationale, cum ad prædicationem realem non requiratur, nisi realis identitas. Contrarium tamen videmus, verum enim est dicere caput realiter à parte rei non est pes, nec manus brachium, ergo habet negationem brachij, ergo distinguitur à brachio, cùm propterea Petrus distinguatur à Paulo, quòd de eo affirmari possit ipsum non esse Paulum.

VI. *Nisi partes actu distinguantur in continuo, non est actu compositū.*

Tertiò, continuum est actu compositum reale, ergo in eo reperitur actu compositio realis, ergo realis distinctio, cum compositio sit distinctorum vnio, & eo modo distinctorum quo est compositio, si compositio sit rationis, debent esse distincta ratione, si compositio realis distincta realiter. Conf. hinc sequeretur manum aut pedem nunquam esse actu partem hominis, nam non quando sunt separata, vt constat, tunc enim non magis sunt actu partes hominis, quàm materia actu est pars ignis, vel hominis, antequam in eam actu inducatur forma ignis, vel anima rationalis, aut quàm homo est pars exercitus, vel numeri ternarij, nisi quando actu physicè, vel moraliter alijs adiungitur: sed nec hæ partes secundùm hanc sententiam sunt actu partes, quando sunt vnitæ, tunc enim admitterent Aduersarij actu partes in continuo, quas tamen negant: ergo nunquam sunt actu partes.

VII. *Vna pars continui producit subinde aliam.*

Quartò, vna pars continui producit aliam, & est vera causa Physica illius, vt quando magnus ignis producit & vnit sibi aliam partem in materia applicata, ergo illa noua pars acquisita distinguitur realiter ab igne illo, nihil enim potest naturaliter producere seipsum. Dices; Distinguitur metaphysicè, sed non Physicè, & quantitatiuè. Contrà primò, ergo metaphysicè habent diuersas realiter essentias actu, ergo actu dantur partes in continuo realiter metaphysicè distinctæ. Contrà secundò, hæc identitas Physica & quantitatiua nihil est aliud præter vnionem, ergo eodem modo posset quis dicere corpus & animam esse identificata in equo, vel homine, cùm tam verè sint vnita Physicè ac partes continui.

Si vnirī sit identificari, corpus & anima identificantur.

VIII. *Specifica distinctio, si non impediat vnionem, nec impediet distinctionem.*

Dices; corpus & anima non sunt eiusdem rationis. Contrà primò, sunt talis rationis vt possint inter se vniri, si ergo vnio proportionata partibus quantitatis potest illas identificare, quidni etiam vnio proportionata corpori, & animæ illa similiter identificabit? cùm æquè verè illa vniat, atque vniuntur partes quantitatis. Contrà secundò si semel admittatur posse res duas realiter antea distinctas realiter identificari, parum refert siue distinguantur numero, siue specie. Deinde in partibus saltem heterogeneis vrget argumentum, cum hæ partes aliquo modo specie distinguantur, & tamen secundùm hanc sententiam identificantur.

IX. *Negantes partes actu non effugiunt difficultatem continui.*

Quintò, per hunc modum philosophandi non vitant hi Authores difficultatem continui; eâ enim præcipuè de causa sequuntur hanc sententiam vt soluant quo modo quoduis continuum non habeat actu infinitas partes, & consequenter non sit actu infinitum: sed hoc secundum non vitant, fatentur enim palmum quantitatis, & quamuis minimam eius partem esse diuisibilem in infinitum, ergo nunquam exhauriri potest, ergo est actu infinita, id enim iuxta Aristotelem & Philosophos communiter est infinitum quod scilicet nullo finito tempore exhauriri potest, ergo est actu infinita pars illa, cùm actu habeat entitatem, quæ per diuisionem nunquam exhauriri potest: vnde quod inferunt Aduersarij tamquam incommodum, nempe cuspidem acûs secundùm hanc sententiam habere actu infinitas partes; idem vel æquale inconueniens sequitur in illorum sententiâ nam cuspis illa acûs iuxta illos est actu tanta, vt nunquam exhauriri possit, nec tot partes ab eâ separari, quin plures & plures sint separabiles in infinitum.

Difficultas infiniti æquè vrget in sententiâ negante partes actu.

X. *Negantes partes actu in cōtinuo, maximè vrgentur in continuo successiuo.*

Sextò, in cōtinuo saltem successiuo æquè vrgentur quoad infinitum actu, atque alia sententia, nam partes ibi pereunt successiuè, ergo debent concedere actu infinitas partes temporis periisse, nam non potest assignari certus numerus, nunquam enim assignari pars vlla potest, quæ non sit adhue diuisibilis in infinitum, imò quæ non fuerit actu diuisa in infinitas partes, nam omnes partes perierunt successiuè, sed non potest assignari certus numerus earum quæ perierunt successiuè, ergo est numerus sine numero, seu cuius nullus assignari finis potest, ergo infini-

finitas: hic autem non possunt dicere esse solas partes potentiâ, non actu, quia actu omnes fuerunt diuisæ, & successiuè destructæ, ergo etiam iuxta aduersarios erant partes actu.

SECTIO II.

Obiectiones contendentes non dari partes actu in continuo.

I. *Obiicitur Aristoteles dicens in continuo nō esse partes actu, sed potentiâ.*

OBiicies primò Aristotelem variis locis dicentem in continuo non esse partes actu, sed potentiâ, & actu esse vnum, & alia huiusmodi. Ad hoc rectè respondet Suarez solùm velle Aristotelem nō esse illas partes in continuo actu per modum entiū completorum per se, sed vt complentes aliam entitatem. Ad secundum autem quando ait esse vnum, intelligit omnes illas partes esse vnum, non quòd verè sint vnum inter se, & identificatæ, sed vnum compositum; nam caput, manus, pedes, &c. sunt vnus homo, omnes partes ignis sunt vnus ignis, partes aquæ in mari sunt vnum mare, &c.

II. *Quomodo continuum sit vnum actu, potestate plura.*

Vnde res omnis continua est vnum actu, potestate plura, nempe est vnum compositum actu, plura composita potestate, nam vna aliqua aqua est quidem actu vna, potest tamen diuidi in tres partes, & tunc erunt tres aquæ, antea autem non poterat actu dici tres aquæ. Aristoteles verò nunquam ait partes non esse distinctas, nec vtitur hoc vocabulo, vnum autem etiam secundùm Aristotelem non capitur pro identitate, sed idem subinde sonat quod simile, vt quando ait duos parietes esse vnum in albedine, & Petrum ac Paulum vnum vocat in naturâ humanâ.

III. *Obi. si partes sunt actu distinctæ, continuum cōponi ex indiuisibilibus.*

Obiicies secundò: si omnes partes continui sint actu distinctæ, sequi continuum componi ex indiuisibilibus: patet sequela, si omnes partes sunt indistinguibiles, ergo sunt indiuisibiles, quando enim non possunt vlteriùs distingui, nec poterunt vlteriùs diuidi. Resp. negando sequelam, nec enim sequitur Petrus est indistinguibilis à Paulo, ergo est indiuisibilis, solùm enim est ab eo indistinguibilis, quia est actu distinctus: vnde res quæque maxima, vt mons, arbor, domus sunt hoc sensu non minùs indistinguibiles ab aliis rebus, quàm pūctum quoduis minimum, id est, non sunt in potentiâ ad distinctionem, quicquid enim est actu distinctum ab alio est ab eo indistinguibile, nec enim illud est solùm aptum distingui, seu in potentiâ ad distinctionem, quod est actu distinctum.

Non est idē esse indistinguibile ab alio, & esse indiuisibile.

IV. *Nulla sumi potest pars in continuo adæquatè ab omnibus aliis distincta.*

Dices; statuamus ergò vnam partem, quæ distinguatur ab omnibus aliis, vel est diuisibilis vel non: si non, ergo est punctum; si ita, ergo non est distincta ab omnibus aliis. Resp. negando suppositum: nulla enim vna assignari potest pars, quæ adæquatè distinguatur ab omnibus aliis, sed solùm inadæquatè & tanquam includens ab incluso, nulla enim est quæ in se non includat infinitas: & propterea vocantur partes communicantes, vt postea videbimus.

V. *Obi. posse puncta separari à partibus.*

Obiicies tertiò: si actu distinguantur puncta à partibus, ergo possunt omnia separari, ergo tunc omnes partes remanebunt sine vnionibus, ergo erunt indiuisibiles: si enim omnia puncta destruantur, non sunt vllæ partes vnitæ, ergo omnes diuisæ, ergo nulla diuisibilis. Resp. negando primam consequentiam: sicut nec sequitur, vbicatio & actio distinguuntur realiter à re vbicata, & conseruata, ergo omnis actio & vbicatio separari à re illa poterit, sic enim res esset & nullibi esset, & existeret sine actione conseruante, quæ implicant. Eodem ergo modo in hoc casu sequeretur implicantia: essent siquidem partes, & non essent vt supponitur, non essent quia diuidi non possent, quod tamen est de conceptu essentiali partis, vt pars distinguitur à puncto. Potest ergo quoduis punctum separari, sicut & quæuis actio, aut vbicatio non tamen omnia separari simul.

Resp. quoduis punctū separari posse a partibus, non tamen omnia.

VI. *Obi. ex duobus entibus in actu no posse fieri vnum per se.*

Obiicies quartò: *ex duobus entibus in actu fieri nequit vnum per se*, ergo partes in continuo non distinguuntur actu, sed tantum potentiâ. Contrà, si per entia in actu intelligantur solùm entia realiter distincta, certum est ex duobus entibus in actu hoc sensu fieri vnum per se, corpus enim & anima realiter distinguuntur & tamen ex iis fit vnum per se. Resp. ergo ex duobus entibus in actu completo non posse fieri vnum per se, posse tamen ex duobus entibus in actu incompleto, qua ratione sunt complebilia: partes ergo continui, aquæ ex. g. licèt sint completæ essentialiter, integraliter tamen sunt incompletæ, sicque ex illa parte admittunt augmentum. Alia etiam argumenta hic obiici solent, quæ postea in explicatione sententiæ nostræ de Continuo soluentur.

Resp. id verum esse quādo sunt in actu cōpleto, non quando in incompleto.

DISPVTATIO XLIII.

De vnionibus continui.

SECTIO PRIMA.

Vtrum in Continuo dentur vniones distinctæ à partibus.

I. *Prima sententia negat dari vniones distinctas à partibus.*

PRima sententia est quorundam recentiorum, qui negant in Continuo dari vniones vllas distinctas à partibus, sed aiunt partes, positis quibusdam dispositionibus accidentalibus, & indistantia locali, vniri seipsis.

II. *Contrà primò, sequeretur lignum, ferrū &c. esse composita accidentalia.*

Impugnatur hæc sententia primò: aqua, ignis, ferrum, & alia huiusmodi sunt tota, seu composita substantialia, ergo non possunt eorum vniones esse accidentia, sic enim essent composita accidentalia, & nullum ex illis esset vnum per se substantiale.

III. *Non à partibus tātū, sed etiā ab vnione sumitur denominatio totius.*

Respondent, ad hoc vt aqua ex. g. sit vnum per se substantiale, sufficere quod partes illius principales sint substantiæ, ex iis enim, primariæ cum sint, desumitur denominatio totius. Contrà primò, in compositis non desumitur denominatio à partibus tantùm, sed etiam ab vnione, imò ab hac principaliter: Sic enim in homine totum dicitur generatum, licèt nec materia, nec forma generetur, sed sola vnio. Ratio autem est, quia *Bonum ex integrâ caussâ, malum ex quolibet defectu*: cùm ergo esse substantiā sit quid bonum & perfectum respectu esse accidentalis, & quandam præ se ferat dignitatem, vt aliquid sit substantia, debet esse vsquequaque substantia, seu nihil in se continere accidentale.

Bonum ex integrâ, caussâ.

Contrà secundò, ex illa enim solutione sequeretur

Aceruus lapidū esse totum substantiale, cùm partes sint substantia.

tur aceruum lapidum, aut tritici, esse quid substantiale, cùm primariæ illius partes, lapides scilicet, seu grana tritici, sint substantiæ, & sola vnio, seu vbicatio accidentalis. Contrà tertiò, vnio est forma compositi, vt compositum est, si ergo forma compositi sit, accidens, compositum non potest esse substantiale.

V. *Potest Deus materiā, aut quantitatē conseruare sine omni accidente, ergo vnio eorū continuatiua non est accidens.*

Impugnatur illa sententia secundò: potest Deus materiam, aut quantitatem conseruare sine vllo omninò accidente, ergo vnio eorum continuatiua non consistit in aliquo accidente. Consequentia est clara, in illo enim casu partes materiæ, aut quantitatis, adhuc manerent inter se vnitæ, alioqui continuum diuideretur in omnes suas partes. Antecedens itaque probatur primò, potest enim Deus conseruare materiam sine omni formâ substantiali, ergo & sine omni formâ accidentali. Secundò, potest Deus conseruare accidentia sine materiâ seu subiecto, ergo & subiectum seu materiam sine accidentibus, nec vlla disparitas assignabitur, nisi petendo principium. Tertiò, potest Deus secundùm hos auctores conseruare materiam, & quantitatem sine omni vbicatione, ac duratione, ergo à fortiori sine aliis accidentibus, cum secundùm omnes difficilius multò censeatur rem aliquam spoliare omni vbicatione & duratione, quàm calore, frigore, & reliquis accidentibus absolutis.

VI. *Non potest assignari quodnā sit illud accidens quod statuitur pro vnione partium continui.*

Impugnatur tertiò: & inquiro quodnam sit hoc accidens, quod statuunt pro vnione continuatiuâ partium materiæ? si enim accidens hoc sit calor, frigus, aut aliud huiusmodi, sequitur vnionem continuatiuam materiæ, aut quantitatis, singulis fermè momentis, totam mutari, hæc enim accidentia frequentissimè mutātur, his destructis, & aliis in eorum locum succedentibus: si verò esse velint occultam quandam qualitatem, præstat vnionem substantialem agnoscere, quàm ad huiusmodi abstrusa, & omnibus ignota confugere.

VII. *Dices, accidentia nō esse vnionē ipsam, sed tantùm cōditiones.*

Dicent fortasse accidentia illa, seu dispositiones non esse ipsam formalem vnionem continuatiuam, sed solùm esse conditionem essentialem, quâ positâ, partes materiæ & quantitatis vniuntur seipsis. Contrà primò, iam ostendi, separato etiam omni accidente, manere partes materiæ, & quantitatis vnitas. Contrà secundò, ponamus Angelum intuitiuè videre materiam aliquam non videndo vlla accidētia: inquiro vtrum Angelus ille in hoc casu videret partes vnitas, & totam essentiam vnionis earū continuatiuè? Si non, ergo accidentia sunt ipsa formalis vnio, & redeunt argumenta omnia suprà posita: Si videret totam essentiam vnionis continuatiuæ, ponamus, persistente adhuc eâdem visione partium, Deū tollere accidentia, Angelus nullam aduertet mutationem, sed videbit adhuc totam essentiam vnionis earum continuatiuæ, ergo tam sunt vnitæ ablatis accidentibus, ac quando accidentia iis inerant, ergo accidentia & dispositiones ne quidem sunt conditiones essentiales ad vnionem requisitæ.

Variè refellitur hæc responsio.

VIII. *In sententia negāte vniones in cōtinuo sequitur mutua causalitas.*

Impugnatur quartò: materia non est apta vt recipiat formam vllam, vel substantialem, vel accidentalem, donec partes ipsius integrantes inter se vniātur, & sit continua, cùm existere nequeat diuisa in omnes suas partes, ergo pro aliquo priori debet habere vnionem continuationis, quàm recipiat has dispositiones, ergo dispositiones nec sunt vniones ipsæ continuatiuæ, nec conditiones essentiales ad eas prærequisitæ, cùm educantur ex potentiâ materiæ, & in illâ Physicè subiectentur: sic enim daretur mutua inter materiam & has dispositiones causalitas. Conf. dispositiones ipsæ, & vbicationes habent diuersas partes integrantes, & faciunt vnum continuum accidentale, ergo vel ponere debent hi auctores dispositiones dispositionum in infinitum, vel

In dispositionibus ipsis, & vbicationibus, admitti debent vniones.

vniones aliquas agnoscere, partium illarum continuatiuas.

IX. *Inferius dandas necessario vniones in continuo.*

Dicendum itaque, in continuo præter partes, necessariò admittendas esse vniones aliquas continuatiuas, quarum munus sit has partes inter se connectere, & vnà cum illis compositum integrale constituere. Hæc conclusio probata sufficienter est impugnatione prioris sententiæ. Cuiusmodi verò sint hæ vniones constabit ex sectione sequenti.

SECTIO II.

Vtrum in continuo sint vera indiuisibilia.

I. *Diuisibilitati triplici triplex correspondet indiuisibilitas.*

NOtandum sicut diuisibilitas est triplex, ita indiuisibilitatem illi respondentem esse similiter triplicem: alia est ergo diuisibilitas secundùm trinam dimensionem, seu longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & indiuisibilitas huic correspondens, est *superficies*: alia est diuisibilitas secundùm latitudinem tantùm, quæ est ipsa superficies, & indiuisibilitas huic correspondens est *linea*: tertia demum est diuisibilitas omnium minima, seu secundùm longitudinem tantùm, quæ est linea, & huic correspondet indiuisibilitas omnium maxima, nempe *punctum*, quod vocatur indiuisibile simpliciter. *Superficies* est indiuisibilis versus vnam dimensionem, nempe profunditatem, sed diuisibilis quoad longitudinem & latitudinem: *linea* est indiuisibilis versus latitudinem & profunditatem, sed diuisibilis versus longitudinem: *punctum* verò versus omnem dimensionem est indiuisibile.

Punctū est indiuisibile simpliciter, linea, & superficies secundum quid.

II. *Prima sententia omnino negat indiuisibilia in continuo.*

Prima sententia indiuisibilia omnia tollit è continuo, & illa, quæ communiter indiuisibilia esse dicuntur, nihil aliud esse affirmat, quàm negationes diuisionis: ita Okam trac. de Sacram. Euchar. cap. 1. & 2. Greg. in 2. d. 2. q. 2. a. 1. Durand. in 2. d. 4. & alij nonnulli.

III. *Secunda ait solùm esse indiuisibilia in potentiâ.*

Secunda sententia est eorum, quos disp. præced. s. 1. n. 1. retuli qui sicut partes actu distinctas negant in continuo, ita similiter negant in eo dari indiuisibilia actu, sed solùm in potentiâ. Quæ sententia iisdem argumentis impugnatur hic quoad indiuisibilia, quibus ibi impugnata est quoad partes.

IV. *Tertia, & vera sententia docet esse actu indiuisibilia in continuo.*

Tertia demum, & vera sententia affirmat dari in continuo vera, & realia indiuisibilia à partibus actu, & realiter distincta: ita S. Thomas Opusc. 36. c. 2. & quodl. 7. c. 9. ad 2. & q. 28. de veritate a. 2 ad 10. Alensis l. 3. Met. c. 5. Scotus in 2. d. 2. q. 3. & d. 2. q. 4. Sotus in Præd. quant. Caiet. 3. p. q. 4. a. 2. Fonseca 5. Met. c. 13. Sua. d. 40. Met. s. 5. n. 13 Conimb. l. 6. Phy. c. 2. q. 1. a. 2. Rubius l. 6. Phy. tract. de continuo n. 14. & 15. Murcia l. 6. d. 1. q. 5. Hurtad. d. 15. Phy. sect. 2. Ouiedo cont. 17. Phy. p. 1. n. 4. & 5. estque cōmunis inter recentiores opinio Non tamen eodem omnes modo hac in re procedunt: Fonseca enim citatus & Abulensis in c. 1 t. Exod. q. 4. admittunt puncta terminatiua, & negant continuatiua. Alij è contrà pūcta continuatiua admittunt, negant terminatiua.

Alij puncta terminatiua admittunt, negāt continuatiua, alij è contrà.

V. *Dari indiuisibilia in continuo probatur argumēto de sphærico, & plano.*

Dari ergo in continuo vera & realia indiuisibilia probatur primò, argumento illo de sphærico & plano. Si ergo perfectè sphæricum ponatur permanenter suprà perfectè planum, solum tāgit illud in puncto, si enim tangat secundùm plus quàm punctum, ergo non est perfectè sphæricum, cùm adhuc possit tangere in minore parte, & consequenter tunc esset magis rotundum quàm modo, ergo iam nō est perfectè rotundum. Confirmatur, quia tangit planum secundùm plus quàm punctum, ergo tangit plus quàm punctum in plano, ergo secundùm aliquid adæquatur plano, ergo habet planitiem, & non est secundùm totum perfectè curuum, & rotundum.

Negant

VI. *Gratis negatur dari posse perfectè sphæricum.* Negant aliqui posse dari globum perfectè sphæricum. Sed contrà, negare hoc diuinæ potentiæ est durissimum, & merè gratis dicitur ad vitandam vim argumenti.

VII. *Alij dicunt numquam posse sphæricum tangere planum immediatè.* Alij ergo cum Albertino suprà citato, vt vim etiam argumenti declinent, dicunt nunquam posse sphæricum tangere planum immediatè, ita vt, si ingens aliquis lapis perfectè sphæricus caderet summo impetu ab ipsa sphæra lunæ super planũ in terrâ positum, affectant tamen ad illud nunquam peruenturum, seu tacturum illud immediatè, sed semper interponi minimam aliquam particulam aëris, & sic nõ est, mirum, inquiunt, quòd nõ tangat planum illud in puncto, cùm non omninò tangat. *Contrà globus ille cadens findit ultimas partes aëris, ergo & plano proximas.* Hæc solutio per se videtur incredibilis; cùm enim aër secundùm omnes suas partes sit liquidus, quidni cedent æquè vltimæ partes, ac primæ? Deinde si potuit lapis ille vincere omnes alias partes intermedias, quidni etiam illas? præterea, si caderet magna vi imprimeret vestigium sui, & partes plani illi respondentes subsiderent, ergo in illo casu tangerentur.

VIII. *Quare ensis subinde crus scindat, non scisso tibiali.* Dices; sicut ensis subinde scindit crus, integro adhuc tibiali, ita & lapis imprimet signum illud, licet aër intermediet: sicut etiam idem signum imprimeret sphæricum, licet panno aliquo tegeretur planũ. Sed contrà, id enim de ense est aliquid peculiare, nam ensis non potest tibiale illud scindere, cùm cedat, ex eo quòd caro seu molle quiddam supponatur: sed quod aër ille non cedat, videtur gratis omninò dictum, eodem enim modo dici posset, cũ cuiquam caput præscinditur, vel corpus sagitta trãsfigitur, non fieri immediatè à gladio vel sagitta, sed ab aëre interposito.

IX. *Alia ratio per aliqui negant posse dari perfectè sphæricum.* Patri etiam Hurtad. d.15.s.2.n.26. nõ placet prædictum argumentum, sed alio ex capite: nam inquit sphæricum illud potest rotari super planum, & illud semper tangit, ergo semper in puncto, ergo nihil tãget, vel tãgetur in hoc vel illo, nisi puncta, ergo nihil est in iis præter puncta, ergo componitur vtrumque ex solis indiuisibilibus. Aliqui negãt posse sphæricum illud omninò rotari super planum. At hoc nõ est necessarium ad solutionem Argumenti. Dico ergo, successiuè posse aliquid indiuisibile correspõdere diuisibili, hoc enim nihil aliud est, quam quòd possit per omnes illius partes paulatim transire, & illis successiuè correspondere, ad hoc autem non requiritur, vt vlli illarum commẽsuretur, vel illi in magnitudine sit æquale. *Potest sphæricum rotari supra planũ, & indiuisibile successiuè correspondere diuisibili.*

X. Nec videtur negari posse indiuisibile frequenter successiuè correspondere parti diuisibili; nam quando duo corpora plana, vt duæ tabulę, vel ambæ manus se inuicem tangunt permanenter, pars correspondet parti, & punctum puncto: quando ergo dũ adhuc se tangunt mouentur diuersa via manus illæ, vel tabulæ, puncta, quæ prius correspõdebant punctis, iam successiuè necessariò correspondent partibus, quæ in compositione continui punctis localiter succedunt. *Indiuisib. frequenter successiuè correspõdet diuisibili.*

XI. *Alio modo probatur dari indiuisibilia in continuo.* Secundò probatur dari indiuisibilia in continuo: materia prima est vnum per se, & non aggregatum per accidens, ergo inter partes illius debet intercedere vnio, sed hæc, quã parte est vnio, debet esse indiuisibilis, ergo. Probatur minor, si vnio hæc sit diuisibilis, ergo habet partes, ergo illæ debent vniri, nam si vnio ipsa sit aggregatum tãtùm per accidẽs, compositum ipsum non potest esse vnum per se. De hac ergo vnione quæro an sit indiuisibilis? si cõ; vel procedendum erit in infinitum in vnionibus vnionum, vel tandem sistendum in aliquo indiuisibili.

XII. *A quo producantur indiuisibilia in continuo.* Quæres à quo producantur hæc indiuisibilia? Resp. indiuisibilia omnia, præter indiuisibilia materiæ primæ posse vel produci ab eo qui producit partes, vt in qualitatibus, vel etiam ab ipsis partibus: indiuisibilia autem materię videntur debere produci à solo Deo, cùm enim nõ possint propriè habere subiectum, dici debẽt creari, ac proinde à solo Deo existentiam suam accipere,

XIII. *Dari potest punctũ per se solũ existens, & separatum à partibus.* Quæres secundò, an dari possit indiuisibile, seu punctum aliquod separatum à partibus? Resp. si sit semel vnio partium, non potest: sicut autem dantur iuxta probabilem sententiam nõ solùm puncta cõtinuatiua seu connectentia duas partes inter se, sed etiam terminatiua, quæ respiciunt vnam tãtùm partem, ita quidni dari poterit punctum aliquod absolutum ab omni parte, & quod nullum omninò respiciat, qualia plurima ait P. Suar. esse in continuo permanente, & in successiuo omnes vident esse huiusmodi, cùm existant puncta quando partes non existunt, ac proinde tempus, motus & omne successiuum non est ita propriè, & in rigore continuum, cum nunquam existat vnio quando existunt partes, nec è contrà.

XIV. *Vbicatio Angeli existentis in puncto est punctum.* Probatur vlterius: Angelus iuxta communem sententiam potest pro libito existere in solo pũcto, ergo tunc habet vbicationem sibi correspondẽtem, nempe indiuisibilem, ergo nullas habet partes vbicatio illa, ergo est solùm vnicum punctum, & cõsequenter existit punctum sine vllis partibus.

XV. *Pũcta quædam sunt determinata, quædam indeterminata.* Sicut autem sunt aliquæ partes determinatæ, aliæ proportionales & indeterminatæ, ita & sunt pũcta quædam determinata correspondentia partibus determinatis, & alia indeterminata, & proportionalia correspondentia partibus proportionalibus, & indeterminatis. Sed de his iterum recurret sermo in sequentibus.

DISPVTATIO XLIV.

Proponitur sententia Zenonis.

SECTIO PRIMA.

An continuum componatur ex solis indiuisibilibus.

I. *Sententia cõtinuum componens ex solis indiuisibilibus.* Zeno, quem Stoici hac in parte sequebantur, continuum omne dicebat ex indiuisibilibus, seu punctis mathematicis componi. Idem affirmabat Pythagoras, Democritus, Leucippus, & alij. Quam etiam sententiam amplectitur P. Hence s.p.t.4.d.43.c.2.nn.6. & in eam valde propendere videtur P. Arriaga hic disp.16. & non pauci sentent ex recentioribus.

II. *Duobus modis defenditur hæc opinio.* Hæc opinio non eodem modo à suis auctoribus defenditur: alij enim continuum componi dicunt ex indiuisibilibus, seu punctis Mathematicis infinitis: hi autem in omnes fermè difficultates, quæ in opinione Aristotelis reperiuntur, incurrunt, & nouas superaddunt: Alij (estque communior eam defendendi modus) ex indiuisibilibus solummodo finitis.

III. Sed contra hanc sententiam de indiuisibilibus

Prima impugnatio sententiæ componentis continuum ex indiuisibilibus.

vniuersim est primò: nam secundùm eam linea cōponitur ex solis indiuisibilibus iuxta se positis, ita vt non penetrentur puncta illa inter se, ponamus ergo lineam confici ex talibus duobus punctis. Potest Deus ducere aliam lineam transuersam rectè per medium illius lineæ, & eam secare, linea ergo illa transuersa non potest transire per aliquod interuallum inter vtrumque punctum relictum, nam supponimus nullum esse huiusmodi, sed puncta illa esse sibi immediata, ergo debet transire vel per vtrumque illud punctum, & cum iis adæquatè penetrari, & sic non erit linea, quia habebit latitudinem, vel penetrabitur cum vtroque puncto inadæquatè, ergo illa puncta non sunt strictè puncta, sed habent aliquid, & aliquid, nam aliquid puncti A penetratur cum illa linea, & aliquid etiam puncti B, aliquid verò etiam vtriusque non penetratur: & idem est de ipsa linea transuersa, quæ secundùm punctum sui penetratur inadæquatè cum vtroque puncto lineę, quam secat, ergo aliquid illius est in vno pūcto, & aliquid in altero.

Sequitur hæc puncta nō esse mathematica, sed inflata.

IV. Dices, implicare vt ducatur huiusmodi linea. Sed contrà, durum dictu videtur nō posse Deum ducere lineam rectam per medium cuiuscunque rei: nec assignari potest ratio huius implicantiæ, nisi petatur principium, & dicatur non posse fieri quia sequitur hæc implicantia, sed ob hoc potiùs videtur non sequenda hæc sententia, ex qua sequitur talis difficultas. Deinde non videtur cur nō possit Deus ducere lineam transuersam saltem vsque ad illa puncta ex vtraque parte illius lineæ, tūc autem videtur æqualiter penè vrgere difficultas, cum possit perspici cui rei correspondeant illæ partes lineæ, & sic recurret idem Argumentum.

Negat aliqui posse duci hanc lineā trāsuersā. Sed petunt principium.

V. Secundò, ponamus quatuor puncta collocari in quadro, & ex iis constitui continuum quadratum, vt in sentētia Zenonis poni debet in omni continuo. Quæro quomodo hæc quatuor puncta se tangant: tangere enim se omnino debent in hac sententia vt cōstituant perfectum quadrum: ponamus ergo pūctum Orientale seu A, & Occidentale seu B se tāgere immediatè, & constituere lineam diametralem; duo alia puncta, meridionale scilicet, & septentrionale tangunt se, seu sunt sibi immediata, vel non? negari nō potest ea se tangere, alioqui nō constituerēt quadrum, sed illa altera linea diametralis constaret ex tribus punctis, sicque esset longior illa, quæ constituitur ex pūcto Orientali & Occidentali: sed nō possunt se tāgere, nam tunc deberent penetrari cum aliis punctis, quod negant hi auctores fieri posse, & si fieret non constituerent quadrum: vel debent tādem penetrari illa puncta inadæquatè, & sic redit prius argumentum. Fatentur hoc argumentum solui non posse: dicunt tamen latere eos aliquod principium, quod vbi cognouerint, argumentum se soluturos pollicentur.

Secundò impugnatur ex quatuor punctis continuis ad constituendum quadrum.

Zenonistæ argumenti huius solutionem pollicentur.

VI. Tertiò euidenter demonstrant Mathematici, quando duo circuli ita constituuntur, vt vnus collocetur intra aliū, nō posse illos esse æquales, sed circulum includentem, necessariò esse maiorem incluso, ergo ex pluribus punctis circulus maior, seu exterior conficitur, quàm minor & interior. Tum sic, ponamus circulum maiorem cōstare determinatè 30. punctis, & minorem 15. sequeretur in sententia Zenonis hos duos circulos esse æquales, & tot contineri puncta in minore circulo, quot in maiore. Quod sic ostendo: potest à quouis puncto circuli duci linea recta ad centrum, ita vt nullæ duæ lineæ coëant, antequam perueniant ad centrum, si enim coalescerent ante centrum, non essent rectæ, sed aliquantulum incuruæ: quod clariùs constat, si ducantur lineæ à centro ad circumferentiam, quò enim longiùs recedunt à centro, eo magis à se distant, ergo non possunt coalescere in circulo minori; sed nulla ex his lineis est, quæ non transeat per circulum minorem, ergo singulæ lineæ penetrantur cum vno puncto illius, sed nullæ duæ lineæ penetrantur cum eodem puncto circuli minoris, sic enim coirent antequam peruenirent ad centrum, ergo singulæ lineæ penetrantur cum singulis punctis, ergo si ducantur 20. vel etiam 30. lineæ à maiori circulo, penetrabuntur cum totidem punctis in minori, ergo erant hi duo circuli æquales, & ex tot punctis constabat minor circulus quot maior.

Ex sententia Zenonis sequuntur duos circulos, quorum vnus intra aliū includitur, esse in magnitudine æquales.

Dices; hoc argumentum eandem habere vim contra sententiam Aristotelis. At licèt negari non possit habere etiam aliquam difficultatem in eâ sententiâ non tamen habet tantam, atque in hac: quocunque enim determinato puncto assignato in maiori circulo, correspondet ei aliud determinatum in minori, sed semper maior pars circuli intercipitur inter duo puncta determinata in maiori circulo, quā in minori, idque cum proportione dupli, tripli &c. iuxta proportionem illam qua maior circulus excedit minorem. Si verò sermo sit de punctis indeterminatis, seu quæ correspondent partibus proportionalibus, maior est difficultas: in iis ergo si formetur argumentum, primò negari debet suppositum, nempe posse fieri correspondentiam aliquam peculiarē inter puncta partium proportionalium: cùm enim partes proportionales simpliciter non sint partes, sed solùm secundùm quid (nam secundùm quid tātùm distinguuntur) non possunt propriè dici plures vel pauciores. VII.

Hæc obiectio de duobus circulis vnum intra se includentibus non tātam difficultatem habet in opinione Aristotelis.

Secundò dici posset vnicuique parti proportionali in maiori circulo correspondere etiam partem proportionalem in minori, sed semper est minor pars parte illa in maiori circulo: in punctis autem indeterminatis non videtur fieri posse comparatio secundùm peculiarem aliquam correspondentiam, vt iam diximus, sicut nec etiam propriè de partibus, cum partes proportionales sint solùm affectiones determinatarum. VIII.

Cōparatio partiū proportionalium vtriusque circuli.

Quartò, impugnatur hęc sententia alia demonstratione Mathematica, quæ nō ita vrget sententiam Aristotelis de partibus & pūctis. Demonstrant Mathematici lineas omnes ductas ab vnâ costâ pyramidis ad aliam debere esse in longitudine minores basi: ponamus ergo basim habere sex puncta, & singulas costas duodecim: potest à singulis punctis vnius costæ duci linea transuersa ad singula puncta costæ alterius: ducatur ergo vndecim lineæ (nam coëunt duæ costæ & iunguntur in puncto 12.) prima ergo linea, quæ est vicinior cuspidi pyramidis habet ad minimum duo pūcta, alioqui non est linea: secunda habet tria puncta, cùm in aliquo excedere debeat primam, sed non in aliquo minore eam excedit, quàm in vno puncto, cùm nihil puncto sit minus, ergo: Deinde tertia linea habebit quatuor puncta: quarta quinque: quinta sex, & sic deinceps, ergo 11 habebit 12. cum excedere debeat omnes superiores, sed basis vt supponimus, tantum habet sex puncta, ergo lineæ superiores sunt multo longiores basi, cum tamen vel ad oculum cōstet contrarium, & est per se manifestum. Hoc argumento

Impugnatur sententia Zenonis argumento pyramidis, in quo sequeretur lineas superiores esse longiores basi.

gumento præmuntur Zenonistæ: in Aristotelis verò sententia non videtur media ex parte habere tantam vim.



X. Quintò, demonstrant Mathematici lineam diametralem quadranguli, quæ transuersa ducitur ab vno angulo ad alium, debere esse longiorem lineis costalibus, sed in sententia Zenonis sequeretur eas esse æquales, ergo. Probatur minor: ponamus singulas costas habere 8. puncta, & lineam diametralem duodecim, ducatur linea à singulis punctis vnius costæ ad singula puncta alterius, hæ omnes lineæ ita transibunt per lineam diametralem, vt penetrentur cum singulis punctis illius, nam si relinquant aliquod punctum cum quo non penetrantur, ergo inter singulas lineas relinquitur punctum, ergo linea diametralis est duplo lōgior vlla ea costis, quod tamen est apertè falsum, ergo nullum est punctum in diametro cui non respondeat alterum in costa, ergo costa est æquè longa, ac diameter.

In sententiâ Zenonis sequitur lineam diametralem quadranguli transuersam non esse longiorē costa.

XI. Hæc difficultas non ita viget in sententia Aristotelis: nam in ea dicunt illius auctores, à singulis quidem pūctis determinatis vnius costæ duci posse lineam ad punctum determinatum alterius, & transire per singula etiam puncta diametri, sed relinqui semper asserunt maiorem partem inter puncta, quæ lineæ illæ pertranseunt in diametro, quàm in costis, & sic constat lineam diametralem esse semper maiorem costalibus. Quoad partes autem proportionales, sicut non sunt propriè partes, cùm nō propriè distinguantur, sed solùm secundùm quid, ita nō est propria inter eas correspondentia: semper tamen parti proportionali in costa correspōdet alia in diametro, sed maior: nunquam tamen successiuè capi possunt omnes partes, nec in costa, nec in diametro. Vnde frustra se solantur Zenonistæ habere se in hac difficultate socios Aristotelicos, licèt magnopere premi se vi argumenti fateantur.

Difficultas de lineâ diametrali transuersa non ita viget in sententiâ Aristotelis.

SECTIO II.

Impugnatur sententia Zenonis ex velocitate & tarditate motus.

I. SExtum argumentum est de motu: ex hac enim sententia sequitur testitudinem æquè celeriter moueri, atque equum summo impetu currentem: ponamus enim vtrumq; insumere in motu quadrantem horæ, vel centum instantia: equus vno instante temporis non acquirit nisi vnum punctum spatij, alioqui esset in duobus locis adæquatis simul, quod clariùs cernitur si comparemus singula puncta equi cum singulis punctis spatij; singula enim puncta equi essent in duobus locis adæquatis, & vnūquodque punctum equi esset in extensione æquè latum, ac duo puncta spatij, quod de eodem instante dici nullo modo potest: sed testudo illo ipso instante acquirit punctum spatij, nam aliquid acquirit, sed nō minus quàm indiuisibile, seu punctum, cùm minus dari nequeat, ergo acquirit punctum, ergo in centum instantibus temporis, acquirit testudo centum puncta spatij, ergo tam celeriter mouetur atque equus, eodem enim tempore tantum spatij percurrit, quantum ille, quod tamen est manifestè falsum, vt constat.

In sententiâ Zenonis sequitur testudinem æquè velociter incedere, ac equum, summo impetu currentem.

II. In sententia autem Aristotelis hoc non ita viget, cùm non fiat motus in instante, sed in parte temporis singulis autem partibus temporis conficit equus decuplo velociorem motum quàm testudo, & decuplo plus spatij acquirit in omni parte determinata temporis: quod in alia sententia dici nequit, cùm in instante acquiri nequeat nisi vnum punctum spatij, vt dictum est. Vnde Pater Gregorius à Sancto Vincentio in eruditissimo suo opere de *Quadratura Circuli* libr. 2. qui est *de Progressionibus Geometricis*, post Propositionem 87. (vbi in scholiis multa hac de re subtiliter disputat) non solùm asserit Achillem cursu assecuturum aliquando testudinem, sed punctum ipsum, in quo eam assequetur, designat, seriùs tamen aut citiùs pro excessu in velocitate motûs, & diuersa proportione dupla, quadrupla, &c. At in sententia Zenonis omnia ex solis indiuisibilibus componentis hic eius discursus, & calculatio locum omninò nō habet, cùm in hac opinione, nulla dari queat in cursu inæqualitas, aut diuersitas velocitatis in motu, sic enim, vt proximè declaraui, sequeretur Achillem, vel equum eodem planè instante temporis, esse simul multiplicatum in pluribus locis adæquatis, quod fieri naturaliter nō potest, vt ostendi Disp. 35. Phys. sec. prima. Hoc multo clariùs constabit, si ponamus existere à parte rei separata duo indiuisibilia, auri vnum, alterum argenti, & duos Angelos (quos in puncto existere posse docent passim Philosophi) esse iis intimè præsentes, Angelum A indiuisibili auri, Angelum B argenti. Si ergo illo instante, quo Angelus B lentissimè, & gradu, vt ita dicam, testudineo mouet granum illud, seu indiuisibile argenti, Angelus A multò celeriùs moueat indiuisibile auri, eodem instante, quo argentum mouetur ab F ex. gr. in G. & occupat punctum spatij sibi proximum, aurum in puncto A priùs existens, occupare debet quatuor aut quinque puncta spatij, B. C. D. E. F. sicque eodem instāte in iis omnibus simul existet, cùm, vt dixi, in instante nulla sit successio.

Sententia Aristotelis facilius se expedit ab argumento de motu equi, & testudinis.

P. Greg. à Sancto Vincentio de Quadratura circuli.

III. Ad argumentum ergo numero primo positum respondet P. Arriaga disp. 16. Physic. sect. 11. n. 233. ex Galen. l. 1. de dignoscendis pulsibus ca. 1. Vallesio l. 3. cont. Medic. c. 8. & aliis, sistere testudinem per plures morulas, quàm equum, id est, plura esse instantia illius temporis, in quibus non mouetur testudo, quam in quibus non mouetur equus, licet vterque aliquas habeat morulas, & hinc, inquiūt, prouenit maior tarditas, vel velocitas in omni motu.

Dicunt testudinē per plures morulas sistere, quàm equum.

IV. Sed contrà primò, saltem testudo, quandocūque mouetur, æquè celeriter mouetur, ac equus. Contrà secundò, gratis enim statui videntur hæ morulæ. Contrà tertiò, sic enim in omni motu, quantumcūque veloci, essent frequentes pausæ, ac morulæ, cùm alius hoc velocior dari queat.

Saltem testudo, quādo mouetur, æquè celeriter mouetur, ac equus.

V. Contrà quartò, hinc enim vlteriùs apertè sequitur nullum vnquam motum fuisse continuum, ne quidem ad duo instantia. Probatur sequela, nullus hactenus extitit motus, vt dictum est, quo velocior dari nequeat, ergo inter singula puncta motûs interponi debuit saltem instans quietis, alioqui pars illa motûs esset summè velox, & quo nec diuinitus velocior produci posset, ergo singula illa puncta motus fuerunt morulis interrupta.

Sequetur nullū motum fuisse cōtinuum, ne quidem ad duo instantia.

VI. Contrà quintò, sequeretur non testudinem tantùm, sed equum aut aquilam velocissimè se mouētes plus quiescere quàm moueri, & tot morulis interrumpi eorum motum, vt in iis quies seu cessatio à motu appareret. Probatur, motu enim equi, quantumuis citato, dari potest alius centies, aut etiam millies velocior. Imò P. Clauius in ca. 1. sphæræ demonstrat motum cœli esse adeò velocem, vt quoduis punctum æquatoris in conuexo firmamenti velociùs moueatur, quàm lapis aliquis, qui spatio salutationis Angelicæ circuiret septies totam terram. Hic ergo motus centies millies superat motum ce-

Sequeretur aquilam velocissimè volantem multo plus quiescere quàm moueri.

Quies in cursu equi esset centies millies maior motu.

iam velocissimum equi aut aquilæ, ergo secundùm hanc sententiam centies millies sistere magis in suo motu deberent & quiescere, quàm moueri, sicque manifestè appareret eorum quies. Quid ergo hac in parte fiet tandem de testudine?

VII. *Moræ illæ non essent exiguæ, sed magnæ, ergo apertè discernerentur.*

Dicit P. Arriaga morulas hasce esse minutissimas, ideoque sensu non percipi. Contrà motus ille cœli centies millies vt dixi, in velocitate excedit motum lapidis alicuius è turri decidentis, ergo morulæ huius lapidis millies & amplius superare debent morulas cœli, ergo nō sunt minutæ sed maximæ, nec morulæ, sed moræ, & consequenter sensu facilè perceptibiles.

VIII. *Non potest assignari vnde lapidi moliari cadenti prouenirent morula.*

Vlteriùs, ponamus ingentem lapidem de media aëris regione in terram decidere: quæro vtrùm haberet morulas? Respōdent affirmatiuè. Inquiro vnde hæ morulæ proueniant? dicunt ex aëre resistente. Contrà, *Idem in quantum idem, semper est aptum facere idem*, ergo si in primo instanti poterat lapis ille deuincere resistentiam aëris, cui tunc applicabatur, cur in secundo instanti non vincet resistentiam illius etiam aëris, cui tunc applicatur? in secūdo enim instanti habet tantum virium, atque in primo, nec enim cadendo amittit quidquam virium, sed potiùs acquirit, cùm quò vlteriùs fertur, moueatur celeriùs.

IX. *Ponamus duos lapides, alterū paruū, alterū molarē vnà cadere, annihilato aere, tunc nulla erūt morula.*

Deinde, ponamus lapidem aliquem molarem cadere à sphæra lunæ in terram, & omnem aerem intermedium annihilari, ita vt sit vacuum, tunc aër non resisteret, ergo nullæ erunt morulæ, ergo si duo lapides, paruus alter, alter molaris simul caderent, moueretur vterque æquè velociter, quod dici non potest, cùm virtus motiua vnius sit maior virtute motiua alterius, & vterque agat quantum potest: sicut enim si puer aliquis & equus vnà mouerentur in vacuo, seu annihilato aëre currerent super terram summo impetu quo possunt, nullus dicet puerum æquè velociter cursurum, atque equum, cùm equus habeat maiores vires, ita nec in præsenti. Quod autem lapides illi æquè velociter mouerentur, videtur manifestum in illa sententia, nam neuter sisteret, vel ad vnum instans ergò vterque æquali tempore æquale spatium conficeret, imò vlteriùs sequitur motus hos fore omnium velocissimos quos potest Deus efficere, quod tamen planè videtur ab omni ratione alienum. Prædicta solutio magis impugnabitur sectione sequente.


SECTIO III.

Vrgetur vlterius argumentum de velocitate motûs.

I. *Vrgentur Zenonistæ motu circulari rotæ, & orbium cælestium.*

OMnium maximè contra solutionem hanc de morulis vrget instantia illa de motu circulari rotæ. Ponamus ergo magnam aliquam rotam ferream, æream, aut lapideam (idem est de motu cæli circa polos) in hac rotâ singula puncta circuli extimi, seu remotissimi ab axe & centro, decuplo celeriùs mouentur, quàm puncta circuli axi vicini, cùm eodem tempore decuplo maius spatium acquirant: inquiro vnde proueniat tarditas illorum pūctorū? non ex morulis, tunc enim deberent quiescere puncta omnia minoris circuli, motis punctis circuli maioris, hoc autem fieri non potest, sic namque discontinuarentur, & rota frangeretur, quantumcūque sit ferrea, vel ænea, cuius tamen contrarium videtur euidentissimum: vnde enim postea iterum continuarentur in fine motûs? cùm ferrum, æs, aut lapis post deunionem difficillimè iterum cōtinuentur, vt quotidiana docet experientia.

Si in motu rota sint morulæ, rota, quoties mouetur, frangeretur in omnes ferme partes.



II. Clariùs hoc idem per hanc figuram explicatur: designentur ergo tria pūcta in particulari in maiori circulo, A B C sibi immediata, & in minori circulo vnum tantùm, nempe D, quod linea recta perpendiculari correspondeat puncto B: punctum ergo B in superiori circulo longè celeriùs mouetur, quàm punctum D in inferiore, ergo punctum D quiescit ad instans dum mouetur punctum B, ergo relinquit lineam, quæ correspondebat puncto B, & correspondet puncto A, ergo paulò post correspondebit alteri etiam puncto anteriori, quàm sit punctum A, & postea iterum alteri donec tandem veniat vt sit è diametro oppositum puncto B, & planè ex altera parte centri, ergo non solùm discontinuabitur, sed ante finem motûs erit valde distans à correspondentia per lineam rectam ad punctum B: cuius tamen contrarium videtur omninò manifestum. Si enim ducatur linea alba, vel rubra ante motum in rotâ illa, quæ transeat per punctum B & pūctum D, videbitur tam recta in fine motûs, quàm fuit in principio, ergo partes subiecti illius lineæ coloratæ non discontinuabantur, nec sistebant, sistente enim subiecto, debent necessariò sistere accidentia, sicque linea illa in fine motûs esset curua, quod tamen vel ad oculum constat esse falsum.

In opinione de morulis pūcta propè omnia mutabunt situm respectu sui.

III. Imò vlterius sequitur singulis penè momentis omnes circulos in rotâ discontinuatum iri, & consequenter tota rota dissoluetur, siquidem quando vnum punctum circuli minoris sistit, sistunt necessariò omnia, & totus ille circulus, alioqui puncta immediatè sequentia quæ mouentur, dum anteriora quiescunt penetrarentur cum illis, nam accederent ad eorum locum, à quo tamen illa tunc non recederent, sed antea erant proxima illi loco & pūctis, ergo iam erunt intimè cum illis penetrata.

Singulis penè momentis omnes rotæ circuli discontinuarentur.

IV. Hoc argumento pressi aliqui respondent, nunquam quiescere minorem circulum in rotâ, moto maiori, nec etiam sistere testudinem, sed semper acquirere nouum spatium, equum tamen, & circulum maiorem, ac res omnes quò celeriùs mouentur, eò acquirere dicunt *vbi* distantius, non acquirendo propinquius, seu non transeundo per mediū: quò autem res tardiùs mouetur, eò, inquiunt, acquirit *vbi* propinquius. Sed contrà primò, ergo quidquid mouetur semper hoc modo mouetur non trāseundo per medium, cùm nunquam detur motus tam velox, vel tardus, vt nō possit dari alius eo velocior vel tardior. Contrà secundò, negatur communiter actio in distans naturaliter, si autem possit quid producere vbicationem in distante, quidni calorem etiam & frigus? Deinde vix videtur concipi posse quomodo corpus aliquod possit naturaliter ire in remotum nō transeundo per medium. Cōtrà tertiò, nullus iam motus esset continuus, sed omnis discretus, cùm fieret in spatiis discretis, non continuis.

Alij respondent, nec equum, nec testudinem sistere, sed equum in motu non transire per omne spatium intermedium.

Variè refellitur hæc responsio.

V. Cōtrà quartò, dum mouetur circulariter globus aut truncus aliquis rotundus, in instrumento ex. gr. artificis, quo res huiusmodi gyrantur, figatur ex vna parte spatij vicini cuspis aliqua acuta, & circumgyretur semel vi magna globus, cuspis illa exscindet vndique concauum circulum in globo ad magnam etiam profunditatem: ergo nullæ partes illius globi mouentur in distans, non transeundo per medium, sic enim non transirent per spatium illius cuspidis, sed illam euitarent, ergo non exscinderetur circulus ille concauus cōtinuus per totam circumferentiam globi, sed esset hinc inde interruptus.

Experientiâ ostenditur res non moueri in distans, non transeundo per medium.

VI. Alij demum sic respondent, & dicunt non fieri vllam

Tertio hi respondent esse duplex centrum in rota, alterum magnitudinis, alterum motus.

vllam discontinuationem, sed duplex esse centrum, alterum magnitudinis, alterum motûs in rota. & rotam frequenter mutare centrum motûs: sicque aiunt puncta circuli minoris sæpe retrogredi ad loca quæ reliquerant, & hoc modo frequenter eundo, & redeundo tantum, inquiunt, conficiunt spatij, quantum puncta circuli maioris.

VII. *Reiicitur hæc responsio.*

Sed contrà primò, iam enim dicuntur puncta minoris circuli æquè celeriter moueri, ac puncta maioris, quod tamen & ab omnibus negatur, & ipsis sensibus patere videtur esse manifestè falsum. Contrà secundò, esto aliud sit centrum magnitudinis, nempe punctum planè in medio rotæ, aliud centrum motûs, nempe punctum aliud rotæ quod motis cæteris non mouetur, nunquam tamen retrogreditur punctum circuli minoris, nec mutat centrum motûs, nisi simul retrogrediatur punctum illi correspondens in maiori circulo, & mutet etiam centrum motûs, cùm eandem semper cum eo correspondentiam seruet, & æqualiter semper distent: ergo non potest regredi punctum circuli minoris, dū progreditur punctum circuli maioris, nisi fiat discontinuatio: ergo non potest punctum circuli minoris conficere tantum spatium, ac punctum ipsi correspondens in circulo maiori, cùm quotquot anfractus & deflexiones ex priori centro faciat punctum minoris circuli, easdem deflexiones & deuiationes faciat punctum maioris: ergo quantum propter has deuiationes crescit circuitus motûs circuli minoris, crescit etiam circuitus maioris; pari enim quoad hoc, passu procedunt, nec crebriùs redeunt ad suum locum puncta minoris circuli, quàm pūcta maioris ad suum.

Quoties punctum aliquod minoris circuli mutat centrum motûs, mutare etiam centrum debet punctum illi correspondens in maiori.

VIII. *Impugnatur viterius hæc solutio in motu sphærarū cælestium.*

Contra tertiò, supponit hæc solutio debere aliquantum laxè aptari rotam axi, vt tantillum saltem spatij relinquatur, licèt vel vnicum punctum spatij ad hoc dicatur sufficere. Sed contra hoc est, nam superficies concaua vnius Cæli tardiùs mouetur quàm conuexa eiusdem, & tamen ibi nulla est vel minima vacuitas, nec colliduntur inter se cæli, nec se inuicem concutiunt, vt volunt hi auctores rotam semper pulsare axem. Contrà quartò, dicūt omnes duos polos Arcticum scilicet & Antarcticum esse duo puncta omninò immota, quæ nec tantillum loco moueantur: capiamus ergo circulum aliquem 20. palmorum, qui est circa polum Arcticum in primo mobili, & alium circulum in eodem cælo qui longiùs distet à polo, sitque in circumferentia 100. palmorum, quique priorem circulum in se complectatur, & vndique circundet: in hoc casu puncta minoris circuli non mutant centrum motûs, sed semper æqualiter distant à centro suo, nempe à polo, qui semper est centrum motûs, cum numquam loco moueatur.

IX. *Saltē Angelus ita mouere potest rotam, vt non mutet centrum motûs.*

Quintò, saltem potest Angelus ita rotam mouere, vt idem semper sit cētrum magnitudinis, & motûs: sed quicquid sit de hoc, notandum, vt suprà diximus, semper quando mutatur centrum motûs puncti inferioris circuli, mutari etiam centrum motûs puncti illi correspondentis in superiori, quod si notetur, semper in suo vigore persistit difficultas.

X. *Efficaciter impugnatur solutio illa de mutatione centri motus.*

Sextò, ponamus pyramidem ex ferro continuam erigi in magnam altitudinem, ita tamen vt in summitate ad aliquot vlnas sit tenuis (eadem penè est difficultas in arbore, dum summitas mouetur immoto trunco, vel saltem longè magis quàm truncus) summitas illius pyramidis flectetur hinc inde, & agitabitur vento & puncta quò altiora, eò per maius spatium mouebuntur: hîc autem nō potest adhiberi prior solutio, cū non sit motus circularis: sed planè in sua vi perstat argumentum suprà positum: vt consideranti patebit.

XI. *Peripatetici se ab hac difficultate multo faciliùs expediunt.*

In sententia autem Aristotelis non ita vrget argumentum de motu; propterea enim velociùs currit equus quàm testudo, quod æquali spatio temporis producat vehementiorem motum, & longius spatium percurrat, quàm testudo; ita vt si testudo producat motum vt vnum, vel centesimam partem primi gradus, equus producat motum vt sex, & cōsequenter feratur eodem tempore per spatium centuplo longius, quam feratur testudo. Alia multa proponi hîc possent cōtra sententiam Zenonis, sed hæc sufficiant vt ostendatur suas illam habere difficultates, easque inextricabiles. Nunc ad Aristotelis sententiam pergamus.

DISPVTATIO XLV.

Sententia Aristotelis.

SECTIO PRIMA.

Præfertur opinio asserens continuum componi ex partibus & punctis.

I. *Componitur continuum ex partibus & punctis.*

ASserit ergo Aristoteles continuum omne cōponi ex partibus & punctis. Hanc etiam sententiam sequitur D. Thomas & Peripatetici communiter, videtur etiam expressa mens S. Augustini tom. 1. l. de quiet. animæ, in fine cap. 11. & initio 12. vbi expressè docet punctum esse copulationem partium, & per ipsum diuidi lineam; vnde apertè ponit in lineâ partes diuisibiles, & puncta indiuisibilia. Hanc sententiam eruditè, vt alia omnia, explicat P. Suarez d. 40. Met. sect. 5. nu. 35. acriter etiam eandem propugnat P. Hurt. d. 15. Phy. s. 5 subs. 2. n. 88. eandem tenent Conimb. l. 6. c. 2. q. 2. a. 2 Murcia hic l. 6. d. 1. q. 5 § Dico secundò. Rouius l. 6. Phy. tr. de continuo n. 40. & alij.

II. *Probat Arist. quia indiuisibile additū indiuisibili non facit maius.*

Probat Aristoteles; quia *indiuisibile additum indiuisibili non facit maius:* Probatur, nam indiuisibile cōsequens immediatè alterum debet illud tangere secundùm se totum, ergo illa duo indiuisibilia se tangunt adæquatè, ergo vnum non est extra locum alterius, ergo duo non occupant maiorem locum, quàm vnum, ergo non faciunt maius.

III. *Illa se tangunt, quorū extrema sunt simul.*

Vis huius argumenti fundatur in alia doctrina Aristotelis, nempe *illa se tangere, quorum extrema sunt simul*, nempe intimè penetrata seu simul loco. Et sanè si hoc principium probari efficaciter posset, conuinceret euidenter argumentum non posse indiuisibile additum indiuisibili facere maius, tunc enim aliquid vtriusque indiuisibilis, vt se tangant, deberet secūdùm aliquid penetrari, sed in iis nō est aliquid & aliquid, ergo totum debet penetrari, ergo nō occupant maiorem locum.

IV. *Contactus duplex: penetratiuus, & consecutiuus.*

Ad hoc Argumentum qui maximè probabiliter respondent, distinguunt duplicem contactum, penetratiuum & consecutiuum: ad contactum ergo penetratiuum requiri aiunt penetrationem, non

sie ad consecutiuum, sed ad hoc sufficere aiūt, quòd ita duo se inuicem cōsequantur vt nihil mediet: hūc autem cōtactum dicunt sufficere ad cōstituendum continuum.

V. *Præcipua probatio huius sententiæ est impugnatio sententiæ Zenonis.* Præcipua ergo probatio huius sententiæ sumitur ex Argumentis quæ supra Disp. præcedente proposuimus contra sentētiam Zenonis præsertim ex argumento illo de motu, de 4. pūctis in quadrum digestis, de Pyramide, & aliis nōnullis, quorum quædam licèt nonnihil etiam vrgeant contra hanc sententiam, longè tamen maiorem vim habent contra contrariam.

SECTIO II.


Prænotantur quædam circa partes continui.

I. *Duplex series partiũ in continuo.* ANtequam argumenta contra hanc sententiam proponamus: Notandum primo, in sententia Aristotelis partes continui esse in duplici differentia: aliæ enim sunt partes *determinatæ*, seu *aliquotæ*, *Partes determinatæ, seu aliquotæ.* nempe illæ quæ in continuo ita habent certam magnitudinem, vt comparatæ ad alias partes similes quas non includūt, sint æqualis cum iis magnitudinis. Sic in vlna, sunt quatuor palmi, quorum quiuis est alteri par, & eum nec inadæquatè includit, sed adæquatè ab eo distinguitur.

II. *Partes indeterminatæ, proportionales, seu communicantes.* Aliæ sunt partes in continuo quæ vocantur *indeterminatæ, proportionales, & communicantes* (licèt non in sensu strictissimo, de quo postea) quia scilicet proportione quadam in illas secatur, ac diuiditur quantitas aliqua determinata: vt palmus diuiditur in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmorum, & sic deinceps: licèt hæ partes inter se comparatæ sint *determinatæ, & aliquotæ* nam à se sunt adæquatè distinctæ: vocantur autem *indeterminatæ*, quia nullum habent certum paruitatis terminum, *Cur vocētur indeterminatæ.* sed quacūque minima parte assignata, etiam à Deo, potest adhuc diuisio in minores & minores accipi, & assignari in infinitum. Verè tamen sunt in entitate determinatæ, & constituunt aliquid determinatum.

III. *Quomodo partes indeterminatæ differant à sua determinata.* Notandum secundò, has partes indeterminatas, proportionales, & communicantes, si sumantur collectiuè, nec inadæquatè distingui à parte sua determinata, vtpotè quam adæquatè constituunt. Si autē pars quæuis indeterminata sumatur diuisiuè, distinguitur à parte determinata, à quâ sumitur, non simpliciter, sed secundum quid, seu tanquam inclusum ab includente, quæ minima videtur distinctio realis, cùm non adæquatè sed secundùm alteram tantùm partem distinguatur includens ab incluso, vt dictum est in Logica.

IV. *Quæ partes sint propriè, & in rigore communicantes.* Partes autem propriè, & in rigore communicantes, & proportionales, de quibus in præsenti potissimùm est sermo, sunt eæ, quæ non solùm communicāt cum toto, id est, entitatem suam ab illo communicant, & accipiunt, sed etiam communicant inter se, ita vt vna semper includat partē alterius, sicque entitatem suam partim ab illa cōmunicat. Hoc modo in vna vlna viginti, aut etiam centum, & mille palmi sunt inclusi, non tamen adæquatè inter se distincti, sed ita vt pars vniuscuiusque palmi includatur in alio, vt in figura hîc expressa clarè cernitur; non tamen propterea potest vlna dici 20. aut centum palmorū simpliciter, sed solùm secundùm quid.



V. *Hinc clarè soluitur quomodo non sint infinitæ partes simpliciter in continuo, sed solùm secundùm quid.* Vnde manifesta est æquiuocatio, cum dicitur sequi in continuo esse infinitas partes simpliciter: sicut enim in vna vlna non sunt 20, aut 100. palmi simpliciter, licèt sint 100. palmi communicātes, & proportionales, idque in omni sententia: ita nec in continuo sunt infinitæ partes simpliciter, sed solùm secundùm quid: nec magis posset quis dicere continuum habere infinitas partes simpliciter, quàm vlnam habere centum aut mille palmos simpliciter: Quod tamen nemo diceret, licèt negare nullus possit vlnam habere centum, aut mille palmos, proportionales, secundùm quid, & se inuicem ex parte includentes.

VI. *Dicere partes proportionales, vt proportionales esse infinitas, est implicatio in terminis.* Siquis verò vrgeat: saltem partes proportionales sunt infinitæ simpliciter vt proportionales, perinde est atque si quis diceret infinitum secundum quid in quantum infinitum secūdum quid, est infinitum simpliciter: aut si quis diceret vlna habet 100. palmos simpliciter, quia habet 100. palmos proportionales, seu inter se communicantes. Ratio autem horum omnium est, quia partes huiusmodi proportionales & communicantes nō sunt simpliciter partes, nec simpliciter distinctæ, sed solum secūdum quid, ac proinde nec simpliciter infinitæ, sed solum secūdum quid, non enim perfectius esse possunt infinitæ, quam distinctæ; dicere autem esse simpliciter partes infinitas proportionales, est, vt dixi, implicatio in terminis, cùm pars proportionalis sit solum pars secundum quid.

SECTIO III.

Argumenta contra opinionem Aristotelis de continuo.

I. *Obi. sequi lineam trium palmorum nunquam posse pertransiri.* OBiicies primò; ex hac opinione sequi lineam trium palmorum nunquam posse pertransiri, Probatur, sunt in ea infinita puncta, & infinitæ partes, ergo nunquam poterunt transiri. Resp. primò, licèt concedatur inclusa esse infinita puncta, & partes in illa linea, adhuc posse pertransiri, cùm in motu, & tempore, quo transitur linea illa, sint similiter infinita puncta, & partes, infinitum autem ab infinito exhauriri nil vetat. Resp. secundò, negādo sequelam: ad probationem dico, nō esse in linea illa infinitas partes simpliciter, sed solum secundum quid, *Duobus modis ostēditur lineā illam pertransiri posse.* & proportionales, seu inuicem communicantes, sicut etiam in linea trium palmorum sunt centum palmi secundum quid, seu proportionales, & communicantes, nō tamen propterea sunt 100. palmi simpliciter: tūc autem solum est aliquid censendum infinitum, & non posse transiri finito, quando habet infinitas partes simpliciter, seu non se inuicem partialiter includentes.

II. *In illa linea tantū sunt infinitæ partes syncategorematicè.* Vnde dicimus in illa linea solum esse infinitas partes proportionales syncategorematicè, non categorematicè, non quod non omnes illæ partes existant, sed quod non adæquatè, & simpliciter inter se distinguantur, sed tantùm secundùm quid, quia vna semper includitur partialiter in alia. Cùm ergo eo modo sint partes quo distinguuntur, & distinguantur solum secundum quid, sunt etiam partes, & infinitæ solum secundum quid.

III. *Obi. sequi esse in continuo infinitas partes æquales, & determinatas.* Obiicies secundò: sequi in continuo non solum esse infinitas partes proportionales, & communicātes, sed etiam determinatas, & æquales, adæquatè inter se distinctas. Probatur sequela, diuidatur vlna in duas medietates, illæ singulæ in duos palmos, ita vt iam sint quatuor palmi distincti in vniuersum: hi deinde diuidantur in 8 semipalmos, semipalmi postea in sexdecim medietates semipalmorum, & sic

in

in infinitum, ergo sunt in continuo infinitæ partes æquales.

IV. *Resp. nullã unquam assignari partem posse in continuo cui in eo sint infinitæ similes, seu æquales.*

IV. Resp. nunquam designari posse partem aliquam in vlna talis magnitudinis, quantumcunque sit minuta, cui infinitæ in ea æquales assignari possent, & omninò similis magnitudinis. Si autem daretur infinitum aliquid à parte rei, posset Angelus, signata aliqua mensura, vt palmo, vncia, vel vlna, dicere, hic sunt infinitæ partes huic æquales, quod non potest fieri in palmo, vel vlnâ quantitatis, nec enim potest Angelus assignare partem vllam quantumuis minimam, & dicere sunt hic infinitæ partes huic æquales, quod tamẽ ad rationem infiniti est necessarium. Quod verò assignari possint plures, & plures diuisiones in infinitum, solum arguit infinitudinẽ syncategorematicam: ad categorematicam enim infinitudinem vlterius requiritur, vt signari possit pars certæ magnitudinis, & dici esse ibi infinitas alias æquales cum ea magnitudinis.

V. *Omni parte continui diuisiuè sumpta dari potest minor nõ omnibus sumptis collectiuè.*

V. Obiicies tertiò: vel omni parte cõtinui dari potest minor, vel non potest: si primum, ergo illa pars est indiuisibilis, cùm in minores diuidi nequeat; si secundum, ergo aliqua pars est in continuo indiuisibilis, illa scilicet, quâ minor dari nequit. Resp. si partes sumantur diuisiuè, nulla est, quâ minor dari nõ possit, cùm, quacunque assignata, seu determinatè sumpta, dari possit minor. Si verò partes sumantur collectiuè, est implicatio in terminis vt detur pars aliqua minor omni parte in continuo, sic enim esset minor seipsa, cum illa intra collectionem omnium contineatur.

VI. *Obii. potest continuum diuidi in omnes partes, in quas potest diuidi, ergo constat ex indiuisibilibus.*

Ostenditur quo modo possit, vel nõ possit diuidi continuum.

VI. Obiicies quartò: potest continuum diuidi in omnes partes, in quas potest diuidi, seu in quas est diuisibile, hæc enim sunt synonima, ergo vel illæ partes sunt adbuc diuisibiles, vel nõ, si secundum, ergo cõtinuum componitur ex indiuisibilibus; si primũ, ergo non est diuisum in omnes partes, in quas est diuisibile. Resp. distinguendo antecedens, potest continuum diuidi in omnes partes, in quas potest diuidi, eo modo quo potest, seu in qualcũque partes determinatas, concedo antecedens; alio modo, seu in omnes proportionales, & communicantes, nego; in has enim omnes diuidi simul non potest, sed tantum syncategorematicè, seu nunquam in tot, quin in plures & plures diuidi possit in infinitum.

VII. *Obii. meritum actus durãtis per horam fore infinitum.*

Resp. duplex illic esse meritum, correspondens tempori, determinatũ, & proportionale.

VII. Obiicies quintò: sequi meritum actûs alicuius supernaturalis durantis per horam, fore simpliciter infinitum, & cõsequenter præmium similiter eidem correspondens fore infinitum, nam in quolibet instante meretur, cùm in quolibet possit desistere ab actione, ergo liberè eam continuat, sed sunt instantia infinita simpliciter, ergo etiam meritum & præmium infinita simpliciter. Hoc argumentum Theologicum est, & discuti solet secunda secũdæ, in materia de charitate, dum de illius augmento. Resp. tamen nec præmium illud nec meritum fore simpliciter infinitum, sed finitum, & limitatum. Ad probationem dico duplex quasi illic esse meritum conforme tempori, in quo exercetur, determinatũ scilicet, & proportionale: tempori ergo determinato correspondet determinatum meritum, & determinato merito præmium similiter determinatum, tẽpori autem proportionali correspondet meritũ proportionale tantùm, & huic præmium similiter proportionale.

VIII. *Ostenditur & meritũ, & præmiũ illius actus esse simpliciter finita.*

VIII. Solùm ergo est nouum meritum pro instantibus correspondentibus partibus determinatis, quæ simpliciter sunt finita, sicut partes ipsæ quibus correspõdent. Aliud tamẽ meritum non distinguitur ab hoc, sicut suprà diximus partes proportionales, si collectiuè sumantur, non distingui à determinatis, sed in harum singulis infinitas proportionales includi. Tãtum itaque arguitur meritum illud, & præmium fore infinita proportionaliter, vt ita dicam, & secundum quid, seu secundum partes proportionales, sicut & tempus ipsum, cui correspondent, est infinitum secundum quid: simpliciter autem & meritum, & præmium erunt finita, sicut partes determinatæ illius temporis, & consequenter puncta determinata illis correspondentia sunt solùm finita.

IX. *Obii. inter primum punctum, & reliqua omnia, quid mediat?*

IX. Obiicies sextò: sumamus primum Indiuisibile in palmo ligni verbi causâ, inter hoc punctum, & reliqua omnia quid mediat? non punctum quia sumimus ex alia parte omnia alia indiuisibilia præter primum: non etiam mediat pars, illa enim, si sit pars est diuisibilis, ergo habet sua puncta continuatiua, ergo pars mediare nequit inter primum indiuisibile, & omnia alia: ergo continuum componi non potest ex partibus & punctis.

X. *Resp. non posse hoc modo sumi primum punctum ab vna parte, & totam collectionem ab alia.*

X. Resp. negando suppositum, nempe ita sumi posse primum indiuisibile ab vna parte, & omnia alia, seu totam collectionem cæterorum ab alia. Cùm enim puncta hæc sint continuatiua partium proportionalium, nũquam ita sumi possunt seorsum, vt nõ semper includantur puncta prius & prius in infinitum in partibus proportionalibus. Vnde non potest assignari, nec à Deo pars illa indeterminata seu proportionalis quæ mediet inter primum indiuisibile, & omnia alia, cùm nulla sit, quæ nõ plura in se & plura inuoluat indiuisibilia in infinitum.

SECTIO IV.

Præcipua difficultas in opinione Aristotelis.

I. *Difficultas in cõtinuo circa compositionem temporis.*

I. OBiicies septimò: in tempore necessario sequi instãs post instans, seu indiuisibile post indiuisibile, ergo & in continuo permanente punctum sequi immediatè post punctum. Antecedens probatur, non potest existere pars immediatè post instans pars enim est essentialiter successiua, ergo habet in se præsens, præteritum, & futurum, sed post instans non potest sequi immediatè præsens, præteritum, & futurum, ergo.

II. *Dicunt aliqui posse partes proportionales continui inter se inadæquatè penetrari.*

II. Ad argumentum respondet P. Hurt. s. 5. nu. 75. & 80. verùm quidem esse nullam partem determinatam posse esse totam simul, sicut nec pars determinata continui permanentis potest penetrari cum alia parte determinata: at verò, inquit, partes indeterminatæ & proportionales temporis possunt coëxistere simul, & vniri per instans, quod cum vtrâque penetretur, & vtrique parti inadæquatè coëxistat: sicut etiam, secundùm ipsum, partes proportionales continui permanentis possunt penetrari quoad locum, & punctum penetrari cum vtrâque inadæquatè.

III. *Cõtrà primò cõtemplatur punctum penetrari inadæquatè cum parte.*

III. At certè hæc doctrina admodum videtur difficilis: primò, quia inadæquatum quod tangit, & quicum penetratur pũctum illud, est aliquid illius partis ergo est diuisibile, cùm nihil sit realiter identificatum cum parte, quod non sit pars, & diuisibile, ergo occupat locum extensum, ergo nec inadæquatè potest punctum penetrari cum parte, quantumcũque dicatur penetrari cum minori & minori parte in infinitum. semper enim est pars, quantumuis parua, ergo maior puncto.

IV. *Secundò, sequitur indiuisibile esse in loco diuisibili.*

IV. Secundò. vel penetratur punctum cum tota entitate reali illius partis, vel nõ si ita, ergo est in loco diuisibili sicut pars si non, ergo eadem entitas realis penetratur cum puncto, & nõ penetratur, ergo ma-

lè ab huius sententiæ Authoribus negātur præcisiones per intellectum, cum concedant reales.

V. *Seq. etiam ... vel punctum penetrari inadæquatè cum parte, vel idem realiter penetrari, & non penetrari.*

Dices; pars est in infinitum diuisibilis, ergo potest cum ea inadæquatè penetrari punctum. Contrà vel id omne cum quo non penetratur punctum; est realiter distinctum à parte illa, vel non: si sit, ergo adæquatè penetratur punctum cum illa parte, cùm nihil realiter identificatum cum ea relinquat non penetratum, si omne, cum quo nō penetratur punctū illud, nō sit distinctum ab ea parte, ergo non penetratur cum toto eo quod est realiter identificatum cum illa, ergo tam præscindit punctum illud realiter, quàm intellectus præscindit intentionaliter, dum concipit animal, non concepto rationali. Confir. si intellectus conciperet aliquid realiter identificatum cum illa parte, non concepto alio, præscinderet intentionaliter, sed punctum facit hoc physicè, ergo præscindit Physicè.

VI. *Non magis concipi potest indiuisibile identificatum cum parte, quam hinnibilitas cū homine.*

Tertiò: quia nec mente cōcipi potest aliquid realiter identificatum cum parte, quod sit indiuisibile, non magis quàm concipi potest hinnibile in homine, actus enim præscindens, vt in Logica dictum est, non concipit in re id quod non est, sed solùm concipit inadæquatè quod est. Dices; quidni concipi poterit aliquid indiuisibile in parte, conceptu inadæquato, sicut conceptu inadæquato concipitur animal in homine, non concepto rationali? Contrà, si animal non esset in homine, non posset in eo cōcipi actu præcisiuo, sicut non potest in eo concipi hinnibile, ergo cùm nihil indiuisibile sit in parte, non potest vllo actu præcisiuo ibi cum veritate concipi, ergo non potest punctum cum illâ penetrari, cùm tenera ibi non sit quidquam indiuisibile.

VII. *Sequeretur instans tēporis esse quid successiuum.*

Quartò: in partibus temporis hoc nullo modo dici potest, nulla enim est pars temporis, non formaliter successiua secundùm vltimum sui, & extensa secūdùm tempus, ergo quātumcunque minimæ parti temporis, etiam inadæquatè coëxistat, & cum illa penetretur punctum, debet habere aliquam successionem, ergo est quid diuisibile. Dices; sicut duo Angeli penetrari possunt in medio gymnasij & non in extremis, ita hæ partes proportionales inter se, & cū puncto. Contrà, est clara disparitas inter duos illos Angelos, & partes proportionales, nam Angeli illi penetrantur adæquatè quoad rem, totus enim vnus Angelus penetratur cum toto alio, licèt non penetretur cum illo in omni loco, seu vbicunque est: in præsenti autem dicuntur partes illæ proportionales penetrari inadæquatè quoad rem ipsam, ergo non debet tota realitas illius partis penetrari cum tota realitate alterius, cuius tamen contrarium contingit in duobus Angelis, vt suprà dictum est.

Disparitas inter penetrationem duorū Angelorum & partium proportionalium.

VIII. *Quo modo pars temporis dici possit præsens, præterita, & futura.*

Resp. ergo aliter posset partem in continuo successiuo, seu tempore (idem est suo modo de continuo permanente) sequi post punctum, non tamen inde sequitur fore simul præsens, præteritum, & futurum, cùm nihil illius partis sit simul, successiuè tamen illa pars, quæ priùs erat futura, redditur præterita, & suo modo præsens, cùm nihil dici possit esse præteritum, seu fuisse, nisi ob existentiam præsentē, quam aliquando habuit, ergo hæc pars etiam aliquando fuit suo modo præsens, nempe eo modo, quo res successiuæ possunt esse præsentes, non tamē ita vt propriè possit dici *iam est*, cùm in parte temporis non sit *iam*, seu instans.

IX. Dices primò; si hoc modo instans interiiciatur inter partes, & non sit in illis, ergo non potest ipsas vnire, & consequenter tempus non erit vnum per se; quod eò magis vrget, quia instans nunquam est quando sunt partes. Resp. cum P. Suar. citato, tempus non esse propriè cōtinuum, sed solùm hoc sensu, quod partes tali ordine se sequantur, intermixtis

Tempus nō est propriè continuum.

punctis, & in ipsis etiam fortè punctis eluceat aliqua diuersitas, inter puncta terminatiua, & continuatiua nempe quod hæc petant aliam partem sequi, non illa.

X. *In continuo vniones nō possunt propriè dici modi.*

In continuo ergo vniones non possunt tam propriè dici modi, cùm non intimè afficiant sua subiecta denominationis, quemadmodum vnio Physica informationis afficit corpus & animam, sed solùm hoc sensu sunt modi, quod petant sequi has partes potiùs quàm alias, & sic peculiari modo connectūt has partes inter se: & hoc est esse modos cōtinui, vbi potest nexus esse consecutiuè post partes, hæc enim est differentia inter cōiunctionem partium informationis, & partium cōtinuationis, quod illa petat vnionem per intimam præsentiam, hæc tantum per consecutionem.

XI. *Quodnam sit subiectū vnionum continua.*

Dices secundò: nō posse assignari subiectum horum indiuisibilium, si non subiectentur in aliqua parte, subiectari autem in parte non possunt, nisi sint illi intimè penetrata. Resp. vt suprà, indiuisibilia accidentium subiectari, & educi è potentiâ indiuisibilium quantitatis vel materiæ, indiuisibilia autem materiæ sunt in nullo subiecto sustentationis, sed creātur à Deo, vt Authore naturæ, quotiescunque duæ partes separatæ continuantur.

XII. *Obu. punctum indiuisibile facere maius.*

Dices tertiò; & est præcipua difficultas, hinc sequi indiuisibile facere maius, nam est extra locum partis, ergo aliquo modo extendit cōtinuum, nam pars & punctum latiùs extenduntur, quàm pars sola, ergo indiuisibile facit maius. Dici posset indiuisibile non facere maius simpliciter, sed solùm secundùm quid, & *vt quo*, ac indiuisibiliter. Quod exinde confirmatur, quia idem est motus indiuisibilium intensionis in partibus qualitatis, & indiuisibilium extensionis in partibus quantitatis, sed indiuisibilia intensionis non faciunt qualitatem, calorem v. g. vel albedinem, magis intensam, ergo nec puncta extensionis quantitatem facient magis extensam, nisi solùm secundùm quid & *vt quo*.

Resp. non facere maius simpliciter, sed solū secundum quid.

XIII. *Indiuisibilia cōtinui secundum Aristotelē sunt extra partes.*

Et sanè videtur hæc expressa sententia Aristotelis, nempe indiuisibilia esse extra partes, nam affirmat ipse, si duæ tabulæ se tangāt, penetratum iri earum superficies, non tamen dicit partes vllas se penetraturas, quantumcunque minores, & minores in infinitum, sed solas superficies, ergo non censent superficies penetrari, vel esse in eodem loco cum vlla parte, etiam inadæquatè, sic enim si superficies inter se penetrarentur, deberent etiam partes aliquæ penetrari, quod nunquam affirmat Aristoteles.

XIV. *Quæres vtrum duo puncta posita immediatè facerent maius?*

Dices; ergo si ponerentur immediatè, & consecutiuè duo puncta, seu indiuisibilia nō facerent extensionem, quod tamen videtur contra omnem rationem, nam duo occuparēt maiorem locum quam vnum tantùm, ergo facerent extensionem. Resp. primò, negando suppositum, posse scilicet duo indiuisibilia poni immediatè consequenter: cùm enim de facto partes spatij imaginarij componantur ex partibus & punctis, si duo indiuisibilia collocarentur immediatè, alterum penetraretur inadæquatè cum parte spatij imaginarij, sicque redeunt omnes difficultates superius factæ contra sententiam P. Hurt. Secundò, dico in eo casu impossibili duo illa puncta facerent maius, & non facerent: facerent, vt supponitur: non facerent, quia cum sint indiuisibilia, solum facerent maius indiuisibiliter, & secūdum quid, ac modo sibi proportionato: sicut de indiuisibilibus intensionis proximè dictum est, facere scilicet intensionem secundum quid tantum, & *vt quo*, idque quantumuis sint intimè penetrata, & vnita eidem subiecto.

Resp. primò casum esse impossibilē.

Resp. secūdo, in casu illo impossibili, facerent maius, & non facerent.

Alia est opinio de continuo, quæ scilicet compo- XV.
ni

Opinio de punctis inflatis. ni illud asserit ex punctis crassis, vt vocant, seu inflatis, & virtualiter diuisibilibus: in quâ argumenta, saltem Mathematica satis clarè dissoluuntur, sed quia necdum illius probabilitas est mihi planè explorata, tum alias ob causas, plura hîc de eâ non subiicio.

DISPVTATIO XLVI.

De Infinito.

In infinito, vt res, ita difficultatū nullus finis. Continuo affine est Infinitum, in quo, vt rei, ita difficultatum nullus est finis, idque in quamcunque nos partem verterimus, siue scilicet cum quibusdam Infinitum admittamus, siue cum aliis negemus: vtrique enim paribus ferme argumentis & suam tuentur sententiam, & contrariam impugnant.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa Infinitum præmittuntur.

I. *Hæ voces, Æternum, Immensū, infinitum, variè sumuntur.* Circa modum loquendi, Notandum, has voces *Æternum, immensum, infinitum* aliquando sumi impropriè. *Æternum* itaque, vt suprà notaui d.37. s.1.n.4. idem nonnumquam sonat, ac *per longum tempus durans*: quo sensu Psal.75.v.5. montes vocantur *æterni*: & Exod.15.v.18. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà. Immēsum* etiam sumitur pro amplo aliquo spatio, latè vndique diffuso. Sic æquor dicitur *immensum*. Nonnumquam etiam idem sonat ac *magnus* seu *ingens*: sic dici solet immensus labor, immensus dolor &c. *Infinitum* similiter impropriè vocatur id quod est magno numero: sic Eccles.1.v.15. dicitur, *Stultorum infinitus est numerus*. Sic in vulgari loquendi modo hominem diuitem possidere dicimus infinitam vim auri, aut argenti: & sic de cæteris. Hæc de modo loquendi.

II. *Punctum est infinitū negatiuè.* Notandum secundò, Infinitum subinde sumi negatiuè: quo sensu punctum seu indiuisibile mathematicum dici solet infinitum, quod nullos habeat fines, cùm nullam habeat extensionem.

III. *Infinitum in essentia est solus Deus.* Infinitum propriè sumptum, vel est infinitum simpliciter, vel secundùm quid: infinitum simpliciter est infinitum in essentia, huiusmodi autē est solus Deus, cuius proinde proprietates omnes, vt Omnipotentia, Scientia &c. sunt etiam simpliciter infinitæ, cùm proprietates consequantur essentiam. *Deus est infinitus in omni genere entis.* Vnde dici solet Deus simpliciter infinitus in omni genere entis, quòd scilicet rerum omnium perfectiones in se infinities perfectiori modo contineat. Alia ergo infinita vocantur cum addito, seu cum particula diminuente, nempe, in vno genere, vt in magnitudine, similitudine &c. quæ tamen non sunt infinita simpliciter, quia aliunde multas habent imperfectiones sibi limitationem afferentes. De his ergo infinitis, vtrum sint possibilia necne, hic in particulari discutiendum.

IV. *Infinitum categorematicum, & syncategorematicum.* Infinitum aliud *Categorematicum*, aliud *Syncategorematicum*: illud est, quod actu habet in se infinitudinem, vt linea in infinitum protēsa. Infinitum *Syncategorematicum* est, quod actu quidem non est infinitum, sed semper ei addi plus & plus potest in infinitum, & sine fine fieri additio; sicut plures & plures creare potest Deus homines, vel Angelos in infinitum. Infinitum Syncategorematicè, est simpliciter finitum, & infinitum solùm in potentia, dicit enim posse plures & plures determinatæ & signabilis quantitatis partes superaddi in infinitum.

V. Vbi notandum, in omni infinito reperiri infinities infinita: vnde sicut numerus finitus componitur ex vnitatibus finitis, ita numerus infinitus (si fas sit vocare numerum quod numerari non potest) coalescit ex infinitatibus. *In quolibet infinito sūt infinities infinita.* Ratio à priori est, quia *finitum additum finito, non facit infinitum*; ergo si detur infinitum ex.g. in multitudine, seu infinitæ vnitates, sunt etiam infinitæ dualitates, infinitæ decades, chiliades, myriades &c. cùm nullæ finitæ dualitates, decades &c. cōstituant infinitas vnitates. *Finitū additum finito non facit infinitum.* Linea etiam infinita, si diuidatur in medio in duas partes, vtraq; pars erit infinita.

VI. *Quo modo definiatur infinitum.* Infinitum definitur ab Aristotele hic l.3.c.7. *Infinitum est cuius aliquid semper est extra*: ita scilicet, vt quibuscunque partibus, vel perfectionibus determinatis acceptis, semper restent aliæ similes accipiendæ, saltem in quouis finito tempore. Alij hoc modo illud definiunt: *Infinitum est, quod recensione successiuâ exhauriri, & pertransiri non potest*. Quę definitio explicari debet iuxta præcedentem.

VII. *Vnum infinitum, non formaliter, sed materialiter esse potest maius alio.* Solùm addendum, licèt formaliter, seu in ratione infiniti, vnum infinitum non possit esse maius alio, cùm infinita omnia qua talia, sint æqualia, id est, æqualiter infinita, seu vnum tam infinitum, quàm aliud; materialiter tamen non repugnare vt vnum infinitum sit maius alio: primò enim si Deus crearet infinitos homines, negare nemo potest creatos esse plures digitos, & capillos quàm homines. *Si Deus crearet infinitos homines, plures essent digiti, quā homines.* Secundò, omne totum est maius sua parte: sed inter infinita, alia sunt tota, alia partes, cùm quæuis linea infinita diuidi possit in duas partes, ergo. Tertiò, quidni potest Deus producere plures res vnius generis quàm alterius? vt si crearet infinitos Angelos quorum singuli tenerēt duos aut tres lapides, tunc plures essent lapides, quàm Angeli.

VIII. *Infinito habente omnē extensionē possibilem non potest dari maius.* Si tamen infinitum habeat omnem extensionem possibilem in eo genere, in quo est infinitum, vt si moles aliqua corporea in immensum vndique diffunderetur, ita vt secundùm aliquam sui partem esset vbique, tunc non posset in illo genere dari aliud infinitū maius illo. Idem est de infinito durationis: licèt enim secundùm multos in duratione possit vnum infinitum, præsertim à parte antè esse maius alio; si tamen habeat omnem latitudinem possibilem in eo genere, non potest dari aliud maius eo: vnde siquid sit æternum à parte antè, non potest aliquid à parte antè esse duratione maius illo, sed solùm æquale; cùm in æternitate non sit maius aut minus, prius aut posterius, vt suprà vidimus d.39 sect.3.numer.6.

SECTIO II.

Vtrùm creaturæ possibiles sint infinitæ.

I. *Numerus creaturarū possibilium non est finitus.* Conclusio: creaturæ possibiles non sunt tātùm finitæ, sed infinitæ, id est, non est assignabilis certus aliquis numerus creaturarum, vltra quem aliæ & aliæ existere nequeant in infinitum. Ratio est primò, quia nullum est fundamentum cur certus aliquis numerus vel diuersarum specierum, vel indiuiduorum statuatur, vltra quem addi aliæ & aliæ species & indiuidua non possint. Confir. quâ probabilitate

Nullus numerus assignari potest, cùm nõ sit maior ratio vnius quàm alterius.

bilitate dici potest numerum hunc esse centesimum potiùs quàm ducentesimum, millesimum &c. Vnde non videtur posse cum fundamento determinatus aliquis numerus assignari, cùm non sit maior ratio vnius, quàm alterius: ergo creaturæ producibiles nõ sunt in vllo numero finito, sicque infinitæ.

II. *Sententia statuens certum numerum rerum possibiliũ fauere videtur errori Ioan. Huss.*

Secundò, sententia statuens certum numerum creaturarum possibilium fauere videtur errori Ioan. Huss damnato in Concilio Constantiensi, sess. 15. qui dicebat, Deum ad certum tantùm aliquem numerum posse animas producere. Licèt autem hi auctores maiorem numerum statuant, quàm statuebat hic hæreticus, in hoc tamen cum eo conueniunt, quòd vtrique statuant numerum certum: vnde si Concilium fuisset celebratum mille annis serius, quando numerus etiam animarum ab his auctoribus statutus, fuisset exhaustus, non minùs displicuisset Concilio, siquis tunc dixisset non posse Deũ plures animas creare, quàm modò dictum hoc eis displicuit: nec enim hoc nomine improbatus fuit is à Concilio, quod non maiorem animarum producibilium numerum assignauerit, sed quod assignauerit vllum omninò numerum certum, & Deo limites quasi præscripserit, quos in animabus creandis excedere non posset. Quod de animabus dicitur, de rebus quibuscunque aliis dici eodem modo debet, eadem enim est omnium ratio.

III. *Si creaturæ possibiles sint finitæ, ægre explicatur omnipotentia Dei.*

Tertiò, si res possibiles sint solùm finitæ, ægrè explicatur quomodo potentia Dei, quæ ipsas respicit, sit infinita, sicque omnipotentia non argueret infinitatem in principio, cùm omnipotentia, seu virtus productiua omnium esset tantùm virtus productiua finitorum, & consequenter finita virtus.

IV. *Post certũ tempus agentia naturalia, vel ab omni operatione cessare deberent.*

Quartò: non possent esse nouæ & nouæ cogitationes beatorum in infinitum à parte pòst, sed post certum tempus priores cogitationes denuò deberẽt reproduci. Idem est de equo, igne, & aliis rebus, quæ post certum numerum effectuum, vel ab omni operatione cessare deberent, vel equos, & ignes destructos producere. Quintò, saltem durationes, cum actionibus earum productiuis, debent esse plures & plures possibiles in infinitum, cùm semel destructæ reproduci denuo non possint, vtpote certo tempori essentialiter affixæ.

V. *S. August. clarè docet numerum creaturarũ possibilium non esse finitum.*

Sextò demum, hoc probatur appositissimo ad hanc rem testimonio S. Augustini l. 22. de Ciuit. Dei c. 18. vbi de numeris peculiariter loquens ait in nullo sisti posse, vltra quem alius & alius in infinitum non sit possibilis. *Eos quippe*, inquit, *infinitos esse certissimum est, quoniam in quocunque numero finem faciendum putaueris, idem ipse, non dico vna addita augeri, sed quantamlibet sit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione, atque scientia numerorum, non solùm duplicari, verùm etiam multiplicari potest.* Hæc sanctus Doctor. De mente etiam S. Augustini hac in parte plura ponentur sec. sequente.

SECTIO III.

Vtrùm Deus cognoscat infinitas creaturas possibiles.

I. *Creaturæ possibiles quas Deus cognoscit nõ sunt in certo aliquo numero finito.*

DIco primò: creaturæ possibiles quas Deus cognoscit, non sunt in numero aliquo finito. Hæc conclusio iisdem rationibus probatur, quibus illa sect. præcedente, nullus enim est numerus certus creaturarum possibilium vltra quem Deus plures & plures non cognoscat in infinitum, sicut nullus est numerus certus vltra quem non potest plures & plures creaturas in infinitum producere.

II. *Creaturæ possibiles, quas Deus cognoscit, sunt simpliciter infinitæ.*

Dico secundò: creaturæ possibiles, quas Deus cognoscit, sunt simpliciter infinitæ. Ratio est quia cùm, vt iam ostensum est, nullus sit numerus finitus vltra quem plures & plures Deus non cognoscat à se producibiles, sunt sine numero, ac proinde infinitæ: ergo actu cognoscit Deus infinita possibilia, cùm illa omnia cognoscat, ergo sunt infinita, non enim res aliter cognoscit Deus, quàm sint. Nec sufficit si quis respondeat cum Dotando & aliis nonnullis, conuincere hoc argumentum cognosci à Deo infinitas res possibiles syncategorematicè, non tamen categorematicè: vel enim res illæ possibiles sunt simpliciter, & categorematicè infinitæ, vel non: si primum, ergo Deus actu cognoscit infinita categorematicè, cùm necessariò cognoscat actu quidquid est possibile; si secundum, ergo res possibiles in illo statu sunt simpliciter finitæ, & solùm infinitæ in potentia, hoc autem dici nequit, nam vltra totam collectionem rerum possibilium nihil addi potest, cùm omnes in ea contineantur, & quidquid additur, necessario est possibile, ergo continetur intra collectionem rerum possibilium, ergo possibilia, non solùm sunt infinita syncategorematicè, & secundùm quid, id est, finita, quibus fieri possit in infinitum additio, sicut in existentibus, sed categorematicè, & simpliciter, cùm quidquid est possibile, sit de facto possibile, & non solùm in potentia.

Vltra totam collectionẽ rerum possibilium nihil addi potest.

III. *Negãt aliqui posse omnes creaturas collectionẽ rerũ possibilium, aut eas vocari omnes.*

Respondent aliqui, nõ dari huiusmodi collectionem creaturarum possibilium, nec posse illas affici termino syncategorematico *omnes*, cùm non sint omnes: vnde in hac propositione, *Deus cognoscit omnes creaturas possibiles, vel totam collectionem earum*, negant suppositum, dari scilicet omnes creaturas possibiles, aut earum collectionem.

IV. *Deus cognoscit hãc & illam, & illam, &c. ergo omnes.*

Contrà primò, Deus cognoscit hanc, & illam, & illam, & idem est de reliquis. ergo cognoscit omnes, nullus enim per *omnes*, vel collectionem, aliud intelligit, quàm istud. Contrà secundò, nulla est creatura possibilis, quam Deus non cognoscit, ergo cognoscit *omnes*: hæc enim argumentatio in omnibus aliis rebus valet, ergo gratis dicitur non valere in præsenti.

V. *Deus cognoscit singulas, ergo omnes, cũ in re sint eædem.*

Contrà tertiò & præcipuè, cognoscit Deus singulas creaturas possibiles, vt fatentur hi auctores ergo cognoscit omnes: patet consequentia, nam omnes, & singulæ in re non distinguuntur, ergo quod de his affirmatur affirmari debet de illis, cum reipsa non sint hæ & illæ, sed eædem: alioqui contradictoria verificabuntur de eodem. Vlterius hæc creatura, & illa & illa, & sic de cæteris, adeóque singulæ, sunt possibiles, ergo omnes, alioqui admittent præcisiones physicas, cum tamen negent intentionales.

VI. *Est contra communẽ vsum Philosophorum negare creaturas possibiles posse vocari omnes.*

Contrà quartò, quòd dicunt non posse creaturas possibiles affici hac particula *omnes*, est contra communem cõceptum & vsum Philosophorum; dicunt enim omnes has & similes propositiones, *omnis homo est animal, omnis leo est rugibilis, omne peccatum est fugiendum*, &c. esse propositiones æternæ veritatis, & sunt veræ secundùm omnes non de hominibus tantum leonibus, & peccatis existentibus, sed etiam de possibilibus. vnde si Deus tãtum creasset vnum Angelum, & decreuisset nullum vnquam hominem, aut leonem producere, adhuc hæ propositiones in intellectu Angeli essent veræ, & suo modo erant ab æterno in mente Diuina. Imò postrema propositio, *omne peccatum est fugiendum*, fertur peculiariter ad possibilia, & sensus est, curare omnes debere, ne peccatum vllum ab ipsis committatur, seu transeat à statu possibilitatis, ad actum, & existentiam: ergo manifestum videtur particulam *omnes* applicari posse rebus possibilibus, seu posse eas vocari omnes.

Conf. Theologi passim docent, omnipotentiam

esse

Theologi passim creaturas possibiles vocant omnes. 6. Thomas. esse virtutem creandi omnia: sic enim loquitur S. Thomas 1.p.q.25 a.3.corp. *Cùm, inquit, potentia dicatur ad possibilia, tùm Deus omnia posse dicitur nihil recitius intelligitur, quàm quod posset omnia possibilia, & ob hoc omnipotens dicatur.* Quòd ibidem sæpius repetit. Idem habet 2.cont.Gent.c.22 n.2. *virtus diuina, inquit, ad omnia illa se extendit, quæ rationi entis non repugnant.* Et paulo post: *Omnia igitur Deus potest, quæ in se rationem non entis* (hoc est Chimæræ) *non includunt.* His consonat illud Marci 9.v.22. *Omnia possibilia sunt credenti.* Conf. secundò: Nihil enim apud Theologos frequentius, quàm Dei scientiam extendere se ad omnia possibilia.

VIII. *S. Augustinus creaturas possibiles vocat omnes, & de eis per modum vniuersi collectionis loquitur.* Tandem clarissima hac in parte est mens S. Augustini, qui creaturas possibiles & infinitas esse asserit, & de eis per modum collectionis loquitur, & terminum *omnis* eisdem frequenter applicat. Et, vt alia omittam, l.12 de Ciuit. Dei c.18. loquens peculiariter de numeris possibilibus, sic habet: *Restat eis vt dicere audeant &c. quòd non omnes numeros Deus nouerit. Eos quippe infinitos esse certissimum est &c.* Et non multo pòst: *Absit itaque, inquit, vt dubitemus quòd ei notus non sit omnis numerus, cuius intelligentiæ, sicut in Psalmo canitur, non est numerus. Infinitas ergo numeri &c.* vbi S. Augustinus numeros & *infinitos* & *omnes* vocat, & de eis aperte per modum *collectionis* loquitur.

IX. *Difficilime videtur negare Deum cognoscere omnes creaturas possibiles, quâ admittere infinitum.* Manifestū ergo videtur particulam *omnis* à Theologis & Philosophis, creaturis possibilibus passim applicari, sicque eos *collectionem* in illis agnoscere, Denique *omnes*, seu per modum *collectionis* eas nouisse. Et certè existimo nihil tam difficile contra eos afferri posse, qui ad mittunt Infinitū, atque est hoc, vt ad illud vrgendum, cogatur quis dicere Deum omnes creaturas possibiles non cognoscere, maximè si concedatur (sicut hi auctores concedunt, oec videtur negari posse) Deum cognoscere singulas.

X. *Deus per scientiam visionis cognoscit infinita.* Quæres vtrum Deus videat etiam scientia visionis infinita, sicut cognoscit infinita scientia simplicis intelligentiæ? Resp. affirmatiuè cum S. Thoma 1.p. q.14.art.12.corp. & 3.p.q.10.art.2.& 3. de Anima Christi. Quod etiam communiter Theologi docet. Ratio est, quia videt actu Deus per scientiam visionis cogitationes omnes futuras hominum & Angelorum per totam æternitatem: cogitationes autem illæ sunt simpliciter infinitæ, nullum siquidem habent determinatum terminum, sed plures & plures erunt semper in infinitum.

XI. *Quomodo videat infinitas cogitationes futuras.* Dices; Deus per scientiam visionis non videt nisi ea quæ sunt futura; sed si videat totam multitudinē cogitationum quæ nunquam finientur, ergo nunquam omnes erunt, ergo non sunt omnes futuræ, ergo nō videt infinitas cogitationes futuras, non enim videt infinitas, de quibus singulis aliquando erit verum dicere *nunc sunt*, ergo aliquæ ex illis solum sunt possibiles, & non futuræ. Resp. has omnes cogitationes futuras non in tempore aliquo determinato & finito sed in æternitate à parte pòst, ac proinde sicut ipsa æternitas à parte pòst est semper futura, & eam Deus videt semper futuram, ita & hæ cogitationes sunt in illa semper futuræ.

SECTIO IV.

Possitne diuinitùs dari à parte rei Infinitum Categorematicum.

I. *Agentia naturalia creata producere non possunt infinitum* Diuinitùs, inquam, nam non posse naturaliter illud produci, saltem à rebus creatis, videtur certum, cùm limitata sit virtus agentium naturalium, ac proinde ab iis produci Infinitum non potest in entibus completis, in incompletis enim, vt in partibus & punctis cuiusuis continui reperiri suo modo Infinitum, iam supra dictum est disp præcedente: vnde hoc sensu videtur dari posse lineā gyratiua in columna infinitæ longitudinis, & circuli in eadem columna suo modo numero infiniti. Præterea, agentia naturalia nihil operari possunt extra hoc vniuersum, cùm supra cælos nihil sit, et *nihilo* autem naturaliter *nihil fit*, sed si producerentur infinita entia completa, deberent produci etiam supra cælos, cum in nullo finito spatio contineri possint, ergo. Si autem à Deo producerētur infiniti ignes, tunc, etiam agentia creata naturalia naturaliter producere possent infinitum, cùm quisque ignis alium posset producere. *entibus completis non possunt.*

II. *Deum producere naturaliter posse infinitum putāt multi.* Dixi non posse Infinitum naturaliter produci à rebus creatis, multi enim existimant posse Deum naturaliter producere infinitos Angelos, maximè si inter se penetrentur, imò licèt non penetrentur, cùm sint spatia in immensum vndique diffusa, in quibus collocentur.

III. *Prima sententia negat Infinitum esse possibile.* Prima ergo sententia negat Infinitum actu, siue in magnitudine, siue in multitudine esse, vel diuinitus, possibile: ita S. Bonauen. in 1.d.43.a.1 q.3. Scotus in 2.d.1.q.3. Durãn. in 1 d.43.q.2. Capreol. in 1.d. 43.q.1. Aureol. in 1.d.44 qu.1 ar.1.2.& 3. Albertin. To.2.de Prædic.quant.d.4.q.4.5.& 6. Valen. 1.p.d. 1.q.7.p.3.§ *nihil vero.* Suar. d.30. Met.f.17. n.16.& 17. Ferra. 1.cont. Gent.c. 81. Conim.l.3.Phy.c 8. q. 2.a.3. Rubi.l.3.Phy er.2.q.3.n.85. Murcia l.3.Phy.d 2.q.3. Fasol.1.p.q 7.a.3.& 4.d.13.n 10 Caiet. Sotus, Tolet. Tann.1.p.d.2.q.4.dub.2.n 4. Ouiedo cōtr.14.Phy.p.4 n.1.quoad corpus infinite extensum; & alii.

IV. *Secunda sententia docet infinitum esse possibile.* Secunda sententia affirmat posse per Diuinam potentiam dari Infinitum actu. Ita Okam in 2.d.13.q. vn. & quodl.2.q.5. Greg. in 1.d.q.6. Vasq. 1.p.d.26. c.2.& 3. Hurt.d.13. Phy.f.2.& 3. Arriaga d.13. Phy.f.4. & plurimi ex recētioribus: quā etiam tenet Ouied.c.14 Phy.p.5.& Fasol. quoad multitudinē Angelorum, & intentionem graduum qualitatum.

V. *Probabilius est infinitum non implicare. De facto dantur infinitæ negationes.* Conclusio: probabilius mihi videtur posse diuinitùs dari Infinitum actu, tam in magnitudine, quā in multitudine, & intensione. Ratio est primò, quia nullam inuoluit contradictionem, ergo non repugnat. Antecedens probabitur solutione argumentorum. Secundò, quia de facto datur Infinitum in negationibus tam quoad multitudinem, quàm magnitudinem, & aliquo modo quoad intensionem, ergo. Antecedens probatur, iam non existunt infinitæ entitates possibiles, ergo existunt earum negationes, cùm quouis instante existere debeat alterum ex cōtradictoriis, seu res aut rei negatio.

VI. *Negationes illæ sunt in immensum vndique fusa.* Confir. negationes istæ ante mundum conditum erant in immēsum vndique diffusæ, & modò etiam eadem ratione diffunduntur negationes earum rerum, quæ non existunt, ergo in iis retorquentur omnia argumenta quæ contra Infinitum in magnitudine, & multitudine fieri solent. Hāc existimo præcipuam esse huius rei probationem.

VII. *Inter negationes, & res positiuas hac in re est commoda paritas.* Dices primò; dispa. em esse rationem de negationibus & rebus positiuis: negationes enim sunt à se, & fuerūt ab æterno quorum neutrum competit rebus positiuis. Sed cōtrà, hoc quidem rectè ostendit, in omnibus non posse à negationibus ad res positiuas argumentum deduci. In præsenti tamen quæstione, quamoda est inter illas paritas, & planè eadem difficultas.

VIII. *Tres negationes non minus essent numerum ternarium, quàm tres entitates positiuæ.* Dices secundò; negatio extensionis non est extensio, nec negatio numeri numerus, ergo non rectè à negationibus argumentamur ad res positiuas. Resp. licèt negatio numeri non sit numerus, tres tamen negationes, equi scilicet, leonis, & cerui conficiunt

ficiunt numerum ternarium negationum, non minùs quàm equus, leo, & ceruus numerum ternarium conficiunt rerum positiuarum. Sic similiter negatio extensionis est, & ab æterno sunt vndique diffusa, & suo modo extensa, vbicunque enim non est res, est negatio rei, vt ostendi d.18.Log.sec.9. vbi negationum naturam plenius discussi.

SECTIO V.

Argumenta contendentia implicare Infinitum.

I. *In scientia Dei omnia argumenta contra infinitum infringuntur.*

ANtequam argumenta contra Infiniti possibilitatem proponam, Notandum, vix quidquam afferri quod ipsimet qui obiiciunt, soluere non debeant in scientia, quam habet Deus de rebus possibilibus, sicque in illa omnia eorum argumenta infringuntur. Argumenta etiam quæ proponuntur contra Infinitum in magnitudine & multitudine, solui ab omnibus debent in negationibus, vt ostensum est sec.præcedente, n.5.& 6.

II. *Si daretur quantitas infinitè parua continuum componeretur ex indiuisibilibus.*

Obiiciunt primò: non potest dari quantitas infinitè parua, ergo nec infinitè magna. Negatur consequentia, si enim daretur quantitas infinitè parua, continuum componeretur ex indiuisibilibus, quod suprà d.44. probaui fieri non posse. Addo tamen, multos concedere cum P.Suario posse dari puncta absoluta, seu quæ existere possint separata à partibus, vt ostendi d.43.s.2.n.9.

III. *Obie. infinitā quantitatē moueri nō posse, nec motu recto nec circulari.*

Obiicies secundò: si dari possit corpus infinitum, ergo poterit moueri, sed non potest moueri, ergo. Probatur minor, nam nec motu recto, nec circulari: non recto, quia infinitè extenderetur corpus illud versus omnem partem, & consequenter repleret omne spatium, ergo versus nullā partem posset moueri; non etiam motu circulari, quia cùm iuxta Euclidem, & Mathematicos, quæuis duæ lineæ coniunctæ in centro, quo longiùs protenduntur, eo magis distent, cùm hîc protendantur in infinitum, distabunt infinitè, ergo corpus illud non poterit moueri circulariter, sic enim infinita distantia inter duas lineas percurreretur, etiā tempore finito, cùm in quouis minimo motu vna linea accederet ad locum alterius. Idem est de lineis in corpore illo à quocunque illius puncto in infinitum protensis, si quis neget centrum in infinito.

IV. *Resp. moueri posse motu recto, cū omne infinitum non sit immensum. Linea infinita, non in immensum protensa, posset moueri localiter.*

Resp. primò in probabili sententia admittente vnum Infinitum posse esse maius alio, nullam esse repugnantiam vt moueatur corpus illud versus vnam aliquam partem: licèt enim sit infinitum, & consequenter occupet spatium infinitum, non tamen est immensum, nec occupat omne spatium possibile. Resp. secundò, & ponamus lineam aut funiculum infinitè protensum versus Orientem & Occidētem, imò & occupare omne spatium possibile versus illas partes, quidni tamen moueri poterit versus septentrionem vel meridiem? Quod autem ponitur de motu circulari, ad summum probat non posse moueri omnino corpus illud hoc genere motûs. Tandē dico, etsi cōcederetur non posse omnino moueri corpus illud infinitum, non tamen sequitur, non posse dari, sicut nec lapidem non posse produci ab æterno, licèt ab æterno moueri non possit. Posset tamen corpus hoc infinitum moueri, etiam circulariter, secundùm quamlibet determinatam sui partem, licèt non totum simul: totum autem, etiam simul, pati potest varias alterationes à Deo, quod sufficit vt dicatur corpus naturale, seu mobile, motu scilicet naturali, & physico, licèt non locali, seu alteratione, nō latione.

Corpus infinitū immensum moueri posset motu alterationis.

V. Obiicies tertiò: si possit dari Infinitum, ergo & lumen gloriæ infinitæ intensionis, ergo si illud infundatur animæ, aut Angelo, videbit omnia in Deo, & ipsum comprehendet. Confir. si creari posset corpus infinitum, ergo & forma substantialis infinita, sed hæc implicat, ergo & corpus. Resp. esto produceretur lumen gloriæ infinitum, & infunderetur animæ, sicut de facto putant multi gratiam habituales, & lumen gloriæ in Christi anima esse infinitū, non tamen sequitur vel cognitum iri omnia in Deo, vel Deum comprehendendum, cùm non cognosceretur Deus quantum cognoscibilis est, ne extensiuè quidem, cùm lumē illud esse possit de quibusdam tantùm obiectis, non de omnibus. Multò minùs cognosceretur Deus quantum cognoscibilis est intensiuè. De quo plura cùm de natura comprehēsionis.

Lumen gloriæ infinitū non efficeret comprehensionem Dei.

VI. *Produci posse materiā infinitā sine vlla forma. Forma non viuens infinita, & corpus simplex.*

Ad confirmationem, dico primò, non esse necessarium vt producatur forma substantialis infinita, creata materia infinita: quidni enim creari possit materia, vel quātitas sola infinita? Deinde, quare nō possit produci forma aliqua substantialis, saltem rei non viuentis (de viuente enim est peculiaris difficultas, ob nutritionem) infinita, vt ignis, aquæ, aëris, cœli?&c. Tertiò, quare produci nequit corpus simplex infinitum?

VII. *Infinitum cadere posse sub intentionem determinatam, & habere figurā.*

Obiicies quartò ad probandum implicare infinitum: primò, quia quidquid producitur, cadere debet sub intentionem determinatam. Secundò debet habere aliquam figuram. Tertiò, ob auctoritatem Aristotelis. Sed hæc non obstant. Non primum: potest enim Infinitum cadere sub intentionem determinatam, actum scilicet, quo Deus ad suam potentiam ostendendam vult illud producere. Non secūdum: nego enim non posse Infinitum habere figuram similiter infinitam, & sibi proportionatam. Ad tertium dico, in quæstionibus supra naturam, non esse multum curandam auctoritatem Aristotelis, vtpote qui nullius rei supernaturalis notitiam habuit.



VIII. Obiicies quintò: ponamus duas lineas esse hîc cōiunctas in puncto, & protendi vtramque in infinitum instar pyramidis, ita scilicet vt paulatim magis & magis inter se distent, tandem ergo distabunt inter se infinitè: ducat ergo Deus lineam trāsuersam in fine duarum linearum, seu basi, ab vna lineā ad alteram, túc spatium interiectum erit infinitum, & tamen claudetur terminis, ergo. Qui negant posse infinitum claudi intra duos terminos, dicent non posse Deū ducere lineam transuersam in fine duarum linearum, cùm finem non habeant, nec videre eum vbi desinant, sed quocumque loco assignato videt illas infinities & infinities vlteriùs protendi. Qui verò dicunt posse Infinitum claudi intra duos terminos, admittunt casum, nec quidquā in eo reperiri asserunt incommodi, de quo tamen postea.

Negātes aliqui Infinitū, claudi posse intra duos terminos. n.15 cōcedunt.

IX. Obiicies sextò, & difficiliùs: quia in huiusmodi pyramidali figura in infinitum protensa, cuius cuspis sit hîc, ducatur linea intra vnū palmum cuspidis, linea illa erit vnius palmi, post interuallum alterius palmi ducatur alia linea, illa erit duorum palmorum, & hoc modo in infinitum duci possunt lineæ, quæ se inuicem excedent per vnum palmū, ergo linea transuersa terminatiua, seu basis erit infinita, & non erit: erit, quia cùm lineæ illæ protende-

protendantur in infinitum, & consequenter infinitè distent, linea illa necessariò erit infinita: quòd autem non sit infinita, inde videtur clarè ostendi quia vno tantùm palmo excedit lineam sibi proximam finitam, *finitum* autem *addito finito* secundùm omnes *non facit infinitum*. Quòd autem sequatur, aliquā ibi lineā necessariò fore finitam & infinitam, vlteriùs probatur, nam linea aliqua transuersa infinita necessariò sequitur immediatè aliquam finitam, cū non sint interruptæ lineæ, vt supponimus. Deinde, in ipsis lineis finitis vel assignari potest vltima, vel non: si non, ergo sunt infinitæ lineæ finitæ inuicem se vno palmo excedentes in longitudine, ergo aliquæ ex lineis illis sunt infinitæ, cùm infinities excedant primam, quæ solùm est vnius palmi.

Sequi hinc videtur vnam aliquam lineam esse finitam, & infinitam.

X. Eadem difficultas proponi potest in numeris, qui vnâ tantum vnitate se excedunt, ergo in infinito multitudinis erunt infiniti numeri finiti, vel dari debet vltimus finitus, & cui, si vel vna vnitas addatur, fiet infinitus, quod omnes iure censent impossibile, cum, vt sæpe dictum est, finitum additum finito, non faciat infinitum.

Sequeretur similiter esse vnum aliquem numerum finitum simul, & infinitum.

XI. Hæc est præcipua difficultas in hac materiā, cui docti quidam recentiores admittentes nobiscum infinitum, fatentur omnino responderi non posse, nec aliam adhibent solutionem. Resp. tamen primò, hoc argumentum solui ab omnibus debere in negationibus, quæ, cum vndique sint in immensum diffusæ, habent suo modo puncta, lineas, & superficies, ergo inter duas huiusmodi lineas in iis assignabiles, sunt aliæ transuersæ, modo in argumento proposito. Secundò, vrget eodem modo in lineis huiusmodi quas Deus videt possibiles. Tertiò in æternitate à parte antè, & in tempore imaginario, quod iam inde ab æternitate paulatim fluxit: nulla enim est hora longior aliâ, & tamen tandem faciunt infinitum tempus imaginarium, & idem fuisset, si tempus etiam verum infinitum à parte antè fuisset transactum.

Solui hæc argumenta ab omnibus debent in negationibus.

Solui etiā debent in æternitate à parte antè.

XII. Resp. ergo, nullam esse assignabilem lineam finitam cui proxima sit infinita excedens illam tantum vno palmo, nec videri huiusmodi aliquam lineam à Deo, nec enim videri potest à Deo, quod non est, sed quacunque finitâ assignatâ, non potest dici determinatè quot lineæ interiaceant inter illam & lineam aliquam infinitam. Sicut ergo in tempore imaginario elapso non possunt ita certò assignari dies, vel horæ sibi inuicem succedentes, vt omnes fateri debent, ita nec hic lineæ aut numeri, sed modo longè confusissimo componitur tam vnum infinitum quàm aliud, nec eadem claritas spectanda est in re aliquâ infinitâ, atque in finitâ.

Infinitum modo longè confusissimo componitur.

XIII. Obiicies septimò: si dari possit infinitum in intensione, ergo & grauitas infinitè intensa, ergo motus lapidis dari poterit in instante, cùm secundùm proportionem potētiæ motricis semper fiat motus. Conf. grauitas illa produceret motum infinitè velocem, ergo moueret lapidem in instante. Conf. secundò, poterit Deus applicare simul infinitos Angelos ad eundē lapidem, ergo tunc mouebunt lapidem illud velocitate infinitâ. Ad argumentum, admissis cæteris, negatur posse esse motum lapidis in instante, foret namque in duobus locis simul.

Obn concesso infinito, dari posse motū in instāte.

XIV. Ad primam confirmationem dico, grauitatem illam producturam motum solùm finitè velocem, ob rationem iam dictam, quia scilicet statueret lapidē in duplici loco totali. Eodem modo resp. ad secundam confirmationem. Deinde, omnes illi Angeli simul, non haberent virtutem motiuam infinitè intensam, sed infinitam solùm extensiuè, non intensiuè. Secundò, fortasse non refugiet aliquis concedere in casu illo miraculoso lapidem statui posse simul in duobus locis, sicque grauitatem illam producturam motum infinitè velocem.

Quare cōcesso infinito, motus non fieret in instāte, nec esset infinitè velox. Alia responsio.

SECTIO VI.

Solutione cuiusdam difficultatis magis declaratur natura infiniti.

I. Obiicies octauò: si detur infinitum, sequitur, totum non esse maius suâ parte, ergo dari nequit. Antecedens probatur, in quolibet enim infinito sunt non tantùm infinitæ vnitates, decades, chiliades &c. sed etiam infinitæ infinitates, vt suprà dixi sec. 1. n. 3. In qualibet itaque infinitâ parte infiniti sunt infinities infinita, sed non est plus in toto infinito, ergo totum infinitum non est maius quacunque parte suâ infinitâ.

Obi. sequi totum non esse maius suâ parte.

II. Conf. hinc sequitur, si crearentur infiniti lapides palmares, & infiniti bipalmares diuersâ serie iuxta se inuicem longo ordine positi, sequitur, inquam, seriem lapidum palmarium æqualis fore magnitudinis cum serie bipalmarium, cùm in infinitate lapidum palmarium contineatur omnis numerus palmorum excogitabilis, sed plus non cōtineretur in numero bipalmarium, ergo. Conf. secundò, si crearentur infiniti homines, quorum singuli alterâ manu tenerent vnum aureum; hi, si aureos illos in vnū cumulum conicerent, possent singuli ex illo cumulo denuo sumere tres, quatuor, centum, imò infinitos aureos, cùm illic sint aurei infinities infiniti. Hoc autem videtur manifestè falsum: fieri enim nequit, vt qui singulos aureos in cumulum iniecerint, plures tollant quàm iniecerunt, cùm aurei per iniectionem illam non sint multiplicati.

Infiniti lapides palmares, æquales essent infinitis bipalmaribus.

Difficultas ex infinitis aureis in vnum cumulum coniectis.

III. Conimb. l. 3. Phy. c. 8. q. 2. a. 4. §. *Pro explicatione*, asserunt principium illud *omne totum est maius suâ parte* in numero tantùm finito locum habere, non in infinito. At sanè hoc apertè videtur falsum: totum enim, tam in numero infinito, quàm finito partem includit, & aliud ei superaddit. Et, si Deus lineam produceret hinc protractam in infinitum versus Orientem, deinde aliam ei vniret hinc productam in infinitum versus Occidentem, euidens est vtramque simul esse longiorem alterâ, cùm in infinitum ab vtrâque parte extendatur, quod neutri parti sigillatim sumptæ competit. Vnde satius esset millies negare infinitum, quàm ex illius concessione in eas angustias redigi, vt cogatur quis principio tam manifesto, ipsoque lumine naturæ noto refragari.

Concedunt Conimbri. in infinito totum non esse maius suâ parte.

Reiicitur hæc responsio Conimbr.

IV. Fasolus 1. p. d. 1. q. 7. a. 3 & 4. dub. 6. n. 1. vt huic argumento respondeat, ait si admittatur infinitum in multitudine posse dari multitudinem semel tantùm infinitam, id est, in qua sint tantùm infinitæ vnitates, non infiniti numeri binarij, aut ternarij, citatque pro eâdem sententia Mayronem in 1. d. 43. a. 2. fine & Baconum in 2. d. 1. q. 6. a. a. ad 2.

Fasolus concedit infinitum, in quo nō sint infiniti numeri binarij.

V. Sed contrà in infinito illo ex solis vnitatibus cōpacto, vel sunt infiniti numeri binarij autentum vel non: si sint, ergo non sunt semel tantùm in eo infinitæ vnitates, sed bis, sicque in cumulo illo non est semel tātum infinitum: si non sint in eo infiniti numeri binarij, ergo tantùm sunt finiti, hoc autem implicat, ex binariis etenim finitis confici nequeunt vnitates infinitæ, vt est manifestum. Conf. sequeretur infinitum posse à finitis exhauriri, si enim in illo semel infinito, sint tantùm finiti binarij, finiti homines accedentes possent cumulum illum exhaurire: imò vnus aliquis finito tempore & finitis acceptionibus id posset, si singulis vicibus duos, decem, aut centum aureos auferret. Implicat ergo infinitum illud simplex, seu semel tantùm infinitum.

Reiicitur, quia ex binariis finitis confici nequeunt vnitates infinitæ.

Implicat infinitum simplex, seu semel tantū infinitum.

VI. *In toto infinito sunt sæpius infinities infinita, quàm in vllâ eius parte, etiā infinitâ.*

Ad argumentum ergo n.5. propositum. Resp. in quauis parte infinitâ infiniti esse infinities infiniti. Hinc autem non sequitur, totum non esse maius suâ parte: licèt enim in quauis parte infinitâ sint infinities infinita, & in toto similiter infinities infinita, in toto tamen sæpiùs, imò infinities sæpiùs sunt infinities infinita, quàm in illâ eius parte, etiam infinitâ. Quod illi ipsi qui hoc nobis opponunt, concedere de facto debent in continuo: in quouis enim palmo, imò digito ligni vlnaris sunt secundùm illos infinitæ partes proportionales, vel, vt aliquis ex iis loquuntur, plures & plures partes in infinitum sine vltimâ: malè tamen secundùm ipsos quis hinc intulerit palmum, aut digitum ligni esse æqualem vlnæ: dicent enim, in vlnâ sæpiùs esse plures & plures partes sine vltimâ, quàm in palmo, solo, aut vllâ eius parte. Idem etiam soluere omnes debent in negationibus, quæ de facto sunt infinitæ. Et per hæc soluta est prima confirmatio n.2. posita.

VII. *Resp. exemplum infinitorum aureorum.*

Ad secundam confirmationem dico, quantumuis in cumulo illo aureorum sint infinities infiniti aurei, singulos tamen illos homines non posse inde tollere nisi vnum aureum. Vnde si pars aliqua hominum illorum ita se habeat, vt singuli tollant duos aureos, media pars hominum nullum habebit, cùm tot sint aurei quot homines, nec plures, nec pauciores. Sicut ergo sunt infiniti, imò infinities infiniti homines, qui binos aureos denuo ex illo cumulo tollunt ita infinities infiniti sunt quibus nihil remanet tollendum. Sic si multi ex hominibus illis tollant singuli quatuor aureos, centum, mille, infinitos, eâdem proportione, tot ex priori illo numero hominum erunt quibus nullus relictus sit aureus, qui tollatur. Hoc proinde non videntur aduertisse qui argumentum istud proponunt, nempe, sicut in cumulo illo aureorum sunt aurei infinities infiniti, ita in collectione hominum esse similiter homines infinities infinitos, & pari passu hominum collectionem, & aureorum numerum hac in parte procedere.

Quot ex illis hominibus tollunt duos aureos, tot homines erūt, quibus nihil remanebit tollendum.

VIII. *Dari possunt duo infinita finitè, vel etiam infinitè inæqualia.*

Hinc infertur, sicut dari possunt duo aut etiam plura infinita, in numero (idem est de magnitudine, intensione, &c.) planè æqualia, vt proximè ostensum est, ita posse etiam dari infinita quæ sint finitè, imò infinitè inæqualia: finitè, vt si Deus (manentibus hominibus illis sicut priùs) decem, centum, aut mille aureos cumulo illi adiiceret: infinitè, si eidem cumulo adiiceret aureos infinitos.

IX. *Implicat infinitum quod vnicâ tantum infinitate aliud superet.*

Infertur secundò, licèt possit dari infinitum, quod vnicâ tantùm vnitate aliud superet, vt in exemplo posito, si Deus cumulo illi aureorum vnum tantùm aureum adiiceret, vel etiam demeret; dari tamen nequit infinitum quod vnicâ tantum infinitate aliud excedat: implicat siquidem infinitum, quod semel tantum sit infinitum, vt nu.5. probaui contra Falolum, vbi ostendi apertam in eo contradictionem inuolui.

SECTIO VII.

Vtrùm sit possibilis creatura perfectissima.

I. *Status quæstionis.*

QVæstio est, vtrum vna, vel plures species creaturarum (si res specie diuersæ possint esse in perfectione æquales) sint possibiles tam perfectæ, vt nulla perfectior à Deo produci possit.

II. *Prima sententia negat possibilem esse creaturam perfectissimam.*

Prima sententia ait impossibilem esse creaturam, quâ Deus perfectiorem producere nequeat: ita S. Thomas 1. de poten. a.2. ad 9. & q.20. de verit. a.4. corp. & in 1.d.44.q.1.a.3. corp. Suar. d.30. Met. s.17. n.19. Falol. 1.p.q.7.a.3 & 4.d.11.nu.13. Hurt. d.13. Phy. s.3. Ouiedo cont.14 Phy. p.7 n.1. & alij plurimi, tam ex propugnatoribus, quàm impugnatoribus infiniti.

III. *Secunda sententia ait huiusmodi creaturam non implicare.*

Secunda sententia negat implicare creaturam perfectissimam; vnde ait possibilem esse creaturam, perfectionis etiam finitæ, quâ Deus perfectiorem producere non possit: ita Henric. quod l. 5.q.3. Aureolus in 1.d.44.q. vnic. a.4. propos.1 Dur. in 1.d.44. q.2 Bacon. in 1.d.44.q.1.a.2. Quam etiam sententiam mordicus defendit Arriaga d.13. Phy. s.3. & variis adductis rationibus stabilire conatur.

IV. *Arguit primò: potest Deus producere creaturam perfectissimam, quā potest.*

Ad probandum itaque esse possibilem creaturam perfectissimam sic arguit P. Arria. citatus n.28. potest Deus producere perfectissimam creaturam quam potest; quæ, inquit, propositio est nimis vera, cum sit identica: hæc ergo creatura, si producatur, vel est omnium perfectissima quæ produci possunt, vel non: si sit, habetur intentum; si non sit, ergo non produxit Deus perfectissimam quam potuit, cum alia hac perfectior sit à Deo producibilis. Hæc ille.

V. *Hic modus argumentandi inefficax est, & variis adductis instantiis retunditur.*

Hic modus argumentandi nunquam mihi visus est efficax, & simili formâ probo posse dari vltimam durationem possibilem à parte pòst: quod sic ostendo. Potest Deus designare durationem Angeli ab hac horâ remotissimam quam potest: Designet ergo huiusmodi durationem, vel illa est vltima possibilis: vel non: non primum, nulla enim est possibilis duratio horaria, ex g. post quam non sit alia possibilis, si non sit vltima, ergo alia remotior est possibilis, ergo non designauit remotissimam quam potuit. Quod argumentum formari potest etiam in cogitationibus hominum & Angelorum per totam æternitatem à parte pòst futuris. Similis argumentatio fit in numeris: Deus producere potest maximum numerum finitum, quem potest, vel ergo ille numerus est finitorum omnium maximus, quod implicat iuxta P. Arriagam s.4.n.45. vel nō est maximus; ergo Deus non produxit maximum numerum, quem potuit. Idem est in continuo, siquis sic arguat, Deus diuidere potest continuum, quantum potest, ergo in omnes partes, quod nullus concedet.

VI. *Deus producere potest creaturam perfectissimā quā potest, eo modo quo potest.*

Hæc eò adduxi, vt ostendam hunc modum argumentandi esse fallacem, & argumentum à proponente solui ab aliis plurimis debere: vnde quidquid dixerit ipse ad illa, dicent contrariæ sententiæ auctores in præsenti casu, de creaturâ perfectissimâ. Negant ergo possibilem esse creaturam perfectissimam: dicunt verò Deum posse producere creaturam perfectissimam quam potest, eo modo quo potest, nempe perfectiorem & perfectiorem in infinitum, non autem omnium perfectissimam, cùm nulla sit perfectissima, sicut nec possibilis est numerus finitus maximus. Quam responsionem omnes adhibent in potentia Dei ad diuidendum continuum, vt suprà dictum est, dum de continuo.

VII. *Arguit secundò: in creaturis possibilibus vna est excedens in perfectione, & non excessa.*

Arguit secundò: in creaturis possibilibus omnes non possunt esse excedentes simul & excessæ, sed intermediæ tantùm: vna ergo, seu infima est excessa tantùm, non excedens, alia excedens & non excessa, hæc autem est suprema, & omnium perfectissima, ergo est possibilis creatura aliqua, quam nulla alia in perfectione excedit.

VIII. *Hoc etiam argumentū manifestis instantiis retunditur.*

Hoc argumentum, sicut & præcedens ab ipso Arriaga in variis solui debet: si enim probet dari creaturam perfectissimam, probat similiter dari numerum finitum, finitorum omnium numerorum maximum. Simili ergo formâ argumentum conficio. In numeris finitis possibilibus non possunt omnes esse excedentes simul & excessi, sed tantùm intermedij: infimus ergo, seu binarius (vnitas enim

non est numerus, sed principium numeri) est excessus tantùm, & non excedens, reliqui excedentes simul & excessi, vnus demum, seu maximus est excedens & non excessus, cùm nullum numerum habeat se maiorem, à quo excedatur, ergo datur numerus maximus finitus: quod tamen negat Arriaga d. 13. Phy s. 4. n. 45. Cùm ergo clarum sit, hoc argumentum non probare dari numerum perfectissimum, quomodo existimare potest ipse, per illud probari, perfectissimam speciem?

IX. Idem etiam est in cogitationibus per æternitatem à parte pòst futuris, vbi siquis simili argumento contenderet non posse omnes esse antecedētes & subsequentes, sed ad vnam aliquam tandem perueniēdum, quæ sit subsequens tantùm, fatetur Arriaga argumentum esse fallax, & non concludere, ergo nec concludit in præsenti: quo pacto enim hoc argumentum ab eo hic iudicari potest solidum, quod alibi ab eodem censetur merum sophisma? Vnde in his & similibus gradationibus negare omnes solent consequentiam, &, vbi proceditur in infinitum, negant posse vel numerum assignari, quo maior, & maior, vel cogitationem quà posterior & posterior, vel speciem quà perfectior & perfectior dari nequeat in infinitum.

Argumentum, quod alibi est sophisma, nō potest hic esse solidū.

X. Arguit idem tertiò: in creaturis omnibus possibilibus collectiuè sumptis summa in perfectione repentur propinquitas cum Deo, quæ in creaturis reperiri potest, vt est manifestum: nulla enim est creatura quantumuis perfecta, quæ in collectione omnium creaturarum non includatur, ratione cuius maior hæc perfectio & propinquitas cum Deo collectioni huic proueniat. Vlteriùs, hæc propinquitas summa non reperitur in omnibus speciebus, cùm in illis sit inæqualitas in perfectione, *species* enim, vt dici solet, *sunt sicut numeri*, ergo vna aliqua species est, ratione cuius collectioni huic creaturarum possibilium conueniat vicinitas illa maxima cum Deo, ergo illa species est reliquis omnibus perfectior, sicque datur creatura perfectissima.

Arguit tertiò: in omnibus creaturis possibilibus est summa propinquitas cum Deo.

Species sūt sicut numeri.

XI. Contrà: eodem prorsus argumento probaretur dari numerum maximum finitū, quod omnes meritò censent esse implicatorium, sic enim esset possibilis numerus finitus (imò de facto daretur, si Deus crearet infinitum in multitudine, hominum ex. g. vel Angelorum) cui si vel vna vnitas adderetur, fieret infinitus, sicque contra omnes *finitum additum finito faceret infinitum.*

Hoc etiam argumentum æquè vrget propositionem.

Sic igitur eàdem formâ argumentor: in numeris omnibus finitis collectiuè sumptis summa reperitur vicinitas cum numero infinito, quæ in numeris finitis reperiri potest, nullus enim est numerus finitus quantumuis perfectus, qui in hac omnium finitorum numerorum collectione non includatur, ratione cuius maior hæc vicinitas cum numero infinito proueniat. Deinde, hæc summa vicinitas non reperitur in omnibus, imò nec in vllis duobus numeris finitis, cùm nulli duo numeri sint, ex subordinatis, qui non inæqualiter distent ab infinito: ergo vnus aliquis numerus est ratione cuius, collectioni huic numerorum finitorum maxima hęc vicinitas cum infinito in multitudine conueniat: ergo ille numerus est reliquis omnibus perfectior, ergo datur numerus maximus finitus. Hanc consequentiam negat P. Arriaga, atque argumentum, quantumuis speciosè contextum, non concludere de numero finito perfectissimo, ergo nec concludit de specie, seu creatura perfectissima. Dicendum proinde, nec numerum, nec speciem vllam esse assignabilem, quibus perfectiores & perfectiores, tam numeri quàm species, non sint possibiles in infinitum.

Ex illo argumento sequitur posse dari maximum numerum finitum.

XIII. Argui potest quartò: vnio Hypostatica rerum omnium creatarum videtur perfectissima, præsertim illa (quam possibilem multi putant) quæ omnes tres diuinas Personas eidem naturæ creatæ coniungeret, ergo datur creatura perfectissima. Resp. negando antecedens: plurimi enim asserunt Angelum esse perfectiorem vnione Hypostaticâ, licet enim hæc sit supernaturalis, est tamen quid incompletum, nec est principium effectiuum operationum vitalium, sicut Angelus. Vnde illud S. Dionysii, *infimum supremi superat supremum infimi*, intelligi debet per se loquendo, & cæteris paribus, vt contingit in ordinibus Angelorum, vbi infimus supremi chori est perfectior supremo chori inferioris. Secundò dico, posse in vnionibus ipsis Hypostaticis dari perfectiorem & perfectiorem in infinitum, sicut res ipsæ, creatæ, quibus possunt diuinas Personas coniungere, sunt in infinitum perfectiores semper & perfectiores: vt Angelus est perfectior animâ, Angelus superioris ordinis perfectior Angelo inferioris, & sic deinceps: perfectio autem vnionis desumitur, cæteris paribus, à perfectione extremorum.

Arguitur quartò: vnionem Hypostaticam esse creaturam omnium perfectissimam.

Infimum supremi superat supremum infimi.

Resp. in ipsis vnionibus Hypostaticis dari posse perfectiorem, & perfectiorem in infinitum.

SECTIO VIII.

Resolvitur quæstio de creaturâ perfectissimâ: & alia circa Infinitum inferuntur.

I. PRobabilius ergo mihi videtur non esse possibilem creaturam huiusmodi perfectissimam. Ratio est, quia nullam video rationem vrgentem ad illam astruendam, quæque in aliis multis ab omnibus solui non debeat: imò ipsemet, qui argumenta ad illius possibilitatem ostendendum proponit, fatetur alibi ea esse fallacia. Cùm ergo nulla sit necessitas eam concedendi, satius mihi videtur eam negare, præsertim, cùm illa incommoda ex illius concessione sequantur, quæ vidimus sectione præcedente.

Conclusio: non est possibilis huiusmodi creatura perfectissima.

II. Eodem etiam modo dicendum non esse possibilem creaturam omnium intensiuè imperfectissimā. Ratio est, quia nullum est fundamentum possibilitatem huiusmodi creaturæ concedendi, nec, sicut in perfectione, ita & in imperfectione, dicendi non esse plures & plures species possibiles in infinitum, & eadem ferè incommoda sequuntur, quæ ex conclusione præcedente.

Nec est possibilis creatura omnium imperfectissima.

III. Dices; hinc sequi, supremum Angelum habere perfectionem simpliciter infinitam, cùm secundùm nos, infinitæ sint creaturæ possibiles illi in perfectione inferiores. Sumamus ergo imperfectam aliquam creaturam, quæ habeat perfectionem vt vnum, alia habeat perfectionem vt duo, alia vt tria, & sic deinceps: ergo Angelus ille habebit perfectionem infinitam. Nego consequentiam, nec enim arithmeticè, vt aiunt, crescunt hæ perfectiones, sed geometricè, seu secundùm quandam proportionem: alioqui etiam equus, & formica essent infinitæ perfectionis, cum aliæ & aliæ creaturæ assignabiles sint in infinitum ipsis imperfectiores.

Non bene sequitur Angelum habere infinitā perfectionem.

IV. Calculatoria ergo hæc argumenta plerumque sunt fallaciæ vt siquis arguat, visio obiecti perfecti vt vnum habet tantum perfectionis, visio obiecti perfecti vt duo est priore perfectior; ergo visio obiecti infinitè perfecti, seu Dei, erit infinita. Item voluntas dandi vnum aureum meretur præmium vt vnum, voluntas dandi duos maius adhuc præmium, & sic deinceps; ergo voluntas dandi infinitos aureos merebitur præmium infinitum: omnes

Ostenditur argumenta calculatoria plerumque esse fallacia.

negant consequentiam, licèt infinitæ voluntates dandi vnum aureum in crearentur præmium infinitum. Vt ergo aliquid in perfectione superet alia infinita, non requiritur vt eorum omnium perfectiones in se contineat, sed vt prædicatum habeat superioris rationis: quo pacto homo per prædicatum *rationale* perfectior est intensiuè infinitis brutis, & rebus inanimatis.

Quid requiratur, vt vnum imperfectione superet infinita alia.

V.

Quid sit aliqua crescere proportione Arithmeticâ, & Geometricâ.

Hinc infertur explicatio illius, quod suprà obiter recensui, & frequenter tum in Philosophiâ, tum in Theologiâ occurrit nempe quid sit aliqua crescere *proportione Arithmeticâ, & Geometricâ*, quod expedit semel declarasse. Et vt non abeam longiùs, res optimè explicabitur exemplo visionis numero præcedente posito. Visio itaque perfectionem desumit ab obiecto, ità vt, per se loquendo, visio obiecti perfectioris sit perfectior, non *proportione Arithmeticâ*, ita scilicet vt visio obiecti superioris in perfectione eâdem proportione superet visionem obiecti inferioris, seu eâdem æqualitate, quâ vnum obiectum superat aliud, sed *proportione* tantùm *Geometricâ*, id est, vt sicut hoc obiectum est perfectius alio, ita etiam visio huius sit, per se loquendo, perfectior aliquo modo visione alterius, non tamen vt *Arithmeticè*, seu pari passu procedat cum obiecto. Dixi *per se*, cùm enim cognitio non ex obiecto solo oriatur, sed ex aliis etiam principiis, quod deest in obiecto, compensari potest aliunde: quare cognitio euidens de igne, aquâ, aut plantâ, est perfectior cognitione probabili de Angelo, & cognitio supernaturalis de rebus quibusdam creatis perfectior videtur cognitione abstractiuâ, naturali, & imperfectâ de Deo: & sic de cæteris.


Visio obiecti perfectioris est, per se loquendo, perfectior visione obiecti imperfectioris.

Quæres, num infinitum claudi possit intra duos terminos? Nullam video huius rei repugnantiam: licèt enim haberet fines, non tamen hos qui finiri, vel in quibus ab vno ad alterum finito tempore peruenire posset, quæ est mens Aristotelis, dum dicit, infinitum pertransiri, seu exhauriri non posse, certum enim est infinitum aceruum lapidum exhauriri posse ab infinitis Angelis, vt suprà diximus. Hic ergo finem infinito, vnaque disputationibus Physicis imponemus.

VI.

Claudi potest infinitum intra duos terminos.

Finis Disputationum in octo libros Physicorum.



IN

IN
LIBROS DE COELO
DISPVTATIO PRIMA.

De naturâ corporum cælestium.

Ratio, quæ in hoc tractatu seruabitur.

PHilosophicè magis quàm astronomicè isthæc pertractabimus: nec tam diuersos cœlorum motus, & concordem astrorum discordiam, accessum solis & recessum à Polis mundi, labores solis ac lunæ, diei ac noctis, æstatis ac hyemis, veris & autumni, caloris & frigoris, lucis ac tenebrarum vicissitudinem, & alia huiusmodi, quàm proprietates cæli, eiusque constitutionem, quæ peculiariter ad Philosophum spectant, discutiemus: reliqua, quantum instituti ratio patitur, succinctè, ac breuiter tradem us.

SECTIO PRIMA.

An cœlum sit animatum.

I. *Arist. cælum animatum ponit, idque animâ rationali.*

ARistoteles l.2. de cœlo, text.13. & 62. & lib.2. Met. tex.35. cœlum ponere videtur animatum, imò animâ rationali, & intelligente præditum: licèt S. Thomas eum excuset, dicatque solùm velle Aristotelem cœlum habere animam, seu intelligentiam, non informantem, sed assistentem.

II. *Anaxagoram reum factum Athenis, quòd solem negauerit esse animatum.*

Quicquid ergo sit de mente Aristotelis hac in parte: cœlos esse animatos expressè docet Plato, Pythagoras, & alij ex antiquis. Imò apud ipsos adeò certum habebatur cœlum esse animatum, vt, teste S. Augustino l.18. de Ciuit. c.41. Anaxagoras reus factus sit apud Athenienses, & supplicio affectus, quòd solem lapidem ardentem esse dixerit, & non aliquid animatum. Idem sensit Philo Iudæus lib. de opificio mundi, Plin. lib.2. Nat. Histor. cap.8. & alij.

III. *Origenes Christum, non pro hominum tantùm sed pro astrorū etiam peccatis mortuum esse asserebat.*

Intec Christianos etiam non defuerunt, qui hoc senserint: imò ipsemet S. Augustinus & S. Hieronymus dubij hac in re fuisse videntur. Origenes verò tom.1. Commen. in Ioann. & l.1. Periarchon cap.7. stellas non solùm animatas esse docet, sed virtutis etiam ac vitij capaces, Christumque, non pro hominum tantùm, sed pro astrorum etiam peccatis esse mortuum. Dubitat etiam Dionys. Carthusianus in 2. d.14. q.4. vtrùm cœli animati sint, necné. Idem probabile esse censet Aureolus in 2. d.14. q.2. art.2. & q.3. fauetque eidem opinioni Caiet. in Psal. 135. Imò S. Thomas l.2. cont. Gen. cap.70. & alibi idem sensisse videtur: sed 1. p. q.70. art.3. opinionem illam retractat.

IV. *Cœli non sunt animati.*

Conclusio: cœlum non est animatum. Hæc est communis Patrum ac Theologorum sententia: vnde S. Ioan. Damascenus l.2. fidei Orthod. c.6. *Nullus*, inquit, *cœlos aut sidera animata esse existimet, animâ quippe, ac sensu carent.* Idem docet S. Ioan. Chrysostomus homil. in Psal.4. S. Ambros. l.2. c.4. S. Cyrill. l.2. cont. Iul. S. Basil. in Hexam. Hom.3. In hanc etiam sententiam conspirant recentiores ad vnum omnes, Pererius l.2. in Genes. q.7. Conimb. l.2. de cœlo, c.1. q.1. art.2. Murcia l.2. de cœlo, d.1. q.1. Rubius l.2. de cœlo c.1. q.1. Hurt. d.1. de cœlo sect.4. n.41. Tann. 1. p. d.6. quæst.2. d.5. num.8. Arriaga d. vn. de cœlo, sect.2. Ouiedo cont. vn. de cœlo p.1. num.3. & alij.

V. *Ratio est, quia nullū vitæ vestigiū in cœlo deprehenditur.*

Ratio est: nullum enim vitæ vestigium in cœlis deprehendimus, vnde gratis, & sine vllo fundamento vitam iis quis tribuerit. Conf. alioqui pari quis ratione diceret aërem viuere: sicut autem hoc asserere, esset diuinare, ita & illud. Conf. secundò quoad vitam vegetatiuam, videmus enim in omnibus rebus, quæ hac vitâ viuunt, magnam organorum, partium, ac temperamenti varietatem, & heterogeneitatem, quæ vitæ huius functionibus deseruit, cùm tamen in cœlo nihil cernatur huiusmodi, sed omnimoda similitudo, & partium homogeneitas. Quæ magis vrgent, si cœlum sit corpus simplex, de quo disp. sequente. Tandem quoad vitam rationalem posset quis æquè dicere terram, aut aquam, vel aliam quamlibet rem materialem vti ratione, ac cœlum.

Ostenditur cœlum non viuere vitâ vegetatiuâ.

Nec vitâ rationali.

VI. *Ex motu non arguitur in cœlo vsus rationis.*

Dices; hoc conijcitur ex motu, quem in cœlis vniformem cernimus, & perpetuum. Contrà: in rebus etiam inanimatis motum cernimus, ergo ex motu nullum ad vitam, nedum ad rationem deducitur argumentum. Vnde autem motus ille cælorum proueniat, vtrùm ab extrinseco, an ab innatâ iis virtute motrice, dicetur postea.

SECTIO II.

Vtrùm cœli sint naturaliter incorruptibiles.

I. *Cœli diuinâ virtute possunt destrui.*

NAturaliter, inquam; per potentiam enim Dei absolutam posse illos corrumpi, seu destrui, certum est. Sicut enim diuinâ virtute ex nihilo sunt extracti, ita si suum Deus concursum suspenderet, momento in nihilum reciderent. Et hoc sensu, siquis ita loqui velit, sunt cœli naturâ suâ corruptibiles, id est, habent naturam quæ non petit semper essentialiter durare, sed diuinâ virtute potest destrui.

II. *Quo modo intelligēdi Patres, dū dicūt nullam rem creatā esse naturâ suâ immortalē.*

Hoc modo intelligendi sunt nonnulli ex sanctis Patribus, dum incorruptibilitatem nulli rei creatæ naturâ suâ competere affirmant, nec cœlos tantùm, sed etiam Angelos, non naturâ, sed ex dono, & gratiâ Dei immortales, & incorruptibiles esse asserunt. Sic inter alios loquitur S. Damascenus l.2. fidei Orthod. c.3. *Immortalis*, inquit, *Angelus est, non naturâ, sed gratiâ; nam omne quod cœpit, & desinere suapte naturâ potest.* Intelligendus, inquam est, Angeli naturam non petere, postquam producta est, essentialiter semper existere, sed per diuinam saltem potentiam destrui posse, licèt per potentiam ordinatiam, aut vi agentium naturalium non possit.

III. *Supponit quæstio cœlum nō esse corpus simplex.*

Quæstio verò hæc procedit supponendo cœlos componi ex materiâ & formâ: si enim sint corpora simplicia, clarum est vi nullius, saltem agentis naturalis, corrumpi eos posse.

IV. *Prima sententia cœlos docet esse corruptibiles.* Prima sententia affirmat cœlos esse naturaliter corruptibiles: ita Philosophi antiqui propè omnes, Plato, Anaxagoras, Democritus & alij. Idem sentire videtur Magister in 2.d.14. & Carthusianus in 2.d. 14.q.2.& expresʃè tenet Salmeron in 2.Pet.cap.3. d.4 Valesius de Philos.Sacrâ, cap.89. Delrio in c.1. Genes.& alij nonnulli. In qua etiam sententiâ fuisse videntur nonnulli ex sanctis Patribus, quorum tamen mentem explicui n.2.

V. *Secunda sententia vult cœlos esse incorruptibiles.* Secunda sententia docet cœlos esse naturaliter incorruptibiles: ita Aristot.l.1.de cœlo cap.3.& l.2. c.1.& alibi, docens cœlum non esse eiusdem rationis cum elementis, sed quintæ cuiusdam essentiæ. Idem habet S.Thomas 1.p.q.66.art.2.corp.& in 2. d.14 q.2.S Bonau.in 2.d.14.art.1.q.1. & 2. Alensis 2.p.q.40.Molina 1.p.q.9.art.2.q.2. Conimb.l.1 de cœlo c.3.q.1.art.2.Hurt.d.1. de cœlo sect 5.Arriaga hîc, d.vn.s.3.n.42.& 45.Ouiedo d.vn. de cœlo p.2.nu.20.In qua etiam sententiâ sunt S.Dionys.S. Greg Nyssenus, & plerique ex sanctis Patribus.

VI. *Cœli sunt naturâ suâ incorruptibiles.* Dicendum cœlos esse natura sua incorruptibiles ita auctores secundæ sententiæ. Probatur, si enim possent cœli recipere primas qualitates & accidentia corruptiua, ergo ignis qui sphæræ lunæ est vicinus, tot iam annorum spatio in eam egisset, & magnam eius partem in ignem conuertisset. Item, ipsa luna, quæ est virtualiter humida & frigida, ageret in cælum sibi proximum, & sic paulatim illud corrumperet, & in aquam resolueret. *Variis modis probatur conclusio.* Præterea, non videtur repugnare huiusmodi vnio inter materiam & formam, quæ sit naturaliter indissolubilis, sicut de facto vnio inter materiam & quantitatem nullâ vi naturali dissolui potest, nec vnio passionum cum animâ. Tandem ad rectam vniuersi constitutionem spectare videtur, vt dentur huiusmodi corpora incorruptibilia, tanquam corruptibilium constans, & stabilis mensura, ac permanens, & indefectibilis eorum causa.

VII. *Varia phænomena, quibus ostendi videtur partes aliquas cœli de facto fuisse corruptas.* Sed contra hoc obiici potest; nam de facto videtur in cœlo aliquando contigisse corruptio: primò enim refert. S.Augustinus 20. de Ciuit.c.8. & cum eo plures Mathematici, tempore Regis Ogigis, stellam Veneris magnitudinem, cursum, & figuram mutasse. Deinde anno salutis 1572. in Cassiopeia apparuit noua stella, quæ denuò post biennium paulatim desiit. Stellam hanc in Cassiopeia miraculo ascribunt Conimbricenses 1.de cœlo c.3.q 1. art.4. sicut & multi alij faciunt Philosophi, & Astrologi. Quod idem dicendum de stellâ Veneris, si verum sit quod de eâ refertur. Deumque ob fines sibi notos diuinâ hæc virtute præstitisse: quemadmodum *Multa ex his phænomenis sunt ascribuntur miraculo* etiam miraculosè contigit stella illa in Natiuitate Christi, & sol miraculosè in eius morte fuit obscuratus, à motu cessauit iubente Iosue, retrocessit decem gradibus in signum longioris vitæ Regi Ezechiæ concessæ &c. si enim vi agentium naturalium possent fieri huiusmodi mutationes in cœlo, cur non sæpius contingerent?

VIII. *Nonnulli saluare hæc conantur per epicyclos* Alij saluare hæc conantur per variam concentrentiam epicyclorum paruas quasdam stellas deuehentium, quæ licèt singulæ seorsum ob paruitatem cerni non possint, possunt tamen, inquiunt, coniunctæ. Hoc bene impugnat Arria. hîc s.3.n.20.

IX. *Sintne cœli in fine mundi verè corrumpendi.* Quæres secundò, num saltem diuinitus sint de facto corrumpendi cœli in die iudicij? In varias de more auctores abiere sententias, affirmantibus his, alijs negantibus. A parte affirmatiuâ stant varia loca Sacræ Scripturæ. Psal. 101.v.27. *Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt* &c. Luc.21.v.33. *cœlum & terra transibunt* &c. secundæ Petri, 3.v 10. *cœli magno impetu transibunt*. Apoc.21.v.1. *vidi cœlum nouum & terram nouam, primum enim cœlum, & prima terra iam abiit.* Ac proinde hanc sententiam amplectitur Salmeron to.1.proleg.8.Maldon.in c.24.Matth.v. 29. vbi ait reuera stellas de cœlo ante diem Iudicij casuras: *magis enim, inquit, assentior Christo affirmanti, quàm Aristoteli id fieri posse neganti.* Molina d. 14. de Opere sex.dier.Hurt.in lib.de cœlo s.5.n.49.& alij plurimi, secuti multos è sanctis Patribus, & ipsi literæ videtur conformior. *Cōforme verius est scripturæ cœlos in fine mundi destruendos ire.*

X. *Multi negant cœlos omnino destruendos.* Suarez tamen 3.p.to.2. d.58. s.2.§ *Tertiò dicendum.* citans magistrum & S.Thomam in 4.d.47 & 48 Pererius l.1.in Gen.q.1.& 2.Conimb.l.1.de cœlo c.3.q.1.art.3 Tann.1.p.d.6.q.4.dub.5.n.5.& alij secuti S.Augustinum l.20. de Ciuit.c.14.16.18. & 24.per cœlos in his locis intelligunt aërem, quo sensu dicuntur aues *volucres cœli*, & alia huiusmodi, vt suprà. Et certè locus S.Petri, qui tamen explicatu videtur difficillimus, patitur hunc sensum; cœlos enim, quos in die Iudicij dicit transituros, paulò antè affirmauerat eluuione aquarum perisse, quod de sphæris cælestibus intelligi non potest. Quando autem dicitur futuros *cœlos nouos, & terram nouam*, intelligitur cœlos illos qui de facto sunt, ita innouatum iri, vt videantur noui, sicut anno vertente semper videtur noua terra redeunte vere, cùm sit noua facies rerum. *Quomodo erunt cœli noui.*

XI. *Cœlum à nullo agente sublunari potest diuidi.* Ex his infero, cœlum non esse corruptibile per diuisionem seu destructionem vnionis continuatiuæ, saltem ab vllo agente sublunari. Vtrum autem ab Angelo non possit vna pars eius separari ab aliâ, non est ita certum.

SECTIO III.

Sintne cœli solidi, an fluidi.

I. *Non procedit quæstio de cœlo Empyreo.* SErmo est de aliis ab Empyreo, Empyreum enim solidum esse, saltem quoad partem extimam, communis est Theologorum opinio. Imò S.Thomas solidum etiam intus vsquequaque illud constituit, & sicut in corporibus beatorum donum subtilitatis ab omnibus constituitur, quo cum rebus quibusque durissimis penetrentur, ita aeri in pulmonibus incluso donum similiter penetrabilitatis cum cœlo Empyreo concedit ipse, vt sancti ibidem vocem, ac verba formare possint, & inter se, vbi libitum fuerit, colloqui.

II. *Prima sententia vniuersim docet cœlos omnes esse fluidos.* Tres in hac re sunt sententiæ. Prima docet, cœlos non esse solidos, seu ex materiâ firmâ, & quasi durâ compactos, sed ex fluidâ ac molli, hoc est facilè corporibus obuiis cedente, instar aëris nostri, qui rebus omnibus est peruius, iisque non nisi paruum admodum resistit. Astra proinde in cœlis moueri asserit hæc sententia sicut aues in aëre, vel in aquâ pisces, & sphæras cælestes iis, in quamcunque partem feruntur, cedere, & locum astris transeuntibus relinquere, deinde fissas illas partes denuo instar aëris aut aquæ coalescere.

III. *Astronomi recentiores plerumque cœlos affirmant esse liquidos.* Huius opinionis fuerunt plerique ex antiquis Philosophis: eandem tenuisse fertur Plato in Timæo, & multi ex Astronomis recentioribus cum Tychone Brahe eam sunt amplexi ob nouas quasdam tum stellarum, tum cometarum apparitiones, ex quibus hanc de cœlorum liquiditate sententiam conuinci opinantur. Eiusdem etiam sententiæ fuisse videntur multi ex antiquis Patribus, vt S. Gregor. Nyssenus in Hexam. Iustinus Martyr ad q.39. Orthod.S.Basil.Hom.3.Hexam.c.6. Euseb. Emisse.in caten.c.1.S.Ambros.l.1. Hexam.c.6.Lactan.l.3.de falsa Sapien. cap.24. & alij, quos videre licet apud Tann.1.p.d.6.q.3.dub.2. vbi rem hanc fusè & eruditè tract. Idem olim docuit Seneca l.7.nat.quæst. & alij. Quam etiam sententiam probabiliorem censet

fet Arriaga hîc s.4.n.53. & Ouiedo d.vn.de cœlo, p.3.n.25.

IV. *Patres non expressè dicunt cælos esse fluidos.*

Patres verò proximè citati licèt expressè non dixerint cœlos esse fluidos, cùm tamen dicant stellas moueri, non cœlum: manifestè ex iis colligi videtur cœlos non duros, sed ex materiâ molli ac liquida esse compactos: nisi vel dicatur stellas cum sphæris cælestibus penetrari, quod naturaliter fieri non potest, vel enim Arriaga hîc s.3.nu.17. astra non intra sphæras sibi proprias, sed supra eas rotari: tunc autem vel interuallum maximum, & intercapedo, ad latitudinem, scilicet singulorum astrorum relinqui intra sphæras debet, vbi nullum planè sit corpus, vel statui illic maxima vis materiæ fluidæ, in quâ astra illa supra suos orbes rotentur.

V. *Secunda sententia cœli stellarum fixarū ponit, solidum, planetarum fluidum.*

Secunda sententia docet, stellas non errantes in suo cœlo solido fixas esse, erraticas verò seu planetas, nullo solido corpore deferente vagari hinc inde, & inconstantem suum cursum in quodam veluti liquido corpore errabundè perficere. Ita loqui videtur S. Anselmus Cantuariensis l.1.de Imag.mundi c.24. Isidor.l.3.Etymolog.c.49.& alij. Hanc etiam sententiam acriter defendunt recentiores quidam Astronomi ob noua quædam phænomena, quæ infra octauam sphæram obseruantur, ac proinde nihil illius soliditati officiunt, sed sphærarum tantum octaua inferiorum, seu planetarum.

VI. *Tertia sententia omnes omnino cœlos asserit esse solidos.*

Tertia demum sententia vniuersim affirmat non octauam tantùm sphæram quæ sedes est stellarum non errantium, sed reliquas etiam omnes inferiores quæ planetis, seu stellis erraticis deseruiunt, firmas esse ac solidas, & ex materiâ densâ ac dura compactas. Hæc est mens Aristotelis l.2.de cœlo, to.43.& multorum ex antiquis tum Astronomis tum Philosophis. Eandem sententiam passim tenent Sancti Patres: ex quibus illi ipsi quos suprà retuli tanquam fauentes contrariæ opinioni, hanc multò clariùs & expressiùs tradunt. Cœlos ergo esse solidos docet inprimis S. Hieronymus in Epist. ad Ephes. lib.2. ca.3. S. Damasc.l.2.Orthod.fidei c.6. S.Basil. Hom. 3.Hexam. S.Ambros.l.2.Hexam.cap.2. S. Chrysost. in caten.lec.4. Orig.Hom.1.in Gen. S. Anselm. Cantuar.lib.1.de Imag.mund.cap.35. Cyrill. Hierosol. Catech.9.& alij plurimi. Idem docet S.Thomas in 2.d.14,& 1.p q.68.art.2.corp. & ad 2. Pererius l.2. quæst.9. Delriu in Genes.cap.1.n.36. Tann.t.p.d.6. q.3.dub.2.nu.51.& 66. estque communis Theologorum sententia.

Sancti Patres passim docent cœlos esse solidos.

VII. *Cœlū stellarum fixarum est solidum.*

Dico primò: cœlum, quod est sedes stellarum nō errantium, seu firmamentum, est solidum: ita Patres, & auctores proximè pro tertiâ sententiâ citati, & peculiariter S.Thomas citatus, art.illo 2.corp. Hanc conclusionem P. Tannerus citatus ait sine temeritate negari vix posse.

VIII. *Probatur, quia in Scripturâ cœli dicuntur esse solidissimi instar æris.*

Probatur primò ex illo Iob 37. v. 18. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Vbi & ex verbis ipsis, & contextu, Patrumque & interpretum communi consensu, sermo est de cœlis ipsis sidereis, qui hîc instar æris solidi esse dicuntur.

IX. *Malè quidam hunc scriptura locum interpretantur.*

Respōdet P. Arriaga hîc s.3.n.38. nihil hoc loco de soliditate cœli contineri, sed solùm significari cœlos esse firmos, stabiles, & incorruptibiles, non tamen solidos, ac duros. Eodem ferè modo respondet P. Ouiedo hîc p.3.n.6. nempe, non comparari cœlum cum ære, quia est solidum, sed quia constās, & diu perseuerans. Sed contrà: vel ipsa Scripturæ Verba has solutiones refellunt, *cælos qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Quibus verbis potuisset Scriptura clariùs, cœlorum soliditatem exprimere? Si cœlorū incorruptibilitatem hîc declarare voluisset Scriptura, aliis haud dubiè fuisset verbis vsa; dixisset scilicet, eos esse stabiles, & permanentes instar æris, non solidos, hæc enim vox non incorruptibilitatem sonat, sed duritiem, vt est manifestum. Vnde, hæc solutio habere locum non potest, nisi verba Scripturæ ad impropnos sensus maximè detorquendo.

Nō potuisset Scriptura clarioribus verbis cœli soliditatem declarare.

X. *Probatur ex aliis Scriptura locis cœlos esse solidos.*

Probatur secundò ex illo Psal. 32. v. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt:* & Psal.101.v.3. *Extendens cælum sicut pellem:* quæ sine dubio rem solidam potiùs, quā liquidā denotant, vt benè notat Tann. citatus, apud quem plura videri poterunt: hæc instituto nostro sufficiunt, & meo iudicio conuincunt Scripturam sententiæ cœlos astruenti solidos multò magis fauere, quàm eosdem statuenti liquidos.

XI. *Probabilius etiam est sphæras planetarū esse solidas.*

Dico secundò: probabilius mihi videtur idem de aliis etiam cœlis, stellato inferioribus, seu planetarū sphæris esse dicendum, eas nimirum omnes esse solidas. Hæc etiam videtur mens sanctorum Patrum, qui dum cœlos solidos esse affirmant, indiscriminatim de omnibus sidereis loquuntur. Locus etiam ille Iob proximè citatus, vbi cœli dicuntur *solidissimi*, non de vno tantùm cœlo stellarum fixarum intelligendus videtur, sed etiam de aliis, cùm de pluribus loquatur.

SECTIO IV.

Argumenta contendentia, cælos non solidos esse, sed fluidos.

I. *Obi. non decere sapientiam diuinam tātam molem solidā creare ad vnum astrum mouendum.*

P. Arriaga, reliquis argumentis pro cœli liquiditate tanquam inefficacibus reiectis, hoc velut cæteris omnibus ad istbuc probandum efficacius proponit d.vn.de cœlo, s.4.n.53. *In cælo septimo,* inquit, *magnitudo est prope infinita, & respectu cuius Saturnus illi affixus est veluti vnicum solummodò punctum:* videtur ergo parum diuinæ sapientiæ consonum, vt ad mouendum tantillum, vt ita dicam, sidus (respectiuè scilicet ad cœlum) totam illam molem sphæræ septimæ moueat, sed præstat dicere astrum solum in materiâ illâ fluidâ ab intelligentiâ moueri, ingens enim illa materiæ solidæ machina ad sideris illius motum planè videtur superflua.

II. *Contrà: quoad respectum ad sapientiam diuinam, idem est in vtraque sententiâ.*

Sed contrà, quoad superfluitatem enim tantæ sphæræ, seu machinæ ad motum illius stellæ, eadem videtur mihi difficultas in vtrâque sententiâ, siue scilicet cœli ponantur solidi, siue fluidi: si enim parum deceat sapientiam diuinam tantam molem materiæ solidæ parare, vt sidus, respectiuè tam exiguum, per illius motum moueatur, parū certè eandem decebit tantum materiæ fluidæ parare, vt sidus respectiuè tam paruum in eo moueatur: ad quid enim tantum mare vnico pisciculo? millies sanè plus est, quam si totum oceanū crearet, vt exiguus aliquis in eo piscis natet, aut totum hunc aërem, vt vna in eo auicula, aut musca volitet. En quoad hoc quod arguitur dedecere sapientiam diuinam, par planè est difficultas in vtraque sententia.

Ad quid tantū mare vnico pisciculo.

III. *Tria Dei attributa maximè in cœlorum fabricâ elucent. Potentia. Gloria. Sapientia.*

Iam verò ostendo non dedecere, sed maximè commodare sapientiam diuinam, vt sphæræ omnes cælestes sint solidæ. Pro quo notandum, tria maximè Dei attributa in cœlorum fabricâ elucere, *potentiam, gloriam, & sapientiam: potentia* relucet in magnitudine cœlorum: *gloria* in luce eorum, & pulchritudine tandem *sapientia* relucet in machinæ illius cælestis artificio, quod innuit illud Psal.8.v.4. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum,* quod interpretes explicant de cœlorum artificio, sicut & illud Psal 135.v.5. *qui fecit cælos in intellectu.*

IV. Quòd autem in cœlorum fabricâ magis eluceat sapientia Dei, si sphæræ omnes sint solidæ, quàm si sint fluidæ, sic ostendo. In illa machina magis elucet

Magis in machina cælesti reluceret sapientia Dei, si cæli sint solidi, quàm si sint fluidi.

peritia & sapientia artificis, quæ aptior est ad finem ab artifice intentum certiùs & constantius assequendum, & cum minore errandi periculo: sed si cæli sint solidi, aptior est machina cælestis ad finem à Deo illius artifice intentum certiùs, constantiùs, & cum minore errandi periculo assequendum, nempe ad easdem astrorum circulationes singulis annis repetendas, ad eosdem planetarum occursus & recursus, eandem diei & noctis, hyemis & æstatis, aliorumque anni temporum constantem varietatem, ac vicissitudinem, & alia huiusmodi, ergo. Probo hanc minorem, & sumamus ex g. sphæram solis, si hæc sphæra sit fluida, cum sit multò maior sole, posset sol, quantum est *ex vi machinæ*, æquè esse in supremo aut infimo circulo suæ sphæræ, atque in medio, imò vno die, aut anno esse potest in vna parte suæ sphæræ in alio in alia, sicque nihil haberemus certi, sed omnia plena forent confusione. Dixi, *ex vi machinæ*, quòd enim cura & peritia Angeli mouentis, ordo & constantia seruaretur, non machinæ præstantiæ tribuendum est, sed motoris.

Si cæli sint fluidi, nihil haberemus certi ex vi machinæ cælestis.

V. Si verò cælestes sphæræ firmæ sint, ac solidæ, sol in certâ parte suæ sphæræ fixus eundem semper tenorem seruat, nec errandi periculo ita exponitur eius motor. Vnde si is, qui solis sphæram mouet, haberet tantum vitium, quantum Angelus qui ei de facto assistit, licèt, non haberet tantum sapientiæ, & intelligentiæ, studè tamen posset hoc munere fungi, nec ita exponeretur periculo errandi, sicut si cœli essent fluidi. Si ergo orbes cælestes sint fluidi, intelligentiæ motrices in machinâ illa moderandâ possunt non errare: si sint solidi, non possunt errare, nisi sponte velint: ergo machina est multo præstantior, longeque magis opificis sapientiam commendat. Sicut horologium illud multò plus in se haberet artificij, longeque magis commendaret peritiam artificis, quod sine tanta cura & vigilantiâ horas omnes diei & noctis demonstraret, & cuius index sua quasi sponte cum sole semper seruaret proportionem.

Si orbes sint solidi, longe clarius cernetur peritia opificis.

VI. Obicies secundò: Scripturam astris, non cœlo motum assignare. Tertiò Patres quidam stellas, non cœlum moueri asserunt. Quartò, si cœlum sit solidum, est durum, ac densum: omne autem densum est graue, ergo cœli essent ponderosi, sicque graue nobis impenderet periculum, quorum capitibus tanta, tamque ponderosa moles assiduè incumbit.

Obiic. authoritas Scripturæ, & Patrum pro cœli fluiditate.

VII. Ad secundum dico, ideo Scripturam stellis motum assignare, non cœlo, quia motus in iis apparet, non tamen negat motum cœlis. Ad tertium respondeo, aliquos quidem ex sanctis Patribus sensisse cœlos esse fluidos, multò tamen plures opinantur contrarium, vt suprà vidimus.

Satisfit huic authoritati Scripturæ, & Patrum.

VIII. Quartum argumentum viget etiam illos, qui cœlos statuunt fluidos. Licèt enim densa ac solida plerumque sint grauiora, fluida tamen suam etiam habent grauitatem, vt constat in aqua, & similibus: ergo cæli, ex eo quòd fluidi sint, non eximuntur ab omni grauitate. Re tamen vera, nec vna sententia, nec altera vrgetur hoc argumento: dici enim posset cœlum, siue solidum sit, siue fluidum, alterius esse conditionis, ac temperamenti à rebus subluoaribus, sicque nec graue esse, nec leue.

Cœli nec graues sunt, nec leues.

IX. Addo tamen, Scripturam potiùs insinuare, stellas habere in se grauitatem, vt ex illo Matt. 24. v. 29. ostendi videtur *stellæ cadent de cœlo:* dum enim dicuntur casuræ, non deiiciendæ, signum est eas, fracto iam cœlo, in terram suo pondere ruituras. Hinc autẽ probatur cœlos de facto non esse fluidos si enim sint fluidi, vel dici debet esse eos astris in iis cõtentis ponderosiores, & tunc, nisi miraculosè detineantur defluent, & depluent in terram: vel si fluidi

Scriptura insinuare videtur stellas aliquid in se habere grauitatis.

sint, & leuiores astris, astra, nisi miraculosè similiter detineantur (sicut lapis miraculosè detineretur pensilis in aëre) cadent de facto, & terram obruent. Quod, si cæli sint solidi instar æris, vt ex Scriptura iam vidimus esse, non contingeret: nam si de facto ex ære conficerentur, non caderent.

X. Obiiciuntur quintò varia phænomena, quæ astronomi recentiores, maximè Tycho Brahe, sedulus astrorum inspector, obseruarunt, quæ cum cœli soliditate, & incorruptibilitate non videntur posse consistere. Primò itaque cometæ varij, aliæque stellæ sæpiùs ab astronomis conspectæ sunt, quas Lunâ altiores fuisse constanter affirmant astronomi, quæ cùm ad tempus appareant, & postmodum disparеant, signum est stellas illas esse corruptibiles. Secundò, maculæ quædam solares in dies deprehenduntur, quæ similiter post tempus aliquod disparent. Tertiò Mercurius & Venus nunc infra, nunc supra solem conspiciuntur, quod manifestè ostendere videtur cœlum esse liquidum.

Ex Phænomenis probant aliqui cœlos esse fluidos.

Secundò ex maculis solaribus.

XI. Ad hæc omnia responderi inprimis posset: sicut obseruationes Mathematicæ vniuersim non sunt reiiciẽdæ, ita nec fidem semper astronomis in hisce experimẽtis esse habendam, cùm astronomi ipsi inter se summopere hac in parte diffideant, & vnus alterius experientias vt falsas, & suppositititas reiiciat. Vnde P. Clauius, vir siquis alius in rebus astronomicis versatus, ait Tychonis (qui tamen præ reliquis excelluisse hac in re videtur) experientias sibi esse suspectas. Quare P. Tannerus, qui loco suprà citato hæc omnia fusissimè discutit, asserit astronomis frequenter hac in parte fidem meritò derogari.

Obseruationes Astronom. nec contemnendæ omnes, nec omnes admittendæ.

P. Clauius Tychonis Brahe obseruationes dicebat sibi esse suspectas.

XII. Ego, licèt tantum astronomiæ, quantum nobilissimæ scientiæ tribuendum censeam: vbi tamen locus aliquis scripturæ profertur, qui, etsi non omninò clarè, satis tamen probabiliter contrarium indicat illi quod astronomi suis se experientiis comperisse affirmant (vt pro soliditate cœlorum sect. præcedente proferri vidimus) præsertim si in eandem rem accedat auctoritas, & explicatio Patrum, existimo de experimentorum illorum certitudine meritò dubitari posse, nec tanti esse illas experientias, quin reiici possint, & debeant vt incertæ, opinionique quæ Scripturæ conformior est, sit adhærendum.

Iudicium de certitudine obseruationum astronomicarum.

XIII. Vt verò ad ea, quæ opponebantur, respondeam: ad postremum de stellis Mercurij & Veneris, quæ modò infra, modo supra solem ab astrorum obseruatoribus sunt conspectæ, dico; si experientiæ illæ sint veræ, Mercurium & Venerem non habere sphæras sibi proprias infra solem, vt communiter hactenus opinati sunt astronomi, sed in ipsâ sphæra solis habere epicyclos, seu circulos quosdam circa solem & respectu quorum Sol est quasi centrum. Dum ergo Sol, & vnà cum eo duo hi planetæ motu rapitûs feruntur ab Oriente ad Occidentem, Mercurius & Venus peculiari motu, sibique proprio in his circulis, seu epicyclis mouentur eodem tempore à Septemtrione ad Meridiem, & circumeunt Solem, vel duobus motibus diuersis, vt volunt astronomi, vel vno mixto, seu modificato, vt passim asserunt Philosophi, vt vidimus in Phys. d. 40. s. 5.

Mercurius & Venus Epicyclos habere debent in sphærâ solis, quorum sol est centrum.

XIV. Ad id de maculis solaribus, existimo prouenire ex stellis quibusdam exiguis, aut partibus cœli opacis, in sphæris Sole inferioribus, quæ licèt ob paruitatem à nobis non cernantur, inter solem tamen & nos interpositæ, exiguam illius partem tegunt, sicque beneficio tubi optici discernuntur.

Quid sint maculæ solares.

XV. Ad id verò de cometis, vel stellis supra Lunam, aut etiam in Firmamento subinde apparentibus, & rursum disparentibus, dixi sect. præcedente, si experientiæ illæ sint veræ, noua illa, & mira phænomena ascribenda esse miraculis, quæ Deus ob fines sibi

Multa Phænomena, teste S. Augustino, ascribi debent miraculis.

notos

notos identidem operatur: vt nimirum terrorem hominum mentibus incutiat, & à peccando huiuscemodi portentis deterreat, vtque tacitâ illâ cœli voce moniti ad meliorem se frugem recipiant. Quo modo respondet S. Augustinus l. 21. de ciuitat. Dei c. 8. de phænomenis quibusdam, quæ asserit turbasse canones astrologorum. *Quando tamen, inquit, ille voluit, qui summo cuncta regit imperio, ac potestate, ordinatissimus etiam cursus siderum, rata fixisque legibus firmatus immutatur.* Hæc ille.

S. August. l. 21. de Ciuit. c. 8.

DISPVTATIO II.

De Physica cœlorum consideratione.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm materia cœli sit eiusdem speciei cum sublunari.

I. *Status quæstionis.* QVæstio hæc supponit cœlum non esse corpus simplex, sed componi ex materiâ & formâ in illâ enim sententiâ locum non habet. Vtrùm verò sit corpus simplex, necnè, dicetur disp. sequente, sec. 3.

II. *Dicunt aliqui materiam cælestem eiusdem esse speciei cum sublunari.* P. Mol. 1. p. tr. de Opere 6. dierum relictâ sententiâ, quam docuerat in Physicis, affirmat ob aliqua loca sacræ Scripturæ, materiam cælestem eiusdem esse speciei cum sublunari. Quem sequitur P. Hurt. d. 1 de cœlo s. 2. ante quos sententiam illam docuit S. Bonauentura in 2. d. 12. ar. 2. q. Scotus in 2. dist. 14. quæst. 2. Abulen. in cap. 1. Gen. & alij; estque valde communis inter recentiores opinio: quam etiam opinionem amplectitur Ouiedo d. vn. de cœlo p. 2. num. 12.

III. *Fundamentum huius sententiæ est auctoritas scripturæ.* Præcipuus ad hoc probandum Scripturæ locus est, quia dum ea enumerantur quæ primo die condita fuerunt, tantum firmento cœli (per quod Empyreum intelligit) terræ, & abyssi. per abyssum verò intelliguntur aquæ: vnde totum interuallum inter cœlum Empyreum & terram repletum fuit aquis. Deinde dicitur spiritum Domini latum esse super aquas, & fecisse firmamentum, quo diuisit aquas ab aquis, per hoc verò firmamentum intelligunt, inquit, cœlum stellatum, & orbes omnes inferiores, vnde ex aquâ factum videtur hoc firmamentum, ac proinde materia quę priùs erat sub formâ aquę, posteà fuit sub formâ cœli, seu firmamenti: non enim videtur dicendum, Deum aliquid eorum annihilasse quæ primò cōdidit. Quare, quod obiici posset, Aristotelem contrarium sensisse, respondetur, cùm fundamentum hoc deducatur ex sacrâ Scripturâ, quam Aristoteles non nouit, non multùm hac in parte esse de illius auctoritate laborandum. *Aiunt non laborandū hac in re de auctoritate Aristotelis.*

IV. *In prædicto argumento multa inuoluuntur incerta.* Multa hic inuoluuntur incerta: primò enim incertum est per cœlum intelligi solùm empyreum, & per terrā solùm elementum terræ, sic enim nunquam creatus fuisset aër, aut ignis. Deinde, per firmamentum hoc loco aliud intelligunt sancti Aug. & Hieronymus nempe infimam aëris regionem, quæ diuidit aquas pluuiales ab inferioribus, ideoque vocatur firmamentum, licèt sit etiam corpus fluidum, quia scilicet statuta est ea pars aëris quasi terminus perpetuò diuidens has aquas ab illis. Vnde per cœlum intelligunt hi sancti, non cœlum Empyreum tantùm, sed vniuersim omnes orbes cælestes. Quam etiam expositionem amplectitur Rupertus 1. de Trinit. cap. 22. & Pererica l. 2. in Genes. in opere 2. diei. Deinde, non est certum, Deum nihil annihilasse eorum quæ primò creauit, sicut enim dicunt hi auctores ipsum destruxisse formam aquæ, quidni etiam destruxerit materiam? *Per cœlum Gen. 1. intelligunt multi omnes orbes cælestes.*

V. *Differunt specie materia cælestis, & sublunaris.* Cùm ergo non repugnet materia quæ respiciat solas formas incorruptibiles, nullam video vrgentem rationem cur dicatur materia cœli (dato quòd in cœlo sit materia) esse eiusdem speciei cum sublunari: ita Aristoteles l. 1. de cœlo cap. 2. dicens cœlum non esse ex materiâ seu naturâ elementari, sed *quintæ cuiusdam essentiæ*. Albert. in 2. d. 14. q. 2. Caiet. 1. p. q. 66. art. 2 Ferra. l. 3. con. Gen. c. 20. Capreo. in 2. d. 12. q. vn. conc. 2. Peret. l. 1. in Gen. Valen. 1. p. d. 5. q. 2. p. 1. §. *Et hæc sententia:* Murcia l. 1. de cœlo: d. 2. q. 4. Idem tenent vt probabile Conimb. l. 1. de cœlo c. 2. q. 6. Expressè tenet Tannerus 1 p. d. 6. q. 2. d. 4. nu. 24. pro eâdem sententiâ citans S. Dionysium l. 4. de Diu. nomin. c. 4. S. Basil. Hom. 1. in Gen. Idem tenet S. Thomas 1. p. q. 66. art. 2. & in 2. d. 14. Addit Tannerus num. 36. hanc opinionem esse Scripturæ admodum conformem. *Cœlum quinta essentia.*

VI. *Ratio est: quia potentia in materiâ cœli ad formas corruptibiles esset superflua.* Ratio est, cùm enim potentia illa in materiâ cœli ad formas corruptibiles nunquam reducenda sit ad actum, imò naturaliter reduci non possit, videtur omninò superflua. Conf. si videremus potentiam actiuam quæ nunquam posset exercere tales specie actus, optimè colligeremus non esse potentiam ad eiusmodi actus sicque in sensibus: distinguimus eos specie ex diuersis specie operationibus, nec vllum est fundamentum dicendi in talpâ esse potentiam visiuam. Simili ergo ratione Philosophari licebit de potentiâ passiuâ.

VII. *Aliud est quoad superfluitatē in rebus naturalibus, & supernaturalibus.* Nec obstat quod ait P. Hurt. hominem ex se mortalem, reddi immortalem per dotem corporis gloriosi, & actum liberum amandi Deum impediri per visionem beatam, sicut etiam impeditur peccatum per eandem visionem: hæc enim fiunt supernaturaliter, sicut si Deus decreuisset nunquam destruere formam aliquam. At in materiâ cœli contingeret omninò naturaliter, & materia illa ex intrinsecis principiis peteret aliquid (nempe varias formas) quod habere naturaliter nunquam potest. Videtur ergo potiùs dicendum esse eas diuersæ speciei, cùm materia cælestis, & sublunaris ad diuersas specie formas, quantum experientiâ coniicere licèt, dicere ordinem videatur.

VIII. *Sphæra singula cælestes materias habent specie diuersas.* De materiis etiam diuersorum cœlorum idem iudicium esto: maximè si formæ quas respiciunt, sint specie diuersæ, vt probabile est de formis planetarum. Et sicut auctores iam relati dicunt materiam cœli Empyrei distingui specie à materiâ sublunari, qui dni idem asserant de materiâ aliorum cœlorum? Nec est cur huic rei planè incertæ ampliùs immoremur.

IX. *Singulæ partes materiæ cælestis sunt heterogeneæ.* Hinc infero primò, singulas partes materiæ cælestis esse heterogeneas, cùm nulla recipere possit formā alterius. Sicut enim incapacitas ad recipiendam formam specie distinctam arguit distinctionē specificam completam; ita incapacitas ad recipiendam aliam formam numero arguit distinctionem specificā incompletam, seu heterogeneitatē quandam, eius similem, quam omnes statuunt in vbicatione diuisibili, cuius singulæ partes sunt sibi dissimiles,

miles, vtpote respicientes diuersam partem spatij imaginarij.

X. *Ren. Des-Cartes par. 2. Phil. nu. 11.*

Infero secundò, falso niti fundamento recentiorem quendam, dum ait, non solùm materias, quæ de facto sunt sub formis cœlorum, non distingui specie, vel inter se, vel à sublunari, sed nec possibiles esse duas materias specie distinctas, *quia*, inquit, *essentia materiæ, & corporis in eo solo consistit, quòd sit extensa.* Sed quicquid sit de conclusione, vtrùm scilicet sint possibiles materiæ specie distinctæ (de quo non satis conuenit inter Philosophos, vt vidimus in Physicis, disp. 10. s. 4) ostendam vbi de naturâ corporis disputabitur, rationem eius esse apertè falsam, nec posse vllo modo sustineri rationem corporis in eo sitam esse, quòd sit *res extensa in longum, latum, & profundum.* Pro præsenti, cùm nullam huius sui effati rationem afferat, eâdem facilitate reijcitur quâ profertur.

SECTIO II.

An quantitas cœli specie distinguatur à sublunari.

I. *Dicunt aliqui si materia distinguatur specie, debere similiter quantitates specie distingui.*

SI materia cœli non distinguatur specie à sublunari, non est cur quantitas vtriusque non sit eiusdem etiam speciei. Difficultas est si distinguantur materiæ specie: quâ in re aliqui vt indubitatum asserunt, si materiæ distinguantur specie, distingui etiam debere eodem modo quantitates, cùm essentias diuersas specie sequantur necessariò proprietates similiter specie diuersæ, quantitas autem est passio & proprietas materiæ, ergo.

II. *Essentias diuersas sequuntur subinde proprietates numero tantùm distinctæ.*

At primò, hoc non videtur vniuersim verum, nã essentias specie distinctas sequuntur subinde passiones numero solo distinctæ: sic albedo niuis, lactis, & cygni non distinguitur specie, esto essentiæ specie distinguantur, & tamen singulorum proprietas est albedo. Sic lux in sole, stellis, cælo, & igne, calor in igne & aëre, grauitas in auro, argento, & cæteris metallis, & alia huiusmodi specie non differũt. Imò multi recentiores cum Fonseca asserunt potentiam visiuam equi, leonis, hominis, & omnium animalium, esse specie eandem. Solùm ergo est verum illud de proprietate, quæ est propria *quarto modo*: nec valet vniuersim hæc consequentia, *sunt essentiæ specie distinctæ, ergo & omnes proprietates.*

III. *Non omnibus essentiis specie distinctis assignanda semper proprietates specie distinctæ.*

Dices; omnis essentia specie ab aliâ distincta debet habere aliquam huiusmodi proprietatem sibi propriam, & quæ nulli alteri conueniat, ergo & materia specie distincta aliquam proprietatem specie distinctam, sed non est alia quàm quantitas, ergo. Contrà, fortè antecedens est falsum: qui enim negant potentias distingui, quam proprietatem dant Angelo distinctam ab essentiâ? si autem recurrant ad occultam quandam proprietatem, primò cui fini id Angelo tribuitur? Secundò, dicant idem de materiâ primâ. Tertiò, licèt Angelo concederetur, negari tamen posset materiæ, proprietates enim, & passiones sunt ad aliquid agendum, cùm ergo materia nihil debeat agere, est aliquid peculiare cur non sit necessarium vt habeat passiones & proprietates sibi peculiares. Tandem, si necessariò aliqua sit peculiaris proprietas assignanda, assignari poterit subsistentia, tam Angelis, quàm materiæ: illa enim, cùm iuxta probabilem sententiam sit modus, dici poterit differre specie pro diuersitate subiectorum.

IV. *Probabile est quantitatem materiæ sublunaris & cælestis non distingui specie.*

Cùm ergo quantitas eodem modo reddat vtrãque materiam habentem partes extra partes, & impenetrabilem radicaliter, videtur satis probabile eã vtrobique esse eiusdem speciei. Dices; ideo illa materia esset diuersæ speciei, quia ordinaretur ad formas substantiales specie diuersas, easque incorruptibiliter reciperet, sed non minùs quantitas reciperet formas accidentales diuersæ speciei, idque omninò incorruptibiliter, ergo par est vtriusque ratio. Certè si dicatur accidentia recipi in quantitate, videtur habere vim argumentum: sed vt in Physicis d. 15. sect. 2. n. 13. ostendi, probabilius videtur ea subiectari in solâ materiâ.

V. *Quantitas cœli non est per se, sed per accidens indiuisibilis.*

Dices secundò; quantitas in materiâ cœli est indiuisibilis, in materiâ sublunari diuisibilis, ergo distinguitur specie ab illâ. Sed contrà primò, nam siue materiæ distinguantur specie, siue non, quantitas cœli est indiuisibilis, cùm materia cœli, vt dixi d. præcedente, sect. 2. n. 11. à nullo agente, saltem sublunari, diuidi possit: ergo ipsi aduersarij soluere debent hoc argumentum. Contrà secundò, potest etiam per accidens quantitati prouenire quod diuidi non possit, nempe ex coniunctione cum materiâ indiuisibili: sicut lux solis est hoc modo indiuisibilis, & tamen iuxta sententiæ contrariæ auctores, non distinguitur specie à luce receptâ in aëre. Quòd autem sola huiusmodi indiuisibilitas non arguat distinctionem specificam, videtur clarum, nam quantitas minimi naturalis à nullo agente creato diuidi potest, & tamen nullus dicet distingui specie ab aliâ quantitate.

VI. *Probabilius tamen videtur quantitatem cœli specie distingui à sublunari.*

Existimo ergo nullum ex argumentis hic allatis conuincere quantitatem materiæ cælestis distingui specie à quantitate sublunari. Conformius tamen est doctrinæ sect. præcedente traditæ asserere eam specie distingui ob argumentum ibidem nu. 6 positum; ideo nimirum materiam cœli non habere potentiam ad alias formas, quia potentia illa nunquam potest naturaliter reduci ad actum: ergo nec in quantitate cœli est potentia informatiua alterius materiæ, cùm naturaliter ad actum reduci nunquam possit: æquè enim vrget argumentum in potentiâ informatiuâ, ac in subiectiuâ.

SECTIO III.

De luce cælorum, & aliis quibusdam ad eorum notitiam spectantibus.

I. *Cælum supremum cur dictum Empyreum.*

COElum supremum maximâ perfundi luce certum est: qua de causâ vocatur Empyreum, seu igneum, nempe ob lucem ignis quam imitatur, non calorem. Quomodò verò contingat, quòd à nobis non cernatur lux illa, nec intensam etiam lucem in aliis cœlis, imò & in terrâ producat: dicunt aliqui id euenire ob raritatem illius cœli, sicut iam ignis in suâ sphærâ non cernitur ob illius ibidem raritatem. Sed contrà, tunc enim nec Sancti in cœlo lucis illius conspectu multum recrearentur, ob raritatem enim, intensam sui speciem in eorum oculis non produceret. Alij volunt Deum subtrahere concursum. Sed non est recurrendum ad miracula, vbi naturalis ratio assignari potest. Ratio ergo hæc communiter assignatur, obduci scilicet ea parte cœlorum causâ cœlum Empyreum quadam quasi cortinâ ex materiâ crassâ, & opacâ, ne cernatur lux illa & cœlum à mortalibus hîc in mundo adhuc degentibus, sicut olim sancta sanctorum velo quodam obtegebãtur apud Iudæos. Hoc verò cœlum lucem suam à sole non accipere, vt aliqui contendunt, luce clarius videtur.

Cur sicut aliorum cælorum, ita cœli Empyrei lux à nobis non cernatur.

II.

Quæres vtrùm dæmones, & animæ damnatæ lucem illam cœli Empyrei videant. Ratio dubitandi est, quia cùm nec sit secretum aliquod cordis, nec quid supernaturale, nõ videtur eius visio illis denegãda:

Dæmones, & animæ damnatæ cœli Empyrei lucem non vident.

ganda: Angelis enim intuitiua visio debetur rerum existentium. Resp. tamen, dæmones, & animas illas infelices lucem cæli Empyrei intuitiuè non conspicere: licèt enim non sit in entitate supernaturalis, cùm tamē sit quid ad ordinem supernaturalem peculiariter spectans, vtpote ornamentum speciale sedis beatorum, in quantum beati seu comprehensores sunt, illius visio dæmonibus & animabus illis infelicibus non debetur. Sicut, licèt negatio gratiæ habitualis non sit supernaturalis, quia tamen peculiarem habet cum re supernaturali connexionem, nempe cum gratiâ, eius visio dæmoni non debetur.

III. *Cœli Empyrei extimam partem vident damnati.*

Quod verò opponere quis posset, ideo ipsis aspectum illius lucis permitti, vt maior inde iis pœna accrescat. Dico ad hoc sufficere, quòd extimam cæli Empyrei partem conspiciant, sciantque maximam lucem, aliaque ad felicissimum statum beatorum inibi contineri, licèt lucem illam non videant. Sicut primis parentibus è paradiso expulsis exterioris illius partis aspectus maximum dolorem haud dubiò excitabat, licèt internas illius delicias non conspicerent.

IV. *Nec Luna nec vlla omnino stella totam suam lucē accipit à sole.*

Nec Luna, aut alij planetæ, nec stellæ etiam fixæ omnem lucem suam accipiunt à sole. Probatur hoc primò experientiâ: nam Luna, etiam dum patitur eclipsim, rubet aliquãtulum, idque secundùm omnes partes æqualiter, præterquam in maculis, ergo signum est habere eam aliquid luminis natiui. Nec contra hoc vrget, quòd in nouilunio luna non appareat: nam tunc etiam videtur confuso quodam modo, licèt non distinguatur ab aliis partibus cœli.

Luna in nouilunio videtur confusè.

Imò si nihil haberet lucis, magis deberet discerni in nouilunio, cùm appareret instar nigræ cuiusdam maculæ; sicut in ipsâ Lunâ propterea apparent maculæ, quia minùs in se lucis habent, quàm cæteræ eius partes: si verò nullam omninò haberent lucem, magis adhuc apparerent, & clariùs discernerentur ob cōtradistinctionem ab aliis partibus. Sed de maculâ Lunæ latè Conimb. l. 2. de cœlo, q. 4. art. 3. qui eam reducunt in raritatem illarum partium: licèt alij cum Alberto dicant, potiùs esse partes lunæ densiores, & consequenter minùs capaces lucis.

Maculam Lunæ alij in raritatem, alij in densitatem illarū partium reducunt.

V. *Planetæ soli propinquiores magis illuminantur. Sol tanquā cœli fax in medio Planetarum situs.*

Aliquid verò, imò maximam lucis partem recipere astra à Sole, probatur manifestè ex eclipsi Lunæ, & ex eo etiam quòd Planetæ propinquiores Soli magis illuminentur, & vehementiùs quasi accendantur, vt manifestè constat in Marte & Venere: & propterea fortè in medio planetarum situs est Sol, tanquam cœli fax, vt lucem suam omnibus faciliùs communicet.

VI. *Cur Venus, & Mercurius per Eclipsim non intercipiant Solem.*

Dices; ergo Venus & Mercurius poterunt per eclipsim intercipere solem, sicut intercipit Luna. Negatur tamen consequentia: licèt enim interponi possit Venus inter Solem & nos, cùm tamen diameter visualis solis, iuxta Astronomos communiter, centies excedat diametrum visualem Veneris, non poterit Venus occultare nisi centesimam Solis partem, centesima autē pars habetur pro nihilo. Quod à fortiori constat in Mercurio, cuius diameter visualis multò minor est diametro visuali Veneris. Nec etiam sequitur, planetas superiores posse eclipsari interuentu terræ: cùm enim Sol sit centies sexagies sexies maior terrâ, non pertingit vmbra terræ à sole proiecta vsque ad planetas supra solem. Venus autem, & Mercurius ideò non eclipsantur, saltem ex toto, quia vt docent Astrologi, nunquam ex diametro ita Soli opponuntur, vt nisi ex paruâ aliquâ parte eclipsim patiantur. Licèt in Venere aduerterint aliqui nuper easdem penè vicissitudines quoad augmentum, & defectum lucis, ac in Lunâ.

Sol est centies, sexagies, semel maior terrâ.

In Venere eadem mutationes, quæ in Lunâ.

VII. Ad hæc autem meliùs intelligenda notandum ex perspectiuis, corpus opacum appositum luminoso, si æqualis sit cum eo magnitudinis, iacere vmbram per modum cylindri in infinitum. Si verò corpus opacum sit maius luminoso, proiicit similiter vmbrā in infinitum, sed ita, vt quò longiùs procedit vmbra, eò sit maior. Si demum corpus opacum sit minus luminoso, proiicit vmbram per modum coni, vel pyramidis, ita vt intra certam distantiam desinat vmbra in punctum, & nulla omninò vlteriùs vmbra à luminoso illo iaciatur.

Quo modo corpus opacum æquale, maius, aut minus luminoso vmbram proiiciat.

VIII. *Cur in omni plenilunio Luna non patiatur Eclipsim.*

Dices; saltem sequi Lunam debere pati Eclipsim in omni plenilunio: quod tamen esse falsum quotidiana docet experientia. Resp. negādo consequentiam, nec enim in omni plenilunio est Luna in lineâ Ecliptica, sed tunc solùm quando luna est in capite aut caudâ Draconis, vel propè, ita vt quando Luna est in capite, sol sit in caudâ, aut è contrà, tunc enim si à centro solis ad centrum lunæ ducatur linea recta, transibit per terram. Vt autem Eclipsis sit totalis, debet linea illa duci per centrum terræ, & prope centrum vt sit partialis, alioqui luna non erit intra vmbram terræ. Nec etiam in omni nouilunio est eclipsis solis, sed tunc solùm quando sol & luna sunt in eodem signo, ita vt duci possit linea à centro solis ad oculum, quæ transeat per centrum, vel prope centrum lunæ: tunc enim luna rectè interponitur inter oculum & solem.

Cur in omni nouilunio nō fit Eclipsis solis.

IX. *Eclipsis Lunæ totalis, est generalis respectu totius mūdi.*

Hinc infertur, eclipsim lunæ, præsertim si totalis sit, esse generalem respectu omnium partium mundi, quia est verus in eâ defectus lucis, ac proinde in nullâ mundi parte lux in eâ cerni potest, cùm nullā habeat præter exiguam natiuam. At verò eclipsis solis non est omni mundi climati generalis, cū multæ eius partes nō occultentur à lunâ. Vnde, miraculosa fuit solis eclipsis, quæ contigit in morte Christi: tum quia vniuersalis solis defectio, vt constat ex historiis, etiam Gentilium, quas referunt Conimb. l. 2. q. 2. ar. 4. tum quia non fuit eo die coniunctio solis & lunæ secundùm communem cursum, fuit enim tunc plenilunium: tum demum quia durauit tribus horis à sextâ scilicet vsq; ad nonam, cùm tamen lōgè breuiori tempore peragi soleat eclipsis: post tres autem horas celerrimo motu restituta est luna in locum suum, ad oppositionem nimirum cum sole, vnde priùs ad hunc effectum fuerat abrepta.

Secus contingit in Eclipsi, solis.

X. *Lux cælorum, excepto Empyreo, non distinguitur specie à sublunari.*

Quæres, vtrum lux cœlorum specie distinguatur secundum diuersitatem specificam astrorum, & orbium. Resp. videri non distingui specie, nec etiam à luce sublunari, solo excepto cœlo Empyreo, cuius lux videtur alterius rationis à luce, & aliorum cælorum, & à sublunari.

XI. *Probatur lucem cœlorum specie non distingui, nec à sublunari.*

Quoad lucem autem aliorum cœlorum, probatur eam specie non distingui: recipiunt quippe à sole lucem, sicut aër, & res omnes sublunares; ergo non est cur lux illa sit diuersæ rationis à luce solis. Dices primò; secundum nos singuli cæli & astra habent aliquid lucis ex se, ergo illa saltem erit diuersæ speciei, secundùm diuersitatem substantiæ à quâ oritur. Negatur tamen consequentia: illa enim lux intenditur à luce solis, quod tamen fieri non posset, si esset specie adæquatè distincta.

XII. *Ex apparente diuersitate coloris non arguitur specifica diuersitas lucis.*

Dices secundò, apparet alterius quasi rationis lux in stellis, ac veluti fulua. Contrà, etiam in iride apparet lux diuersæ rationis, & tamē non est, sed prorsus eiusdem: hoc ergo solùm prouenit ex diuersâ dispositione corporis in quo recipitur, secundùm diuersam temperiem densitatis, diaphanitatis, &c. Nec lux solis destruit lucem planetarum, aut stellarum firmamenti, quòd interdiu non appareant, sed hoc ex eo prouenit, quòd maius sensibile, præsertim si valde magnus sit excessus, impediat minus. Vnde siquis medio die descenderet in profundum puteum, quò lux Solis non pertingeret, æquè clarè,

rè, vt aiunt, perciperet stellas, ac nocte.

SECTIO IV.

Vtrùm cælum influat in res sublunares.

I *Cæli effectus varios in orbe sublunari producunt.*

CIrca influxum cœli indubitatum videtur plurimos effectus ipsorum influxu causari in vniuerso: primò enim per accessum & recessum solis fit temporum varietas, ac vicissitudo; crescunt paulatim ac maturescunt fruges, arbores folia, flores, & fructus proferunt, & alia huiusmodi. Ex diuerso etiam aliorum astrorum aspectu diuersi effectus contingunt in mundo sublunari, vt tempestates in mari, in terrâ nunc vbertas, nunc sterilitas, pluuia, venti, serenitas &c. ac denique varij morbi. Vnde Galenus l. 3. de diebus criticis, astrorum, præsertim verò lunæ, aspectus in morborum curationibus à medicis obseruandos monet.

In morbis curandis astrorum aspectus obseruandi.

II. *Cælum est causa vniuersalis respectu effectuum sublunarium.*

Quæritur ad quos in particulari effectus concurrant cæli & astra? vniuersim affirmare videntur auctores cœlum influere in omnes omninò effectus rerum sublunarium, & propterea illud vocant *causam vniuersalem*, vnde 1. de Generat. tex. 55. vocat solem Aristoteles *auctorem & parentem rerum sublunarium*, & 2. Physicor. tex. 26. ait *sol & equus generant equum*. Hoc etiam, vt in Physicis dixi, probat sollicitudo quasi illa quâ res omnes contendunt vt euitēt vacuum, ne scilicet intercipiatur influxus cœlorum. Est autem cœlum causa principalis respectu effectuum, qui sunt ipso imperfectiores, instrumentalis respectu effectuum ipso perfectiorum.

III. *In actus spirituales cælum immediatè nõ influit. nec in ea quæ fiunt per creationem.*

Debere tamen aliquam adhiberi limitationem videtur manifestum; nam in actus spirituales nō potest influere cœlum immediatè, sed solùm disponere, & immutare organum. Item in materiam primā non influit cœlum, nec in ea quæ producuntur per creationem. Deinde, ad emanationem proprietatū & passionum ab essentiâ congruentiùs videtur vt cœlum non influat, cùm petant passiones procedere à principio, in quo sunt, nisi sint eiusmodi passiones, & proprietates, quæ possint etiam produci ab extrinseco, vt calor, frigus, lux, &c. Hoc tamen non est adeò certum de passionibus, ac de rebus spiritualibus, & aliis suprà allatis.

IV. *Quos effectus prædicere possint Astrologi.*

Vnde aliquos effectus prædicere possunt probabiliter Astrologi, non solùm tempestates, & diuersam aëris temperiem, sed etiam morbos, & ægritudines, & alia huiusmodi. Licèt autem cœli influant etiam in hominem, illius tamen libertatem non minuunt; *sapiens enim dominabitur astris*. Vnde hanc sine temeritate non attingant Astrologi.

Sapiens dominabitur astris.

V. *An cælum etiam Empyreum influat in res sublunares.*

Quæres, vtrùm cœlum Empyreum influat etiam in res sublunares? Hac in re, dicunt nonnulli, cùm cœlum Empyreum sit ex naturâ suâ ordinatum vt sit sedes & receptaculum Beatorum, congruum videri, vt nihil habeat commune cum rebus sublunaribus, aut reliquis cœlis, qui ab auctore naturæ ordinantur, vt vsibus mundi sublunaris deseruiant; & consequenter aiunt, non influere illud in mundum hunc inferiorem, nec res in eo positas producere, aut conseruare. S. Thomas 1. p. qu. 66. art. 3. ad 2. ait cœlum Empyreum influere in cœlum sibi proximum. Alij demum cœlo etiam Empyreo influxum tribuunt in res sublunares. Nec refert, inquiunt, quòd sit domicilium Beatorum, si enim ciues illius ciues Angeli, mundi huius sublunaris vsibus deseruire non dedignentur, non est quòd refugiat quispiam id domicilio ipsi tribuere.

VI. *Diuersæ partes heterogeneæ cæli Empyrei quid præstent.*

In diuersas ergo cœli Empyrei partes heterogeneas refundi mihi posse videtur varietas effectuum, qui in diuersis terræ partibus cernuntur. Quod eo commodiùs cœlo Empyreo ascribi potest, quia illius partes semper sunt eodem loco fixæ.

DISPVTATIO III.

Vtrùm cælum componatur ex materia & forma.

QVod alij Verbis proponi solet, vtrùm cœlum sit corpus simplex. Quare, antequam hæc quæstio circa cœlum resoluatur, inquirendum, vtrùm corpus simplex sit possibile.

SECTIO PRIMA.

Sitnè possibile corpus completum simplex.

I. *Quid sit corpus completũ simplex.*

COrpus completum simplex illud est, quod non constat materiâ & formâ, sicut Angelus proptereà est spiritus completus simplex. Hoc ergo corpus eiusmodi esse debet, vt non constituatur ex diuersis partibus essentialibus: essentialibus inquam, nam non est quæstio de partibus integrantibus, hæ enim nil impediunt simplicitatem corporis simplicis, vt hîc illud sumimus. Corpus autem simplex incompletum dari certum est, nempe materiam primam, quæ non potest vlteriùs componi ex aliâ materia, vel formâ, sic enim & daretur processus in infinitum, & non esset apta constituere compositum substantiale.

Certum est dari corpus simplex incompletum.

II. *Prima sententia ait implicare corpus simplex incompletum.*

Prima sententia ait implicare huiusmodi corpus completum simplex seu non constans ex materiâ & formâ: ita P. Hurt. d. 1. de cœlo s. 1. n. 8. Idem asserere videtur Rouius l. 1. de cœlo c. 2. q. 5 §. *Ratione verò*, Alij autem quos sect. 3. referam, licèt cœlum de facto asserant non esse corpus simplex, huiusmodi tamen corpus implicare non dicunt.

III. *Secunda sententia docet corpus simplex non implicare.*

Secunda verò sententia affirmat corpus completum simplex, seu non constans materiâ & formâ, non implicare: ita S. Thomas in 2. d. 12. q. 1. art. 1. ad 5. dum cœlos ibidem materiæ expertes statuit, atque esse eos entia completa, nec nisi analogicè vocari posse materiam. Et licèt 1. p. q. 66. art. 2. dicat cœlum componi ex materiâ & formâ, & quoad hoc reuocet priorem sententiam, non tamen negat huiusmodi corpus simplex esse possibile. Idem tenet Scotus in 2. d. 14. q. 1. Durand. in 2. d. 12. q. 2. n. 24. Gab. in 2. d. 12. q. 2 Maior in 2. d. 12. q. 2. Arriaga d. 5. Phys. s. 3. nu. 47. Ouiedo cont. 5. Phys. p. 5 nu. 2. estque communis inter recentiores opinio: pro quâ etiam citari videtur posse Suarez d. 13. Met. s. 10. n. 8. vbi expressè dicit corpus huiusmodi completum simplex sibi non videri impossibile.

IV. *Possibile est corpus completũ simplex, sicut spiritus cõpletus.*

Conclusio: possibile est corpus completum simplex, non constans partibus essentialibus, materiâ scilicet & formâ: ita auctores secundæ sententiæ. Probatur primò, sicut possibilis est spiritus incompletus, nempe anima rationalis, quæ ordinatur ad componendum vnum cum materiâ, & spiritus cõpletus, nempe Angelus, ita cùm detur corpus simplex incompletum, nempe materia prima, & forma ma-

materialis, quæ ordinantur ad constituendum vnum aliquod tertium completum, quidni dari etiam poterit corpus completum simplex quod scilicet nullas habeat partes essentiales? Quæ, inquam, huius assignari implicantia potest? Quòd si assignari implicantia nequeat, non est cur illud negemus, nullam verò assignari posse ostendetur sect. sequente solutione argumentorum.

V. Ex his inferunt aliqui, debere de facto dari huiusmodi corpus completum simplex: si enim, inquiunt, sit possibile, pulchritudo vniuersi exigit vt de facto detur. Hæc consequentia planè est inualida: nec enim necessariò creari debet quicquid spectat ad pulchritudinem vniuersi, multi enim asserunt esse possibiles creaturas, quæ agant in distans, quæ creët, &c. item materiam spiritualem, & alia huiusmodi, quæ tamen de facto non dantur. Deinde, potest dari materia quæ informetur formâ incorruptibili in mundo hoc sublunari, & spectat ad pulchritudinem vniuersi, non tamen inde sequitur de facto dari. Hic solùm noto, in hanc eandem inconsequentiam labi aliquos ex aduersariis, dum eâ inde probant cœlum constare de facto ex materiâ & formâ, quia possibilis est forma quæ indissolubiliter informet materiā: quæ consequentia nihilo melior est illâ, quam hic impugnauimus.

Non tamen sequitur huiusmodi corpus de facto dari.

Non necessariò creari debet quicquid spectat ad pulchritudinem vniuersi.

SECTIO II.

Argumenta contendentia non posse dari corpus simplex.

I. OBiicies primò cum P. Hurtado d. 1. de cœlo, s. 1. n. 8. ideo implicare quia non posset vegetare, seu augere se ab intrinseco, cùm omnis nutritio fiat per immutationem primarum qualitatum, & per inductionem formæ aliti in materiam alimenti; hic autem nulla esset forma nec materia, ergo. Transeat non posse nutriri, non enim est necessariū vt sit viuens, & nutriatur. Poterit tamen extrinsecùs augeri per additionem aliarum partium similium, per productionem vnionis continuatiuæ, vt fit in equâ, materiâ prima, & aliis. Quo etiam modo posset diminui, & amittere partes aliquas, sui per discontinuationem, sicut diminountur ignis, & aqua. Deinde, non apparet cur non posset vegetare aliquo modo, & nutriri, diuersâ scilicet ratione à vegetatione, & nutritione viuentium, quæ constant ex materia & forma, nempe vniendo sibi per continuationem ab intrinseco varias partes aliorum corporum simplicium habentium alias qualitates, à nostris diuersas.

Obij. implicare corpus simplex quia non posset vegetare, & nutriri.

Transeat nō posse illud nutriri.

Posset corpus simplex vegetare aliquo modo, & nutriri.

II. Obiicies secundò cum eodem, n. 10. tale corpus non posse esse sensitiuum, cùm omnis sensatio depēdeat ab accidentibus, nempe à tali temperamento primarum qualitatum, quarum capax non est corpus simplex, cùm primæ qualitates sint ex natura sua dispositiones ad formam substantialem, quæ tamen in corpus simplex induci non potest, cùm non sit materia, seu quid incompletum. Resp. primò concedendo totum, obiectio enim ad summum probat tale corpus non posse esse sensitiuum: non tamen inde infertur non posse dari. Secundò Resp. sicut respondet ipse P. Hurt. n. 11. & fatetur responsionem manifestè oppugnari non posse. Resp. inquam, licèt hæc accidentia sensu percipere non possit, vtpote ad quorum sensationem requiratur tale temperamentū primarum qualitatum in organo, non tamen repugnare quo minùs sentiat alia alterius rationis, & quæ à primis qualitatibus non dependent.

Obij. corpus simplex non posse esse sensitiuum.

Transeat nō esse sensitiuū.

Resp. Secundò posse corpus simplex sentire alia accidentia.

II. Obiicies tertiò: carere compositione integrali arguit maiorem perfectionem quàm carere compositione essentiali: ergo si corpus simplex ob suam perfectionem careat compositione essentiali, debet carere compositiòne integrali. Resp. negando antecedens vniuersim loquendo: habitus enim erroris, aut vitij alicuius, item species intelligibilis muscæ, aut materiæ primæ, vel negationis, vbicatio etiam Angelica, in sententiâ eam statuente indiuisibilem, sunt imperfectiores leone, vel equo, & tamen carent cōpositione tam essentiali, quàm integrali quoad extensionem; equus verò, & leo carent neutra: ergo vniuersim loquendo non arguit maiorem perfectionem carere compositione integrali.

Vniuersim loquēdo non arguit maiorem perfectionem carere compositione integrali.

IV. Corpus ergo simplex, esto perfectius foret multis corporibus naturalibus, seu constantibus ex materia & forma, vt terra, aqua, &c. (licèt fortè omnia corpora simplicia terram aut aquam in perfectione nō excederent, sed tanta esse posset variabilitas in corporibus simplicibus, quanta in compositis) omnia tamen corpora, seu composita naturalia in perfectione non excederet: sed perfectio quam haurit ex simplicitate, posset per aliud prædicatum in rebus compositis repertum compensari, imò & vinci. Nec video cur cœlum, licèt esset corpus simplex, non superaretur in perfectione à leone, vel equo, aut alio animali perfecto, cùm nō sequatur, corpus aliquod, ipso facto quòd sit simplex, fore viuens, & multò minùs sensibile: ex perfectiore autem serie operationum per se loquendo desumitur maior perfectio principij.

Tanta esse posset varietas in corporibus simplicibus, quanta in compositis.

Ex perfectiore serie operationum desumitur maior perfectionis principij.

V. Obiicies quartò: sequi, ipso facto quod sit corpus simplex fore perfectius quouis principio sensitiuo, nam sequitur fore intellectiuum. Sequela probatur, quia esset actus completus per se subsistens, ergo principium intellectûs & voluntatis, ideò enim probamus Angelum esse principium intelligendi & volendi, quia est actus spiritualis completus.

Obii. sequi corpus simplex fore intellectiuum.

VI. Sed contrà, non enim rectè deducitur argumentum ab actu subsistente completo spirituali ad actū completum per se subsistentem materialem, sicut nō valet consequentia ab actu incompleto subsistente spirituali ad actum incompletum subsistentem materialem: nec enim valet, *anima rationalis est principiū intellectûs & voluntatis, ergo formæ materiales, equi v. g. leonis, ignis &c. sunt principia intellectûs & voluntatis*: ergo similiter non valebit hæc consequentia, *actus completus spiritualis per se subsistens, nempe Angelus, est intellectiuus: ergo actus completus materialis per se subsistens, erit intellectiuus.* Ratio verò, vnde probamus Angelum esse principium intellectiuum & volitiuum, est, quia cùm sit actus spiritualis, & non sint aliæ potentiæ & actus spirituales, quàm intellectûs, & voluntatis (saltem quæ nobis innotescunt) debet esse principium intellectûs & voluntatis. At corpus simplex poterit esse principium variarum potentiarum, & actuum materialium, sicque simpliciter non esset tam perfectum, atque est Angelus.

Sicut non valet ab actu incompleto spirituali ad incompletum materialem, ita nec à completo ad completum.

VII. Tandem dico, fore corpus hoc perfectius anima rationali secundùm quid, simpliciter imperfectius. Sicut in contrariâ sententiâ, cœlum quod est incorruptibile, est secundùm quid perfectius homine, qui est corruptibilis, simpliciter tamen est homine imperfectius, quia scilicet homo est principium perfectiorum operationum, ex quo capite vt dixi, præcipuè desumenda est cuiusque rei perfectio. Nec est necessarium vt corpus simplex sit perfectius omni composito materiali, vt suprà diximus, multo minùs Angelo; ad summum enim haberet in se perfectiones materiæ & formæ inter se identificatas, sicut visio quæ simul esset visio albedinis & nigredinis, haberet in se identificatas perfectiones duarum vi-

Corpus simplex esset secundum quid perfectius anima rationali.

Corpus simplex in se identificatas haberet perfectiones materiæ, & formæ.

sionum, quarum altera esset albedinis tantùm, altera tantùm nigredinis. Quantumuis autem habeat in se perfectiones materiæ, & formæ materialis, idque perfectiori modo, non tamen propterea adæquat perfectionem Angeli, aut animæ.

VIII. *Corpus simplex possit habere quantitatem, saltem diuersa rationis à nostrâ.*

Obiicies quintò: non posse corpus hoc habere quantitatem, ergo non est substantia corporea. Negatur antecedens, nec enim apparet ex quo capite repugnet ipsi quantitas, si distinguatur à substantiâ. Vrget P. Hurt. n. 12. saltem non posse habere quantitatem eiusdem rationis cum nostrâ, cùm hæc ordinetur ex naturâ suâ tanquam dispositio ad formam substantialem. Transeat totum: & si non possit habere quantitatem eiusdem rationis, habeat diuersæ: sicut d. præcedente s. 2. n. 6. dixi de quantitate materiæ cœlestis, & sublunaris. In hoc tamen conueniret vtraque quantitas, quòd redderet rem radicaliter impenetrabilem, & petentem habere partes extra partes.

IX. *Corpus simplex esset virtualiter forma.*

Obiicies sextò: è contrario fore hoc corpus rem imperfectissimam, & quæ ob imperfectionem existere non possit à parte rei, esset enim res materialis, sine formâ. Resp. primò, non egere formâ substantiali, cùm sit res omnino completa, defectus autem formæ non est nisi in re incompleta. Secundò dico, fore sibi suam formam, seu principium actiuum sicque nil opus aliâ formâ. Erit ergo hoc corpus, vt suprà dixi n. 7. virtualiter & materia aliquo modo, & forma: materia, in quantum est principium receptiuũ quantitatis, & aliorum accidentium; forma, in quantum accidentia aliqua possit producere, tum immanenter, tum transeunter. Nec video cur aliqui negent posse corpus simplex producere accidentia. Imò existimo producere posse aliquas formas substantiales: vt, si cœlum sit corpus simplex, producere poterit formam ranæ, muris, aut ignis.

Corpus simplex producere posset tum accidentia, tum formas etiam substantiales.

X. *Non potest dari substantia incapax formæ accidentalis.*

Obiicitur septimò à P. Suarez: non potest dari res corporea incapax omnis formæ accidentalis, ergo nec substantialis. Negatur tamen consequentia: sicut & datur substantia completa spiritualis incapax formæ substantialis, nũ tamen formæ accidentalis, cùm Angeli varios actus eliciant, & de loco in locum moueantur. Ratio est, quia est de conceptu intrinseco creaturæ, vt sit mutabilis, saltem accidentaliter, nempe, vt sit in hoc vel illo loco, aut tempore, per vbicationem & durationem, vt producatur hac vel illâ actione &c. non tamen est de conceptu creaturæ, vt sit mutabilis substantialiter, seu per formam substantialem, vt patet in Angelo.

XI. *Quo sensu corpus simplex esset materiale, & actus.*

Mitto leuiora quædam, vt quòd corpus illud esset materiale, & non esset. Secundò, quòd nec esset actus, nec potentia. Tertiò, quòd produci deberet per creationem. Ad primum enim dico, si per materiale intelligatur id quod constat ex materiâ, non esse materiale, sicut nec hoc sensu forma ignis est materialis. Si verò per materiale intelligatur id quod habet molem corpoream, sic corpus illud est materiale. Ad secundum resp. non esse corpus illud actum informantem, esse tamen actum materialem completum, sicut Angelus est actus completus spiritualis. Ad tertium, nihil in eo incommodi, quòd produci debeat per creationem, cùm hoc etiam competat materiæ primæ.

SECTIO III.

Vtrùm cœlum sit huiusmodi corpus simplex.

I. *Prima sententia negat cœlum esse corpus simplex.*

PRima sententia docet cœlum non esse corpus simplex, sed componi ex materiâ & formâ: ita præter multos ex antiquis Philosophis Capreolus in 2. d. 12. Soncin. 12. Met. q. 7. Conimb. de cœlo l. 1. c. 2. q. 4. ar. 2. Suarez d. 13. Met. s. 10. n. 8 Rubius hic l. 1. c. 2. q. 5. Murcia l. 1. de cœl. d. 2. q. 3. Hurt. d. 1. de cœlo sect. 1. Tann. 1. p. d. 6. q. 2. d. 4. n. 3. Ouiedo hic p. 2. n. 8. & alij plurimi.

II. *Secunda sententia affirmat cœlum esse corpus simplex.*

Secunda sententia affirmat cœlos compositionis essentialis expertes esse, sicque non constare materiâ & formâ, sed esse corpora completa simplicia: ita Dur. in 2. d. 12. Gab. ibid. Aureol. in 2. d. 14. ar. 1. & 2. Bassolis d. 14. q. 1. art. 4. Scotus verò in 2. d. 14. q. 1. ait secundùm Theologos admittendam esse materiam in cœlis, secundùm Philosophos negandam: sicque eos, qui negant, & cœlum asserunt esse corpus simplex, meliùs ait assequutos esse mentem Aristotelis.

Scotũ hac in re opinio.

III. *Probabilius est cœlum Empyreum esse corpus simplex.*

Dico primò: probabilius est cœlum Empyreum non constare materiâ & formâ, sed esse corpus simplex. Hæc conclusio iisdem rationibus probatur quibus sequens. Minorem verò inde habet difficultatem, quòd creatum sit eodem instante cum terrâ, & aquis, sicque non est formatum ex materiâ aquarum, vt aliqui contendunt de reliquis cœlis. Illa enim verba Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, omnes intelligunt saltem de cœlo Empyreo, præter S. Augustinum, qui l. 12. Confess. c. 7. per cœlum illo loco intelligi vult naturam Angelicam. Licèt etiam potuerit Deus eodem instante cum terrâ, & aquis creasse cœlum Empyreum ex materiâ, imò ex simili materiâ cum illis, nullum tamen est fundamentum affirmandi de facto eum ita fecisse.

Quid hic per cœlum intelligat S. Augustinus.

IV. *Probabilius etiam est alios cœlos esse corpora simplicia.*

Dico secundò. Probabilius etiam mihi videtur alios omnes cœlos non componi ex materiâ & formâ, sed esse similiter corpora simplicia. Ita auctores nu. 2. relati. Probatur primò ex nonnullis locis Aristotelis, vbi hoc expressè docere videtur, licèt aliis etiam locis obscuriùs loquatur: quapropter P. Suar. d. 13. Met. s. 10. n. 2. & alij censent illius mentem hac in parte esse valde dubiam. Octauo itaque Met. tex. 14. sic habet; *neque omnium est materia, sed quorumcunque generatio, & transmutatio inuicem sunt: quæcunque verò absque transmutatione sunt, horum materia non est.* Et postea subiungit *substantias perpetuas materiam non habere*, sed cœlum, secundùm ipsum, est substantia perpetua, seu incorruptibilis; vt suprà vidimus d. 1. s. 2. n. 5. ergo.

V. *Probatur, quia in cœlo nullum est indicium materiæ.*

Secundò probatur: in cœlo nullum est vestigium materiæ, ergo esto non implicet vt in eo sit materia, non tamen propterea est asserendum de facto esse. Consequentia probatur, sic enim licèt non repugnet vt lux in cœlo sit diuersæ speciei perfectæ à luce in aëre, de facto tamen non ita esse docent communiter Philosophi, quia nullum apparet huiusmodi diuersitatis specificæ indicium. Sic etiam in plantis non dicimus esse gradum sensitiuum, nec in talpâ visum, sicut in aliis animalibus, quia nullum ex operationibus, & effectibus horum signum videtur. Eodem ergo modo si in cœlo nullum sit indicium ex quo colligamus esse ibi materiam, gratis id asseremus.

VI. *Fundamentum vnde colligimus esse materiã & formam in rebus sublunaribus, non reperitur in cœlo.*

Antecedens itaque argumenti, nempe in cœlo nullum esse indicium, aut vestigium materiæ, probatur: tota enim ratio vnde colligunt Philosophi esse in rebus sublunaribus materiam, & substantias has constare ex materiâ & formâ, est quia vident perpetuam vicissitudinem transmutationum, ac generationum substantialium, vnde colligunt esse debere commune aliquod subiectum substantiale, in quo fiat hæc transmutatio: hoc autem non potest esse aliud quàm materia: ergo dari debet in rebus sublunaribus materia. Sed hæc argumentatio cessat in cœlo, vbi nulla cernitur huiusmodi transmutatio sub-

stantia-

stantialis, ergo licèt fortè non repugnet, vt in cœlo sit materia, nullum tamen habemus fundamentum ad asserendum de facto materiam in eo reperiri.

VI. *Nullibi cum fundamento ponitur materia, nisi vbi est aliquod eius indicium.*

Dices; primò quidem inuentam fuisse materiam ex transmutatione substantiali, cognitâ tamen semel materiâ, posse nos ratiocinatione seu discursu deducere, sicut est in aliquibus corporibus, ita esse in cœlis. Distinguo, in aliis vbi apparent eadem indicia, concedo; vbi non apparent, nego: sicut de luce, plãtis, & talpâ super ùs diximus n. 5. & infinita alia in eandem rem afferri possent exempla.

VIII. *In cœlo nulla possunt esse transmutationes substantiales.*

Tertiò probatur: in cœlo recipi non possunt accidentia corruptiua, vt omnes communiter admittunt, sicque non potest vlla fieri transmutatio substantialis, ad quid ergo ibi materia? Conf. Deus quia in orbe sublunari voluit esse vicissitudines & transmutationes, fecit media proportionata, nempe materiam: sed in cœlo non voluit fieri huiusmodi transmutationes substantiales, ergo non est cur illud voluerit compingi ex materiâ.

SECTIO IV.

Argumenta contendentia cælum non esse corpus simplex.

I. *Obiiciuntur quædam ex Aristotele.*

OBiicies primò: secundùm Aristotelem 2. de Anima, in principio *substantia omnis est materia, vel forma, vel composita ex vtrâque.* Sed contrà, non potest Aristoteles intelligi strictè, Angelus enim est substantia, & tamen nec est materia, nec forma, nec compositus ex vtrâque. Loquitur ergo Aristoteles, vt constat clarè ex contextu, de rebus tantùm quæ cadunt sub generationes, & transmutationes, quæ in dies contingunt.

II. *Aristoteles an cœlum esse rem naturalē causaliter, non formaliter.*

Nec quando Aristoteles numerat cœlos inter res naturales, intelligendus est vt velit esse rigorosè rem naturalem, & quæ in se habeat naturam propriè dictam, quæ secundùm ipsum est propriè sola materia & forma, sed numeratur ab eo inter res naturales, tanquam quid spectans ad illarum productionem, & conseruationem, sicque esse rem naturalem *causaliter* non *formaliter*, cùm sublunaria omnia pendeant perpetuò ab influxu cœli, vt sæpe Aristoteles docet, & est per se manifestum. Vel secundò responderi posset, Aristotelem ibi per res naturales, solùm intelligere corpora motûs localis capacia, vt legenti illud caput constabit: hoc autem sensu clarum est, cœlum, esto sit corpus simplex, esse rem naturalem.

Per res etiā naturales intelligit Arist. corpora motus localis capacia.

III. *Quid intelligatur per materiam in definitionibus rari & densi.*

Obiicies secundò: cœlum est densum, ergo habet materiam: rarum enim & densum in conceptu suo includunt materiam: rarum siquidem definitur, *quod sub magnis dimensionibus parùm habet materiæ*: & densum contrà, *quod sub paruis dimensionibus multùm habet materiæ*. Resp. materiam ibi non sumi strictè, pro parte scilicet essentiali compositi naturalis (nam in quantitate separatâ à subiecto datur rarefactio, & condensatio, vt patet in speciebus sacramentalibus) sed sumitur illic materia pro omni eo quod habet partes integrales, & ex naturâ suâ est capax quantitatis. Vnde tandem, cùm obiicitur, cœlum, si non habeat materiam, fore *materiale*, & non fore, æquiuocatio est in voce *materiale*, vt dictum est sect. secundâ, n. 11. si enim per *materiale* intelligatur idem atque corporeum, sic cœlum est quid *materiale*: clarius enim patet corporeum quàm *materiale* in stricto illo sensu *materialis*, prout illud solum est *materiale*, quod vel est materia, vel illam in se includit.

Quo sensu cœlum si non habeat materiam, sit quid materiale.

IV. *Obiiciuntur varia ex Scripturâ.*

Obiicies tertiò: innuere Scripturam cœlos componi ex materiâ & formâ, dum eos ex aquâ contectos esse insinuat. Conf. primò ex illo Sap. 11. v. 5. *Omnipotens manus tua creauit orbem terrarum ex materiâ inuisâ.* Conf. secundò ex Isaiæ 50. v. 6. & c. 65. v. 17. vbi hi cœli destruendi dicuntur, & in meliorem substantiam conuertendi: ergo constant ex materiâ, & non sunt corpora simplicia. Sed hæc non vigent, vt iam ostendam.

V. *Ex Scripturâ nullo modo colligitur cœlum compositum ex materiâ.*

Ad primum ergo, æquè facit contra eos qui materiam cœli diuersam specie statuunt à sublunari, inter quos sunt S. Dionysius, S. Basil. S. Thomas & alij quos retuli d. præcedente s. 3 n. 5. Dico itaque cũ P. Suar. d. 13. Met. s. 11. n. 25. colligi nullo modo posse ex Scripturis cœlos ex aquâ factos esse: imò addo, nec ex vllâ omninò materiâ. Vnde, illud *In principio Deus creauit cœlum & terram*, S. Hieronymus Epist. 139. ad Cyprianum, S. Basil. Hom. 2. in Hexam. & alij intelligunt non de cœlo Empyreo tantùm, sed de omnibus orbibus cœlestibus: ergo manifestum est, non illos confectos ex aquâ.

VI. *Quid velit Scriptura, dum orbem creatum esse ait ex materiâ inuisâ.*

Ad primam confirmationem dico cum eodem Suario n. 30. per *materiam inuisam* non illic à Sapiente intelligi materiam primam, *de qua*, inquit, *nunquã expressam mentionem fecit Diuina Scriptura*, sed sumitur materia ibi latè, pro eo ex quo mundus factus est, quicquid illud sit: sicut lapides & ligna sunt materia domûs, licèt non sint sola materia prima, nec minùs propriè dicerentur materia domûs, si essent corpora simplicia.

VII. *Licèt cœli sint corpora simplicia, possent in alia corpora simplicia conuerti.*

Ad secundam confirmationem multi, quos suprà retuli d. 1. s. 2. num 10. aiunt, orbes cœlestes in fine mundi quoad accidentia tantùm quædam immutatum iri, non quoad substantias. Sin autem sustinere quis velit hos cœlos verè destruendos, & in alios nouos transmutandos, dicere poterit eos, non quoad formas, vt volunt alij, seu conuersione partiali, sed totos, seu corpora hæc simplicia in alia conuersione totali, transituros. Constat ergo cœlum partibus integrantibus, non substantialibus, estque extensiuè tantùm diuisibile.

VIII. *Malè aliqui censuerunt contrariam sententiam statuentē cœlum corpus simplex.*

Ex his infero, malè dixisse Rubium l. 2. de cœl. c. 2. q. 5. opinionem, quæ cœlum statuit corpus simplex, à scholis esse relegatam, cùm graues pro se auctores habeat, vt vidimus. Multò autem peius dixit Carthusia. in 2. d. 14 quæst. 1. eandem sententiam esse erroneam, cùm fundamentis nitatur, vel paribus fundamento alterius sententiæ, vt quidam, etiam ex aduersarijs fatentur, vel, vt multi putant, superioribus.

DISPVTATIO IV.

De reliquis ad cælorum notitiam spectantibus.

SECTIO PRIMA.

De cælorum numero.

I. DE iis qui mouentur est sermo, seu inferioribus Empyreu: cœlum enim Empyreum non curant Astronomi; Theol gis relinquunt. Hîc suum illi solem, suas stellas inueniunt, fixas omnes, solisque illius radiis perpetuò illustratas, in claritate tamen à se inuicem diuersas: quæque suo loco & ordine in cœlo Empyreo sitæ firmamentum conficiunt, haud paulò splendidius illo, quod hinc in dies oculis intuemur.

Cælum Empyreum Theologorum proprium.

II. Cælum, inquam, Empyreum non curant Astronomi, quà Astronomi: vtpote in quo nulli diuersorum orbium, aut astrorum occursus & recursus, varijque planetarum aspectus, & huiusmodi alia discernuntur. Plurimum tamen nobilissima hæc scientia ad cæli etiam Empyrei, rerumque diuinarum contemplationem confert: vtpote quæ mentem à terrenis rebus auocat, cœloque totam infigit: dumque animum solis ac syderum disquisitione, orbiumque cœlestium considerationi intentum detinet, facilè à cœlo ad *cælum*, à sole ad *solem* mentis oculi transferuntur: sicque *Astronomus* hoc sensu facilè fit *Theologus*.

Astronomia multum ad rerum diuinarum contemplationē conducit.

III. Plures ergo cælos esse quàm vnum ostendunt tot, & tam varij astrorum motus, quæ si in vno firmamento fixa essent, non possent habere tam discordē inter se concordiam, nisi vel cum P. Hurtado ponantur tubi quidam seu canales, & foramina in quibus deferantur stellæ, vel dicatur cœlum esse fluidū, stellasque in eo natare vt in mari pisces, quod d. 1. s. 3. & 4. ostendi esse falsum: vel denique dicatur duo corpora inter se penetrari, quod, vt suprà etiam dixi, naturaliter fieri non potest.

Necessarium est plures esse cælos, quàm vnum.

IV. Aliqui in vniuersum tres statuunt cœlos, ita tamen, vt ex ijs vnum dicant esse aëreum, quo sensu aues dicuntur *volucres cæli*: *pluuia* item dicitur *descendere de cælo* (nempe aëreo) & *cataractæ cæli* dicuntur aperiri dum magna vis pluuiæ descendit &c. Aliud cœlum dicunt esse æthereum à concauo lunæ vsque ad firmamentum inclusiuè, & stellas in se omnes tam fixas quàm erraticas continere. Tertium demum asserunt esse cœlum Empyreum, seu locum Beatorum.

Tres aliqui ponunt cælos, aëreum, æthereum, & Empyreum.

V. P. Clauius inter primos nostri temporis Astrologos c. 1. de Sphæ: & Astrologi hodie communiter, ponunt decem cœlos præter Empyreum, ita vt in vniuersum dicant esse cœlos vndecim, septem pro planetis, octauum, quod & *firmamentum*, seu *aplane* dicitur, quod nullæ sint in eo stellæ errantes, deinde, ob motus diuersos in octauâ sphærâ obseruatos, duos alios statuunt: Primus est motus *raptûs*, ab Oriente scilicet in Occidentem: ob hunc ponitur decimum cœlum, seu primum mobile. Secundus motus est econtra ab occasu ad ortum, propter quem assignatur sphæra nona. Demum, habet octaua sphæra motum proprium, quem accessum & recessum à polo ad polum, seu *trepidationis* vocant. Constituuntur ergo cæli hoc ordine, sphæra Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni: deinde octaua sphæra, seu firmamentum: postea nonum, seu Chrystallinum: deinde decimum, seu primum Mobile: postea Empyreum.

Astronomi hodie decem ponunt cœlos.

Firmamentum seu Aplane.

Motus raptûs, & trepidationis.

Ordo, & situs sphærarum cœlestium.

VI. Alij tamen, præsertim recentiores Astrologi non ponunt tantum numerum cœlorum, sed planetas omnes in quatuor, vel quinque, imò aliqui in tres cœlos compingunt, quibus tamen varios assignant circulos *concentricos*, *excentricos*, & *epicyclos*: sed in hac sententiâ quæstio penè est de nomine, verùm pro planetis constituendi sint tres, quatuor, quinque, vel septem cœli.

Alij statuunt, circulos concentricos, excentricos, & Epicyclos.

VII. Vt quid hac in re verisimilius mihi videatur, aperiam: existimo necessarios non esse tot orbes cœlestes quot communiter ponunt Astrologi, præsertim si dicantur cœli moueri ab Intelligentijs. Et vt incipiamus ab initio, primum mobile, quod statuunt immediatè infra cœlum Empyreum, & à quo moueri cæteros omnes cœlos asserunt, videtur planè superfluum. Quod idem etiam est de cœlo chrystallino, & orbibus qui collocantur supra firmamentum.

Nulla est sphæra inter firmamentum, & Empyreum.

VIII. Dices; poni hos cœlos ob diuersos motus quos decursu temporis inueniunt Astrologi. Contrà, hi diuersi motus (si tamen sint diuersi) non requirunt vllam sphæram supra firmamentum; sed possunt immediatè fieri ab Intelligentijs: nec enim video cur non possint Intelligentiæ æquè producere impulsum & motum immediatè in firmamento ipso ac mediatè, priùs scilicet illum producendo in aliâ sphærâ superiori. Ex: G. Angelus ille, qui mediatè producit motum *raptûs* in firmamento, priùs scilicet eum producendo in primo mobili, cur non posset eundem immediatè producere in ipso firmamento? Et idem est de motu ab Occasu ad Ortum, sicut & de motu *trepidationis* à polo ad polum, & cæteris omnibus siqui alij reperiantur motus in firmamento.

Diuersi illi motus in firmamento possunt immediatè produci ab Intelligentijs.

Motus raptûs est ab Oriente ad Occidentem.

Motus trepidationis est à polo ad polum.

IX. Vnde siquis vellet ponere duos vel tres Angelos in firmamento, nulla videtur difficultas vt fiant omnes illi motus immediatè in ipso firmamento, & cōsequenter tolli possunt omnes cœli supra firmamentum, & dici firmamentum esse proximum cœlo Empyreo. Imò mihi videtur probabile, posse omnes illos motus prouenire ab vno Angelo, re enim verâ non sunt plures motus, sed vnus modificatus: sicut ergo ponitur alius Angelus qui retardet impetum productum à primo, & tertius qui deflectat aliquantulum in obliquum versus alterum ex polis; ita idem motus produci poterit modificatus ab vno eodemque Angelo qui imprimat impetum ex naturâ suâ causatiuum motûs tantæ solùm velocitatis, eumque obliquum, seu versus alterum ex polis.

Vnus Angelus hos omnes motus potest producere.

X. Sicut v. g. Si Petrus imprimeret globo alicui ligneo, aut lapideo impetum vt sex rectà versus Occidentem, hic impetus produceret ex se motum vt sex rectà versus Occidentem; si tamen Paulus imprimendo impetum vt duo obsisteret, non produceretur motus nisi vt quatuor, sed adhuc rectà versus Occidentem, si verò Ioannes eundem globum impellat simul aliquantulum versus septentrionem, non feretur globus rectà versus Occidentem, sed nonnihil deflectet ad Septentrionem: quidni ergo Petrus solus poterit imprimere eidem globo impetum vt quatuor, nonnihil illum simul inclinando versus Septentrionem? quod si faciat, tunc Petrus

Exemplo ostenditur posse omnes illos motus ab vno Angelo produci.

solus præstabit id, quod priùs faciebant omnes tres. Idem ergo facere poterit vnus Angelus in Firmamento: ergo &c.

XI. *De numero stellarum.*

Quoad numerum stellarum, dicunt Astrologi communiter esse mille vigintiduas, nempe notas: nam esse longè plures, primò constat ex circulo lacteo, quem ex innumeris stellis compactum esse communis est opinio. Præcipuè verò probatur ex locis quibusdam sacræ Scripturæ, vt Gen. 15. v. 5. vbi Deus Abrahæ ait, *suspice cælum, & numera stellas si potes*: Item c. 22. v. 17. & c. 26. v. 4. *multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Quod signum est stellas esse longè plures quàm numerant Astrologi.

SECTIO II.

Sintne sphæræ omnes cælestes contiguæ, vel aqua ijs interposita.

I. *Prima sententia negat cælos omnes esse sibi contiguos.*

P. Molina, quem sequitur P. Hurt. d. 3 de Cœ. s. 3. cum alijs nonnullis existimat non omnes cœlos esse inter se contiguos immediatè. Ratio est, quia in Scripturâ dicuntur aquę esse supra cœlos. Quod cùm intelligi nequeat supra cœlum Empyreum, cum supra illud nibil omninò sit, sed spatia purè imaginaria, debent aquæ illæ esse supra aliquos ex alijs cœlis: sicque ponunt hi auctores aquam intra cœlum Empyreum, & primum mobile, nec enim intra alios cœlos tam commodè collocari potest, cùm impediret quo minus vna sphæra aliam moueret. Vnde aiunt, licèt cœli; qui mouentur, sint inter se contigui, non tamen esse eos contiguos seu coniunctos immediatè cum Empyreo, sed interponi aquam.

II. *Secunda, & vera sententia docet cælos omnes sibi esse contiguos.*

Communior tamen & melior sententia asserit cælos omnes esse inter se contiguos. Difficultas solùm est, quid intelligatur per aquas quæ dicuntur esse supra cælos, & quæ ponuntur diuisæ per interpositioné firmamenti, quando dixit Deus, *fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis.*

III. *Origenes per aquas diuersas ab aquis intelligit bonos, & malos Angelos.*

Origenes per aquas supra cœlos Intelligit Angelos sanctos Dei conspectu fruentes, per aquas verò inferiores, quæ per firmamentum à superioribus diuiduntur, intelligit Angelos malos de cœlo ob peccatum deturbatos, indeque perpetuò exclusos. Inter quos proinde, & bonos Angelos magnum chaos, inquit, est firmatum, ita vt ad locum Beatorum regredi non possint. Hæc tamen sententia ab omnibus reijcitur, & Origenes hoc nomine à sanctis Patribus Epiphanio, Hieronymo, Basilio, S. Thomâ 1 p. q. 68. a. 2. & alijs reprehenditur. *Reprehenditur hoc nomine Origenes à Patribus.* Vnde S. Augustinus qui l. 13. Conf. c. 32. per aquas supra cælos Angelos intellexerat, opinionem illam retractat l. 2. Retrac. c. 6.

IV. *S. August. & S. Hieron. per aquas supra cælos intelligunt nubes.*

S. Augustinus l. 2. de Gen. ad litt. c. 4. S. Hieron. ep. 83. & alij multi per aquas supra cælos intelligunt nubes, secundùm illud Iob 26. v 8. *qui ligat aquas in nubibus suis*: per cœlum autem vel cœlos, intelligunt infimam aëris regionem, quam etiã dicunt intelligi per firmamentum, quod diuidit aquas ab aquis. Hanc explicationem ideo reijcit S. Thomas in 2. d. 14. q. 4. a. 2. quia in eodem contextu sumeretur intra paucas lineas nomen firmamenti æquiuocè, cùm ibidem dicatur Deus posuisse stellas in firmamento.

V. *Alij veras aquas esse dicunt supra cælos.*

Alij tum ex sanctis Patribus, tum Theologis per aquas supra cœlos intelligunt veras aquas sublunariũ similes: quorum alij eas dicunt esse liquidas, alij instar glaciei concretas, & congelatas. Alij demum nõ aquas propriè, sed vapores quosdam supra cælum sidereum, seu firmamentum esse volunt.

VI. *S. Thomas, & alij per aquas supra cælos intelligunt cælum crystallinum.*

S. Thomas 1. p. q. 68. a. 2. S. Bonau. Durandus, & alij, per aquas supra cœlos intelligunt cœlum *crystallinum*: nam, inquiunt, sicut supremum omnium cœlum ob similitudinem quàm habet cum igne, vocatur *Empyreum*, ita hoc ob similitudinem cum aquâ, vocatur aqueum, & *crystallinum*.

VII. *Nonnulli per aquas illas intelligunt materiam spirabilem.*

Aliqui tandem per aquas supra cælos, intelligunt materiam aliquam spirabilem, quam dicunt includi intra cælum Empyreum, beneficio cuius Sancti ibidem loquuntur.

VIII. *Cælum Empyreũ intrinsecus liquidum.*

Cælum itaque Empyreum vtrimque, seu & supremâ & infimâ parte firmum esse dicunt & solidũ, in medio autem (qui locus Beatorum habitationi est destinatus) liquidum, & spirabile: de quo proinde intelligunt illud Apoc. 7. v. 17. *Agnus &c. reget eos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*: & alia huiusmodi, quæ in Apoc. sæpe recitantur.

IX.

Vtraque hæc postrema explicatio mihi videtur probabilis: secundùm quos sustineri potest cælos omnes esse sibi inuicem contiguos, & non aquâ interpositâ disiunctos.

SECTIO III.

De motu, & figura Orbium cælestium.

I. *Vtrùm cœli moueantur ab Intelligentijs.*

QVæres primò, vtrùm moueantur cœli ab Intelligentijs? P. Lessius cum alijs nonnullis dicit moueri eos à solo Deo. Communis tamen sententia affirmat moueri ab Intelligentijs: quod ita iam inualuit apud omnes, vt penè nefas sit id inficiari, cui proinde ob tot tamque doctorum hominum auctoritatem subscribo, omnesque constanter asserunt, non posse motum illum prouenire ab intrinseco. Rationem tamen quæ hoc conuincat, non video.

II. *Licèt motus cæli esset ab intrinseco, quies post diem Iudicij non esset cælo violenta.*

Prima quæ affertur, est, quia si motus cælo esset naturalis, & à principio actiuo intrinseco, ergo quies esset illi post diem Iudicij violenta. Sed contrà primò: nam idem argumentum fieri posset de influxu, nempe, cùm procedat à principio effectiuo intrinseco, fore cessationem ab eo post diem Iudicij violentam? Et idem ferè est in corporibus beatorum, quoad potentiam nutritiuam, & generatiuam, quæ post diem Iudicij nunquam prodibunt in actum. Deinde, soluitur clarè hoc argumentum, si dicatur, quod multi Patres affirmant, & sæpe insinuatur in scripturâ, vt suprà notauimus, destructum iri hos cælos, & alios eorum loco producendos.

III. *Motum esse propter quietem.*

Secundò arguunt, quia motus est ob aliquam perfectionem, & vtilitatem, mobilis, vnde dici solet, *motum est propter quietem*, sed motus cæli, cùm sit circularis, esse non potest ob aliquam vtilitatem mobilis, cùm non tendat in aliquem terminum, vbi meliùs se habeat mobile, quàm antea, vt contingit in grauibus & leuibus: quod enim mouetur circulariter, semper mouetur inter eosdem terminos, ergo non potest dari quidquam quod petat moueri circulariter, seu quod habeat in se principium motûs circularis.

IV. *Ostenditur quomodo motus circularis possit esse ab intrinseco.*

Resp. dictum illud, *motum esse propter quietem*, intelligi de motu recto qui ex naturâ suâ ordinari videtur (saltem in illis motibus rectis quos nouimus) ad collocandum corpus in loco aliquo commodo, vt constat in grauibus & leuibus, motus autem circularis, cùm ex naturâ suâ non tendat in nouum locũ, simpliciter non potest ad hoc ordinari, ac proinde perfectio, quam accipit corpus à motu circulari, est ipse motus, & terminus per ipsum productus. Adde, in cœlis esse aliquid peculiare cur in se habeant principium intrinsecum motûs circularis, per motum enim hunc magis conducunt ad generationes & cõseruationes rerum, vicissitudinemque, quam in dies perspicimus: & hoc modo eorum vis & efficacia magis innotescit. *Motus circularis in cælis, est & ipsis, & mundo sublunari bonus.*

V. *Sitne motus cælo naturalis, [illegible]*

Et per hæc patet solutio ad id, quod hîc quæri solet,

ſolet, verùm ſcilicet motus cœli dicendus ſit illi naturalis, necnè? ſi enim ſit ab intrinſeco, non eſt dubium quin ſit cælo naturalis: ſin minùs, dicendus potiùs illi videtur præternaturalis, ſicut & motus ignis in ſuâ ſphærâ, vbi nec motum petit, nec reſpuit.

VI. *Ceſſante motu cæli, non ceſſarent omnes motus, & generationes in rebus ſublunaribus.*

Quæres ſecundo, an ceſſante motu cœli, ceſſarent omnes motus, & generationes rerum ſublunarium? Reſp. negatiuè cum P. Suar. Hurt. Conimb. & aliis, contra quoſdam id aſſerentes. Ratio à priori eſt, quia motus cæli non influit phyſicè in res ſublunares, cùm motus ſit ſolùm actio, & non principium influens *vt quod*, habetque pro termino ſuo tantum diuerſam vbicationem partium cœli, & eſt ſolùm applicatio actiua earum ad diuerſas regiones, & partes mundi: ſol enim non produceret lucem in noſtro hemiſphærio, niſi applicaretur per motum. Nec tamen motus qui eſt applicatio actiua, nec vbicatio quæ eſt applicatio formalis, quidquam agunt phyſicè in lucem, ſed ſolus ſol, qui ſi ſtaret fixus in noſtro hemiſphærio, & nõ moueretur, eodem modo produceret lucem, quo eam nunc producit: ſicut etiam fecit dum ſtetit ad vocem Ioſue. Verum quidẽ eſt, non futuram tunc eam generationem & temporum viciſſitudinem, quæ modò eſt; non quòd motus illam phyſicè efficiat, ſed quòd diuerſimodè applicet diuerſas ſtellas, partes cœli, & ſolem nunc huic mundi parti, nunc illi, vnde varietas & viciſſitudo temporum prouenit.

Si tamen ceſſaret motus cæli, non foret ea temporum, & generationū viciſſitudo, quæ modo eſt.

VII. Quoad figuram cœlorum, omnes præter Empyreum ſunt ſphærici, vtpote ad motum circularem ordinati: nec enim poſſunt eſſe ouali figuræ, aut cylindricæ, vt aliqui voluerunt, cùm enim ſphæræ inferiores moueantur motu contrario, vt ita dicam, motui primi mobilis & diuerſâ quaſi viâ per acceſſum & receſſum à polo ad polum, deberent ſe vel penetrare, vel ſcindere, vt eſt manifeſtum.

Cæli omnes, qui mouentur, ſunt figuræ ſphæricæ.

VIII. De cœlo Empyreo eſt difficultas quoad partem conuexam, nam quoad concauam videtur certum eſſe ſphæricum, cùm ſit contiguum decimo cœlo, ſeu primo mobili. Aliqui ergo etiam quoad ſupremam partem ſeu conuexam volunt illud eſſe figuræ ſphæricæ, quia ſcilicet hæc, figura eſt perfectiſſima, vt communiter docent mathematici. At licèt hæc ratio ſit probabilis, cùm tamen cœlum Empyreum non ordinetur ad motum, ſed quietem, congruentius videtur vt ſit quadratum quoad partem conuexam, hæc enim figura aptior eſt quieti, ſicque ſtatui cœli Empyrei conformior.

Cælum etiā Empyreum, quoad partē concauam, eſt ſphæricum.

Quoad partem conuexā eſt quadratum.

IX. Deinde, verba illa Apoc. 21. v. 6. hoc videntur inſinuare, vbi *ciuitas* dicitur *in quadro poſita*. Quod autem pro contrario aſſertur de perfectione figuræ ſphæricæ, licèt fortè in ſe ſit perfectior quadrangulâ, aliæ tamen congruitates allatæ ſupplent illam maiorem, ſiqua ſit, perfectionem. Sicut ergo forma ſubſtantialis cœli Empyrei non eſt omnium perfectiſſima ex iis quæ creari poſſint, ita nec eſt neceſſarium, vt habeat figuram omnium perfectiſſimam. Hæc de cœlis, quoad noſtrum inſtitutum, ſufficiant.

Inſinuare videtur ſcriptura Cælum Empyreum ſaltē quoad partē ſuperiorē, eſſe quadratum.



DISPV-

DISPVTATIONES IN LIBROS ARIST. DE ORTV ET INTERITV.

N libris de Cœlo egit Aristoteles de corporibus incorruptibilibus, quæ passim æterna vocat, vtpote quæ nullâ vi agentium naturalium destrui possunt, vt ibidem vidimus d. 1. sect. 2. Nunc de rebus quæ corruptioni subiacent, aliquid speciatim addendum: in Physicis enim generalia tantùm quædam tradita sunt principia, eaque vt plurimum rebus corruptibilibus & incorruptibilibus communia. Hic ergo sigillatim de corruptibilibus disputandum.

DISPVTATIO PRIMA.

De Generatione Substantiali.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Generatio Substantialis.

I. *Triplex Generationis acceptio.* TRipliciter sumi solet Generatio: primò latissimè pro quacunque *productione alicuius ex subiecto*, prout opponitur creationi: & hoc sensu dicitur accidens generari, dum educitur è subiecto. *Latissime.* Secundò strictissimè, prout importat *productionem viuentis à viuente in similitudinem naturæ*: de qua postea. *Strictissima.* Tertiò demum medio quodam modo, prout significat *productionem substantiæ in rebus mutabilibus*: & hæc vocatur *generatio simpliciter*, sicut substantia eius terminus dicitur ens simpliciter. *Media.* Hæc verò etiam generatio duplex est iuxta suum terminum, seu formam quam producit, quæ, si solùm sit partialis (vt cùm noua tantùm pars producitur, & adiungitur præcedentibus) dicitur *aggeneratio*, seu *nutritio*: si verò sit totalis, dicitur simpliciter generatio. *Generatio partialis, seu Aggeneratio.* Et de hac agimus in præsenti.

II. *Generalior Definitio Generationis.* Generationem ergo hoc modo acceptam sic definit cum Aristotele hîc ca. 4. communis Peripateticorum schola, *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili manente, vt subiecto eodem. Mutatio* ponitur loco generis, non quòd reuera sit genus omni generationi substantiali, cùm prima generatio rerum non fuerit mutatio, vbi scilicet forma producta est eodē primo instante cum materiâ: sed in opinione Aristotelis, materia erat ab æterno, sicque conformiter loquitur ad suam sententiam? *Quomodo Generatio differat ab Alteratione.* Per particulas *totius in totum* differt Generatio ab *alteratione*, seu productione accidentali, vbi totum, seu compositum substantiale, quod simpliciter vocatur totum, adhuc manet, nec enim corrumpitur compositum substantiale, lignum v.g. vel lapis, ex eo quòd de frigidis reddantur calida.

III. *Quomodo differant mutari per aliud, & mutari in aliud.* Nec vrget quod obiiciunt aliqui, id quod mutatur, debere manere: hoc enim solum verum est de eo quod mutatur *per aliud*, non *in aliud*: ipsa enim vox *mutationis in aliud* denotat debere perire id quod mutatur. Hîc autem notandum, quod in Physicis disp. 1. cùm de principiis corporis naturalis, latè ostendi duplicem scilicet esse mutationem, *causalem* & *formalem*, & hîc sermonem præcipuè esse de causali, seu de actione ipsâ, per quam producitur *mutatio formalis*, seu terminus, per quem subiectum mutatur. *Mutatio duplex, causalis, & formalis.* Nec, cùm dicitur *totum mutari*, intelligi necessariò debet totum adæquatè, manet enim adhuc materia in omni Generatione naturali; sed solùm intelligitur totum inadæquatè, quod sufficit, vt dicatur totum destrui, & mutari; destructâ enim, vel vnione, vel alterâ parte, non ampliùs manet totum.

IV. *Hæc Generationis definitio non est essentialis.* Notandum tamen, hanc definitionem non esse essentialem, vt vult Rubius hic c. 4. tr. 1. q. 3. & Conimb. q. 9 ar. 1. tum quia non omnis generatio substantialis est essentialiter mutatio, vt diximus, tum quia non necessariò debet perire forma quæ præcessit, cùm per diuinam potentiam possit induci forma ignis in materiam ligni, & tamen forma ligni non expelli, quo casu non esset mutatio *formaliter*, sed solùm *radicaliter*, loquendo de mutatione completâ. *Mutatio radicalis.* Imò videtur hæc definitio, sumpta vt iacet, conuenire alicui creationi: si enim crearetur vnio inter materiam & formam, esset ibi mutatio totius in totum, & tamen esset creatio. Propriè tamen & rigorosè loquendo non esset mutatio, hæc enim strictè sumpta requirere videtur subiectum sustentationis.

V. *Essentialis definitio Generationis substantialis.* Essentialis ergo definitio genarationis substantialis tradi hoc modo posset: *Est eductio formæ, vel vnionis substantialis ex potentiâ materiæ*: vnde licet formæ cœli (posito quòd in ipso sint) dicantur concreatæ, sicut & formæ rerum omnium substantialium in primâ rerum productione, quia formæ simul productæ fuerunt cum materiâ, ipsarum tamen productio verè fuit generatio, cùm eductæ fuerint è potentiâ materiæ, vt ostendi in Physicis d. 5. Sicut etiam si Deus simul cum formâ in composito aliquo substantiali destrueret materiam, licèt destructio illa seu suspensio concursûs dici aliquo modo possit annihilatio, cùm hoc sensu desinat in nihilum, id est, nihil maneat illius, è cuius potentiâ educebatur, magis tamen propriè diceretur corruptio, vt in Phy: etiam notaui, cùm corruptio dicatur suspensio omnis actionis quæ pendebat materialiter à subiecto: & hoc sensu non desinit in nihilum, hoc est, non est suspensio productionis rei ex nihilo, quod tamen requiritur ad veram rationem annihilationis: quòd enim existat subiectum post de- *Quid requiratur ad conceptum creationis, & annihilationis.*

ſidet, vtrùm ſcilicet motus cœli dicendus ſit illi naturalis, necnè? ſi enim ſit ab intrinſeco, non eſt dubium quin ſit cælo naturalis: ſin minùs, dicendus potiùs illi videtur præternaturalis, ſicut & motus ignis in ſuâ ſphærâ, vbi nec motum petit, nec reſpuit.

VI. *Ceſſante motu cœli, non ceſſarent omnes motus, & generationes in rebus ſublunaribus.*

Quæres ſecundo, an ceſſante motu cœli, ceſſarent omnes motus, & generationes rerum ſublunarium? Reſp. negatiuè cum P. Suar. Hurt. Conimb. & aliis, contra quoſdam id aſſerentes. Ratio à priori eſt, quia motus cæli non influit phyſicè in res ſublunares, cùm motus ſit ſolùm actio, & non principium influens *vt quod*, habetque pro termino ſuo tantum diuerſam vbicationem partium cœli, & eſt ſolùm applicatio actiua earum ad diuerſas regiones, & partes mundi: ſol enim non produceret lucem in noſtro hemiſphærio, niſi applicaretur per motum. Nec tamen motus qui eſt applicatio actiua, nec vbicatio quæ eſt applicatio formalis, quidquam agunt phyſicè in lucem, ſed ſolus ſol, qui ſi ſtaret fixus in noſtro hemiſphærio, & nō moueretur, eodem modo produceret lucem, quo eam nunc producit: ſicut etiam fecit dum ſtetit ad vocem Ioſue. Verum quidē eſt, non futuram tunc eam generationem & temporum viciſſitudinem, quæ modò eſt; non quòd motus illam phyſicè efficiat, ſed quòd diuerſimodè applicet diuerſas ſtellas, partes cœli, & ſolem nunc huic mundi parti, nunc illi, vnde varietas & viciſſitudo temporum prouenit.

Si tamen ceſſaret motus cœli, non foret ea temporum, & generationū viciſſitudo, quæ modo eſt.

VII. Quoad figuram cœlorum, omnes præter Empyreum ſunt ſphærici, vtpote ad motum circularem ordinati: nec enim poſſunt eſſe ovalis figuræ, aut cylindricæ, vt aliqui voluerunt, cùm enim ſphæræ inferiores moueantur motu contrario, vt ita dicam, motui primi mobilis & diuerſâ quaſi viâ per acceſſum & receſſum à polo ad polum, deberent ſe vel penetrare, vel ſcindere, vt eſt manifeſtum.

Cœli omnes, qui mouentur, ſunt figuræ ſphæricæ.

VIII. De cœlo Empyreo eſt difficultas quoad partem conuexam, nam quoad concauam videtur certum eſſe ſphæricum, cùm ſit contiguum decimo cœlo, ſeu primo mobili. Aliqui ergo etiam quoad ſupremam partem ſeu conuexam volunt illud eſſe figuræ ſphæricæ, quia ſcilicet hæc, figura eſt perfectiſſima, vt communiter docent mathematici. At licèt hæc ratio ſit probabilis, cùm tamen cœlum Empyreum non ordinetur ad motum, ſed quietem, congruentius videtur vt ſit quadratum quoad partem conuexam, hæc enim figura aptior eſt quieti, ſicque ſtatui cœli Empyrei conformior.

Cœlum etiā Empyreum, quoad partē concauam, eſt ſphæricum.

Quoad partem conuexā eſt quadratum.

IX. Deinde, verba illa Apoc. 21. v. 6. hoc videntur inſinuare, vbi *ciuitas* dicitur *in quadro poſita*. Quod autem pro contrario aſſertur de perfectione figuræ ſphæricæ, licèt fortè in ſe ſit perfectior quadrangulâ, aliæ tamen congruitates allatæ ſupplent illam maiorem, ſiqua ſit, perfectionem. Sicut ergo forma ſubſtantialis cœli Empyrei non eſt omnium perfectiſſima ex iis quæ creari poſſint, ita nec eſt neceſſarium, vt habeat figuram omnium perfectiſſimam. Hæc de cœlis, quoad noſtrum inſtitutum, ſufficiant.

Inſinuare videtur ſcriptura Cœlum Empyreum, ſaltē quoad partē ſuperiorem, eſſe quadratum.



DISPV-

DISPVTATIONES IN LIBROS ARIST. DE ORTV ET INTERITV.


N libris de Cœlo egit Aristoteles de corporibus incorruptibilibus, quæ passim æterna vocat, vtpote quæ nullâ vi agentium naturalium destrui possunt, vt ibidem vidimus d. 1. sect. 2. Nunc de rebus quæ corruptioni subiacent, aliquid speciatim addendum: in Physicis enim generalia tantùm quædam tradita sunt principia, eaque vt plurimum rebus corruptibilibus & incorruptibilibus communia. Hic ergo sigillatim de corruptibilibus disputandum.

DISPVTATIO PRIMA.

De Generatione Substantiali.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Generatio Substantialis.

I. *Triplex Generationis acceptio.* *Latissima.* *Strictissima.* *Media.*

TRipliciter sumi solet Generatio: primò latissimè pro quacunque *productione alicuius ex subiecto*, prout opponitur creationi: & hoc sensu dicitur accidens generari, dum educitur è subiecto. Secundò strictissimè, prout importat *productionem viuentis à viuente in similitudinem naturæ*: de qua postea. Tertiò demum medio quodam modo, prout significat *productionem substantiæ in rebus mutabilibus*: & hæc vocatur *generatio simpliciter*, sicut substantia eius terminus dicitur ens simpliciter. Hæc verò etiam generatio duplex est iuxta suum terminum, seu formam quam producit, quæ, si solùm sit partialis (vt cùm noua tantùm pars producitur, & adiungitur præcedentibus) dicitur *aggeneratio*, seu *nutritio*: si verò sit totalis, dicitur simpliciter generatio. Et de hac agimus in præsenti.

Generatio partialis, seu Aggeneratio.

II. *Statuitur Definitio Generationis.*

Generationem ergo hoc modo acceptam sic definit cum Aristotele hîc ca. 4. communis Peripateticorum schola, *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili manente, vt subiecto eodem. Mutatio* ponitur loco generis, non quòd reuera sit genus omni generationi substantiali, cùm prima generatio rerum non fuerit mutatio, vbi scilicet forma producta est eodē primo instante cum materiâ: sed in opinione Aristotelis, materia erat ab æterno, sicque conformiter loquitur ad suam sententiam? Per particulam *totius in totum* differt Generatio ab *alteratione*, seu productione accidentali, vbi totum, seu compositum substantiale, quod simpliciter vocatur totum, adhuc manet, nec enim corrumpitur compositum substantiale, lignum v.g. vel lapis, ex eo quòd de frigidis reddantur calida.

Quomodo Generatio differat ab Alteratione.

III. *Quomodo differant mutari per aliud, & mutari in aliud.*

Nec vrget quod obiiciunt aliqui, id quod mutatur, debere manere: hoc enim solum verum est de eo quod mutatur *per aliud*, non *in aliud*: ipsa enim vox *mutationis in aliud* denotat debere perire id quod mutatur. Hic autem notandum, quod in Physicis disp. 1. cùm de principiis corporis naturalis, latè ostendi duplicem scilicet esse mutationem, *causalem* & *formalem*, & hîc sermonem præcipuè esse de *causali*, seu de actione ipsâ, per quam producitur *mutatio formalis*, seu terminus, per quem subiectum mutatur. Nec, cùm dicitur *totum mutari*, intelligi necessariò debet totum adæquatè, manet enim adhuc materia in omni Generatione naturali; sed solùm intelligitur totum inadæquatè, quod sufficit, vt dicatur totum destrui, & mutari; destructâ enim, vel vnione, vel alterâ parte, non ampliùs manet totum.

Mutatio duplex, causalis, & formalis.

IV. *Hæc Generationis definitio non est essentialis.*

Notandum tamen, hanc definitionem non esse essentialem, vt vult Ruuius hîc c. 4. tr. 1. q. 3. & Conimb. q. 9 ar. 1. tum quia non omnis generatio substantialis est essentialiter mutatio, vt diximus, tum quia non necessariò debet perire forma quæ præcessit, cùm per diuinam potentiam possit induci forma ignis in materiam ligni, & tamen forma ligni non expelli, quo casu non esset mutatio *formaliter*, sed solùm *radicaliter*, loquendo de mutatione completâ. Imò videtur hæc definitio, sumpta vt iacet, conuenire alicui creationi: si enim crearetur vnio inter materiam & formam, esset ibi mutatio totius in totum, & tamen esset creatio. Propriè tamen & rigorosè loquendo non esset mutatio, hæc enim strictè sumpta requirere videtur subiectum sustentationis.

Mutatio radicalis.

V. *Essentialis definitio Generationis substantialis.*

Essentialis ergo definitio generationis substantialis tradi hoc modo posset: *Est eductio formæ, vel vnionis substantialis ex potentiâ materiæ*: vnde licet formæ cæli (posito quòd in ipso sint) dicantur concreatæ, sicut & formæ rerum omnium substantialium in primâ rerum productione, quia formæ simul productæ fuerunt cum materiâ, ipsarum tamen productio verè fuit generatio, cùm eductæ fuerint è potentiâ materiæ, vt ostendi in Physicis d. 5. Sicut etiam si Deus simul cum formâ in composito aliquo substantiali destrueret materiam, licèt destructio illa seu suspensio concursûs dici aliquo modo possit annihilatio, cùm hoc sensu desinat in nihilum, id est, nihil maneat illius, è cuius potentiâ educebatur, magis tamen propriè diceretur corruptio, vt in Phy: etiam notaui, cùm corruptio dicatur suspensio omnis actionis quæ pendebat materialiter à subiecto: & hoc sensu non desinit in nihilum, hoc est, non est suspensio productionis rei ex nihilo, quod tamen requiritur ad veram rationem annihilationis: quòd enim existat subiectum post de-

Quid requiratur ad corruptionem, creationem, & annihilationem.

Accidentia non subiectantur in toto, sed, nec toto destructo pereunt.

subiecti parte, non possunt manere accidentia eadẽ, sic enim mutarent subiectum. Sed contrà primò, in Phys. d. 5. ostensum est accidentia non subiectari in formâ: tum quia in homine non subiectantur in formâ, animâ scilicet rationali, sed in solâ materiâ, tum etiam quia sunt dispositiones ad formam, & consequenter priores naturâ illâ, ergo non possunt subiectari, seu causari materialiter ab eâdem, sic enim daretur mutua prioritas.

III. *Si priora accidentia pereant, non est cur alia iis similia producantur.*

Contrà secundò si enim pereant accidentia priora, nulla est ratio cur prioribus omninò similia producantur: vt si canis aliquis, vel equus diuersorum colorum maculas habens, moriatur, cur aliæ omninò similes maculæ redeant? certè forma cadaueris, quæ succedit formæ præcedenti, illas non petit, vt est manifestum, cùm postea maneat sine illis, imò primò sine eis, aut etiam similibus connaturaliter potuisset produci. & in homine albo qui moritur, nõ magis requirit forma cadaueris succedens albedinem, quàm alium colorem, cùm paulatim albedo illa amittatur, & pereat: si ergo amittitur tota albedo eodem instante, quo homo moritur, cur alia priori omninò similis, & non potiùs subniger, aut quasi fuscus color illius loco oritur? cùm maiorem proportionem habeant hi colores cum formâ cadaueris. Idem est de calore, odore, & aliis accidentibus in homine subitò moriente.

IV. *Accidentia producenda sæpe sunt formæ tunc productæ, contraria.*

Contrà tertiò quando forma ignis primò introducitur in materiam ligni, vel aëris, aliquid frigoris & humiditatis in materiâ illâ remanet, ergo si omnia priora accidentia in illo instante destruantur, non est cur alia iis similia denuò producantur, cùm formæ ignis potiùs sint opposita, quàm ad eam disponentia, sed produci deberet calor vt octo. & siccitas in gradu valde intenso, non gradus aliquis humiditatis, aut frigoris.

V. *Transitus ab extremo ad extremum sine medio.*

Dices; ideo accidentia prioribus similia denuò produci, ne detur transitus ab extremo ad extremũ sine medio, quod tamen contingeret si summus gradus repentè producatur loco accidentium quæ corrumpuntur, ac proinde alia, similia destructis, produci eorum loco debent, quæ paulatim destruantur. Contrà primò, si priora accidentia manerent, possent paulatim destrui, sicque non daretur transitus ab extremo ad extremum sine medio.

VI. *Quomodo intelligatur hoc dictum:* Non potest dari transitus ab extremo ad extremum sine medio.

Contrà secundò, dictum illud, *non posse dari transitum ab extremo ad extremum sine medio* tunc solùm intelligitur non posse contingere, quando est medium impediens, seu contrarium resistens; si autem, ex suppositione aduersariorum, tollatur contrarium resistens, tunc in instante poterit produci intensus calor, aut frigus, non minùs quàm lux intensa, aut alia qualitas non habens contrarium: ergo in instante A, quando corrumpitur omne frigus in materiâ ligni secundùm aduersarios, quidni ignis producet calorẽ vt octo? cùm nihil sit quod impediat, ergo non debent naturaliter produci tot partes frigoris omninò similes iis, quæ erant antea in illâ materiâ, cùm agentia particularia aliud requirant. Deinde, in aliquibus, nempe in qualitatibus non actiuis datur immediatus sæpe transitus ab extremo ad extremum, vt ab albo ad nigrum, non transeundo per colores intermedios: in his ergo non est necessarium vt producantur colores omninò similes destructis, quod tamen fateri debent aduersarij, cùm in homine subitò moriente iidem colores sint per aliquod tempus pòst, qui erant ante mortem.

Transitur aliquando ab extremo ad extremum sine medio.

VII. *Arctiorem habet materia connexionem cum quantitate, quàm cum vllâ formâ substantiali.*

Nec video, præter iam dicta, quid magni momenti obiici possit pro hac sententiâ: quod enim opponunt Conimbricenses hic c. 4. q. 18. ar. 2. sequi arctiorem habere connexionem materiam cum accidente, quãtitate scilicet, quàm cum forma substantiali, cùm tamen quantitati vniatur solùm per accidens, hoc, inquam, leue est: quid enim mirum materiam tam arctam habere connexionem cum quantitate? cum hæc sit illius proprietas, seu passio, quam determinatè petit, sicut res aliæ petunt suas passiones, vt Angelus, & anima intellectum, & voluntatem. Formam autem substantialem, esto aliquam petat, non tamen hanc determinatè, sed sufficit si habeat vllam. Deinde, quantitas non habet quidquam sibi oppositum, per quod expellatur, sicut habent formæ substantiales, quæ ab eodem subiecto mutuò se expellunt, non minùs, quàm frigus calorem.

VIII. *Duobus modis vnitur aliquid per accidens.*

Quod ergo additur de vnione *per accidens* quantitatis cum materiâ, est æquiuocum: si enim intelligant *vniri per accidens* esse vniri vnione accidentali, seu quæ sit accidens, est verum, sed eodem modo hoc sensu anima vnitur per accidens suis proprietatibus, & passionibus, intellectui scilicet & voluntati, à quibus tamen difficiliùs separatur, quàm à materiâ seu corpore, cui vnitur vnione substantiali, cùm etiam separata illas retineat, nec vllâ naturali vi orbari iis possit. Si verò per *vniri per accidens*, intelligant vniri contingenter, ita vt merè per accidens sit materiæ, quòd habeat quantitatem; sicut paries per accidens vnitur albedini, & è contrà, & vna pars mensæ, vel nauis alteri: hoc sensu materia non vnitur quantitati per accidens, sed maximè per se requiritur quantitas à materiâ, non minùs quàm intellectus, & voluntas ab animâ per se, hoc sensu, requiruntur, ita scilicet vt ab intrinseco, & ex ipsâ exigentiâ naturæ potentias illas petat, & sine iis esse naturaliter non possit.

DISPVTATIO II.

De Generatione Viuentium.

SECTIO PRIMA.

Generationis Viuentium natura, ac definitio.

I. *Theologis, ac Philosophis communis est hæc quæstio.*

Tractari sutè solet hæc quæstio à Theologis 1. p. in materiâ de Trinitate, cùm de generatione Verbi æterni. Videri poterunt S. Thomas 1. p. q. 27. a. 2. Alens. 1. p. q. 42. memb. 2. & 3. & q. 43. memb. 1. S. Bonau. in 1. d. 13. q. 2. Richard. in 1. d. 13. art. 1. q. 3. Maior in 1 d. 13. q. 1. Suarez l. 9. de Trinit. c. 1. n. 4. Molina 1. p. q. 27. ar. 2. Vasq. To. 2. in 1. p. d. 123. ca. 1. Conimb. l. 1. de Generat. c. 4. q. 10. Hurt. l. 1. de Gen. sect. 2. Tann. 1. p. d. 4. q. 2. d. 8. Mærat. 1. p. d. 44. Arriaga disp. 1. de Gen. sect. 4. Ouiedo Cont. 2. de Gen. p. 6.

II. *Dupliciter sumitur Generatio viuentis.*

Notandum, generationem viuentis dupliciter sumi: primò latè, sicut cùm animalia & plantæ producuntur à Deo, vel cùm mures, & ranæ producuntur ex putri: quo modo non est opus aliâ definitione quàm vt dicatur Generatio viuentis est *productio viuentis ab aliquo.* Secundo sumitur propriè, cùm scilicet

est viuens producitur ab alio viuente seruatis quibusdam conditionibus, de quibus o ox agemus: & de hac secundâ generatione procedit quæstio.

III. *De finitio generationis viuentis.* Generationis ergo viuentis hoc modo sumptæ definitionem tradit S.Thomas. 1.p.q 27.ar.2.corp. & Damascenus l.1.fidei Orthod.cap 8.ex Arist.tel. 7.Met.c.8.tex. 28. & alibi: *Generatio est ergo viuentis à viuente, à principio coniuncto, in similitudinem naturæ.* Per ly *origo* conuenit hæc definitio cum definitione non viuentium per particulas *viuentis à viuente* differt; per *à principio coniuncto* denotat non approximationē localem, sed vt aliquid pars sui sit,& coniungatur filio, quod fit in omni generatione naturali, vbi parētes communicant aliquid sui, nempe semen filio, ex quo illius corpus compingitur, vt scilicet parens viuat quasi adhuc in filio,cui nimirum aliquid sui physicè tribuit, & in hoc filius naturalis distinguitur ab adoptiuo. Et propter hoc ait S. Augustinus patrem gignere alium se, & superstitem esse in filio. Vnde, quando concipitur proles ex dæmone incubo, fœtus non est filius dæmonis, sed illius viri cuius erat illud semen.

In quo filius naturalis differat ab adoptiuo. S. Augustin.

IV. *Particula Principiū denotat concursum, non actionem.* Tandem verbum illud *principium* denotat concursum actiuum, non quidem ex se præcisè, cùm ratio principij conueniat etiam materiæ & formæ, sed vt coniunctum verbo *origo*,quod significat actionem,& productionem, licèt *principium* quando figillatim, & per se sumitur, capiatur pro nobilhan, nempe actiuo.Sic Adamus non fuit pater Euæ licèt materia (nempe costa) ad illius productionē ab eo fuerit desumpta, idque licèt Adamus id sciuisset, & ex cognitione illam præbuisset: sicut nec equus esset hominis pater, si ex eius carne faceret Deus hominem, inducēdo scilicet in eam animam rationalem. Deinde, costa illa nō fuit peculiari modo proportionata, & à naturâ ad prolis formationem instituta, nec ab eo cuius erat pars, magis ad Euæ, quàm ad lapidis formationem disposita. Quā etiam de causâ vermiculi, & alia animalcula, quæ circa hominem, & alia animalia nascuntur, non propriè generantur. Licèt hæc alio etiam titulo excludantur,quòd scilicet non procedant in similitudinem naturæ. Plantæ verò dicuntur generare alias sibi similes, non tamen vocantur vel parentes illæ,vel hæ filiæ, quia nomen patris & matris ex communi vsu solis tribuitur viuentibus cognoscitiuis.

Adamus nō fuit pater Euæ.

Vermiculi ex animalibus non propriè generantur.

Plantæ generant alias sibi similes.

V. *Quæ similitudo in naturâ requiratur ad generationē.* Restat solùm explicanda vltima particula *in similitudinem naturæ*: in quâ sita est præcipua difficultas huius definitionis: circa quam certum videtur, non requiri similitudinē specificam, nam generatio muli verè est generatio viuentis à viuente, & tamen non procedit similis parentibus similitudine specificâ. Maior tamen requiritur similitudo quàm generalissima ratio entis, vt videtur manifestum.

VI. *Difficultas circa processionem Spiritus sancti.* Quæres, cur processio Spiritûs Sancti non sit generatio æquè ac processio Filij? cùm non minùs accipiat naturam Diuinam quàm Filius, sicque non minùs procedat similis in naturâ, ergo conuenit ipsi definitio generationis viuentis, cùm tamen secundū fidem tenendum sit ipsius Processionem nō esse generationem, sed solam Processionem Filij. Nullibi magis discrepant Theologi, quàm in commodam huius rei rationem assignando.

VII. *Spiritus sanctus ex vi suæ processionis non accipit formaliter naturam Diuinam.* Omissis vanis quæ à diuersis suprà n. 5. citatis afferuntur, hæc inter reliquas mihi aptior ad hanc rem declarandam videtur via, quam insinuat P. Suarez citatus, nempe, quia essentia Diuina consistit formaliter in intellectione: cùm ergo Verbum Diuinum, seu Filius procedat formaliter per intellectionem, accipit ex vi formali suæ processionis intellectionē, & naturam Diuinam quæ est formalissima eius intellectio. Spiritus Sanctus verò, cùm procedat per volitionem, seu amorem, accipit solùm ex vi formali processionis voluntatem & amorem: Diuinum non verò essentiam, sicque ex vi formali suæ processionis non procedit similis in naturâ, sed solùm in voluntate, & amore, naturam verò tantùm accipit consequenter.

VIII. *Alia ratio est, quia Spiritus sanctus non accipit naturā vt naturam.* Alij tamen cum P.Zuniga, materiâ de Trinitate, aiunt, ideò Filium procedere in similitud nem naturæ, non Spiritum Sanctum, & consequenter processionem Filij esse generationem, non processionem Spiritûs Sancti, quia Filius accipit naturam *vt naturam*, id est, fœcundam, seu productiuam alterius Personæ ad intra, natura enim *vt natura* dicit aptitudinem ad operandum, in quo distinguitur ab essentiâ, estque quasi *essentiata*, vt in Logicâ latiùs declarauimus. Cùm ergo in Spiritu Sancto natura Diuina non sit fœcunda ad intra, nec productiua alterius Personæ, non accipit naturam *vt naturam*, & consequenter non est Filius, nec illius processio generatio.

IX. *Albertus. n. rationem ponit cur Spiritus sancti processio non sit generatio.* Dicunt proinde auctores huius sententiæ, si animal aliquod non habeat potentiam, saltem radicalem generandi, non posse dici filium, nec illius productionem esse generationem: sicque vt possit mulus vocari filius equi, dicunt habere eum potentiam radicalem generandi: idque eamde probant. quòd in quibusdam historiis de mulo referatur de facto eum aliquando generasse. Sed de hoc finis. Videantur auctores n.1. citati, qui rem hanc fusissimè discutiunt, & Albertinus Coroll.14 in Prædic. *Ad aliquid* vndecim ex diuersis Theologis rationes colligit, cur Spiritus Sanctus non sit *Filius*, nec eius processio generatio.

SECTIO II.

Quæ sit causa principalis in productione Viuentium.

I. *Prima sententia est animam rationalem producere viuentem sui ad corpus.* Aliqui vnionem animæ rationalis cum corpore fieri dicunt ab ipsâ animâ rationali, quæ, in quiuor, producit vnionem sui. Sed contrà primò, nam tunc anima esset actus assistens quoad illam falsem operationem. Secundò possetres aliqua, Petrus v.g. dici producere se: probatur, nam quod fit ab vna parte compositi, tribuitur toti composito, sic quia anima Petri intelligit, dicitur Petrus intelligere, ergo si anima Petri producat vnionem sui ad materiam Petri, diceretur compositum illud producere vnionem, & consequenter producere se: sicut si anima alterius compositi, matris v.g. produceret illam vnionem, diceretur producere Petrum, sed anima Petri hîc præstat quod anima matris tunc præstaret, ergo Petrus hîc diceretur producere seipsum. Contrà tertiò, sic eo neuter parens nec per se, nec per aliquid sui concurreret physicè, & efficienter ad entitatem prolis in generatione hominis, cùm tamen pee principium *commune* omnes intelligant concurrum effectiuum.

II. *Secunda sententia animam alterius causam principalem generationis.* Alij ergo, & propiùs vero, ascribunt generationem seu productionem vnionis in homine, & formæ simul & vnionis in aliis animalibus, animæ matris tanquam causæ principali: ita Okam in 3 q.3. Gab. in 3. d.4.q. vn. P. Hurt. d.2 de Gen f.3.n.4 & f.&.5. nu. 72. P. Arria. d.1. de Gen. f.6 n.58 & alij Quod probatur tum ex proportione in perfectione animæ matris, cum formâ & vnione animalis producti, tum ex præsentiâ & sufficiente applicatione animæ matris, cùm semper sit præsens effectui producto in primâ illius productione, non sic anima maris.

III. Dices; ergo plus est virtutis in fœminâ quàm in mare

Dicunt tamen animã maris habere virtutẽ eandem cum animâ fœminæ.

mare ad generationem prolis. Negant consequentiam, nam etiam forma maris, inquiunt, habet eandem virtutem, licèt concurrere non possit, eo quòd absit. Vrgebis, ergo est otiosa illa virtus in mare, cùm semper naturaliter petat abesse. Negant consequentiam, est enim, inquiunt, per accidens tantùm impedita ex eo quòd sit forma maris, seu sub his dispositionibus. Vnde, vt ait P. Hurt. anima maris non magis petit corpus masculinum, quàm fœmineum, nec esse sub his dispositionibus potius quàm sub illis.

IV. *Obij: animam matris per vnicam tantùm sui partem esse proximam proli.*

Instabis; anima matris in productione equi v. g. tantùm est immediata proli per vnam sui partem; ergo sicut in nutritione pars proxima tantùm producit partem sibi similem, vt os partem ossis, caro carnis, cor cordis &c. ita & hic: à quo ergo producetur tanta varietas membrorum in fœtu? Dicunt aliqui, licèt vna tantùm pars matris coniungatur, omnes tamen agere, sed sigillatim, ita scilicet, vt vnaquæque in fœtu producat partem sibi similem, vt caput, inquiunt, matris producit caput fœtûs, oculus oculum, pes pedem &c. Sed contrà, ergo mater carens oculo vel pede producet fœtum monoculum, mancum, vel mutilum, cùm tamen contrarium constet experientiâ.

Dicunt aliqui caput matris producere caput fœtûs, & sic de reliquis partibus.

V. *Probabilior difficultatis solutio.*

Respondetur ergo, in homine hanc obiectionem non habere difficultatem: cùm enim anima rationalis sit vbique eiusdem rationis, vtpote indiuisibilis, tota producet totum fœtum, seu totam vnionem inter materiam & formam. In alijs animalibus si partes formæ sint homogeneæ, nulla etiam est difficultas, sin verò sint heterogeneæ, seu diuersæ rationis, difficilior est responsio: dici tamen posset, singulis partibus formæ simul cum alijs, & accidentibus inesse vim producendi totum fœtum, seu singulas illius partes, cùm maximè differentia inter partes non sit propriè specifica, sed solùm materialis. Quæ tamen solutio non caret difficultate.

SECTIO III.

Assignatur vera causa principalis in productione viuentium.

I. *Causa principalis in productione viuentium est semen.*

Mihi hac in parte probabilius videtur, causam principalem in generatione tum hominis, tum aliorum omnium viuentium, quæ ex semine producuntur (non ex putri, vt vermes &c.) esse ipsum semen, saltem secundùm illam partem, quam dicunt in semine esse magis subtilem & actiuam, ac manere in generatione fœtûs: aliæ enim partes quæ sunt crassiores, simul cum sanguine inseruiunt pro materiâ, ex quâ animalis corpus compingitur. Probatur, generatio in conceptu suo essentiali non dicit aliud quã vnitionem animæ cum corpore, seu productionem vnionis inter illa, nam nihil aliud interuenit in conceptione hominis, quæ tamen est vera generatio, sed semen simul cum accidentibus potest vt causa principalis producere illam vnionem, ergo. Probatur minor, non est cur semen non sit perfectius hac vnione, cùm semen sit substantia completa, vnio tantùm modus, & quid incompletum, & non tam substantia, quàm quid substantiale, vt loquuntur Philosophi.

Ratio est, quia semen est perfectius vnione, quæ sola est terminus generationis.

II. *Quòd vnio intrinsecè constituat hominem, nõ arguit eam esse perfectiorem semine.*

Dices primò; vnio est quid constituens intrinsecè hominem, & alia composita substantialia, ergo est perfectior semine. Nego consequentiam, sic enim materia prima est quid magis perfectè cõstituens hominis, nempe vt pars, & tamen nullus dicet materiam primam esse semine perfectiorem. Vrgebis, vnio est quid vitale, non sic semen. Contrà, vnionem esse *vitalem*, vel significat habere in se vitam; & hoc est falsum, nam inquiro quâ vitâ viuat vnio? non vitâ rationali, vt constat, nec etiam sensitiuâ, aut vegetatiuâ, ergo nullâ: vel vnionem esse *vitalem* significat spectare ipsam intrinsecè ad constitutionem viuentis, & hoc est verum, productâ enim vnione constituitur viuens, ad hoc tamen non est necessarium vt vnio viuat, sicut nec viuit materia, quæ tamen non minùs intrinsecè pertinet ad constitutionem viuentis, quàm vnio. Sufficit ergo ad constitutionem viuentis, alteram partem, nempe formam, esse vitalẽ: debet tamen forma vitalis, vt constituat viuens, vniri, nam constituit compositum vitale.

Quo sensu vnio sit quid vitale.

III. Dices secundò; actio generatiua est vitalis, ergo debet procedere à principio vitali, quale non est semen. Distinguo antecedens, si per vitale intelligatur procedens immanenter, & modo vitali, nego antecedens; hoc enim modo non est actio vitalis, cùm sit actio transiens: sicut & cùm Deus solus producit hominem vel Angelum, producit quidem aliquid vitale, sed non modo vitali, seu immanenter. Si autem per vitale velit quis, actionem tendere ad terminum vitalem, sic adhuc est distinguendum, tendit ad terminum vitalem immediatè, & formaliter, nego antecedens; nam formaliter tendit ad solam vnionem, quæ non est vitalis, nec viuit, vt diximus: tendit ad terminum vitalem mediatè, concedo antecedens; terminus enim constitutus, & mediatus, est vitalis, nempe homo; actio tamen productiua vnionis non attingit hominem adæquatè & immediatè. Sicut si duæ medietates vlnæ antea separatæ, vel circuli cõiungerentur per lineam, vel superficiem intermediã, ille qui produceret lineam illam, vel superficiem, haberet pro termino immediato solam lineam, aut superficiem, denominatiuè tamen diceretur producere vlnam, vel circulum.

Actio generatiua solùm dicitur vitalis, quia tendit ad terminum vitalem.

Actio generatiua tendit ad terminum vitalem tantùm mediatè.

IV. *Actio productiua hominis constatur ex tribus actionibus.*

Actio ergo productiua hominis, si sumatur adæquatè, potest dici actio conflata ex alijs tribus actionibus, nempe ex productione materiæ, productione formæ, & productione vnionis. Dicitur autem generatio ratione vnionis, quæ generatur, sicut homo mortalis ratione eiusdem, & corporeus ratione materiæ: sicut & syllogismus est probabilis ratione vnius præmissæ probabilis.

V. *Assignatur vniformis causa generationis viuentium.*

Secundò probatur: hac ratione assignamus vniformem causam in generatione omnium viuentium, quæ naturali modo producuntur, nempe semen, cùm tamen alij vnam assignent causam pro animalibus, vt animam matris, aliam pro vegetatiuis, nempe vel cœlum, vel causam primam.

VI. *Hoc modo in generatione animalium æqualis est concursus actiuus Patris & matris.*

Tandem secundùm hunc philosophandi modũ, æqualis in animalibus tribui potest concursus vtrique parenti in actione generatiuâ fœtûs, quod tamen alij non præstant, qui totum concursum effectiuum tribuunt soli matri, ac proinde in illâ sententiâ non tam verè producit pater filium, ac mater, cùm ille non omninò concurrat effectiuè ad prolem. In nostrâ autem sententiâ vterque parens est causa principalis prolis, concurrendo scilicet ad eum effectiuè per aliquid sui, quod requiritur in definitione generationis suprà positâ.

VII. Dices, terra etiam est perfectior vnione inter materiam & formam plantarum, ergo illa poterit dici causa principalis generationis plantarum. Resp. primò, nos non probare semen esse causam principalem generationis viuentis præcisè quia est perfectius vnione inter materiam & formam: sic enim lux est perfectior albedine, & tamen eam non producit. Ideo ergo dicimus semen esse causam principalem generationis viuentis, quia cùm sit quid perfectius vnione illâ, ordinatur à naturâ ad productionem viuentis. Secundò dico, terram, esto produceret

Ex maiore perfectione præcisè non arguitur vnum aliud producere.

vnionem

Terra respectu plantarū est ad summum causa vniuersalis.

vnionem in plantis inter illarum materiam & formam, esse ad summum causam quandam vniuersalem, cùm æqualiter concurrat ad omnes plantas, sicut & cœlum: singulis autem singulæ, & particulares assignari debent causæ, quando possunt, sicut nos de facto hic assignamus.

VIII. Addo, in plantis probabiliter dici posse, semen tanquam causam principalem producere non solùm vnionem, sed etiam ipsas formas substantiales plantarum, præsertim si verum sit quod subinde insinuat Aristoteles, & S. Thomas, nempe, semen plantarum habere in se vitam vegetatiuam. Nec obstat paruitas seminis in planta, nam *virtus vnita fortior*. Nec arguas semen non viuere quod non crescat, viuentia enim non semper crescunt, vt quotidianâ constat experientiâ.

Virtus vnita fortior.

SECTIO IV.

Alia quædam circa generationem & corruptionem viuentium.

I. PRimum est, quod latè hîc tractant aliqui, quis sit ordo rationis inter inductionem dispositionum ad nouam formam, & destructionem tam dispositionum præexistentium, quàm formæ substantialis. Quæ quæstio communis est tam viuentibus, quàm non viuentibus. Nos plurima quæ ad rem hanc pertinet, tradidimus in Physicis, d. 22. s. 3. n. 11. nec quidquam hîc addendum occurrit.

Quis sit ordo inter introductionem, & expulsionem dispositionum, & formarum.

II. Secundum est, quæ dispositiones determinent materiam, & agens ad formam cadaueris. Difficultas præcipuè est, cùm homo, aut aliud animal moritur subitò, vt cùm ipsi vel præscinditur caput, vel cor transfigitur, aut aliquid huiusmodi, vel cùm in momento perit ex causâ ignotâ: cùm enim ex inualetudine paulatim extinguitur, nō videtur tanta difficultas, tunc enim dispositiones illæ corruptiuæ ex morbis progenitæ possunt tam materiam, quàm agens determinare ad formam illam in subiecto animæ producendam. Hac de re quædam etiam dicta sunt in Physicis, sed quia non leuem continere videtur difficultatem, non erit abs re nonnulla hîc de eâdem adiungere.

Quid determinet ad producendā formam cadaueris.

III. Dici ergo posset primò, formam cadaueris ob suam imperfectionem non requirere vllas peculiares dispositiones, sed esse quasi quandam causam formalem vniuersalem, ordinatam ex natura sua ad supplendum defectum formæ viuentis, seu animalis in informando materiam, & ad illam immediatè consequendum, vbi non sunt dispositiones in illo subiecto petentes aliam formam, vt fortasse sunt quando animal comburitur, tunc enim videtur probabile aliquas illius partes immediatè conuerti in ignem, sine eo quòd informentur priùs forma cadauerica: & clariùs hoc constat in quibusdam hominibus qui ita putrescunt viui (quod in alijs etiam quibusdam animalibus quandoque cernitur) vt videantur nonnullæ illorum partes immediatè conuerti in saniem.

Forma cadauerica est quasi causa formalis vniuersalis.

Viuens secundum omnes suas partes non semper trāsit in cadauer.

IV. Vnde sicut causa vniuersalis efficiens, licèt communiter determinetur ad operandum, seu ad præbendum concursum suum effectiuum dependenter à causa aliqua efficiente particulari, vbi tamen hæc deest, supplet causa vniuersalis per se illius defectū, & concurrit sine vllo determinante particulari effectiuo: ita & forma cadaueris, quæ, vt dixi, est quasi causa formalis vniuersalis, & ordinata ad supplendos defectus formarum viuentium, seu animalium, poterit subinde produci in subiecto sine alio determinatiuo formali, quàm quòd pereat vel deuiatur forma viuentis, seu animalis, & ex exigentiâ naturæ requiratur vt alia forma ipsi succedat.

Quod præstat causa vniuersalis efficiens aliud, præstat causa formalis.

Quòd verò forma cadaueris possit aliquo modo dici forma vniuersalis, inde videtur suaderi, quòd semper, & æqualiter sequatur ad formas omnium animalium, & illarum materias informet, quocunque fere modo pereant: & propterea solùm induci videtur forma cadaueris, quia destructa est & deest forma viuentis. Dicere verò instante quo forma animalis separatur, ac destruitur, produci subitò dispositiones ad formam cadaueris, eandem habet difficultatem: tunc enim eodem modo quæstio procedet de illis dispositionibus, quid scilicet ad illarum productionem determinet. V.

Ostenditur formam cadaueris posse vocari formam vniuersalem.

Secundò responderi posset in casibus suprà positis, & quando cumque animal subitò moritur, dari semper aliquod determinatiuum ad productionem formæ cadaueris. Cùm enim caput præscinditur, deest pars requisita ad formam perfecti viuentis, ac proinde dispositiones in materia ad formam viuentis sine parte illa requisita, cum negatione talis partis sunt sufficiens determinatiuum ad formam cadaueris. Similiter cùm cor transfigitur, est cum ijsdem dispositionibus diuisio continui, seu negatio continuationis debitæ ad formam perfecti viuentis. Insecta autem, vt vermes & alia huiusmodi ideo non statim moriuntur præciso capite, quia tot partes ad eorum vitam conseruandam non requiruntur, quot in alijs animalibus, sed sedes vitæ in his est medulla spinæ dorsi, quæ cùm ducatur per omnes partes corporis, in minutissimas etiam partes diuisa hæc animalcula, ad diuturnum etiam tempus viuent. Cùm verò homo quispiam moritur subitò, & nulla apparet mortis illius causa, fit, vt dicunt medici, vel per diruptionem alicuius membranæ in capite, vel fibræ in corde: ac proinde semper datur saltem aliquid negatiuum determinans ad productionem formæ cadaueris: quod sufficere videtur ad formam tam imperfectam. VI.

Assignatur determinatiuum ad formam cadaueris.

Cur insecta etiam sectà viuant.

In insectis sedes vitæ est medulla spinæ dorsi.

Quæ sit causa subitæ mortis in homine.

SECTIO V.

De Generationibus quibusdam anomalis, & ordine formationis partium animalis.

QVæres, vtrùm generationes viuentium anomalæ, seu quæ præter naturæ leges, & communem rerum cursum fiunt, sint vniuocæ cum generationibus, quæ naturali via & modo contingunt? Quæstio procedit de Generatione propriè sumpta, prout scilicet est *Origo viuentis à viuente ex principio coniuncto, in similitudinem naturæ*, nam prout generatio latè sumitur pro eductione vnionis ex potentia materiæ seu subiecti, omnes generationes, in quibus fit huiusmodi eductio, sunt inter se vniuocæ. I.

De generationibus quibusdam anomalis.

Generationes anomalæ inprimis sunt productio Adami ex limo terræ, & Euæ ex costa Adami: hæ autem non sunt vniuocæ cum propria generatione, nec ex vi illarum fuit vel Adamus filius Dei, vel Eua filia Adami. Secundò, humana Christi generatio ex virgine, vniuoca fuit generatio ex parte matris quæ in hac generatione ea omnia quoad substantiam præstitit, quæ aliæ matres in prolis generatione præstare solent. Quatenus tamen Spiritus Sanctus concursum alterius principij suppleuit, fuit generatio illa anomala. Tertiò, resurrectio mortuorum non est generatio hoc modo strictè sumpta. Quartò, generatio ope Dæmonis facta semen virile in vterum transmittentis, est quoad substantiam vniuoca cum generatione naturali, quoad modum tamen est anomala. II.

Productio Adami, & Euæ.

Humana Christi generatio vniuoca fuit ex parte Virginis matris.

Resurrectio mortuorum.

Quæritur

III. *Quæ partes animalis primò formentur.* Quæritur secundò, quæ partes in generatione animalis priùs formentur? Hippocrates, quem sequitur Galenus, hepar priùs formari asserit, deinde cor, postea cerebrum, mox reliqua. Aristoteles cor primò formari vult. Alij capiti primas in fœtûs efformatione tribuunt. Quisque suis nititur experientijs, quibus hi illam, alij aliam ex partibus iam dictis primò formatam se comperisse asserunt.

IV. *Cor sedes vitæ, primo viuit, ultimò moritur.* Aristoteles præter iam dicta, ideò cordi efformationem primam ponit, quia, inquit, est caloris naturalis origo, & sedes vitæ, quod proinde primò viuit, & vltimò moritur, ideoque in medio situm illud esse ait, tanquam partem partium hominis corporis præcipuam, vt hoc modo faciliùs suum ijs influxum præstet.

V. *Quidā caput, vt loco, ita dignitate cæteris hominis partibus superiorem esse dicunt.* Alij verò caput, vt loco, ita dignitate cæteris hominis partibus superiorem esse contendunt, vtpote in quo sensus omnes vigeant, quodque membra alia gubernet, ac moderetur. Hanc proinde partem primò formari asserunt, veluti radicem, à quâ influxus quidam in membra reliqua deriuetur. Quorum opinioni suffragari passim videntur Philosophi, à quibus homo *Arbor* appellatur *inuersa*, quippe qui, non sicut aliæ arbores terræ infixam; sed cœlum versus radicem (hoc est caput) erectam habeat. *Homo arbor inuersa.*

VI. *Cor & caput simul formantur.* Res est parui momenti. Mihi probabilius videtur cor, & caput, seu cerebrum simul efformari debere, cùm suâ inuicem ope indigeant, nec vnum sine altero consistere vllo modo possit. Imò probabile est quod affirmat Vallesius lib. 2. Controu. cap. 5. P. Hurt. hic d. 2. s. 7. n. 97. & alij, omnes partes, saltem principales, quæ virtute seminis efficiuntur, simul efformari, cùm non sit cur semen omnes illas elaborare simul non possit, ac proinde simul eas elaborabit, cum sit agens necessarium, & materiam habeat applicatam.

DISPVTATIO III.

De Conuersione.

SECTIO PRIMA.

Quænam ad veram conuersionem requirantur.

I. *Conuersio est transitus vnius rei in aliā.* VT clariùs in hac quæstione, quæ tum à Philosophis, tum Theologis accuratè disputari solet, procedamus, definitionem conuersionis toti disputationi præfigemus, vt, iacto quasi fundamento, certiùs reliqua, & expeditiùs percurramus. Definitur ergo conuersio, quòd *sit transitus vnius rei in aliam.* Quod quomodo intelligendum sit, disputationis decursu constabit.

II. *Ad conuersionem requiruntur duæ mutationes, positiua & negatiua.* Ad Conuersionem itaque duæ requiruntur mutationes; positiua altera, seu productio, vel vnio noui termini positiui: altera negatiua, seu formalis destructio formæ præexistentis. Sic cùm in aquam, vel manum inducitur calor, vna mutatio fit per inductionem caloris in materiam aquæ, aut manûs, altera verò per destructionem frigoris: vnde, si frigus non destrueretur, non esset conuersio vt in luce contingit, ad cuius productionem in aëre nulla res positiua destruitur: Actio tamen quæ produceret, vel vnio quæ vniret calorem, esset conuersiua licèt frigus actu non destrueretur, quia ratione sui, vel termini producti peteret destructionem frigoris, licèt in hoc casu non esset actualis conuersio. *Actio vel vnio conuersiua.* Sicque definitur conuersio, vt diximus num. præcedente, quòd sit *transitus, seu desitio vnius rei in aliam*: ac proinde in omni conuersione reperiuntur duo termini positiui, vnus *à quo*, alius *ad quem*, vel *in quem*. *Necessarij sunt duo termini positiui.*

III. *Secundo ad conuersionem requiritur terminus communis.* Secundò ad veram rationem conuersionis requiritur aliquod tertium, vtrique termino positiuo commune, circa quod aliquo modo pugnent, siquè id cui vterque vniatur. Sic in conuersione ligni in ignem, terminus communis est materia, quæ est vtriusque formæ subiectum: in conuersione panis in corpus Christi, terminus communis sunt accidentia panis, quæ pane destructo manent. Vnde non est necessarium vt terminus communis semper sit subiectum, cùm accidentia nec sint subiectum corporis Christi, nec substantiæ panis. Hic autem terminus esse debet quid positiuum: vnde licèt quando vna res corporea pellit aliam loco, possit aliquo modo dici vbicatio, quæ petit ad productionem alterius, conuerti in illam, cùm pugnent de eodem termino, seu spatio imaginario, non tamen propriè dicitur conuersio, cum spatium imaginarium, vt in Physicis diximus d. 33. s. 2. non sit quid positiuum, sed negationes non tollibiles vbicationum realium. *Vna vbicatio non conuertitur in aliam.*

IV. *Tertiò, vt sit repugnantia ex naturâ rei inter terminum à quo, & ad quem.* Vt autem dicatur vna res propriè conuerti in aliam, debet res illa quæ producitur, vel vnitur in his circumstantiis habere aliquam repugnātiam ex naturâ rei seu physicam, cum eâ quæ desinit, & non sufficit illam aliam quocunque modo desinere, seu concomitanter, sed debet destrui ea vi termini producti. Si ergo Deus decreuisset ad productionem Angeli in hoc loco, vbi in instante præcedente erat homo, destruere hominem, seu quando producit vnum Angelum, destruere alium, ibi non esset conuersio physica inter duos illos Angelos, vel Angelum & hominem, cum ex naturâ rei nulla esset repugnantia inter terminum productum & destructū, ita vt simul existere non possent. Totum ergo in hoc casu refunditur in voluntatem Diuinam volentem vnum desinere ad productionem alterius.

V. *Conuersio moralis, quæ dicatur.* Hæc ergo dici posset *conuersio moralis*, cùm causa desitionis hominis illius, vel Angeli sit merè moralis, non physica, sed sine vlla repugnantiâ ex parte rerum quæ producuntur, & desinunt. Productio ergo, vel vnio termini ad quem, & destructio termini à quo debent esse *pertinentes sequelâ*, id est, mutuò sese connaturaliter inferentes: termini verò ipsi debent esse *repugnantes sequelâ*, seu naturaliter incompossibiles, & sese peculiari quodam modo excludentes.

VI. *Conuersio secundùm diuersos terminos diuersa sortitur nomina.* Notandum tertiò, conuersionem secundùm diuersitatem terminorum sortiri diuersas denominationes, quando substantia conuertitur in substantiā, est conuersio *substantialis*, *accidentalis* quando accidēs desinit in accidens, *mixta* quando vel accidens in substantiam, vel hæc in accidens transit. *Formalis* dici hoc sensu solet, quando forma transit in formam, *totalis* quando totum in totum: ad quam tamen denominationem sufficit si sola vnio destruatur. Transsubstantiatio verò propriè tunc dicitur quando aliqua substantia ita transit in aliam, vt tota secundùm omnem sui partem, si composita sit, ad illius exigentiam destruatur. *Transsubstantiatio propriè dicta.*

VII. Notandum quartò, conuersionem, sicut & mutationem duplicem esse, *causalem*, & *formalem*. causalis

Conuersio duplex: causalis, & formalis.

seu remota est actio productiua termini, qui formaliter, & immediatè petit destructionem alterius, & facit vt vnum desinat seu transeat in aliud: *formalis* verò conuersio est ipsa desitio, seu transitio vnius in aliud. Vnde si actio aliqua non solùm mediatè, sed etiam immediatè habeat oppositionem cum re aliquà in eodem subiecto, sicut in sententiâ ponente actionem productiuam formæ materialis esse eandem vnionem informationis, tunc actio illa ingreditur conceptum formalem huius conuersionis, non quà actio præcisè, sed quà vnio: sicut si actio productiua alicuius rei sit illius vbicatio, non id habet vt actio, sed vt vbicatio.

VIII. *An dari possit conuersio formalis sine totali.*

Quæres vtrùm diuinitùs dari possit conuersio formalis sine totali? seu vtrùm conuerti possit vna forma in aliam, quin vnum totum conuertatur in aliud. Ad huius intelligentiam aduertendum, quando vnum compositum conuertitur in aliud, duplicē interuenire conuersionem; *formalem*, qua scilicet vna forma conuertitur in aliam, & *totalem*, qua vnum compositum similiter desinit in aliud, communiter enim simul cum vnione destruitur forma. Reperitur tamen sæpe conuersio totalis sine formali, vt cùm ex homine fit cadauer. Sermo autem est de conuersione physica, & rigorosa, non de morali, & impropria, nam certum est posse Deum, si velit, destruere vnam formam ad præsentiam alterius.

Conuersio totalis sæpe est sine formali.

IX. *Quid in hoc dicendum, si actio & vnio identificentur.*

In sententia ergo asserente actionem eductiuam esse ipsam vnionem informationis, non potest forma conuerti in formam, quin totum conuertatur in totum. Ratio est clara, nàm pereunte forma materiali, perit necessariò actio ipsius conseruatiua, sed illa actio est etiam vnio informationis, ergo perit vnio, ergo totum, cùm vnio, vt dictum est, sit forma constitutiua totius.

X. *Quid si vnio distinguatur ab actione eductiuâ.*

In nostra autem sententia, qui d. 14. Phy. s. 8. vnionem informationis distinximus ab actione eductiua formæ, putant aliqui posse diuinitùs fieri conuersionem formalem sine totali: nam potest, inquiunt, diuinitùs forma educi è potentia materiæ absque eo quòd materiam informet; tunc ergo si corrumpatur forma ligni ad productionem formæ ignis in materia, fit conuersio formalis, & tamen non fit totalis, vt est manifestum, nec enim potest totum conuerti, vbi non erat totum, hîc autem non esset totum, vt constat, cùm deesset vnio informationis, quæ essentialiter ad constitutionem totius requiritur.

XI. *Dari nequit conuersio formalis sine conuersione totali.*

Mihi tamen probabilius videtur, in casu illo miraculoso non futuram conuersionem formalem, si sermo sit de vera & rigorosa conuersione physica. Ratio est, quia duæ formæ non repugnant sibi mutuò, nisi in ordine ad informandum idem subiectū. Vnde, si ponatur, vt ponitur in casu argumenti, formam ligni non informare materiam, forma ignis, quantumcunque producatur, & etiam vniatur illi materiæ, non expellet formam ligni, cùm expelli non possit è subiecto nisi quod subiecto inest, aliam enim repugnantiam non habet forma ignis cum formâ ligni, aut vlla forma cum aliâ, nisi in ordine ad informandum idem subiectum.

XII. *Duæ formæ oppositæ, separatæ à subiecto, non se destruerent.*

Quare, si essent duæ formæ separatæ ab omni subiecto, possent esse intimè secum penetratæ, & cū subiecto: sicut non repugnat vt inter se sint intimè penetrata peccatum & gratia, vt cùm dæmon fit intimè præsens homini in gratiâ existenti: ac proinde propria, & rigorosa conuersio non esset in hoc casu, cùm non sit peculiaris illa cōnexio inter productionem seu vnionem formæ ignis, & destructionē formæ ligni, quæ requiritur ad conuersionem propriè dictam. Si ergo Deus hîc formam ligni destrueret, esset solùm conuersio moralis, non physica, cùm forma ignis illius destructionem non exigeret.

Esset conuersio tantùm moralis.

Id verò hîc aduertendum, non ita propriè dici de compositis substantialibus vnum fieri alterum, ac de accidentalibus: nec enim tam propriè dicitur, *aqua fit vinum*, ac, *calidum fit frigidum*: huius ratio est, quia in compositis accidentalibus manet idem totū, non sic in substantialibus. Priores ergo propositiones ita intelligi debent, vt cùm dicitur *aqua fit vinum, lignum fit ignis*, sensus sit, *aqua transit in vinum, lignum transit in ignem* &c. Et idem est de his propositionibus, *ex ligno fit ignis, de aere fit aqua*, & aliis huiusmodi; particulæ enim *ex* & *de* non denotant principium, vel causam intrinsecam, sed solùm terminum *à quo*: sicut cùm dicitur, *mundus factus est ex nihilo*: vbi *ex nihilo* non denotat principium vel causam intrinsecam, sed merum terminum *à quo*. XIII.

Notandum circa modū loquendi de conuersione.

Particulæ ex & de denotant solùm terminum à quo.

SECTIO II.

An ad Conuersionem requiratur desitio termini à quo.

NEgant aliqui, sed aiunt sufficere si loco amoueatur: tunc enim, inquiunt, propositiones, quæ fieri solent de vnâ re in aliam conuersâ, sufficienter verificantur: vera enim, inquiunt, esset hæc propositio, *Hoc est corpus Christi*, licèt substantia panis non destrueretur, sed solùm amoueretur, & Christi corpus sub accidentibus illius loco statueretur. I.

Prima sententia negat ad conuersionem requiri desitionē termini à quo.

Dicendum nihilominus ad veram conuersionem vnius rei in aliam requiri, vt terminus *à quo*, seu qui in aliùm conuertitur, re ipsâ desinat ac destruatur: ita communis Philosophorum sententia. II.

Ad conuersionem requiritur destructio termini à quo.

Probatur primò ex S. Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 7 fine, vbi ideo in Verbi Incarnatione ait Diuinitatem non fuisse conuersam in creaturam, *quia non desiit esse Diuinitas*: & lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 18. conuersiones à magis & falsis olim Diis factas, vt Arcadum in lupos, Iphigeniæ in ceruam &c. negat fuisse veras conuersiones, quia personæ illæ non destruebātur, sed ope dæmonum amouebantur, & lupi ac cerua in eorum locum subitò substituebantur. Idem docet S. Cyrillus Epist. ad Successum, vbi Verbum ideo ait non fuisse conuersum, *quia mansit id quod priùs erat*. Idem variis locis tenet S. Thomas, præcipuè 3. p. qu. 75. ar. 2. corp. his verbis: *Quod conuertitur*, inquit, *in aliquid, factâ conuersione non manet*. III.

Probatur primò ex Patribus.

S. August.

S. Cyrillus.

S. Thomas.

Probatur secundò ex ipsâ definitione conuersionis, nempe quòd sit *transitus vnius rei in aliud*, quod perinde est ac desinere in aliud, quod enim transit in aliud, non manet in se, seu in suâ entitate, vt proximè vidimus ex S. Thoma, manere enim in se, & transire in aliud, videntur vel ex terminis inuoluere repugnantiam, nam transire in aliud est quasi exire ex se, & entitatiuè tendere in aliud. Conf. primò, ideo anima rationalis non conuertitur secundùm omnes in formam cadauericam, quia non destruitur homine moriente. Conf. secundò, alioqui quoties quis pellitur loco ab alio, vt aër ab homine, vel Petrus à Paulo, diceretur in eum conuerti, quod tamen nullus concedet. IV.

Probatur secundò ex definitione conuersionis.

Anima rationalis non conuertitur in formā cadaueris quia non destruitur.

Probatur tertiò, sicut enim transire ab aliquo loco, vt ab vna parte scholæ ad aliam, vel à cœlo ad terram, aut ab vno munere vel officio ad aliud, est priorem locum, vel officium relinquere, ita transire simpliciter, est relinquere esse: ac proinde, quod simpliciter transit in aliud, debet desinere in esse, sicut alij desinunt in loco & officio: in conuersione autem dicitur res quæ conuertitur in aliam, transire in illam simpliciter, & sine addito, ergo &c. V.

Ostendatur transire simpliciter, esse desinere.

Dices, si idem lignum esset in duobus locis, & in altero iniiceretur in ignem, ignis tunc in illo loco induce- VI.

Quod si forma in duobus simul locis existens, extra ueretur tantum in vno.

duceret in materiam illam formam ignis, & conuerteret formam ligni in formam ignis, & tamen non destrueretur forma illa ligni, cùm adhuc existeret alibi vt supponitur, quod autem alicubi est, non potest dici perire, sed solùm perit eius vbicatio, & non forma simpliciter. Aliqui fortè in hoc casu dicerent, non esse conuersionem formæ ligni in formam ignis, ob rationem in obiectione factam: & hæc videtur eorum mens, qui, quando corrumpuntur species panis in Eucharistia, affirmant non posse dici corpus Christi conuerti in substantiam succedentem, quia ad conuersionem veram dicunt requiri, vt terminus à quo pereat simpliciter, quod hîc, inquiunt, non contingit.

Negant aliqui eam tunc conuerti in alium.

VII. *Res in vno tantùm loco desinens, verè in aliam conuertetur.* Qui tamen dicunt, posse hominem in duobus locis positum mori in vno, & non in alio & consequenter rem in duplici loco posse verè perire, & destrui in vno, & non in alio (quam sententiam vt probabiliorem secutus sum d. 35. Phy. s. 6. n. 8.) dicent hic fore conuersionem, cùm verè hîc pereat forma ligni ad inductionem formæ ignis. Licèt enim non possit forma illa dici hoc sensu perire simpliciter, id est, quòd nullibi sit, ob malignantem naturam negationum, vt in Physicis etiam dixi, verè tamen diceretur hic perire, & cessare solùm vbicatio illius, sed entitas.

VIII. *Contrarium tamen posset probabiliter defendi.* Siquis tamen dicere vellet, ad conuersionem non sufficere rem vtcunque perire, sed ita perire, vt omninò in rerum natura non maneat, facilè posset defendere in hoc casu formam ligni non conuertendam in formam ignis, nec eo modo eam desinere quo desitio requiritur ad conuersionem.

IX. *Quid si Deus formam ignis & ligni in eàdem materiâ simul conseruaret.* Quæres, vtrùm si Deus miraculosè formam ligni in materia simul ad tempus aliquod conseruaret cū forma ignis, & posteà formas illas permittendo suis naturis, forma ignis destrueret formam ligni: quæres, inquam, an in hoc casu diceretur forma ligni conuerti in formam ignis, & lignum in ignem? Negant aliqui, & ad conuersionem requiri aiunt vt forma, vel totum destruatur, cùm forma contraria primò subiectio illi vnitur.

X. *In eo casu esset conuersio.* Mihi tamen probabilius videtur in eo casu & formam conuertendam in formam, & totum in totum, lignum scilicet in ignem. Ratio est, quia verè in illo casu forma ligni transiret in formam ignis, & lignum consequenter in ignem, ergo conuerterentur; patet consequentia, hæc est enim definitio conuersionis: antecedens itaque probatur, & primò quòd forma ligni tunc transeat, est clarum, nam desinit, hoc autem est transire in esse, vt iam ostensum est num 5. Quòd etiam transeat in formam ignis, probatur, non enim desinit in nihilum, nec concomitanter tantùm, sed ad exigentiam formæ ignis, ergo in illam transit nec quidquam aliud ad essentialem conceptum Conuersionis requiritur, vt apertè ex eius definitione constat.

SECTIO III.

Vtrùm productio termini formalis, seu ad quem, *ingrediatur conceptum conuersionis.*

I. *Licèt partes terminorum formales, quàm forma.* TErminus formalis Conuersionis ille est, in quem aliud conuertitur, siue sit forma, siue non: sic in Eucharistia substantia panis conuertitur in corpus Christi, licèt hoc non sit forma. Sic si ex vnione corporis alicuius simplicis, aut Angeli ad aliquod tertium, aliud corpus simplex, aut Angelus destrueratur, esset vera conuersio, & tamen nec corpus simplex, nec Angelus sunt forma.

II. *Prima sententia conuersionem in actione constituit.* Prima itaque sententia affirmat Conuersionem formaliter in productione termini ad quem formaliter sitam esse: ita Duran. in 4 d. 11. qu. 3 Capreol. in 4. d. 11. Sotus in 4. d 9. q. 2. art. 4 Alan. l. 1. c. 34. 35. 36 & 37. Suarez 3 p. To. 3. d. 50. sect. 5. Conin k. 3. p. q. 75. ar. 4. dub 3. Valen. 3. p. d. 6. q. 3. p. 3. Henriq. l. 8. de Euchar. c. 22. & 25. Moncæus d. 11. c. 9 & 14. Mærat 3. p. d. 12. s. 1. n 2. & d. 16. s. 2 Præpositus 3. p. q. 75. ar. 8. d. 2. Tanner. 3. p. d. 5. q 4. d. 4. n. 53. Hurt. hic d. 1. s. 4. Arriaga hic d. 1. s. 3. & alii.

III. *Auctores istius in termino per actionem illam producto inter se dissident.* Licèt verò in eo conueniant hi omnes, quòd conuersionem in productione sitam esse asserant, in termino tamen formali, ad quem actio illa productiua terminatur, inter se dissident: Suarez enim, Conink, Hurt. Tanner. & alij in transubstantiatione panis in corpus Christi aiunt actionem conuersiuam terminari ad ipsum corpus Christi. Alanus & Valentia terminum huius actionis aiunt esse modum quendam substantialem per eam productum. Mæratius, Henriq. & alij terminum huius actionis productiuæ statuunt modum accidentalem. Qui omnes rem hanc explicandi modi, verâ stabilita sententiâ, facilè refellentur.

IV. *Secunda sententia actionem non esse de conceptu conuersionis.* Secunda ergo sententia asserit actionem productiuam termini formalis, in quem aliud conuertitur, non esse de conceptu formali Conuersionis, sed ad hanc sufficere, quòd res vna desinat ad exigentiam alterius, siue res ista denuò producatur, siue non. Ita Scotus in 4 d. 11. q. 1. Vasquez 3. p. d. 181 vbi hoc fusè probat, licèt per relationem rationis rem totam obscuram reddat. Pro eàdem sententiâ citat Vasquez S. Thomam 3. p. q 75. ar. 4 ad 1. & in 4. d. 11. q. 1. ar 3. S. Bonauenturam in 4. d. 11. p. 1. ar. 1. q. 2. Alensem 4. p. q 10 m. 5. a. 3. & 4. Richard in 4 d. 11. a. 1. q. 5. Ferra. 4. Cont. Gen. c. 63. tenet Card. Bellarm. l. 3. de Euchar. c 18 Card. de Lugo d 7. de Euchar. sect 6. Turrian. Opusc. 14. d. 1. d. 5. Ouied. Cont. 2. de Gen. p. 5 n. 22. & alij.

V *Actio non est de conceptu conuersionis.* Hæc secunda sententia mihi semper visa est longè probabilior, quam proinde in sequentibus declarabo, & in quibus cum sententiæ huius auctoribus conueniam, in quibus etiam ab iisdem discrepem, aperiam.

SECTIO IV.

Statuuntur quædam circa productionem termini ad quem *in Conuersione*

I. *Ad conuersionem requiritur semper actio, dum vna res creata in aliam transit.* DIco primò: in omni Conuersione, qua res vna in aliam creatam transit, requiritur actio productiua, vel conseruatiua termini *ad quem*. Ratio est, quia omnis res creata, vbicunque est debet per actionem aliquam conseruari. Dices; si res eadem sit in diuersis locis, sufficit quòd habeat actionem productiuam, vel conseruatiuam in vno. Contrà, res vbicunque est conseruari debet à Deo, sed non potest in vtroque loco denominari conseruata per actionem quæ tantùm est in vno: sicut si lac, vbicunque est, necessariò deberet esse album, deberet eàdem necessitate, vbicunque est, habere aliquam albedinem, nec ab albedine hîc in eo existente posset denominari album Romæ.

II. *Actio in vno tantùm loco existens non potest rem conseruare in alio.* Confir. actus intellectûs existens in solo capite, non denominat animam intelligentem in pede, idque ob eam causam, quòd actus ille non sit in pede: & Christus, dum mouetur in cœlo, vel in vna hostiâ, non mouetur in alia, quia motus ille qui est in Christo in vno loco, non est in eodem in alio: ergo similiter nec actio conseruans rem in vno loco, poterit eam conseruare in alio, nisi actio etiam in illo

loco rei vniatur. Ratio demum à priori est, quia licèt causa efficiens agere possit in distans supernaturaliter, vt ostendi d. 36. Phy. s. 4. non tamen causa formalis, vtpote quæ effectum suum tribuit per intimam præsentiam, & vnionem Physicam. Hanc conclusionem latiùs contra quosdam probaui d. 35. Phy. s. 8.

III. *Ad conuersionem non requiritur noua productio termini formalis.*

Dicò secundò: ad conuersionem non requiritur noua productio termini ad quem, seu *in quem* fit conuersio, qui dicitur terminus formalis, sed sufficit illius vnio. Probatur, si forma ignis existens Romæ, adhuc manens Romæ vniretur materiæ ligni Leodij, verè conuerteretur & transiret in illam forma illa ligni, omnesque conditiones veræ conuersionis hîc reperirentur: primò enim non desineret merè concomitanter (sicut si eodem instante quo ignis aliquis hîc producitur, lignum vel stuppa periret in Indiis) sed desineret forma illa ligni ad exigentiam formæ ignis. Deinde, esset hic vnus terminus vtriusque formæ cōmunis, nempe materia illa quæ priùs informabatur formâ ligni: est etiam duplex mutatio, positiua vna, alia negatiua. Tandem, forma illa ligni non desineret *in nihilum*, ergo omnia ad veram conuersionem requisita hîc reperiuntur.

Forma in hoc casu non desinit in nihilū.

IV. *Dicen falsam requiri nouam productionem vnionis.*

Dices; hîc tamen producitur noua vnio, vnde ad minimum noua productio vnionis requiritur ad omnem conuersionem. Contrà primò, ergo saltem habemus contra auctores contrariæ sententiæ, non requiri ad conuersionem vnius rei in aliam, vt sit noua productio omnis termini formalis, quod tamen plerique ex ipsis affirmant: ex eo enim quod passim dicatur, in conuersionibus *lignum fit ignis, aër fit aqua, panis fit corpus Christi* &c. inferunt ipsi necessarium esse vt ignis, aqua, & corpus Christi tunc per veram aliquam actionem fiant seu producantur, id tamen hîc clarè ostenditur non requiri.

V. *Ostenditur nec nouam productionem vnionis ad conuersionem requiri.*

Contrà secundò, & ostendo ad conuersionem non esse necessariam nouam productionem vnionis: si enim ex inductione formæ ignis in materiam ligni Romæ forma ligni ibidem destrueretur, & postea Deus hanc eandem materiam, dum Romæ manet sub hac formâ ignis, statuat Leodij sub alia formâ ligni & deinde formam illam ignis quæ eam informat Romæ, ponat cum eâdem vnione, vt potest, in illâ materiâ Leodij, expelletur hæc forma ligni, & in hanc formā cōuerteretur, & tamē nec forma nec vnio de nouo producitur vt constat, ergo. Quod in omni aliâ conuersione contingere diuinitùs potest.

VI. *Esto conuersio in actione consistat, ad conuersionem tamen substantialem non requireretur productio termini substantialis.*

Dico Tertiò: ad Conuersionem substantialem & transubstantiationem, esto admittatur in actione consistere, non requiritur vt vllus terminus substantialis de nouo producatur. Est peculiariter contra Valentiam 3. p. d. 6. q. 3. & alios quosdam, qui licèt dicant ad conuersionem substantialem, & transubstantiationem non requiri nouam productionem corporis Christi, aiunt tamen necessariam esse productionem alicuius rei, vel modi substantialis, vnde conuersio illa substantialis dicatur, & transubstantiatio: alioqui, inquiunt, potiùs erit transaccidentatio, quod multi acriter vrgent contra nostram sententiam.

VII. *Eadem actio diuersas sortitur denominationes.*

Ad conclusionis probationem, notandum, eandem numero actionem respectu diuersorum sortiri denominationes diuersas: sic actio, quâ forma aliqua, anima rationalis ex. gr. introducitur in materiam est *productio*, & *introductio*; respectu vnionis est productio, respectu animæ, introductio. Idem est de actione producente indiuisibile continuatiuum partium quantitatis, quæ actio dicitur augmentatio ratione termini adiuncti, licèt terminus productus non sit augmentum, sed tantùm indiuisibile augmenti, & sic de aliis. Hoc posito,

VIII. *Ad conuersionem substantialem sufficit quod termini conuersionis sint substantiæ.*

Probatur conclusio: ad conuersionem substantialem, seu transubstantiationem non requiritur, vt terminus productus sit substantia, sed solùm vt termini conuersionis sint substantiales: sicut enim actio productiua vnionis, vt diximus, denominatur introductio à termino introducto, & actio productiua indiuisibilis in quantitate dicitur augmentatio à termino quem adiungit, qui est augmentum, ita quidni actio producens vnionem accidentalem inter corpus Christi & species, licèt sit actio accidentalis, poterit esse conuersio substantialis ratione terminorum conuersionis *à quo* & *ad quem*, qui sunt substantiales? nam vt conuersio causalis respicit illos terminos, non terminum productum. Vnde vlteriùs, sicut actio quæuis productiua substantiæ, licèt entitatiuè accidens, denominatur tamen actio substantialis à termino formali, quem producit, quia ille est substantia, vt bene aduertit Card. Lugo citatus n. 229. ita hæc actio, licèt denominetur accidentalis à termino accidentali quem producit, seu à termino formali productionis, denominari tamen poterit conuersio substantialis à termino formali conuersionis, qui est substantia, est enim conuersio substantiæ in substantiam.

Declaratur exemplo actionis productiuæ substantiæ.

IX.

Dices; hæc actio producens vnionem inter corpus Christi & species, vt actio est conuersio, sed vt actio est accidentalis, ergo vt conuersio est accidentalis, ergo non transubstantiatio. Primò, omissis reliquis distinguo consequens, est accidentalis respectu termini quem producit, concedo consequentiam; respectu termini quem conuertit, nego: sicut de actione introductiua formæ, & augmentatiua dicere omnes debent, similiter enim forma conficio argumentum; introductio vt introductio est actio productiua, sed vt introductio respicit animam, ergo vt actio productiua respicit animam: quod si hîc respondeatur, vt responderi debet distinguendo maiorem, vt introductio est actio productiua vnionis, concedo maiorem, actio productiua animæ, nego: idem dici potest in præsenti, vnde est actio accidentalis, conuersio substantialis.

Actio illa vt productiua est accidentalis, vt conuersiua est substantialis.

SECTIO V.

Præcipua conclusio circa naturam Conuersionis.

I. *Nulla omnino actio est de conceptu formali conuersionis.*

Dico quartò: licèt ad omnem conuersionem inter res creatas requiratur actio, (vt sect. præcedente dictum est, n. 1. cùm nihil in aliud conuerti possit quod non est, nihil autem creatum esse potest sine actione productiua, vel conseruatiua) productio tamen vel conseruatio termini formalis non est de conceptu formali conuersionis, sed sola vnio illius cum accidentibus prioris compositi, si sit conuersio totalis, vt contingit in Eucharistia, aut cum subiecto, si sit conuersio partialis, vt cùm forma ligni conuertitur in formam ignis, calor in frigus &c. vbi licèt aliquo modo totum dicatur conuerti in totum, ratione scilicet formæ, simpliciter tamen & adæquatè non conuertitur vnum totum in aliud, cùm adhuc maneat subiectum.

II. *Ostenditur, non actionem, sed vnionem termini ad quem esse de conceptu conuersionis.*

Probatur conclusio Primò: conuersio est transitus seu desitio vnius rei in aliam, vt formæ ligni in formam ignis, sed ad vnionem formaliter, non ad productionem vnius formæ expellitur, & destruitur alia forma, ergo actio non est de formali conceptu conuersionis, sed tantùm vnio. Minor probatur in anima rationali, quantumcunque enim anima rationalis produceretur, etiam intimè præsens materiæ embryonis, vel alimenti in nutritione, & non illi vniretur, non expelleret nec destrueret formas illas,

ergo

ergo licèt necessariò præsupponatur actio productiua formæ ad conuersionem, non tamen in eâ formaliter consistit conuersio. Conf. forma expulsa ob id desinit, cum quo habet repugnantiam, sed non habet repugnantiam cum actione productiuâ formæ, vt ostensum iam est in animâ rationali, sed cum vnione, ergo.

III. *Licèt mente secludamus omnē actionem, habemus conceptum conuersionis.* Probatur Secundò: seclusâ mente omni actione, habemus rem vnam desinere, seu transire in aliam, ergo seclusâ mente omni actione, habemus conuersionem, ergo actio non est de conceptu formali conuersionis. Antecedens probatur, ponamus ex. g. animam rationalem per vnionem creatam vniri alicui materiæ: in hoc casu, seclusâ mente omni actione habemus vnionem prioris formæ, & formam ipsam desinere, cùm simul duæ formæ esse naturaliter non possint in eâdem materiâ, sed non desinit forma illa merè concomitanter, quod enim hoc modo desinit, non desinit ad exigentiam alterius, sed disparatè: vniu verò illa, & forma desinunt ad exigentiam huius vnionis animæ ad illam materiam, hoc autem secundùm Philosophos est desinere & transire in aliud; ergo seclusâ mente omni actione habemus verum conceptum conuersionis.

Forma illa non desinit concomitanter, sed in aliud. Aliud autem ad conceptum conuersionis requirere quàm quod in illius definitione continetur, esset omninò gratis philosophari, sicut siquis plus ad conceptum essentialem hominis requireret, quàm quòd sit *animal rationale*.

IV. *Conceptus albi non includit actionem, ergo nec conceptus desinentis in aliud.* Conf. quia præcisâ mente omni actione habemus conceptum albi vel lucidi, actio productiua lucis vel albedinis secundùm omnes non est de illorū conceptu, licèt sine actione esse nequeant, ergo nec actio erit de conceptu formali conuersionis, esto nulla conuersio sine actione haberi possit. Dices; nec destructio termini *à quo* habetur in definitione conuersionis, ergo præcisâ etiam mente illius destructione habebimus conceptum essentialem conuersionis. Resp. negando antecedens, transitus enim & desitio important destructionem, vt ostendi suprà sect. 2. & iterum declarabitur sect. sequente.

V. *Mutatio non includit formaliter actionem, ergo nec conuersio.* Tertiò probatur in mutatione, quia enim in definitione illius non inuoluitur actio, sed solùm, vt res aliter se habeat, quàm antea. Philosophi cum Aristotele dicunt tantum esse tria illius principia, *subiectum, formam, & priuationem*, licèt hæc haberi sine actione non possint, ergo esto in conuersione semper intercedat aliqua actio, adhuc tamen ob hanc rationem actio non erit de illius conceptu formali.

VI. *Sequeretur vbicationem, & durationem esse de conceptu formali conuersionis.* Conf. si quidquid necessariò conuersionem & mutationem comitatur, sit de illius intrinseco conceptu, etiam vbicatio & duratio ad illarum rationem formalem constitutiuam spectabunt, cùm non minùs illas necessariò comitentur quàm actio. Sicut ergo si per impossibile albedo, aut vnio inter animam & corpus existeret sine omni actione, non minùs constitueret hominem, & album, quàm modò; ita si per impossibile corpus Christi, vel forma ignis,

Si vnio existeret sine actione, esset conuersio. & vnio quâ copulantur speciebus aut materiæ, existerent similiter sine actione, & tamen forma ligni & substantia panis in illa transirent, seu ad eorum exigentiam desinerent, esset vera conuersio.

VII. *Actio non magis est de conceptu conuersionis, quàm hominis.* Vt ergo rem hanc verbo concludam, conuersio formalis nec est actio, nec eam magis in suo conceptu formali includit, quàm includit homo, equus, ignis, album &c. Quare sicut tota essentia horum videri intuitiuè potest nullâ visâ actione, ita & essentia conuersionis, si nimirum Angelus intuitiuè videret formam ligni desinere ad vnionem formæ

Conuersio in recto est negatio. ignis in eâdem materiâ. Conuersio itaque in recto est negatio, desitio scilicet rei alicuius, in obliquo verò connotat terminum aliquem positiuum, terminum communem, & vnioocm.

SECTIO VI.

Argumenta contendentia conuersionem in conceptu suo formali includere actionem.

I. *Obijcitur auctoritas S. Thomæ.* OBijcit primò P. Arriaga n. 16. S. Thomam 3. p. q. 2. a. 1. ad 1. §. *Alio modo: vbi*, inquit, *docet ideo in Deum nullam rem posse conuerti, quia Deus est ingenerabilis & improducibilis.* Ex quo, inquit P. Arriaga, cōstat S. Thomam ad conuersionem requirere vt terminus *ad quem* formalis producatur, alioqui ratio ipsius planè fuisset abs re ad probandum id quod illic intendebat.

II. *Non satis fideliter referuntur verba S. Doctoris.* Sed contrà: non enim satis fideliter refert P. Arriaga verba S. Thomæ, particula enim illa *improducibilis* ab ipso additur textui S. Thomæ, vt faciat eum loqui de omni genere conuersionis, cùm euidens sit ex contextu eum loqui tantùm de vno.

III. *De quâ conuersione hic loquatur S. Thomas.* S. Thomas itaque loquens de Naturâ Diuinâ, sic habet: *nec ipsa potest conuerti in aliud, cùm sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis*: vbi clarum est S. Thomam solùm negare, posse aliquid conuerti in Deum imperfecto illo modo conuersionis, quo ex diuersis rebus inter se permixtis, elementis ex g. ita fit vnum tertium, vt nullum ex elementis maneat eiusdem speciei in mixto, cuius erat ante mixtum, vt patet ex contextu.

IV. *Loquitur S. Doctor de solâ mixtione.* Quòd autem S. Thomas de imperfectâ illâ conuersione, seu mixtione illic loquatur, est manifestum; alioqui, inquit, *Christus non esset eiusdem naturæ cum Patre, nec cum Matre.* At in conuersione de qua loquitur, Christus manet eiusdem naturæ, licèt panis in eius corpus conuertatur.

V. *Ratio S. Thomæ ostendit eum loqui de mixtione.* Nec ratio Sancti Thomæ, quòd nimirum Deus sit ingenerabilis, plus probat: nam etiam Angelus, & materia prima sunt ingenerabiles, & tamen possunt alia in Angelum, & materiam primam conuerti, non imperfectâ illâ conuersione, quæ mixtio vocatur, de qua, vt dixi, ibi loquitur S. Thomas, ita scilicet vt fit confusio & mutatio naturarum seu miscibilium, sed perfectiore de qua hic est sermo: ad illam enim imperfectam conuersionem seu permixtionem requiritur vt forma, vel aliquid aliud vnius extremi inducatur in materiam alterius, quod Deo, & omni quod in ipso est, repugnat: Vnde si verba B. Thomæ fideliter fuissent relata, obiectio hæc nullam habuisset difficultatem. Sed *dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

VI. *Sententia statuens conuersionem in actione non est communior.* Obijcit P. Arriaga secundò: in quæstione de nomine, qualis est hæc, standum, inquit, est communiori vocis acceptioni, sed communior est opinio conuersionem statuens in actione, quàm contraria, ergo. Resp. negando minorem, non enim est communior opinio illa, vt optimè ostendit Card. de Lugo d. 7. de Euch. l. 9 n. 148. citatque Valentiam 3. p. d. 6. q. 3. p. 3. § *Quarto sequitur*, dicentem sententiam asserentem *corpus Christi per consecrationem Eucharistiæ produci, ineptam videri posse quorundam recentiorum opinionem* & P. Henriq. lib 8. de Euch. c. 23. num. 9 & P. Turrian. opusc. 14. de Transubstantiatione d. 1. d. 5. affirmantes sententiam illam nullum habere antiquum assertorem.

VII. *Obij: requiritur desitio termini à quo, ergo & productio termini ad quē.* Obiicit idem tertiò: de conceptu essentiali conuersionis est desitio termini *à quo*, ergo & productio termini *ad quem*, quia *contrariorum eadem est ratio*. Resp. negando consequentiam, clarissima enim est disparitas in conuersione inter desitionem vnius termini, & productionem alterius: in ipsâ enim definitione inuoluitur illius destructio, cùm dicatur

Resp. in ipsâ definitione conuersionis includi desitionem termini à quo.

conuersio esse *transitus vnius rei in aliam* : sicut autem transire à loco, vel ab officio est locum illum vel officium relinquere, ita transire simpliciter est transire ab esse, seu desinere, vt latè ostendi suprà sect. secundâ. Virûm autem si res in duobus locis existens, in altero tantùm desineret ex vi alterius, diceretur in eam conuerti, dixi s. 2. n. 6, 7. & 8.

VIII. *Quam firmitatem habeant axiomata Philosophica.*

Axiomati autem illi *Contrariorum eadem est ratio*, axioma aliud oppono, & clauum clauo pellam; *Nulla regula tam generalis, quæ particularem non patiatur exceptionem.* Canones enim Philosophici non eam habent firmitatem, vt aliquid extra controuersiam constituant, reddantque omninò infallibile. Faciunt quidem rem de fide Philosophicâ, quibus proinde tanquam sanctionibus Maiorum, respectus aliquis debetur, nec nisi vbi vrgens aliqua est ratio (qualem hic esse ostendimus) fas est in rettagari.

IX. *Quid sit vnum transire in esse alterius.*

Dices; id quod conuertitur, debet transire in esse alterius, ergo alterum debet tunc produci. Resp. negando consequentiam, transire enim in esse alterius nihil aliud est, quàm quòd entitas vnius petat destructionem entitatis alterius, ob pugnam aliquam seu naturalem incompossibilitatem circa aliquid tertium vtrique commune : nec enim alia intelligi potest transitio. Transire ergo in esse alterius non potest ita intelligi, vt id quod transit in aliud, identificetur veluti cum illo, aut sit quasi aliquid illius, vt apprehendere videntur aliqui, hoc enim est impossibile, cùm id quod transit in aliud, desinat esse, vt iam ostensum est, ergo non potest identificari cum eo in quod conuertitur, vt est manifestum.

X. *Obj. non fore transubstantiationem sed transaccidentationem.*

Obijcitur quartò : si actio productiua corporis Christi non ingreditur formaliter conceptum transubstantiationis, non erit conuersio substantialis nec transubstantiatio, sed transaccidentatio contra Concilium Tridentinum sess. 13. can. 2. Quod argumentum vrget P. Hurtado de G. n. d. 1. s. 4. n. 34. & P. Arriaga d. 1. s. 3 n. 26. & alij: Hæc obiectio soluta est suprà s. 4 n. Octauo.

XI. *Etsi in conuersionibus fit actio, non tamen est de conceptu conuersionis.*

Obijcies quintò: in omnibus conuersionibus naturalibus videmus dari actionem productiuam termini formalis, ergo illa est de essentia conuersionis. Contrà primò, etiam videmus dari vbicationem & durationem eiusdem termini, & tamen nullus dicit has esse de conceptu formali conuersionis. Contrà secundò, etiam in omni *mutatione* videmus dari actionem productiuam vnionis & formæ mutantium subiectum. & tamen negant Philosophi cum Aristot. le actionem esse de formali conceptu *mutationis*, vtpote cuius, vt diximus, tria tantum assignantur principia. *subiectum, forma, & priuatio*, non agens. Contrà tertiò nam iuxta communem sententiam, forma alimenti conuertitur in formam aliti, & tamen quando nutritur homo, non producitur de nouo anima.

XII. *Quare in conuersionibus naturalibus requiratur actio productiua termini formalis.*

Licet ergo in conuersionibus naturalibus plerumque terminus formalis producatur, hoc tamen ideo est quia antè non existebat : vnde cùm sine actione esse non possit, dari debet actio illius productiua : quo etiam modo ad omnem mutationem requiritur actio.

XIII. *Agens rem vnam in aliam in aliam conuertit solùm remotè.*

Dices; agens conuertit vnam rem in aliam, sed non conuertit nisi per actionem, ergo conuersio est actio. Contrà, etiam agens dicitur rem locare, seu figere tali loco & tamen vbicatio, seu id quo res figitur in loco, non est actio, sed aliquid ab actione distinctum, & per eam productum. Aliquæ ergo denominationes sunt proximæ, aliæ remotæ: agens itaque non alio modo dicitur conuertere, vel figere tali loco, nisi in quantum producit id, ratione cuius immediatè res aliqua desinit, vel est in loco, si autem res illa, vel vbicatio existeret sine actione, non

minùs tribuerent res illæ hunc effectum formalem, quàm modò tribuunt.

XIV. *Satis fit auctoritati Patrum circa conuersionem.*

Obijcies sextò : nihil frequentius apud Patres quàm per consecrationem *fieri corpus Christi*: dicunt enim *panem, & ex pane fieri corpus Christi* : & Ecclesia canit, *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit, fitque sanguis Christi merum* &c. & in canone missæ habetur, *hæc omnia Domine semper bona creas* : ergo per conuersionem fit corpus Christi. Contrà: etiam dicitur *Deus factus homo*, & *Verbum factum caro*; ergo similiter Deus & Verbum per Incarnationem fiunt, si hic modus arguendi teneat. Deinde etiam in naturalibus dicimus, Petrus ex Senatore fit consul, ex Canonico Episcopus &c. & tamen tunc Petrus non fit.

XV. *Quomodo intelligenda sint hæ, & similes loquutiones Panis fit corpus Christi, &c.*

Resp. itaque sensum in his *Panis fit corpus Christi, lignum ex frigido fit calidum, Petrus ex Senatore consul* &c. non esse corpus Christi, aut lignum tunc fieri, sed solùm, *lignum reddi calidum quod antè erat frigidum*: sicut aër dicitur fieri lucidus, licèt tunc non fiat, item *Petrum ex Senatoriâ dignitate euehi ad consulatum: illud quod iam continetur sub speciebus, esse corpus Christi, cum antea sub ijsdem contineretur panis*, &c. Quæ explicatio consonat doctrinæ Sancti Thomæ 3. p. q. 78. a. 5. corp. in fine : *nec enim*, inquit, *verba faciunt vt corpus Christi sit corpus Christi, sed vt contentum sub speciebus sit corpus Christi.* Sensus itaque harum propositionum solùm est, panem transire, seu mutari in corpus Christi, ac proinde Ecclesia, & Patres non loquuntur de esse Christi secundùm se, sed de eius esse *Sacramentali* : vnde Ecclesia loco in Canone Missæ citato dicit *Deum creare hæc bona*, seu hoc sacramentum.

XVI. *Quare vnum corpus loco pulsum ab alio, in illud non conuertatur.*

Obijcies septimò : ergo quoties vnum corpus aliud propellit loco, dicetur corpus expulsum conuerti in expellens. Nego consequentiam, quia non perit, quod tamen requiritur ad conuersionem propriè dictam, vt ex definitione conuersionis ostendimus suprà. Posset tamen tunc aliquo modo dici, vnum totum, seu compositum accidentale conuerti in aliud, nempe, compositum ex aëre & loco in compositum ex lapide & loco, ratione vbicationis seu nexûs inter locum & locatum, qui perit, vt diximus sect. primâ.

SECTIO VII.

Impugnatur alius modus defendendi ad Conuersionem requiri productionem termini in quem.

I. *Vt res sit in duobus locis, non requiritur noua illius productio.*

EX dictis infero contra P. Coninck 3. p. q. 75. art. 4. d. 3 & recentiores aliquos, vt res ponatur in duobus locis discontinuis, non requiri nouam productionem illius sed sufficere productionem nouæ vbicationis. ita Scotus in 4. d. 10. q. 1. Suar. 3 p. t. 3. d. 49. s. 1. Card. Lugo d. 7. de Euchar. s. 3. Moncæ. d. 10. c. 14. & alij communiter.

II. *Aliqui eandem actionem, duobus locis posità, dicunt in secundo loco esse reproductionem.*

Recentiores quidam in eo cum P. Coninck conueniunt, quòd reproductio termini formalis, seu in quem aliud conuertitur essentialiter requiratur ad conuersionem : dicunt tamen eandem numero actionem diuersis locis discontinuis, simul cum rei illius entitate positam, esse illius rei reproductionem illo loco, vbi posteriùs ponitur, modò res illa & actio in priori adhuc loco permaneant: nã inquiunt, nouo loco producitur, ergo reproducitur. Sed contrà: nullus enim negare potest quin ad rem vbicunque est, requiratur actio aliqua illius conseruatiua : sed quod quærimus est, an ad conuersionem, & vt res in duobus locis statuatur, necessaria sit noua actio ad rei illius entitatem terminata?

Deinde

III. *Ad conuersionem non requiritur actio in duobus locis distinctis replicata.*

Deinde ostendo dari posse conuersionem sine reproductione, etiam hoc modo sumptâ. Ponamus enim Christum in vno loco extendere se successiuè, vt potest, cum eâdem actione conseruatiuâ ad aliam hostiam in spatio proximo & vnire se illius accidentibus, ex vi cuius vnionis desinat substantia panis, vt modò fit in Eucharistiâ: item Angelus existens in puncto, aut paruâ aliquâ parte spatij extendat se successiuè ad totam suam sphæram, & in vltimâ illius parte vniatur miraculosè accidentibus alicuius substantiæ, ignis v.g. aëris, vel aquæ, sicut vnitur corpus Christi speciebus panis: tunc non erit reproductio iuxta hos auctores; quia ad reproductionē, inquiunt, requiritur interruptio, vel loci, vel temporis, quod hîc non contingeret: sed in hoc casu conuerteretur panis in corpus Christi, & ignis in Angelum, nam verè desinerent esse, & transirent, ille in corpus Christi, hic in Angelum, nec enim desinerent in purè nihil, vt constat, ergo tunc daretur conuersio sine reproductione, etiam eo modo acceptâ, quo illam accipiunt hi auctores.

IV. *Ex hoc modo philosophandi sequeretur Deũ sæpius esse incarnatũ.*

Dices; casu quo ponatur corpus Christi in duobus locis, & vtrobique ponatur hâc eadem eius actio, bis producitur, semel in vno loco; & semel in alio. Sed contrà, nam hoc modo bis, & sæpiùs posset Deus dici incarnatus, & factus homo, quod in scholis est inauditum: sequela probatur, actio enim incarnatiua, seu productio Vnionis Hypostaticæ multiplicatur loco, quotiescunque Christus per cōsecrationem ponitur de nouo in diuersis hostiis; quod etiam contigisset si Christus in terris existens voluisset simul esse in duobus aut pluribus locis circumscriptiuè, ergo sicut dicunt Corpus Christi bis aut sæpius produci, si in variis locis ponatur eadem actio ipsius conseruatiua, ita bis aut sæpius diceretur Deus incarnari, cùm actio productiua vnionis Hypostaticæ inter naturam humanam, & personalitatem Diuinam eodem modo bis, aut sæpiùs multiplicetur loco: imò toties incarnabitur denuò, & fiet homo secunda Persona, quoties sacerdos consecrat, quod tamen, opinor, nemo dicet.

V. *Quid secundum Philosophos sit aliquid reproduci.*

Quòd verò non dicatur res aliqua reproduci ex eo merè quòd ponatur alio loco, videtur clarum ex communi modo loquendi, & sentiendi omnium, qui magni faciendus est in hac materiâ: cùm enim quærunt Doctores, vtrùm res aliqua possit reproduci, sensus iuxta omnes est, vtrùm quod desiit esse, possit iterum produci.

VI. *Cur productio rei in alio tempore sit reproductio, non tamen productio in alio loco.*

Dices; interruptio temporis facit reproductionem, quidni ergo & interruptio loci? Resp. quia quando est interruptio temporis, res in instanti immediatè ante positionem secundam à parte rei, omninò non fuit, sicque de eâ simpliciter in eo instante affirmari poterat *iam non est*, quod tamen non contingit respectu solius loci, valet enim hæc consequentia, *res non est in hoc instante, ergo non est simpliciter seu omninò non est*: non tamen hæc, *res non est in hoc loco, ergo simpliciter, seu omninò non est*: licèt enim non sit in hoc loco, potest esse in alio: si autem sit vel in vno, est simpliciter, ergo non potest de eâ affirmari non esse simpliciter.

VII. *Res in duobus locis nō ponitur propriè per adductionem.*

Vrgebis, in hoc casu non potest dici res illa poni in altero loco per meram adductionem, cùm hæc sonet transitionem per medium, ergo per productionem. Resp. propriè non posse vocari adductionem, ob rationem in argumento allatam, non tamen propterea est ibi per productionem rei, seu termini formalis, nihil enim tunc producitur præter vbicationem. Vocari ergo potest collocatio, seu positio in alio loco.

VIII. Instabis; fiat res aliqua primò simul in duobus locis eâdem actione: tunc substantialiter producitur in vtroque, ergo bis producitur, ergo est in vtroque loco per productionem. Resp. concesso antecedente negando primam consequentiam, bis enim produci secundùm communem omnium acceptionem idem sonat, ac vel produci duobus temporibus diferetis (tunc enim simpliciter accipit esse bis) vel saltem produci diuersâ actione, tunc enim habet duplicem productionem, & consequenter dici potest res illa dupliciter producta. Si autem habeat eandem actionem seu productionem in duobus locis, non dicetur bis produci simpliciter, sed solùm secundùm quid, seu in duobus locis; quod non est simpliciter bis produci, vt suprà dictum est de Incarnatione Verbi Diuini. Cùm ergo dicitur, semel producitur in vno loco, & semel in alio, ergo bis; distinguo consequens, bis secundùm quid, & impropriè, concedo; simpliciter & propriè, nego, sed semel producitur in vtroque loco. *Res per actionem adæ-quatè in duobus locis primò producta, non dicitur propriè bis produci.*

IX. *Res non est in loco per productionem.*

Ad secundam verò consequentiam, quâ inferebatur esse rem aliam in loco per productionem, negatur: hoc enim sonat, productionem esse rationem formalem, quâ res est in loco, quod est falsum: sic enim actio productiua rei esset eius vbicatio, quòd tamen negant hi auctores, & sententiam illam impugnaui d. 34. phy. sect. 1. num. 6. Tribuendo ergo singula singulis, res quæuis est per actionem, in loco per vbicationem. Cùm ergo esse sit prius aliquo modo, quàm in loco esse in illo priori ante vbicationem est, ergo non est bis, cùm pro illo prio-si quo est non habeat multiplicationem localem, quippe quæ prouenit ab vbicatione.

SECTIO VIII.

Inferuntur quædam circa Transubstantiationem: vbi, an quidlibet possit conuerti in quodlibet.

I. *Corpus Christi est terminus formalis transubstantiationis.*

INfero primò, licèt terminus formalis productionis sit vnio corporis Christi cùm speciebus, terminum tamen formalem conuersionis esse corpus Christi, illud enim vnitum speciebus, exigit destructionem substantiæ panis.

II. *Dices sequi panem conuerti in solam vnionem cum speciebus.*

Dices; conuerti videtur panis in solam vnionem, cùm hæc sola habeat oppositionem cum substantiâ panis. Contrà primò, ergo quando forma ligni conuertitur in formam ignis, tantùm deberet similiter conuerti in vnionem, non in ipsam formam, cùm vna forma secundùm se nullam habeat oppositionē cum aliâ, sed solùm vt vnita. Contrà secundò, ergo & in præsenti in contrariâ sententiâ sequeretur, substantiam panis conuerti in actionē hîc & nunc producentem corpus Christi, nō in ipsum corpus Christi, cùm non corpus Christi, sed hæc actio habeat repugnantiam cum substantiâ panis. Quòd si dicant, corpus Christi vt productum per hanc actionem, habere in his circumstantiis oppositionem cum substantiâ panis, sicque in illud conuerti panem, idem dicemus nos de corpore Christi vnito. *Resp. non magis hoc sequi, quā illud conuerti in actionem ipsius productiuam.*

III. *Noua productio corporis Christi sub speciebus non esset creatio.*

Infero secundò, corpus Christi, licèt produceretur per nouam actionem, non tamen creari creatione adæquatè sumptâ: licèt enim hoc sensu crearetur quod non educeretur ex potentiâ alicuius subiecti seu per concursum materialem (in carentiâ cuius præcipuè situs est conceptus creationis) non tamen produceretur purè *ex nihilo*, sed *ex termino* præsupposito, qui in illud desinit, vt notauit S. Thomas 3. p. q. 75. ar. 8. corpore.

IV. Infero tertiò, similiter substantiam panis non solùm quoad formam, sed etiam quoad materiam non annihilari, annihilatione adæquatè sumptâ: licèt o-

Nec destructio panis est propriè annihilatio.

nim sicut conseruabatur materia panis per concursum creatiuum, hoc est, independentem à subiecto sustentationis, plus tamen ad annihilationem completam requiritur, nempe vt non desinat in alium terminum positiuum. Vnde in Conuersionibus naturalibus, vel hoc titulo forma aëris aut ligni non annihilatur, dum destruitur ad introductionem formæ ignis, quia non desinit *in nihilum*, sed in alium terminum positiuum.

V. *Licèt forma ligni destructa non succederet alia forma, non tamen annihilaretur.*

Dices; ergo si forma ligni ita desineret, vt nō succederet ei alia forma, annihilaretur. Aliqui concedere videntur consequentiam. Sed omninò est neganda, alioqui lux annihilaretur, cùm nulla forma positiua in aërem inducatur, in quam desinat; intellectus etiam & voluntas haberent vim annihilandi suos actus, cum sæpe illos intermittant, & destruant sine productione actûs vllius oppositionem habentis cum præcedentibus. Resp. itaque, licèt ex hoc capite nihil esset contrarium annihilationi, cùm nō desineret in alium terminum positiuum, ex alio tamen capite non foret annihilatio, quia desineret in subiectum, cùm non esset suspensio concursûs creatiui, sed dependentis materialiter à subiecto.

VI. *Quo sensu productio corporis Christi sit creatio, & destructio panis annihilatio.*

Si tamen quis dicere velit, corpus Christi verè creari & substantiam panis in Eucharistiâ annihilari, per creationem & annihilationem intelligendo positionem & suspensionem concursûs independentis à subiecto sustentationis, non video magnum inconueniens, si concedatur. Quod etiam docet P. Hurt. de Gen. d. 1. sect. 8. n. 84. & non improbabiliter defendi posse censet Suarez 3. p. d. 50. s. 7. tenentque multi ex recentioribus, & ex antiquis Gabriel, Maior, Ockam, & alij. Quare non rectè Soto ait hanc sententiam citra errorem sustineri non posse. Distinguere itaque posset quis, & dicere, actionem illam productiuam corporis Christi esse creationem, & desitionem panis annihilationem quoad intrinseca, quæ dicunt creatio, & annihilatio, non tamen quoad omnia quæ connotant extrinsecè.

VII. *An quodlibet possit conuerti in quodlibet.*

Infero quartò, ad quæstionem illam, vtrùm possit quidlibet conuerti in quodlibet, hoc vniuersim dici posse: quando ex vnione rei cuiuspiam cum aliquo tertio, aliud quod connexionem antea cum illo tertio habuit, perit, tunc posse hoc dici in illud conuerti. Vnde si Angelus ita vniretur accidentibus lapidis, vt lapis inde destrueretur, diceretur conuerti, & transubstantiari in Angelum, nam verè desineret esse ob repugnantiam cum illo circa aliquod tertium, nempe accidentia lapidis. Si tamen accidens aliquod, vt albedo, vel calor vniretur hoc modo speciebus, seu accidentibus panis, & ad illius vnionem desineret substantia panis, esset quidem in hoc conuersio panis in albedinem, non tamen transubstantiatio, nec conuersio substantialis, cùm hæc esse debeat inter duos terminos substantiales; sed esset conuersio quædam mixta, partim substantialis, partim accidentalis, vt suprà dixi sect. prima numero sexto.

VIII. *Deum in nihil posse conuerti.*

Infero quintò, Deum non posse in rem vllam transire. Ratio est clara, non enim potest desinere esse sicque nec transire in aliud.

IX. *Nil vetat vt aliquod conuertatur in Deum.*

Difficultas est, vtrum Deus possit esse terminus formalis conuersionis. Qui ad terminum formalem conuersionis requirunt productionem, consequenter ad sua principia negant: licèt nec ipsi planè effugiant difficultatem cur conuerti aliquid nequeat in Filium, aut Spiritum Sanctum, cùm ipsi producantur. In nostrâ autem sententia videtur concedendū. Dico itaque, si natura humana priùs vnita subsistentiæ Petri assumeretur à Verbo, non solùm conuertendum vnum totum in aliud totum, sed subsistentiam etiam Petri in personalitatem Diuinam: ad hoc enim non requiritur, vt diximus, vt terminus formalis producatur, sed solùm vt vniatur alicui tertio, ex qua vnione terminus *à quo* desinat: huiusmodi autem vnionis, sine imperfectione capax est Deus, vt constat in mysterio Incarnationis.

DISPVTATIO IV.

De Corruptione.

SECTIO PRIMA.

In quo situs sit conceptus Corruptionis.

I. *Corruptio duplex, causalis, & formalis.*

NOtandum, Corruptionem duplicem esse, *causalem*, & *formalem*: *formalis* est ipsa suspensio concursûs conseruatiui quo res aliqua conseruatur: *causalis* verò est actio positiua, quà aliquid fit aut inducitur in subiectum, exigens destructionem formalem alterius, quæ proinde destructio etiam *remota* vocari solet. Suspensio itaque actionis, quâ frigus conseruabatur, est *formalis* destructio frigoris, actio verò positiua, quâ calor inducitur, est *causalis* & *remota* eiusdem frigoris destructio.

II. *Destructio formalis nō est actio positiua.*

Destructio ergo formalis non est actio positiua, vt volunt aliqui, sed mera negatio actionis productiuæ, vel conseruatiuæ alicuius rei, connotando tamen rem priùs extitisse: nam negatio actionis productiuæ vel conseruatiuæ Anti-Christi fuit ab æterno, & tamen corruptio seu destructio Anti-Christi non fuit ab æterno, quidquid enim corrumpitur vel destruitur, præsupponitur aliquando fuisse. Addidi semper, *actionis productiuæ vel conseruatiuæ*, nec enim ad corruptionem seu destructionem formalem re-

Est negatio connotans rem extitisse.

quiritur, vt præcesserit actio conseruatiua, res siquidem quæ per vnum tantùm instans duraret, verè destrueretur, & tamen non præcesserat actio conseruatiua, vtpote quæ connotet perseuerantiam in esse, & consequenter ad minimum duo instantia.

III. *Res primo solùm instanti, quo desinit, dicitur corrumpi.*

Suspensio autem illa dicitur corruptio pro eo solùm instante quo res primò desinit, nec enim iam dicitur corrumpi ignis heri extinctus, sicut nec modò produci lux, quę heri producebatur, licèt etiamnum duret. Quamuis enim conseruatio dicatur *iterata productio*, hæc tamen vox *productio*, per se sumpta significat primam rei positionem.

Conseruatio est iterata productio.

IV. *Corruptio strictissimè sumpta.*

Notandum secundò, generationem & corruptionem variè sumi à Philosophis: nonnunquam enim sumitur *corruptibile* strictissimè pro eo solùm quod ab agente naturali corrumpi potest, & *generabile*, quod ab agente similiter naturali potest, vel per inductionem primarum qualitatum, vt formæ omnes materiales sublunares, vel alio modo produci, vt lux, species intelligibiles, actus, habitus &c. & hoc sensu formæ cœli dicuntur ingenerabiles & incorruptibiles, quia scilicet vi nullius agentis naturalis produci, vel corrumpi possunt. Secundò sumitur *corruptibile* latissimè, pro omni scilicet eo, quod quouis modo destrui, vel corrumpi potest, siue producatur

Corruptio latissimè sumpta.

tur per generationem vt aqua, ignis, terra; siue per creationem, vt Angeli, materia prima &c. Et vno verbo omnia præter Deum. Tertiò sumitur propriè *corruptio*, pro desitione scilicet illarum solùm rerum, quæ producuntur per generationem, seu quæ educuntur ex potentiâ alicuius subiecti: & hæc est philosophica huius vocis acceptio.

Propria corruptionis acceptio.

V. Quæres, vtrùm in Eucharistiâ panis annihiletur? Huic difficultati satisfactum est d. præcedente, s. 8. n. 4. & sexto.

SECTIO II.

Quomodo generatio vnius sit corruptio alterius.

I. *Generatio non est formaliter corruptio.*

EX dictis præcedente sectione infero primò, dictum illud Aristotelis hic l. 1. c. 3. *Generatio vnius est corruptio alterius*, non ita esse intelligendum, vt generatio sit realiter loquendo, seu entitatiuè corruptio, cùm hæc sit negatio, illa actio positiua: imò dari potest, saltem diuinitùs, generatio quæ non sit corruptio, & è contrà; sicut in primâ productione rerum erat generatio sine corruptione. Intelligendum ergo est hoc dictum, vel *concomitanter*, quòd nimirum iam de facto semper vna comitetur alteram in generationibus substantialibus, vel ad summum *causaliter*, ita vt corruptio sit effectus secundarius generationis, cùm ad inductionem vnius expellatur aliud. Licèt verò generatio sit finis corruptionis, corruptio tamen non est medium ad generationem: sicut nec passiones sunt media respectu essentiæ, licèt hæc sit illarum finis: nec enim est de conceptu omnis finis, vt per media acquiratur, vt ostendi d. 22. Phy. s. 2. n. 7.

Generatio concomitanter, vel causaliter est corruptio.

II. *Forma formam destruit in genere causæ formalis.*

Forma autem producta quæ aliam expellere dicitur, non id facit effectiuè, sed solùm in genere causæ formalis, informando scilicet subiectum, & hoc modo postulans destructionem formæ alterius: effectiuè enim forma illa corrumpitur à causâ quæ eam conseruabat, quæ sicut effectiuè eam conseruabat præbendo concursum, ita quasi effectiuè destruit, eundem suspendendo: licèt meliùs diceretur destruere defectiuè, quàm effectiuè, cùm destructio formalis sit negatio, & consequenter defectus potiùs quidam, quàm effectus. Effectiuè autem remotè formam destruit qui contrariam cum hac incompossibilem, aut dispositiones tollentes illius dispositiones inducit. Sed hæc, vt suprà dixi, est destructio positiua, & *causalis* non negatiua & *formalis*.

Causa conseruans destruit rem effectiuè, vel potiùs defectiuè.

III. *Quid requiratur vt res dicatur corruptibilis.*

Infero secundò, ad hoc vt aliquid simpliciter dicatur corruptibile, non requiri vt sit corruptibile ab intrinseco, seu vt in se includat qualitates contrarias ex quibus oriatur corruptio, sed sufficit posse destrui ab extrinseco, seu quòd detur, vel dari possit aliquod agens naturale potens illud destruere: si enim agens quodcunque naturale possit illud corrumpere est naturaliter corruptibile, cùm hæc sint corruptibilia.

IV. *Res quæuis creata est corruptibilis ab intrinseco passiuè, nō actiuè.*

Dices; ergo res illa est corruptibilis ab intrinseco. Distinguo consequens, est corruptibilis ab intrinseco *passiuè*, id est habet naturam sibi intrinsecam quæ non repugnet corrumpi, concedo consequentiam; est corruptibilis ab intrinseco *actiuè*, hoc est habet in se principium à quo corrumpatur, nego: sed maneret semper, si non esset aliquid extrinsecum à quo corrumperetur. Sicut licèt homo quispiam non haberet in se principium aliquod à quo destrueretur, adhuc posset destrui ab extrinseco, nempe comburi, amputari ipsi caput, subtrahi alimentum &c. Et quamuis Apostolus dicat, per peccatum mortem ingressam esse in mundum, non tamen dicit per illud ingressam esse mortalitatem, sed erat homo etiam in paradiso mortalis, licèt de facto non fuisset illic moriturus si non peccasset ob peculiarem quam de eo habiturus fuisset ibi Deus prouidentiam.

Per peccatum mors ingressa est in mundū, non tamen mortalitas.

V. Quæres vtrùm corruptio per se intendatur? Ratio dubitandi est, quia *nihil intendens ad malum operatur*, corruptio autem, seu destructio est mala. Resp. tamen, licèt destructio formarum substantialium per se non intendatur, cùm materia naturaliter spoliari omni formâ non possit; in formis tamen accidentalibus, potest per se intendi earum destructio: potest enim quis inde animi gratiâ ab actu aliquo intellectûs, aut sensuum cessare, nullo alio illius loco producto. Deinde accidentia quædam, vt error &c. sunt subiecto aliquando nociua: vnde, sicut noxia animalia è medio tollimus, quia nobis sunt disconuenientia, idem fieri potest de his qualitatibus.

Nihil intendit ad malum operatur.

Accidentium quorumdam destructio per se intenditur à natura.

SECTIO III.

An homo sit corruptibilis ab intrinseco.

I. *Status quæstionis.*

QVæstio est, vtrùm homo (idem est de aliis viuentibus) principium aliquod intrinsecum in se includat, quod, licèt nihil nocumenti inferretur ei ab extrinseco, eum nihilominus conficeret, ac paulatim consumeret.

II. *Negant aliqui hominem esse corruptibilem ab intrinseco.*

P. Hurtado hic, d. 1. s. 10. sub. 3. mordicùs defendit, hominem nullum in se principium actiuum includere, nec vllas partes, ex quarum in se inuicem actione, & malo quasi intestino periret, sed vnicam mortis causam ei ab extrinseco prouenire, ex influxu scilicet cæli, aëris intemperie, & alimentis quæ reagendo vim natiui caloris obtundunt primò, mox extinguunt.

III. *Homo habet in se principium intrinsecū corruptionis.*

Existimo tamen inesse homini aliquid intrinsecum, à quo destrueretur, nisi aliunde remedium aliquod adhiberet. nam calor naturalis, vbi alia materia deest in quam agat, agit in ipsas partes hominis, non quidem in eas in quibus est, sed in partes sibi proximas, quas paulatim consumeret, & totum humidum radicale. Quæ est ratio cur homines defectu cibi arescant paulatim, & macie conficiantur.

IV. *Ad vitam sustentandam requiritur calor naturalis, & humidum radicale.*

Ad hoc autem notandum iuxta Aristotelem lib. de longitudine & breuitate vitæ, cap. 5 & omnes communiter, vitam licèt plùs minùs requirat iustum temperamentum humorum omnium, & qualitatum, præcipuè tamen in calido & humido consistere, sicque peculiari quodam modo requirere *calorem naturalem*, & *humorem*, vt vocant, *radicalem*, ita vt hæc duo certo quodam temperamento sibi inuicem correspondeant: si verò magnus aliquis sit in alterutro excessus, præsertim in calore, extinguitur animal, & perit.

V. *Calor iste, & humidum sunt per totum corpus diffusa.*

Humor verò iste seu *humidum radicale*, sicut & calor naturalis, non sunt in vnâ aliquâ certâ & determinatâ parte, sed diffunduntur per totum corpus: cuius indicium est, quòd nulla sit corporis pars, in qua non fiat nutritio, materia autem nutritionis est humidum istud radicale, quod per calorem naturalem conuertitur in substantiam aliti. Vocatur verò *humidum radicale*, vel quòd in prima generatione, & quasi in radice animali vnà cum vita communicetur, licèt illud postea paulatim pereat, & aliud illius loco succedat: vel quòd sit quasi basis & radix vitæ, vtpote quod ipsam tanquam nutrimentum foueat.

Humidum radicale vnde dictum.

VI. Sicut ergo calor & frigus, ignis & aër in se inuicē agunt, ita & calor hicce naturalis, & humidū radicale secundùm diuersas qualitates quas habent, cùm omne

Calor, & humidum secundum diversas qualitates in se mutuò agunt.

omne agens agendo repatiatur, & hoc modo aliquando ita vnum alterum diminuit, calor scilicet vel ita exsiccat humorem, vel humor ita calorem obruit & hebetat, vt nulli vsui deseruiat, sicque animal tandem moritur. Imò absumpto magna ex parte humido radicali, agit calor in ipsas partes corporis vbi aliud pabulum deest, & hoc modo animal paulatim absumitur. Deficiente etiam pabulo, & humido radicali, ipse calor seu spiritus vitales sensim debilitantur, & extinguuntur defectu materiæ in quam agant, & qua nutriantur.

Calor naturalis idē est ac spiritus vitales.

VII. *Quatuor humani corporis complexiones & qua optima.*

Vnde omnium optima complexio, & ad longam vitam aptissima, est sanguinea, vbi scilicet optima est attemperatio humidi & calidi: in cholericis verò excedit calor: in phlegmaticis humor dominatur & frigus: melancholici verò constitutionis sunt siccæ & frigidæ. Hic tamen humor, si moderatus sit, cæteris paribus maximè iuuat ad res quasque maximas præstandas, quòd homines melancholici constantes sint, nec facilè ab eo quod susceperunt, dimoueantur.

VIII. *Calor naturalis indirectè, & per accidens destruit hominem, & seipsum.*

Sed dicet aliquis; si calor naturalis destruat animal, ergo ex natura sua petit calor ille destructionem sui, destructo enim animali, perit etiam naturalis calor, vt constat. Resp. indirectè solùm, & per accidens calorem naturalem destruere hominem, & alia animalia; primariò enim, & per se ordinatur à natura ad nutritionem, & conseruationem vitæ: cùm verò sit agens necessarium, & sine intermissione semper agat, si alia materia desit, agit in partes ipsius animalis, & sic per accidens illud destruit, & consequenter et indirectè se.

IX. *Varia, dum se directè conseruare nituntur, se indirectè destruunt.*

Quod ergo intendit quasi naturaliter, dum agit in partes animalis, est conseruare se, sicut ignis, dum agit in materiam: cùm verò illud ipsum in quod tunc agit calor naturalis, sit requisitum in tanta magnitudine ad conseruationem ipsius animalis, & caloris natiui, qui petit esse in animali, calor hic illud diminuendo, remotè, indirectè, & per accidens destruit se. Sic particula flammæ hîc in terra sita, petit per contraria viam quasi obsidentia, ad sphæram suam ascendere, vt se illic meliùs conseruet, extinguitur autem ab iis in via, & sic remotè, indirectè, & per accidens, dum se intendit conseruare, se destruit. Quòd verò aliquid animali intrinsecum & naturale possit ipsum destruere, videtur clarum in dolore, non illo solùm qui imprimitur quasi ab extrinseco, vt ab igne dum hominem comburit, sed illo alio magis interno, seu mœrore causato ab humore melancholico, quo dolore videmus homines paulatim tabescere, & emori.

SECTIO IV.

An homo possit naturaliter viuere perpetuò?

I. *Proponitur controuersia.*

QVæstio est, num saltem possit homo, vi alimentorum & pharmacorum perpetuò conseruari viuus, & hoc sensu fieri immortalis?

II. *Potest homo per pharmaca perpetuò conseruari in vita.*

Negat P. Hurt. hîc d. 5. s. 10. subs. 4. Alij tamen affirmant, quibus nos subscribemus. Probatur primò, quia de facto lignum vitæ habuit eam virtutem naturalem, vt asserunt Patres communiter, quos sequitur hac in parte S. Thomas 1. p. q. 97. art. 4. & ipsum cum aliis multis Molina in opere sex dierum, d. 28. & Suarez ibidem, l. 3. cap. 15. num. 4. qui plures citat. Vnde S. August. l. 14. de Ciuit. Dei cap. 26. citatus à S. Thoma, *Cibus*, inquit, *aderat homini ne esuriret; potus, ne sitiret; & lignum vitæ, ne senectus eum dissolueret.* Et lib. de qq. veteris & noui Testamenti. tract. 5. qu. 9. *vitæ arbor*, inquit, *medicinæ modo corruptionem hominum prohibebat.*

S. Thomas. S. Augustinus.

III. *Variæ opiniones de efficacia ligni vitæ ad vitam hominum restaurandam.*

Licèt ergo P. Hurtado loco citato asserat Scotum affirmare, non potuisse lignum vitæ ita resarcire damnum, seu substantiam, & qualitates deperditas, vt semper homo viueret, sed solùm per longum aliquod tempus, donec scilicet homines in paradiso degentes transferendi essent in cœlum: est tamen contra communem sententiam Patrum, & Theologorum, imò verba sacræ Scripturæ videntur directè contraria, ideo enim eiectus dicitur Adam de paradiso, ne comederet de ligno vitæ, & viueret in *æternum*. Licèt etiam Beda, D. Bonau. & alij hanc vim ligni vitæ dicant fuisse miraculosam, communiter tamen affirmatur ab omnibus fuisse naturalem. Cur ergo non possunt esse alia alimenta, vel pharmaca, quæ per optimam temperiem qualitatum, non solùm substantiam deperditam resarcirent, sed etiam qualitates requisitas ad iustum temperamentum reducerent? sicque homines illorum beneficio & vi naturali viuerent perpetuò.

IV. *Siue de facto pharmaca, quæ homines semper viuos conseruarent, incertum.*

Vtrùm autem de facto sint in rerum natura huiusmodi alimenta, vel pharmaca, siue ea plantæ sint, siue metalla, aut mineralia, vt vocant, non satis constat. Hæc certè ratio non probat de facto ea non existere, quòd scilicet antehac fuissent inuenta: concedunt enim ferè omnes possibilem esse artem conficiendi aurum, quæ tamen hactenus nunquam fuit inuenta. Vnde siquis haberet notitiam intuitiuam, & copiam omnium rerum, posset habere remedia ad vitam perpetuò conseruandam, sicque esset immortalis, non quidem immortalitate perfecta, ita, vt non posset mori, qua immortalitate fruentur Sancti post diem Iudicij, sed imperfecta, ita scilicet vt posset non mori, sed in promptu haberet semper remedia quæ naturam illius deficientem, restaurarent, & in integrum restituerent.

Duplex immortalitas, posse non mori, & non posse mori.

V. *Cur nemo hactenus vitam ad hoc vsque tempus prorogauerit.*

Licèt verò Adamus habuerit notitiam omnium rerum, sicut & Salomon, non tamen habuerunt omnia ad manum, Deo ita disponente, qui in pœnam peccati vult omnes mori. Nec permittet Deus, vt dæmones qui rerum omnium existentium notitiam habent, doceant homines hanc artem, seu vt iis afferant res ad vitam conseruandam idoneas: sicut nec permittit vt ipsos doceant artem Chymicam, nec vt iis afferant de ligno vitæ; quod tamen, sicut & paradisum, etiamnum existere plurimi affirmant. Sed de his satis.

DISPV-

DISPVTATIO V.

De Augmentatione, & Diminutione.

SECTIO PRIMA.

Explicatur earum natura; & quomodo augmentatio differat à primâ Generatione.

I. *In quo augmentatio differat ab alteratione, & accretione.*

DEfiniuntur communiter, quòd Augmentatio *sit motus à minori ad maiorem*; Diminutio *à maiori ad minorem substantiam.* Differt ergo Augmentatio ab *Alteratione*, quòd Alteratio sit motus ad qualitatem: ab *accretione*, quòd hæc fit ad quantitatem: denique à *Generatione*, quòd Augmentatio supponat substantiam iam productam, non sic generatio, sed hæc terminatur ad ipsam primam substantiæ positionem à parte rei.

II. *Differunt Augmentatio, & Diminutio sicut Generatio, & corruptio.*

Differunt verò Augmentatio & Diminutio ratione termini *ad quem*, & *à quo*, sicut Generatio & corruptio: Generatio enim & Augmentatio sunt ad terminum positiuum, nempe ad ipsam substantiam rei, vel vnionem eius informationis, aut continuatiuam: Diminutio verò & corruptio ad harum negationem. Vnde quando dicitur Diminutio esse ad minorem substantiam, non intelligitur illius terminum *ad quem* esse minorem substantiam, seu entitatem minoris substantiæ, sed amissionem alicuius partis substantiæ, quam anteà res habebat, amissio autem formaliter est negatio, vel ipsius substantiæ, vel saltem vnionis.

Quo sensu diminutio sit ad minorem substantiam.

III. *In senibus & pueris est simul augmentatio, & diminutio.*

Quare in senibus & pueris est simul Augmentatio & Diminutio: quia tamen hæc in senibus est maior, illa in pueris, dicitur simpliciter dari augmentatio in pueris, in senibus diminutio. Sicut si è vase aliquo quod multùm in se aquæ côtinet, plus effluat, quàm infunditur, licèt simul ibi sit augmentatio, & diminutio illius aquæ spectando scilicet præcisè terminos *à quo* & *ad quem*, cùm verè ibi detur motus, & ad negationem aquæ, & ad aquam, simpliciter tamen dicitur aqua illa diminui, quia nimirum plus ex eâ deperditur, quàm acquiratur. Diminutio tamen supponit & connotat aliquid illius substantiæ, quæ diminuitur, manere; nam si tota destrueretur, non esset Diminutio, sed corruptio, & destructio. Sicut è contrà Augmentatio præsupponit aliquid illius substantiæ anteà fuisse productum. Quod verò est Augmentatio & Diminutio respectu substantiæ, est accretio & decretio respectu quantitatis.

Quomodo differant Diminutio, & corruptio.

Accretio, & Decretio.

IV. *Differentia inter augmentationem simplicem, & aggenerationem.*

Augmentatio, alia *simplex*: cùm scilicet non producitur pars adueniens, sed solùm illius vnio, vt cùm aqua, aër, aut ignis augetur additione aliarum partium similium ut appositarum. Alia augmentatio vocatur *aggeneratio*, quando scilicet agens non vnit sibi tantùm, sed producit partem sibi adiunctam, vt cùm ignis & aqua producunt suas formas in materiâ ligni, vel aëris, vbi & partem formæ producunt, & eam sibi vniunt, ac prætereà efficiunt vt vna pars materiæ alteri continuetur. Alia demum Augmentatio dicitur *nutritio*, cùm scilicet viuens vel producit nouam partem substantiæ, seu formæ, vt in animalibus omnibus & plantis, vel vnionis, vt in homine.

Quid sit nutritio.

V. *Augmentatio simplex specie differt à generatione.*

Hinc præter dicta initio sectionis constat quomodo Augmentatio differat à generatione: si enim sit simplex solùm augmentatio, differt specie, cum hi duo modi sint ad terminos specie distinctos: generatio enim terminatur ad productionem formæ, vel vnionis informationis, augmentatio verò simplex solùm ad vnionem continuatiuam materiæ, formæ, aut vnionis, vt constat cùm aqua augetur additione alterius partis aquæ. Ac proinde augmentatio absolutè sumpta abstrahit à productione, vel non productione nouæ partis formæ, aut vnionis informationis.

VI. *Aggeneratio specie differt à generatione.*

Aggeneratio etiam specie distinguitur à primâ generatione. Ratio est, quia ad variationem actionis sufficit variatio termini partialis, sed terminus, saltem partialis, est diuersus in aggeneratione à primâ generatione, nam vnus ex terminis in aggeneratione est vnio continuatiua materiæ, vt cùm ignis in se conuertit aërem: hæc autem vnio non reperitur inter terminos primæ generationis, vt cùm ignis primò producit alium ignem, ita tamen vt non continuetur ignis productus cum producente, vt fit dùm ignis accendit carbones sibi proximos, quos tamen sibi non vnit. Ad generationem ergo non sufficit sola productio vnionis informationis, inter materiam & formam, nec productio partis formæ acquisitæ cum aliâ, sed prætereà vnio continuatiua materiæ cum præcedente: sicque aggeneratio, si adæquatè sumatur, non videtur esse vna aliqua, & simplex actio, sed aggregatum ex pluribus, saltem ex duabus.

Aggeneratio constatur ex variis actionibus.

VII. *Generatio specie differt à nutritione.*

Hoc à fortiori constat in nutritione, seu aggeneratione viuentium, in quâ idem vrget argumentum de distinctione specificâ inter generationem & nutritionem, ob distinctionem terminorum, & prætereà quòd nutritio sit actus aliquo modo vitalis, ad distinctionem autem actionis sufficit diuersus modus tendendi, licèt obiectum seu terminus, & principium sit omninò idem, vt constat in apprehensione & iudicio circa eandem omninò rem, & in actione generatiua & creatiua formæ materialis, casu quo materia eleuaretur ad illius creationem. Nutritio etiam non petit tot organa & dispositiones, ac prima generatio, vt constat in productione & nutritione omnium animalium: deinde in nostra sententia de generatione viuentium suprà d. 2. sect. 3. explicatâ, peculiaris ratio est cur dicamus distingui nutritionem viuentis à prima illius generatione, quia scilicet est diuersum illarum principium; in prima enim generatione vnio inter materiam, & formam producitur à semine: in nutritione verò seu aggeneratione producitur ab ipso viuente.

Ad distinctionem actionis sufficit diuersus modus tendendi.

VIII. *Quousque in homine extendatur tempus accretionis.*

Notandum hîc cum Aristotele, tunc solùm communiter dici nutriri homines quando crescunt, id est, quando plus acquirunt substantiæ, quàm deperdunt, præsertim versus altitudinem seu proceritatem, & vocatur ab Aristotele *tempus accretionis*, quod numeratur communiter vsque ad vigesimum primum annum, vel, vt alij, ad vigesimumquintum, quando ossa sunt adhuc nonnihil mollia, & consequenter dilatationi aptiora. Inde vsque ad trigesimumquintum plùs minùs, dicuntur homines *esse in statu*, quando scilicet tantundem substantiæ acquirunt, ac deperdunt. Reliquum verò vitæ tempus vocatur *tempus decretionis*, quando scilicet plus deperdunt communiter substantiæ, quàm acquirunt. Ex morbo tamen, vel alia occasione decrescunt subinde citiùs, sed hoc

Quando homines sunt in statu.

Tempus decretionis in homine.

fit

fit per accidens, & non secundùm consuetam naturæ exigentiam.

IX. Adde præterea iuxta Plinium, triennio, vel, vt Aristoteles, & meliùs, quinquennio habere hominem dimidium fermè totius suæ magnitudinis quã toto vitæ decursu est habiturus. Addit Aristoteles, & S. Augustinus lib. 15. de ciuit: cap. 26. humanum corpus, vt rectè proportionatum sit, debere sexies tantum continere in longitudine seu à vertice ad pedes, quantum in latitudine, seu à dextro latere ad sinistrum: & decies tantum in longitudine, ac in profunditate, seu à dorso ad pectus, aut ventrem. Optima verò hominis statura, iuxta eosdem constat quatuor cubitis: cubitus verò, vt hîc accipitur, constat pede cum dimidio, pes quatuor palmis, palmus quatuor digitis, digitus quatuor granis hordeaceis. Sed de his satis. Qui plura cupit, habet quos consulat.

Iusta humani corporis proportio.

Quæ hominis statura sit optima.

SECTIO II.

Sitne augmentatio motus successiuè continuus, an discretus.

I. QVæstio est, vtrùm, dum vel ignis aërem verbi causa vel viuens in se alimentum conuertit, id vno continuo tenore præstent, partes materiæ sibi viciniores priùs disponendo, & in eas, partes similiter formæ vel vnionis continua successione paulatim inducendo: an potiùs partem aliquam materiæ, determinatæ magnitudinis, digitalem exempli gratia, disponat, & in eam in instanti partem similiter digitalem formæ totam simul inducat, & post aliquod tempus aliam rursus partem digitalem materiæ disponat, & similem formæ partem in alio instante in eam introducat, & sic deinceps: sicque non continuè, & in tempore, sed per pausas, & in instantibus discretis fiat nutritio, & augmentatio.

Proponitur status præsentis controuersiæ.

II. Prima sententia affirmat nutritionem, & augmẽtationem fieri in instantibus quibusdam discretis, & non in parte temporis, seu continuè: ita Auerroës lib 3 Phys. comment. 8. Albertus lib. 8. tex. 23. Scotus in 4 d 44. q. 5 Capreol. in 1. d. 17. q. 2. a. 2. fine, Soncinas 8 Met. q. 22. & 28. Tolet. lib. 1. de Gener. q. 11. Hurt. d. 3. de Gen. l. 3 n. 28. Arriaga d. 2. de Gen. s. 3. n 26. & alij. Citatur etiam S. Thomas 8. Phys. tex 23. & 2 2. q. 24 a. 6. corp.

Prima sententia ait augmentationem non fieri successiuè.

III. Secunda sententia è contrà asserit, nutritionem & augmentationem esse motum continuum: ita Greg in 1. d. 17. q 2 a. 1 Sotus l. 1. Phys. q. 4. a 3. Iandun l. 8. Phys. q. 7. Pererius l. 14. Phys. c. 2. ad 7. Marsilius l. 1. de Gen q. 14. Conimb l. 1. de Gen. c. 5. q. 16. a. 2. Rubius l. 2. de Gen. c. 5. tr. de Augmentat. q 3. n. 27. Mercia l. 1. de Gen. d. 3. q. 3. §. *Hi tamen*. Pro hac sententia citatur etiam S. Thomas 6. Phys. tex. 49. & 3. p. q. 33. a. 1. corp. & ad 4. ita vt mens eius hac in parte videatur valdè dubia. Estque expressa mẽs Aristotelis l. 6. Phy. t. 49. vbi eodem modo loquitur de motu augmentationis, ac de motu locali, & vtrumque in continuo fluxu situm esse affirmat.

Secunda sententia affirmat augmentationem esse motum successiuè & continuum.

IV. Prima conclusio: Prima quarundam rerum productio fit in certa aliqua parte materiæ determinatæ magnitudinis. Hoc constat in generatione viuentium saltem perfectorum. Qua de re plura d. 6. s. 2. n. 5.

Quædam primò producuntur in parte determinatâ.

V. Secunda conclusio: nutritio & augmentatio, possunt fieri, imò de facto per se loquẽdo fiunt in parte temporis, sicque continuè, & successiuè: ita auctores secundæ sententiæ. Ratio est, quia vltima dispositio ponitur in parte temporis, cùm agentia naturalia per se loquendo agant vniformiter difformiter per suam sphæram, & successiuè, ergo & pars formæ ad dispositionem illam consequens producitur similiter successiuè, & in parte temporis: nec enim requiritur vt dispositio sit in subiecto vllo tempore, vel instante ante formam, sed sufficit esse priùs natura, ergo eodem tempore quo ponitur vltima dispositio, poni potest forma, seu pars formæ, ad quam disponit, cùm sola prioritas naturæ sufficiat.

Augmentatio, per se loquendo, fit successiuè & continuè.

VI. Conf. agens naturale, ignis exempli gratia, (naturale cùm sit) agit necessariò, ergo in partem aëris proximiorem aget quantum potest, sed potest citiùs in illam calorem vehementem, & dispositionem ad ignem inducere, quàm in partem magis remotam, ergo: minor probatur, pars vicinior aëris meliùs applicatur, ergo fortiùs in eam agere poterit ignis, quàm in aliam non ita benè applicatam, vt in omnibus alijs agentibus, sole scilicet, candela, &c. videmus, quæ in partibus sibi vicinioribus intensiorem semper lucem producunt. Sicut ergo dispositiones ad ignem in partibus aëris igni vicinioribus citiùs producuntur, quàm in remotioribus, eodem etiam modo in ijs producetur citiùs forma ignis.

Agentia naturalia fortius agunt in partes vicinores, vtpote meliùs applicatas.

SECTIO III.

Obiectiones contendentes augmentationem non fieri continuè, sed discretè.

I. OBijcies primò: (& est præcipua ratio contrariæ sententiæ) debet ante inductionem formæ materia esse vltimò disposita, *vltimo* autem sonat indiuisibile, cùm inter partes proportionales nulla sit vltima: quæuis enim vlteriùs, & vlteriùs diuisibilis est in infinitum. Resp. dispositionem illam in tempore totam poni, & habere vltimum, non *positiuè*, id est, ita vt assignari possit vltimum, sed solùm *negatiuè*, id est ita vt præter illud quod ibi est, nihil aliud requiratur ad inductionem formæ: cum enim indiuisibile illud nihil addat intensionis, non requiritur ad inductionem formæ, ac proinde, cùm tota intensio producatur in tempore, tota etiam dispositio requisita producitur in tempore, ergo tunc produci potest pars formæ ad quam disponit, cùm non requiratur, vt dixi, nisi prioritas naturæ.

Obijs vltima dispositio non ponitur in tempore, ergo nec forma.

Resp. Dispositionem poni in tempore, & habere tunc vltimum negatiuè.

II. In eo autem casu dici non potest propriè *esse producta* dispositio illa & forma, sed *produci*, cùm in iis, quæ producuntur successiuè, prius sit *fieri* quam *factum esse*, secùs in iis quæ producuntur instantaneè: tunc enim solum est quid productum, si propriè loquamur, quando in aliquo instante est verum de illo affirmare, *nunc est*, *nunc* autem sonat instans, vnde res in tempore *est in produci*, in instante *est producta*. Verè tamen tota entitas producebatur, & esse suum accipiebat ante illud instans, & in tempore. Adde, & ipsum indiuisibile posse produci in tempore, vt latiùs explicabimus Disp. sequent.

Res in tempore est solum in produci: in instanti, est producta.

III. Obijcies secundò: agentia naturalia non semper operari vniformiter difformiter per suam sphæram, sed aliquando fortiùs operari in remoto quàm in propinquo, ergo potest aliqua vna pars tota simul disponi, ac proinde, & forma secundùm magnam aliquam partem sui simul induci, ergo in hoc casu non fieret mutatio successiuè. Resp. primò concedendo totum, nos enim solùm loquimur ex natura rei, & quid communiter contingat, licèt autẽ agentia naturalia subinde fortiùs operentur in remoto, quàm in propinquo ob meliorem medij dispositionem, aut aliud huiusmodi, communiter tamen id non fit. Secundò dico, in partem illam remotiorem inducendam partem formæ successiuè, in partem scilicet illius viciniorem priùs quàm in remotiorem, cùm pars vicinior illius sit meliùs applicata, sicque priùs

Obij: agentia naturalia non semper agere vniformiter difformiter.

Resp. per accidens contingere posse vt agens non operetur vniformiter difformiter.

prius disponetur, quàm pars remotior eiusdem capacitatis.

IV. *Obie. in prima generatione viuẽtium nō disponi materiam, nec formã induci successiuè.*

Obicies tertiò: in prima generatione viuẽtium, equi, leonis, hominis &c. forma inducitur simul in magnam partem materiæ, & nõ in minimam, vt in nutritione seu augmentatione, ergo in prima generatione disponi debet simul magna illa pars materię & non vna particula post aliam, alioqui vel forma viuentis inducetur in aliquas partes illius materiæ sine vltima dispositione, vel dabitur vltima dispositio in aliqua parte materiæ sine forma; vel tandem sequetur, formam præcedẽtem manere sine sua dispositione: quæ tamen valdè videntur in Philosophia peregrina.

V. *Resp. etiam in prima generatione viuentis materiam disponi successiuè.*

Resp. primò, non minùs esse peregrinum quòd agens naturale non agat vniformiter difformiter, vbi nulla est inæqualitas ex parte medij, quod tamẽ hic deberet concedi. Resp. ergo secundò, cùm partes materiæ disponendæ ad formam viuentis, inæqualiter distent à causa disponente necessaria, nec sit aliqua diuersitas in medio, necessariò disponi debet subiectum successiuè, & non omnes partes simul æqualiter. Vltima tamen dispositio ad formam Viuẽtis non inducitur antequam omnes partes necessariæ ad eam formam, & omnia organa formẽtur: cùm enim sit vltima dispositio ad formam viuẽtis, & habeat naturalem connexionem cum illa, eandem petere videtur organizationem, & partium varietatem cum illa.

Quando inducatur vltima dispositio ad formam viuẽtis.

VI. *Forma via corruptionis conseruari potest cum valde tenuibus dispositionibus.*

Quòd verò additur, hinc sequi, fore formam in materia sine sua dispositione. Resp. longè diuersam esse rationem de forma, via generationis, & via corruptionis: via enim corruptionis potest conseruari forma cum valde tenuibus dispositionibus, vt videmus in homine moriente, imò & nonnũquam cum contrariis, cum quibus tamen non potest primò produci.

VII. *Ad hoc vt res existat, sufficit quòd modo etiam imperfectissimo possit operari.*

Dices; non potest forma operari sine dispositionibus, sed nõ debetur illi esse nisi vbi potest operari, ergo instante quo tolluntur dispositiones illius, debet etiam tolli ipsa forma. Resp. ad hoc vt sit, seu permaneat ad breue aliquod tempus, non requirit vt possit operari modo perfectissimo, & omnes suas operationes exercere, vt cõstat in exemplo allato de homine moriẽte, & aliis, sed sufficit quòd possit exercere quascumque, & modo quantumuis imperfecto: hoc autem præstare poterit cum quibuscunque imperfectis dispositionibus. Addo probabile esse, quod affirmant aliqui, in partem aliam ex qua expelluntur dispositiones prioris formæ in generatione viuentis, induci aliam formam, quæ requirit pauciores dispositiones quàm forma perfecti viuentis.

VIII. *In casu aliquo particulari posset forma persistere sine vllis dispositionibus.*

Tandem dico, licèt via generationis non possit forma induci sine dispositionibus debitis, via tamen corruptionis videri subsistere subinde posse formam sine vlla omnino dispositione, si contingeret omnes eius dispositiones auferri (quod tamen fortè nunquam accidit) posset, inquam, persistere, casu quo non posset adhuc forma subsequens induci. Licèt enim connaturaliter, & iuxta communem cursum rerum id non fiat, in casu tamen aliquo particulari, non est cur fieri nequeat: sicut licèt grauia iuxta communem naturæ legem ferantur versus centrum, in particularibus tamen quibusdam casibus feruntur sursum, & leuia è contra deorsum: ad vitandum scilicet vacuum. Quod grauia & leuia præter naturæ ordinem faciunt, ad vitandum vacuum locale, facere similiter poterunt formæ ad vitandum Vacuum Physicum, seu, ne materia sit sine omni forma: quod vacuum non minùs abhorret natura, quàm locale. Quando autem dicunt auctores formam dependere ab vltima dispositione, intelligunt in prima productione, non in conseruatione; vt ostensum est.

Non solum vacuum physicum abhorret natura quã vacuum locale.

SECTIO IV.

Alia argumenta contra augmentationem successiuam, & continuam.

I. *Explicatur modus operandi per instantia interpolata.*

P. Arriaga d. 2. de Gen. s. 3 n. 26. relictis iis, quæ ab aliis afferuntur ad probandum augmentationem non fieri successiuè, sed per morulas interruptas, alia proponit quæ, vt ipsi videtur, multò clariùs euincunt, agentia naturalia per certam aliquam magnitudinem spatij æqualiter quoad intentionem operari, sicque ignem ex: gratia, ad integrum digitum, aut palmum sibi proximum æqualis intensionis calorem in omnibus digiti illius, aut palmi partibus produceret deinde in toto secundo digito, aut palmo, minoris quidem intensionis calorem efficere, sed in omnibus digiti illius, aut palmi partibus similiter æqualem. & sic de aliis digitis aut palmis intra totam actiuitatis ignis, aut alterius agentis sphæram.

II. *Soluitur difficultas in prima generatione Viuentis.*

Arguit primò; in prima productione viuentis agentia naturalia non agunt vniformiter difformiter, sed totam partem minimi naturalis quæ ad primam viuentis generationem requiritur, simul disponunt, ergo idem erit in augmentatione. Resp. negando antecedens, sed pars illa minima disponitur successiuè. Quomodo autem forma Viuentis non statim in partem minorem minima inducatur, quomodo etiam forma præcedens via corruptionis ad tempus aliquod stet sine dispositionibus plenè requisitis, dixi sect. præcedente, n. 6. 7. & octauo.

III. *Obie. duos ad exiguũ spatium inæqualiter distantes, simul audire verba loquentis.*

Arguit secundò n. 27. experientia, inquit, quibusdam constat agentia naturalia non agere vniformiter difformiter, sed æqualiter per partes determinatas spatij, modo numero primo explicato: tam cito enim, inquit, audiuntur verba loquentis ab eo qui vno, vel duobus passibus à loquente distat, quàm ab illo qui coniunctus est loquenti: ergo species soni per determinatam aliquam partem spatij (duorum scilicet passuum, aut circiter) simul in certa intensione producuntur, & non priùs, vel intensiùs in primo passu, quàm in secundo.

IV. *Gratis dicitur inæqualiter distantes, simul verba illa audire.*

Sed contra; quæro, vnde constet eodem planè indiuisibili momento temporis vtrumque loquentis verba audire, & illum qui vno tantùm passu à loquente abest, exiguo saltem aliquo tempore non eo citiùs percipere, illo qui duobus passibus distat?

V. *Dices; nulla percipitur differentia, ergo simul audiunt.*

Dices; inde colligi, quòd in illis duobus, quorum vnus post alterum stat proximè loquẽti, nulla percipiatur differẽtia in tempore quò vocem illam audiunt, cùm tamen percipiatur differentia inter hos & illum qui longè abest, vt quotidiana constat experientia: ergo vocem illius simul audiunt, sicque vox per spatium duorum passuum eodem indiuisibili momento species producit.

VI. *Experientia prædicta nihil probat.*

Contra primò, experientia hæc non probat duos illos, inæqualiter à loquente distantes, eodem planè indiuisibili momento temporis illius locutionem audire, aut quòd vox eodem etiam momento species sui in eorũ auribus producat, sed quòd exigua adeò sit differentia, vt in tantillo spatio non aduertatur: aliud enim est esse differentiam, aliud eam percipi, aliud cernere, aliud discernere. Sicut si quis fixis oculis plantam, aut arborem crescentem intueatur, augmentum illius cernet, cùm non minùs speciem sui in intuentis oculo producat, quàm reliquæ partes arboris, aut plantæ; non tamen discernet, nisi post diuturnum tempus, vbi notabilis factus

Aliud est cernere aliud discernere.

fuerit excessus. Et quoad hoc idem est siue augmentatio fiat successione continua, siue per instantia discreta. Idem est in vmbra horologij, & aliis huiusmodi.

VII. *Claro exemplo ostenditur esse in rebus differentiam, licèt non appareat.*

Quod verò aliud sit, diuersitatem *esse*, aliud *percipi*, aliud eam *cernere* aliud *discernere*, clarè ostenditur hoc exemplo. Ponamus tres columnas iuxta se sitas, quarum quæuis alteram excedat vno, vel duobus tantùm punctis, tum in longitudine, tum circumferentia, (idem est in opinione Aristotelis, si columnæ illæ se superent centesima tantùm parte latitudinis vnius pili) siquis ergo tres istas columnas intueatur, videbit puncta illa quibus vna aliam excedit, cùm illa puncta æquè sint visibilia atque alia ex quibus columnæ illæ componuntur, & tamen ob exiguam differentiam excessum illum, ac diuersitatem non animaduertet: ergo in præsenti ex eo quòd nulla discernatur differentia in perceptione soni, non sequitur nullam esse, maximè cùm visus sit sensus longè acutior auditu. Plura in hanc rem dixi d.25. Logicæ, f.3.n.4.5. & 6.

VIII. *Manifesta instantia refellitur argumentũ de duobus simul audientibus loquentem.*

Contra eandem responsionem est secundò: sicut inter primum qui vno, & secundum qui duobus passibus distat à loquente, nulla in hoc cernitur diuersitas, ita nec inter secundum & tertium, seu eum qui tribus passibus distat, imò nec inter vllos duos sibi proximos, & tamen tertius vno instante serius audit, cùm vox illa primo instante species nisi ad duos passus non diffundat vt supponitur, ergo ex eo quòd non appareat diuersitas, & successio, non sequitur non esse: ergo idem dici poterit de duobus primis.

IX. *Longè minor est lux à sole hic producta, quàm prope solem, non tamen minor infinitè.*

Arguit tertiò n.28. nisi dicamus solem ad partem aliquam determinatam producere lucem æqualis intensionis, & deinde ad aliam similiter determinatam partem lucem similiter æqualem, licèt minoris intensionis quàm in parte soli proxima, sequetur lucem solis, dum ad nos peruenit, decreuisse propè in infinitum. Resp. multùm quidem decreuisse, non tamen ita quin sol, qui tantam habet vim lucis effectricem, multum adhuc lucis in tanta distantia possit producere. Nec hoc vitatur per partes illas determinatas æqualis intensionis, cùm partes illæ sint valde exiguæ; quotidiana enim experientia constat, si librum tantillum à fenestra amoueamus, nos minùs videre, sicque lucem esse determinatè minorẽ, & decreuisse.

X. *Obi. qualitatẽ materialẽ nõ posse in tam parua parte existere.*

Arguit quartò n.29. nam etiam ex parte effectus producendi oritur repugnantia, qualitas enim, inquit, materialis nõ potest in tam parua parte existere, ergo etiam si ex parte agentis nulla esset specialis difficultas, esset tamen ex parte effectus. Contra primò: docet ipse d.2. de Gen. f.4. num.57. corpora mortua non determinare sibi terminum paruitatis, sed posse, etiam in vno indiuisibili materiæ existere: vnde, inquit, non repugnat vt detur vnum indiuisibile ossis, aut olei separatum à reliquis. Nec dicas hoc verum esse de solis substantiis, non de accidentibus; si enim indiuisibile ossis, aut olei existeret separatum à reliquis, haberet sua accidentia, & dispositiones.

Refellitur hæc obiectio ex doctrina obiicientis.

XI. *Licèt qualitas deberet primo in parte determinata produci, posset tamen continuè augeri.*

Contrà secundò: esto, fortè sit aliqua repugnantia quo minùs qualitates materiales primò in tam parua parte producantur, nulla tamen est, vbi prima earum pars in certa magnitudine est producta, cur augeri nequeant, & augmentatio fieri successiuè, ac partes qualitatis priori parti determinatæ, iam productæ, continuè & sine interruptione superaddi: sicque agentia naturalia agent vniformiter difformiter.

XII. Falsum ergo est quod asserit P. Arriaga citatus n. 35. nempe si quis asset scindendi ligna, tam citò eum sonum audire, ac videt ictum. Hoc, inquam, non ita se habet, si loquamur de simultate metaphysica, seu de eodem primo instante sed solùm est verum de simultate morali, hoc est, tam exigua est differentia, vt nõ percipiatur. Sicut enim qui est remotus, multò tardius audit sonum, quàm ictum videat, ita qui est proximus, paulò serius eundem audit, licèt ob paruitatem distantiæ, differentia non discernatur, vt ostendi tota hac sectione. Ratio verò est, quia vel sonus realis, vel species soni diffunditur successiuè: quod quomodo contingat, ostendam suo loco in libris de Anima.

Asserens scindenti ligna nõ planè simul audit sonũ, & ictum videt.

SECTIO V.

Solutione cuiusdam difficultatis magis declaratur successio continua agentium naturalium in operando.

I *Alteratio fit successiuè, & continuè.*

EX dictis sect. præcedente infero, alterationem non esse interruptam, nec fieri per instantia discreta, sed esse successiuè continuam, idque tam extensiuè, seu in ordine ad diuersas partes subiecti, quàm intensiuè, seu respectu diuersarum partium qualitatis in eadem parte subiecti. Hoc probatũ est tota sect. præcedente: & præterea ratio videtur euidens: nulla enim afferri causa potest, cur ignis exgratiâ, aut calor ab operando cesset, effectus enim est producibilis, subiectum capax, agens debitè applicatum, & necessarium, ex quo ergo capite interrumpitur actio?

II. *Dicunt aliquod pondus assere impositum non semper agere in asserẽ.*

Contrà hoc opponit P. Arriaga d.2. Gen. f 3. nu. 41. experientiam illam de pondere asseri imposito, quod non statim, sed post dies aliquot, aut etiam subinde menses asserem frangit, ergo non grauitat à primo instante sine interruptione. sic enim longè citiùs asserem fregisset, ergo non grauitat semper, sed per instantia discreta, nunc scilicet grauitando, nunc grauitationem intermittendo.

III. *Ostenditur pondus illud grauitando semper agere in asserẽ.*

Contrà primò: certum videtur pondus illud semper grauitare, tum quia siquis manum illi ponderi supponeret, semper sentiret illam à pondere incumbente premi. Dices; morulæ quibus pondus illud non grauitat, sunt breues, ac proinde non sentiuntur. Resp. primò, licèt sint breues, sunt frequentes, ergo sentirentur, præsertim cum experientia cõstet dum quis pondere premitur, si põdus graue sit, sentire ipsum si vel minimo tempore onere leuetur. Resp. secũdò, sicut morulæ cessationis sunt breues, ita & momenta grauitationis, cùm singula singulis fermè morulis interrumpantur, ergo sicut ob breuitatem nõ sentiuntur intermissiones grauitationis, ita nec sentirentur grauitationes morulis illis interruptæ.

IV. *Idem, in quantum idem, semper natum est facere idem.*

Contra secundò: nulla ratio est cur pondus illud non æquè secundo instante grauitaret, ac primo, cùm vires adhuc habeat integras, & nullum opponatur obstaculum. *Idem* autem, *in quantum idem, semper natum est facere idem*, iuxta Aristot. hic l.2. cap.10. tex.56.

V. *Nihil assignari potest quod lapidem impediat, quo minùs continuò grauitet.*

Respondet, licèt entitates ignis, aut lapidis maneant eædem, circumstantiæ tamen mutantur. Cõtrà, nulla hic circumstãtia mutatur, præter circumstantiam temporis, vires enim lapidis non atteruntur grauitando, vt contingit in homine, vel equo, in quibus spiritus currendo, aut laborando insumuntur: aut in instrumentis artis, quorum acies longo vsu obtunditur, sicque aptari iterum priùs debent, quàm ad opus aliquod adhibeantur. At virtus motiua lapidis grauitando, aut cadendo non minuitur, imò vires potiùs acquirit eundo, quid ergo ipsum

detinet

detinet quo minùs semper grauitet, & perpetuò deorsum ad centrum nitatur.

VI. *Sequitur lapidem hæsurum pensilē in aëre.* Contra tertiò: si secundo instante non grauitet, ergo si Deus illo instante asserem annihilaret, hæreret lapis ille pensilis in aëre, à nullo sustētatus, quod planè est incredibile: quæ autem necessitas tam mira, tamque peregrina affirmandi?

VII. *Nulla experientia probat lapidem non semper agere in asserem.* Dicit n. 46. ad hæc & similia nos cogi experientiis. Contra experientiæ quidem probant asserem à lapide pressum, non nisi post dies aliquot frangi, & ignem non statim, & totum simul, sed paulatim, & per partes calorem, & formam ignis in materia sibi applicata producere: nullâ tamen experientia ostēdit lapidem alternis tantùm instantibus grauitare, aut ingentem ignem passo capaci debitè applicatū hærere aliquantisper, & non illico operari.

VIII. *Resp. ergo lapidem ab initio asserē semper premere, & insensibiliter curuare, donec frangatur.* Ad argumentum itaque n. 2. propositum respondeo, pondus illud, vbi primùm asseri imponitur, grauitare, nec grauitationem vnquam intermittere. Producit ergo aliquid in assere ab initio, partes illas scilicet, quibus incumbit, imperceptibiliter laxando, vel incuruando, aut aliquid ad fractionem tendens in iis producendo. Partes verò illæ perpetua ponderis illius grauitatione pressæ, magis ac magis continuè insensibiliter laxantur, & immutantur: quo fit, vt vires asseris restitiuæ, quæ ab initio erāt maximæ, sensim minuantur: sicque asser tandem, cùm non sit ampliùs ferendo, rumpitur.

IX. *Dices; si lapis continenter grauitaret, mul tò citiùs frangeret asserem. Resp. hoc pendere à proportione asseris, & lapidis.* Dices; si lapis asseri impositus perpetuò grauitet, & partes illæ sine intermissione vrgeantur, & incuruentur, asser non post dies aliquot vel annos, sed breuissimo tempore frangeretur. Resp. hoc pendere à maiore vel minore excessu in grauitate lapidis & viribus resistendi in assere: potest enim esse talis excessus, vt non post diem, vel horam, sed statim, & in ictu oculi asser frangatur. Potest verò è contra, esse tanta vis resistendi in assere, & excessus in grauitate tam exiguus, vt non nisi post mensem, imò fortè annum asser rumpatur.

X. *Exemplo horologii ostenditur, ita lentè posse asserem incuruari, vt non nisi post annum frangatur.* Re exemplo declaratur. In horologio solari potest vmbra gnomonis horam integram, vel etiam diem insumere pertranseundo latitudinē vnius pili: imò posset annus in tantillo spatio percurrendo impendi, vt demonstrant Mathematici si nimirum sol millies moueretur lentiùs quàm modò mouetur. Quod etiam attemperans ad certam mensurā ponderibus, posset in horologio rotato contingere. Sicut ergo vmbra gnomonis, vel manus horologij his pōderibus circumacta, potest tam lentè promoueri, quidni attemperari etiam ita potent pondus alicuius lapidis cum viribus resistendi in aliquo assere, vt lentissimè deprimatur, nec nisi post mensem, imò etiā annum, ad eum incuruationis gradum asser perueniat, vt dissiliat?

XI. *Duæ solutiones huius difficultatis inter se obseruntur.* Nec video cur P. Arriaga hāc responsionem vocet ridiculam. Iudicet quiuis vtrùm magis hāc censuram mereatur, dicere lapidem asseri impositúm cousque continenter eum paulatim incuruare, donec rumpatur, an dicere, lapidem prægrandem eidem asseri impositum, per interualla non grauitare, nec omninò assere incumbere, sicque lapides molares, si trabs, cui priùs incumbebant, auferretur, hæsuros aliquātisper pensiles in aëre, nemine detinente: aut etiam dicere, ignem manui aut aëri applicatum, non statim in iis aliquid producere, sed hærere tantisper, quasi opus sit deliberatione aut consultatione, vt causa necessaria ad operationem se determinet.

XII. *Plura hac de re infrà, in simili.* Alia ad interruptionem, seu morulas in alteratione, & augmentatione probandam, locis citatis affert hic auctor: sed ex iis, quæ hac & præcedente sectione dicta sunt, existimo ea omnia facilè solui posse. De hoc tamen argumento plura infrà in simili dicentur d. 7. s. 3. Sententiam verò illam, prout ponit morulas in motu locali, impugnaui in Physicis d. 44. sect. 2. & 3.

DISPVTATIO VI.

De Inceptione, & Desitione rerum: & de Maximo & Minimo.

Quæ sit ratio, cur dicantur res desinere intrinsecè, vel extrinsecè. DVos incipiendi & desinendi modos in Physicis tradidi d. 37. sect. 3. nēpe per *primum & vltimum esse*, quod est incipere & desinere *intrinsecè*, quia scilicet primum & vltimū instans spectat ad intrinsecam durationem, & existentiam rerum, quæ sic incipiunt & desinunt, cùm in eo instāte verè sint. Alius modus est, per *primum & vltimum non esse*, quod dici solet, incipere, & desinere *extrinsecè*, quia instans illud non spectat ad intrinsecam durationem, & existentiam illarum rerum, cùm verè in illo non sint. Hic ergo principia tunc generatim tradita, rebus singulis in particulari sunt applicanda. Ad rectam tamen horum intelligentiam, supponēda sententia, quam in Physicis tradidi d. 45. continuum scilicet componi ex partibus & punctis, sine illa enim opinione res hæc commodè intelligi non potest.

SECTIO PRIMA.

Declarantur particulares variarum rerum modi incipiendi & desinendi.

I. PRima Conclusio: res essentialiter successiuæ, vt tempus nō possunt incipere & desinere per *primum & vltimum esse*, & intrinsecè, possunt tamen sic incipere & desinere res per accidens tantùm successiuæ, vt calor, frigus, &c. Ratio primæ partis est, quia essentialiter successiuum includit in suo conceptu prius & posterius, in instante autem reperiri prius & posterius non possunt, sed quæ producuntur in instante, simul producantur necesse est, quod partibus temporis repugnat. *Essentialiter successiua nō possunt incipere, aut desinere intrinsecè.*

II. *Possunt tamen secundum vltimum complementum incipere, & desinere intrinsecè. Cur instātia vocētur mutata esse.* Possunt tamen res essentialiter successiuæ secundùm vltimum complementum sui incipere & desinere in instante, seu intrinsecè; nam hoc nihil est aliud dicere, quàm vltimum instans determinatum terminatiuum horæ ex: gr. produci in instante, & desinere in tempore, ita vt verum sit dicere, *nunc est hora completa*, seu *vltimum illius complementum iam existit*. Et hæc videtur causa cur instātia isthæc vocentur *mutata esse*, quòd scilicet res in iis non tam mutentur, quàm denotent mutationem in iis immediatè antè præcessisse.

III. *Res per accidens successiua possunt incipere & desinere intrinsecè.* Secunda pars conclusionis, de rebus per accidens successiuis, probatur: licèt enim de facto frigus, calor, & alia huiusmodi producantur in tempore, & successiuè ratione contrarij expellendi, si tamen non esset contrarium, producerentur sicut lua in instāte, vt cōtigisse videtur in primâ rerum conditione, tal-

tem quoad varios gradus, tam caloris, quàm frigoris, & aliorum accidentium quæ habent cõtrarium. Quòd ergo producantur successiuè, est merè per accidens, & non ex intrinseca earum rerum natura, & essentia.

IV. *Angelus, & huiusmodi res permanentes produci possunt in tempore.*

Secunda conclusio: res permanentes, etiam indiuisibiles, quæ possunt durare per tempus diuisibile, vt Angelus, anima rationalis, puncta materiæ, & quantitatis, aut aliorum accidentium, possunt non solùm incipere intrinsecè, & per *primum esse*, seu in instante, & desinere per *primum non esse*, & extrinsecè, seu in instante; sed etiam possunt incipere *extrinsecè*, seu per *vltimum non esse* & in tempore, & desinere *intrinsecè*, seu per *vltimum esse*, & similiter in tempore. Hæc secunda pars conclusionis non caret difficultate.

V. *Ostenditur rem indiuisibilem produci posse in tempore.*

Probatur tamen primò: siquid obstet quo minùs produci possint res istæ in tempore aliquo diuisibili, maximè quia sunt entitatiuè indiuisibiles, & non habent partes, quarum vna producatur post aliam, sed hoc non obstat, ergo. Probatur minor, indiuisibilitas alicuius rei non obstat quo minùs destruatur in parte temporis, ergo nec quo minùs in eadem producatur. Consequentia videtur clara, nec enim quoad hoc minùs requiruntur plures partes rei, quarum vna destruatur post aliam, quàm quarum vna post aliam producatur. Antecedens itaque probatur, instans, seu *mutatum esse* temporis (suppono hic opinionem Aristotelis de constitutione temporis ex partibus & punctis) desinit in tempore, cùm per vnicum tantùm instans duret, ergo desinit successiuè ex parte temporis.

Instans temporis desinit in tempore.

VI. *Vnio indiuisibilis graduum caloris successiuè inducti producitur in tempore.*

Secundò probatur: quando calor expellit frigus è subiecto, omnes partes caloris producuntur in tempore: quando ergo pars tertij vel quarti gradus caloris inducitur in subiectum, eodem tempore vnitur prioribus gradibus, nec enim ad minimum tempus potest esse in subiecto quartus gradus, quin vniatur tertio, vt apud omnes est in confesso, ergo producitur vnitus, ergo simul cum parte illa producitur vnio, ergo vnio producitur in tempore, sicut pars quam vnit, sed vnio illa est indiuisibilis, ergo aliquid indiuisibile potest produci in tempore.

VII. *Angelus potest durare in tempore, ergo & in tempore produci. Produceretur tunc Angelus simultaneè ex parte sui.*

Tertiò: res indiuisibilis, vt punctum, Angelus vel anima, possunt durare per tempus, & successiuè, ergo & possunt in tempore produci: sicut enim arguitur, quod producitur successiuè, debet vna illius pars produci post aliã; ita argui posset, id quod durat successiuè, debere habere partes quarũ vna duret post aliam. Quemadmodum verò respondetur, durare Angelum successiuè ex parte temporis, sed simultaneè ex parte sui, idem dici poterit de prima productione.

VIII. *Licèt punctum quantitatis non possit produci in spatio diuisibili loci, potest tamẽ in parte diuisibili temporis.*

Dices primò; punctum materiæ, vel quantitatis non potest produci in spatio diuisibili loci, ergo nec in spatio diuisibili temporis. Contrà, nec potest durare in spatio diuisibili loci, & tamen negabit nullus durare posse in parte diuisibili temporis. Potest tamen punctum materiæ vel quãtitatis, si producatur dum corpus illud mouetur produci primò in spatio loci diuisibili, sicut & postea eidem per motum respondere, non tamen permanenter. Disparitas ergo est, quòd sit contra essentiam indiuisibilis correspõdere spatio loci diuisibili: cùm enim sit ex essentia sua indiuisibile extensionis, ipso facto quòd correspondeter spatio diuisibili, esset simul diuisibile extensionis, sicque sequerentur duo contradictoria. Et eadem est ratio cur, licèt res permanens produci possit in tempore, nihilominus res essentialiter successiua produci nequeat in instante; quia scilicet haberet aliquid contra suam essentiam, cùm essentialiter petat vt vna pars producatur post aliam. Sicut

Nec pars temporis produci potest in instante, nec instans in tempore.

nec è contra potest instans temporis produci in tempore, quia non debet existere nisi per instans.

IX. *Obi. actionem illam fore & primam productionem & conseruationem.*

Dices secundò; hinc sequi actionem illam productiuam Angeli fore & primam eius productionẽ & conseruationem: quod tamen videtur implicare, cùm conseruatio denotet primam productionem præcessisse.

X. *Quando desinat actio esse prima productio, & incipiat appellari cõseruatio.*

Sed contra, quoad hoc enim eadem est difficultas de omni re, quæ producitur successiuè cùm enim nulla sit illius pars, quæ non producatur successiuè, consequenter omnis pars actionis huius termini ponitur similiter successiuè, & in tempore, ergo eodem modo erit prima productio & conseruatio. Resp. itaque actionem non dici conseruationem propriè, nisi post aliquod tempus completum, seu terminatum aliquo instante determinato, in quo dici possit *nunc actio est*: & vsque ad illud instans dicitur prima productio, quia vsque ad illud res est *in primò produci*.

SECTIO II.

An, & quibus rebus statuendi sint termini magnitudinis, & paruitatis.

I. *Duo termini magnitudinis: Maximũ quod sic, & Minimũ quod non.*

QVatuor à Philosophis statuuntur termini rerũ, duo versus magnitudinem, nempe *maximum quod sic*, & *minimum quod non*: vt si viuens aliquod possit pertingere ad longitudinem duarum tantum vlnarum, longitudo duarum vlnarum est *maximum quod sic*, seu maximus terminus ad quem potest res illa naturaliter peruenire, ac proinde vocatur *terminus intrinsecus*. Longitudo autem superior proxima in magnitudine duabus vlnis dicitur *minimũ quod non*, seu minimum ex maioribus omnibus mensuris, ad quas res illa non potest naturaliter peruenire, qua de causa vocatur *terminus extrinsecus*.

II. *Duo termini paruitatis: Minimũ quod sic, & Maximũ quod non.*

Duo etiam statuũtur termini versus paruitatem, nempe, *minimum quod sic*, seu minima ex iis quantitatibus sub quibus res aliqua potest naturaliter persistere, & dicitur *terminus intrinsecus*. Alius terminus dicitur *maximum quod non*, seu maxima ex iis omnibus mensuris versus paruitatem, sub quibus res illa non potest naturaliter subsistere, sicque vocatur *terminus extrinsecus*, quia est extra naturalem constitutionem illius rei, sicut suprà diximus de modis desinendi *extrinsecè*, & *intrinsecè*. Cùm ergo rebus omnibus iidem statui termini non possint, inquirendum quos quæq; fines ac limites sortiatur.

III. *Nõ est sermo hic de terminis rerum in ordine ad Diuinam potentiam.*

Non procedit quæstio in ordine ad Diuinam potentiam, cùm miraculosè non videatur implicare, vt ipse quæcunque tam viuentia, quàm non viuentia in quauis quantitate producat, & conseruet. Nõ etiam est sermo secundùm naturalem cõstitutionem vniuersi, neque enim stantibus rebus vt stant, potest ignis in hoc vniuerso in maiori dimensione produci, aut conseruari, quàm sit ambitus superficiei concauæ sphæræ Lunæ, cùm ab illa impediatur quo minùs vlteriùs se dilatet. Ignis etiam in hac infima regione aëris in valde exigua quantitate conseruari non potest, ob contraria scilicet, quæ in ipsum agerent, & extinguerent.

Nec secundùm præsentem vniuersi cõstitutionem.

IV. *Status præsentis controuersiæ.*

Inquirimus ergo: vtrùm spectatis merè naturis rerum, possit Deus in quacunque maiore, vel minore quantitate, aut parte materiæ, producere res, absque eo quòd vis inferatur earum naturis, vel miraculum vllum interueniat: an verò ita res aliquæ vt natura sua sibi determinent certum aliquem terminũ magnitudinis, aut paruitatis, vt in maiori, vel minori naturaliter esse non possint.

V.

Dico primò: viuentia via generationis requirunt terminum paruitatis, seu *minimum quod sic*, saltem

mora-

Viuentia in prima generatione habent terminũ paruitatis.

moraliter. Ita Aristoteles 1. Phys. c. 4. & 4. de Gener. animal. c. etiam 4. S. Thomas ibid. lect. 9. & 1. p. q. 7. ar. 3. Murcia hic d. 3. q. 1. Conimb. l. 1. Phys. c. 4. q. 1. ar. 2. Caiet. 1. p. q. 7. ar. 3. Capreol. in 2. d. 19. q. 2. ar. 3. Greg. in 1. d. 11. q. 2. ar. 3. Dur. in 2. d. 18. q. 1. Arriaga d. 2. de Gen. sect. 4. nu. 52. & alij. Ratio à priori est, quia ad generationem viuentis requiruntur tot & tã perfectæ dispositiones, item tanta diuersitas membrorum, & organorum apparatus ad functiones vitæ, quæ naturaliter via generationis certæ magnitudinis materiam, & quantitatem requirere videntur, ita vt in minori citra miraculũ produci nõ possint. Non tamen videtur eadem ratio de conseruatione: sicut enim via corruptionis, & præternaturaliter possunt viuentia, & alia conseruari sine talibus determinatis dispositionibus, sine quibus tamen non possunt primò produci, vt aqua sine frigore; ita & viuentia sine tali determinata quantitate: ac proinde non eosdem habent terminos paruitatis viuentia in conseruatione, ac in prima productione.

Ratio est, quia diuersitas organorum certam magnitudinem quantitatem, & materiã requirit.

Aliud est in viuentium conseruatione.

VI. *Habent etiam viuentia terminũ magnitudinis, non metaphysicè, sed moraliter.*

Quoad terminum magnitudinis, dico secundo: mihi non videntur statuendi viuentibus termini magnitudinis mathematicè, sed solùm moraliter, ita vt vltra tantam magnitudinem, plùs minùs, non possint viuentia extendi. Prima pars conclusionis ex eo constat, quòd licèt homines quando sunt *in statu* sint eiusdem altitudinis toto illo tempore, non tamen ita mathematicè, vt vno tempore non sint aliquantulum saltem altiores, quàm alio: sic enim quãdo longa ægritudine consumuntur, & arescunt omnes partes corporis; & consequenter aliquid carnis deperditur in plantis pedum, & in vertice capitis, non est tam altus homo, mathematicè loquendo, atque antè: & quando maiò plus materiæ acquisiuit, vbi conualuit, est paulò altior, sicque non manet in eodem statu mathematicè loquendo, sed solùm moraliter.

VII. *Si tangens esset interuallum inter omnes corporis partes, animal non posset nutriri.*

Secunda etiam conclusionis pars, quòd scilicet terminus saltem aliquis moralis statuendus sit viuẽtibus, probatur: viuentia enim debent nutriri; ac proinde eiusmodi sint oportet; quæ sumere commodè alimentum, & illud per omnes partes traiicere possint: si autem os distaret centum leucis à stomacho, stomachus multis miliaribus à reliquis partibus corporis, non posset nutriri corpus illud, imò antè moreretur animal, quàm alimentum in stomachum perueniret. Quare non posset Deus, iuxta naturalem exigentiam talis viuentis, illud producere, sed illius tantùm magnitudinis, quod posset cõmodè nutriri. Deinde cerebrum in tanta distantia non posset commodè refrigerare cor, nec cor spiritus vitales ad caput, & reliqua membra transmittere.

Cor item, & cerebrũ non possent suis muneribus fungi.

VIII. *Res habentes connexionem cũ viuentibus,*

Dico tertiò: corpora quæ naturalem habent cõnexionem cum viuentibus, certum etiam habent terminum magnitudinis in prima productione. Ratio est, quia vel succedunt viuentibus, vt cadauer, vel in viuentibus producuntur, vt lac, sanguis, &c. sicque non possunt viuentium magnitudinem, in quibus includuntur, excedere. Dixi quoad primam productionem, secus enim contingit in augmentatione, plura enim cadauera in vnum cumulum coniecta, inter se paulatim vniuntur. Quod clariùs constat in lacte, sanguine, & similibus, quæ separata à viuente non minùs quàm aqua, possunt in infinitum augeri.

certum habent in prima productione terminũ magnitudinis.

IX. *Res connexionem nõ habentes cũ viuentibus non habent terminum magnitudinis.*

Dico quartò: rebus aliis non videtur statutus terminus magnitudinis: nec enim est cur aqua, aër, ignis, & alia huiusmodi non possint vlteriùs & vlteriùs augeri in infinitum. Idem est de terra, saxis &c. Hæc est sententia Aristotelis 2. de Anima, tex. 41. & communiter admittitur ab omnibus, nec vlla videtur ratio vrgens in contrarium.

X. *Res inanimata homogenea nõ habent, per se loquẽdo, terminum paruitatis.*

Dico quintò: aqua, aër, ignis, & alia huiusmodi inanimata homogenea non videntur, per se loquendo, habere terminum paruitatis, sed posse in minore & minore parte produci & conseruari in infinitum. Ratio est, quia non requirunt certam organizationem, & diuersitatem dispositionum in variis sui partibus, ergo non est cur postulent certum terminum paruitatis. Deinde, de facto, farina & arenæ videntur in quacunque minima parte conseruari posse, cùm quantumcunque imminuantur, adhuc persistant. Dixi, per se loquendo nam per accidens, ratione scilicet contrarij possunt petere minimum, cùm in minori existere non possit ignis ex. gr. ratione aëris frigidi ambientis, & sic de cæteris. Hoc tamen est per accidens, nempe ratione contrarij: sicut etiam, vt suprà dixi, petunt per accidens terminum magnitudinis, ratione scilicet cœli ambientis, cuius limites ignis, & aliæ res sublunares excedere non possunt.

Habent tamen quadã per accidens terminum paruitatis.

XI. *Esse plerumq; est propter operari non tamẽ semper.*

Dices; res istæ in tam parua, quantitate nil possunt agere, ergo nec esse, cùm *esse sit propter operari.* Resp. posse producere & conseruare suas passiones. Deinde possunt producere Vnionem cõtinuatiuã cum alia parte similis rei, si apponatur, vt aqua cum alia parte aquæ, ignis cum igne &c. Tertiò, quid agere potest arenula, & alia huiusmodi?

XII. *An, & quomodo homo, qui ad maximũ peruenisset, posset augeri.*

Dices secundo contra secundam conclusionem; homo in maximo constitutus potest nutriri: item si pungatur ab apicula, nonnihil intumescet, ergo poterit augeri, ergo non habet maximum. Resp. primò, ea nutritione tantùm perdit quantum acquirit, sicut faciũt homines *in statu.* Secũdò dico, licèt hodie, vel hoc quadrante aliquid plus acquirat, sequẽte tamen tantum deperdet, & sic plus minùs semper in eãdẽ erit magnitudine; quod est habere terminum moraliter. Ad id de tumore, dico, intumescere non esse propriè augeri; cùm per tumorem nõ acquirat plus materiæ, quàm antea, sed solum eadem vlterius extendatur.

Punctus ab apicula intumescens.

DISPVTATIO VII.

De Generatione accidentali, seu de alteratione.

PEractis quæ ad generationem substantialem, & præcipuam pertinent, sequitur vt nonnulla de minùs principali generatione, seu de alteratione attexamus, quæ inter qualitates, & accidentia versatur, earumque naturam, actiuitatem, oppositionem, & peculiarem secundùm diuersos gradus correspondentiam explicat, quæque non pauciores, nec minoris momenti difficultates continet, quàm præcedens, vt disputationis decursu constabit.

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo competat qualitatibus actiuitas.

I. *Omnes quatuor primæ qualitates sunt actiuæ.*

OMnes quatuor primas qualitates esse actiuas, & non calorem tantùm & frigus, vt quidam volunt, indubitatum videtur, tum quia experientia docet eas omnes producere qualitates sibi similes, tum quia alioqui elementa symbola, seu quæ in vna qualitate conueniunt, vt ignis, & aër, non possent in se mutuò agere, & vnum in aliud cõuertere; si enim humiditas aëris nõ posset agere in siccitatem ignis, non posset ignem in se vnquam conuertere, cùm calor non agat in calorem. Deinde, quoduis elementũ habere debet sufficientia instrumenta ad producendum sibi simile, & consequenter ad inducendas suas dispositiones in materiam alterius, quod tamen non haberent nisi vtraque elementorum qualitas esset actiua: nec enim calor solus est sufficiens dispositio ad ignem, nec sola frigiditas ad aquam, sed frigus & humiditas ad hanc, calor & siccitas ad illum. Aliarum etiam rerum sunt productiuę primæ qualitates, nam saltem vt instrumenta concurrunt cum substãtiis ad producẽdam substantiam, vt ostendi in Physicis, d. 25. sect. 4. item secundùm probabilem sententiam producunt species tangibiles: de quo tamen in lib. de Anima.

Primæ qualitates ad varia physicè concurrunt.

II. *Quo sensu dicat Aristoteles calorem & frigus esse qualitates actiuas, humiditatem & siccitatẽ passiuas.*

Nec quidquam cõtra hoc facit, quòd ait Aristoteles hic l. 2. tex. 8. nempe, *Calor & frigiditas sunt qualitates actiuæ, humiditas verò & siccitas, passiuæ*: primò enim intelligi possunt hæc verba respectiuè, ideo scilicet humiditatem & siccitatem dici ab Aristotele qualitates passiuas, calorem verò & frigus actiuas, quia nimirum tantum illæ ab his in actiuitate superantur, vt respectu horum non videantur omninò actiuæ. Sic nigredinem vocat Aristoteles priuationẽ albedinis, quòd scilicet tantùm ab hac in perfectione superetur, vt respectu huius non videatur omninò esse color, sed sola priuatio, & quasi merum nihil. Sic cap. de Qualitate, potentiam minùs actiuam vocat Aristoteles impotentiam: vnam enim speciem qualitatis diuidit in potentiam & impotentiam. Vel secundò explicari potest Aristoteles quòd locutus eo loco sit de productione mixtorum, vbi calor cõgregat partes humidas & siccas, frigus verò easdem coagulat, & inter se compingit, illæ autem partes, habent se quasi passiuè, nempe congregantur & cõstipantur ab his ad constitutionem alicuius mixti.

III. *Quæ ex quatuor primis qualitatibus sit maximè, quæ minimè actiua.*

Inter has verò quatuor qualitates maximè actiuus est calor, secundo loco frigus, tertio humiditas, & vltimo siccitas. Quod exinde probatur, quia minùs diu potest quis pati manum in igne, quàm in aquâ, quantumuis frigida. Item calor in maiori distantia, & citiùs effectum suum operatur quàm frigus, & frigus & humiditas, quàm siccitas: ex operatione autem in maiore distantia, & celeritate circa productionem effectus arguitur per se loquendo, maior actiuitas causæ.

SECTIO II.

De resistentia qualitatum.

I. *Resistentia duplex, actiua, & formalis.*

REsistentia duplex est, *actiua*, quam alij *positiuam* vocant, & *formalis*, quæ subinde *negatiua* dicitur: illa est, quando passum reagit, aliquid vicissim producendo in agente, quo illius vires minuat. Sic cum ignis producit calorem in niue sibi applicata, nix vicissim aliquid frigoris producit in igne, & hoc pacto vim eius actiuam, seu calorem diminuit, quantum enim frigoris inducit, tantum caloris expellit.

II. *Explicatur ratio resistentiæ formalis.*

Resistentia *formalis* est, quando forma aliqua merè per suam entitatem informando subiectum resistit, licèt nihil in agens contrarium agat, per quod illius actionem vel impediat, vel retardet. Sic calor in aqua existens impedit quominùs aqua se ad pristinam suam frigiditatem tam citò reducat, impediendo scilicet illius actionem per meram informationem materiæ aquæ, nihil in aquâ producẽdo. Sic aqua per suam entitatem resistit soli, grauitas lapidis impulsui, nec tamen hæc in impellente, nec vlla in sole quidquam producit. Idem videtur de habitu vitioso resistente actui virtutis, ne habitum virtutis in tota intensione producat in instante.

III. *In quibus reperiatur resistentia formalis per retardationem.*

Resistentia tamen *formalis* per retardationem nõ est inter quascunque formas, etiamsi habeant contrarium, sed solùm inter eas quæ sunt diuisibiles secundùm diuersas partes, & gradus intensionis. Vna etiam forma substantialis non impedit nec retardat propriè agens quo minùs inducat suam formam, sed eodem instante quo inducitur vltima dispositio, inducitur etiam forma. Si tamen simul in eodem instante produceretur diminitùs materia vltimò disposita ad formam ignis, informata tamen forma aëris, & ignis illi vicinus, non posset ignis eo instante inducere suam formam, & expellere formam aëris, ac proinde tunc aër aliquo modo resisteret.

IV. *Quando resistat qualitas expulsa.*

Quæres primò, quando resistat qualitas expulsa? Hac de re in Physicis nonnulla diximus d. 22. sect. 2. n. 5. & sequentibus, dum de causa formali. Asserunt aliqui resistere qualitatem eo tempore vel instante quo expellitur. Contra primò, resistere est impedire, vel retardare actionem agentis, sed quando expellitur forma non impedit actionem agentis, tunc enim agens producit suum effectum, ergo tunc datur illius actio, ergo non impeditur tunc ab agendo. Contra secundò, resistere est effectus secundarius formæ, ergo præsupponit primarium, seu formã informare subiectum, ergo supponit illius existentiam.

Non resistit eo tempore, vel instante, quo expellitur.

V. *Resistit qualitas instante antecedente suam expulsionẽ.*

Resp. ergo, sicut loco illo citato fusiùs dictum est, resistere qualitatem expulsam instante priore quàm expellatur, sicut corpus alteri resistẽs quoad locum; cùm resistere frigus formaliter sit obstare vel obsistere quo minùs calor inducatur, nõ autem obsistit eo instante vel tempore, quo calor inducitur, tunc enim cedit. Congruentius tamen dicerentur duo agentia, aqua scilicet & ignis, pugnare, quàm duo gradus se inuicem expellentes, cùm pugnare innuere videatur vtrumque existere.

VI. *Obi. hinc sequi gradũ illum prius resistere, quam oppugnetur.*

Dices; non oppugnatur gradus expulsus tempore, vel instante antequam expellitur, cùm nõ oppugnetur nisi à gradu contrariæ qualitatis sibi opposito, ergo tunc non resistit, quod enim resistit, alicui resistit, gradus autem illi oppositus eo primùm tempore existit, quo hic gradus expellitur, ergo à gradu illo priori illo tempore vel instante oppugnari non potest.

VII. *Resp. gradũ expulsum resistere formaliter instante antequam oppugnetur à gradu introducendo.*

Resp. cùm resistentia formalis nihil aliud sit, quã forma in subiecto impediens ingressum, seu productionem alterius, gradus qui in instante B expellitur, resistit instante antequam formaliter oppugnetur, seu ne oppugnetur, oppugnari enim formaliter idem est atque expugnari, seu expelli. Magis tamen propriè (vt in Physicis loco citato aduerti) dicitur qualitas resistere agenti, quàm qualitati inducendæ; gradus enim expellendus in præsentia agentis contrarij, naturali tenacitate firmat quasi gradũ, & obsistit quo minùs agens gradum illum producat, sicq; vel omnino illud ab agendo impedit, vel retardat.

Hinc

VIII. *Adæquatus conceptus resistentiæ actiuæ.* Hinc infertur quid dicat resistentia vtraque in suo conceptu formali. Resistentia ergo *actiua* pro formali in recto importat productionem, vel conseruationem effectus in agente contrario applicato; per quem illius vires debilitantur, ita vt vel nõ omninò, quod rarò contingit; vel tardiùs agat, sicque in obliquo connotat vires contrarij debilitatas, & tarditatem illius in operando. *Conceptus adæquatus resistentiæ formalis.* Resistentia verò *formalis* in recto dicit formam, per quam subiectum redditur formaliter incapax alterius formæ, de connotato verò importat quòd gradus contrarij, vel non omninò, vel non tam cito introducantur. *Qui ordo seruetur in expulsione graduum.* Primus verò gradus caloris expellit octauum frigoris, & è cõtra primus frigoris octauum caloris, secundus septimum, tertius sextum, & sic deinceps.

IX. *Qualitates eundem ordinem in resistentia actiua seruant, quam in actiuitate.* Quæres secundò, vtrùm eundem ordinem seruent primæ qualitates in resistentia quem in actiuitate, nempe, vt primum locum obtineat, seu fortissimè resistat calor, secundo frigus, tertio humiditas, & omnium minimè resistat siccitas? Resp. si sermo sit de resistentia actiua eundem omninò esse ordinem in resistentia atque in actiuitate; cùm resistere hoc sensu nihil aliud sit quàm agere in contrarium, & illius vires diminuere, producendo scilicet in illo suam qualitatem, vt ignis in niue calorem, nix in igne frigus producit. *Non seruant eundem ordinem in resistentia formali.* Quoad resistentiam verò formalem non videtur idem ordo seruandus, hoc namque foret contra bonum Vniuersi; si enim calor maximè actiuus, esset similiter maximè restitiuus, ita in mundo hoc sublunari prædominaretur, vt omnia paulatim absumeret, & verteret in ignem.

X. *Omnes quatuor primæ qualitates non resistunt æqualiter resistẽtia formali.* Aliqui ergo volunt omnes quatuor primas qualitates esse æqualiter restitiuas resistentia formali. cùm hoc, inquiunt, nihil aliud sit quàm forma in subiecto: cùm itaque omnes quatuor æqualiter sint in subiecto, omnes habent æqualem resistentiam formalem. At certè licèt omnes æqualiter informent subiectum, non tamen est cur aliquæ nõ magis tenaciter subiecto inhæreant, quàm aliæ, & consequenter difficiliùs expellantur: sic enim videmus inter formas substantiales, aliquas vel ratione sui, vel suorum accidentium tenaciùs adhærere suis subiectis, & difficiliùs expelli: ferrum enim, & cætera metalla, gemmæ etiã aliquæ: vt adamas, difficiliùs corrumpũtur, quàm lignũ, aër, ignis, & alia huiusmodi.

XI. *Qualitates maximè actiua minimè resistit, & è contra.* Probabilius itaque mihi videtur, non seruare has qualitates eundem ordinem in resistẽtia formali, & in actiuitate, sed planè opposito se modo habere, ita vt qualitas, quo magis est actiua, eo sit minus restitiua: sicque calor ex omnibus minimè, siccitas maximè est restitiua: Videmus enim morbos ex siccitate procedentes, vt insaniam ex siccitate cerebri, difficilimè curari. Contra primum tamen de calore obici posset, quod si duo agẽtia, quorum alterum sit summè calidum, alterum summè frigidum, vt nix & ignis, sibi applicentur, longè plus videatur caloris eodẽ tempore produci in niue, quàm frigoris in igne. Responderi tamen posset, ex eo id prouenire, quòd calor lõgè magis excedat frigus in actiuitate, quàm hoc calorem in resistentia.

XII. *Resistentia cuiusuis qualitatis minor est actiuitate sui contrarij.* Illud certum, cuiuslibet qualitatis resistentiam esse minorem actiuitate sui contrarij: nisi enim actiuitas vnius esset maior resistentia alterius, non posset vna omninò agere in aliam, cùm agere nihil possit, quod in actu primo non sit potens vincere aliud: nec enim in actu secundo vnquam vincit, nisi in actu primo habeat sufficientem virtutem ad illud vincẽdum, ergo actiuitas illius est maior quàm huius resistentia.

XIII. *Actio oriri debet à proportione maioris inæqualitatis.* Hinc ortum videtur dictum illud Philosophorũ, desumptum ex Aristotele, *Actio oriri debet à proportione maioris inæqualitatis*, hoc est, maiores debent esse vires in agente ad operandum, quàm in passo ad resistẽdum. Quod tamen non ita est intelligendum, vt agẽs habeat intensiorem formam, quàm passum ad resistendum, videmus enim calidũ vt etia agere in frigidum vt sex, vel octo. *Quo modo hoc dictum sit intelligendum.* Sensus ergo est quem proximè posui, debere nimirũ simpliciter vim actiuam causæ superare vim formalem restitiuam gradus contrarij, quod esse potest, licèt gradualis intẽsio qualitatis sit minor in agente, quàm in passo.

XIV. *Quis ordo in gradibus qualitatum seruetur in agendo, & resistendo.* Ex gradibus etiã ipsis, si sint heterogenei, qui est magis actiuus, est minùs restitiuus, ac proinde in calore octauus gradus, qui est maximè actiuus, omniũ minimè resistit, sicque statim expellitur aliqua pars illius, primò etiam conflictu. Quæ autem diximus de actiuitate & resistentia qualitatum, intelligi debent per se loquendo, & cæteris paribus; fieri enim potest vt frigus vel humiditas in materia aliqua densa magis agat, quàm calor in rara: & vt siccitas in materia aliqua rara citius expellatur, quàm calor in densa. Sic etiam magnum aliquod agens frigidum plus aget in paruum calorem, quàm hic in illud, ob excessum scilicet in quantitate subiecti.

SECTIO III.

De excessu agentis supra resistentiam passi.

I. *Quæ sit præsens controuersia.* Diximus sect. præcedente n. 12. & 13. vt agens operetur, necessarium esse vt excedat resistentiam passi: hic ergo quærimus qualis esse debeat hic excessus. Qua in re vniuersim dico, ad effectum determinatum producendum requiri determinatum excessum actiuitatis in causa supra virtutem resistẽdi in passo.

II. *Tres difficultates; gutta cauãs lapidẽ; formicæ terentes saxa: & gutta aquæ extinguens aliquid ignis.* Dices; guttæ aquæ emolliunt & excauant lapidem, & tamen non superant illius duritiem, cùm sigillatim cadant, & successiuè, ac motu discreto. Conf. primò, videmus aliquando longo tractu & frequenti concursatione formicarum, earum pedibus atteri paulatim lapides etiam durissimos. Conf. secundò, minima gutta aquæ iniecta in ignem, aliquid illius extinguit, & tamen non superat actiuitatem illius ignis, ergo actio non semper procedit à proportione maioris inæqualitatis.

III. *Declaratur quo modo gutta cauet lapidem.* Ad argumentum respondetur primò, singulas guttas habere maiorem vim agendi quàm habeat parua illa lapidis pars, quam abradunt, seu abluunt, resistendi. Secundò dicunt aliqui, & probabiliter, non singulas guttas tollere aliquid illius lapidis, præsertim in initio sed aliquas eum priùs disponere, humectando scilicet lapidem, & inchoatè quasi emolliendo, deinde gutta aliqua adueniẽs, exiguam partem materiæ iam dispositæ aufert.

IV. *Qua ratione formicæ terãt saxa.* Ad primam confirmationem eodem modo respondetur, sicut enim vehementi affrictu, vt serræ, abraditur magna pars lapidis, vel ligni, ita leuissimo quoque aliquid aufertur, licèt insensibiliter: sicut & plantæ, vt dicitur, sensim crescunt sine sensu, ita vt dicere non possimus crescere, sed creuisse. Ad secundam confirmationem dico, minimam guttam aquæ habere maiorem vim actiuam, quàm habeat pars ignis, cui applicatur, restitiuam formalem. *Quo pacto gutta aquæ aliquid extinguat ignis.* Nec enim comparari gutta illa debet cum toto igne, sed cum illa tantùm parte, cui applicatur: Vnde oritur ibi actio cum proportione maioris inæqualitatis.

SECTIO IV.

Vtrùm detur quies in puncto reflexionis.

I. *Proponitur status.* Difficultas est, cùm lapis exempli gratia, aut aliud graue proiicitur sursum, vtrùm quando per-

contraria sit.

venerit ad summam altitudinē, quiescat aliquantisper, & motum interrumpat, aut statim descēdendo continuet motum sursum cum motu deorsum. Qua de re Aristoteles l.8 Ph.c.7.& octauo.

II. *Quies duplex, negatiua, & priuatiua.*

Notandum primò, quietem (quæ, prout hic sumitur, nihil aliud est quàm negatio motus) duplicem esse: *negatiuam*, quæ contingit in quouis instante, tunc enim verè res non mouetur, & consequenter quiescit; & *priuatiuam*, quæ etiam vocatur *temporanea*. Prior ideo vocatur *negatiua*, quia non potest in instante esse motus: secunda verò *priuatiua*, quia priuatio connotat aptitudinem ad aliquid, vnde quando in parte aliqua temporis nō est motus, cùm tamen possit in ea esse carentia illius, seu quies, erit priuatio.

III. *Variis modis fit corporis sursum proiecti reflexio.*

Si res sursum proiecta moles ruens occurrat, non datur quies in puncto reflexionis.

Nota secundò, variis modis posse contingere reflexionem: primò, ita vt non fiat motus reflexus eadem linea, sed aliquantulum obliquè, seu per modum arcus, vt eernitur in proiectis, quando non recta sursum, sed nonnihil obliquè iaciuntur: tunc autem videtur certum non requiri vllam interruptionem. Secundo contingere potest motus reflexus ex occasione corporis desuper cadentis, vt si proiecto versus coelum paruo alicui lapidi, corpus ingentis molis ruens occurreret: tunc enim non foret vlla quies temporanea, cùm non possit lapillus aliquis nec ad breuissimum tempus ingentem molem in aëre pensilem detinere, nec illius motum impedire. Hoc autem quod dico in eo casu non fore quietem temporaneam, intelligitur, nisi aliquæ partes vnius vel alterius lapidis sibi inuicem cedant. Tertiò contingit reflexio, dum corpus aliquod molle, vt pila

Dum pila resilit datur quies in puncto reflexionis.

proiecta in parietem resilit: & in hoc casu extremæ partes pilæ manent per aliquod tempus coniunctæ parieti, vt est clarum, nam cedūt partes aliquæ pilæ, sicque pars, quæ antea erat rotunda, pro tempore fit plana, ergo anterior pars pilæ toto eo tempore tangit parietem, quo sequentes adhuc versus parietem accedunt.

IV. *Dum sursum proiecta recidūt per se eādē lineā, non datur quies in puncto reflexionis.*

Præcipua ergo difficultas & quam suprà n.1.posuimus, cùm scilicet proiecta sursum recidunt eādē lineā: tunc ergo quærimus num interrumpatur motus breui aliquo tempore, & detur parua aliqua quies in puncto reflexionis, seu vbi corpus proiectū ad summam altitudinem peruenit. Mihi ergo probabilius videtur, in hoc casu non dari quietem priuatiuam quantumuis paruam in puncto reflexionis, idque siue motus ille esset in vacuo, siue in pleno, sed solùm intercederet vnum instans, seu quies negatiua, sicque motus illi, quantum ad hoc, possent esse continui, continuitate strictè sumpta.

V. *Ratio est quia impulsus manere nequit in æqualitate in virtute operandi cum grauitate lapidis.*

Si grauitas lapidis decresceret sicut impetus, posset dari quies.

Ratio est, licèt enim ad operationem, & motum requiratur excessus cùm actio oriri debeat à proportione maioris inæqualitatis, vt dictum est suprà sect.a.n.13.non tamen requiritur excessus determinatus, nisi ad partem motus determinatam, ad partem autem proportionalem motus non requiritur nisi excessus proportionalis. Cùm ergo in vltimo puncto ascensus peruenerit impulsus ad æqualitatem in virtute operandi cum grauitate lapis, nō possunt manere in æqualitate, nec ad breuissimum tēpus, cū impetus perpetuò successiuè decrescat. Verum est quidem, si grauitas eodem modo sensim decresceret, sicut impulsus, posset impetus diu in æqualitate cum illa persistere, sicut duæ naues in flumine vel mari, quarum vtraque eodem Vento, vel aquarum impetu mouetur, possunt eādem linea diu sibi è diametro correspondere.

VI. *Quando duo plana se tangunt datur quies in puncto reflexionis.*

Quæres, si corpus aliquod planum tangat aliud planum, vtrùm detur quies, dum planum illud ab altero resilit? Resp. si sermo fit de rebus prout modò sunt in hoc vniuerso, nec planum posse simul secūdum omnes partas ad aliud planū accedere, nec ab eo recedere: non primum, quia nequit aër intermedius simul, sed successiuè dimoueri: non secundum, quia similiter nequit aër simul, sed successiuè redire, sicque si partes plani simul recederent, daretur vacuum. Et hoc non intelligitur solùm de perfectè planis, sed de quocumque quod non est perfectè sphæricum, cum necessariò alterum planum tāgat in parte diuisibili.

VII. *In vacuo inter duo, etiam perfectè plana, non daretur quies in puncto reflexionis.*

Dixi, stantibus rebus prout modò sunt, non posse omnes plani alicuius partes simul ad aliud planum accedere, nec ab eo simul recedere. Si enim Deus duo, etiam perfectè plana crearet, & conseruaret in vacuo, possent ad se inuicem simul secundùm omnes partes extimas accedare, & simul secundum easdem recedere: sicque in hoc casu nō esset necessaria quies in puncto reflexionis, dum vnum planum ab alio recedit.

VIII. *Vnde contingat lapidem, in alium magna vi cadentem, in partes comminui.*

Quæres secundò, dum lapis deorsum cadens, & impingens magna vi in alium in terra constitutum, in varias partes comminuitur, vnde proueniat illa lapidis fractio? dicūt aliqui lapidem in quem cadit, aliquid in eo effectiuè producere, per quod frangitur, sicque eodem modo asserunt efficienter hebetari gladiū, securim, & serram ab iis quæ secant. Probabilior tamen ratio assignari potest ex parte ipsius lapidis cadentis; cùm enim impetus intensus, vel grauitas qua propellitur, petat ipsum ferre vlterius, & lapis alius obsistat, quominùs totus simul feratur vlterius deorsum, impetus aut grauitas vi sua contēdit corpus illud quaquauersum potest, ferre; ac proinde partes hinc inde distrahit, vt motum quacumque potest via, continuet.

IX. *Mens Aristot. circa quietem in puncto reflexionis.*

Circa mentem Aristotelis, notandum cum interpretibus communiter licèt Aristoteles videatur asserere, semper intercedere quietem, & hos motus interrumpi aliqua parte temporis, non tamen loqui eum ex propria sententia, vt notant interpretes, sed ex sententia antiquorum. Quod exinde colligunt nonnulli, quia rationes, quas hic affert, non videntur eam habere vim, quā rationes Aristotelis communiter habere solent: præcipua enim ratio cui insistit, est quod motus sursum & deorsum sint contrarij, & specie diuersi, & consequenter continuari non possint. Sed primò hi motus non sunt propriè contrarij, sed ad summum secundùm quid, nec etiā specie diuersi, quando oriuntur ab iisdem principiis. Deinde ea quæ specie solùm incompleta differunt, continuari possunt, vt constat in partibus heterogeneis viuentis, & gradibus intensionis.

Motus sursum, & deorsum nō sunt contrarij, nec specie diuersi.

X. *Motus, qui sine intermissione fiunt, non semper sunt continui, sed aliquādo solùm contigui.*

Tandem, non est necessarium vt omnes motus qui in tempore extrinseco sine interruptione fiunt, sint continui, in sensu rigoroso continuationis: si enim canis è summitate turris alicuius deiectus in via moreretur, motus formarum non bsterent, vel minimo spatio temporis, nec interrumperentur, cùm non sistat materia, nec motus eius interrumpatur, & tamen non sunt continui motus illarum formarum, propriè loquendo, cùm specie completa differant, sicut formæ ipsæ. Quòd verò inter motus illarum formarum non interponatur tempus, videtur clarum; tunc enim vel moueretur forma cadaueris extra materiam, vel materia aliquo temporis spatio esset sine vlla forma: cùm corpus canis nunquā sistat, vt est manifestum.

SECTIO V.

De Antiperistasi.

I. *Quodam naturæ instinctu res omnes in sui conseruationem propendent.*

Rebus omnibus à natura inditum est, vt se in suo esse conseruent. Variis autem id modis præstant: vel fugiendo contrarium, & hoc modo imminentem quasi sibi cladem vitando; vel se magis vniendo

niendo, vt aqua in terram conspersam puluere contecta, quæ se vnit illicò, & in globolos colligit; vel tandem se roborando, & quasi ad certamen accingendo, & armis veluti quibusdam aduersus contrarium muniendo. Dum ergo res quædam contrariis cinctæ hoc modo se roborant, agere dicuntur per antiperistasim. Hæc itaque actio quid sit, & quo pacto contingat res quasdam æstate, inualescente iam calore, frigescere, alias verò summa hyeme, frigore omnia occupante, incalescere, hic discutiendū suscipimus.

Quid sit agere per Antiperistasim.

Disputationis præsentis argumentum.

II. *Aliqui negant Antiperistasim.*

Affirmant nonnulli non dari huiusmodi antiperistasim, nec res in contrarij præsentia roborari, aut aquam putealem hyeme calidiorem, æstate frigidiorē reipsa esse, sed solum respectiuè, seu nobis ita apparere, quippe qui cùm manus hyeme habeamus frigidas, res etiam frigidas hyeme putamus esse calidas, & è contra res calidas æstate existimamus esse frigidas.

III. *Ostenditur dari eādam necessariò esse Antiperistasim.*

Sed hoc est apertè falsum, quātumuis enim hyemē manus habeamus frigidas, discernimus tamen inter aquam frigidam, ac tepidam. Deinde, manus nec semper hyberno tempore habemus frigidas, nec æstiuo semper calidas, & tamen idem fermè sentimus temperamentum in aqua. Tertiò, puteos hyeme fumare cernimus, & exhalationes ex se calidas emittere, quod est euidens signum caloris.

IV. *Dicunt aliqui prouenire hac à specierum intentionalium repercussione.*

Dicunt ergo aliqui, maiorem hanc intensionem prouenire ex specierum quarundam intētionalium repercussione; ab aqua enim inquiunt, species quædam tactiles emittuntur, quæ ab aëre calido circūstante reuerberantur, sicut species à speculo, regressæque ad aquam illius frigiditatem intendunt. Sed contra, primò enim incertum est vtrùm dentur huiusmodi species tactiles, de quo in libris de Anima. Deinde, etiamsi frigus calori aduersetur, species tamen frigoris nec aduersantur calori, nec species caloris frigori. Tertiò, vnicum munus specierum est causare actum, cuius sunt species, ergo &c.

V. *Dicunt alij calorem hyeme aqua prouenire à corpore frigido circūstante.* Contrariorū contrariæ sūt causæ.

Secundò dicunt alij, maiorem illam intensionem frigoris in aquā æstate prouenire à contrario calido circumstante. Et similiter philosophantur de aquā hyeme incalescente. Sed contra, nec enim calor virtutem in se continet producendi frigus, nec frigus producendi calorem, *Contrariorum enim contraria sunt causa*, vt docet Aristoteles hîc l. 2. cap. 10. tex. 56. Deinde contraria destruunt se mutuò, non conseruant, multò minùs intendunt.

VI. *Actio per Antiperistasim fit occasionaliter à contrario circumstante, non formaliter.*

Dicendum itaque: licèt corroboratio illa, seu actio per antiperistasin occasionaliter fiat à contrario, reipsa tamen ab illo physicè non procedere, nec etiam à qualitate ipsa, quasi illa seipsam intenderet; sed vel prouenit à forma substantiali, quando qualitas quæ intenditur, est illi naturalis, vel ab agente aliquo extrinseco illic incluso, si qualitas sit ei contraria. Ita Suarez d. 18. Met. s. 9. num. 18. Rub. l. 1. de Gen. tr. de react. c. 9. q. 8. nu. 121. Conim. l. 1. de Gen. c. 9. q. 1. a. 3. & alij.

VII. *Vnde aquæ puteales hyeme sint tepidæ.*

Ad particulares ergo casus descendendo, ratio cur aquæ puteales hyeme reddantur tepidæ, est, quòd vapores quidam, & exhalationes calidæ, quæ æstate à solis radiis producuntur, hyeme fugientes contrarium, frigus scilicet, quod tunc dominatur, & aërem totum, & exteriores terræ partes occupat, rebus omnibus subterraneis in terræ visceribus latentibus se intermisceant, & insinuent, sicque & terram ipsam, & aquam in ea inclusam calefaciunt. Æstiuo etiā tempore eodem modo aquæ subterraneæ sunt frigidiores, tum quia per calorem solis laxatis iam terræ rimis ac poris, exhalationes calidæ inde erumpunt, tum quia vapores frigidi fugientes similiter cōtrarium, in earum locum succedunt, & aquas magis infrigidant.

Cur æstate sint frigidiores.

VIII. *Cur aqua per breue tempus exposita soli reddatur frigidior.*

Huic non absimilis est alia experientia: aqua enim frigida, si in vase testaceo obturatu orificio tantisper exponatur soli orienti, multò redditur frigidior. Cuius ratio est, quia vapores frigidi nocturno tempore in aëre existentes, ardorem solis vitantes, se per poros vasis insinuant, & aquæ illi admiscentur.

IX. *Tonitru fit per Antiperistasim.*

Dices; quando exhalatio ignita includitur in nube, eius calor multò fit vehementior, ergo in illo casu calor intendit seipsum. Nego consequentiam, sed si exhalatio illa nō habebat octo gradus caloris, eos recipit per antiperistasin à forma ignis. Si verò octo gradus in ea erant completi, non omninò amplius intenditur calor, sed ignis ille in nube frigida inclusus, quaquauersum potest, fugit contrarium, sicque partes eius paulatim magis inter se constipātur & condensantur, & hoc modo fortior redditur ad resistendum, sicque tandem perrumpit nubem, quà parte eam inuenit minus firmam, & hac ratione fit tonitru.

X. *Calor naturalis stomachi maior est hyeme, quàm æstate.*

Quæres, sitne calor naturalis stomachi maior æstate, an hyeme? Resp. esse maiorē hyeme: ita Hippocrates Aphor. 15. & Galen. in comment. eiusdem aphorismi, & medici propè omnes, qui experientia quotidiana compertum esse aiunt stomachum animalis multo melius cibum cōcoquere hyeme, quam æstate.

XI. *Hoc occasionaliter prouenit ab externo frigore.*

Ratio est, quia externo frigore partes corporis hyberno tempore constringuntur, & constipantur, sicque occlusis poris, coërcentur spiritus vitales, & in minus spatium coguntur, sicque ad interiores se partes recipiunt, easque eò magis calefaciunt, quo exteriores eo tempore magis frigent. Quæ etiam est causa cur natantes, vt constat experiētia, ita cibos digerunt, vt statim famem patiantur. At verò æstate laxatis calore exterioribus poris, spiritus vitales per totū se corpus diffundunt, & stomachum ad suo munere fungendum, cibos scilicet digerendos minus aptum relinquunt.

Eam etiam ob causam natantes statim cibos digerunt.

XII.

Dices cum P. Arriaga hîc d. 3. s. 9 n. 168. qui est in opposita sententia; cibi omnes calidiores apponūtur hyeme, ergo signum est, minùs tunc esse caloris in stomacho: quæ enim, inquit, amentia eo tempore nutrimenta calidiora sumere, quo stomachus est magis calidus, & ignem igni adiicere? Sed contrà, fatetur ipse nu. 170. melius concoqui cibos hyeme, quàm æstate, imò plerūque homines se meliùs hyeme cibos digerere experiūtur, quàm vllo anni tempore, & in frigidioribus regionibus multo meliùs digerunt homines cibos, quàm in aliis, & maiori egent nutrimento, vt quotidiana constat experiētia. Quod etiam probat id quod paulò antè attulimus de natantibus.

In frigidioribus regionibus homines etiam digerunt cibos & maiori egēt nutrimento.

XIII. *Obiectio de cibis calidioribus hyeme appositis, ab omnibus solum debet.*

Quare, si recta vnquam sit stomachi constitutio, & iusta ad cibos digerendos temperies, est hyeme. Ad quid ergo cibi tunc calidiores apponuntur, qui iustam stomachi temperiem destruent, & nocumēti plus afferent quàm commodi? Quæ enim amentia, vt P. Arriagæ verbis vtar, id ad stomachum iuuandum sumere, quod ipsi potiùs erit nocumento, & rectam digestionem impediet? Perinde certè hoc videtur, ac si quis homini valetudine commoda vtenti ad eam conseruandam medicamētum præberet, quod rectè iam attemperatos humores disturbaret, hominemque in morbum coniiceret. Moderatis ergo tunc cibis vtendum esset, non calidis.

XIV. *Cur cibis calidioribus homines hyeme vtantur.*

Resp. itaque, non eo fine alimenta calidiora hyeme apponi, vt ad cibos digerendos iuuent, sed vt, cū frigore omnia rigeant, aduentitio hoc calore munitus homo ad frigus illud melius perferendum:

ficut

sicut eadem de causa vestibus tum calidioribus: & ad frigus arcendum aptioribus omnes vtuntur. Non minùs autem contra frigus muniri cibus quàm vestis. Æstate verò ideo frigidioribus plerúque vescimur, quia cùm calor externus vehemens omnia occupet, si alimenta calida sumerentur, vterque hic calor aduentitius coniunctus ita corpus inflammaret, vt morbum homini crearet. Vnde, licèt ad digestionem iuuandam calidiores tunc cibi ex se conducerent, abstinere tamen iis præstat, cùm periculum aliunde sit, ne calidissimo illo tempore graue adferāt nocumentum.

Cur æstate frigidioribus.

Quæres secundo, cur postquam quis niuem attrectauit, licèt ad tempus intensè frigeant manus, postea tamen longè magis incalescāt? Resp. causam esse, quòd dum primò quis niuem attrectat, sanguis calidior, spiritus scilicet vitales, à manibus recedant, & se ad interiora recipiant. Posteà tamen calidiores iam, ac vegetiores redeunt, sicque partes à niue frigefactas magis calefaciunt.

Cur ex attrectata niue manus reddita frigidissima, postea magis incalescant.

SECTIO VI.

De sphæra actiuitatis.

I. *Operari sequitur esse:* vnde quo perfectior est cuiusque rei entitas, eo perfectior est operatio. Et hoc verum est non solùm quoad substantiam operationis, ita vt causa perfectior perfectiùs agat, & producat nobiliorem effectum, sed etiā quoad modum, vt scilicet in maiore eum distantia producat, sicque perfectiùs operetur, non intensiuè tantum, sed extensiuè. In præsenti ergo quærimus, sitné in rebus creatis sphæra aliqua actiuitatis, seu certi à natura præscripti fines in operando, ita vt in maiori distantia effectus producere non possint.

Proponitur status quæstionis.

II. Conclusio: datur in rebus creatis certa sphæra actiuitatis, vltra quam operari non possunt: non tamen omnibus eadem, sed latior, vel contractior pro causarum diuersitate. Sic lucerna, quo maiorem in se lucem continet, eo latiùs eam diffundit, non tamen in infinitum, sed alicubi eius actiuitas terminatur. Sic colores, quo actiuiores sunt, eo remotiores species producunt, & in maiore distātia cernuntur. Inter quos proinde albedo maximā habet sphæram actiuitatis, nigredo minimam.

Datur in rebus creatis sphæra actiuitatis, sed non omnibus eadē.

III. Quæres, vtrùm agens per suam sphæram agat immediatione virtutis, an suppositi? hoc est, vtrùm calor in igne producat calorem in aëre proximo tantùm, & ille calor alium, & sic ad vltimum sphæræ, vel vtrùm etiam calor in igne agat immediatè, & per se calorem producendo per totam sphæram? Resp. per se loquendo agere per totā sphæram immediatè, & immediatione virtutis, & suppositi. Vnde calor in igne solus producit calorem sibi proximum, deinde non solus, sed simul cum illo producit sequentem, & sic per totam sphæram. Dixi *per se loquendo*, subinde enim contingit non posse primum agens ad effectum aliquem concurrere, vt cùm lux à radiis solaribus in cubiculo producta aliam lucem producit obliquè, in parte cubiculi, ad quam radij solares non pertingunt. In hoc ergo casu non lux in sole, sed sola lux à luce solis producta, lucem illam efficit.

Agens, per se loquendo, agit per suā sphæram immediatè, immediatione virtutis, & suppositi.

IV. Quæres secundò, vtrùm agens accidentale possit perfectè assimilare passum sibi proximum? Resp. nō posse. Ratio est, quia licèt ponatur passum esse proximum, adhuc nō tam perfectè applicatur, sicut applicaretur id quod esset intimè penetratum. Vnde, si agens, & passum essent in eodem planè loco, existimo posse qualitatem aliquam, lucem exempli gratia, aut calorem tot gradus in passo illo producere, quot habet in se.

Nequit accidens assimilare sibi passum in spatio proximo.

V. Probatur, experientia enim quotidiana ostendit pro maiore subiecti distantiā effectum decrescere, & res naturales agere vniformiter difformiter: vnde agēs quod in se habet sex gradus lucis, ex. g. in parte passi sibi proxima producit lucem sibi fermè æqualem, paulò remotiùs lucem minùs intensam, & sic deinceps, ita vt in vltima parte sphæræ exigua admodum lux producatur. Huius autē ratio assignari alia nō potest, nisi quòd maior propinquitas conducat, distantia verò obsit intensioni effectus. Sicut ergo, vbi magna est distantia, magna est inæqualitas lucis in agente & passo, vbi parua distantia, parua inæqualitas; ita verisimile est, vbi nulla esset distantia, sed indistantia, inæqualitatem futuram nullam, sicque agens in gradibus intensionis assimilaturum sibi passum intimè secum penetratum. Sicut, quia vbi sunt plures gradus qualitatis contrariæ in passo, videmus agens lentiùs inducere suam qualitatem, vbi pauciores, citiùs, inferunt omnes, si nullus in passo esset gradus qualitatis cōtrariæ, vt si Deus applicatam igni produceret materiam, sine vllo omnino frigore, inferunt inquam, ignem in eo calorem intensissimum producturum in instante.

Ratio, cur agens accidentale non sibi assimilat passum, est distantia.

Cur in his tota qualitas non producatur in instanti.

VI. Conf. si secundus palmus aëris penetraretur cum primo, & esset æquè propinquus agenti, tam intensam in eo lucem produceret luminosum, atque in primo palmo: ergo vnica ratio cur de facto pauciores gradus lucis in eo producat, est distantia.

Duo passa penetrata illuminarentur æqualiter.

VII. Dices, forma substantialis assimilat sibi passum in forma substantiali, vt ignis producit formam ignis in subiecto sibi proximo, ergo idem præstare poterunt formæ accidentales, vt calor vt sex producere calorem vt sex in passo sibi proximo. Resp. negādo consequentiam, tum quia substantia iuuatur ab accidentibus ad producendam formam substantialem, vt ostēdi in Physicis. d. 25. s. 4. & 5. tum quia formæ substantiales non sunt capaces intensionis, sed sunt intensiuè indiuisibiles. Vnde substantia vniuocè operans, vel effectum sibi planè similem producere debet, vel nihil.

Quare forma substantialis assimilet sibi passum, nō accidentales.

VIII. Tertiò, si qualitates, maximè non habentes contrarium, possent in passo vicino producere effectum sibi æqualem, parua candela illuminaret totū mundum; si enim lux vt quatuor in candela produceret lucem vt quatuor in parte aëris sibi proxima, lux hæc in aëre producta aliā similem in aëre sibi proximo produceret, & illa aliam lucem vt quatuor, & sic in infinitum. At in substantia nil tale sequitur, cùm forma substantialis, vt producatur, magno egeat apparatu accidentium ac dispositionum, quæ tam citò non ponuntur.

Sequeretur paruam candelam illuminaturā totum orbē.

IX. Tandem quia, vt benè aduertit P. Arriaga hic d. 3. s. 4. n. 199 Si agens substantiale non posset sibi assimilare passum, sed effectum produceret sibi semper in substantia inæqualem, breui finirentur generationes substantiales, cùm nō sit vnde hic defectus suppleri possit, & substantia ad suam perfectionem reduci. Defectus autem accidentium suppletur per substantiam; licèt enim octo gradus caloris in igne, non possint in ligno sibi proximo producere nisi septem gradus caloris, iis tamen productis introducitur forma ignis, quæ per emanationem octauū statim caloris gradum in suo subiecto efficit: sicq; quod facere nequit accidens, supplet substantia.

Si substantia non sibi assimilaret substantialiter passum, finirentur breui generationes.

X. Disputant hic aliqui, vtrùm agens necessariò distinguatur à passo? vel, an idem agere possit in seipsum? Hac de re satis dictum est in Physicis, & quædam adiicientur postea disp. 10. sect. 4.

An agens necessariò distinguatur à passo.

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De Actione & reactione.

Aperitur sensus disputationis argumentum.

DIximus, qualitatibus actiuis inesse vim actiuam resistendi, per quam scilicet in agens illud, quod in earum subiecto aliquid producit, reagant, & dum ex actione contrarij perdunt aliquid de suo, aliquid illius vicissim destruant. Hic ergo quo istud pacto contingat, inquirimus. Et licèt hoc in dies, imò momenta penè singula contingere, vel ipsis sensibus sit compertum, nihil tamen inter res naturales explicatu est difficilius, siquis rem penitius inspicere velit, & ad Philosophicos calculos exigere.

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo fiat actio & reactio,

I. *Omne agēs agendo repatitur.*

OMne agens agendo repatitur. Sic si ferrum candēs immittatur in aquam frigidam, & hæc calefit, & illud refrigeratur, sicque ferrum producit calorē in aquā, & aqua vicissim in eo frigus, sibique vires inuicem diminuunt. Idem contingit in alimento respectu alij, & alijs plurimis. Licet autem hoc vniuersim affirmetur, & Aristoteles nihil nisi primum motorem excipiat, quem solum ait nihil à patientibus repati, cùm tamē omnia ab eo pati certum sit, vt tamen dictum illud omni ex parte sit verum, aliquæ adhibendæ sunt limitationes.

Excipitur primus Motor, qui nihil à patientibus repatitur.

II. *Conditiones requisitæ vt agens agēdo repatiatur.*

Primò ergo, vtrūque agens debet esse intra sphæram actiuitatis: si enim agens intensum sit in magna distantia à frigido remisso, nihil ab hoc repatietur, est manifestum. Secundo, esse debent eiusdem ordinis: & ob defectum vtriusque huius conditionis, terra & res sublunares nō reagunt in cælum, & solem, nec orbes cœlestes in Intelligentias eorum motrices, quia alterius ordinis. Tertiò agere debent per qualitates corruptiuas, quæque habent contrarium: vnde licèt colores producant species intentionales in potentia visiua, nil tamen ab ea repatiuntur, hæ enim sunt qualitates perfectiuæ ex natura sua, non corruptiuæ, nec habent contrarium.

III. *Agunt res, & reagunt, non solum secundum diuersam contrarietatem, sed eandem.*

Seruatis ergo hisce conditionibus agens naturale in suum contrarium agendo, semper ab eodem repatitur, idque nō solum secundum diuersam contrarietatem (vt si ignis producat calorem in aquā, repatiatur ab ea humiditatem) sed secūdum eādem, ita scilicet, vt agēs quod producit in passo calorem, recipiat eodem tempore ab eo frigus. Ita communis Philosophorum sentētia; auctores proinde pro hac conclusione recensere, superuacaneum est: nam; vt aiunt Conimb. hic, cap. 9. quæst. 3. art. 2. *qui reciprocam agentis & patientis actionem negant, & sensibus, & rationi, & Peripateticæ disciplinæ refragantur*, Quandocunque verò est actio & reactio, est etiam passio & repassio: sicut enim reagere est agere in id quod in ipsum agit, ita repati est pati ab eo quod ab ipso patitur.

Passio, & repassio.

IV. *Probatur à priori dari actionem, & reactionem.*

Probatur ergo conclusio à priori: Quando duo agentia contraria debitè applicantur, quorum vtrūque est capax effectus, seu formæ producendæ ab altero, vtrumque agere potest, & consequenter formam suam producet in alio, sed quando agens calidum & frigidum intra sphæram actiuitatis vtriusque applicantur, hoc contingit, ergo. Maior videtur certa, cùm enim sint agentia naturalia seu necessaria, quandocunque possint agere, agunt, ac quoties agens habet vim actiuam, seu productiuam alicuius qualitatis, & subiectum est illius receptiuum, potest agere, ergo aget. Minor verò probatur, quando ferrum candens immittitur in aquam frigidam, & ferrum est aptum ad producendum in ea aliquem gradum caloris, & aqua est apta ad eum recipiendum: similiter aqua apta est ad producēdum gradum aliquem frigiditatis, & ferrum aptum ad recipiendum, ergo vtrobique est aptitudo ad agēdum & recipiēdum, ergo vtrumque agens operabitur, & effectus hos in se mutuò producet.

V. *Multæ partes agunt, vna tantum resistit formaliter.*

Conf. vt agens agat, sufficit quod superet resistentiam formalem passi, vt diximus d. præcedente s. 2. & 3. tunc enim procedit actio à *proportione maioris inæqualitatis*: sed hoc fit in præsenti, ergo. Minor probatur, quando agens applicatur, non vna tantum illius pars, seu gradus operatur, sed omnes, saltē qui sunt perfectiores effectu producto, nulla autē pars vel gradus *formaliter* resistit præter illum qui opponitur parti vel gradui inducendo, cùm nulla alia pars vel gradus habeat *oppositionem formalem* cū hac parte, vel gradu, ergo vtrumque agens gradum aliquem inducet, & cōtrarium expellet. Deinde, vt suprà vidimus d. præcedente, s. 2. quæuis pars, vel gradus in actiuitate superat resistentiam *formalem* partis, & gradus sibi oppositi, ergo à fortiori omnes partes & gradus alicuius agentis in actiuitate illius resistentiam superabunt.

VI. *Actio, & Reactio probatur variis experimentis.*

Secundò probatur varijs experientijs: manus enim consertæ, quarum altera sit calida, altera frigida, agunt in se inuicem, & producunt in se mutuò calorem, & frigus. Nix manu pertractata liquescit, & simul manū refrigerat. Præterea chalybs vel ferrum frigidum fronti applicatum frigus in eadē producit, & ab ea vicissim calorem recipit. Lignum sectum cultro, illum hebetat, idque actiuè secundum Aristotelem, & alia huiusmodi, quorum pleraque nisi in actionem & reactionem commode refundi non possunt.

VII. *Calculator negotiū hac in re facessit Philosophis.*

Hic autem negotium facessit Philosophis quidā Richardus Suiseth tract. 7. de reactione, qui inde *calculator* est appellatus, quòd nimirum quasi computum graduum qualitatum tueat, & minutim eos in partes diuidat, ac inter se sigillatim committat. Argumenta illius soluentur sect. sequente.

SECTIO III.

Argumenta calculatoris contra reactionem.

I. *Vt aliquid agat, non est necessarium vt superet resistentiam actiuam passi, sed formalem.*

OBijcit primò: vt agens agat debet superare resistentiam alterius, sed implicat duo agētia applicata mutuò se superare, superare enim est excedere, sed non minùs videtur impossibile vt aliqua duo inuicē se excedant in virtute, quàm in lōgitudine, vel latitudine, & in quantitate virtutis, quàm in quantite molis, ergo &c. Resp. distinguendo maiorem, debet superare resistentiam formalem alterius, concedo maiorem; debet superare resistentiam effectiuam, nego: tota autem qualitas non resistit formaliter contrariæ, vt diximus, sed illa solū pars, seu gradus qui parti, & gradui inducto est contrarius. Quæ latè declarata sunt d. præcedente s. 2. & 3.

Licèt

II. *Omnes partes passi resistunt simul effectiuè, nō tamen omnes simul formaliter.*

Licèt ergo simul applicentur duo agentia, quorum alterum sit calidum vt octo, alterum frigidum vt octo, licèt, inquam omnes gradus, & partes agētis agant, & resistant *effectiuè*, vt constat experientia, cùm magnus ignis longè citius effectum suum producat quàm paruus, licèt hic æquè sit intensus in calore, non tamen resistunt, omnes partes *formaliter*, sed illa solùm pars, quæ opponitur parti seu gradui introducendo. Cùm ergo priùs inducatur primus gradus, deinde secundus, & sic deinceps, licèt ignis per resistētiam actiuam destruat octauum, & etiam septimum gradum frigoris in agēte frigido, & hoc tantundem fermè caloris in igne, reliquæ tamē partes habent vim sufficientem ad producendum secūdum, aut tertium gradum frigoris, vel caloris, ergo duo illa agentia possunt in se inuicem agere.

III. *Agens frigidum, etiam remissū aliquid frigoris producet in agente calido valdè intenso.*

Imò licèt agens frigidum v.g. sit remissum, & agens calidum valdè intensum, si tamen hoc sit intra sphærā illius, poterit aliquid in eo frigoris producere, maior enim est actiuitas frigoris vt vnum, quàm resistentia formalis octaui gradus caloris, vt dixi suprà d. præcedente, s. 2. Non tamen tantùm producet frigoris agens hoc remissum in agente calido, quantum agens calidum intensum producet in frigido caloris, quia habet longè minores vires: hinc tamen non sequitur, non omninò operaturum agens remissius, sed solùm operaturum remissiùs.

IV. *Obij. substantia conseruat qualitatem, ergo accidens non potest illam destruere.*

Obiicit calculator secundò: qualitas, calor ex.g. conseruatur efficienter à substantia ignis, sicut & frigus à substantia aquæ, cùm sint illorum passiones, & ab ipsis effectiuè dimanent, ergo qualitati agenti non solùm resistit gradus cōtrarius *formaliter*, sed etiam ipsa substantia ignis, vel aquæ effectiuè, substātia autem est longè perfectior accidente, ergo habebit vtraque substantia maiores vires ad conseruandum suos gradus, quàm accidens cōtrarium ad eos expellendum, ergo non potest dari reactio. Sed contra, hoc argumentum siquid probet, probat nō solùm nō posse dari reactionem, sed nec vllam omninò actionem vnius qualitatis in aliam, cùm fortior sit substantia ad conseruandum, quàm accidens ad oppugnandum.

V. *Respondent aliqui non conseruari accidentia à suis substantijs, sed à Deo.*

Aliqui ergo, licèt res omnes produci primò affirment à suis causis, aiunt tamen conseruari à solo Deo, qui concursum conseruatiuum exhibet secundùm exigentiam rerum, quæ in his circumstantiis conseruantur: cùm ergo petat agens hic & nunc inducere suam formam in subiectum, suspendit, inquiunt, Deus concursum conseruatiuum à qualitate contraria. At non est opus recurrere ad hunc modum philosophandi, nec enim est cur causæ primæ ascribatur vel productio vel conseruatio vllius effectus vbi datur secunda sufficiens, vt latiùs declaraui in Physicis d. 14. s. 8. n. 8.

VI. *Accidens ad quosdā effectus maiores habet vires, quam substantia.*

Esto itaque conseruentur qualitates illæ à substātiis, à quibus dimanant, non tamen propterea sequitur non dari actionem & reactionem, cùm experiētia constet accidens ad hæc habere maiores vires quàm substantiam: experimur enim aquam citiùs calefieri à calore extrinseco, etiam vbi nulla substātia concurrit, vt à lapide, vel ferro calefacto, quàm per virtutem sibi intrinsecam se ad frigiditatem reducat. Deinde, causa vniuoca habet maiores vires ad producendum effectum sibi similem, quàm æquiuoca, licèt hæc sit perfectior entitatiuè, calor enim citiùs producit calorem, quàm lux, licèt hæc sit calore præstantior: ergo licèt substantia sit perfectior accidente, non tamē sequitur esse actiuiorem quoad omnes effectus.

Res nō semper quo perfectior, eo in omnibus actiuior.

VII. *Obij. ex reactione sequi passum mouere simul motibus contrarijs.*

Obiicit tertiò: quando nix applicatur igni, si mutuò in se agāt, sequitur passū simul moueri motibus contrariis, & cōsequenter habere plures gradus simul quā octo. Sequela probatur, quādo nix producit frigus in parte ignis sibi proxima, aliæ partes ignis in eadē producent calorē, nam producunt calorē in niue remotiore, ergo debēt aliquid producere in parte illa intermedia, alioquin agent in distās. Resp. ad hoc vt agens non agat in distans sufficere, quod secundùm aliquam sui partē sit coniunctum passo, vt in Physicis declaratum est d. 36. s. 2. n. 11. satis enim est quòd nihil mediet quod nō sit agēs, vel passum, vt hic contingit. Si tamen magnus sit excessus in altero ex agentibus, destruet paulatim aliud, vt in niue videmus, quæ vt ignis liquefit ac destruitur.

Ostenditur id non sequi.

VIII. Obiicit quartò & difficilius: ponamus ita applicari ignem niui, vt spatium aliquod intersit, intercipiatur scilicet palmus aëris, tunc, inquit, aër ille mouebitur motibus contrariis, simul enim calorem accipiet ab igne, & frigus à niue. Contrà, hoc argumentum non facit contra reactionem, sed probat in hoc casu non posse omninò dari actionem in aërem illum intermedium, siue hæc agentia agant in se inuicem, siue non. Respondetur ergo, vel poni aërem nudum ab omni qualitate, vt statui potest diuinitùs, & tunc vtrumque agens producet in eo suam qualitatem in gradibus compossibilibus, donec impleatur numerus octo graduum; in hoc enim casu simul accipere potest calorem & frigus: plus tamen agēs calidum producet in eo caloris, præsertim in partibus sibi vicinioribus, quàm nix frigoris, vtpote magis actiuum.

Aër inter ignem, & niuem constitutus, quando acciperet simul calorem & frigus.

IX. Si verò ponatur aër æquè calidus ac frigidus, tunc, si cætera sint paria, diminuetur in eo frigus, quia calor est agens fortius. Hoc tamen casu aget nix in ignem, licèt non agat in aërem intermedium, saltem totum, qualitates enim aëris tunc erunt pars vtriusque agentis, quod sufficit vt non dicatur nix agere in distans, vt suprà diximus loco nu. 7. citato. Sicut propterea Sol & cœlum non agunt in distans quando producunt metalla in visceribus terræ. Nūquam ergo in eadem parte subiecti recipiet medium calorem simul & frigus, nec qualitates vllas contrarias. Paulatim tamen ita diminuentur vires imbecillioris agentis, vt tandem nihil omninò agere possit, sed destruatur.

Nix & ignis agere possunt in se inuicem, licèt vtrumque non agat semper in aërem intermedium.

X. Dices; agens frigidum est potens producere aliquid frigoris in aëre intermedio, ergo producet, cū sit agens necessarium, ergo simul mouebitur mediū motibus contrariis: dicere enim, propterea nō posse agens frigidum producere frigus in aëre, quia agens calidum producit in eo calorem, est petere principium, hoc enim est quod intenditur in argumento. Resp. in his circumstantiis agens frigidum nō posse producere frigus in illa parte aëris, cum enim nō sit capax materia aëris nisi octo graduum, vt supponitur, & agens fortius petat agere potiùs quàm remissius, & consequenter aliquid in eo suæ qualitatis producat, nil potest remissius producere suæ, tunc enim medium haberet vltra octo gradus, quorum tamen, vt suppono, non est capax.

In aërem intermediū illa ex aduerso applicatus primò nix & ignis, solus ignis agere.

XI. Quod sic declaratur in simili, quando materia est informata vna forma substantiali, ignis v.g. non potest alius ignis applicatus aliam denuò formam in ea producere, quia iam materia secundùm naturalem suam capacitatem, est completa: &, si duo simul ignes fuissent primò applicati, quorum singuli potuissent sigillatim formam aliquam producere, non tamen tunc produxissent duas, ob incapacitatem subiecti. Et hoc non est petere principium, cùm reddatur ratio cur in eo casu nequeat, vel agens remissiùs producere qualitatem, vel ignes formas.

Explicatur exemplo duorum agentium, quæ eodem passo simul applicantur.

XII. Quæ omnia non incongruè explicantur exemplo motûs nautæ in naui. Sicut ergo si, dum nauis fertur versus Occidentem, nauta conetur versus cōtrariam

Retardatio qualitatum declaratur motu nautæ in naui.

trariam viam, ita tamen vt simpliciter feratur à naui hic non mouetur motibus contrarijs, sed tardiùs fertur versus occidentem à naui, quàm ferretur si ipse non conaretur in contrarium. Sic in præsenti non mouetur medium motibus physicis contrarijs, tardiùs tamen mouetur, quàm moueretur si contrarium non adesset: licèt enim in hic circumstantijs non exigat agens debilius vt ipsum agat, exigit tamen vt alterum latiùs agat, quàm ageret, si hoc non adesset.

DISPVTATIO IX.

De intensione & remissione qualitatum.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum.

I. DVo in quauis qualitate materiali reperiuntur: *extensio* quà diffunditur per varias partes subiecti, quæ ipsi communis est cum quantitate, substantiâ, & alijs rebus: & *intensio*, quà scilicet in eâdem parte subiecti augetur. Imò indiuisibilia ipsa extensionis in qualitate sunt æquè capacia intensionis, ac partes, & in se recipiunt diuersas partes, & gradus intensionis. E contrà verò indiuisibilia intensionis qualitatum habent etiam extensionem, & suas partes, & puncta quibus diffunduntur per totum subiectum, sicut partes seu gradus quos enituit. Dari verò huiusmodi intensionem, & remissionem qualitatis in eadem parte subiecti, est manifestum: quis enim non videt in eâdem parte aëris esse maiorem lucem meridie, quàm vel manè vel vespere. Deinde, aqua applicata igni, paulatim magis ac magis incalescit, & sexcenta huiusmodi. Hic ergo, quo hoc modo contingat, inquirimus.

Indiuisibilia extensionis habent intensionem, & indiuisibilia intensionis extensionem.

II. Dicunt aliqui intensionem qualitatis fieri non per additionem, aut productionem alicuius entitatis nouæ in subiecto, sed merè per expulsionem contrarij. Contrà primò, in luce fit intensio, vbi tamen nullum expellitur contrarium, cùm nullum sit. Contrà secundò, gratia in dies augetur in iustis per bona opera, quæ exercent, & tamen in primâ infusione remotum est totum contrarium, nempe peccatum mortale. Quod idem est in actibus erroris, vel odij, qui toti simul expelluntur per scientiam & amorem: scientia tamen & amor postea intenduntur; ergo argumentum, seu intensio non consistit formaliter in remotione contrarij.

Non consistit formaliter intensio in expulsione qualitatis contrariæ.

III. Secundò, Durandus in 1 dist. 17. q. 7. n. 23. ait intensionem fieri quidem per productionem nouæ qualitatis, non tamen ita, vt noua pars vel gradus superaddatur gradui, aut parti præexistenti, sed vt producatur noua qualitas integra perfectior, prior verò, inquit, quæ erat remissior, ad posterioris productionem semper destruitur. Sed contrà primò, si intensio fiat per productionem nouæ qualitatis integræ perfectioris, ergo remissio fieri etiam debet per amissionem huius, & productionem remissioris, sed hoc fieri non potest, ergo. Minor probatur, quando aqua calida in loco frigido sita de integro se ad pristinam frigiditatem reducit, non id facit producendo calorem remissiorem, aqua enim non habet virtutem producendi calorem, vt constat, ergo non facit hoc producendo minorem calorem, sed solùm producendi nouum gradum frigoris, & per illud destruendo, & expellendo partem, seu gradum aliquem caloris præexistentis.

Opinio Durandi circa intensionem qualitatum.

Non potest fieri remissio per productionem nouæ qualitatis integræ.

IV. Dices, calorem illum remissiorem produci tunc à Deo. Contrà primò, Deus non producit quidquam vt auctor naturæ, nisi ad exigentiam causarum secundarum, cùm ergo hîc nulla sit causa secunda exigens productionem caloris, etiam remissi, Deus eum vt agens naturale producere non potest. Contrà secundò, & sit.

Deus, vt auctor naturæ, non potest tunc producere calorem.

V. Secunda impugnatio huius sententiæ. Quando quis habens intensum habitum vitiosum, elicit actum virtutis illi oppositum, remittitur habitus ille vitiosus, sed hoc fieri nequit per productionem noui habitus vitiosi remissioris, à quo enim habitus ille produceretur? non ab actu virtutis oppositæ, quem iam elicit, cùm actus virtutis non possit producere habitum etiam remissum vitij, præsertim oppositi: nec à Deo, parum enim dignitati & bonitati Dei consonum videtur asserere Deum esse causam vnicam & principalem habitus vitiosi, ergo fieri nequit remissio in hoc casu per productionem qualitatis remissioris, sed per expulsionem & diminutionem præcedentis, destruendo scilicet aliquem illius gradum.

Remissio habitus vitiosi non fit per nouu habitus vitiosi productionem.

VI. Contra eandem sententiam est tertiò: quando voluntas cum facilitate elicit actum aliquem naturalem, existit necessariò habitus eodem instante quo elicitur actus, cùm ab illo habitu recipiat facilitatem, sed eodem instante quo elicitur ille actus, intenditur habitus naturalis illius, ergo eodem instante existunt simul in eodē subiecto gradus remissior & intensior illius habitus, ergo in intensione non destruitur gradus remissior. Quod clariùs constare videtur in habitibus supernaturalibus; qui sunt causa physica actuum supernaturalium, & actus sunt causæ morales meritoriæ intensionis, seu augmenti eorundem habituum.

Habitus manet necessariò quando elicit actum, sicque cum alia parte simul habitus.

VII. Obijcit Durandus, non posse priorem gradum manere, adueniente alio, quia est eiusdem rationis cum illo: non possunt autem duo accidentia eiusdem speciei esse simul in eodem subiecto, alterum quippe foret superfluum. Resp. primò, si gradus sint heterogenei, non esse eos eiusdem omninò rationis, & sic cessat obiectio. Secundò, possunt duo accidentia esse simul in eodem subiecto, quando deseruiunt diuersis muneribus, vt hîc contingeret.

Duo accidentia eiusdem speciei possunt esse simul in eodem subiecto.

SECTIO II.

An intensio fiat per maiorem radicationem in subiecto.

I. TErtia sententia, eaque in Scholis celeberrima, asserit intensionem fieri per maiorem radicationem qualitatis in subiecto, ita vt nouas quasi radices in eo agat: ita Henric. quodl. 5. q. 5. Ægid. 1. de Gen. q. 19. Soncin. 8. Met. q. 21. Caiet. 1. 2. q. 52. a. 1. & 2. & 2. 2. q. 24. a. 4. & 5. Capreol. in 1. d. 17. q. 2. a. 1. Bã. 2. 2. q. 24. a. 5. Medina 1. 2. q. 52. a. 1. & 2. Suarus in Prædic. c. de qualit. & 4. Phys. Tex. 84. Ioan. a S. Thoma de Gen. q. 4. a. 2. quam etiam sententiam tenere videtur Valentia 1. 2. d. 4. q. 4. Punc. 2. Citatur pro eâdem sententia S. Thom. 1. d. 17. q. 2. a. 2. & q. 1. de verit. a. 13. & 1. 2. q. 52. a. 2. & 2. 2. q. 24. a. 5. & alibi: de cuius tamen mente plura postea.

Opinio asserens intensionem fieri per maiorem radicationem in subiecto.

II. *Tribus modis defenditur sententia de maiore radicatione.*

Tripliciter explicari à suis auctoribus solet hæc sententia: aliqui enim aiunt, nihil qualitatis de nouo produci, sed eandem magis radicari per nouam, & perfectiorem existentiam, quam acquirit, missâ existentiâ imperfectiore. Secundò, alij dicunt, qualitatem esse eandem semper, sed acquirere perfectiorem vnionem cum subiecto. Alij tertiò volunt, in intentione qualitatis produci semper nouum gradum, sed non distinctum à priore qualitate.

III. *Implicat nouum gradu produci, & non distingui à præcedente.*

Sed vt incipiamus ab hoc vltimo, videtur in ipsis terminis inuolui contradictio, dum dicitur produci noua pars, & tamen non distincta à præcedente; si enim iam producitur & anteà non producebatur ergo distinguatur ab aliâ priùs productâ necesse est, cùm hoc iuxta Philosophos vnum sit ex signis distinctionis realis. Deinde, *idem manens idem, semper est aptum facere idem*, sed qualitas intensa & remissa non faciunt idem, vt est manifestum, cùm intensa longè sit actiuior, quàm remissa, & effectus diuersissimos operetur, ergo.

IV. *Sensibus constare videtur diuersã esse qualitatem intensam, & remissam.*

Præterea vel ipsis sensibus constat diuersam esse qualitatem intensam & remissam: videmus enim longè aliam esse lucem in aëre meridie quàm vel manè, vel vespere, & in aquâ paulatim produci maiorem calorem, ergo non est eadem omnino qualitas intensa, & remissa. Item gratia verè, & realiter augetur per merita: Deus enim dat homini nouum & reale præmium ob merita, ergo datur tunc illi aliquid reale, quod antea non habebat. Præterea, nullus meretur primam gratiam, cùm *principium meriti non cadat sub meritum*, meretur tamen augmentũ gratiæ, ergo hæc distinguuntur.

V. *Gradus intensionis non sunt modi respectu sui inuicem.*

Nec solùm distinguuntur ab inuicem hi gradus, vt modi à rebus sed vt res à re: cùm separati, saltem diuinitùs, & separati conseruari possint. Quòd verò naturaliter non possit secundus conseruari sine primo, nec tertius sine secundo, & sic deinceps, non arguit eos esse inuicem modos, cùm similiter forma materialis conseruari naturaliter nequeat sine materiâ, aut quantitate, & tamen nullus dicet eam esse modum materiæ, vel quantitatis.

VI. *Non potest intensio consistere in solâ productione nouæ vnionis.*

Nihilo etiam verior est secundus modus hanc opinionem defendendi, nempe, qualitatem intendi esse accipere nouam vnionem, seu modum inhærendi, & informandi perfectiorem priore: primò enim vel prior vnio manet, vel non; si manet, ergo dantur diuersæ partes, & gradus in vnione; quare ergo dari similiter non poterunt in ipsâ qualitate? si verò non maneat prior vnio, sed alia perfectior producatur, & præcedens pereat, faciunt contra hanc sententiam omnia argumenta contra Durandi opinionem suprà posita. Contrà secundò & præcipuè: si propterea intendi dicitur qualitas, mere quod accipiat perfectiorem vnionem, quidni intendi poterit substantia, vel quantitas, cum accipere possint perfectiorem vnionem, amissa imperfectiore? Deinde, si solùm producitur perfectior vnio, non potest simpliciter dici subiectum magis calidum, cùm denominatio calidi præcipuè oriatur à calore.

Sequitur substantiam & quantitatem posse intendi.

VII. *Vnio non auget virtutem actiuam qualitatis.*

Præterea, ipsa virtus operatiua, & ratio agẽdi augetur, cùm qualitas intenditur, sed si sola perfectior vnio producatur, non potest augeri ratio agendi, vnio enim non est actiua, ergo. Ac proinde sicut, licèt vt qualitas possit operari, requiratur actio illius conseruatiua, non tamen ex maiore vel minore perfectione actionis conseruatiuæ qualitas est magis vel minùs operatiua; siue enim conseruetur actione naturali, siue supernaturali, generatiuâ vel creatiuâ, vnâ vel duabus, ab hoc vel illo agente, non augetur propterea vis eius actiua. Idem dicendum de vnione. Quod argumentum etiam vrget contra perfectiorem existentiam, posito quòd existentia distinguatur realiter ab essentia.

VIII. *Sequeretur tantum esse caloris in aquâ tepidâ, quantum in igne.*

Vlteriùs, omnis calor secundùm hanc sententiam est æqualis, & consequenter tantum est caloris in aqua tepida, quantum in igne tantùm gratiæ in puero recèns baptizato, ac in maximo quoque sancto, quod à veritate valde videtur alienum: si enim conseruaretur vtriusque gratia separata ab omni subiecto, sicut & calor, quis dubitat quin gratia B. Virginis maior sit gratiâ pueri recèns baptizati, & calor ignis maior calore aquæ tepidæ.

IX. *Anima rationalis in hac sententia haberet intensionem.*

Tandem, sicut idem calor secundum ipsos ob solam nouam vnionem potest exercere perfectiores operationes, & propterea dicitur calor ille intendi, ita anima rationalis secundum eosdem ob perfectiorem vnionem in capite quam in manu, & in carne quàm in osse (in carne enim vegetat & sentit, in osse solum vegetat) dici poterit intendi, cum tota diuersitas tam in qualitate, quàm in animâ oriatur secundum ipsos à solâ vnione.

X. *Non potest explicari intensio per amissionem prioris & acquisitionẽ perfectioris existentiæ.*

Primus verò modus maiorem hanc radicationẽ explicandi, quòd scilicet qualitas, dum intenditur, amittat priorem existentiam in subiecto, & aliam perfectiorem acquirat, omnium maximè displicet. Primò enim, diuinitùs fieri potest intensio qualitatis extra subiectum: quod etiam argumentum vrget contra priorem modum de vnione. Secundò, contra hunc modum faciunt argumenta quibus sect. præcedente impugnata est sententia Durandi, perinde enim est existentiam qualitatis perire, & nouam illius loco emergere, ac perire qualitatem ipsam, vt volebat Durandus, & aliam ei succedere.

XI. *Sequeretur calorem producere calorem, quem intendit.*

Tertiò, substantia etiam posset intendi, cùm possit recipere perfectiorem existentiam, vel retinendo priorem, vel eam amittendo. Deinde, quando calor intendit calorem, illum denuò produceret, producere siquidem non est aliud quàm dare existentiã. Tandem, quod caput est supponunt hi auctores existentiam distingui ab essentiâ quod tamen non ita se habere ostendam in Metaphysicâ.

XII. *Aristoteles non docuit qualitatem intendi per maiorem radicationẽ.*

Dices; Aristotelem affirmare quarto Phys. Tex. 48. calorem intendi nullo calido, id est, nullo calore de nouo adueniente. Deinde, capite de qualitate asserere videtur concreta qualitatũ suscipere magis & minus, non tamen abstracta. Ad priorem locum respondetur, verba illa, vt in obiectione ponuntur, non reperiri in Aristotele, solum enim ibi dicit Aristoteles ad hoc vt intendatur vna pars subiecti calidi, non esse necessarium vt alia pars calefiat, & hoc sensu est verum, nullum aliud calidum debere addi: quando enim magis calefit, & intenditur eadem pars subiecti, nullum aliud est calidum quod non erat antea, sed idem redditur magis calidum. Secundò, ad eundem locum Aristotelis responderi potest, ipsum intelligere non reddi subiectum magis calidum formaliter per additionem alicuius calidi, id est per intermixtionem vaporis cuiusdam calidi, vt ex antiquis nonnulli affirmabant; & hoc sensu verum est nullum calidum adijci quando calor intenditur, nec enim fit intensio per additionem substantiæ, sed solius accidentis.

Alia explicatio Aristotelis.

XIII. *Quo, cur concreta qualitatum suscipiant magis & minus, non abstracta.*

Ad secundum locum Aristotelis resp. non velle eum non habere accidens eandem latitudinem graduum quando significatur nomine abstracto *albedo* ex. gr. ac quando nomine concreto *album*: sed mens eius est, accidentia secundùm nomen abstractum sumpta non suscipere magis & minus, quia tunc non sumuntur adiectiuè, seu per modũ adiacentis, sed quasi substantiuè, & per modum per se stantis, & hac ratione imitantur substantias, quæ non suscipiunt magis & minus. Sic non dicimus magis aut minus calor, aut albedo, cùm remissus calor sit æquè

calor

calor, atque intensus: subiectum tamen habens remissum calorem non est æquè calidum, ac habens intensum.

XIV. *Vnus iustus iuxta Arist. est magis iustus alio non tamen vna iustitia magis iustitia.*

Quod verò hæc sit mens Aristotelis, videntur ipsius verba insinuare, ait enim *vnum iustum esse magis iustum, quàm alium, non tamen vnam iustitiam esse magis iustitiam quàm aliam*: quod tamen non arguit vnam qualitatem non habere plures gradus quàm aliam. Sicut licèt lignum vnius palmi sit æquè lignum, ac lignum quatuor palmorum, lignum tamen quatuor palmorum est magis extensum; ergo & calor vt quatuor, licèt non sit magis calor quàm calor vt vnum, est tamen magis intensus: sicut etiam non est magis homo is, qui habet partes aliquas integrantes, quas non habet alius, licèt possit esse maior homo.

SECTIO III.

Vera opinio de intensione, & remissione qualitatum.

I. *Intensio fit additione gradus ad gradum.*

Remissio per gradus alicuius expulsionem.

QVaria itaque & vera sententia docet, intensionem qualitatũ fieri per additionem gradus ad gradum, & hoc sensu per maiorem radicationem in subiecto, hosque gradus physicè & realiter inter se distingui veraque & physicâ vnione sibi inuicem in eâdem parte subiecti vniri. Remissionem è contrà asserit hæc opinio fieri per destructionem & expulsionem alicuius gradus, & hoc etiam sensu per minorem radicationem in eodem subiecto: ita Alber. in 1.d.17.ar 10 S.Bonau.in 2.part.dist.ar.1. q. 5. ad secundum. Scotus in 1.d.17.q.3. Okam in 1.d 17.q.6. Greg.ibid.q 4.ar.1. Gab.in 1.d.17.q.6. Tol.l.4.phys. q.12.& l.1.de Gener.ar.3.q.4 Suarez d.46.Met.s 1. n.29.& 34. Vasq.to.1.in 1 .2.d 82.c.3. Rubius l.1.de Gen.c.4.tract 3.q.5.n.145. Murcia l.1.de Gen. d.2. q.4. Hurt.de Gen.d.5.l.4.n.41. Tannet.2.2.d.2.q.2. d.4 125. Arriaga d.3.Gen.s.1. n. 17. Ouiedo Cont. 4.Gen.p.1.n.32. & communis fermè hodie Philosophorum ac Theologorum sententia.

II. *Mens S. Thomæ de modo, quo fit intensio qualitatum est valde dubia.*

Docet Arist. intensionem fieri per additionem gradus ad gradum.

Pro hac etiam sententiâ citari solet S.Thomas tũ aliis locis, tum præcipuè 2.2.q.24.artic.4.ad. 3 vbi ait eos propriam vocem ignorare, qui dicunt habitũ charitatis augeri per radicationem in subiecto, sed asserit eum augeri secundum essentiam, & hoc sensu magis radicari in subiecto. Alibi tamen obscurius loquitur de modo, quo fit qualitatum intensio. Quare Caietanus fatetur mentem S Thomæ hac in parte esse valde dubiam. Videatur P.Hurtado d 5.Gen. s.5.quæ tota est de mente S.Thomæ. Hanc sententiam claiè docet Aristoteles 4. Phys. tex. 84. vbi ait eodem modo quo ex frigido fit calidum, ex calido fieri magis calidum; sed ex frigido fit calidum per productionem veri caloris, qui antea non erat in subiecto, ergo & ex calido fit magis calidum per productionem caloris, qui antea non fuit in subiecto.

III. *Virtus actiua qualitatis verè augetur per intensionem, ergo additur nouus gradus.*

Ratio huius sententiæ desumitur præcipuè ex impugnationibus iam positis aliarum omnium. Vlterius tamen probatur, nam virtus actiua qualitatis verè augetur per intensionem, sed virtus actiua consistit in ipsa entitate qualitatis, vt suprà ostensum est, ergo. Sicut itaque quando augetur quantitas molis, debet addi noua pars molis, ita quãdo augetur quãtitas virtutis, addi similiter debet noua pars virtutis, seu qualitatis. Deinde, definit Concil. Tridenonum homines non mereri primam gratiam, sed augmentum gratiæ: item gratiam per bona opera augeri, ergo ipsa gratia debet augeri, & fieri maior, ergo iustos habet maiorem gratiam, seu plus gratiæ post bona opera quàm ante, ergo gratia habet diuersos gradus. Alia argumenta pro hac sententiâ posita sunt suprà in impugnatione aliarum opinionum.

IV. *Res diuersæ speciei incompleta possunt continuari.*

Dices primò; hi gradus vel sunt eiusdem speciei, vel diuersæ: si eiusdem, non possunt esse simul in eodem subiecto si diuersæ non possunt continuari, & facere intensionem, ergo. Resp. licèt sint diuersæ speciei incompletæ, posse eos continuari, vt affirmat multi de partibus heterogeneis viuentium. Deinde, duo accidentia eiusdem speciei possunt subinde esse in eodem subiecto, quando est peculiaris ratio, vt sæpe dictum est.

V. *Quo sensu asserat Aristoteles essentias rerum esse indiuisibiles, & sicut numeros.*

Dices secundò; essentiæ rerum sunt indiuisibiles, & sicut numeri secundùm Aristotelem 8.Phys. c.3. ergo qualitas non potest esse diuisibilis in diuersos gradus. Contrà, ergo nec habere potest extensionẽ, nec homo animam & corpus, aut diuersas partes integrantes, si res omnes debeant esse omnimode indiuisibiles. Mens ergo Aristotelis est, sicut ablatâ vel appositâ aliquâ vnitate, variatur numerus, ita ablatâ parte aliqua à toto, vel appositâ, variatur totum. Quod etiam nos hic asserimus; additâ enim nouâ parte intensionis, iam est nouum compositum metaphysicè loquendo, quàm si addatur noua pars extensionis. Negatur etiam ita indiuiduari accidentia à subiecto, vt non possint vel duo esse in eodem subiecto, vel vt id quod est in vno, non potuisset fuisse in alio.

VI. *Cur idem calor non det diuersas denominationes sicut eadem anima rationalis.*

Dices tertiò; eadem anima rationalis indiuisibilis dat diuersis partibus materiæ diuersas denominationes, carnis, ossis, &c. ergo & eadem qualitas poterit tribuere, diuersas similiter denominationes. Negatur consequentia, primò enim anima non tribuit diuersas hisce denominationes eidem parti sed diuersis. Deinde, dici potest, varietatem illam denominationum prouenire, non ab animâ præcisè, sed ab vnione heterogeneâ, vel à diuersâ complexione accidentium.

DISPVTATIO X.

Sintne gradus intensionis homogenei, an heterogenei.

SECTIO PRIMA.

Proponantur sententiæ.

I. *Aperitur status præsentis controuersiæ. Quid sint gradus homogenei, & heterogenei.*

DIximus disp. præcedente intensionem qualitatum fieri per additionẽ, seu productionem noui gradus, & vnionem illius cũ præcedentibus. Hic ergo quærimus, sintne hi gradus homogenei, id est, planè inter se similes, & solo numero diuersi sicut duæ partes aquæ, & nullo modo sibi inuicem subordinati; an heterogenei, hoc est, inter se dissimiles, & specie vt aiunt, incompletâ distincti, cum subordinatione ad se inuicẽ, ita vt secũdus naturaliter supponat primum, tertius secundum, & sic deinceps.

II. Prima sententia affirmat omnes gradus in intensione cuiuscis qualitatis esse homogeneos. Ita Okã in

… sunt aliqui gradus omnes intensiones esse homogeneos.

in 3. q. 6. Greg. in 1. d. 17. q. 4. Gab. in 3. d. 13. quæst. vo. art. 1. notab. 1. Vasq. 1. 2. d. 82. Rubius hic l. 1. c. 4. tr. 3. q. 5. n. 154. § *Ad secundum.* Conim. hic l. 1. cap. 4. quæst. 2 art. 3 § *Ad vltimum.* Tol. hic l. 1. c. 3. quæst. 4. Arria. hic d. 3. sect. 3. num. 65. & ex parte Ouiedo hic, Cont. 4. p. 2. numer. 62. & ex recentioribus non pauci.

III. *Declaratur hæc sententia.*
Dicunt ergo hi auctores, esse quidem varios gradus in quauis qualitate intensâ, sine vlla tamen inter se subordinatione, aut dissimilitudine graduali ac proinde non magis hunc esse primum, aut secundum, quàm illum, sed vel dici primum, quòd primò producatur, ac merè dependere à determinatione diuinâ, quem gradum velit primò produci, aut expelli, & consequenter quis censendus sit primus, ex se tamen posse quemcunque esse primum. Rationes huius sententiæ ponentur postea.

IV. *2. Sent. asserit gradus omnes intensionis esse heterogeneos.*
Secunda sententia huic è diametro opposita affirmat gradus omnes in intensione qualitatum esse heterogeneos, seu dissimiles, sibique inuicem naturaliter subordinatos, ita vt qui est primus, non possit esse secundus, nec aliū sibi præsupponere; secundus etiam, inquit hæc sententia, supponit primū, nec potest naturaliter in subiectum induci nisi illo præsupposito; tertius similiter supponit secundum, & sic de aliis omnibus gradibus. ita Suarez d. 46. Met. sect. 1. n. 30. 34. & 35. Murcia hic, l. 1 d. 2. q. 5. §. Dico secundò. Hurt, hic d. 5. n. 98. Quod etiam docet Caieta. 2. 2. q. 24. ar. 7 & plurimi ex recentioribus.

V. *Differunt hi auctores in modo hanc sententiam defendendi.*
Differunt tamen hi auctores, quòd alij cum Suario affirment hanc inæqualitatem, ac dissimilitudinem graduum esse solùm numericam, & vnum gradum alio indiuidualiter tantùm esse perfectiorem, sicut sunt mas & fœmina secundū probabilem sententiam in eadem specie animalis. P. Hurt. è contrà cum aliis vult inter gradus istos esse differentiā specificam, non quidem in specie completā, vt est inter aquam & ignem, sed solùm incompletā. At quæstio potiùs est de modo loquendi quam de re.

VI. *3. Sent. heterogeneitatem graduū in quibusdā qualitatibus statuit, non in aliis.*
Tertia aliorum sententia est, quæ heterogeneitatem in aliquibus accidentibus ponit, non in aliis: dicunt enim hi auctores posse scientiam de aliquâ re, sicut & visionem beatificā, intendi, per hoc quòd addatur noua pars scientiæ, vel visionis repræsentans idem obiectum cum nouo connotato, ad quod dicit ordinem, vt dum cognoscitur omnipotentia diuina in ordine ad plures & plures creaturas per nouas partes visionis. Hæc tamen heterogeneitas non videtur ita propria, sed extensio potius quædā cognitionis, quàm intensio; nec enim videtur cognitio illa esse intensior, quæ repræsentat plura obiecta siue illa primaria sint, siue secundaria, & in obliquo solum cognita, sed vt visio, vel cognitio sit propriè intensior, debet esse eiusdem omnino obiecti. Quid hac in re sentiam, dicam sect. sequente.

SECTIO II.

Resoluitur quæstio circa intensionem ex gradibus homogeneis vel heterogeneis.

I. *Non implicat intensio ex gradibus homogeneis.*
PRima conclusio: non implicat intensio qualitatum quarundam ex gradibus seu partibus homogeneis in eâdem parte subiecti inter se vnitis. Hæc conclusio probabitur soluendo argumenta quæ contra eam proponi solent.

II.
Obiicitur primò: si duo gradus similes in eâdem parte subiecti possint facere intensionem, ergo & duæ partes quantitatis in eadem parte materiæ facere similiter poterunt intensionem. Resp. negando consequentiam, non præcisè quod sint similes; si enim essent heterogeneæ, vt si pars quantitatis cœlestis (quæ secundùm multos specie distinguitur à sublunari) poneretur simul cum eâ in eâdem parte subiecti, non tamen facerent hæ duæ partes intensionem. Ideo ergo duæ partes quantitatis non faciūt intensionem, tum quia non dicunt proportionem naturalem, vt sibi inuicem vniantur in eadem parte subiecti; tum etiam quia non sunt aptæ ad denominandum subiectum magis aut minùs quantum, sicut à calore denominatur magis aut minùs calidum: vna enim pars quantitatis tam denominat subiectū suum quantum quàm mille, non homogeneæ tantùm, sed heterogeneæ. *Quare duæ partes quantitatis in eadem parte subiecti non faciant intensionem.*

III. *De quibusdam accidentibus duo omnino similia possunt esse simul in eodem subiecto.*
Obiicitur secundò: duo accidentia eiusdem omnino rationis inesse nequeunt eidem subiecto; alterum enim esset superfluum, ergo nequit fieri intensio per gradus homogeneos. Resp. in quibusdam accidentibus, iis nimirum quæ non suscipiunt magis & minùs, antecedens esse verum; sic enim ob eādem rationem non potest res naturaliter habere in eodē loco duas vbicationes, duas quantitates &c. quia vna ex his tantum tribuit subiecto, vt proximè dictū est, ac duæ vel centum. At in iis accidentibus, quæ suscipiunt magis & minus, est sufficiens finis cur plura in eâdem parte subiecti inter se vniantur. Qua de re dixi etiam quædam disp. præcedente, sect. 2. num. septimo.

IV. *Intensio ex gradibus homogeneis est formaliter perfectior extensione.*
Obiicitur tertiò: Intensio sonat perfectionem supra extensionem, sed si gradus sint homogenei, subiectum habens sex gradus caloris, aut lucis in diuersis partibus, esset æquè perfectum, ac si haberet sex illos gradus in eadem parte, ergo non potest fieri intensio per gradus homogeneos. Resp. materialiter quidem, & spectata præcisè entitate graduum ita esse, cùm iidem numero sex gradus; qui iam sunt gradus extensionis, potuissent esse gradus intensionis. & è contrà: formaliter tamen, & ex parte modi habendi, intensio, etiam ex iisdem gradibus, superat extensionem, tum quia vna pars subiecti iam tantū habet perfectionis sola, quantum antè sex partes eiusdem magnitudinis habebāt; tum quia perfectiore inter se vnione hi gradus connectuntur; tum denique quia sicut plura agentia quo magis ad se inuicem accedunt, eo perfectius sunt operatiua, *virtus enim vnita fortior*, ita si in eâdem omnino parte subiecti coniungantur, magis adhuc & perfectius operabuntur, atque constituent perfectius complexum.

V. *Cur Deus & creatura non sunt quid perfectius intensiuè Deo solo.*
Obiicitur quartò: ideo Deus & creatura non censentur facere complexum, intensiuè perfectius quā sit Deus solus, sed solum extensiuè, quia scilicet creatura non est quid Deo perfectius. Cōtrà, si hæc sit sola ratio, ergo nec primus gradus heterogeneus faciet intensionem cū secundo, cum ille non sit quid perfectius gradu secundo. Si verò iuxta aduersarios gradus imperfectior potest facere intensionem cum perfectiore, à fortiori facere intensionem poterit cū æquali. Resp. itaque disparitatem esse quòd Deus eminenter contineat perfectiones omnium creaturarum, neque plus potest Deus & creatura, nec plus est æstimabile complexum illud, quàm Deus solus: at verò certum est duos gradus albedinis, aut viriditatis plus posse quàm vnum, & duos gradus gratiæ, etiam homogeneos, magis esse æstimabiles, vno quantumuis sint omnino similes.

VI. *Qualitates non operatiuæ intenduntur per gradus homogeneos.*
Secunda conclusio: Dici probabiliter potest intensionem qualitatum non operatiuarū, vt gratiæ, & similium, fieri per additionem graduum homogeneorum. Ratio est, quia sicut non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, ita nec sine necessitate multiplicandæ sunt rerum perfectiones, nec tamen di-

diuersitas statuenda: sed nulla hic est necessitas, vt partim constat ex proximè dictis, partim ex sect. sequente constabit, vbi peculiarem afferemus rationē, cur in quibusdam qualitatibus operatiuis necessaria sit graduum heterogeneitas, quæ in qualitatibus non operatiuis non vrget.

VII. *Qualitates operantes æquiuocè æquiuocè habent gradus homogeneos.*

Tertia conclusio: Dici etiam probabiliter potest, intensionem qualitatum operatiuarum æquiuocè, vt grauitatis & similium, quæ producunt effectus sibi dissimiles, fieri per additionem graduum similiū. Ratio est eadem quæ posita est in conclusione precedente, nullum enim huius rei est vrgens fundamentum.

VIII. *Qualitatū operantium vniuocè gradus sunt heterogenei.*

Quarta conclusio: Gradus intensionis in qualitatibus operantibus vniuocè, vt in luce, calore, frigore, & similibus, necessariò statuendi sunt heterogenei, seu sibi in perfectione dissimiles.

IX. *Dispositio ad formas specie distinctas, non arguit gradus heterogeneos.*

Hæc conclusionis huius ratio à nonnullis affertur: qualitas, inquiunt, secundùm diuersam intensionem disponit ad formas specie distinctas, ergo debent gradus esse inter se diuersæ speciei, saltem incompletæ. Sed contrà primò, quare enim requiretur propterea diuersitas specifica inter gradus? dici namque posset vnam formam substantialem petere plures gradus eiusdem rationis, quàm aliam. Conf. maior vel minor quantitas est dispositio ad formas specie distinctas, vt constat in minimo naturali, & tamen maior quantitas non distinguitur specie à minori, ergo &c.

X. *Quantitas eiusdem speciei disponit ad res specie distinctas.*

Dices; diuiso minimo naturali non manere accidentia, & dispositiones ad illam formam, ad horum autem ablationem sequitur destructio formæ, non ad diminutionem quantitatis. Contrà primò, non ad harum destructionem solum, sed etiam ad diuisionem quantitatis sequitur formæ destructio, cùm certum sit aliquas formas, præsertim viuentium, requirere tantam quantitatem, nec posse sub minore consistere. Contrà secundò, ergo saltem diuersa quantitas est dispositio ad accidentia, & qualitates specie distinctas: ergo possunt aliqua specie inter se non distincta disponere ad ea, quæ specie distinguuntur.

XI. *Formæ mixtorum quandam in se habent temperamentum qualitatum.*

Dices secundò, formæ specie distinctæ requirunt dispositiones specie distinctas, ergo aer & ignis debēt habere qualitates specie distinctas, Resp. ignem & aerem, licèt conueniant in vnâ qualitate, nempe calore, qua de causâ vocantur elementa symbola, differunt tamen in aliâ ignis enim habet siccitatem, & aer humiditatem. Si verò sermo sit de mixtis, in quibus reperiuntur omnes quatuor primæ qualitates inter se attemperatæ, vel dicendum cum multis, esse in iis alias peculiares dispositiones vnicuiq; speciei proprias; vel diuersum temperamētum quatuor primarum qualitatum posse esse sufficiens determinatiuum ad diuersitatem specificam formarum substantialium: sicut, vt proximè diximus, diuersitas quantitatis sufficienter determinat ad formas, vel dispositiones specie distinctas.

SECTIO III.

Præcipua ratio cur qualitates operantes vniuocè constare debeant gradibus heterogeneis.

I. *Duo agentia vt tria intenderent se inuicem vsque ad summum.*

SEcundò ergo, & præcipuè probatur conclusio: Ex sententia statuente gradus harum qualitatū homogeneos sequeretur posse agēs aliquod remissum, calidum v.g. vt quatuor, intendere passum sibi applicatum vsque ad octauum gradum, imò duo agentia remissa posse se inuicem intendere, quod tamen est apertè contra experientiam, & ab omnibus negatur. Sequela probatur, secundus gradus est eiusdem planè rationis cum primo, in hac sententia, ergo potest agens vt quatuor illum producere, cùm possit adhuc producere vnum gradum: probo consequentiam, quandocunque est virtus sufficiens in agente, & aptitudo seu capacitas in passo ad effectū potest effectus ille produci; sed hic est virtus sufficiens agente, & capacitas in subiecto, seu passo, vt constat, cùm passum recipere possit octo gradus, ergo calor vt quatuor poterit intendere passum vltra gradus, quos in se habet, & duo agentia remissa se inuicem intendere vsque ad summum.

II. *Agens calidum vt duo poterit alio gradum caloris in passo producere.*

Dices; posse quidem calidum vt tria, vel quatuor producere vnum gradum per se loquendo, non tamen in his circumstantiis, iam enim eorum vires sunt exhaustæ. Contrà, quando calidum vt duo produxit vnum gradum in vno subiecto, si applicetur aliud subiectum, producet similiter vnum gradum in eo, & si duo simul subiecta applicarentur, vel intimè inter se penetrata, vel ipsi proxima, produceret simul calorem vt vnum in vtroque, ergo non sunt exhaustæ ipsius vires: ergo in eodem subiecto posset adhuc producere vnum gradum. Patet consequentia, non minùs est hoc subiectum ei applicatum, quàm aliud, nec est minùs capax effectus producendi, cùm possit naturaliter stare gradus ille cum gradu iam producto, ergo nihil obstat quo minus adhuc calidum vt duo vnum gradum producat in illo subiecto.

III. *Si gradus sint homogenei sequitur simile posse agere in simile.*

Dices secundò; & est communis solutio, ideo non posse calidum vt duo ex. gr. intendere aliud calidū vt duo, quia *simile non agit in simile*, iam enim habet qualitatem, quam agens aliud potest in eo producere. Contrà, in hac sententia sequitur, posse simile agere in simile, & commune illud axioma non subsistere; cùm enim subiectum non habeat omnē qualitatem, quam potest agens producere, sitque illius capax, & nihil aliud obstet, vt iam probatum est, quidni poterit simile agere in simile? In nostra autē sententia clara redditur huius axiomatis ratio: cùm, enim gradus proximus secundo sit ipso perfectior, superat perfectionem agentis perfecti solum vt duo, sicque non potest eum producere.

IV. *In hac sententia agens debet sibi dissimilare passum.*

Dicunt; omne agens naturale intendere assimilare sibi passum, vt hac ratione conseruet, & propaget suam speciem: cùm ergo iam calidum vt duo sit simile alteri calido vt duo, si vlteriùs in ipsum ageret, redderet illud sibi dissimile. Contrà, in hac sententiâ sequeretur debere reddere illud sibi hoc modo dissimile cùm nulla reddi ratio possit cur nō ageret, vt iam ostēsum est. Deinde, sicut agens, ignis v.g. vnius palmi producit calorem in passo duorum palmorum, sicque dissimilat sibi passum in extensione posset etiam illud dissimilare in intensione, nisi aliqua ratio assignetur.

V. *Agentia interdum dissimilant sibi passum.*

Calor vt duo concurrit cum calore vt sex ad producendum calorem vt quinque.

Præterea, si ponantur duo agentia lucida vel calida inæqualiter, alterum vt duo, alterum vt sex, vtrumque simul concurret ad producendum calorē, vel lucem vt quatuor, aut quinque in passo sibi approximato, ergo agens vt duo dissimilabit sibi passum, cùm concurrat ad quatuor vel quinque gradus producendos in illo passo, & tamen agens in se duos tantùm habet gradus, vt supponimus. Quod autem calidum vel lucidum vt duo concurreret ad omnes illos gradus, & fatentur aduersarij, & probatur; licèt enim calidum vt duo per se non possit producere calorem vt quatuor, potest tamen coniūctum calido vt sex, sicut puer cum viro robusto eleuare potest pondus, quod per se non potest; si autem possit calidum vt duo cum calido vt sex producere calorem vt quatuor, producet, cùm sit agens necessarium.

VI. *Claret cur duo calida vt quatuor, non possint se inuicem intendere ad summum.*

At verò in nostrâ sententiâ statuente gradus heterogeneos, claram reddimus huius experientiæ rationem à priori, cùm enim septimus vel octauus gradus sint entitatiuè perfectiores sexto, nunquam possunt plura agentia calida tantùm vt sex quantùcunque multiplicentur, producere gradum septimũ vel octauum, cùm agens vniuocum æquare debeat perfectionem effectus, & æquiuocum superare: duo autem, vel etiam centum sexti gradus nunquã possunt assurgere ad perfectionem septimi, sicut nec centum lupi ad perfectionem leonis, aut centum columbæ ad perfectionem aquilæ. Vnde, vel hoc nomine præferenda est hæc sententia, quòd scientificè, & à priori procedat, & intellectui satisfaciat, quod in contrariâ sententia desideratur.

VII. *Sententia reddens rationem alicuius rei à priori, est altera præferenda.*

Dices; non exigitur à Philosopho vt cuiusque rei rationem reddat à priori, quæ enim ratio à priori cur albedo non producat albedinem, sicut calor producit calorem? Fateor non semper posse omnis experientiæ reddi rationem à priori. Dico tamen sententiam, quæ hoc faceret, rerumque naturas hac in parte penetraret, longè præferendam alteri, quæ effectum quidem videre se dicit, causam tamen penitus se ignorare fatetur, & hæret quasi in cortice.

VIII. *Obij. nobis etiam recurrendum esse ad experientiam.*

Vrgebis cum P. Arriaga hic n. 54. etiam nobis recurrendum esse ad naturas rerum: sicut enim ipsi dicunt ideo non posse calidum vt sex producere calorem vt septem in passo sibi applicato, quia est natura accidentis, vt non producat plures gradus in passo externo, quàm habeat in se; eandem rationem reddere debemus nos cur non producat tot gradus in subiecto sibi proximo, quot habet in se.

IX. *Resp. nos causam assignare, distantiam scilicet aliquam passi ab agente.*

Resp. nos non ideo præcisè dicere agens aliquod non tot gradus in subiecto externo producere, quot habet in se, quia hæc est natura agentis, hoc enim esset petere principium, & in idem recidere, quod reprehendimus in contrariæ sententiæ Doctoribus: sed ideo dicimus agens aliquod, ignem ex. g. non tantum caloris producere in passo externo, quantum in se, quia passum non est adeò bene applicatum, sed aliquantulum distat: Vnde si esset subiectum illud intimè penetratum cum igne, tantum in eo caloris produceret ignis, quantum in se, vt ostendi d. 7. s. 5. n. 4. & 5.

X. *Quod potest gradum aliquem in passo remotiori producere poterit in propinquo.*

Instabis; ergo hanc etiam rationem poterit sententia astruens gradus homogeneos reddere, cur agens calidum vt tria non possit plures gradus in passo sibi proximo producere, quia scilicet passum aliquantulum distat. Nego consequentiam, potest enim adhuc in passo remotiore, & minùs bene applicato huiusmodi gradus producere, ergo à fortiori producere illos poterit in passo sibi proximo, & meliùs applicato.

XI. Tandem respondebis cum P. Arriaga hic n. 54. esse primum principium per se notum, non posse amplius passum ab agente naturali intendi, quàm vt ipsi reddatur simile in specie qualitatis, & numero graduum. Contrà, si hoc sit primum principium, est etiam primum principium esse gradum illum producendum eiusmodi, vt in his circumstantijs superet virtutem causæ, cuius tamen contrarium hic est manifestum, cùm illum ipsum gradum producat in passo remotiore, & minùs bene applicato, imò subinde in subiecto longè magis indisposito, vt si calidum vt sex, vbi in aëre sibi proximo produxit quatuor, vel quinque gradus caloris, adhuc vnum vel alterum producat in niue, ad palmum distante. Sicut quia est lumine naturæ notum *omne totum esse maius suâ parte*, vt hominem capite, est eâdem operâ notũ lumine naturæ esse aliquid in homine præter caput. Siquis verò dicat, hoc non esse à Philosopho spectandum, sed crudè standum axiomati, mirum sanè is censeretur habere lumen naturæ.

Quid requiratur vt agens non possit dissimilare sibi passum.

XII. Recentiores ergo aliqui Philosophi graduum homogeneorum acerrimi defensores dicunt simile posse agere in simile, idque varijs experientijs compertum sibi esse affirmant: axioma proinde illud, nequid vltrà facessat negotij, reijciunt. Rem hanc discutiemus sectionibus sequentibus.

SECTIO IV.

Vtrùm simile agere possit in simile.

I. *Similitudo duplex, gradualis, & specifica.*

Similitudo duplex est, specifica, & gradualis: prima communis est tam substantiæ, quàm accidentibus; ignis enim specificè non minùs est similis igni, aqua aquæ, leo leoni &c. quàm calor calori, aut lux luci. Similitudo gradualis propria est solorum accidentium, dicitque conuenientiam in gradibus intensionis. Calor ergo vt sex, & calor vt duo conueniunt in similitudine specifica, non in graduali: calor vt sex, & frigus vt sex, in similitudine graduali, non specifica: demum duo calores vt sex conueniunt in vtraque: sicut & duæ albedines, impulsus, siccitates, ac luces vt quinque, & sic de alijs.

Similitudo gradualis est propria accidentium.

II. *Quærimus an simile gradualiter possit agere in sibi omnino simile.*

Quæstio ergo præsens procedit de similitudine graduali: certum est enim similitudinem specificã non obstare in accidentibus, quo minùs simile agat in aliud sibi hoc modo simile, calidum enim vt sex agit in calidum vt tria, & nouum in eo caloris gradum producit. Dixi *in accidentibus*, in substantijs enim substantialiter operantibus, simile non agit in aliud simile similitudine specificæ, vt ignis in materiã vnâ forma ignis informatam, non inducit aliam, quia materia non est capax simul duarum formarum substantialium. Quærimus ergo vtrum calidum aut lucidum vt sex in passo sex gradus caloris, aut lucis habente, possit adhuc vnum gradũ caloris, aut lucis producere, & reddere illud calidum aut lucidum vt septem.

III. *1. Sent. ait calidum vt quatuor in materia densa posse agere in calidum vt quatuor in materia rara.*

Prima sententia affirmat calidum in materiâ densiore posse agere in aliud calidum in materiâ rariore licèt quoad gradualem similitudinem vtrumque sit æquale, habeat ex. g. calorem vt sex: & hoc sensu dicunt simile agere posse in simile. Ita Marsil. hic q. 18. Niphus c. 2. q. 2. Sotus l. 2. Phys. q. 4 & alij. Ratio eorum est, constat enim, inquiunt, experientiâ ferrũ candens ita stupæ calorem intendere, vt concipiat ignem, cùm tamen ferrum ipsum non tam intensũ in se calorem habeat, sic enim haberet formam ignis ergo ferrum illud primò materiam stupæ reddit sibi in intensione æqualem, postea superiorem, sicque agit in simile.

IV. *Cur stupa conuertatur in ignem, non verò ferrum.*

Sed contrà hæc experientia nihil probat; primò enim dici potest, summum illum calorem in stupa, non à partibus ferri produci vltra gradus intensionis quos ipse in se continent, sed à particulis ignis in poris ferri latentibus, vt in Phys. dixi d. 11. sect. 3. n. 10. Secundò dico, totum illum calorem stupæ produci posse à partibus ferri, quæ propter maiorem densitatem & constipationem calorem illum vehementem statim in stupa producunt, non tamen planè tantum quantum habent in se. Ideò autem conuertitur stupa in ignem, non verò ferrum, quia licèt hoc plus in se caloris habeat quã in stupa, minorem tamẽ habet raritatem, & alias dispositiones, quæ plurimum ad ignem citò concipiendum conducunt.

V. *2. Sent. docens simile agere in simile.*

Secunda sententia est aliorum qui inde probant simile agere in simile, quòd experientia, inquiunt, constet eandem numero qualitatem in passo aliquo calorem ex. g. vt quatuor, se intendere, imò nonnunquam calor remissus ita se auget, vt per antiperista-

fim excitetur ignis, quod in fœno, impeditâ eius euaporatione, sæpe contingit; & idem euenire subinde asserunt in fimo columbæ.

VI. *Quando formam ignis inducat, refundendum est in causam aliquam vniuersalem.*

P. Arriaga hic d.3.f.7.n.125. ait intensum illum calorem, seu dispositionem ad ignem produci à formis substantialibus horum compositorum. Sed contrà sic enim hæ formæ directè concurrerent ad destructionem sui. Probabilius ergo videtur refundendum potiùs hoc esse in cœlum, aut aliquam ex causis vniuersalibus, quæ sicut animalcula aliqua generant ex putri, disponendo prius materiam, in quâ inchoatum quoddam ad hoc temperamentum reperiunt; ita cùm in his compositis inclusæ sint calidæ quædam exhalationes, peculiarem habentes aptitudinem, vt ad ignis introductionem disponantur, primò temperamentum ad ignem requisitum, & mox ipsam formam ignis in eorum materiam inducunt.

VII. *De Reflexione dictum est in Physicis.*

Disputant hîc aliqui de Reflexione: de hac tamē dictum est in Physicis d. 36.f.3.n.9. & 10. nec opus est hîc quidquam adijcere.

SECTIO V.

Alius modus defendendi simile posse agere in simile.

I. *Tertia sententia ait quodam simile posse agere in simile.*

ALia hac in re sententia est quorundā recentiorum, qui intensionem qualitatum statuentes in gradibus homogeneis, affirmant non simile tantùm in materiâ densâ agere in sibi omninò simile quoad gradus intensionis in materiâ rarâ, sed passim contingere vt duo agentia æqualis omninò intensionis, ac densitatis, vel raritatis, se inuicem in calore, luce, & alijs huiusmodi qualitatibus intendant.

II. *Nititur hæc sententia quibusdam experimentis.*

Hæc sententia quamuis à suis fautoribus accuratè tradatur, & explicetur, mihi nunquam visa est vera. Nititur autem præcipuè quibusdam experientiis quæ cùm, vt plurimum, ex vitris, & alijs huiusmodi lubricis rebus desumantur, vereor vt sint firmæ, ac solidæ. Certè non mihi tanti videntur, vt tot iam annis receptissima in scholis doctrina, quâ *simile dicitur non posse agere in simile* labefactetur.

III. *Ex hac sententia, sequitur duas partes eiusdem agentis in se mutuo acturas.*

Impugnatur hæc sentētia primò: si enim vna candela æqualis planè intensionis possit aliam intendere, ergo & vna pars seu medietas eiusdem candelæ alterius lucem redderet intensiorem, sicut vna pars magis intensa in aliam eiusdem agentis minùs intensam sæpe agit, quo pacto manus amissum frequenter ex parte calorem à vicinis denuo partibus recipiunt: & si aqua frigida calidæ admisceatur, partes illæ, quamuis iam vnitæ in se agunt, & reagunt, ergo idem facient duæ partes æqualis intensionis.

IV. *Sequeretur etiam duo vel tria luminosa vt quatuor, summam in se mutuò lucem producere.*

Impugnatur secundò, sequitur enim duo vel tria luminosa vt quatuor, duas candelas ex. g. decuplò imò centuplo plus lucis in se inuicem producere, quàm in se habebant, quando primum applicabantur. Sequela probatur, agens omne secundùm Philosophos effectum fermè æquè intensum in passo sibi vicino & capace producere potest, ac habet in se, sed hîc est subiectum vicinum, & capax, ergo. Minor probatur, primò enim supponimus vnā candelam esse alteri vicinam: quòd autem sit capax maioris lucis probatur, primò enim dicunt hi auctores de facto vnam candelam alteri applicatam eius lucem intendere; si autem semel concedatur posse quidquam agere in aliud simile, & sibi tantillum dissimilare passum, ac limites ab hoc axiomate, *simile non agit in simile*, præscriptus, transgredi, nulla est ratio cur plures ab agente illo gradus recipere nequeat. Deinde, maximam videmus diuersitatem in claritate inter lucernas, quæ proinde magnam lucis latitudinem patiuntur, sicque potest earum lux notabiliter intendi.

V. *Ostenditur tres lucernas actione reciprocâ lucem suam mutuò mirum in modum auctura.*

Quòd verò lucem suam ad inuicem mirum in modum intenderent hæ lucernæ, sic ostendo: vbi primùm tres candelæ A. B. C. habentes singulæ lucem vt quatuor, sibi applicantur, A tres gradus lucis produceret in B. & in eadem totidem eodem instante producet C. nec enim est cur non tot gradus lucis in candela illa producant, si subiectum sit capax, vt iam ostendimus esse, ac in alio quouis passo sibi applicato. Deinde lucerna B illo etiam instāte in alijs duabus lucernis per quatuor suos primos gradus lucis producet similiter tres gradus & per alios sex gradus quos ab iis tunc recepit, producet etiam eodem instante reali, in posteriore tamen naturæ, in singulis alios quinque, cùm hi gradus non sint minùs actiui prioribus, & hoc modo actione reciprocâ, dando scilicet lucem, & accipiendo mirum in modum intensionem suam augebunt, vt consideranti patebit. Hoc inquam sequitur ex hac sententiâ, cùm tamen sit apertè contra omnem experientiam.

VI. *Dicunt non posse vlteriùs lucernas illas lucem producere, quia iam productam conseruant. Responditur.*

Dices; non sequitur huiusmodi lucis augmentum. Agentia enim illa vires suas impendunt in graduum iam productorum conseruatione; vnde vltra tres primos gradus, quos in sese inuicem produxerunt, non possunt quidquam postea in lucernis illis producere. Contrà, non dico gradus illos sequentes produci à quatuor primis, hi enim priores illos tantùm sex gradus producunt, quos postea, quamdiu præsentes sunt, conseruant. Dico itaque gradus sequentes à sex illis de nouo productis effici, hi enim in nullius gradus conseruatione vires suas adhuc impenderunt.

VII. *Dicunt aliqui luminosa non producere extra se millesimā partem suæ lucis.*

Vt huius argumenti vim declinent, dicunt aliqui luminosum, etiam vt octo non producere lucem vt sex, vel septem, in passo vicino, vt nos opinamur (idem proportione seruatâ asserunt de alijs luminosis minoris intensionis) imò aiunt luminosum vt octo rarò extra se producere millesimam partem suæ intensionis.

VIII. *Est contra experientiā; candelam non producere extra se millesimā partem suæ lucis.*

Contrà primò: hoc enim est contra communem Philosophorum sententiam, qui vno ore affirmant luminosum aliquod, non millesimam solum lucis suæ partem in passu sibi proximo producere, sed lucem sibi fermè in intensione parem. Contrà secundò: experientia ipsa reclamat, quæ, vel oculis testibus, multo clarius probat luminosum vt octo, plus quàm millesimam, vel etiam centesimam lucis suæ partem in subiecto sibi proximo producere, quàm probet simile agere in simile, & vnam candelam intendere lucem alterius sibi in gradibus intensionis omninò æqualis: si enim quis chartam, aut manum, vel aliud quidpiam candelæ alicui admoueat, intensam in ea lucem productam videbit. Contrà tertiò & præcipuè, sicque.

IX. *Sequeretur calorem vt octo, non producere extra se nisi millesimam partem sui caloris.*

Secunda impugnatio huius sententiæ: si luminare aliquod lucidum vt octo in passu sibi apposito non producat, nisi millesimam partem suæ lucis, ergo similiter calidum vt octo, seu octo gradus caloris in igne, non producent in subiecto sibi proximo nisi millesimam partem sui caloris; sed hoc videtur manifestè falsum, ergo. Maior videtur certa, lux enim, vt constat, est multo magis actiua, quàm calor, maximè cum hic inueniat contrarium, non illa.

X. *Calor vt septem vel octo, raram intensionem extra se producit.*

Minor itaque, quòd scilicet falsum sit octo gradus caloris in igne non producere nisi millesimam partem sui caloris in passo sibi applicato, probatur: primò enim calor ignis in aquâ ebulliente non solum plus quàm millesimam sui partem, sed calorem

valde intensum producit, sibique fermè in intensione æqualem; eosdem enim ferè habet effectus, manum enim torquet, cibos coquit, & similia, ergo negari nequit quin habeat intensum calorem. Digitum aquæ illi tantisper inserant, videbunt vtrum millesimam tantum caloris sui partem in eo producat. Deinde, si calor, aut siccitas vt octo millesimam tantùm sui partem in passo externo producat, millesima tantùm pars frigoris, aut humiditatis expelletur, sicque in omni re erit millies plus frigoris & humiditatis, quàm caloris, & siccitatis, quod tamen est apertè contrà experientiam, nec ab vllo admitti potest. Tertiò, dispositio ad ignem, etiam in primâ productione, est calor intensus, vt septem ex. g. vel circiter, ergo calor in igne potest calorem vt septem producere in passo sibi approximato, cùm possit illud disponere ad ignem.

Ignis passum disponit ad ignem, ergo plus quàm mille, imam partem sui caloris in eo producit.

XI. *Si simile agere possit in simile, tria calida vt quatuor intendent se ad summũ.*

Hinc infero, si argumentum suprà positum nu. 5. firmetur in tribus calidis vt quatuor, vel sex, habiturum maiorem vim, cùm hic clarum sit posse illa calida non solùm plus quàm millesimam sui caloris partem in se inuicem producere, sed gradus etiam aliquos, & calorem intensum, vt iam ostensum est. Primò ergo ponamus tria illa calida vt quatuor vel sex conseruari sine vllâ admixtione frigoris, vt diuinitùs possunt, tunc statim gradus aliquot caloris in se inuicem producent, & illi alios, & sic statim intendent se ad summum, vt n. illo 5. diximus; eadé enim tunc de illis ratio est, ac de luminosis. Si autem existãt modo connaturali, seu cum admixtione aliquot graduum frigoris, poterunt etiam tot gradus caloris in se inuicem producere, quamuis lentiùs, ratione contrarij expellendi.

SECTIO VI.

Argumenta contendentia simile posse agere in simile.

I. *Obij duas candelas, iuxta se positas apparere clariores.*

OBiciunt primò: duæ candelæ eiusdem planè intensionis iuxta se positæ clariores apparent, quod, inquiunt, vel oculis discerni potest, ergo sibi inuicẽ lucem intendunt, & simile agit in simile.

II. *Experientia candelarum quæ iuxta se ponuntur est hac in re nulla.*

Sed contra: mirum est hanc experientiam afferri tanquam ad oculum patentem, cùm plurimi oculati testes, & qui rem hanc sedulo explorarunt, nihil vnquam se huiusmodi in candelis iuxta se collocatis aduertisse affirment, aut vni ex præsentia alterius vllam factam esse lucis accessionem. Vnde P. Arriaga d. 3. Gen. s. 7. ait esse manifestum, facis accensæ lucem, à facibus alijs circumcirca positis, non augeri: & addit, se huius rei ex proposito experientiam fecisse, candelis proximè sibi inuicem collocatis, nec aduertere vllo modo potuisse vnius lucem ex appositione alterius candelæ fuisse vllo modo auctam. Quare ex hac experiẽtiâ nihil inferri potest pro hac sententia, sed cum Hippocrate potiùs Aphor. 1. l. 1. dicendum, *experimentum fallax, iudicium difficile.*

III. *Obij. candelam remotiorem videri per flammam viciniorem, ergo lucem, quam per lucẽ illam trancit.*

Obiciunt secundò, & præcipuè, aliam experientiam: constat, inquiunt, vnam candelam æqualis planè intensionis videri per flammam alteriùs, ergo per flammam illam traicit lucem, ergo lucem huius candelæ intendit, cùm intendere nihil aliud sit, quã lucem luci addere in eâdẽ parte subiecti. Quòd verò lucem per alterius candelæ flammam traiciat, est, inquiunt, manifestum, nam vt videatur, emittere debet speciem ad potentiam, & per totum medium, alioqui dabitur actio in distans, ergo cùm hæc candela sit interiecta, per huius etiam flammam debet speciem traicere vlteriùs, sed species, inquiunt, non distinguuntur à lumine, vel saltem quicquid videtur, non speciem tantùm sed etiam lucem transmittit ad oculum, ergo. Hoc est præcipuum huius opinionis fundamentum.

IV. *Sequitur res, quæ parũ habent lucis intendere lucem intẽsissimam.*

Contra: hoc enim probaret, non simile tantùm agere in simile, sed res etiam remissißimas agere in maximè intensas, & earum lucem augere. Quod sic ostẽdo. Sicut candela cernitur per flammam alterius, ita res alia fusci coloris, quæque minimum in se habet lucis, si post candelam statuatur, per flammam candelæ videbitur, imo lychnus ipse fuliginosus, quem candelæ flamma ambit, per hanc videtur. & si lignum aut lapis, vel aliud quidpiam subnigri coloris (quod proinde minimũ in se lucis continet) in ignem conijciatur, similiter per ignis flammam videbitur, ergo lucem per illam traicit, ergo lapis ille & lignum fuscum flammæ ignis, lychnus fuliginosus candelæ lucem intendit. Quod sanè creditu admodum est difficile.

V. *Vna candela lucem alterius per aliam non traicit sed vnum cum ea agens totale constituit.*

Ad argumentum itaque Respondeo, vnam candelam per aliam sibi similem non traicere lucem, sed vtramque iunctis viribus constituere vnicum agens totale, vt mihi est euidens contingere dum plures arenulæ, aut muscæ videntur à longè vt ostendam in libro de Anima, & plurimi affirmant de duobus leuantibus idem pondus, trahentibus cymbam &c. ex quo prouenit, vt lucem vlterius, & in maiore intensione extra se producant, quàm singula producerent sigillatim: multitudo enim partium, vt constat, conducit ad agendum. Non tamen in se inuicem agunt, nec extra se lucem producũt intensiorem eâ quam in se continent. Neque hinc sequitur, dum candela remotior videtur per proximiorem, dari actionem in distans, licèt candela illa per viciniorem nec speciem, nec lucem traiciat; nam vt in Physicis ostendi d. 36. s. 2. n. 11. ad vitandum actionem in distans, non requiritur vt agens agat per omne id quod interponitur inter illud & effectum, sic enim vna pars eiusdem candelæ agere deberet in aliam, medietas scilicet à visu remotior in medietatem propinquiorem, sed sufficit quod nihil mediet quod non sit vel agens, vel passum, vt hic contingit, duæ enim hæ candelæ, vt dixi, constituunt, vnum agens totale.

VI. *Dicunt gratis affirmari candelas illas facere vnum agens totale.*

Contra hoc insurgunt huius opinionis patroni, & aiunt, gratis, & contra experientiam dici duas illas candelas attemperare suum concursum, & in vnum agens totale coalescere: gratis, quia nulla huius rei ratio afferri potest: contra experientiam, clarè enim constat ex additione nouæ candelæ non remitti lumen alterius.

VII. *Ostenditur id non dici gratis.*

Ad primum resp. non gratis dici luminosa illa iunctis viribus concurrere, id enim in alijs rebus passim docent Philosophi, vt in exẽplo proximè posito arenularum, & de duobus vel tribus leuantibus idẽ pondus, nec enim vnus leuat vnam partem ponderis, alius aliam, sed quisque simul cum alijs leuat totum. sic in præsenti, non producit vna candela vnã partem lucis, alia aliam, sed vtraque totam. Nec vlla videtur ratio assignabilis, cur vtraque candela hoc modo concurrere non possit.

VIII. *Experientia docet candelas illas in vnum agens totale coalescere.*

Ad secundum de experientia dico, non asserere me ex appositione secundæ candelæ lumen prioris remitti, sed, si sermo sit de lumine in ipsâ candelæ flammâ existente, assero ex adiunctione alterius cãdelæ nec augeri illud, nec minui: si verò loquamur de lumine iam ab vtraque candelâ in aere, aut alio passo externo, chartâ scilicet, aut pariete, producto, dico, hoc lumen esse intensius post adiunctionem secundæ candelæ, quàm antè, nec dari tunc attemperationem concursûs hoc sensu, quasi prima candela minùs fortiter operetur quàm antea, sed operatur fortiùs: quo enim sunt plura agentia, eo effectus

est

est maior, sicut quo plures partes plumbi, aut terræ sibi inuicem coniunguntur, eo impetus & grauitatio est intensior, ac motus concitatior.

IX. *Obijcitur experientia trium luminarium diuersorum colorum.*

Tertiò & præcipuè contra hoc quod dicimus duas illas candelas iunctis viribus operari per modum vnius agentis totalis, aliam experientiam opponunt, vt probent candelas illas operari singulas, seu diuersas, & non simultaneo concursu, seu per modum vnius. Tribus, inquiunt, lucernis (singularū lucem distinctionis gratiâ ponamus esse diuersi coloris, rubri, viridis, & cærulei) obiiciatur tabula in cuius medio sit foramen è diametro oppositum lucernæ rubræ, quæ inter tres sit media. In hoc casu tres hæ lucernæ per foramen illud tria diuersa lumina in oppositum parietem traiicient, non confusè, & per modum vnius, sed sigillatim, ita vt in pariete aduerso non vnum lumen mixtum, sed triplex diuersum appareat, rubrum, cæruleum, viride, suæ quodque lucernæ correspondens.

Resp. lucernas illas vsque ad tabulam concurrere per modum vnius agentis totalis.

Hoc argumentum est plausibile: puto tamen nō difficulter solui posse. Dico itaque tres illas lucernas, si non coërceantur, quo minùs quaquauersum radios suos versus latitudinem diffundant, in totâ parte aëris vsque ad tabulam, & in foramine ipso concurrere per modum vnius agentis totalis, nec operari sigillatim, ita vt lucerna rubra producat lumē rubrum, viridis viride, cærulea cæruleum, sed omnes tres coniunctim concurrunt ad lucem producendam quæ realiter & est rubra, & viridis, & cærulea, & singulæ partes intensionis illius lucis omnia hæc tria prædicata in se identificata continent: sicut eadem visio frequenter est indiuisibiliter visio albedinis & nigredinis, & plura obiecta concurrunt ad speciem obiectiuè indiuisibilem. De quo plura in libris de Anima.

X. *Si earum radij coërceantur non concurrunt simul, sed singula.*

Dixi, si lucernæ non coërceantur quo minùs quaquauersum radios suos versus latitudinem diffundant: si enim, vt quandoque fit, ita vitris quibusdam cohibeantur, vt non nisi in foramine illo in medio tabulæ earum vis operatiua coniungatur, vbi se intersecant, tunc illic primùm agunt per modum causæ totalis, & lucem tria illa prædicata seu colores identificatos continentem illic tantùm producunt.

XI. *Ex altera parte tabulæ non concurrunt tamquam vnū agens totale.*

At verò lucem quam ex alterâ parte tabulæ per illud foramen producunt, non efficiunt per modum vnius causæ totalis, seu omnes vnam, sed singulæ suam. Ratio est clara, tabula enim impedit quo minus hoc modo concurrant, cùm nullum punctum spatij vel parietis sit, à quo per foramen illud lineâ rectâ ad omnes tres, vel etiam ad duas ex illis candelis duci possit, vnde nil mirum, si ex altera parte tabulæ operentur sigillatim.

SECTIO VII.

Obiectiones contra heterogeneitatem graduum.

I. *Non inconsequenter loquimur, qui qualitates omnes non eodem modo componimus.*

OBiicies primò: non loqui nos consequenter, qui qualitates quasdam, vt constat ex sec. secundâ, asserimus componi ex gradibus homogeneis, alias ex heterogeneis. Resp. nullam hic esse inconsequentiam, nec enim eadem necessariò esse debet omnium qualitatum compositio. Sicut quòd res aliquæ componantur ex materiâ & formâ, non sequitur debere omnes hoc modo componi, cùm peculiaris esse possit ratio de quibusdam, quæ non reperitur in aliis. Vnde, vt suprà vidimus d. 3. de cœlo s. 3. multi & graues auctores docent cœlum hoc modo non componi, sed esse corpus simplex. Specialis ergo similiter esse potest ratio, cur licèt qualitates aliquæ sint homogeneæ, aliæ tamen componantur ex gradibus heterogeneis, vt ostendimus suprà sect. 3.

II. *Compositio ex gradibus heterogeneis non arguit infinitatem simpliciter.*

Obiicies secundò: ex opinione de heterogeneitate graduum sequi dari infinitum simpliciter, cùm sint infinitæ partes, & vna in perfectione aliam excedat, ergo quæ superat infinitas, quarum vna est perfectior aliâ, erit in perfectione simpliciter infinita. Distinguo vltimum consequens, quæ superet infinitas determinatas signabiles, concedo; infinitas proportionales, nego; sed solùm est infinita secundùm quid, & perfectione proportionali. Deinde, idem, quoad hoc, est in gradibus homogeneis, supposita opinione de compositione continui ex partibus & punctis, nam si sint infinitæ partes, & singulæ addant perfectionem, qualitas illa erit infinitè intensa. Idem etiam est quoad molem in quantitate, sicque non est hic peculiaris difficultas, cùm excessus iste sit solùm proportionalis, & indeterminatus, non determinatus, & simpliciter.

III. *Obijcitur quod vnum plus gratiæ merere per actū remissum, quàm aliū per intensum.*

Obiicies tertiò argumentum Theologicum: ex nostrâ nimirum sententiâ sequi, per actū remissum cuiuscunque virtutis posse hominem mereri maius præmium, quàm per actum valde intensum charitatis: ponamus enim duos homines, quorum alter habeat gratiam vt sex, alter solùm vt vnum, hic eliciat actum charitatis vt tria, ille actum eleemosynæ vt duo, prior solùm habebit pro præmio gratiam vt quatuor, secundus gratiam vt septem, nam meretur aliquod præmium, ergo debet ipsi aliquid gratiæ dari; sed, quæcunque gratia datur, debet secundum hanc sententiam esse maior sexto gradu, cùm per hunc actum intendatur prior gratia, ergo per actum remissum merebitur quis plus, quàm alius per intensum.

IV. *Resp. concedendo actum remissum illius esse magis meritorium actu intenso alterius.*

Si dicantur gradus gratiæ esse similes, & intensionem in eâ fieri per partes homogeneas, quod suprà verius esse asseruimus de omnibus qualitatibus non operatiuis, & etiam de operatiuis æquiuocè, cessat vis argumenti, vt constat. Sed quomodocunque fiat intensio in gratiâ, respondetur cum P. Suarez To. 1 in 3 p. d. 4. sect. 4. concedendo totum: cuius ratio est, quia non ex merâ maiori intensione actuum est spectandum meritum, sed ex dignitate etiam personæ: persona autē, quæ habet plus gratiæ, est dignior, & consequēter actus omnes ab ipsa vt affectâ tali gratiâ procedentes, sunt digni maiori præmio, cùm dignificentur à gratiâ in animâ illius existente, vt ostendi d. 4. de Incarn. s. 3. Vnde quoduis opus meritorium, quod Christus in quantacunque remissione elicuisset, fuisset valoris & meriti simpliciter infiniti, ob gratiam scilicet personalem Verbi.

V. *Dignitas personæ plurimum confert ad meritum.*

Quòd verò dignitas personæ plurimum conferat ad meritum, inde clarè videtur ostendi: nullus enim est qui non longe pluris facit obsequium sibi à Rege vel Principe præstitum, quàm à plebeio. Et hinc apertissimè etiam intelligitur quomodo Beatissima Virgo plus meruerit, quàm omnes sancti simul: quod scilicet in primo immaculatæ suæ Conceptionis instante, multo plus gratiæ sibi habuerit infusum, quàm alij sancti in primâ suâ sanctificatione.

VI. *Deus punit citra, præmiat vltra condignū.*

Secundò respondetur cum P. Hurt. hic d. 5. sect. 6. n. 88. & 89. & idem docet P. Vasq. & 2. & alij. *Deum semper punire citra, præmiare vltra condignum*: cum ergo nolit Deus vllum actum bonum & in gratiâ elicitū carere præmio, & præmium huic actui proportionatum sit iam prius datum, dat illi præmium maius, quàm meretur, quod infinitam Dei bonitatem & liberalitatem commendat, qui potiùs multò maius præmium conferre vult ob actū aliquem remissum, quàm permittere vt sine præmio permaneat.

Obiicies

VII. Obiicies quartò: res diversæ speciei non possunt inter se uniri, & continuari, ergo nec hæ partes qualitatum. Respondetur distinguendo antecedens, res diversæ speciei, completæ, & quæ invicem non ordinantur, ad constituendum unum totum, non possūt continuari, concedo antecedens; res diversæ speciei incompletæ, & quæ ordinantur ad constituendum unum tertium, nego: sicut multi ex adversariis concedunt de partibus heterogeneis formarum perfectorum viventium, ut sunt caput, collum, pectus equi, aut leonis: has enim partes videmus inter se continuari ad constituendum unum animal. Uniuntur verò hi omnes gradus immediatè eidem parti subiecti, non tamen immediatè sibi, sed octavus gradus unitur tantùm septimò, septimus octavo & sexto, & sic de cæteris.

Res diversæ speciei incompletæ possunt inter se uniri.

Quomodo hi gradus uniantur subiecto, & inter se.

VIII. Obiicies quintò: si gradus sint heterogenei, sequeretur, superfluum esse primum adveniente secundo, & secundum adveniente tertio, & consequenter debere, his advenientibus perire, cùm natura, ut suppeditat necessaria, ita abhorreat superflua. Sequela probatur, tertius enim gradus est perfectior primo, & secundo, ergo illi sunt superflui, cùm quidquid possit præstare primus, possit tertius, & idem est de aliis omnibus gradibus, sicque adveniente octavo alij omnes debent perire. Resp. ut aliquid non sit otiosum, vel superfluum, sufficit quòd ulli muneri deserviat, hic autem gradus inferiores, cùm sint naturaliter subordinati superioribus, sunt aliquo modo dispositiones ad illos, sicut quantitas est aliquo modo dispositio ad alia accidentia, primæ qualitates ad secundas, diaphaneitas ad lucem &c.

Ex eo quod gradus sint heterogenei, nulla sequitur superfluum.

IX. Dices; quare tamen sunt dispositiones activæ, cùm nihil agant; totum enim quod potest primus, vel secundus, potest tertius. Resp. primò, esto, pro præsenti nihil agerent gradus illi, adhuc non esset superflua eorum activitas: sicut iuxta adversarios hîc lux non producat calorem in præsentiâ caloris, adhuc non est superflua in luce virtus caloris productiva, quia potest illam producere in absentia agentis calidi. Sic in præsenti, ubi destructi fuerint gradus superiores, operari poterunt inferiores. Et hoc expedit bono, tum universi, tum illius subiecti in quo sunt hæ qualitates, ut nimirum possint agere in sua contraria, & se usque ad ultimum defendere, quod tamen non possent si unus tantùm esset gradus activus in subiecto, sic enim, eo ablato, nullas haberet vires ad resistendum contrariis. Secundò dico, etiam dum adsunt alij gradus, operari hos & concurrere simul cũ gradibus superioribus ad gradus illos quos possent producere si essent soli, & sine gradibus superioribus, iuvant enim gradus superiores ad illos gradus citiùs, & in maiori distantiâ producendos: sicut enim multitudo partium in diversis subiectis hoc præstat, ita & multitudo graduum in eodem.

Ostenditur ulterius in gradibus heterogeneis nullam esse superfluitatem.

Gradus inferiores concurrunt cũ superioribus ad varios effectus.

X. Et hinc clarè solvitur quod obiiciunt aliqui, nihil præstare posse unum intellectum imperfectum quod non possit præstare perfectior, ergo adveniente perfectiore intellectu, deberet prior cessare. Resp. enim non posse concurrere simul duos intellectus ad eundem actum, vel saltem non iuvare quidquam ad actum illum maiori celeritate eliciendum. Imò retorqueri potest argumentum, duo intellectus æqualis perfectionis non possunt esse in eâdem animâ, ergo nec duo gradus caloris æquales in eodem subiecto.

Duo intellectus non possunt esse in eadem animâ.

XI. Refellitur etiam quod obiici solet, adveniente animâ rationali in materiam, perire animam vegetativam, siqua antea fuisset in illâ materiâ, quia nimirum esset superflua. Hoc, inquam, primò retorquetur, nam non minùs repugnat esse simul duas animas rationales eiusdem omnino rationis, quàm animam vegetativam simul cum rationali, quæ etiam est vegetativa, ergo nec poterunt duo gradus similes & homogenei esse simul in eodem subiecto: quod tamen affirmant adversarij. Ratio ergo cur non possit anima vegetativa esse simul cum rationali est, quia nec est dispositio ad illam, cùm dispositiones sint accidentia, nec alij usui deserviret, quidquid enim præstare posset anima rationalis cum hac formâ posset sine illa, idque æque commodè, cùm anima rationalis sit formaliter vegetativa: gradus autem inferiores, ut dixi, iuvant superiorem ad effectus celeriùs, & in maiori distantiâ producendos.

Cur non possit anima vegetativa esse simul cum rationali.

SECTIO VIII.

Alia quadam argumenta contra compositionem qualitatum ex gradibus heterogeneis.

I. Obiicit sextò P. Arriaga hîc d. 3. s. 3 n. 75. si plures partes lucis omninò similes ponerentur in eâdem parte subiecti, plus lucis producerent in aëre vicino, & perfectiorem speciem, ac visionem in oculo, sicque maior lux perciperetur in illo obiecto, quàm si ibi non essent tot primi gradus lucis, ergo ex eo quòd modò appareat maior lux in aëre, non rectè quis inferret esse ibi plures gradus inæquales, seu heterogeneos, cùm homogenei ad hoc sufficiant.

Obij. si plures gradus homogenei essent in eadem parte subiecti apparerent lux, aut calor intensior.

II. Resp. hoc argumentum in meis principiis nullā habere vim; non enim inde infero, calorem, lucem, & alias qualitates operantes univocè componi ex gradibus heterogeneis, quia maior lux aut calor in subiecto aliquo percipitur, sed ob incommoda quæ sequerentur si componerentur ex gradibus homogeneis, ut ostendi suprà sec. tertia.

Resp. hoc in nostris principiis non urgere.

III. Obiicit idem septimò, n. 80. liquor aliquis perfectè ruber producit perfectam speciem ruboris in oculo, si tamen admisceatur aqua, minùs perfectam producit speciem, & non videtur adeò ruber, ergo intensio non fit per gradus perfectiores, sed solùm per additionem graduum similium in eâdem parte subiecti.

Obij. si liquori perfectè rubro misceatur aqua, apparet minùs ruber.

IV. Huic obiectioni respondent quidam per admixtionem aquæ destrui aliquos gradus intensionis illius rubri coloris, & propterea, inquiunt, minùs movet visum. Sed contra hoc est, nam aqua nullum in se habet colorem nec apparet quare non possit manere permixta colori rubro, quin partem illius destruat. Deinde, affirmant multi si aqua misceretur vino, posse artificio quodam extrahi denuò totam aquam, & tunc vinum apparet eiusdem planè coloris atque apparebat ante admixtionem aquæ.

Dum aqua vino rubro miscetur, nihil de colore vini imminuitur.

V. Hoc etiam argumentum in meâ sententiâ non urget, qui non inde deduco qualitatem componi ex gradibus heterogeneis, quia apparet maior quàm antea, sed ob alias causas allatas sec. tertiâ. Resp. tamen ideò in hoc casu rubedinem in liquore illo rubro non ita perfectam sui speciem in oculo producere, quia per interpositionem aquæ partes vini magis à se invicem separantur; quo autem partes alicuius agentis magis inter se uniuntur, fortiùs agunt. Sic in ferro calefacto non est tam intensus subinde calor, atque in aëre, vel flammâ, & tamen calor ille est activior, & effectum citiùs producit, ac magis sentitur in manu applicatâ, quàm flamma, quæ tamen habet in se calorem penè in summo. Sic aqua magis humectat quàm aer, esto huius humiditas sit intensior, quia scilicet partes aquæ sunt magis inter se constipatæ.

Illud de aqua mixta liquori rubro, non probat gradus esse heterogeneos.

Cur vinum rubrum mixtum aqua appareat minus rubrum.

SECTIO IX.

Reliqua circa intensionem qualitatum.

I. *In qualitatibus supernaturalibus non datur maximum sed intendi possunt in infinitum.*

QVæres primò, vtrùm certus sit statuendus numerus graduum; an intendi qualitates possint vlteriùs & vlteriùs in infinitum? Quod alijs terminis proponi solet, an in intensione qualitatum detur maximum? Resp. quoad qualitates supernaturales, gratiam, lumen gloriæ, actus & habitus fidei, spei, charitatis, &c. posse eas intendi in infinitum. Quia non est ex quo capite limitentur, non ex parte efficientis, cùm causa efficiens sit solus Deus, non ex parte subiecti; cùm recipiantur in potentia illius obedientiali, nec demum ex parte obiecti; cùm Deus sit magis ac magis cognoscibilis, amabilis, & participabilis in infinitum.

II. *In qualitatibus naturalibus actiuis habentibus contrarium datur maximum naturaliter.*

Quoad alias qualitates, videtur necessariò statuendus certus aliquis, & determinatus numerus graduum, in qualitatibus saltem actiuis, quæ habent contrarium, vt in quatuor primis: & licèt vocari potuisset duodenarius numerus, vel vigesimus, aut etiam fortasse centesimus; communiter tamen à Philosophis claritatis gratia vocatur octonarius. Ratio huius est, quia primus gradus frigoris ex natura sua expellit vltimum seu supremum, & perfectissimum caloris, habetque cum eo peculiarem repugnantiam, ergo debet esse aliquis huiusmodi gradus supremus determinatus, cum quo ipse intercedat hæc oppositio, & quem determinatè expellat: quod tamen fieri ex ipsis harum qualitatum naturis non posset, si nullus esset determinatus numerus graduum, vt constat, nec enim determinata oppositio reperiri potest, nisi inter gradus determinatos, & determinatè sibi repugnantes.

III. *Lux non habet maximum, sed intendi potest naturaliter vltra in infinitum.*

Dixi, in qualitatibus quæ habent contrarium, nam in luce videntur posse plures, & plures gradus superaddi naturaliter in infinitum: primò enim hîc non est illa determinata oppositio inter gradus, cùm lux non habeat contrarium. Secundò, subiectum non est limitatum ad octo solùm gradus; subiecta enim quæ hoc modo limitantur ad certum numerum graduum, sicut habere non possunt plures, ita nec determinato illo numero carere. Sicut materia prima, quæ est capax vnius solùm formæ, debet semper vnam habere. Sic mixta omnia habere deberent octo gradus vel frigoris vel caloris: at verò videmus aërem nunc habere plus nunc minus, nunc nihil lucis, ergo non est illi præfixus certus numerus graduũ lucis; sed potest plures & plures habere in infinitum. Idem videtur de impetu, imò de amore & odio circa idem obiectum, hic enim licèt sit oppositio, non tamen est peculiaris illa correspondentia in gradibus, cùm quiuis maximè remissus actus odij expellat intensissimum amoris, & è contrà.

Impetus, amor, & odium non habent maximum.

IV. *Calor, frigus, & huiusmodi possunt augeri diuinitus in infinitum.*

Quæres secundò, vtrùm qualitates naturales habentes contrarium, possint saltem diuinitus augeri in infinitum? Non est quæstio vtrùm possit Deus qualitates has augere addendo nouos gradus similes prioribus, vt decem alios gradus vt octo, vt septem, vt sex &c. de hoc enim non est dubium, sed vtrum diuinitus sint possibiles plures gradus heterogenei supra octauum, vt nonus, decimus, &c. qui licèt naturaliter vniri his non possint, possint tamen supernaturaliter in igne, aquâ, ferro &c. Resp. posse qualitates illas hoc modo augeri supernaturaliter in infinitum. Ratio est, quia non apparet ex quo capite id repugnet; non ex parte agentis, agens enim est ipsemet Deus; nec ex parte subiecti, quia solùm obedientialiter eos recipit; nec demum ex parte ipsius qualitatis, quidni enim intendi vlterius & vlterius poterit in infinitum, sicut extendi?

V. *Sicut in qualitatibus non datur maximum ita nec minimum.*

In his autem gradibus supra octauum non est illa peculiaris oppositio inter aliquos gradus determinatos, cùm nullus sit supremus in ordine ad diuinam potentiam, cui alius determinatè opponatur. Idem etiam dico de minimo, nempe qualitates istas non habere minimum in intensione, sed posse in minore & minore intẽsione produci in infinitũ.

VI. *Actioni eodem modo competere intensio, ac qualitati, quam producit.* *In quantitate non reperitur intensio.*

Quæres tertiò quibus rebus competat intensio? Actioni productiuæ qualitatis intensibilis videtur eodem modo competere intensio, ac qualitati ipsi quam producit, cùm *vt qua* videatur habere tot gradus, atque illa *vt quod*. In quantitate reperiri non posse intensionem videtur clarum; intensio quippe fieri debet in eâdem parte subiecti, quantitas autem naturaliter petit habere partes extra partes, easque impenetrabiles: cùm ergo duæ partes quantitatis non possint esse naturaliter in eodem loco, multo minus in eodem subiecto.

VII. *Vbicatio, & duratio non intenduntur, nec remittuntur.*

Vbicatio etiam, & duratio non intenduntur vel remittuntur; nec enim vnus homo magis aut minùs est in hoc loco, aut tempore quàm alius, si vterque in illo existat: nec aliunde vlla apparet ratio cur intendantur, sicut apparet in actione productiuâ qualitatis intensibilis; quòd enim vna res difficilius moueatur loco quàm alia, non prouenit ex vbicatione præcisè, sed vel ex maiore pondere, vel virtute restitiuâ, seu maioribus viribus, quibus propellenti actiuè resistit. Quid de relatione dicendum sit pendet ab illa quæstione, vtrùm Relatio distinguatur à fundamento & termino: de quo suo loco.

Quid de intensione Relationis tenendum sit, dicetur in Metaphy.

VIII. *Forma substantialis non potest intendi & remitti.*

Præcipua ergo difficultas est de formâ substantiali, quam licèt omnes ferè Philosophi cum Aristotele cap. de substantia dicant, sicut & omnem aliam substantiam, non suscipere magis & minùs, in assignandâ tamen ratione non parum eos laborare video. Ratio ergo assignari potest primò, quia substantia est quasi basis, & fundamentum rei, ac proinde licèt alia, quæ ipsi accidunt, intendi possint, & remitti, non tamen ipsa forma substantialis, sed omninò eadem manere semper debet firma ac stabilis. Deinde, non aliam ob causam assignamus intensionem in qualitatibus, nisi quia quotidiana ad hoc experientiâ cogimur: nihil autem ad hoc cogit in forma substantiali. Præterea animâ rationalis posset intendi; si enim hoc ipsi non repugnet ex conceptu formæ substantialis, ex nullo certè capite repugnabit; nam non ex eo quòd sit spiritus, qualitates enim spirituales intenduntur, & remittuntur.

IX. *De vnione graduum intensionis.*

Quæres quartò, quomodo vniatur gradus intensionis? Resp. quoad vnionem cum subiecto, singulæ partes intensionis vniuntur totidem vnionibus distinctis quot sunt partes: si enim omnes vnicâ vnione subiecto vnirentur, quoties minima pars destrueretur, periret etiam vnio omnium aliarum partium. Quomodo vero gradus vniantur inter se, dictum est suprà sec. septimâ, n. septimo.

DISPV-

DISPVTATIO XI.

De Rarefactione, & Condensatione.

CAPVT PRIMVM.

Diuersæ opiniones circa rarefactionem.

I. *Dari rarefactionem constat experientiâ.*

Definitio Rar. & Dens.

DAri rarefactionem, & condensationem certius est, quàm vt de eo dubitare quis possit: experientia enim in dies docet, lac, & aquâ, dum calefiunt, duplo plus loci occupare quàm dum sunt frigida. Definitur verò Rarum ab Aristotele, *quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ.* Densum verò, *quod sub paruis dimensionibus multum habet materiæ:* per materiam autem, vt in libris de cœlo d. 3. s. 4. n. 3. notauimus, dum de corpore simplici, non intelligitur materia prima, cùm raritas & densitas reperiantur in qualitatibus extra materiam existentibus; sed intelligitur aliquid habens plures partes, quæ dilatari possunt & constipari. Hic ergo inquirimus, quomodo rarefactio hæc, & condensatio contingant: quæ licèt vbique obuiæ, ex omnibus tamen rebus naturalibus forsan sunt explicatu difficillimæ.

II. *Prima sententia ait in Rarefact. & Condens. acquiri, ac deperdi quantitatem.*

Prima ergo sententia est Scoti in 4. dist. 12. q. 4. Marsil. l. 1. de Gen. q. 15. Tolet. in Phys. q. 11. & aliorum, qui asserunt in Rarefactione semper acquiri nouam quantitatem & per condensationẽ deperdi. In hoc tamen differunt auctores huius sententiæ, quòd aliqui dicant totam nouam quantitatem acquiri, priori deperditâ, alij partialem. Argumenta ponentur postea.

III. *Non acquiritur noua pars materiæ, ergo nec quantitatis.*

Impugnatur hæc sententia primò: nam non acquiritur per Rarefactionem vel tota noua, vel noua pars materiæ, cùm hæc creetur, agentia autem naturalia creare non possunt, ergo nec acquiritur noua pars quantitatis. Patet consequentia, nam inde sequeretur, vel aliquas partes materiæ informari duabus partibus quantitatis, vel aliquas partes quãtitatis esse sine omni subiecto.

IV. *Per productionem nouæ quantitatis non vitatur difficultas in rarefactione.*

Secundò impugnatur: nam incurrunt in easdem difficultates, quas cupiunt euitare, nempe per Rarefactionem poni eandem partem quantitatis in duobus locis, per Condensationem verò duas partes penetrari inter se: hæc, inquam, inconuenientia non vitant ipsi, nam quidquid inferunt sequi in quantitate, concedere debent in materiâ, nempe, quòd in Condensatione duæ eius partes inter se penetrentur; vel in Rarefactione vna sit in duobus locis.

V. *Nulla est necessitas nouæ quantitatis in rarefact.*

Tertiò: hæc omnia solui possunt per maiorem extensionem localem, cùm hæc sola sufficiat, & omnes difficultates, quæ oriuntur circa hanc præsentiam localem, soluere ipsi debeant in extẽsione præsentiæ localis, quam tribuunt materiæ.

VI. *Materia non habet partes à quantitate.*

Dices; materia non habet partes ex se, sed à quãtitate. Nego antecedens, in homine enim, vel equo, etiam ablatâ omni quantitate, caput distingueretur realiter à pede, & materia hominis non esset indiuisibilis, sicut anima.

VII. *Si noua pars quantitatis per Rarefac. producatur, eadem pars materiæ erit in duobus locis.*

Dices secundò; materiam esse in loco per quantitatem. Primò, hoc negatur, sed est in loco, sicut res omnes aliæ, per vbicationem. Deinde, esto, ita sit, ergo, cùm secundùm hos auctores detur ipsi noua quantitas, & hæc sit in diuerso loco à priore, materia, quæ per eam est in loco, debet esse in duobus locis simul: sicut si eadem pars materiæ, vel quantitatis haberet diuersas vbicationes loco dissitas, esset in duobus locis. His etiam difficultatibus vrgentur ij qui aiunt totam priorem quantitatem deperdi in Rarefactione, & Condensatione, & aliam totalem illius loco produci.

VIII. *Secunda sententia Rarefactionem fieri asserit per quasdam vacuitates.*

Secunda quorundam antiquorum sententia, quę recentioribus etiam nonnullis hac ætate placet, ob difficultates in opinione Aristotelis, affirmat raritatem fieri per quasdam vacuitates intra partes relictas: condensationem autem per earundem partium constipationem, ita vt nullæ, vel paucæ relinquantur eiusmodi vacuitates. Res proinde omnes ait hęc sẽtentia cribri instar, variis esse foraminibus pertusas, & infinitis propè rimulis fatiscere, quæ per rarefactionem aperiuntur magis, per Condensationem occluduntur.

IX. *Per has vacuitates non rectè explicatur rarefactio.*

Contrà: per hasce rimulas, & foramina non explicatur natura Rarefactionis, nec verificatur definitio raritatis. Rarum quippe est, *quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ:* ergo debet id, quod rarefit, occupare plus spatij per Rarefactionem quã occupabat antea: per solas autem has vacuitates id non præstat, cùm spatium illud vacuum non occupetur à materiâ rei hoc modo extensæ. Sicut ergo spongia plena aquâ, & vesica aëre, non dicuntur propriè rarefieri quia licet partes aliquo modo extendantur, quantũ tamen acquirunt versus vnam dimensionem, deperdunt versus aliam, ita nec rarefieri dicetur res aliqua per interpositionem harum vacuitatum, quia simpliciter non occupat plus spatij res illa per eas, quàm antea. Sicut nec rarefieri censetur globulus ceræ in longũ productus, aut corium illud taurinum in minutissimas partes, & quasi laminas dissectum. Hæc sententia magis impugnabitur sec. sequente, in opinione de corpusculis, eadẽ enim fermè quoad hoc videtur vtriusque ratio.

In illa sententia non magis rarefit aqua suprà ignem ebulliens, quam spongia.

X. *Modus explicandi rarefactionem per puncta crassa, seu inflata.*

Tertia eorum sententia est, qui continuum componi asserunt ex punctis crassis, & virtualiter diuisibilibus, ac proinde per rarefactionem vnum punctum extendi dicunt ad locum duorum, per Condensationem verò idem coarctari asserunt, & in minorem locum redigi. Hæc opinio, si admitteretur continuum constitui ex huiusmodi punctis, posset commodissimè sustineri. Nec vllam esse existimo in hâc controuersiâ sententiam, in qua quis faciliùs se à difficultatibus circa Rarefactionem, & condensationem expediret. Sed aliam opinionem secuti sumus in Physicis.

SECTIO II.

Refertur & impugnatur sententia Rarefactionem explicans per corpuscula.

I. *Quarta sententia ait rarefactionem fieri per intromissionem corpusculorum.*

QVarta itaque sententia affirmat Rarefactionem fieri per interpositionem quorundam corpusculorum; & è contrà, Condensationem per eorundem exclusionem. Quæ sententia ab eâ quam retuli sec. præcedente, n. 8. in eo solùm differt, quod interualla, quæ auctores illi vacua relinquunt, hi corpuscula suis repleant: ita præter quosdam ex antiquis philosophis, Okam opusc. de Eucharistia, Gabriel, Vallesi. 4. Phys. tex. 84. & controuersiâ 77. P. Arriaga d. 16.

d.16. Phys.s.10. n.195. P. Ouiedo hîc contr.7.pu.5. & ex recentioribus nonnulli.

II. *Sequitur ex hac sententiâ materiam, & quantitatem aquæ rarefactam non posse denuò condensari.*

Impugnatur hæc sententia primò: sequitur secundum hunc modum Philosophandi materiã & quãtitatem rarefactam non posse denuò condensari: ponamus enim aquam ebullientem iam per intermixtionem corpusculorum rarefactam, & duplo plus spatij occupantem quàm antea, in illa extensione à Deo conseruari, & à tota illa materia tolli etiam omnem formam substantialem, & accidentia, præter quantitatem: iam materia hæc & quantitas non possunt, ne quidem virtute Angelicâ, condensari, vel quæro quâ ratione id præstabit Angelus? Dices tollendo materiam illam corpusculorum, & materiam ac quantitatem aquæ ad priorem statum reducendo. Contrà, Angelus intuitiuè videns materiam illam, & quantitatem post ablationem formæ substantialis & accidentium, non sciet, quæ fuerit materia, aut quantitas corpusculorum, quæ aquæ, cùm in hac sententiâ nulla planè fit in materiâ, aut quantitate aëris, aquæ, ligni ferri, aut alterius cuiuscunque rei in extensione differentia. Deinde, licèt Deus id ipsi diceret, adhuc si hoc sufficiat ad condensationem, ergo si Angelus hinc inde ex aëre puriffi no paruas aliquas partes tolleret, & aërem ad minorem locum redigeret, aër iste magis condensaretur, quod dici nequit in hac sententia, aër enim secundum hos auctores, est res tam densa, ac vlla esse potest. Idem est de ferro, ære, marmore &c.

In hac sententiâ aqua condensari posset ferrũ, & res quæque densissima, ac rara.

III. *Vinum rubrũ rarefactũ appareret subpallidum, sicut apparet mixtũ aquâ.*

Impugnatur secundò: experientiâ constat vinum lac, ceram &c. duplo, imò triplo plus loci per rarefactionem occupare, quã antè occupabant, ergò si rarefactio fiat per interpositionem corpusculorum, se in minimas quasque rei rarefactæ partes insinuantium, deberet vinum rubrum rarefactum, dum corpusculis illis miscetur, multum de sua rubedine in ordine ad visum remittere, sicut videmus in eodem vino contingere, dum miscetur aqua. Contrarium tamen constat experientia. Hoc multò clariùs cernitur in lacte rarefacto, & omnium clarissime in cerâ.

IV. *Si rarefactio fiat per corpuscula, quando aqua miscetur vino, vtrumque rarefieret.*

Impugnatur tertiò: si rarefactio fiat per disiunctionem partium, sequitur, dum aqua miscetur vino, & aquam & vinum rarefieri cum illarum partes per interpositionem corporis fluidi à se inuicem disiungantur: ægrè enim assignabitur ratio, cur partes aquæ per interpositionem atomorum disiunctæ censeantur rarefieri, & non per interpositionem vini, aut alterius corporis fluidi. Quod magis vrget in opinione P. Arriagæ, qui d.16 Phys.s.10.n.226. ait aërem esse maximè densum. Si ergo potest aliquid rarefieri per interpositionem illius, quod est densius, à fortiori per id quod est minus densum. Sed certum videtur aquam vino admixtam non rarefieri, sic enim rarefieret aqua frigida, dum alia ipsi aqua frigida planè similis admiscetur, quod non existimo quemquam dicturum.

V. *Sequitur ex duobus densissimis fieri vnum maximè rarum.*

Impugnatur quartò: sequitur ex hac sententiâ, duo densissima facere vnum maximè rarum. Probatur sequela, quãdo aqua igni imposita rarefit per intermixtionem aëris, vt asserunt hi auctores, aër ibi inter partes illas aquæ per partes sui minutissimas interclusus est secundùm ipsos, vt vidimus, densissimus; sed partes aquæ, quibus partes illæ aëris interponuntur, sunt æque densæ ac partes aëris, ergo sunt similiter densissimæ. Probatur minor, ideo secundùm ipsos partes illæ aëris sunt densissimæ, quia per interpositionem alicuius alterius non disiunguntur, sed partes aquæ, quibus intericiuntur hæ aëris, particulæ, non magis disiunguntur, quàm partes aëris, alioqui continuum diuideretur in omnes suas partes, ergo sunt æquè densæ, ac partes aëris, ergo densissimæ, ergo ex duobus densissimis fit vnum maximè rarum. Confir. hinc vlteriùs sequitur, non magis aquam rarefieri ab aëre, quàm aërem ab aquâ.

Non magis aer rarefaceret aquã, quã aqua aerem.

VI. *Quidlibet in sententia de corpusculis rarefieri posset per quodlibet.*

Impugnatur quintò: quidlibet in hac sententia rarefieri posset, saltem diuinitus, per quodlibet; rarefactio enim formaliter non fit per formas substantiales, cùm hæ non distendant, nec separent partes, sed ex se possint cum iis penetrari, & in accidentibus, etiam ab omni substantiâ separatis, inueniatur rarefactio, & condensatio, nec minùs manerет aqua illa rarefacta, si Deus destrueret formam substantialem aëris interpositi, quàm modò, ergo quantitas sola est, quæ facit rarefactionem: cum ergo quantitas in omni re sit eiusdem rationis, quæcunque res per partes illas minutas alteri cuicunque interposita, illam rarefaceret. Sed hoc dici non potest, vt suprà ostendi n.4. quoad rarefactionem, & quoad condensationem n.2.

VII. *In hac opinione non saluatur essentia rari, & defi.*

Tandem in hac sententiâ non seruatur conceptus & definitio rari, cuius essentia est, *vt habeat parum materiæ sub magnis dimensionibus*: in vino autem rarefacto, licèt materia eius sit sub aliis, non tamen est sub maioribus dimensionibus, quam antè, vt latiùs declaratum est sec. præcedente, nu.9. in impugnatione secundæ sententiæ.

SECTIO III.

Duabus experientiis impugnatur sententia de interpositione corpusculorum in rarefactione.

I. *Res sensibus subiecta optime experientia deciditur.*

CVm res hæc, de qua agimus, oculis subiecta sit, ex iis etiam, quæ oculis subiiciuntur, optimè decidetur, nempe experientiis: ex infinitis autem, quæ contra hanc sententiam afferri possent, duas tantùm hîc adducam, quas, licèt ab huius sententiæ auctoribus acriter videam impugnari, existimo tamen his impugnationibus nihil earum vim infringi.

II. *Experientia cucurbitulæ vitreæ ostendit nõ fieri rarefactionem per corpuscula.*

Prima sit: Dum ampulla vitrea, seu cucurbitula carni applicatur, videmus carnem paulatim intumescere: cuius alia reddi ratio nequit, nisi quòd extincto igne, aër, qui antea ab igne illo erat calefactus, ideoque rarior, paulatim refrigescat, & condensetur, sicque, ne detur vacuum, caro paulatim assurgit, vt in locum aëris succedat.

III. *Causa cur caro in ampulla vitrea assurgit, non potest esse, quod carnis pori dilatentur per ignem, vel calorem.*

Respondet P. Arriaga d.16. Phy. s.10.n.224. intumescere tunc carnem, non ad vitandum vacuum sed quia per ignem dilatantur carnis pori, quibus apertis ingrediuntur corpuscula, sicque eleuant carnem, & faciunt illam intumescere. Contrà primò, si ignis dilatet illos poros, ergo tunc deberent ingredi corpuscula, quando pori maximè dilatantur, seu quando est ignis: videmus tamen contrarium, & non intumescere carnem, nisi post aliquod interuallum, extincto iam igne. Imò ait ipse, non eleuari penitus carnem nisi fermè intra medium quadrantem, ergo secundùm ipsum ingredi deberent hæc corpuscula, quando calor est iam multo minor, & pori fermè denuò obstructi. Et idem est si dicat dilatari poros per calorem, tunc enim deberent dilatari, & corpuscula ingredi, & consequenter caro intumescere, quando calor est maximus: & tamen experientiâ constat, vt dixi, eam non intumescere nisi destructo fermè omni calore, ergo hæc non potest esse causa tumoris, sed illa quam suprà assignaui de constipatione aëris iam frigescentis, & ad vitandum vacuum.

IV. Contrà secundò, si is cui imponitur cucurbitula, assideat magno igni, re tamen aliquâ interpositâ, vt nullus calor ab igne perueniat ad cucurbitulã, sen-

Idem ulterius ostenditur, nam caro intumescit, ubi est minus caloris.

tiet in aliquis partibus intensiorem calorem quàm in ea parte, in qua est cucurbitula, ergo pori illic magis deberent aperiri, & corpuscula, seu aër vicinus ingredi, & carnem eleuare: contrarium tamen videmus, caro namque hoc modo in eâ solâ parte eleuatur, cui adhæret cucurbitula, in qua tamē est multo minùs caloris, & consequenter pori minùs aperti. Contrà tertiò, licèt pori essent tunc aperti, quid tamen cogit aërem, vt per illos ingrediatur, saltem tam vehementer, vt carnem adeò violenter eleuet, cur non potest manere in cucurbitulâ.

IV. *Non est necessarium ad vitandum in hoc casu vacuum, vt caro in cucurbitulâ eleuetur in instanti.*

Respondet idem secundò, non posse carnem in hoc casu eleuari ad vitandum vacuum; tunc enim, inquit, eleuaretur in instanti, cùm natura nec per vnum instans patiatur vacuum. Contrà; hoc nullo modo sequitur, aër enim primò producitur in eadem extensione materiæ, in qua forma ignis destruitur; alioqui pars aliqua materiæ erit, vno saltem instante, sine formâ. Tunc ergo solum incipit eleuari caro, quando aër denuò condensatur, condensatio autem non fit in instanti.

V. *Corpuscula nec egrediuntur per poros vitri, nec ingrediuntur.*

Tertiò respondent alij, per poros vitri egredi quædam corpuscula, sicque intumescere carnem, vt eorum locum suppleat, & vitet vacuum. Contrà primò, vitrum ex omnibus fermè rebus paucissimos habet poros, sicque vix quidquam potest per vitrum egredi. Contrà secundo, nihil est, vt suprà dixi, quod aërem ex vitro egredi compellat. Contrà tertiò, si per poros vitri corpuscula egrediantur, alia similiter per alios eiusdem poros poterunt ingredi; nil ergo opus, vt caro ad vitandum illic vacuum assurgat.

VI. *Vas aquâ plenum dū aqua congelatur, frāgitur ad vitandum vacuum.*

Secunda experientia, quâ probatur rarefactionē non fieri per interpositionem corpusculorum, est, quòd videamus, vas testaceum, imò lapideum subinde, & æneum, aquâ plenum, vbi aqua congelatur, disrumpi; quòd scilicet per congelationem contrahatur & condenseiur aqua, cùm ergo aliunde nihil ingredi possit, rumpitur vas ne detur vacuum: si autem condensatio illa aquæ fieret per solam exclusionem corpusculorum, quæ partibus aquæ interponebantur, vt vult hæc sententia, non esset opus vt vas frangeretur, corpuscula enim illa iam ab aquâ separata, tantum loci occuparent, quantum antea, sicque non est cur vas frangatur, cum non sit periculum vacui. Hæc ergo experientia probat alio modo debere fieri rarefactionem & condensationem, nempe ita vt partes aquæ per se nunc maiorem, nunc minorem locum occupent, vt infrà ostendetur sect. 5.

VII. *Fractio vasis non prouenit ab exhalationibus igneis inde erumpentibus.*

Dicunt aliqui, fractionem vasis ab igneis quibusdam exhalationibus in aquâ latentibus procedere, quæ, inquiunt, dum à contrario vrgentur, nec alia sit via euadendi, fracto vase auolant, & fugâ sibi consulunt. Sed contrà primò, vnde enim igneæ hæ exhalationes tempore tam frigido in aquam frigidissimam, aut vas, antequam aquâ repleretur, diu frigori expositum, prouenirent? Deinde, si antea non fugiebant aquam summè frigidam, cur nunc fugiunt glaciem?

VIII. *Dices si dū aqua congelatur, frangitur vas ad vitandū vacuū, frangeretur etiam, dum congelatur oleum.*

Respondet secundò P. Arriaga citatus n. 218. euidens sibi esse vas illud non frangi, ad vitandum vacuum, quod, inquit, inde efficaciter probatur; in vase enim oleo, aut butyro pleno, etiamsi butyrum, vel oleum congeletur, & condensetur, non relinquitur vacuum, sic enim vasa illa frangerentur, sicut frangitur vas plenum aquâ: constat tamen, inquit, experientiâ non frangi, ergo nec in congelatione aquæ relinquitur vacuum, sicque in aliam causam referenda est fractio vasis, non in euitationem vacui.

IX. Sed contrà, vnde constat si vas oleo vel butyro plenum relinqueretur dio in loco frigidissimo, vas non frangendum: nulla certè est huius rei experientia. Congelantur quidem illa lentius, quia sunt naturâ sua calidiora: vnde liquores quosdam videmus, qui ob maximum quem in se continent virtualem calorem, nunquam congelantur. Si tamen contingeret vas oleo vel butyro plenum aurâ frigidissimâ sub dio longo tempore relictum planè congelari, & in glaciem concrescere instar aquæ, & vas nihilominus non frangi (quod tamen mihi est valde dubium, imò existimo id nunquam euenturum) dici probabilissimè potest, id inde prouenire, quòd illa plurimos in se vapores, & exhalationes calidas contineant, vt constat ex eorundem leuitate, cum omnibus liquoribus supernatent: vnde exhalationes istæ, & vapores cum magno numero sint, facilè se dilatant, & locum à butyro vel oleo relictum replent.

Cur oleum non facile congelatur.

Quare congelato oleo vas non frangeretur.

X. *Vas non frangitur donec tota aqua congelatur.*

Respondet idem secundò: aquam, vt constat, non congelari totam simul, sed partem superiorem prius, mox inferiorem, & hoc modo paulatim vsque ad imum. Hinc, inquit, *euidenter* argumentor; vas non frangitur quam primum aquæ pars suprema congelatur, & prima ei glaciei crusta inducitur, sed solum quando tota aqua est in glaciem conuersa, ergo non frangitur ad vitandum vacuum. Patet, inquit, *euidenter* consequentia, sic enim vbi prima aquæ superficies congelatur, frangi deberet vas, cum ibi exiguum saltem vacuum relinquatur, natura autem æqualiter horret paruum vacuum, & magnum. Vnde tandem ait, mirari se tot auctores hæc non considerasse, sed hoc argumento serò vti contra opinionem de corpusculis.

Natura perinde horret paruum, & magnum vacuum.

XI. *Id vnum certum, in Philosophiâ, pleraque esse incerta.*

At sanè dempta illâ voce *euidenter* (quâ Philosopho parcè vtendum censeo, cum in Philosophicis pleraque sint incerta) nihil in hoc argumento video quod magnopere vrgeat, aut quemquam quominus hac experientiâ contra sententiam illam vtatur, deterreat.

XII. *Congelatâ supremâ aquæ superficie, reliqua aqua nonnihil dilatatur ad vitandum vacuum.*

Resp. ergo, nec frangi vas statim ac suprema aquæ pars congelatur, nec tamen dari vacuum: primò enim dici potest, dum vna pars aquæ condensatur, & constipatur in glaciem, reliquas aquæ partes nonnihil dilatari per accidens, & locum à priore aquâ relictum occupare: sicque vbi tota aqua fuerit congelata, cum nihil amplius sit quod locum ab aquâ relictum repleat, vas frangitur, ne detur vacuum. Nec mirum cuiquam videri debet aquam in his circumstantiis contra naturalem suam inclinationem rarescere, cùm ad vitandum vacuum grauia passim ascendere videamus, leuia descendere, & totum penè naturæ ordinem inuerti. Quod latiùs declarabitur infrà s. 6 n. 5.

XIII. *Aer in vase inclusus interdum illud frangi impedit.*

Quòd si cui hæc responsio, quæ tamen mihi valde probabilis videtur, nō placeat, dicere potest, vel in aquâ ipsâ, vel poris vasis vapores aliquos exiguos latere, qui, dum aqua condensatur, dilatantur & in eius locum subeunt, donec gelu & frigore inualescente, ad tantam raritatem excrescere nō possunt, tunc autem, ne detur vacuum, vas frangitur.

XIV. *Non frangitur vas quod eius temperamentum a frigore destruatur.*

Respondet tertiò, & præcipuè, frangi tunc vas quòd nimio frigore iustum eius temperamentum destruatur, sicque nil mirum si frangatur, & agat rimas. Contrà primò, si hæc sit ratio, non tantum ageret rimas vas illud, sed totum in partes minutissimas dissiliret, cùm frigus omnes vasis partes æqualiter afficiat, cuius tamen contrarium constat experientiâ; si enim fiat vel minima fissura, vas vlterius non comminuitur, quasi solum eguisset spiraculo, per quod aër ingrederetur, ad impediendum vacuum.

XV. Contrà secundò, ergo etiam vas vacuum hyeme

frigori

Si ideò frangatur vas, quia per frigus destruitur aliquod temperamentum, deberet ob hoc etiam aliquas partes frangi.

frigori vehementi, & gelu expositum frangeretur, quod tamen est planè contra experientiam. Respondet n. 221 negando cõsequentiam; aërem enim solum ait, non esse tam operatiuum, & frigoris productiuum, ac est aqua, vnde, inquit, bonum vitrum, valde etiam frigidum, pati potest, non potest aquam frigidam. Contrà, vel per aquam intelligit aquam liquidam, ab hac autem non frangitur vas illud, cũ, vt fatetur, non frangatur, donec tota aqua sit congelata: vel per aquam intelligit aquam gelu constrictam, seu glaciem; si autem hæc esset causa fractionis vasis, deberet alias præterea illius partes comminuere, quibus, durante adhuc gelu, & frigore magis in dies intendente, glacies adhærescit, ex eâdem enim causa idẽ prouenire deberet effectus.

Glacies diu adhærens tubo plumbeo iam fracto, non illum frangit vlterius.

Contrarium tamen constat experientiâ, vbi enim semel, vt dixi, in tubo aliquo plumbeo ex. g. facta est exigua fissura, quasi iam satisfactum esset exigentiæ vniuersi, & naturæ laboranti succursum, etiamsi per multos adhuc dies tubo illi glacies adhæreat, eum tamen vlterius non comminuit.

XVI. *Quomodo contingat vas, etiam apertum, frangi ad vitandum vacuum.*

Quod verò respondet, vas etiam apertum, vt peluim testaceam, aquâ plenam frangi, si aqua congeletur, fractio ergo vasis, inquit, non prouenit ex vacuo ab aqua relicto, cum hoc repleri possit ab aëre ambiente. Contrà, vas nunquam frangitur, vt ipse fatetur n. 218. donec tota aqua congeletur, qua ergo tunc ingredietur aer ambiens, vt locum à minimâ parte aquæ quæ postremò in ipso vasis fundo congelatur, repleat? glacies enim, quæ ad magnam iam crassitiem, supremam peluis partem occupat, eiusque etiam lateribus tenacissimè adhærescit, omnes vndique meatus obstruit. Cùm ergo densa illa glacies sit testâ tenacior, & via vi fieri debeat, vas funditus, non glacies.

XVII. *Nonnunquam frangitur vas aeneum ad vitandum vacuum.*

Imò existimo tantam esse posse glaciei crassitiem (accedente præsertim ex diuturno gelu maiore firmitate) vt non tantùm vas fictile frangatur potiùs quàm glacies, vt aer ad vitandum vacuum intromittatur, sed stanneum etiam, & ferreum, maximè si horum latera sint tenuiora. Si tamen vas stanneum, vel ferreum sit crassum, puto potiùs frangendam glaciem: imò à curiosis harum rerum exploratoribus, fideque dignissimis accepi, hoc iis spectantibus contigisse; in magno enim gelo, vbi aqua in vase quodam iam congelaretur, dixerunt vidisse se glaciem magno cum strepitu diruptam, vase integro permanente.

Aliquando frangitur glacies.

XVIII. *In glacie, vt pedibus, ita mente vix firmiter inceditur.*

Hæc de glacie mihi dicenda occurrerunt. Video tamen rem esse lubricam, nec reperiri in eâ facilè posse vbi quis firmiter figat pedem, siue hac viâ incesserit, siue aliâ, imò dum quis rem se tenere autumat, illico è manibus elabitur. Censeo nihilominus ea, quæ hîc dixi, esse similiora vero, clarioribusque niti, tum rationibus, tum experientiis. Quibus tamen non ita tenaciter adhæreo, vt, siquid melius ab aliis traditum videro, non sim illud libenter amplexurus.

SECTIO IV.

Vera sententia circa rarefactionem & Condensationem.

I. *Rarefactio consistit formaliter in maiori extensione partium: condensatio*

Dicendum ergo, rarefactionem *formaliter* consistere in maiori extensione partium materiæ, & quantitatis, & consequenter formæ, & accidentium materialium, seu in maiori præsentiâ locali, per quam simpliciter correspondeant maiori spatio quã antea: *causaliter* verò consistit in quibusdam qualitatibus in materia illa productis, exigentibus maiorem illam partium extensionem. Condensatio verò è contrà est earundem partium contractio, seu in minorem locum redactio. ita S. Thomas 4. Physic. lect. 14. & 2. 2. q. 52. art. 2 ad primum: Greg. in 2. d. 12. q. 2. art. 1. Capreol. d. 18. q. 1. Soncin. l. 8. Metaph. q. 27. Durand. in 1. d. 17 q. 7. nu. 22. & in 2 d. 18. q. 1. Sotus cap. de quant. in Log. q. 2. Fonse. 5. Met. c. 13. sect. 4. ad 2. Conimb. l. 1 de Gen. c. 5. q. 17. art. 3. Rub. l. 1 Gen. c. 5. tract. de rarefact. q. 1. n. 128. Hurt. hic d. 4. s. 4 & 5. & tenere videtur Mutera l. 4. Phy. d. 2. q. 3. estque communis inter recentiores opinio.

In reductione earundem ad locum minorem.

II. *In rarefac. & condensat. prior vbicatio tota perit, & noua producitur.*

Quando autem vel rarefit, vel condensatur corpus aliquod, debet necessariò perire tota præcedẽs vbicatio, si rarefiat & condenseiur secundum omnes sui partes, & noua vbicatio produci, quia scilicet singulæ partes extenduntur, & correspondent nouo spatio inadæquato.

III. *Rarefactio, & condensatio radicalis, seu causalis.*

Est autem raritas duplex, sicut & densitas: *in actu primo*, seu *radicalis*; & *in actu secundo*, seu *actualis*. *Radicalis* nihil est aliud quàm tale temperamentum qualitatum exigentium talem extensionem, vel coarctationem partium: vnde corpus Christi in Eucharistia habet eandem rarefactionem vel condensationem *radicalem*, quam habet in cœlo, nempe idem temperamentum qualitatum, non tamen habet eandem *actualem*, hæc enim dicit, quòd partes illius actu extendantur, vel coarctentur: in Eucharistia autem neutrum fit; licèt enim totum corpus Christi sit in singulis punctis, non tamen est ibi per condensationem partium, sed per penetrationem. Vnde rarefactio *actualis* mutatur quoties corpus mouetur loco, non tamen dicitur tunc corpus rarefieri, & condensari, hæc enim nomina significant mutationem à minori ad maiorem dimensionem, vel è contrà à maiori ad minorem, quàm rei naturaliter competat, vnde denotant primam rei sub illis dimensionibus positionem.

Rarefactio & Condensatio actualis mutatur, quoties corpus mutat locum.

IV. *Res quaelibet habet naturaliter certos terminos extensionis.*

Est ergo in quauis parte materiæ, vel quantitatis, & aliorum accidentium corporeorum, sicut & formarum, etiam materialium, aptitudo quædam, & capacitas extensionis ad tantam, vel tantam magnitudinem, vltra quam naturaliter extendi non possunt, habentque quasi sphæram quandam magnitudinis, sicut Angelus suo modo extensionis: & similiter, vt videtur, paruitatis; nec enim potest naturaliter scintilla aliqua, aut formica rarefieri ad magnitudinem montis vel solis; nec mons, aut tota sphæra ignis condensari ad paruitatem scintillæ, vel formicæ.

V. *Partes rei corporeæ extendi possunt, puncta non possunt.*

Cùm ergo partes rei corporeæ non sint indiuisibiles quoad spatium, sicut puncta (quæ proinde extendi per spatium diuisibile non possunt) hæ, inquã, partes, sicut naturaliter possunt, imò petunt extendi per spatium diuisibile, poterunt etiã ad spatiũ maius & maius extendi, donec perueniãt ad *vltimum quod sit extensionis*, vltra quod si adhuc dilatentur, nõ videntur muneri ad quod à natura instituta sunt, esse aptæ: quando enim adeò raræ sunt ac tenues nec videntur posse inter se satis cohærere, nec esse subiectum aptum accidentium, & formæ substantialis.

SECTIO V.

Obiectiones contra rarefactionem & condensationem declaratas per extensionem, & contractionem partium.

I. *Obiic. sequi posse Angelum rarefieri, & condensari.*

OBiicit primò P. Arriaga d. 16. Phy. s. 10. n. 185. si rarefactio fiat tantùm per maiorem, condẽsatio per minorem extensionem, sequitur, Angelum rarefieri, & condensari, dum nunc maiorem, nunc minorem locum occupat. Contrà, ergo & in con-

traria sententia rarefiet Angelus, si, vt potest, minutissima spatia, & quasi poros quosdam relinquat, corpusculis repletos. Saltem plures Angeli numero distincti, si relictis maioribus interuallis, se ita in paruo aliquo spatio constituant, vt exiguas illas intercapedines inter se relinquant, dicentur condensari. Gratis enim, vt bene aduertit P. Ouiedo hic contr. 7. p. 5. n. 2. ad condensationem requiritur maior partium vnio, sed sufficit, inquit, maior earum approximatio.

Retorquetur obiectio.

II. Resp. itaque pro vtraque sententia negando sequelam, sicut secundùm omnes non censeretur rarefieri exigua aliqua particula ferri, si diuinitùs collocaretur in diuersis locis contiguis, vt latiùs dicam sect. sequente, n. 2. Rarefactio ergo in conceptu suo dicit eiusmodi maiorem præsentiam, qua partes diuisibiles conformiter naturæ suæ ad maius spatium extenduntur, ita scilicet, vt pars parti spatij correspondeat, nec ad eadem munera aptæ maneant; materia enim valde rarefacta non est apta ad connaturaliter recipiendas dispositiones, & formam ferri ex. gr. aut lapidis, ad grauitatem, ad lucem, & calorem intensum, & tam citò producendum, & alia huiusmodi. Neutrum verò horum reperitur in Angelo, qui inprimis totus est in qualibet parte, & puncto spatij: deinde, operationes suas, intellectionem scilicet & volitionem, & reliquas æquè perfectè exercere potest quando extenditur per totum hoc gymnasium, aut domum, ac quando est in vno solum palmo, aut etiam puncto.

Duo reperiuntur in rarefactione, quorum neutrum Angelo eminet.

III. Obicit idem secundò, nu. 198 in aquâ calefactâ varias apparent bullæ aëre, aut atomis plenæ, ergo per illas fit rarefactio. Resp. bullas quidem aliquas in aquâ ebulliente semper apparere, per illas tamen non fit aquæ rarefactio: imò dum hoc modo à fundo, vt fit, istiusmodi bullæ erumpunt, reliquæ aquæ partes constipantur potiùs per illas, & condensantur quàm rarescunt. Deinde, omnes aquæ partes rarefiunt, & omninò gratis id negaretur, cùm dispositio ad rarefactionem in omnibus æqualiter producitur. Dicere autem cum quibusdam, esse in omnibus propè aquæ rarefactæ partibus bullas, licèt ob paruitatem non cernantur, est (sicut nonnulli confugiunt ad qualitates occultas) confugere ad bullas occultas, & rem per se obscuram nouis tenebris inuoluere. Adde multos dicere metalla quædam rarefieri, & intumescere sine bullis, ergo non semper per bullas fit rarefactio.

Bullæ in aqua ebulliente condensant potius aquam, quàm rarefaciunt.

Confugere ad qualitates, & bullas occultas parum est Philosophicum.

IV. Obicit tertiò: carnem humanam dici rarefieri dum pori eius magis recluduntur, condensari dum occluduntur, ergo rarefactio, & condensatio fiunt per intromissionem, & expulsionem corpusculorum. Contrà, hinc sequitur contra ipsum, rarefactionem non fieri per discontinuationem partium priùs vnitarum, quis enim credet æstate omnes propè carnis partes discontinuari, & hyeme easdem iterum vniri, quasi caro & res huiusmodi solidæ tam facilè separarentur, & vnirentur, sicut lac, aqua, vinum & aliæ res fluidæ?

Obiicitur carnis rarefieri per dilatationem pororum.

V. Resp. ergo, dilatationem illam carnis non fieri per rarefactionem, sed tantùm per intromissionem humorum quorundam intra poros, quam siquis vocet rarefactionem, sequetur spongiam, vel vesicam rarefieri, dum illa aquâ, hæc vento repletur; pori enim nihil sunt aliud quàm quædam quasi vesiculæ, seu meatus ad humores & vapores excipiendos & expellendos idoneæ. Hæc ergo non est rarefactio Philosophicè, sed vulgariter sumpta; vulgus enim, quicquid intumescit, aut dilatatur, rarefieri dicit, & quicquid quouis modo constipatur, condensari. Sic passim homines vas vacuum appellant, quod lac, aquâ, aut quid simile non continet, quantumuis aëre repleatur, domum vacuam, in qua nullus habitat, & similia. In his ergo non sequendus, sed corrigendus est conceptus vulgi à Philosopho.

Resp. illam carnis dilatationem non fieri per rarefactionem.

Rarefactio vulgariter & Philosophicè sumpta.

Conceptus vulgi corrigendus est à Philosopho.

VI. Obicitur quartò, estque præcipua difficultas in hac materiâ: hinc sequi, in rarefactione vnam partem materiæ & quantitatis fore in duobus locis; quod patet cùm enim pars quantitatis, quæ antea erat in medio palmo extenditur per rarefactionem ad palmum eadem pars quæ priùs occupabat vnam solam partem seu medietatem palmi spatij, nunc vtramque medietatem occupat, ergo illa quæ priùs erat solùm in vnâ parte spatij, postea est in duabus. Conf. in condensatione videtur necessariò debere duas partes quantitatis esse in eodem loco: dum enim quantitas sub palmo spatij existens reducitur per condensationem ad medium palmum, vtraque pars seu medietas illius quantitatis reducitur ad locum vnius, ergo duæ illæ medietates penetrantur inter se.

Præcipua difficultas circa rarefactionem.

Sequi videtur eandem partem materiæ per rarefactionem esse in duobus locis, & per condensationem duas in eodem.

VII. Resp. & prius ad hoc vltimum de condensatione, esto vtraque medietas sit iam in loco vnius, non tamen hinc sequitur penetratio; ad hoc enim vt esset penetratio, deberet prior medietas manere adæquatè in loco, vbi antè erat, & alia medietas ad eundem locum accedere: hic autem non ita contingit; prima enim medietas secundùm nihil sui manet adæquatè in priori loco, sed recedit, eumque ex parte deserit, & alia medietas locum ab eâ relictum occupat, vbi nulla est penetratio, vt videtur clarum. Sicut ex. g. si duo Angeli sibi proximi existant in duobus palmis spatij, & dum alter accederet ad locum alterius, alter in parte spatij versus illum Angelum paulatim cederet, & se contraheret, licèt vterque sit post finitum motum in eodem spatio, palmo v. g. in quo priùs erat vnus solus, adhuc non penetrabuntur, vterque enim se contraheret ad medium palmi. Licèt hoc exemplum in omnibus præsenti casui non conueniat.

Ostenditur quomodo in condensatione nulla sit penetratio.

VIII. In rarefactione etiam, simili penè modo se res habet: vt enim pars quantitatis esset in duobus locis, deberet manere eo modo quo erat in priore medietate spatij, replicari & poni iterum in aliâ, quod hic non fit, non enim manet eodē modo quo priùs in alterâ medietate spatij, sed secundùm mediâ partem sui acquirit nouam partem spatij, illa verò pars, quæ ponitur in nouo spatio, non manet in priori.

In rarefactione nulla pars ponitur adæquatè in duobus locis.

IX. Singulæ ergo partes occupant maiorem locum quàm antea, non tamen ponuntur in duobus locis adæquatis; quod enim hoc modo ponitur, posset ab Angelo intuitiuè illud cernente percipi quousque totum semel pertingat, & vbi incipiat multiplicari, quod hic non contingit, nam licèt tota pars, palmus v. g. vel digitus, iam sit in duobus palmis, vel digitis, cùm antea tantùm esset in vno, non tamen ita vt tota illa pars quantitatis sit in vno palmo, & tota in alio, sed pars in vno, & pars in alio, sicque est in maiori loco quàm antea, non tamen in duobus locis adæquatis, sed ad summum inadæquatis. Idem proportione seruatâ est de partibus proportionalibus, licèt siquis in ipsis formet argumentum, infinita sequatur confusio.

Declaratur vberiùs quomodo per rarefactionem nulla pars sit in duobus locis adæquatis.

X. Dices; si pedi aëris detur vbicatio trium pedum, triplo plures erunt partes vbicationis quàm aëris. Resp. negando suppositum, dari scilicet pedem, digitum, aut vlnam alicuius rei, seclusâ vbicatione: hæ enim voces connotant extensionem in ordine ad locum, & consequenter vbicationem. Dico itaque independenter ab vbicatione tantùm dari pedem, aut vlnam ligni, ferri, lapidis &c. radicaliter, id est, datur entitas, quæ apta est has vbicationes & mensuras formales, nunc vnam, nunc aliam accipere. Quo notato, cessat difficultas.

Pes, vlna, palmus, & reliquæ mensuræ formales, connotant essentialiter vbicationem.

SECTIO

SECTIO VI.

Inferuntur quædam circa rarefactionem & condensationem.

I. *Quoties vnum corpus rarefit, aliud naturaliter condensatur, & è contrà.*

EX hactenus dictis infero primò: quoties vnum corpus rarefit, debere aliud, naturaliter loquẽdo, condensari, & è contrà. Ratio est quia alioqui vel daretur vacuum, dum corpus condensatur, vel penetratio dũ rarefit. Nec adeò est difficile, ac nonnulli autumant, cõdensato vno corpore aliud rarefieri ad vitandum vacuum, cùm ne detur vacuum, longè alia naturaliter fieri videamus: aqua enim in lagenâ inuersâ angusto orificio non cadit, licèt orificium sit apertum. Item dum duo plana se tangũt, eleuato superiore, inferius ascendit nemine tangente, vel impellente, & sexcenta huiusmodi.

II. *Parua rari fieri in pluribus locis adæquatis sibi proximis posita, non forent rarefacta.*

Infero secundò: si Deus eandem materiam, aut quantitatem digitalem, aut palmarem sæpiùs multiplicaret, & hoc modo in locis sibi proximis multiplicatam vnione continuatiuâ connecteret, non futuram materiam illam, aut quantitatem raram. Ratio[illegible], quia non foret parum materiæ sub magnis dimensionibus, sed parua materia sæpiùs sub paruis. Vt ergo aliquid dicatur rarum, debet occupare multum spatij naturali modo, seu per extensionem, non per multiplicationem, hoc modo enim definitionem illam intellexit Aristoteles, qui non nouit casus miraculosos.

III. *Rarefactio non fit à solo calore, nec condensatio à solo frigore.*

Infero tertiò: nec rarefactionem fieri per solum calorem, nec condensationem tantùm per frigus; condensatio enim aliquando fieri potest per impetum, & motum localem, vt multi probabiliter dicunt contingere in exhalatione ignitâ in nube inclusâ. Rarefactio etiam per accidens occasionaliter fieri potest à frigore, & condensatio à calore: dum enim vnum corpus per frigus condensatur, aliud rarefit ne detur vacuum, & è contrà, dum vnum per calorem rarefit, aliud condensatur ne detur penetratio, vt dictum est n. 1.

IV. Infero quartò: rationem cur res durissimæ, vt ferrum, æs, marmor, non rarefiant, non esse quòd rarefactio consistat in discontinuatione partium; in ea enim non posse eam consistere ostendi sect. præcedente, n. 4. & 5. Ratio ergo est, quòd durities resistat maiori, vel minori extensioni, petatque partes rei eandem in se semper proportionem & ordinem seruare, vt videmus experientiâ, quod est contra rationem rarefactionis, & condensationis, vt constat. *Cur res durissima, vt ferrum, aut marmor, non rarefiant.*

Infero quintò ex dictis supra sect. 3. n. 12. probabilem assignari posse rationẽ, cur glacies aquæ semper supernatet. Ratio ergo est, quia cùm, post primæ superficiei congelationem aqua rarefiat (rarefactio autem plerumque est causa minoris grauitatis, sicut condensatio maioris) gelu illam iam nonnihil rarefactam occupat, & congelat, & licèt eam restringat ad paulò minorem extensionem quàm habebat immediatè ante congelationem, est tamen congelata in paulo maiore extensione, quam naturâ suâ, seu dum est liquida, postulat, sicque est paulò leuior. V. *Quare glacies aquæ supernatet.*

Hoc mihi multo probabilius videtur quàm quod dicit Arriaga hic d. 4. s. 2. n. 32. qui ideò ait glaciem aquæ supernatare, quòd sit purior, neque tot terreas exhalationes habeat sibi admixtas, ac habet aqua liquida. Contra enim hoc est primò: si namque sint veræ exhalationes, sunt leues, vt constat in exhalationibus ex aquâ calefactâ ortis, & in nebula à terrâ ascendente, rem proinde cui insunt, reddunt leuiorem, & eleuant potiùs, quàm deprimunt. Si verò sint puluisculi terrei, vt paulò antè insinuat frigus & gelu eos non segregaret, sed sicut res alias, siquæ immediatè ante in aquâ fuissent, intra ipsam glaciem constringeret. VI. *Ratio ab aliis assignata, cur glacies aquæ supernatet, non satisfacit.*

Secundò & præcipuè contra hanc rationem est: sumamus glaciem, quæ, vt ipse ait, est defæcata, & ab omni exhalatione, ac terreâ concretione, seu puluisculis depurata, sumamus, inquam, hanc glaciem, eamque in aliud vas purissimum ex auro, argento, vel vitro, vbi nihil terrenum est, immittamus, adhuc dum liquescit, supernatabit huic ipsi aquæ in quam resoluitur, non minùs quàm alteri cuicumque & tamen aqua hæc nihil in se habet terreum, magis quàm glacies, à qua defluxit, nec in alio ab eâ differt, nisi in mollitie, ac densitate. VII. *Glacies nõ est magis à terreis puluisculis depurata, quã aqua.*

DISPVTATIO XII.

De Elementis.

HIc solùm restant quædam de elementis discutienda, quæ eo breuiùs licebit perstringere, quo sæpiùs tum in his libris, tum in Physicis de iisdem occurrit sermo. Cùm tamen hic proprius sit eorum locus, omnimoda de iis tractatio non est omittenda.

SECTIO PRIMA.

Definitio, numerus, & situs elementorum.

I. *Elementũ variè sumitur.*

ELementum subinde sumitur pro intrinseco cõstitutiuo alicuius rei: sic litteræ vocantur elementa dictionis, materia & forma elementa compositi &c. Hìc autem accipitur elementum ab Aristotele *pro principio primo, & indiuisibili in certo quodam ordine, & alteri formaliter, vel virtualiter inexistente.* Ad hanc siue definitionem, siue descriptionem elementi laborant interpretes vt elementa, de quibus hìc est sermo, reducant, quod tamen factu non est difficile, si particula illa *indiuisibili* intelligatur ita, vt non possint elementa nostra diuidi in alia corpora completa, quæ in ipsis formaliter vel virtualiter contineantur. Licèt enim elementa virtualiter, seu secundum qualitates suas & accidentia contineantur in mixtis, vt latè declarauimus in Physicis dum de materiâ primâ, mixta tamen nec virtualiter continentur in elementis. Clariùs tamen hanc Aristotelis definitionem elementi explicant his verbis recentiores quidam, & sic illud definiunt: *Elementum est corpus substantiale completum, excludens mixtionem ex primis qualitatibus.* *Aristot. definit, vel describit elementum.* *Clarior elementi definitio.*

Elementa vulgata, de quibus hìc sermo, sunt quatuor; *Ignis*, qui supremum, & cœlo proximum locũ obtinet, deinde *Aer*, postea *Aqua*, & omnium infimo loco *Terra*. Quòd terra sit naturâ suâ inferior aëre & igne, nulli dubium: de aquâ dubitari posset sed controuersiam dirimit Scriptura, Gen. 1. v. 9. vbi dicitur, congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum, & appareat arida, ergo aqua priùs operiebat terram, sed ob bonum vniuersi, & vt relinqueretur aptus locus animalibus, vbi degerent, se- II. *Elementa quatuor: Ignis, Aër, Aqua, Terra.* *Aqua naturâ sua est terrâ superior.*

Aqua maris non est omninò plana, sed nonnihil in globum assurgit.

gregata est in vnum locum. Aqua maris non est omninò plana, etiam in malaciâ, sed nonnihil protuberat in globum; cuius indicium est, quòd si quis in speculam, vel promontorium propter mare situm ascendat, videbit nauim in mari, etiam ad magnam distantiam, quam tamen stans in littore cernere non posset. Idipsum confirmat communis nautarum consuetudo, qui malum identidem conscendunt, vt naues à longè conspiciant.

III.
Datur ignis sphæra Lunæ contigua.

Esse in concauo sphæræ lunæ ignem suadet, tum quòd cætera elementa habeant suam sphærâ, quidni ergo & ignis suam? deinde, videmus flammam perpetuò niti sursum in formam pyramidis, ergo sicut inde ex simili arguimus locum aëris esse supra terram, & aquam, quod nimirum semper videamus in locum supra eas niti, quidni idem dicamus de igne, qui nititur ascendere supra aërem?

IV.
Ignis in sphæra propria supra aërem non foret otiosus.

Nec foret ibi otiosus ignis, vt prætendunt aliqui, sicut nec potentia nutritiua in corporibus Beatorum: sed primò compleret pulchritudinem vniuersi: deinde eodem modo arguere quis posset tantam copiam aëris, terræ, aut aquæ esse superfluam. Prætereà, calefacit aërem vicinum, eumque à frigidis influxibus lunæ, Saturni, & aliorum siderum defendit. Licèt verò hic egeat pabulo ob tot contraria, non tamen in suâ sphærâ, vbi est tutus à contrariis. Ratio verò cur illum ibi non videamus, est ob summam raritatem. Quòd autem sit ibi ignis, indicant frequentes cometæ in supremâ aëris parte ab igne illo accensi. Est etiam ignis sub terrâ, vt constat ex variis historiis; imò ignis inferni est in ipsis terræ visceribus: neuter tamen illic est naturaliter, sed ignis infernus ex peculiari Dei ordinatione est in cauernis illis conclusus, alius per accidens, ex materiâ ibi sulphureâ accensus.

Existit etiā ignis in locis subterraneis.

V.
Causa naturalis fontium.

Quæres, quæ sit causa naturalis fontium? Resp. plurimos per venas & poros terræ subterraneos ex mari procedere, vbi per tot lapides & angostos meatus transeundo salsedinem exuunt. Et hoc sensu facilè explicatur Scriptura Eccles. 1. v. 7. dum ait, *vnde exeunt flumina reuertuntur.* Alij tamen dicunt fontes progigni ex aëre in cauernis terræ, & locis frigidis incluso, vnde condensatur paulatim, & in aquam conuertitur. Ad locum autem illum Scripturæ dicunt, flumina exire ex mari virtualiter, quia scilicet vapores ea quibus oriuntur fontes, maxima ex parte procedunt è mari.

VI.
Elementa in sua sphæra nec grauitant, nec leuitant.

Quæres secundò, vtrùm elementa in suâ sphærâ grauitent, aut leuitent? Resp. negatiuè pisces enim & homines natantes sub aquis nullum sentiunt pōdus. Ratio est, quia motus grauitatis & leuitatis est ob bonum aliquod rei quæ leuitat aut grauitat, nempe vt illam statuat in loco ipsi commodo, seu tuto à contrariis: cùm ergo ibi semel elementum est constitutum, non amplius petit huiusmodi motum, sed fruitur quiete. Prætereà omnes partes ignis ex. g. sunt eiusdem leuitatis, ergo licèt petāt esse supra omnes alias res, non tamen petit vna pars ignis esse supra aliam, sibi omninò similem, & in leuitate æqualem.

VII.
Terra non ita est ponderibus suis librata, vt minimo addito pondere, moueatur.

Idem est de terra quoad locum infimum, & proportione seruatâ, de reliquis elementis. Falsum etiā est quod ait Vasquez 1. 2. d. 81. c. 3. n. 21. Salas, & alij, additione vel minimi ponderis totam terram tremere: primò enim hoc est apertè contra omnem experientiam; nam quantumuis magnæ moles ruant, nullam tamen inde trepidationem terræ sentimus, si aliquo interuallo à ruinâ illâ distemus. Deinde, manifestum est, terram non ita esse sphæricā, nec mathematicè adeò suis libratam ponderibus, vt planè in æquilibrio locetur, quod constat ex tot montibus, & vallibus, quæ vbique in terrâ cernuntur.

Falluntur ergo qui existimant, si iis consistendi locus daretur in aëre, non nihil à terrâ remotis, posse eos terram mouere. Falluntur, inquam, hoc enim si fieri posset, quare de facto venti vehementes, toto impetu in terram delati, eam non mouent? Cur turris aliqua vi ventorum deiecta, tota sua mole in terram ruens, eam similiter non mouet? Imò hominem qui hoc modo nonnihil à terrâ remotus staret, non existimo posse mouere terram circulariter; quo enim moles est maior, eo videmus maiores vires ad eam etiam circulariter mouendam esse necessarias: quæ ergo vires requiruntur ad totam terræ machinam hoc modo circumuoluendam? VIII.

Licet alicui daretur locus consistendi in aëre non posset nihilominus terrā mouere.

SECTIO II.

An sint, & quid sint quatuor primæ qualitates.

QVidam apud Conimb. hîc c. 3. q. 2. art. 2. dixerunt, non dari quatuor primas qualitates, sed calorem tantùm, & humiditatem: frigus autem & siccitatem nihil aiebāt esse aliud, quàm negationes, illud caloris, hanc humiditatis. Sed contra, si frigus, & siccitas sint meræ negationes, ergo terra nullam omninò habebit qualitatem. I.

Quidā sed calorem, & frigus dixerunt esse tātùm negationes.

Alij apud eosdem calorem, frigus & humiditatem dicebant esse qualitates, siccitatem verò tantùm esse negationem humiditatis. Hos ex parte sequutus videtur P. Arriaga hîc d. 4. sect. 2. n. 9. qui humiditatem solum vult esse corpora, seu substantiam fluidam; siccitatem verò asserit nihil aliud esse quam huiusmodi corporum fluidorum carentiam. II.

Alij humiditatem, & siccitatem negant esse qualitates.

Contrà primò, nam vt bene Ouiedo hîc contr. 8. p. 5. nu. 3. dum res siccas & humidas manibus tractamus, aliquid aliud sentimus præter calorem & frigus, quodque eadem re de calidâ mutatâ in frigidam, & è contrà, in re illa permanet, & sensum eodem semper modo afficit; sed non tangimus substantiam immediatè, ergo dantur humiditas & siccitas à rerum substantiis distinctæ. Conf. quando quis fauces habet arentes, indeque sentit molestiā, verè aliquid percipit distinctum à substantiâ linguæ, aut palati: id verò nec est calor, nec frigus, quæ illic possunt non esse immoderata; nec tandem illic sensu percipit negationem corporis humidi, negationes enim non palpantur, nec sensibus percipiuntur, ergo siccitas, seu qualitas aliqua est, quæ ipsi tunc creat molestiam. III.

Sensu percipimus humiditatem & siccitatē distinctas à calore, & frigore.

Dum quis fauces habet aridas, sentit siccitatem.

Contrà secundò, destructâ vini substantiâ manet eius humiditas; ergo est quid à substantia vini distinctum. Respondet n. 18 non manere humorem, sed partes accidentis cum eâ fluxibilitate quam haberent, si ibi esset substantia vini. Contrà, fluxibilitas illa non est substantia, sic enim peractâ consecratione, substantia aliqua vini remaneret, quod dici nequit, cùm secundùm Patres omnes, & Theologos, imò Ecclesiam ipsam, nihil in sacrosancta Eucharistia maneat præter species, seu accidentia panis & vini: cùm ergo fluxibilitas illa maneat, debet esse accidens, alioqui vt dixi aliquid in Eucharistiâ maneret præter accidentia. IV.

Humiditatem esse accidens probatur ex Mysterio sacrosanctæ Eucharistiæ.

Quòd verò si vitrum interponatur, aqua non humectet rem ex alterâ parte vitri positam, non arguit humiditatem non esse qualitatem ab aquâ distinctam, eamque non esse actiuam, sed non esse tam fortiter actiuam vt agere possit per medium tā densum; vel ad summum probat, humiditatem solùm agere per contactum. Quo sensu autem dixerit Aristoteles calorem & frigus esse actiua, humiditatem & siccitatem passiuas, dixi suprà d. 7. s. 1. n. 2. V.

Humiditas non tam actiua, ac calor, aut frigus.

Primò

VI. *Primæ qualitates sunt quatuor. Cur dictæ primæ.*

Primæ ergo qualitates sunt quatuor, calor, frigus, humiditas, & siccitas: ideo dictæ primæ, quia comites elementorum, & præterea quòd aliæ, vt color, odor, sapor, & eiusmodi, ex iis oriantur, & ad diuersam earum attemperationem sequantur. Non tamen omnes qualitates ab iis oriuntur; lux enim producitur à sole vt constat, vt apparet in igne, seu flammâ.

VII. *Calor congregat homogenea.*

Calorem sic definit vel describit Aristoteles hic l. 2. c. 2. calor est *quod congregat homogenea*, seu res eiusdem generis, vt constat in metallis quæ per ignem segregantur à se inuicem, & quæ sunt eiusdem rationis, in vnum confluunt, vt cernitur in auro, argento, stanno, plumbo, argento viuo, & aliis, quæ dum priùs latebant in eadem glebâ permixta, vt ignis liquefiunt, sicque cùm alia sint aliis ponderosiora, quæ sunt eiusdem rationis, in vnum confluunt, sicque congregantur homogenea. Frigus, inquit ibidem Aristoteles, est *quod congregat tam homogenea, quam heterogenea*, seu quæ generis sunt diuersi, vt constat in aquâ congelatâ, in quâ quidquid reperit frigus, vnà constringit, vt aquam, ligna, paleas, arbores, pisces &c. Ex his tamen definitionibus nec vna nec altera videtur esse propria, sed solùm aliqua eorum explicatio in ordine ad operationes, & effectus nobis notos; nam etiam aliquando calor congregat heterogenea: dum enim indurat lutum, quæcunque in eo reperit, constringit, ligna, paleas, vermes &c. non minus quàm frigus in glacie.

Frigus congregat tam homogenea quàm heterogenea.

Calor subinde congregat heterogenea.

VIII. *Quid sit humidum.*

Humidum eodem loco ait Aristoteles esse *quod suis terminis & limitibus difficilè continetur, alienis verò facilè*, vt apparet in aqua, quæ ex se hinc inde in omnem partem diffluit: in vase autem facilè continetur, & ad illius terminos, ac figuram se sine difficultate accommodat. Siccum è contrà, inquit, est quod *suis limitibus facilè, alienis difficilè cohibetur*, id est, sicca in se, seu sua figura facilè persistunt, neque hac illac diffluunt, sicut humida; ad alterius verò corporis limites, & figuram ægrè per se loquendo efformantur: vt constat in ligno, lapidibus &c. quod tamen intelligi debet de iis quæ simul sicca sunt & dura, ac inter se concreta: ignis enim non difficulter se ad sphæræ lunæ terminos, & figuram accommodat, nec minus facilè arena vasis alicuius terminis continetur, quàm aqua.

Quid sit siccum.

SECTIO III.

Quomodo quatuor primæ qualitates conueniant Elementis.

I. *Verisimile est primas qualitates posse, vt ad gradũ octauum in aliquo corpore pertingãt.*

NOtandum, cùm quatuor primæ qualitates ad certum aliquem gradum possint naturaliter intendi (quem claritatis gratia, Philosophi, vt suprà aduertimus, vocant octauum) verosimile est eas petere in aliquo corpore ad gradum illum pertingere, Cùm ergo non possint in mistis, ob diuersum temperamentum primarum qualitatum, quod ipsum nomen mixtionis denotat, ad gradum illum peruenire, debent hoc habere in elementis, quibus primariò insunt. Quo posito, non videtur dubium quin ignis sit calidus, terra sicca in summo; hæc, quia in Scripturâ passim, & per antonomasiam vocatur *arida* quod illi nomen ob summã siccitatem impositum aiunt SS. Basilius & Ambrosius. Deinde, cessante pluuiâ, videmus terram ad tantam se siccitatem reducere, vt in puluerem dissoluatur. Ignis verò est summè calidus: nullum enim aliud corpus eum in calore exæquat, vt est manifestum.

Ignis est calidus, terra sicca in summo.

II. Difficultas est de aëre & aquâ, vtri competat frigus in summo. Resp. tamen, illud competere aquæ. Ratio est, quia frigus per se loquendo coarctat, & stringit magis partes, vnde videmus per calorem communiter rarefieri res, ac dilatari; per frigus verò condensari & constringi, sed aqua semper est densior aëre, ergo. Quare tribui debet aëri humiditas in summo, si vlli elemento tribui debeat, cùm nulla alia ei relicta sit qualitas quam habeat in summo, cum tamen aliquam habere verisimiliter debeat, non minùs quàm cætera elementa. Vlteriùs etiam probatur, quia aër difficilius continetur suis terminis quàm aqua, estque illa fluxibilior, ergo & humidior. Tandem in hanc sententiam feror, quia non video commodiorem primarum qualitatum inter elementa distributionem.

Aqua est frigida, aer humidus in summo.

Aër est fluxibilior aquâ, ergo humidior.

III. *Aqua non est humidior aëre, licèt magis humectet.*

Dices; aqua magis humectat quam aër, ergo est humidior. Contrà, sic etiam magis frigefacit, ergo malè ei negatur frigus in summo, quod tamen ab iis fit qui hoc obiiciunt. Magis ergo humectat aqua ob maiorem constipationem partium; vt ferrum calefactum magis calefacit quàm ignis.

IV. *Terra est magis porosa, sicque minùs densa quàm aqua.*

Dices secundò; si ex densitate desumi possit argumentum ad probãdum excessum frigoris, ergo terra deberet esse frigida in summo, cum habeat partes maximè constipatas. Resp. terram non habere partes magis constipatas, quàm habeat aqua, vt patet primò ex rarefactione, potest enim palmus aquæ latius extendi per rarefactionem, quàm palmus terræ. Deinde, terra est magis porosa, ergo illius partes non sunt adeò constipatæ, ac partes aquæ.

V. *Vnde proueniat, vt aer noctu in quibusdam locis, & in summis môtibus sit frigidior.*

Dices tertiò; aër in quibusdam regionibus noctu redditur valde frigidus: item in mediâ regione aëris, & in montibus editissimis aër est frigidior: vnde ibi, mediâ etiam æstate, in regionibus calidissimis videmus iacere, & conseruari niuem, quod signum est aërem illic, dum remouetur à contrariis, ad natiuam se frigiditatem reducere. Contrà, ergo aër in domo aliqua vndique parietibus clausa, deberet esse intensè frigidus, cùm remoueatur à contrariis, cuius tamen contrarium docet in dies experientia. Prouenit ergo frigus illud in aëre, vel à stellis quibusdam, & planetis frigidis, vel à vaporibus aqueis vndique cum aëre permixtis. Idê est de mediâ regione aëris, quo frigidi illi vapores fluunt, vt fugiant contrarium, ibi enim sunt maximè remoti à contrariis, à reflexione scilicet solis, & actione ignis in concauo sphæræ lunæ, quæ cõmuniter statuuntur tanquam limites mediæ regionis aëris, ac proinde etiam ibi liberius possunt stellæ & planetæ frigidi influxum suum frigidum in aëre producere.

Qui nã sint termini mediæ regionis aëris.

VI. *Quo sensu pluuia humectet aërem.*

Dices quartò; aqua pluuialis humectat aërem cadendo, ergo est illo humidior. Nego antecedens, si per humectare aërem intelligatur producere in eo humiditatem. Solùm ergo hoc sensu humectat aërem, nempe relinquendo in eo vapores quosdam aqueos, & crassos, qui permixti cum aëre reddunt illum magis aptum ad producendam humiditatem in corporibus, quibus applicatur, vt in lapidibus cernitur ab aëre subinde humectatis, qui propterea dicuntur sudare hyeme, licèt hoc ex parte refundi possit in frigiditatem lapidum, qui per illam, applicatum sibi aërem nonnihil condensant, & in aquam vertunt. Congelatio autem aquæ non prouenit ex solo illius frigore, sed ex siccitate aliqua adinixta, aut alia qualitate: multæ enim res non ita frigidæ atque aqua, congelantur, vt mel, lac, oleum &c. acetum verò, quod est frigidissimum nunquam congelatur. Imò communiter dicunt, si daretur purum elementum aquæ, illud non congelandum, sed mansurum liquidum.

Vnde dicãtur lapides hyeme sudare.

Vnde proueniat cõgelatio aquæ.

VII. Habet ergo *ignis* calorem in summo, & siccitatem propè summum seu vt sex: *aër* humiditatem in summo, & calorem similiter propè summum: *aqua*

Temperamentum primarum qualitatũ in elementis.

frigus in summo, & humiditatem propè summum: terra siccitatem in summo, & frigus propè summũ. Tertiam verò qualitatem, quæ compleat numerum graduum in qualitate citra summum, vt duos gradus humiditatis in igne, frigiditatis in aere &c. licèt euidenter conuinci non possit elementis non inesse, probabilius tamen est non habere ea, dum sunt in statu suo connaturali, nisi duas, tum quia essent aliquo modo mixta, tum quia qualitas illa tertia nulli vsui esse in alemento, & consequenter procedere nequit ab intrinseco, seu peti à naturâ elementi. Ab extrinseco autem recipere possunt elementa aliam qualitatem, sicut & aliquid illius, quam habent in summo, amittere.

SECTIO IV.

Inquiruntur alia quædam circa Elementa.

I. *Quæ qualitates dicantur symbolicæ.*

QVæres, vtrùm qualitates symbolicæ Elementorum, seu quæ in duobus elementis reperiuntur, calor v.g. in aëre & igne, frigus in terrâ & aquâ, &c. sint eiusdem speciei inter se, & cum similibus qualitatibus mixtorum? Resp. affirmatiuè, nam calor aëris intenditur, & augetur ab igne, vel sole, & tam calor productus à sole in stupâ est dispositio ad ignem, quàm productus ab igne. Item ignis intendit calorem animalis, & aliorum mixtorum, ergo producit in eis calorem eiusdem speciei cum præcedente. Præterea, experientiâ constat, pullos auiũ excludi in fornace per calorem moderatum, ab igne productum, non minùs quàm per calorem naturalem ipsarum auium. Dices; radios solis ignem extinguere, & illius calorem destruere, ergo calor productus à sole est diuersæ speciei à calore ignis. Resp. si hoc ita sit, non inde procedere, quòd sol in igne illo producat vlteriorem calorem, sed quòd aliam aliquam qualitatem in materiâ illâ producat, igni & illius calori repugnantem.

Qualitates elementorũ non distinguuntur specie à qualitatibus mixtorum.

II. *Elementa symbola, & dissymbola. Inter elementa dissymbola nõ fit immediatus transitus.*

Quæres secundò: vtrùm inter Elementa dissymbola possit esse immediatus transitus vnius in aliud, nam de symbolis non est dubium quin possint in se inuicem immediatè transire. Elementa symbola vocantur, quæ in vnâ qualitate conueniunt, vt aër & ignis in calore, aër & aqua in humiditate, &c. Elementa dissymbola sunt, quæ nullam qualitatem habent communem; vt ignis & aqua. Resp. itaque non posse inter elementa dissymbola fieri immediatum transitum.

III. *Ratio est, quia elementum conuertendũ peruenit priùs ad temperamentũ elementi symboli, quàm dissymboli.*

Ratio à priori est, quia quando Elementum dissymbolum agit in aliud, ignis v.g. in aquam, priùs peruenit materia illius aquæ ad temperamentum aëris, vel vaporis cuiusdam, quàm ad temperamentum ignis, vt est manifestum, nam cum minore calore stat forma aëris, quàm forma ignis. Deinde, paruam aliquam particulam aquæ in ignem iniectam videmus priùs conuerti in vaporem quenquam, quam in ignem.

SECTIO V.

An sit, & quid sit mixtio.

I. *Mixtio est miscibiliũ alteratorũ vnio.*

MIxtionem definit Aristoteles quod sit *miscibilium alteratorum vnio*: id est, mixtio est vnio materiæ diuersorum elementorum alteratorum accidentaliter, per diuersum scilicet temperamentum primarum qualitatum, & generationem formæ substantialis mixti, quæ est propria & Philosophica acceptio mixtionis: vulgariter enim vocatur mixtio, quoties vnus liquor miscetur alteri per motum localem, vt aqua lacti, vel vino, licèt nulla fiat substantialis mutatio in formis. Quo autem mixta magis vel minùs recedunt ab elementis, sunt magis vel minùs propriè mixta. Vnde homo, equus leo, & alia huiusmodi sunt mixta propria; nix, grando, & alia huiusmodi, impropria, & imperfecta.

Homo, leo, equus sunt mixta propria: nix, grãdo &c. impropria.

II. *Temperamentũ ad põdus, & ad iustitiã.*

Requirunt verò mixta, vt sint perfecta, temperamentum omnium primarum quatuor qualitatum. Temperamentum hoc est duplex: *ad pondus*, vt aiunt, seu quando omnes quatuor primæ qualitates secundùm gradus æquales in re aliquâ repetiuntur; & *ad iustitiam*, quando scilicet vnaquæque res habet temperamentum illud quod requirit, sicque datur vnicuique quod suum est, & seruatur aliquo modo iustitia distributiua. Si verò res aliqua requirat temperamentum æquale omnium quatuor primarum qualitatum, temperamentum illud erit simul *ad pondus & ad iustitiam*.

III. *Posse in primis quantitatibus dari temperamentum ad pondus.*

Quæres, vtrùm dari possit temperamentum *ad pondus*? Quoad primas qualitates videtur non repugnare; quidni enim ita attemperari inter se primæ qualitates possint, vt ea singulis sint in subiecto aliquo quatuor gradus? Imò dicunt aliqui hoc esse optimum omnium temperamentum, & homini, composito omnium perfectissimo maximè proportionatum, vtpote maximè conducens ad sensum tactûs: si enim aliqua qualitas valde excederet, non posset organum tam perfectè sentire, ac discernere omnes quatuor qualitates in passis applicatis. Vnde dicunt aliqui, de facto Christum Dominum habuisse hoc temperamentum *ad pondus*, cùm sensum tactûs habuerit perfectissimum: imò nonnulli idem asserunt de Beatissima Virgine, & Adamo.

IV. *Repugnat naturaliter hoc tẽper. in grauit. & leuitate.*

Circa temperamentum *ad pondus* in grauitate & leuitate, videtur secundùm hunc statum rerum naturaliter repugnare, cùm nullus possit rei illi assignari locus proportionatus. Non est tamen cur quis illud existimet diuinitus implicare.

V. *Ad mentis acumen, optima cõplexio est bilis & melancholia per mixtio.*

De temperamento, seu complexione primarum qualitatum, multa hîc eruditè Conimb. ex quibus cum communi omnium sententiâ notandum primò, temperamentum seu complexionem ad ingenij perspicacitatem & prudentiam accommodatissimam ex bilis & melancholiæ permixtione constare: quod probat illud Galeni primo de naturâ humanâ, vbi ait, *animæ acies & intelligentia à bilioso humore oritur, constantia & firmitas à melancholia.*

VI. *Qui in optimis quibusque artibus clarueriũt aïr Aristot. fuisse melancholicos. Nimia melãcholia mentem degrauat, & obtũdit.*

Secundò notandum, quomodo intelligendum sit quod ex Aristotele refert Cicero, nempe, melancholicos ingeniosos esse, & eos qui ingenio claruerunt, siue in Philosophiæ studiis, siue in Repub. administrandâ, siue in carmine pangendo, aut artibus exercendis melancholicos fuisse: hoc enim intelligendum est, modò non nimium prædominetur humor melancholicus, tunc enim mentem degrauat, & obtundit potiùs quàm acuit, hominemque subinde ad insaniam redigit: moderatus tamen iuuat ad constantiam.

VII. *Quænam obsunt, vel prosunt ingenio.*

De his plura Conimb. l. 2. c. 8. per quatuor quæstiones, præcipuè q. 4. a. 1. vbi etiam de iis quæ ingenio vel obsunt multum, vel prosunt, fusam & curiosam disputationem instituunt, ad quos, curiosos harum rerum exploratores remitto. Nos alio vocamur.

DISPV-

DISPVTATIO XIII.

De Impulsu.

SECTIO PRIMA.

Discutiuntur nonnulla circa naturã Impulsus.

I. *Aliqua naturaliter mouentur ab intrinseco.* QVæ naturaliter mouentur, aguntur à principio intrinseco, vt ignis & aër sursum à leuitate feruntur, aqua, terra, lapides, metalla, & eiusmodi deorsum à grauitate, vtrisque rebus hisce intrinsecis. Quæstio ergo præsens procedit de motu violento, vt dum lapis, aut res alia grauis proicitur sursum, vel etiam supra terram rotatur, vtrùm scilicet moueatur ab impulsu ei à proiciente impresso, an aliunde. *Vnde proueniat violentus.*

II. *Aliqui motum violentum tribuunt solis partibus aëris moti.* Prima sententia negat fieri motum illum ab impulsu, sed à medio, in quo res illa mouetur, ab aëre scilicet, vel aquâ: manus enim, inquiunt huius sententiæ auctores, proicientis lapidem sursum, mouet partes aëris sibi proximas, quæ motæ mouent sequentes, & illæ alias, quæ à tergo semper recurrunt, vt impediant vacuum, sicque lapidem propellunt, eumque eousque ferunt, donec valde à primis partibus remotæ languent paulatim, sicque grauitati lapidis impares, cùm vlteriùs ferre eum non possint, cedunt, & cadere permittunt. Ita ex antiquis Auerroes, Simplicius, Themistius, & alij: Maior in 2.d.13.q.7. quam etiam sententiam defendit Pererius l.14.c.5.

III. *Motus lapidis procedit per impulsum ei à proiciente impressum.* Secunda itaque, & vera sententia affirmat, motum illum lapidis non ab aëre, seu medio fieri, sed à qualitate quadam ei à proiciente impressa, per impulsum scilicet ab eodem in lapide productum. Ita Albertus Mag. 8.Phy.t.81. Capreol. in 4.d.t.q.1.ad 3. Sotus l.8.Phys.q 3.ad 2. Tol.l.8.Phys.t.83. Conimb.l.7.Phy.c.2.q.1.a 8. Rubius l.8.Phy c.10.tr.2.q.1.n.5. Murcia l.8.Phy.d.vlt.q.1.§.*secunda tamen*, Arriaga hîc d.4 s.5.nu.16. Ouiedo Contr.20 Phy.p.1.n.2.& alij. Mens Aristotelis hac in re est dubia.

IV. *Ratio est, quia nihil est præter impetum, quod motus illius violenti causa esse possit.* Ratio est: quia nihil aliud est præter impulsum, quod motum illum violentum producat: non aër, vt ostensum est n.2.& prætereà incredibile videtur posse aërem solum tantâ vi mouere globum è tormento bellico excussum. Deinde, lapis ipse sursum proiectus non potest esse illius motûs causa, cùm sit ipsi violentus. Proiciens etiam nequit per se, & immediatè esse causa illius motûs, tum quia post primam motûs productionem distat, tum quia si post primam lapidi sursum proiecto impressionem factam, moreretur, lapis eodem modo moueretur. Signum ergo est moueri lapidem, non à proiciente immediatè, & per se, sed per aliquid ab eo relictum, impetum scilicet eidem impressum.

V. *Impetus realiter distinguitur à grauitate, & leuitate.* Quæres, vtrùm impulsus distinguatur à grauitate & leuitate. Resp. affirmatiuè. Ratio est, quia grauitatem & leuitatem videmus diu in rebus permanere, impetus autem nunquam diu persistit, quandoque citissimè transit. Deinde, grauitas & leuitas sunt subiectis suis naturales, & vel cum illis identificantur, vel ab iis promanant: impulsus sæpe est violentus, semper prouenit ab extrinseco. Tertiò, grauitas & leuitas sunt virtutes ad certum locum motiuæ, impetus fertur vagè, & nunc in hanc partem, nunc in illam, nullo discrimine.

SECTIO II.

De motu resilientiæ.

I. *Prima sententia affirmat motum resilientiæ produci à corpore obsistente.* QVæstio est, à quo moueantur proiecta dũ resiliunt, pila ex. gr. dum ad parietem allisa, versus proicientem retrocedit? Murcia l.8.Phy.d.vlt.q.6.§.*secunda tamen*, Ouiedo contr.20. Phy. p.4.& alij. nonnulli existimant resilientiam illam prouenire, non ab impetu à proiciente producto, sed à nouo impulsu, à corpore obsistente eidem impresso.

II. *Secunda sent. ait prouenire ab impulsu à corpore esse à proiciente.* Secunda sententia affirmat, motum illum resilientiæ prouenire effectiuè non à corpore obsistente, sed ab impulsu à proiciente pilæ impresso. Ita Arist.l.8 Phy.c.4.tex.32. S.Thomas ibid. Rubius l.8.Phy.c.10.tr.2.q.5.n.30. Sotus, Tol. Conimb. & alij.

III. *Motus resilientiæ prouenit, saltem partialiter, ab impetu proicientis.* Dico primò: motus resilientiæ semper, partialiter saltem, prouenit ab impetu producto à proiciente. Ratio est, quia impetus ille pilæ à proiciente impressus, non statim totus perit, dum pila ad parietem alliditur, ergo cùm impediatur quo minùs rectà ferat pilam vlteriùs, impellit eam quà potest; nempe versus proicientem.

IV. *Corpus obsistens plerumque est tantum conditio.* Dico secundò: corpus obsistens, licèt plerumque ad motum illũ resilientiæ concurrat merè per modum conditionis, & non efficienter, aliquando tamen concurrit effectiuè, nouum scilicet impetum in corpore resiliente producendo. Prima pars probatur: cùm enim corpus obsistens sit plerũque planè immotum, non apparet quomodo possit impetum in alio corpore producere, sed merè habere se videtur passiuè, seu per modum impedimenti. Secunda verò pars, quòd scilicet corpus obsistens nõnunquam ad motum resilientiæ concurrat effectiuè, probatur, dum scilicet duo corpora sibi occurrentia, se à se inuicem repellunt, vbi neutrum habet se per modum solius impedientis, sed etiam agentis: vtrumque enim rem sibi obsistentem repellit, & impetu per motum impressu reuerberat. *Aliquãdo corpus obsistens concurrit ad motum effectiuè.*

V. Dices cum P. Ouiedo citato n.2. si motus ille resilientiæ proueniat ab impulsu impresso à proiciẽte, ergo etiamsi incideret res proiecta in aliquid molle, eodem modo resiliret: cuius tamen contrarium videmus. Contrà, quæro, cur in alia sententia corpus molle, in quod impingit res proiecta, non tantùm impetum in eâ producat, ac producit durum. Si dicas, quia ob mollitiem ad hoc non est aptum: idem dicam ego, corpus scilicet illud ob mollitiem non eodem modo resistere, sed cedendo, & impetum hoc modo eneruando, ac frangendo: quod à rebus mollibus multò magis fit, quàm à duris, vt constat experientia. *Cur res proiecta, incidens in aliquid molle, non tamen resiliat.*

VI. *Motus sursum, & deorsũ, non sũt propriè opp. ositi, nec differunt specie, vnde ab impetu impresso à proiciente possunt procedere.* Dices secundò; quando aliquid deorsum proiectum resilit, non potest motus ille resilientiæ prouenire ab impetu impresso à proiciente, sic enim idem esset principium motuum contrariorum, motûs scilicet sursum & deorsum, quod non magis fieri potest quàm vt idem sit principium caloris & frigoris. Resp. tamen, vtrumque motum ab impulsu à proiciente impresso procedere. Ad probationem dico, motum sursum & deorsum non differre specie, nec esse propriè, & per se oppositos, sed solum per accidens, vnde & vniri, ac inter se continuari possunt, & in vnum motum coalescere, vt suprà diximus d.7. sec.4. Et vlterius constat in motu à magnete in ferro producto: magnes enim illud dextrorsum, sinistrorsum, versus Orientem & Occidentem, & in omnem partem motu non interrupto trahit, cum tamen hi motus non minus sint oppositi, quàm motus sursum & deorsum. Quod adhuc clarius constat dum quis circulum ducit in pariete.

VII. Dices tertiò, saltem quando pila, nulla vi impressa, è manu in terram lapsa resilit, non potest motus ille ascribi grauitati pilæ; grauitas enim non potest magis esse causa motûs sursum, quàm ignis frigoris: ergo tunc saltem dici debet corpus obsistens motũ

illius

Vnde provenias motus dum pila, multa vices impetu, in terram cadens resilit.

illum producere, & non esse metum impedimentũ. Resp. grauitatem non esse causam motûs illius sursum in pilâ sponte quasi cadente, nec tamen ascribi potest motus ille corpori obsistenti, ob iam dicta. Dum ergo pila in terram lapsa ascendit, causa illius motûs sursum sũt primò partes ipsæ inferiores pilæ, quæ dum nonnihil compressæ, ad situm, se naturalẽ subitò reducunt, pilã recutiunt, sicut arcus vi attractus, dum se ad naturalẽ situm reducere nititur, excutit sagittam. Deinde, resiliẽtia illa pilæ ascribi etiã ex parte potest aëri inter partes aliquas pilæ, & terrã interposito, qui violenter condensatus, dũ se ad raritatẽ sibi debitã reducit, pilã repellit. Tertiò, reduci potest in impetũ, quẽ pila cadẽdo in se producit.

VIII. *De quiete in puncto reflexionis.* De motu reflexo, & peculiariter vtrũ detur quies in puncto reflexionis, dictum est suprà, d.7.s.4.

SECTIO III.

Alia quædam de naturâ Impulsûs.

I. *Ad impulsum producendũ non semper requiritur motus localis in eo quo impulsum producit.* QVæres primò an ad Impulsum producendum requiratur motus localis in re impulsum producente? Resp. non semper requiri, vt patet in magnete, cuius vna pars extremum acus à se tactum per virtutẽ idem impressam ad se trahit, alterum extremũ à se remouet, & è contrà, magnete tamen semper immoto. Tunc ergo solùm ad impulsum producendum requiritur motus localis, quando impulsus producitur per virtutem motiuam corporis impetum illũ imprimentis. Qua de causa negauimus sec. præcedente n.4. posse corpus obsistens impulsũ in corpore resiliente producere, sic enim pilam lentè sibi applicatã repelleret, vt magnetẽ proximè diximus repellere ferrum, & virtus expulsiua, & attractiua in corpore animalis, attrahit sibi condocentia, noxia expellit: ipsa tamen remanet immota.

II. *Impulsus, per se loquẽdo producitur in instante.* Quæres secundò, producaturné impetus in tempore, an in instante; seu successiuè, an simultaneè? Resp. impulsum sæpe produci in instante, vt in exemplo magnetis constat, nullũ enim est fundamentum magis dicendi impulsum tunc produci successiuè, quam lucem, cum non magis habeat contrariũ quàm lux. Frequenter tamen impetus producitur per accidens successiuè, quia scilicet causa illum producens successiuè applicatur, eumque per motum localem producit: vt dum quis cymbam in aqua, aut lapidem supra mensam successiuè impellit. Sicut etiam lux interdum eandem ob causam producitur successiuè, dum scilicet luminosum partibus medij, non simul, sed successiuè admouetur, vt contingit in sole Oriente. *Per accidens producitur nonnunquã successiuè, sicut & lux.*

III. *Impulsus corrumpitur successiuè.* Quæres tertiò, vtrùm impulsus corrumpatur in tempore, an in instante? Omissis variis dicendi modis minùs probabilibus, qui videri poterunt in auctoribus proximè citandis, dico impetum nõ in instante, sed successiuè corrumpi: ita Gab. in 3. d.13. Okam in 4 q.12.a.2.ad 3. Robius l.8.Phy.c.10.tr. 2.q.3.nu.23. Murcia l.8.Phys.d.vlt.q.5.P.Ouiedo cont.20.Phy.p.2.n.8.& alij communiter.

IV. *Res quædã petũt breui tamẽ tempore durare.* Ratio est, quia licèt impetus non habeat contrarium, sicut tamen sunt quædam entitates, quæ licèt non habeant contrarium, petunt nihilominus vno tantùm instante manere, vt duratio qua Petrus, vel Angelus correspondet huic instanti, ita possunt esse aliæ, quæ quamuis non habeant contrarium, petunt per exiguum saltem tempus persistere, sintque vt aiunt, breuis æui: & huiusmodi, vt constat experientiâ, est impetus. Idem est de luce in lapide quodam Bononiensi: hic enim, vbi soli fuerit aliquãdiu expositus, & lucem ab eo in se productam acceperit, si postea amoueatur à sole, & in loco obscuro collocetur, lucem adhuc ad tempus retinet, quæ tamẽ postea ex se paulatim deficit, quamuis nullũ habeat contrarium. Hæ ergo res sunt ex naturâ sua defectiuæ, petuntque vt ad breue solummodo temporis spatium conseruentur: vnde Deus vt auctor naturæ, quique res omnes conformiter ad cuiusque exigentiam conseruat, post breue tempus suum ab iis paulatim concursum subtrahit, sicque sensim pereunt. *Lapis Bononiensis.*

V. *Nõ quo res sunt perfectiores, eo diutiùs durant.* Non tamen ita in Impetûs & similium imperfectionem, breuem earum existentiam reduco, quasi velim hanc rebus statutam esse legem, vt quo quæque est perfectior, eò diuturnioris, quò imperfectior, breuioris sit durationis: res enim longè imperfectiores frequenter multo diutiùs durant perfectionbus, vt arena lilio, vel rosa, æs, ferrum, lapis, equo, leone, homine.

DISPVTATIO XIV.

De grauitate, leuitate, & motu, tam elementorum, quàm mixtorum.

SECTIO PRIMA.

Resoluũtur quædã circa grauitatẽ & leuitatẽ.

I. *Ordo vniuersi postulat vt in eo sint media sibi proportionata.* ORdo vniuersi, & recta rerum constitutio postulat, vt suis quæque locis aptè disponantur, hæc summum, imum illa, nonnulla medium locum occupent. Vt ergo hic finis commodiùs obtineatur, singulis, vt suo se loco constituant, apta inesse debent media, his grauitas, leuitas illis, vniuscuiusque naturæ, & exigentiæ proportionata. De his ergo quid sint, & quo pacto elementis conueniant, hîc inquirendum.

II. *Quid sint grauitas, & leuitas.* Quæres primò, quid sit grauitas & leuitas? Aristoteles l.4.de cœlo, c.1.tex.6. ait, *id dici leue, quod sursum, graue quod deorsum fertur*: intellige, naturaliter, & nulla vi ab extrinseco, seu violẽtia impressa. Addit id esse grauissimum, quod loco infimo, leuissimum, quod summo, naturaliter se collocat. Ea demũ quoad grauitatis, & leuitatis mensuram media esse asserit, quæ, quoad situm, medium in vniuerso locum postulant. Est ergo grauitas, *ad locum inferiorem, leuitas ad altiorem inclinatio, & vis in actu primo motiua.*

III. *Vtrũ grauitas, & leuitas distinguãtur à rerũ grauium, & leuium substãtia.* Quæres secundò, sintne grauitas & leuitas qualitates, seu accidentia an ipsæ potiùs rerũ grauium & leuiũ substantiæ, per se immediatè motũ sursum & deorsum producẽtes? P. Arriaga hîc d 4 s.5.n.73. ait grauitatem & leuitatem non distingui à rerum grauium & leuium substantiis. Communis tamen sententia asserit eas esse qualitates à rerũ substantiis distinctas. Ita Arist. hîc l.2.c.2.tex.8. quem sequitur S. Thomas, Conimb. l.2.Gen.c.3.q.4.a.2.§. *Ad primũ*: P. Hurt. de opere sex dier. d.3 s.5.n.59.60. & 61.P. Ouiedo Cont.8.de Gen.p.7.n.10. & alij omnes.

IV. *Grauitas, & leuitas sunt qualitates à substantia distincta.* Probabilior mihi videtur secunda sententia. Dico itaque grauitatem & leuitatem esse qualitates à substantia rerum grauium & leuium distinctas, ortas ex raritate & densitate cum tali combinatione primarum qualitatum coniunctis. Moueor primò: quia hæc est communis sententia Philosophorum, quod sine dubio magni momenti est ad opinionem aliquam amplectendam, vbi validissima in contrarium argumenta non afferuntur.

V. *Manente forma substantiali perit grauitas, ergo non identificatur cum forma.* Secundò idem probatur: manente eadem forma substantiali perit grauitas, ergo non identificatur cũ forma substantiali. Antecedens probatur, vapores enim sunt realiter aqua, vt ex eo constat, quòd tam facilè

facilè ad priorem suum statum redeant: qua de causa omnes glaciem dicunt esse substantialiter aquam, & tamen vapores, seu aqua nouis illis accidentibus affecta amisit suam grauitatem, vt constat, imò acquisiuit leuitatem, quâ, non supra aquam tantum, sed etiam supra aërem ascendit, ergo grauitas & leuitas non sunt ipsæ formæ substantiales, sed qualitates ab iis distinctæ.

VI. *Grauitas, & leuitas distinguitur inter se specie.* Quæres tertiò, vtrùm grauitas, & leuitas distinguantur specie? Qui eas cum formis substantialibus identificant, necessariò affirmare debent pro diuersitate specificâ formarum grauitatem & leuitatem distingui: vnde, in illâ sententiâ grauitas ferri specie distinguitur à grauitate lapidis, aut ligni. In nostrâ autem sententiâ, licèt grauitas specie distinguatur à leuitate, existimo tamen grauitates rerum specie distinctarum non distingui specie, sicut alias qualitates, vt calorem, frigus &c. habent eiusdem speciei, licèt substantiæ ipsæ sint valde diuersæ, vt ignis, aer &c.

VII. *Cur plumbum in aqua subsidat, non lignum.* Dices; minima pars ferri, aut plumbi aquæ superposita subsidit, cùm tamen lignum, etiam ponderosissimum, trabs ex. g. aquæ supernatet, ergo hæ qualitates sunt diuersæ speciei. Nego consequentiam, ideò enim lignum non subsidit, quia plurimos habet poros, in quibus inclusus aër impedit ne subsidat; ferrum autem vel nullos, vel paucissimos habet poros, vt omnes fatentur.

SECTIO II.

Vtrùm omnia grauia æquali velocitate per se deorsum decidant.

I. *Affirmant aliqui grauia omnia æquali velocitate cadere.* Affirmat P. Arriaga hîc d. 4. s. 5. n. 93. aitque sibi experientiâ compertum esse res formâ, figurâ, magnitudine, & grauitate diuersissimas ex alto decidentes, vt crustulum panis duorum digitorum, & lapidem prægrandem, æqualiter deorsum moueri, & æquè citò ad terram pertingere.

II. *Multi fide dignissimi experti sunt id quod erat grauius, velocius cecidisse.* Alios nihilominus video, & doctos, & harum rerum non incuriosos indagatores, qui hac de re etiamnum dubitent, & experientiis illis errorem subesse suspicentur. Imò à fide dignis, qui ex hac ipsa occasione è præaltâ turri, aurâ pacatâ, loco ac tempore ad hoc probandum accommodatissimis, sæpiùs res huiusmodi decidere permiserunt, accepi, centies se expertos id quod erat grauius, aliud præuertisse, & priùs ad terram peruenisse.

III. *Per experientias sæpe aliud non experiuntur homines, quàm se fuisse deceptos.* Meritò proinde experientiis (nisi omninò claris, quæque ab omnibus admittuntur) diffidimus, vtpote in quibus frequenter aliud non experiuntur homines, quàm se fuisse deceptos. Sic, vt in Physicis vidimus, d. 36. s. 3. n. 6. fundum lebetis aquâ calidissimâ & maximè ebulliente pleni, P. Arriaga tam calidum est expertus, vt à nemine tangi posset; P. Ouiedo è contrà tam moderatè illud calidum inuenit, vt omnes sine difficultate manum diu ei tenerent admotam. Nonnulli experiuntur plures candelas sibi appositas, lucem sibi inuicem intendere. P. Arriaga vt suprà vidimus, d. 10. s. 6. nu. 2. expertus est contrarium. *Quando ex vtraque parte sunt experimenta, sunt ex neutra.* Huiusmodi ergo experientiæ nihil efficiunt: quandocunque enim sunt ex vtraque parte experimenta, sunt ex neutrâ. Meritò itaque hîc iterum cum Hippocrate quis dixerit, vt loco proximè citato aduerti, *experimentum fallax, iudicium difficile.*

IV. *Vbi experientia experientiis opponitur, litem decidat ratio.* Vbi verò experientiæ experientiis opponuntur, litem decidat ratio; quæ sine dubio validissima est ad probandum rem, quo grauior est, eo, per se loquendo, velocius cadere, & priùs ad terram pertingere. Primò enim hoc in omnibus aliis rebus videmus: ignis siquidem magnus citiùs calorem intensum in passo applicato producit, quàm paruus. Homo, quo fortior, eo pondus citiùs leuat; quo agilior, velociùs mouetur, aliosque cursu cum eo contendentes superat, si totas vires exerat, sicut res graues semper & necessariò exerunt suas.

V. *Maior impetus mouetur velociùs, ergo & maior grauitas.* Probatur secundò: quo rei alicui maior impetus imprimitur, eo velocius mouetur, ergo & quo maior est grauitas, cum hæc non sit causa minus necessaria, quàm impulsus. Cons. lapis cadendo in se impetum producit, & quo diutius cadit, eo maiorem sibi impulsum imprimit, vt fatetur P. Arriag. n. 106. & in corpore grauiori maior impetus cadendo producitur, quàm in minus graui, ergo ratione huius maioris impetûs, celerius mouebitur id quod est magis graue, esto (quod tamē est falsum) ratione maioris grauitatis præcisè, celerius non moueretur.

VI. *Impetus ab extrinseco impressus augere potest motum naturalē.* Respondet nu. 102. impulsum illum non iuuare grauitatem ad motum deorsum producendum, impulsus enim, inquit, ab extrinseco non videtur augere motum naturalem. Contrà, quando quis in loco edito consistens lapidem manu terram versus proiicit, lapis ille multo celerius mouetur, quàm ab innatâ grauitate motus fuisset, si nimirum solum permissus fuisset è manu delabi: ergo impulsus ab extrinseco augere potest motum naturalem. *Causa extrinseca sæpe augmentat motū naturalem.* Contrà secundò, in aliis rebus causæ extrinsecæ augēt motum naturalem, ergo hîc idem potest contingere. Antecedens probatur, dum aqua calefacta ponitur in loco frigido, vt in mediis niuibus, vel vento frigidissimo exposita, ventus & niues eam iuuabunt vt citius frigus suū recuperet, ergo causa extrinseca iuuare rem aliquam potest ad motum naturalem.

VII. *Res quo grauior, eo citius vincit resistentiam aeris.* Tertiò probatur: quo aliquid habet maiores vires, eo citius vincit rei sibi obiectæ resistentiam, ergo grauitas maior citius aërem diuidet, & eius resistentiam superabit. Respondet num. 96. corpus leuius non obsistere corpori grauiori per illud descēdenti, imò, inquit, potius motum illius promouet, conatur enim supra lapidem, & rem omnem se grauiorem ascendere.

VIII. *Aër resistit flammæ ascendenti, ergo & lapidi cadenti.* Contrà primò, dum res grauis magnâ celeritate ex loco edito decidit, auditur sibilus quidam, ac strepitus ex fisso aëre proueniens, ergo aër aliquo modo obsistit. Contrà secundò, siquis facem subitò cœlum versus eleuet, videbit illius flammam ex aëris resistentiâ penè extinctam, imò candela frequenter hoc modo extinguitur, & tamen non est minus connaturale aeri esse infra flammam ignis, quàm esse supra lapidem, ergo.

IX. *Aër multū resistit chartæ, ergo aliquātulum lapidi.* Contrà tertiò, si aër non omninò impediat, ergo follium chartæ tam citò cadet ac lapis: sola enim ratio cur id non præstet, sed subinde intersistat, est resistentia aëris, ergo aër similiter aliquantulum impedit alia corpora. Contrà quartò; videmus aquā ex loco sublimi deiectam in varias partes diuidi ex aëris resistentiâ: quæ etiā est causa cur aqua è nubibus guttatim decidat, & dissoluatur in pluuiam. *Resistentia aeris est causa pluuiæ.*

X. *Aqua resistit lapidi, aut ferro cadenti, ergo & sic resistit aër.* Contrà quintò, si hoc verum sit, medium scilicet leuius non obsistere rei grauiori per illud decidenti, sequeretur aquam ferro cadenti non resistere, sed illius motum promouere, æquè enim conatur esse supra ferrum, ac aër supra lapidem. Sed hoc apertè videtur falsum: si enim quis, magna etiam vi, particulam ferri in aquam deiiciat ad tres vel quatuor tantùm pedes altam, ferrum illud vix notam vllam terræ in imo imprimet. Manifestum ergo videtur aquam in his casibus resistere, ergo rebus etiam grauibus cadentibus, quamuis minus, resistit aër. *Planā parte asseris percutiens aerem, sentit difficultatem.* Hinc etiam experimur, siquis planâ parte asseris seu flabello, etiam ex ligno, vel ferro cōfecto, aërem percutiat, aliquam eum difficultatem percepturum, & auditurum etiam strepitum, licèt nec hunc, nec illam tantam, ac si eadem ratione percuteret aquam.

SECTIO

SECTIO III.

Probatur vlteriùs motus inæqualis grauium & quædam inferuntur.

I. *Res, quo leuiores, celeriùs feruntur sursū, ergo quo grauiores, feruntur celeriùs deorsum.*

QVartò probatur res, quo grauiores, eo celeriùs moueri deorsum. Res, quò leuiores, eò celeriùs mouentur sursum, ergo quò grauiores celeriùs tendunt deorsum. Consequentia est clara, antecedens probatur, ignis enim multò celeriùs mouetur sursum, & cœlum versus fertur, quàm fumus aut vapores ex variis rebus vi ignis expressi, aut etiam quã nebula, sole oriente, ergo. Antecedens constat, tum in aliis rebus, tum in fusilibus, vt vocant, seu flammis illis missilibus, quæ ex nitrato puluere, cum aliis rebus contemperato accensæ, vehementissimo motu cœlum versus instar fulminis feruntur & in ictu ferè oculi maximum spatium conficiunt, quodque amplius est, res secum satis ponderosas deferunt. Secundò probatur idem antecedens: si enim vesica plena aëre, & particula ligni eiusdem magnitudinis, infra aquam funiculo aliquo in fundo ligatæ detineantur, scisso funiculo illico ascendunt, sed multo celeriùs vesica, vt constat experientia: ergo res leuiores celeriùs feruntur sursum, ergo & res, quo grauiores, eo tendunt celeriùs deorsum.

II. *Dices, partes rei grauis agunt singula, & non per modum vnius.*

Dices; partes ferri, ligni, aut lapidis cadentis non concurrunt ad motum per modum vnius principij, sed quælibet pars per se agit, seque solam trudit deorsum, non aliam, sicque non maiori celeritate fertur versus centrum, quàm si aliæ partes ei non coniungerentur. Contrà primò, gratis namque hoc dicitur: quæ enim est maior ratio cur partes rei grauis, ferri ex. g. agant singulæ, & non omnes per modum vnius in motu deorsum, quàm partes rei leuis, vt ignis, in motu sursum? certè non existimo posse solidam hîc differentiam assignari.

Partes rei leuis agunt per modum vnius, ergo & rei grauis.

III. *Res aliæ concurrūt per modum vnius, ergo & partes rei grauis.*

Contrà secundò, res aliæ agunt per modum vnius, vt ostensum est sect. præcedente, nu. 4. Imò hæ ipsæ res in aliis operationibus agunt per modum vnius: si enim minima aliqua pars ferri lineà abrasa ponatur in magnâ aliquâ distantiâ, non videbitur, nec speciem sui ad oculum per medium illud transmittet: si verò plures & plures similes partes ei adiungantur, iam speciem sui per totum spatium illud producet, ergo simul cum eà agunt reliquæ partes, & cooperando actionem qua speciem producit, simul cum eà efficiunt, de quo plura in libris de Anima, dum de speciebus: ergo & simul cum ea concurrunt eàdem actione ad motum.

IV. *Opus hic est magna fide.*

Contrà tertiò, ergo si puluisculus aliquis, vel arenula, & lapis aliquis molaris simul è concauo lunæ cadere sinerentur puluisculus ille vel arenula tam citò ad terram perueniret, ac lapis molaris. Credat hoc, qui volet; sanè opus est magnâ fide.

V. *In rebus diuersæ rationis, etsi partes non agerent per modum vnius, adhuc quod est grauius, caderet celerius.*

Contrà quartò, quoad res enim diuersæ rationis manet adhuc tota difficultas, vt in duobus globis eiusdem magnitudinis, vel in duobus, siquis velit, indiuisibilibus quorum vnum sit auri, alterum ligni: nulla enim est ratio cur indiuisibile auri non cadat celeriùs indiuisibili ligni, cùm in grauitate, & potentiâ motiuâ decuplo illud superet: ergo hic etiamsi indiuisibilia, vel etiam partes globi aurei & lignei cadant singulæ, adhuc vnum indiuisibile, vel globus multo celeriùs cadet quàm alter, cùm singulæ partes, & indiuisibilia vnius globi longè plus in se habeant ponderis, quàm singulæ partes, & indiuisibilia alterius.

VI. *Etiamsi in vacuo id quod est grauius caderet celerius.*

Hinc infero primò: etiamsi pondera hæc mouerentur in vacuo, adhuc id quod plus in se habet grauitatis, celeriùs mouendum; quo enim vis motiua est maior, eò maiorem, seu velociorem motum producet: hoc enim videtur principium per se notum, *vbicunque causa necessaria est perfectior, producit perfectiorem effectum*, cùm omnes necessariò vires exerat, & operetur semper quantum potest.

VII. *Motum naturalem grauium, & leuium est velociorem semper in fine.*

Infero secundò: corpora grauia, quo longiùs feruntur, & diutiùs mouentur deorsum, eò moueri celeriùs, sicque eorum motum naturalem velociorem esse in fine, quàm in principio. Ratio est quia quo longiùs feruntur, eo maiorem in se impulsum producunt, sicque nouum semper habent, & perfectius principium motûs, viresque acquirunt eundo. Cùm ergo impulsus hic semper crescat, quo diutiùs res naturali cursu fertur, crescet motus: impulsus enim in quocunque est, producit motum, vt ostendi sect. præcedente, n. 5. & 6.

VIII. *Cur, dum duo lapides planè æquales, ex loco inæquali decidunt, alter maiorem impetum producat in corpore obsistente.*

Quòd verò grauia cadendo nouum in se impetum producant, videtur manifestum, & tandem, licèt inuitus, admittit P. Arriaga n. 106. alioqui nulla assignari ratio potest, cur duæ res eiusdem planè rationis, ac duritiei, & grauitatis, vt duo lapides quorum vterque sit sex librarū si ex loco inæquali cadant, cur, inquam, ille qui ex altiori loco decidit, maiorem impetum corpori obsistenti imprimat, & altiùs terræ infigatur, quàm alius. Quod magis adhuc vrget, si ponamus vnum ex lapidibus habere paulò minùs grauitatis, & tamen ex loco longè altiore decidere: tunc enim hic multo maiorem imprimit impulsum in corpus obsistens, quàm imprimat lapis ille grauior è propinquo tantùm decidens. Hic autem maior impulsus, positâ æquali duritie, in aliud principium refundi nequit, quàm in impetum maiorem, quem diutiùs cadendo, lapis in se producit.

IX. *Res molles non tantū impetum corpori obsistenti imprimunt, quantum dura.*

Dixi in rebus eiusdem rationis ac duritiei: si enim res mollis, etiam velocissimè mota, auis ex. g. vt hirundo summâ celeritate volitans in hominem impingat, non tantū ei impulsum imprimet; tum quia res molles ad hoc non sunt ita aptæ, tum quia earū partes cedunt nonnihil corpori duro obsistenti, sicque non tam fortiter in illud operantur.

X. *Motus violentus velocior est in medio.*

Quæres, cur motus violentus velocior fit in medio, quàm vel in principio, vel in fine? Quòd verò motus violentus velocior sit in medio, & docet Aristoteles l. 2. de cœlo & mūdo, ca. 6. tex. 35. & constat experientiâ: tormenta enim bellica multo fortiùs, & vehementiùs pulsant mœnia, si passuum aliquot interuallo distent, quàm si planè iuxta illa collocentur: & siquis lapidem in murum conniciat, multò fortiùs murum ferit, si spatio aliquo ab eo sit remotus, quàm si ei sit proximus.

XI. *Refundi maior illa velocitas potest in partes aëris a tergo recurrentes.*

Hæc mihi assignari videtur posse huius rei causa, quòd impetus semel productus, petat per certum tempus integer permanere, vt suprà ostensum est; sicque corpus cui imprimitur, æquali velocitate per tantum tempus, & spatium ex se mouet: cùm verò glans illa ferrea aërem ante se propellens, valde eum condenset, reliquæ partes aëris summo impetu se rarefaciunt, vt spatium à glande relictum occupent, & vitent vacuum.

XII. *Declaratur vberiùs hæc ratio.*

Partes ergo illæ summâ vi ruentes, nouū aliquem impetum glandi imprimunt, eoque maiorem, quò longiùs (integro adhuc manente primo impetu) fertur. Quando verò impetus primus incipit deficere, motus etiam tam à primo impetu, quàm à partibus aëris productus decrescit, donec tandem totus desinat. Vnde, si proiectio fieret in vacuo, æquè velox esset hic motus violentus in principio ac in medio, & solùm minùs velox in fine. Hoc mihi videtur vtcunque probabile, nec aliud occurrit. Siquis melius aliquid suggesserit, libens amplectar.

In vacuo motus violentus esset æquè velox in principio ac in medio.

DISPV.

DISPVTATIONES IN TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

PROOEMIVM.

I. *Hæc est pulcherrima Philosophiæ pars.*



Aggrediamur pulcherrimam Philosophiæ partem, scituque non dignissimam modò, sed iucundissimam, vtpote in quâ humana mens in rebus exterioribus, & quæ corruptioni, vt plurimùm subiacent, hactenus vagata, ac veluti peregrina, domum se tandem recipiens, sibique, vt ita dicam, reddita, sui suarumque perfectionum contemplatione, ac notitiâ se oblectat, & vt ex aliis rebus, ita maximè ex suipsius consideratione primum rerum omnium opificem deprehendit. Quamuis huius cognitio, vt mox dicemus, præcipuè spectet ad Metaphysicam.

II. *Quid sit horum librorum Attributionis obiectum, variè varij opinantur. Aliqui obiectum eorum esse volunt viuens in communi, seu corpus animatum. Ita P. Hurt. in Procemio ad lib. de Ani. n. 2. sequutus Paulum Venetum, Toletum hîc, & alios; & P. Arriaga ibidem. Asserunt alij, solam animam esse tractatûs huius obiectum; quod ex ipsâ libri inscriptione desumunt, inscribitur enim* libri de Anima *Nobis conformiter ad dicta in Logica, de subiecto Attributionis, d. 7. sect. 1. & 4. dicendum, Obiectum Attributionis horum librorum esse hominem.*

Obiectum Attributionis horum librorum est Homo.

III. *Ratio est; quia id est subiectum Attributionis cuiusque scientiæ, de quo in scientiâ illa agitur, & ad quod cætera omnia referuntur, quæ in eâdem scientia tractantur, sed & de homine agitur in his libris, & alia omnia ad illius, vt ex omnibus corporibus animatis præcipui, notitiam referuntur, ergo. Sicut ob eandem rationem in Logica loco citato diximus, definitionem esse Dialecticæ obiectum, quòd scilicet alia omnia ad illius, tanquam præcipui modi sciendi, notitiam referantur. Nec refert expressè hîc non tradi ab Aristotele definitionem hominis, in definitione enim animæ traditur virtualiter. Nec erat opus expressam compositi definitionem denuò hîc repetere, cùm eam tradiderit in libris Physicorum: hîc verò paulò magis in particulari, ad compositorum, quorum definitionem tradiderat in Physicis, & præcipuè hominis, notitiam indagandam descendit.*

Ratio cur Homo sit obiectum attributionis Animasticæ.

IV. *Quod verò Aristoteles 1. de Partibus animalium circa finem ait, agere de Anima rationali non spectare ad Physicum, sed ad Metaphysicum: per rationalem animam illic intelligit mentem, seu substantias separatas, & præcipuè primam omnium substantiam, quam Antiqui, & ipse etiam Aristoteles appellat animam cœli, quam etiam ait non esse naturam: hanc verò asserit esse Deum, cuius considerationem præcipuè spectare affirmat ad Metaphysicum; qui proinde hac de causa* Theologus *ab eodem passim appellatur.*

Per animam rationalem nonnunquam intelligit Aristoteles Angelum.

Metaphysicus cur dicatur Theologus.

V. *Imò spectat etiam ad Animasticum agere de anima à corpore separata, non tamen vt est separata, sic enim non minùs spectat ad Metaphysicum, quàm consideratio Angeli: Anima tamen, dum est separata, dicit ordinem ad corpus, tanquam actus illius, sub quo conceptu spectat ad Animasticum. Deinde, vt in Logica diximus, ad scientiam ad quam spe-*

Ad Animasticā spectat agere de anima separata.

spectat agere de toto, spectat agere de partibus, sic enim in Physicis agimus de materia & forma etiam separatis, & secundùm se, quia scilicet semper in ijs inuoluitur hoc prædicatum, nempe, vt dicant ordinem ad se inuicem, ad constituendum vnum totum.

VI. *Animæ scientia dici simpliciter potest speculatiua.*

Hæc scientia simpliciter est speculatiua, tum ob subiectum Attributionis, quod illa merè speculatur; tum quia omnes penè actus habet speculatiuos, licèt nonnulli etiam in ea reperiantur practici, qualis est hic actus; duobus speculis tali ordine dispositis, videri potest aliquid à tergo existens, *& alij nonnulli. Imò tractatus de actibus intellectûs, & voluntatis magna ex parte censetur practicus.*

DISPVTATIO PRIMA.

De essentia Animæ.

Quæstio hic est de animâ in communi.

SErmo hîc est de Animâ in communi, non de rationali tantùm de qua præcipuè agitur in libro tertio, qui peculiariter instituitur de animâ hominis. Hîc ergo conceptum essentialem, ac definitionem animæ vt sic inquirimus, quâ repertâ, & iacto veluti fundamento, faciliùs ad illius proprietates, & passiones indagandas postea descendemus.

SECTIO PRIMA.

Antiquorum de animâ sententiæ.

I. *Circa animæ naturam mirum in modum delirabant antiqui.*

NVllibi solemniùs delirabant Antiqui, quàm in animæ naturâ, & essentiâ declarandâ, si physicè & in rigore philosophico eorum dicta capiamus, licèt si metaphoricè interpretari quis eorum scita velit, allegoricum subinde sensum non inconcinnè patiantur. Aristoteli verò, ac Peripateticis singula ad naturæ calculos seuerè exigentibus nihil probari potest, nisi quod iustis numeris, & momentis Philosophicis plenè est libratum. Nonnulla tamen Antiquorum placita hîc obiter recensebimus.

II. *Democritus animam dicebat esse atomos, quia semper mouentur.*

Democritus ergo, cùm motum ad animam maximè spectare existimaret, quod ita temporibus illis omnium animis insederat, vt illud velut quoddam oraculum tota amplecteretur antiquitas, asserebat animam nihil aliud esse quàm corpuscula illa, seu atomos quos in radijs solaribus cernimus; eâ potissimum inductus ratione, quòd atomos hosce, nullo etiam flante Vento, sed cubiculo vndique occluso, nunquam videamus quiescere. Vnde, inquit, nihil aptius apparet, quod statuatur principium motûs. Hinc etiam prouenire dicebat respirationem animalis, quòd scilicet inquieta hæc corpuscula nullo loco diu fixa persistere possint, ac proinde identidem semper erumpunt, & alia eorum loco ingrediuntur. Non tamen omnia perinde corpuscula dicebat esse animam, sed rotunda tantùm, vtpote ad motum aptissima, reliqua verò horum motu cieri, & ad corporis constitutionem spectare affirmabat. Cui etiam sententiæ fauere videtur Anaxagoras.

III. *Alij animam dicebant esse ignem.*

Alij animam volunt esse ignem, qui inquiunt, vt in suâ sphærâ est quasi anima mundi sublunaris, ita quædam illius particulæ animalibus inclusæ, ipsis sunt pro anima, idque eâ præsertim de causâ affirmant, quòd ignis maximè sit actiuus, & motu rapidissimus. Alij etiam existimabant esse non vnum aliquod elementum, sed subtiliores quasdam & delicatiores, maximeque defæcatas singulorum elementorum partes, & veluti *quintam eorum essentiam*, partes verò subtiles dicebant esse corpora. Ita Empedocles, quem non defuere qui hac in parte sequerentur, ex iis præsertim, qui nouis dogmatibus (quod etiam est malum nostri temporis) auidiùs inhiabant quàm veris.

Alij subtiliores partes omnium elementorum.

IV. *Aliqui animam esse dicebant aerem, alij aquam.*

Alij aërem dicebant esse animam, vt Diogenes: sicque nonnulli verbum latinum *anima* vel *animus* à vocabulo græco ἄνεμος quod ventum, vel aerem significat, deriuari volunt. Alij animam dicebant esse aquam, vt Hippocrates. Quidam verò cum Zenocrate animam ex numeris componebant, vt Pythagoræi, ad verbum fortasse ἐντελέχεια alludentes, quod significat quiddam omninò perfectum, & suis numeris vsquequaque absolutum.

Alij constare ex numeris.

V. *Nonnulli animam dicebant esse harmoniam.*

Alij demum animam harmoniam esse existimabant, & veluti quandam musicam, quod nimirum potentias ita inter se coordinatas habeat, & in certum quasi ordinem digestas, vt chorus veluti quidam, & concentus videatur iucundissimus. Vnde signum, inquiunt, est nobilioris, & perfectioris animæ, quo quis magis capitur musicâ, in quam tanquam in centrum animam non minùs naturali quâdam vi & impetu ferri dicebant, quàm ignis fertur in sphæram, eoque magis, quò magis est à terrenâ concretione immunis, sicut ille. Hi duo postremi modi explicandi naturam animæ ascribuntur Platoni, qui præterea eam appellat circulum, quod nimirum sicut circulus in se recurrit, ita dum anima intelligendo supra se reflectit, circulari quasi motu moueatur, ac circulum quendam conficiat. Quos & alios modos latè impugnat Aristoteles hîc libro primo qui totus ex antiquorum Philosophorum hac de re somnijs, eorumque confutationibus est confectus.

Signum esse dicebant antiqui perfectioris animæ, quo quis magis capitur musicâ.

Quidam animam dicebant esse circulum.

VI. *Philosophi antiqui foris oculati, domi cæci.*

Ex quibus constat meritò valuis templi Delphici præfixum olim fuisse oraculum illud γνῶθι σεαυτόν. *nosce teipsum*, cùm præstantissima quæque ingenia, & quæ in alijs rebus tam erant oculati, domi tamen ita cæcutiebant, vt in turpissimos passim errores circa seipsos laberentur.

SECTIO II.

Vera Animæ notio, ac definitio.

I. *Sine animâ censendus est, qui animam esse dubitat.*

VT ergo ad rem propiùs accedamus, dari animam tam certum est, inquit S. Augustinus, vt sine animâ censendus sit qui animam esse dubitaret: id enim probant tot operationes ab intrinseco procedentes, vt vegetationes, sensationes, actus intellectûs, voluntatis &c. quæ alteri principio, quàm animæ, tribui non possunt, perfectiori tamen vel minùs perfectæ, pro diuersis, quæ ab eâ procedunt, ope-

operationibus. Vnde, cùm mortuo animali, videamus nullas huiusmodi exerceri operationes, colligimus aliquid vitale recessisse, à quo tanquam à principio operationes istæ procedebant.

II. *Definitio Animæ.*

Animam itaque sic definit Aristoteles hîc l. 2. c. 1. t. 6. Anima est *actus primus corporis physici organici potentiâ vitam habentis*: vnde vbique ait animam, sicut & omnem formam, ordinari ex naturâ suâ ad perficiendum aliud, nempe, suam compartem. Animam proinde semper vocat actum, subiectum potentiam. Vt ergo fiat compositio essentialis physica, debet & forma ordinari ex naturâ suâ ad perficiendum, & subiectum ad recipiendum.

III. *Cur anima dicatur actus primus.*

Dicitur verò Anima ab Aristotele actus primus, quia licèt accidentia etiam sint actus, sunt tamen actus quasi secundus, comparata cum Animâ, nempe posteriora dignitate: primus enim seu præcipuus actus corporis, seu materiæ, vel compositi, est actus substantialis, reliqui verò actus sunt secundi, seu secundarij, & minùs principaliter intenti, nec nisi intuitu actûs substantialis, licèt communiter naturâ, & nonnunquam etiam tempore, complementum substantiale antecedant, & hoc sensu dici possint actus primus: semper tamen sunt propter formam, & ad illam ordinantur.

IV. *Secunda animæ definitio in ordine ad operationes.*

Potest etiam Anima dici actus primus respectu operationum, quæ sunt actus secundus, & in ordine ad quas secundam tradit Animæ definitionem Aristoteles hîc l. 2. c. 2. t. 25. his verbis: *Anima est id quo primò viuimus, & sentimus, & intelligimus*, diuisiuè scilicet, non copulatiuè, alioqui non competeret hæc definitio omni animæ, sed soli rationali. Per hanc ergo definitionem significatur, animam esse radicem omnium operationum in composito, & consequenter actum primum, à quo profluunt actus secundi, seu operationes.

V.

Dices; hinc sequi, animam non esse actum perfectissimum: actus enim secundus perfectiùs actuat quàm primus, cùm primus adhuc relinquat aliquam potentialitatem, & actuabilitatem, potentialitas autem & actualitas passiua sonat imperfectionem, seu perfectionis alicuius carentiam, ergo actus secundus, qui completè actuat, erit perfectior primo. Negatur tamen consequentia si sermo sit quoad rem, & simpliciter, & non quoad modum; primò enim actus secundus seu operatio tollit solùm potentialitatem accidentalem, supponit verò substantialem potentialitatem iam completam per actum primum. Deinde, actus ille est perfectior qui dat perfectius esse, sed huiusmodi in præsenti est actus primus, constituit enim & dat esse substantiale, secundus verò solùm esse accidentale, constituendo scilicet compositum accidentale. Nec tamen semper omnis actus primus est perfectior secundo, habitus enim, saltem naturalis, imò vt volunt aliqui, supernaturalis, non est semper perfectior actu, ob vitalitatem scilicet actûs: sed de hoc alibi.

Ostenditur actum primum esse simpliciter perfectiorem secundo.

Actus primus non est semper perfectior secundo.

VI. *Quid in definitione animæ intelligatur per corpus organicum.*

Magna lis hîc est inter interpretes, quid hîc velit Aristoteles per *corpus organicum*, vtrùm scilicet per illud intelligatur materia prima cum dispositionibus, seu diuersâ organizatione ad animam recipiendam aptâ, an compositum ipsum, seu viuens. Quoad rem ipsam potest vtrumque intelligi, vt nimirum anima & sit actus informans materiam, & cõstituens compositum, eâdem enim operâ vtrumque præstat, & eodem modo hîc est philosophandum physicè & realiter inter materiam & formam, sicut in Logicâ Metaphysicè inter genus & differentiam, quæ sunt actus & potentia metaphysica, sicut hæc actus & potentia physica.

VII.

Sicut ergo differentia, quæ est forma metaphysica, est actus contractiuus, & suo modo informatiuus generis, illudque limitando, & quasi informando compartem suam metaphysicam, constituit speciem, seu essentiam metaphysicam, ita anima forma physica limitando & informando materiam, seu corpus compartem suam physicam, constituit essentiam physicam, seu essentiam physicè acceptam. Est ergo anima actus informans materiam, & constituens compositum.

Anima est actus informans materiam, & constituens compositum.

VIII. *Aristo. per corpus organicum intelligit materiam primam.*

Aristoteles autem per *corpus organicum* intelligere hîc videtur materiam primam taliter organizatam: post traditam enim hanc definitionem, subiungit, *Anima & corpus est animal*, quod signum est ipsum sumere hîc corpus pro comparte physicâ animæ. Porro omnes formæ substantiales, etiam inanimatæ, sunt actus *corporis*, sed non *organici*, hoc enim peculiariter competit viuentibus.

IX.

Dices; multæ res inanimatæ sunt *corpus organicum*, vt plumæ auium, marmor, iaspis, cœlum etiam, tot stellis & planetis quasi variegatum, imò cadauer eandem retinet organizationem, cùm homo moritur subitò, quam habuit forma viuentis, ergo habere *corpus organicum* non est proprium solorum viuentium. Resp. posse esse hîc quæstionem de nomine: si enim per *corpus organicum* intelligatur tantùm materia habens diuersum temperamentum primarum, vel etiã aliquarum secundarum qualitatum, multa non viuẽtia habent *corpus organicum*. Si autẽ per corpus organicum intelligatur corpus habens, non solùm diuersum temperamentum istarum qualitatum, sed aliarum etiam superioris ordinis, quæ disponunt ad operationes vitæ, quæque ordinantur ad iuuandum rem aliquam, vt se perficiat ab intrinseco, & producuntur vel à semine, vel matre prolis, sic nullæ res non viuẽtes habent *corpus organicum*.

Ostenditur sola viuentia habere corpus organicum.

X. *Stellæ non magis faciunt cœlum corpus organicum, quàm flores terram.*

Ad id de cœlo, dico stellas & planetas non continuari cum suis orbibus, vnde non magis faciunt cœlum *corpus organicum* quàm flores, plantæ, & arbores terram. Quòd verò per *corpus organicum* intelligatur corpus variè dispositum per huiusmodi temperamẽtum superioris ordinis, disponens proximè ad operationes vitæ, innui videtur illis verbis in definitione positis, *potentiâ vitam habentis*.

XI.

Circa id quod additur de formâ cadaueris, Resp. primò, materiam in qua recipitur forma cadaueris, non habere accidentia illa superioris ordinis de quibus suprà: qua de causâ dicit Aristoteles *digitum mortuum, & viuum esse æquiuocè digitos*. Deinde, per accidens est formæ cadaueris quòd sit cum illis diuersis dispositionibus, & organizatione, (sicut formæ ignis est per accidens quòd sit cum humiditate aëris, quẽ in se conuertit, & similiter cum humiditate aliquâ ac frigiditate ligni) quod inde colligitur, quia forma cadaueris non conseruat dispositiones illas, sed paulatim eas dissipat, ac dissoluit totam illam organizationem, sicut ignis humiditatem & frigiditatem ligni & aëris.

Digitus mortuus, & viuus æquiuocè digiti.

XII. *De vltimâ definitionis animæ particulâ, potentiâ vitam habentis.*

Vltima demum particula definitionis, nempe, *potentiâ vitam habentis*, intelligi duobus modis potest, sicut & *corpus organicum*, nempe de vitâ substantiali, vel accidentali, & vltimæ huius particulæ acceptio pendet ab acceptione *corporis organici*. Si ergo per *corpus organicum* intelligatur materia prima organizata, & proximè ad animam in se recipiendam disposita, tunc hæc particula significat vitam substantialem, & in actu primo: si verò per corpus organicum intelligatur totum, tunc hæc particula significat vitam accidentalem, seu operationes vitales, quas totum compositum iam constitutum, seu viuens habet in potentiâ, quia scilicet est principium earum elicitiuum.

XIII.

Ex dictis infero vtramque hanc animæ definitionem superiùs positam esse essentialem, licèt prima aliquid

Vtraque illa animæ definitio est essentialis.

aliquid in se descriptiuum contineat, nempe particulam illam *organici*; accidentia enim non sunt de substantiâ hominis, ergo nec anima debet definiri in ordine ad illa: sicut & esset descriptio, siquis definiret hominem per *bipes*. Secunda verò definitio est explicatio primæ; perinde enim est *id quo primò viuimus, sentimus, & intelligimus*, atque *actus primus corporis potentiâ vitam habentis*: idem enim est ac si diceretur, anima est prima radix & principium elicitiuum harum operationum, *verba enim in definitionibus non important actum, sed potentiam*, vt docent Logici. Melior tamen videtur prior definitio, quia explicat omnia prædicata animæ, anima quippe non solùm dicit ordinem ad operationes, tanquã principium effectiuũ illarum, sed etiam ad corpus seu materiam, tanquam actus informatiuus & compars illius.

XIV. Animam esse substantiam non videtur dubium, cùm ordinetur ad complendam & perficiendã materiam: deinde, est pars constitutiua hominis, qui est compositum substantiale. Quare perperam Galenus l. de locis affectis dixit, animam esse temperamentum primarum qualitatum, sic enim eum explicat S. Thomas l. 2. cont. Gen. c. 63. & in Quæst. disp. q. de anima, a. 1. quamuis alij eum excusent, & ita varium circa naturam animæ fuisse illum dicant, vt planè quid de eâ diceret, nesciret. Sed cuiuscunque fuerit illa sententia, meritò ab omnibus reiicitur vt erronea.

Error eorũ qui animam dicebant esse temperamentum primarum qualitatum.

D I S P V T A T I O II.

De Animæ informatione.

S E C T I O P R I M A.

Sitné Anima actus informans, an assistens.

I. *Anima est actus informans, non assistens.*

INprimis, animam verè informare aliquas partes corporis, & esse actum informantem, non assistentem, sicut est nauarchus respectu nauis, aut Intelligentia respectu orbis seu sphæræ cœlestis, definitur in Concilio Viennensi sub Clemente quinto, Clementinâ de summa Trinit. c. 5. & videtur per se manifestum: corpus enim deseruit Animæ ad sentiendum, quod præstare non posset, si Anima esset merè actus assistens; nec enim cœlum iuuat Angelum ad sentiendum, nec nauis nauarchum. Nec si Anima rationalis esset intimè præsens equo, redderet illum animal rationale, aut animæ in inferno cõstituunt cum materiâ ignis hominem, esto illi materiæ alligentur, quod tamen facerent si merè assistere, aut quocunque etiam modo alligari, esset constituere hominem.

II. *Ostenditur viceribus animam esse actum informantem.*

Dices; deesse in his dispositiones ad constitutionem compositi requisitas. Contrà, dispositiones non sunt de conceptu essentiali hominis, sed si verè vniatur anima corpori, constituet hominem, siue dispositiones adsint, siue non. Deinde, animæ omnes materiales educuntur ex potentiâ materiæ, cùm producantur per generationem, ergo vniuntur materiæ, actio enim generatiua, seu eductiua petit naturaliter vnionem termini producti cum materiâ, seu subiecto, vt dictum est in Phys. d. 14. Præterea, nisi anima, tum rationalis, tum aliæ vniantur materiæ, non constituent verum compositum, sed aggregatum tantùm per accidens.

III. *Error Auerrois, & Platonis dicentium animam rationalem esse actum assistentem.*

Malè ergo Auerroes, Plato, & alij Animam rationalem dicebant esse actum substantialem assistentem solùm, non informantem. Primò enim præter iam dicta, hoc confutatur ex illo Genesis 2. v. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Per spiraculum autem vitæ intelligunt hîc omnes animam informantem. Deinde, corpus, etiam in homine viuit, ergo informatur, seu actuatur à formâ viuente, cuius informatio ad denominationem viuentis non minùs requiritur, quam informatio caloris, aut albedinis ad denominationem albi, aut calidi.

IV. Nec obstat, quòd Anima rationalis sit spiritualis, & corpus quid materiale: nil enim vetat rem spiritualem vniri rei materiali, cùm Verbum Diuinum vniatur naturæ humanæ, & iuxta communiorem sententiam, posset vniri lapidi, vel alteri substantiæ merè materiali. Deinde, non est necessarium vt Anima habeat formalem extensionem vt correspondeat corpori, sed sufficit virtualis: non enim correspondet corpori commensuratiuè, seu quantitatiuè, ita scilicet vt pars correspondeat parti, sed definitiuè. Et quoad hoc eadem penè videtur difficultas de correspondentiâ rei spiritualis ad locum, quam tamen nullus negare potest Animæ, & Angelo. Si etiam res spiritualis sit incompleta, potest compleri à re corporeâ, ad quam dicit ordinem, nec in hoc vlla peculiaris apparet difficultas.

Nil obstat quo minus res spiritualis vniatur rei materiali.

V. *Nullum violentum perpetuum.*

Dices; si anima rationalis sit actus informans, ergo quando separata existit à materiâ est in statu violento, ergo non potest semper durare, nec est immortalis, *nullum enim violentum perpetuum.* Sed contrà, multa sunt, quæ licèt connaturaliter aliis vniantur, possunt tamen naturaliter sine iis existere, nec vllam in hoc patiuntur violentiam. Sic aër naturaliter in se recipit lucem, eique verâ & physicâ vnione connectitur, & tamen etiam sine omni luce existit naturaliter. Sic duæ partes ligni, aut ferri per vnionem continuatiuam sibi naturaliter vniuntur, & in vnum totum coalescunt, & tamen, etiam naturaliter existunt separatæ. Idem ergo contingit in animâ rationali, quæ hanc perfectionem habet præ aliis formis, quòd illæ ad sui existentiam indigeant materiâ, & petant necessariò subiectum; anima autem rationalis maiorem dicit independentiam: vnde, licèt vniri subiecto possit, & illud informare, non tamen hoc necessariò petit.

Anima rationalis separata à materiâ non est in statu violento.

S E C T I O II.

Quæ partes informentur animâ: vbi præcipuè de dentibus.

I. *Variæ sunt viuentium partes, de quibus dubitatur an viuant.*

DE variis viuentium partibus dubitatum aliquando fuit, nec satis de quibusdam ex iis etiamnum constat, informentur animâ, necne: vt de sanguine, semine, lacte, & aliis humoribus in corpore existentibus: item de capillis, dentibus, & vnguibus: & eadem cum his est ratio de cornibus, & vngulis belluarum, de rostris & plumis auium, de squamis piscium, & aliis huiusmodi. Nos hic quæstionem resoluemus quoad res solidas, quoad alias dicetur disputatione sequente.

Vt à

II. *Caro, ossa, & nerui viuunt.* Vt à certioribus incipiam, Dico primò: Caro & ossa viuunt. Est communis. Ratio videtur clara, nam sunt præcipuæ partes animalis, item non augentur *per iuxta-positionem* sicut ignis, & aqua, *sed per intus-sumptionem*, & vegetant. Præterea caro sentit, ergo habet manifesta signa vitæ. Eadem ratio est de neruis, quos communiter dicunt tam medici, quàm Philosophi esse præcipuam sedem sensûs tactûs.

III. *Dentes etiā viuunt.* Dico secundò: Dentes viuunt. Ita Aristoteles l. 2. de Generat. animal. c. 4. Galen. lib. de ossibus, & l. 5. de medicamentis. Conimb. l. 1. de generat. q. 23. a. 2. fine. Suarez l. 2. de Animâ d. 1. q. 5 § *Quartò constituitur*: P. Hurt. d. 1 de An. s. 6. n. 47. P. Arriaga d. 1. de An. s. 9. n. 292. P. Ouiedo Cont. 1. de An. p. 4. n. 12. & alij passim.

IV. *Ratio est, quia dentes eiusdem sunt temperamenti cum ossibus.* Probatur primò: nam sunt eiusdem penè temperamenti cum ossibus, vnde Aristoteles 2. de gen. animal. c. 4. illos comparat ossibus, cùm in dispositionibus sint iis valde similes: sunt namque frigidi, sicci, duri, albi, & solidi, quæ iuxta medicos communiter est propria complexio ossis. Deinde, Galenus citatus asserit se dolorem in ipsa substantia dentis sensisse distinctum à dolore in neruo, vel gingiuâ. Quod si verum sit, est clarum signum vitæ. Sed difficulter distingui possunt illi dolores ob summam connexionē dentium & neruorum, maximè cùm neruus ille, qui dentem alligat gingiuæ, & maxillæ, ingrediatur in ipsam cauam partem dentis, & pertingat penè vsque ad summum.

V. *Item dentes nutriuntur, ergo viuunt.* Secundò probatur: nam nutriuntur, & augentur ab intrinseco per intus-susceptionem, sicut ossa: per neruum enim, vel fibras quibus astringuntur maxillis, confertur illis alimentum, quod per cauitates, quas in se habent tenuissimas, sugunt & in omnes partes vi suâ attractiuâ dispensant, sicque in suam illud substantiam conuertunt. Nec solùm in radice, seu infimâ parte augentur, sed etiam in supremâ, idque versus omnem dimensionem, vt constat in pueris, vbi adoleuerint in viros, tunc enim superiores partes dentium sunt crassiores versus omnem dimensionem, quam erant in ætate illâ tenerâ: & clariùs hoc idem constat in catellis quorum dentes in initio acuti sunt instar acûs fermè vel aciculæ, postea tamen versus omnem partem crescunt, ac dilatantur.

VI. *In lupis dicunt multi dentes continuari cum maxillis.* Tertiò: in lupis dentes continuantur, vt ferunt, cum eorum maxillis, quod si ita sit, æquè viuunt ac maxillæ ipsæ. Quòd autem in homine, & cæteris animantibus non continuentur dentes cum maxillis immediatè, non inde sumitur argumentum ad probandum eos non informari animâ, sicut informantur maxillæ, ad hoc enim sufficit continuari cum iis mediatè, nempe mediis quibusdam neruis, vel fibris, quibus continuati dentes immediatè, mediatè continuantur cum maxillis.

VII. *Quòd dentes suâ quasi sponte in senibus decidant, non redit inferius eos non viuere.* Nec refert quod dentes quasi sponte suâ decidant præsertim in senibus: eâdem enim operâ quis probaret nasum, & aures non informari animâ, cùm in præfrigidis regionibus, vt in Poloniâ, & Moscouiâ, subinde decidant. Ratio ergo cur dentes decidant est, vel defectus humoris nutrimentalis, seu medullæ, quam iis per fibras illas subministrant maxillæ, cui non absimile etiam contingit in foliis arborum, vel ob exuberantiam humoris excrementitij, seu pituitæ, quæ & neruum quo alligantur dentes maxillæ, & dentes, imò & homines ipsos corrūpit: senes enim vt primo humore, seu nutrimentali destituuntur, (qua de causa exsucci dicuntur, & *Cur senes exsucci plerumque sint, & marcidi.* marcidi, videmusque colligi in rugas cutem, ipsosque incuruari, & contrahi) ita abundant secundo humore, seu excrementitio. Si ergo humor iste homines ipsos subinde destruat, & animam dissoluat à corpore, destruendo eorum vnionem, quidni etiam dentes dissoluat à maxillis? corrumpendo scilicet neruum, quo illis astringebantur.

VIII. *Dentes tota vitâ crescunt.* Notandum verò ex Aristotele l. 2. de gen. c. 4. dentes tota vita crescere. Cùm enim ad comminuendum cibum sint necessarij, & attritu perpetuò comminuantur, peculiariter ipsis à natura prouisa est via quædam eorum auctrix, qua illorum dispendium resarciatur.

IX. *Multa animalia non plenè vtrinque dentata.* Idem dicendum existimo de cornibus animaliū, nempe viuere, idque inde suadetur quòd ex eadem materia videantur fieri cum dentibus: nullum enim animal cornigerum est vtrimque plenè dentatum, sed primoribus dentibus superioris mandibulæ caret, & materia illa transit in cornua.

SECTIO III.

An vngues & capilli viuant.

I. *Prima sent. ait vngues & capillos non viuere.* PRima sententia affirmat vngues & capillos non viuere. Ita S. Bonau. in 4. d. 44. par. 1. a. 1. q. 1. ad 3. Vasq. to. 1. in 3. p. d. 36. c. 7. n. 34. Valent. 1. p. d. 6. q. 2. d. 3 § *sed diligenter*: Tol. hic l. 1. q. 4. Conimck. de Incar. d. 9. dub. 3. concl 3. Ouiedo hic cont. 1. p. 4. Hurt. hic, d. 1 s. 6. n. 50. quoad capillos, & alij.

II. *Secunda sententia ait eos viuere animâ tantùm vegetatiuâ.* Secunda sententia est, viuere quidem vngues & capillos, sed non per eandem animam, per quam viuit totum, sicque informari sola animâ vegetatiua. Citatur pro hac sententia D. Bonauentura, sed falsò, expressè enim ait eos non viuere. Citari etiam solet Durandus in 4. d. 44. q. 2. sed rem non videtur definire, solùm enim ait capillos, vngues &c. spectare ad ornatum, & ad integritatem hominis purè accidentalem. Citatur etiam Fonseca 7. Met. c. 12. s. 13. sed in eo reperire id non potui. Tenet Card. Lugo de Incarn. d. 14. s. 8. n. 112.

III. *Tertia sententia vngues & capillos ait viuere eâdem animâ cum toto.* Tertia sententia docet vngues & capillos viuere, & eâdem animâ informari semper cum toto, vt in homine animâ rationali, & in brutis animâ sensitiuâ. Ita Iauell. l. 2. de Anima q. 10. Bannez 1. de Gener. c. 4. q. 8. a. 4. concl. 3. Sotus 5. Phys. q. 3. ad 8. Soncin. 8. Met. q. 10. Capreol. in 2. d. 15. q. 1. ad 6. Suar. To. 1. in 3. p. d. 15. s. 7. § *Dico secundò*: & l. 2. de An. c. 11. n. 5. de vnguibus. Idem de vtrisque tenere videtur Arriaga hic d. 1. s. 9. n. 294. & 297. & alij. Conimb. l. 1. de Gen. c. 4. q. 23. a. 2. omnes tres sententias defendunt problematicè.

IV. *Vngues, plumæ, squamæ & similia viuunt.* Prima conclusio: vngues hominum, & auium, aliorumque animalium, vngulæ etiam equorum, & similium, item plumæ auium, squamæ piscium, & alia huiusmodi informantur animâ, & viuunt. Ita ferè auctores secundæ, & tertiæ sententiæ.

V. *Vngues, &c. viuunt quia crescunt, & versus omnem partem augentur.* Probatur primò: eadem enim videtur ratio de istis ac de frondibus arborum, quas tamen omnes communiter affirmant viuere. Secundò, experientia constat vngues, plumas, & alia suprà posita augeri versus omnem partem, crassiores enim, longiores, & latiores sunt hominibus, & aliis animantibus post aliquot annorum, vel mensium decursum quam in initio. Quòd autem non augeantur semper versus crassitiem, sed solùm versus longitudinem, non inde inferri potest non viuere; possunt enim peruenire ad statum sub vna ratione, & non sub alia: vt è contrà, homines post certum annorum numerum sunt in statu versus altitudinem, non tamen versus crassitiem.

VI. *Duæ lineæ in vnguibus, quæ semper seruant eandem distantiam, non arguit eos non viuere.* Dices, si notentur in vnguibus duæ aliquæ lineæ, apparebunt eandem semper distantiam, ergo non augentur vngues more vitali. Contrà primò, negari fortè potest antecedens, nec quenquam existimo hoc vnquam accuratè obseruasse. Contrà secundò,

frin tute duæ huiusmodi notæ signentur, non amplius distabunt post mensem quàm cùm primò notarentur: hinc tamen nemo rectè intulerit, cutem non vegetare. Contrà tertiò, cicatrix in facie pueri paulatim crescit quamdiu crescit ipsa facies, postea tamen per multos annos nō omninò crescit, licet nutriatur. Idem ergo dici potest in præsenti, probamus enim vngues viuere, non ea augmento, quod modo recipiunt in animalibus, quæ peruenerunt ad statum, sed solùm ex eo quòd in animalibus, dum essent parua, crescerent versus omnem dimensionem. Vnde si in vnguibus puerorum duæ huiusmodi notæ signarentur, appareret post aliquot dies maior aliquantulum inter eas distantia. Quando verò animalia peruenerunt ad statum, nutriuntur adhuc vngues, non tamen augentur propriè vitaliter, saltem more aliarum rerum, cùm experientiâ constet vnam partem propellere aliam, & quæ nunc est infima, tandem fieri supremam, vel saltem multo longiùs distare à radice.

Nutriuntur semper vngues, sed non semper augentur.

VII. Secunda conclusio; capilli viuunt, & informantur animâ. Ita auctores suprà pro secundâ, & tertiâ sententiâ citati. Probatur primò eodem argumento quo vsi sumus conclusione præcedente pro vnguibus: initio quippe videmus eos augeri versus omnem partem, & paulatim fieri longiores, & crassiores, donec perueniant ad statum versus crassitiem, vt est quotidianâ experientiâ manifestum.

Capilli similiter viuunt.

VIII. Secundò, & præcipuè probatur: certis enim experientiis non semel compertum est capillum hominis, & barbã subitò de nigris reddita esse alba, quod, quidquid dicat P. Ouiedo citatus num. 16. apertè indicat aliquod nutrimētum, nempe vaporem aliquem esse per totos capillos ex omni parte dispersum, & consequenter illos nutriri per intus-susceptionem, & non per solam iuxtapositionem sicut augetur ignis, quod ab omnibus haberi solet signum vitæ. Hoc ergo nutrimentum, cùm subitò ex accidente aliquo, vitiatâ similiter pilorum radice, mutetur de calido in frigidum, vt ex repentino timore, vel aliâ causâ, mutatur etiam totum temperamentum capilli, & cōsequenter color: nam vt rectè in simili S. Bernardus, *si radix in vitio est, & rami.*

Capillus de nigro in album subitò ex vitiatâ radice mutatus arguit eum viuere.

IX. Tertia conclusio: Probabilius tamen mihi videtur nec vngues nec capillos in homine animâ rationali, nec in aliis sensitiuâ, sed solâ vegetatiuâ informari. Ratio est, videmus enim capillos (idem est de vnguibus) eodem modo crescere, & canescere post mortem, & recessum animæ in homine, ergo non vegetabant antea per animam hominis, sed per aliam sibi propriam, cuius beneficio attrahunt vaporem quemdam, & materiam tenuissimam, per exiguos quos in se habent poros, & meatus, & in suam substantiam conuertunt.

Vngues & capilli habent tantum animā vegetatiuā.

Dices primò; pili propter tenuitatem non habent poros, ergo non possunt nutriri, ergo nec viuunt. Secundò, nō habent certum incrementi sui terminum, viuentia autem habent, vt in libris de Generat. dixi d. 6. sect. 2. num. 6. ergo non viuunt. Ad primum negatur antecedens; proboscides enim muscarum sunt æquè tenues, & tamen constat eas habere poros, & viuere. Ad secundum, negatur similiter antecedens, vt constat in setis, ac iubis equorum, & leonum, &c. imò in viris etiam ac fœminis comam nutrientibus, quæ vltra certam longitudinem non excrescit. Quòd verò pili attonsi denuò crescant, non arguit eos non viuere. Non tamen tam perfectè augentur sicut viuentia perfecta, cùm partes inferiores propellant superiores, licèt nutriantur etiam ab intrinseco. X.

Tenuitas pilorum non obstat, quo minùs nutriantur.

Capilli habent certum incrementi sui terminū.

Dices tertiò; ergo in homine sunt formæ partiales, cùm iuxta nos non sit vbique eadem forma. Distinguo consequens, sunt plures formæ in eâdem parte materiæ, nego consequentiam; in diuersis partibus, transeat: in hoc autem nihil incommodi, & si sit, à fortiori vrget contra eos, qui dicunt nec vngues, nec capillos, nec etiam dentes omninò viuere: hi enim hoc modo ponunt diuersas formas, easque non viuentes. XI.

Quo sensu in homine sint formæ partiales.

Ex dictis colligi potest causa raritatis, aut etiam inopiæ pilorum in quibusdam: ab vno namque ex his tribus capitibus oritur, vel ex durítie cutis, seu magnâ constipatione pororum (pili enim semper crescunt in poris) quo fit vt omnes pori occludantur: vel è contrà ex nimio calore, per quem ita aperiuntur pori, vt omnes illi vapores & exhalationes, quæ sunt materia capillorum, priùs euolent, quàm possint in pilos conuerti: vel tertiò, ex defectu huiusmodi vaporum, & materiæ excrementitiæ; vnde pili, qui quoddam naturæ excrementum dicuntur, originem trahere solent. XII.

Tres causæ raritatis capillorum.

DISPVTATIO III.

De partibus fluidis, an viuant.

SECTIO PRIMA.

An sanguis informetur Animâ.

I. Prima sententia affirmat eum Animâ informari, & viuere. Ita Caiet. 3. p. q. 5. a. 2. Medina ibid. Tolet. l. 2. de Ani. q. 4. Valen. 1. p. d. 6. q. 2. p. 3. § *Sed diligenter*. Bannez 1 de Gen. c. 4. q. 8. ar. 5. P. Hurt. hîc d. 1. sect. 6. n. 4. P. Arriaga hîc d. 1. s. 9. n. 279. P. Ouiedo hîc contr. 2. p. 4. n. 2. & ex recentioribus non pauci.

Prima sententia affirmat sanguinem viuere.

II. Probatur primò: in Scriptura, Leuit. 17. v. 14. prohibebantur Iudæi comedere sanguinem, quia Anima est in eo, ergo sanguis animatur. Sed contra hāc consequentiam est primò, nam si hoc debeat ita ad litteram intelligi, ergo nec deberent comedere carnem, cùm secundum omnes in illâ sit Anima. Solùm ergo propterea dicitur Anima esse in sanguine, quia semper videmus effuso omni penè sanguine deficere animal, & mori, non tamen ablatâ magnâ quantitate carnis, vt præcisis manibus cruribus, &c. Quod signum est, sanguinem peculiarem habere connexionem cum vitâ, & Animâ. Quo modo locum illum Leuit. 17. v. 14. explicat S. Augustinus q. 17. in Leuiticum.

Ex eo quod Iudæi prohibebantur comedere sanguinem, non rectè arguitur sanguinem viuere.

Secundò, & præcipuè probatur, quia sanguis est pars hominis, ergo animatur. Antecedens probatur: Concilium enim Trid. sess. 13. ca. 3. docet sanguinem poni sub speciebus panis in Eucharistiâ ex vi connexionis, & concomitantiæ, quâ partes corporis inter se copulantur, ergo censet sanguinem esse partem hominis. Idem docet Innocentius 3. in Extrauag. de Celebratione Missarum, vbi ait aquam & sanguinem fluxisse è latere Christi, vt ostenderetur Christum habuisse quatuor humores, qui pertinent ad veram hominis constitutionem, ergo secundùm mentem Pontificis sanguis, & alij humores sunt veræ par- III.

Arguitur secundò: sanguis est vera pars hominis, ergo viuit.

tes

tes hominis. Hinc probatur consequentia, nempe quòd sanguis viuat, quod enim pertinet ad veram constitutionem hominis, est vera pars illius, ergo sanguis est vera pars hominis, ergo informatur animâ.

IV. Resp. sanguinem esse partem constitutiuam hominis, non tamen primariò, sed secundariò: ad hoc autem non est necessarium vt informetur animâ, & verè viuatur, sed sufficit ita requiri, & coniungi, vt sine eo consistere homo non possit. Quod insinuari videtur in verbis Concilij Tridentini suprà in argumento citatis, dum ponit vtrumque Verbum. *connexionem* scilicet, & *concomitantiam*, quibus innuit, non requiri necessariò veram vnionem, & continuationem inter omnes partes hominis, sed sufficere naturalem concomitantiam: ratione autem huius ponitur sanguis sub speciebus panis in Eucharistiâ, quia scilicet debet poni corpus viuum: & sub speciebus vini ponitur corpus, quia sanguis non potest naturaliter manere incorruptus sine corpore.

Resp. sanguinem esse solùm partem hominis secundariam, non primariam.

V. Dices; ergo aër est pars hominis, nec enim viuere potest homo sine aëre. Negatur consequentia, quia aër non requirit illam connexionem cum corpore humano, quam requirit sanguis. Vnde accedit & recedit, tanquam quid extrinsecus adueniens: sanguis autem semper manet intra venas conclusus. Calor verò (quod etiam obici posset) non est pars hominis, licèt naturaliter ad illius constitutionem requiratur, non enim censeretur homo mutilus, vel mancus ad illius ablationem, sicut ad ablationem totius, vel etiam ferme totius sanguinis. Deinde, calor est solùm dispositio, dispositiones autem à nemine vocantur partes.

Cur aër, & calor naturalis non sint partes hominis.

VI. Vrgebis; saltem homo erit aggregatum per accidens. Resp. illud totum, quod vocamus hominem vsquequaque integrum, posse aliquo modo dici aggregatum per accidens: quamuis non sit aggregatum per accidens quale est aceruus lapidum cùm hîc aliqua subordinatio, seu connexio naturalis reperiatur inter carnem & sanguinem, & mutua quædam sui inuicem exigentia: inter lapides autem illos nulla omninò reperitur connexio, vel coordinatio ad se inuicem. Illud verò totum vnde desumpta est denominatio hominis, non est aggregatum vllo modo per accidens: hoc enim solùm est materia & forma vnitæ: hæ autem faciunt vnum per se, vt nullus negat. Adde, probabile esse, posse verè vniri sanguinem corpori, licèt non informetur animâ, vt postea videbimus, cùm de heterogeneitate partium animalis.

Vtrùm sanguinem aliquas partes homo dici possit aggregatum per accidens.

VII. Tertiò probatur eadem sententia: nam Verbum Diuinum non solùm assumpsit animam rationalem, & carnem, sed etiam sanguinem, ergo sanguis informatur animâ rationali. Conf. primò, alioqui dici posset, *Deus est sanguis*, sicut dicitur, *Deus est homo*, si quidem sanguis habeat naturam distinctam ab homine. Conf. secundò, sequeretur Verbum Diuinum assumpsisse duas naturas, rationalem vnam, alteram irrationalem.

Arguitur tertiò: Verbum diuinum assumpsit sanguinem, ergo sanguis viuit.

VIII. Ad argumentum Resp. nõ esse dubitandum quin Verbum Diuinum assumpserit sanguinem; ad hoc tamen non sequitur vt sanguis informetur animâ, sed sufficit quòd sit pars spectans ad integritatem humanæ naturæ. Et hinc probatur, sanguinem alio modo esse partem hominis quàm calorem, & reliqua accidentia, hæc enim non sunt assumpta: siue ergo informetur sanguis animâ, siue non, est peculiari modo pars quo accidentia non sunt, licèt hæc etiam aliquo modo spectent ad conseruationem hominis, vt dictum est.

Resp. vt sanguis assumptus fuerit à Verbo sufficere quod sit pars hominis.

IX. Ad primam confirmationem Resp. licèt huiusmodi propositiones non sint vsurpandæ, cùm non repetiantur in Scripturâ, & Patribus, posse tamen eas in aliquo sensu esse veras, cùm verè sanguis fuerit vnitus Verbo: ac proinde, sicut dicitur, *Deus est caro*, licèt caro sit solùm substantia partialis respectu hominis, ita & dici posset, *Deus est sanguis*, licèt sanguis sit solùm substantia partialis. Communiter tamẽ solùm applicãtur huiusmodi modi loquendi ad substantiam totalem & integram, vt, *Deus est homo*. Et per hoc patet ad secundam confirmationem, concedi enim potest sequela de duabus substantiis incompletis, & inter se subordinatis, seu dicentibus ordinem ad constituendam vnam naturam integram, vt hîc contingit.

Non omnes propositiones veræ, sunt passim vsurpandæ.

X. Quod verò dicitur à nonnullis, vel inde probari sanguinem informari animâ rationali, quòd fuerit assumptus à Verbo Diuino, Deus autem vniri alteri quàm naturæ rationali non possit, cùm dedeceat tantam Maiestatem vniri hypostaticè naturæ irrationali: hoc, inquam, communiter negatur à Theologis, sicut enim non dedecet Maiestatem Dei, vt quemadmodum existit sub speciebus panis, ita, si velit, existat sub speciebus & accidentibus rei cuiusque vilissimæ; ita nec vt vniatur eidem hypostaticè.

Non dedecet Deum vniri naturæ irrationali.

SECTIO II.

Sententia asserens sanguinem non viuere.

I. SEcunda sententia docet, sanguinem non viuere, nec animâ informari. Ita S. Thomas 1 p. q. 119 a. 1. ad 3. S. Bonau. in 4. d. 44. ar. 1. q. 1. ad 2. Alens. 2. p. q. 26. m. 7. Scotus in 4. d. 10. q. 1. ar. 2. Durand. in 4. d. 44 q. 2. ad 2. Sotus ibid. ar. 3 & d. 10 q. 1. a. 2. Suarez 3. p. To. 1. d. 15. s. 6. initio, vbi eam vocat communem Theologorum sententiam, & l. 2. de Ani. c. 5. num. 6. Card. Lugo d. 14. de Incarn. sect. 4. num. 68. Vasq. 3. p. to. 1. d. 36. cap. 5. num. 20. Conimb. l. 1. de Gen. c. 4. quæst. 24 art. 2. Rubius l. 2. de Ani. quæst 8. num. 214. Murcia hîc l. 2. d. 1. quæst. 5 §. *Hi tamen*. Quam etiam sententiam Tannerus 3. p. d. 1. quæst. 4. d. 3. num. 94. ait tenere communiter Theologos, Philosophos, & Medicos, cum S. Thoma, Aristotel. & Galeno l. 4. de vsu par. estque communissima inter recentiores opinio.

Secunda sententia asserens sanguinem non viuere.

II. Probatur primò; sanguis iuxta Aristotelem & Philosophos communiter, est alimentum ex quo nutritur animal, ergo non informatur animâ. Patet cõsequentia, nam nutritio est conuersio substantialis, quâ substantia alimenti conuerti dicitur in substantiam aliti, hoc autem fieri nequit si alimẽtum ipsum, seu sanguis viuat, & informetur animâ.

Probatur primò, quia sanguis est nutrimentũ animalis, ergo non viuit.

III. Respondet P. Arriaga hîc d. 1. sect. 9 n. 168. gratis dici nutritionem esse conuersionem substantialem, ac proinde asserit ad nutritionem sufficere, quòd detur mutatio accidentalis inter qualitates carnis & sanguinis, ad hoc vt dicatur sanguis conuerti in carnem. Sed contrà primò, augmentatio secundùm omnes distinguitur ab alteratione, & accretione, vt vidimus in lib. de Gen. d. 5. sect. 1. & nutritio ponitur vt species augmentationis; in augmentatione autem semper producitur noua aliqua substantia. Contrà secundò, nam hac ratione quando aqua frigida agit in calidam sibi admixtam, & vnitam, diceretur tunc augeri, quod tamen concedet, opinor, nemo.

Non rectè dicunt aliqui nutritionem non esse alterationem substantialem.

IV. Alio tamen modo solui potest prædictum argumentum: primò enim non probat sanguinem non omnino viuere, sed ad summum non viuere eâdem vitâ, quâ animal, cuius est alimentum, posset tamen viuere vitâ vegetatiuâ. Secundò dici posset, ex doctrinâ Medicorum, sanguinem non esse immediatum nutrimentum animalis, sed priùs conuerti in

Licèt sanguis sit alimentũ animalis, non sequitur eum non viuere.

rorem, deinde in cambium, tandem in gluten, & sic demum in carnem. Tertiò, si partes formæ in alijs animalibus, vel vnionis in homine sint heterogeneæ, tunc nutriri poterit vna pars ex aliâ, & fieri conuersio substantialis: inducere enim possunt partes carnis dispositiones suas in materiam sanguinis, & consequentur formam vel vnionem carnis.

V. *Licèt sanguis viuat, non sequitur, apertâ venâ, animam, vnà cum eo prosilire à corpore.*

Secundò probant alij: alioqui namque sequeretur, quando apertâ venâ prosilit è corpore in scutellam sanguis, simul prosilire animam, & esse in aëre, & scutellâ. Responderi potest primò, statim atque egreditur sanguis, amitti spiritus, & dispositiones ad animam, & consequenter animam desinere sanguinem illum informare, & illius loco succedere formam cadaueris, & consequenter licèt adhuc videatur continuari sanguis in aëre & disco, cum sanguine in corpore, verè tamen non continuatur. Sicut cum hominis brachium, vel ramus arboris marcescit, licèt adhuc videatur continuari cum trunco, vel corpore, verè tamen non continuatur. Secundò, siquis diceret ad breue tempus, dum scilicet manent aliquæ dispositiones ad animam, (forma enim viâ corruptionis informat materiam cum valde tenuibus dispositionibus, vt ostensum est in lib. de Gen. d. 5. s. 3. n. 6. & 8) materiam sanguinis informari animâ, & Animam esse in aëre, & scutellâ, quid inde inferretur incommodi? sicut si pars aliqua carnis in longum vi extrinsecâ protraheretur, non propterea desineret informari animâ.

Resp. Secundò nil esse incommodi quòd anima apertâ venâ, sit ad breue tempus extra corpus.

VI. *Sanguis vniri potest carni mediatè, nempe per iecur.*

Tertiò argumentatur nonnulli: sanguis solùm est in venis, vt aqua in vase, ergo non continuatur cum carne, ergo non informatur eâdem animâ cum carne. Ad hoc responderi posset primò, sanguinem vniri & continuari carni mediatè, nempe per iecur, sicut dentes medio quodam neruo vniuntur maxillis, vt dictum est disp. præcedente sect. secunda n. 5. & 6. sanguis enim quo propior iecori, eo est crassior, & consequenter aptius vt vniatur iecori, quod nihil aliud videtur, quàm sanguis quidam concretus: ac proinde non maior est difficultas vt sanguis illi vniatur, quàm vt medulla vniatur ossibus, imò multo minor. Secundò dici posset, sanguinem vniri venis ipsis, vt multi in exemplo proximè allato affirmant medullam vniri ossibus.

Sanguis immediatè vniri potest venis, sicut medulla ossibus.

VII. *Si anima rationalis informaret duas partes materiæ tantùm contiguas, non foret vnum per accidens.*

Tertiò, siquis diceret animam, saltem rationalem, posse informare duas partes materiæ tantùm contiguas, quæ tamen spectant ad integritatem vnius compositi, non facilè ostenderetur implicantia. Dices; illud compositum esset vnum per accidens. Nego, ad hoc enim vt non sit vnum per accidens, sufficit quòd mediatè vniantur partes illæ inter se, nempe ex eo quòd vniantur vni tertiò, quod hîc fieret; nam vtraque pars materiæ vniretur per se eidem formæ, ergo vnirentur inter se mediatè, sicut caput vnitur cordi, vel pedibus, & dentes maxillis: ad tollendam enim rationem vnionis per accidens sufficit quæcunque vnio per se.

VIII. *Ex eo quòd, dum aliquid sanguinis emittitur, non censeatur homo mutilus, non probatur sanguinem non viuere.*

Quartò alij sic probant: quando aliquid sanguinis emittitur è naribus, vel alio quouis modo effunditur è corpore, non censetur homo mutilus, censetur tamen si digitus vel auris abscindatur, ergo alio modo hæ partes sunt de integritate hominis quàm sanguis: sed alia ratio reddi huius non potest, nisi quòd sanguis non informetur animâ rationali, sicut illâ informatur digitus, ergo &c. Non vrget: eodem enim modo argui posset carnem non informari animâ; si enim macie consumeretur homo, ita vt multum carnis, quam modò habet, amitteret, non censeretur mutilus. Resp. ergo rationem mutili non desumi ex quacunque diminutione vel carnis, vel sanguinis, sed ex peculiari modo auferendi partem aliquam, vt dum praescinditur pes, aut manus. Si tamen totus sanguis effunderetur, diceretur homo mutilus.

Vnde sumatur ratio mutili.

IX. *Rem liquidam posse nutriri.*

Mitto alia argumenta, vt quòd sanguis non nutriatur, cùm sit liquidus: Quid enim vetat, rem aliquam liquidam nutriri? Secundò, quòd si viueret, esset pars corporis, sicque poneretur ex vi verborum in Eucharistiâ sub speciebus panis. Contrà enim est, nam in omni sententiâ est aliquo modo pars, seu complementum corporis, ergo deberet, etiam iuxta aliam sententiam, poni ex vi verborum. Resp. ergo; in Scripturâ corpus vsurpari pro solâ carne, sanguinem pro re fluidâ: idque præcipuè verum est in Sanctissima Eucharistia, quæ à Christo instituta est per modum cibi, & potûs.

Quid in Scripturâ significetur per corpus.

SECTIO III.

Quid sentiendum de animatione sanguinis: vbi de alijs etiam humoribus.

I. *Vtraque sententia de vita sanguinis est probabilis.*

HÆc sunt quæ pro vtraque sententia proponi solent, quæ ambas ita penè ex æquo probabiles reddunt, vt difficile sit statuere quænam sit eligenda, nec vllum apparet vel pro vna parte vel altera argumentum, quod solui haud difficulter non possit. In eam tamen sententiam magis inclino, vt negem sanguinem in homine informari anima rationali, aut sensitiua in brutis, imò vlla omninò, tum quia non vegetat, nec augetur modo vitali, seu per intus susceptionem, sed solùm per iuxta positionem, nempe per nouum sanguinem in hepate, vel corde, quæ sunt officinæ sanguinis, efformatum, & inde per totum corpus diffusum, & coniunctum præcedenti: si autem nulla omninò sit in eo operatio vitæ, gratis dicitur viuere, magis quàm aqua aut lapis. Deinde, frequentes morbi oriuntur ex nimio sanguine, quod est signum illum non viuere, nec informari anima, saltem illius animalis in quo est.

Præfertur illa, quæ negat sanguinem viuere.

II. *Reliqui etiam tres humores non viuunt.*

Quod affirmatur de sanguine, affirmandum etiā censeo de alijs tribus humoribus. Non tamen videntur illi æqualiter cum sanguine ad integritatem hominis constituendam spectare: nec enim ita mancus videtur, aut mutilus qui omni cholerâ careret, aut melancholiâ, ac qui omni sanguine; sanguis enim ad longè plura munera deseruit quàm illæ: primò enim sanguis fouet calorem, & temperamentum omnium membrorum; ex ipso etiam fiunt spiritus vitales, & animales, qui ad omnes vitæ operationes sunt necessarij; item est vehiculum horum spirituum, eosque ad omnes sensus applicat, ergo longè magis videtur de integrâ hominis constitutione sanguis, quā *melancholia*, *phlegma*, vel *cholera*, & consequenter peculiari modo requiri præ cæteris humoribus.

Cholera, Melancholia, & Phlegma non ita sunt de integritate hominis, ac sanguis.

III. *Lac, semen, lachrymæ non viuunt.*

Probabilius etiam est, lac & semen non viuere. Ratio est, quia animal est integrum sine illis: deinde, non augentur more viuentium. Lachrymæ etiam, spiritus vitales, & alia huiusmodi non viuunt. Dices; semen plantæ viuit, ergo & semen animalis. Nego consequentiam, semen enim plantæ crescit & augetur sicut reliquæ partes plantæ, vnde videmus fibris quibusdam semper & vniri plantæ, medijs quibus alimentum ab eâ sugit, illudque per venulas quasdam per omnes suas partes dispensat.

IV. *Pinguedo aliqua viuit, aliqua non viuit.*

De pinguedine est difficultas, viuat necne. Conimb. & Rubius cum multis medicis negant, imò secundùm Aristotelem dicendum eam non viuere, vtpote qui eam vocet excrementum. Distinguendum tamen: pinguedo itaque, quæ hinc inde intermixta carni vnum quasi cum illa constituit, videtur viuere, & esse veluti vnum quiddam cum carne. Alia autem pinguedo quæ seorsim in vnum quasi locum segregatur,

gatur, vt in renibus, vel omentum in ventre, non videtur viuere: quia mirum in modum grauat animal subinde, vt videmus, imò enecat, ac propterea dicit Aristoteles pingues citò senescere. Dari etiam asserit Aristoteles huiusmodi pinguedinem solùm velut operimentum quoddam intestinorum, ne diffluant: ac proinde non intenditur à naturâ vt pars aliqua vitalis.

Pingues citò senescunt.

DISPVTATIO IV.

De organizatione viuentis.

Proponitur status totius huius disputationis.

ORganizationem aliquam requiri, & definitio animæ suprà posita probat, & compertũ est experientiâ. Quæstio ergo procedit in præsenti, vtrùm hæc organizatio sit merè accidentalis, ita nimirum vt tota diuersitas horum organorũ, consistat in solis accidentibus, substantia autem cuiusuis viuentis sit quoad omnes partes omninò similis, sicut sunt similes omnes partes aquæ: an vero in ipsis partibus substantialibus viuentis reperiatur aliqua dissimilitudo, vt suprà reperiri diximus in gradibus intensionis.

SECTIO PRIMA.

Sintne partes viuentis homogeneæ, an heterogeneæ.

I. ADmittimus pro præsenti formas perfectorum viuentium esse diuisibiles, & habere diuersas partes integrantes. Quo posito, inquirimus, vtrùm hæ partes sint omnino similes, an dissimiles, ita scilicet, vt prædicata aliqua habeant notabiliter inter se diuersa.

II. Notandum verò, non esse hic sermonem de quibuscunque partibus viuentis: certum enim est duas partes carnis nõ esse heterogeneas, seu dissimiles inter se, sicut nec duas partes ossis, duos oculos, aures, pedes, manus &c. Quæstio ergo est, vtrùm oculus notabiliter differat ab aure, pes ab oculo, caro ab osse, & sic de cæteris, ita vt Angelus intuitiuè videns solam formam, nullis visis accidentibus, imò etiam separatam ab omni materiâ, dicere possit, hæc est pars capitis, hæc cordis, hæc auris, oculi, iecoris &c. in quo, vt in plerisque alijs diuisi sunt auctores.

Certum est aliquas partes esse homogeneas.

III. Prima sententia affirmat partes omnes formæ viuentis esse homogeneas, seu inter se similes, ita vt pars, quæ de facto est oculus, potuisset æquè connaturaliter esse auris, cor potuisset esse pes, iecur &c. & quæ de facto est forma carnis, potuisset esse forma ossis, & sic de cæteris. Omnem proinde differentiam in viuente ait hæc sententia prouenire à dispositionibus, & aurem solùm accidentaliter differre ab oculo, cor à cerebro, oculum à pede &c. Ita Gregor. in 2.d.26.& 27. Caiet.l.2.de Ani.q.1. Capreolus in 2. d.15.q.1.ad 6. Soncin.8.Metaph.q.10. Bannez l.1.de Gener.qu.7.ar.4. Soto l.5.Phys quæst.3.ad 8.& alij. Quod etiam tenere videntur Conimb. l.1.de Gen. c.4.qu.22.ar.2. tenet absolutè P.Arriaga hic d.1.s.6. n.204.& P.Ouiedo Contr.2 de Ani.p.7.n.6.& multi ex recentioribus.

Prima sententia ait omnes partes viuentis esse substantialiter homogeneas.

IV. Secunda sententia è contrario affirmat partes formæ viuentis, equi ex. g. esse heterogeneas, seu inter se dissimiles, & specie incompletâ diuersas, ita vt in aure non sit omninò virtus in actu primo videndi, nec in oculo audiendi, nec magis forma carnis possit esse forma ossis, aut pars formæ quæ est in corde, forma cerebri quàm forma equi forma leonis, aquilæ, vel cerui. Ita Ioan. Andreas 7.Metaph. quæst.17. Paulus Venetus l.2. de Ani.c.5. Niph. l.1.de Gen.t. 26. Suarez d.15.Met.s.10.n.40.& l.1.de Ani.cap.2. num.19.& 20. Rubius hîc l.2.q.7.n.198 Mutcia hîc l.2.d.1.q.3 §. *Dicendum tamen*: Hurt. hîc d.2.sect.5. n.127.& alij.

Secunda sententia è contra asserit plerasque partes esse heterogeneas.

V. Conclusio: hæc secunda sententia longè mihi semper visa est probabilior. Probatur primò: pars formæ equi ex.gr. quæ est in pede, petit longè diuersas dispositiones, & accidentia à parte quæ est in oculo, ergo hæ duæ partes distinguuntur substantialiter, & sunt heterogeneæ; petere enim tales dispositiones est prædicatum intrinsecum lõgè diuersum ab eo quod est petere alias dispositiones ab his diuersas, sicque partes illæ magis differunt quàm duæ partes formæ carnis, quæ petunt dispositiones omninò similes.

Probabilius est multas partes viuentis esse heterogeneas.

Primò, quia petunt diuersas dispositiones.

VI. Dices; non argui ex hisce dispositionibus eiusmodi diuersitatem entitatiuam in formâ, cùm anima rationalis eandem habeat diuersitatem dispositionũ, & tamen in ea non solùm non sunt partes incompletæ specie distinctæ, sed nec numero.

Dices etiam animam rationalis habere diuersas dispositiones.

VII. Resp. primò, esse saltem ibi vnionem constantem partibus heterogeneis. Secundò, peculiarem esse rationem de animâ rationali; cùm enim constet eam esse indiuisibilem, & debeat in varijs partibus exercere varias functiones, debet etiam in varijs partibus habere diuersas dispositiones ad eas functiones aptas. Deinde, anima rationalis, & omnis forma indiuisibilis petit determinatè habere has omnes dispositiones, licèt non in eâdem parte, & consequenter omnes illæ dispositiones disponunt ad illam formã determinatè: at si partes distinguantur, & sint homogeneæ, nulla habet dispositiones adæquatas, quas postulat: si enim singulæ partes postulant omnes dispositiones, & nulla habeat omnes, nulla habet dispositiones quas postulat.

Varia disparitates inter animam rationalem, & formas diuisibiles.

VIII. Dices secundò; pars formæ quæ est in capite, nõ postulat absolutè, & determinatè dispositiones capitis, vel dispositiones pedis, sed solùm indeterminatè, & conditionatè, id est, posito quòd alia pars illas non habeat. Contrà, gratis ponitur huiusmodi petitio indeterminata dispositionum specie distinctarum: licèt enim formæ determinentur à causâ primâ quoad indiuiduationem dispositionum, cùm non magis has numero postulent quàm illas, determinant tamẽ Deum ad speciem, & talis specie forma requirit tales specie dispositiones vt in aquâ, igne, & alijs omnibus videmus.

Gratis ponitur à nonnullis indeterminata petitio dispositionum specie distinctarum.

IX. Ad id quod additur de petitione conditionatâ, nempe formam capitis petere has dispositiones posito quòd alia pars eas non habeat, videtur gratis excogitatum; eodem enim modo dicere quis posset aquam non petere has dispositiones absolutè, sed solùm conditionatè, posito scilicet quòd ignis, aut res aliæ eas non habeant. Dices; disparem esse rationẽ, quia hæ omnes partes ordinantur ad varia munera in eodem composito, & ad illius compositi constitutionem & conseruationem. Contrà, sic variæ res ordinantur ad diuersa munera in vniuerso, & ad illius constitutionem & conseruationem: quidni ergò exigere poterunt has dispositiones exigentiâ conditionatâ?

Reijcitur etiam petitio conditionata.

X. Imò si metaphoricè loqui velimus (vt loqui viden-

In omni appetitu ordinato bonum publicum praeferendum est priuato.

dentur qui hac solutione hîc vtuntur) magis deberent res petere integritatem, bonum, & conseruationem vniuersi, quàm proprium, cùm in omni appetitu ordinato bonum publicum præferendum sit priuato, & integritas vniuersi magis spectari à te quauis debeat, quàm particularis alicuius compositi.

XI. *Nullum est vestigium potentiæ visiuæ in pede, ergo gratis illic ponitur.*

Secundò probatur: in pede ex. gr. equi nullum est vestigium potentiæ visiuæ, nec potentiæ auditiuæ in oculo, ergo sine fundamento statuitur vel potentia visiua illic, vel hîc auditiua. Conf. pari fundamento quis dixerit esse in vite virtutem producendi rosas, in spinâ virtutem producendi vuas, aut ficus, & in quauis arbore vim producendi omnes fructus.

XII. *Dices: si partes sint homogeneæ, compositum erit perfectius.*

Dices; bonum compositi id exigit, sic enim omnes illius partes erunt magis perfectæ, in vnaquaque enim erit virtus ad omnes operationes, cùm in contrariâ sententiâ in quauis parte ponatur virtus ad vnam tantùm operationem. Contrà primò, etiam varietas est bonum compositi, quæ maior est in sententiâ statuente partes heterogeneas, quàm homogeneas. Cõtrà secundò, solum maius bonum compositi, sine aliâ probatione, non sufficit: alioqui, vt dixi num. præcedente, eodem modo quis dixerit in vite, & in aliâ quauis arbore esse virtutem producendi rosas, & omne genus florum ac fructuum. Siquis verò opponat, nullum esse in vite, aut aliâ arbore huius rei indicium, respondebit, eodem modo bonum vniuersi hoc postulare, sic enim erit perfectius, quam si in re quauis solùm sit virtus producendi vnum genus fructûs, quo enim perfectiores sunt singulæ partes, eo perfectius est totum.

Contrà, ergo in vite est virtus producendi ficus, in spinâ producendi vuas &c.

XIII. *Licèt partes essent homogeneæ, compositum non foret magis vnum.*

Dicunt aliqui, hinc esse maius bonum compositi, si partes sint homogeneæ; sic enim, inquiunt, compositum est magis vnum. Contrà, si per magis vnum intelligatur magis vnitum, falsum est compositum ex partibus homogeneis esse magis vnum quàm ex heterogeneis, cùm vera & realis vnio continuatiua tam inter partes heterogeneas intercedat, quàm inter homogeneas. Si verò per magis vnum intelligatur, quòd partes sint magis similes: primò, negatur esse hoc magis bonum compositi, sed magis illud ornat varietas, vt dictum est ad obiectionem præcedentem. Deinde, si omnimoda similitudo omnium partium sit bonum compositi, erit etiam bonum vniuerso, sicque vt dixi in vnaquaque arbore erit virtus producendi omnes fructus, & sic de aliis omnibus rebus.

Compositum, & vniuersum ornat varietas.

SECTIO II.

Argumenta contra heterogenitatem partium viuentis.

I. *Obi. Non sunt diuersificandæ entitates sine necessitate.*

OBiicies primò: *Non sunt diuersificandæ entitates sine necessitate*, sed nulla hîc apparet necessitas, quæ saluari non possit, si omnes partes viuentis statuátur homogeneæ, ergo non est cur dicantur esse dissimiles & heterogeneæ. Contrà, *nec sunt multiplicandæ perfectiones sine necessitate*. Resp. ergo distinguendo maiorem, non sunt diuersificandæ entitates sine necessitate simpliciter, nego maiorem; sine necessitate saltem secundùm quid, seu ad melius esse, concedo: hîc autem est necessitas saltem secundùm quid, cùm hoc modo excusetur maior multiplicatio & superfluitas virtutis, quæ non est minùs vitanda quam diuersificatio entitatum, quam tamen sine necessitate ponit contraria sententia, vt ostensum est.

Ostenditur necessitas diuersificandi partes viuentis.

II. *Virtus ad aliquam operationem deprehenditur solùm ex effectibus.*

In nostrâ autem sententiâ id solùm tribuitur virtutis vnicuique parti, quod eius operationes postulant: nullum enim habemus fundamentum asserendi esse talem virtutem in aliquâ re, nisi quia videmus tales operationes & effectus: cùm ergo non videamus in oculo nisi visionem, & auditionem in aure, nullam habemus rationem, cur dicamus inesse oculo virtutem audiendi, vel auri, aut pedi, videndi, magis quam in vite vim producendi ficus, aut rosas. Vnde, dici potest, hîc esse necessitatem simpliciter distinguendi has partes, cùm diuersitas dispositionum, & operationum huiusmodi distinctionem videatur arguere.

III. *Partes heterogeneæ viuentium, non specie tantùm, sed & genere differunt.*

Obiicies secundò: sequeretur has partes specie distingui, & consequenter vniri & continuari inter se non posse. Sequela probatur, res enim diuersæ speciei non possunt inter se vniri; ignis siquidem & aqua, homo & leo, lapis & lignum continuari inter se non possunt. Ad primam partem sequelæ, Resp. concedendo partes illas animalis distingui non solùm specie, sed genere: pars enim formæ equi, quæ est in osse, est vegetatiua tantùm, quæ in oculo, visiua tantùm & sensitiua. (sensus enim tactûs transcendit omnes alios sensus) in aure auditiua, in pede motiua &c. hæc autem diuersitas operationum & dispositionum arguit sine dubio diuersitatem ad minimum specificam.

IV. *Res diuersæ speciei incompletæ possunt inter se continuari.*

Secunda autem pars, quòd scilicet hæ partes non possint vniri, negatur. Ad probationem distinguo antecedens, res diuersæ speciei completæ nõ possunt inter se vniri, & continuari, concedo antecedens; res diuersæ speciei incompletæ, & quæ ordinantur ad constituendum vnum totum, non possunt inter se vniri, & continuari, nego: equus autem & leo, lignum & lapis &c. habent se merè disparatè, non sic partes viuentis, quæ, vt videmus, inter se concurrunt ad vnum totum ex diuersis partibus constituendum. Quòd verò aliqua specie distincta possint vniri & continuari, probatur ex Aristotele 5. Met. c. 4. citato à P. Suar. l. 1. de Ani. c. 2. n. 20. ait enim ibi Aristoteles *aliqua esse vnum secundùm continuationem & quantitatem, & non secundùm qualitatem*: per qualitatem autem intelligit ibi Aristoteles formam, vt patet ex contextu, & omnes exponunt, vt ait P. Sua. loco citato. *Aristoteles.*

V. *In compositione integrali non est præcisè spectanda conuenientia, vel distantia in prædicatis.*

Vt autem hæc meliùs percipiantur, & hoc argumentum quod sæpe occurrit, plenè soluatur. Notandum, vt aliqua vniantur non esse præcisè spectandam conuenientiam in prædicatis essentialibus: sicut in vnione informationis ad constituendum compositum substantiale hoc non spectatur, magis enim cõueniunt in prædicatis essentialibus duæ animæ rationales, vel duæ materiæ, quàm anima & materia, hæ tamen vniri possunt inter se substantialiter, non illæ. In compositione ergo integrali, non est præcisè spectanda conuenientia vel distantia in prędicatis essentialibus, sed vtrùm ordinentur ad vnum aliquod cõpositum integrale constituendum; si enim ordinentur, nil refert de distantiâ in prædicatis. Vnde, asserunt nonnulli magis differre partem ossis in equo à parte carnis eiusdem equi, vel etiam oculum eius ab aure, aut pede, quàm os equi differat ab osse leonis, vel caro, oculus, aut auris huius differat à carne, oculo, & aure illius.

VI. *Quare anima vniri nequeat continuatiuè cum lapide, vel ligno.*

Dices; ergo anima rationalis vniri poterit continuatiuè cum ligno, vel lapide. Nego consequentiam; verum est quidem non repugnare hoc merè ex distantiâ in prædicatis, sed quia non apparet quomodo possit esse subordinatio inter animam & lapidem ad constituendum vnum aliquod compositum integrale, cuius operationes & functiones exigant huiusmodi vnionem continuationis. Deinde, lapis & lignum, vt videmus, sunt quid completum, & consequenter nec inter se, neç cum animâ continuari possunt, sicut nec terra, aqua, aut duo equi aut leones, vel quæuis alia composita completa ob

eandem

eandem rationem vniri inter se possunt continuatiuè; ibi enim non est peculiaris illa exigentia talium partium & organorum ad particulares quasdam functiones, quas cernimus in viuente.

VII. Vrgebis; (& est præcipua nonnullorum ratio contra nostram sententiam) ergo sanguis in equo v. g. vel leone, licèt non informetur animâ, poterit vniri, & continuari cum reliquis partibus: quod tamen negant multi qui nobiscum amplectuntur opinionem de heterogeneitate partium. Ego certè nullam video implicantiam quominùs sanguis, licèt non informetur animâ, continuari possit cum aliis partibus equi, vel leonis, aut alterius huiusmodi animalis quantum ad conuenientiam vel disconuenientiam prædicatorum: sicut enim potest vegetatiuum tantùm continuari cum sensitiuo, seu sensitiuum cum non sensitiuo, ita quidni poterit vegetatiuum continuari cum non vegetatiuo, si dicant inter se ordinem ad constituendum vnum totum.

An sanguis in equo, si non viuat, continuari possit cum reliquis partibus equi.

VIII. Dixi, quantum ad disconuenientiam prædicatorum; aliunde enim fortè argui posset non vniri sanguinem reliquis partibus corporis, sicque sub hac ratione esse quid completũ, quod scilicet intelligi possit præstare omnia sua munera etiamsi nõ vniatur, nempe fouere corpus, esse nutrimentum, vehiculum spirituum vitalium &c. Imò experientia videtur potiùs arguere sanguinem non vniri carni, sed solùm esse in venis tanquam aquam, aut aliud liquidum in vase, absque eo quod cum iis continuetur.

Sanguis non vnitur continuatiuè in equo cum reliquis partibus.

IX. Obiicies tertiò: si os sit tantùm vegetatiuum, caro autem vegetatiua & sensitiua, ex alio capite videntur non posse inter se vniri: vnio enim illa nec posset pertinere ad os, nec ad carnem; nec enim est maior ratio cur vnio sit os quàm caro, nec vegetatiua quàm sensitiua. Hic qui ponunt duplicem vnionem in omni composito, inter quos est P. Hurtado, & alij multi recentiores, nobis insultant, qui solùm admisimus vnam, dicuntque laborare nos in solutione huius argumenti, imò tantùm ei non succumbere, à quo tamen asserunt se facilè sese expedire, dicendo duas esse hic vniones, alteram tenentem se ex parte ossis, & esse os, alteram ex parte carnis, & esse carnem. Sed non est ita solutu difficilis hæc obiectio in nostrâ sententiâ, vt ipsi autumant.

Obi. vnionẽ inter os & carnem non posse pertinere ad os, nec ad carnem, nec enim esse os nec caro.

X. Resp. ergo vnionem hic continuatiuam esse vnicam, & nec esse carnem, nec os, sed vnionem ordinatam ad illa inter se connectenda in ordine ad munus aliquod præstandum: sicut vnio inter materiam & formam nec est materia, nec forma, sed aliquod tertium ex naturâ suâ ordinatum ad illa inter se informatiuè vnienda. Imò vniones continuatiuæ carnis non sunt caro, nec vniones continuatiuæ ossis sunt os. Vnde sicut vnio vniens duas partes ossis, dicitur vnio ossis, & vniens duas partes carnis, vnio carnis, ita vnio connectens carnem & os dici poterit vnio carnis & ossis. Sicut ergo Angelus videns vnionem duarum partium ossis, non visis partibus diceret, *hæc est vnio ossis*, ita intuens hanc vnionem, non visis etiam partibus, dicet, *hæc est vnio carnis & ossis*: quemadmodum visâ vnione inter corpus & animam hominis, etiam non visis partibus diceret, *hæc est vnio hominis*.

Vnio inter os & carnem nec est os, nec caro.

XI. Obiicies quartò: hinc sequi, equum non esse vnum specie atomâ. Probatur sequela, includit enim in se plura specie distincta, ergo non est vnus specie, sed solùm genere. Contrà, ergo ratio hominis abstracta à Petro, Paulo, & reliquis hominibus actu iam existentibus, non erit vna specie atomâ. Dices, *actu existentibus* de hominibus enim possibilibus probabile est aliam esse seriem eorum possibilem, distinctam ab eâ quæ iam est, quidni enim possibilis sit materia, & anima etiam rationalis specie à materiâ nostrâ & animâ distinctæ? ac proinde homo vt sic si sumatur in totâ latitudine, non videtur esse ratio specifica, sed generica. Probatur verò consequentia, nullus enim est homo, qui in se non includat res specie distinctas, materiam scilicet & animam rationalem, quæ non conueniunt nisi genere. Quid autem sit conuenire, vel differre specie, dicetur disp. sequente.

Diuersitas partium heterogenearum non arguit equũ non esse vnum specie atomâ.

XII. Obiicies quintò: si forma equi componatur ex aliquibus partibus sensitiuis, & aliis non sensitiuis, sed vegetatiuis tantùm, ergo equus non potest absolutè dici sensibilis, sed partim sensibilis, partim non sensibilis. Contrà, homo componitur ex vnâ parte rationali, & aliâ irrationali, & tamen hoc non obstante, dicitur absolutè rationalis, & non partim rationalis, partim irrationalis: quidni ergo, licèt in equo vna pars non sit sensitiua, dici tamen poterit absolutè & simpliciter sensibilis, non insensibilis?

Equum simpliciter dici potest sensibilem, licet partes aliquas includat non sensibiles.

XIII. Ratio à priori est, nam irrationale, & insensibile inuoluunt in suo conceptu negationem, negationes autem, cùm sint *malignantis naturæ*, excludunt simpliciter prolatæ omne illud cuius sunt negationes: vnde hæc propositio, *Petrus est irrationalis*, in re est vniuersalis negatiua ex parte prædicati, seu rei negatæ, & facit hunc sensum, *Petrus non habet in se vllam rationalitatem*, quod est falsum; ad falsitatem enim propositionis negatiuæ sufficit falsitas ex quacunque parte, vt siquis diceret *nullus homo currit*, ad falsitatem huius propositionis sufficit si vel vnus currat cæteris omnibus non currentibus.

Ratio est, quia negatio in illâ voce inclusa est malignantis naturæ.

XIV. Si autem quis signaret partem aliquam in particulari, & diceret, *equus est insensibilis quoad ossa*, verum diceret, iam enim restringeret propositionem ad vnam solùm partem, & non relinqueret eam suæ latitudini. Deinde notandum, non esse necessarium vt semper denominatio omnis partis tribuatur toti: sicut æthiops non dicitur albus, licet habeat dentes albos, nisi addatur esse album secundùm quid, nempe secundùm dentes. Aliquando tamen hoc contingit: sic enim homo dicitur formosus, vel ægrotus, à facie venustâ, vel capite dolente, & sic de aliis nonnullis.

Quandoque denominatio partis tribuitur toti, quandoque non tribuitur.

XV. Obiicies sextò: si partes in animali sint heterogeneæ, sequitur, si vterque parens sit cæcus, debere equum nasci cæcum, cum non sit pars in parente, quæ possit oculum in fœtu producere. Resp. animã matris (posito quòd ab hac producatur forma prolis, & non à solo Deo) non ita formari illam producere, vt oculus producat oculum, auris aurem &c. sed omnes partes matris producunt singulas in prole. Pars ergo substantialis oculi in fœtu producitur ab aliis partibus in parente cæco, quæ sunt perfectiores oculo: positis enim per virtutem formatricem seminis debitis ad oculum dispositionibus, habent vim illum producendi tanquam causæ illius æquiuocæ; sicut reliquæ partes in arbore producunt flores, qui sunt veluti quidam oculi arboris.

Licet partes sint heterogeneæ, equus ab equo cæco genitus non erit cæcus.

Flores sunt quidam quasi oculi arboris.

XVI. Dices; cur ergo hæ partes non producunt iterum partem substantialem oculi in ipsâ matre, vel aurem, aut pedem amissum, sicut has partes producunt in prole? Resp. hanc difficultatem parem esse vtrique sententiæ, imò maior est in contrariâ: si enim omnes partes sint homogeneæ, & omninò similes, cur non possunt in equo reliquæ partes recuperare aurem, aut oculum amissum? Sicut ergo hic respondent ipsi, id prouenire ex defectu peculiaris illius temperamenti debiti, quod produci solùm potest à virtute formatrice seminis, nullum autem agens potest inducere formam nisi positis dispositionibus requisitis, idem respondere poterimus & nos, sicque cessat difficultas.

Cur reliquæ partes non reproducant oculum in matre, sicut eum primò producunt in prole.

XVII. Obiicies septimò: ramus arboris præcisus, terræ infixus crescit, & radicem, folia, & fructus ex se fundit,

Cur ramus arboris præcisus, terræ infixus crescat.

dit, ergo omnes arboris partes sunt homogeneæ. Contrà, idem facit semen cuiuscunque arboris, aut plantæ, ergo semen esset etiam homogeneum cum arbore, aut plantâ, quod tamen negant aduersarij. Resp. itaque virtutem quandam seminalem esse per truncum & ramos arboris dispersam: per hanc ergo simul cum concursu terræ cui infigitur, dispositiones quasdam radicis producit: deinde his productis, cœlum aut alia causa vniuersalis radicem ex eo format: sicque instar arboris crescit, & folia, flores, & fructum profert.

XVIII. *Non est eadē anima in omnibus hominibus.*

Aliud argumentum contra heterogeneitatem partium proponetur disp. sequente, sec. tertià, n. decimo. Quomodo autem nec sit eadem anima rationalis hominibus omnibus communis, nec plures animæ in eodem viuente dicetur postea disp. 12.

SECTIO III.

Quid de homine sentiendum quoad heterogeneitatem vnionis.

I. *Negant aliqui vnionem in homine habere partes heterogeneas*

PHort. d. 2. de Ani. s. 5. & 6. licèt nobiscum sentiat partes viuentium materialium esse heterogeneas, sectione tamen octauâ ait omnes partes hominis esse omninò substantialiter similes: sicque ab vnione hominis omnem heterogeneitatem excludit.

II. *Ratio est quia vnio specificationē desumit ab extremis.*

Ratio ipsius est, quia vnio, cùm sit modus extremorum, & via ad ipsa, ab iis etiam desumit speciem; quicquid enim in termino relucet *vt quod*, in viâ relucere debet *vt quo*: cùm ergo in homine neutra pars distinguatur specie, anima enim vbique est eadē numero, corpus autem seu materia secundùm omnes partes est similis & homogenea, non est vnde desumatur diuersitas heterogenea in vnione. Resp. tamen modum non solùm specificari ab extremis essentialiter, sed etiam à dispositionibus naturaliter, ac proinde cùm duplicem ordinem dicat, nempe & ad dispositiones, & extrema, ab vtrisque desumere potest specificationem. Sicut etiam dicunt aliqui actionem nutritiuam distingui specie à primâ generatione, licèt tam agens, quàm terminus sit eiusdem rationis, quia scilicet requirit diuersas dispositiones: & licèt nihil aliud esset, hoc tamen solum aiunt sufficere.

Resp. tamen vnionem respicere etiā dispositiones diuersas.

III. *Obj. si vnio in homine sit heterogenea, poterit etiam vnio heterogenea statui in gradibus intensionis, licèt gradus sint homogenei.*

Dices; si vnio sumere possit specificationem ab alio quàm ab extremis, & esse in homine heterogenea, quidni etiam eiusmodi vnio heterogenea poni poterit in gradibus intensionis lucis, & primarum qualitatum, licèt gradus ipsi sint homogenei? quod si dicatur, soluitur ratio cui nos præcipuè innitebamur in libro de Generat. ad astruendum heterogeneitatem graduum in his qualitatibus, quòd nimirum quartus aut quintus gradus sit perfectior secundo ac tertio, sicque non possit ab agente calido tantùm vt tria produci: responderi enim posset, licèt gradus ipsi sint homogenei & æquales, & consequenter sextus vel septimus gradus simpliciter sit intra virtutem productiuam agentis calidi vt duo, vnionem tamen esse inæqualem, & partes, seu gradus illius superiores non esse in potentiâ agentis remissi.

IV. *Resp. nullo sine talis vnio illic statueretur.*

Contrà primò, saltem habemus requiri aliquam heterogeneitatem in qualitatibus illis, quod tamen negant auctores illius sententiæ. Contrà secundò, esto vnio illa esset heterogenea, adhuc posset produci à calore vt duo, vnus enim gradus caloris est perfectior totâ vnione, sicque potest eam totam producere.

V. Vnio ergo in homine componitur ex diuersis partibus heterogeneis, sicut partes formarum in viuentibus materialibus: primò enim sicut tanta diuersitas dispositionum arguit diuersitatem partium in illis viuentibus, ita diuersitatem saltem vnionis arguet in homine; nec enim vnio capitis petit easdem dispositiones, ac vnio pedis. Deinde, si anima rationalis ob virtualem suam heterogeneitatem postulat heterogeneas dispositiones, quidni & vnionem heterogeneam? præsertim cum dispositiones non petat nisi vt vnita, vel vnienda, cùm vt separata nullas requirat.

Vnio in homine habet diuersas partes heterogeneas: & quare.

VI. Licet itaque tribuatur exigentia diuersarum dispositionum, & temperamenti *vt quod*, & in actu primo remoto, animæ rationali, vnioni tamen tribuitur *vt quo*, & in actu secundo proximo: est quippe vnio quoddā exercitium, & velut actus secundus animæ, ac proinde diuerso quasi modo per illam tendit & extendit se anima in diuersas partes corporis, in osse est vt vegetatiua, in carne vt sensitiua, in oculo vt visiua, & sic de cæteris: non quòd tota anima non vniatur vbique, sed vnius tantum illius gradus seu formalitas, vt volunt aliqui. hoc namque dici nequit, cùm enim vnio sit quid physicum, tendit physicè & consequenter in totam animam. Ratio ergo est, quòd anima, licèt hos omnes in se gradus contineat, non tamen eos tribuit toti nisi mediâ vnione; ad hoc enim vt sit proximè, & in actu secundo vegetatiua, sensitiua, visiua &c. pendet ab vnione.

Anima in homine per vnionem dat diuersas denominationes composito.

VII. Sicut ergo eadem vnio cum diuersis extremis dat diuersas denominationes, vnio enim in homine cum animâ dat denominationem *informantis*, cum materiâ *recipientis*, ita quidni eadem anima cum diuersis partibus vnionis inter se dissimilibus, dare etiam poterit denominationes diuersas?

Sicut vnio cum diuersis extremis, ita hæc cum diuersā vnione dant diuersas effectus

VIII. Sunt ergo partes in homine substantialiter dissimiles & heterogeneæ ratione diuersarum partium vnionis, quæ cùm spectent ad integritatem substantialem hominis, arguunt in eius partibus diuersitatem heterogeneam. Vnde videtur non dici posse, hominem non esse proximè visiuum in pede, aut manu, non solùm defectu accidentium ad hoc munus requisitorum, sed etiam defectu vnionis substantialis, sicque non solùm non esse proximè visiuum accidentaliter, sed nec substantialiter. Ad quod tamen non sequitur vt vnio influat in operationes tanquam comprincipium earum effectiuum, sicut nec influunt accidentia, sed sufficit requiri talem partem vnionis tanquam quid composito intrinsecum, & ad completam partis illius constitutionem spectans.

Homo in pede non est completè visiuus, etiam substantialiter.

IX. Licèt ergo ad hominis constitutionem tam requirantur accidentia, quàm vnio, longè tamen alio modo se habent illa, quàm hæc: vnio quippe spectat ad compositum tanquam aliquid essentialiter requisitum, illudque complens, & integrans substantialiter, non sic accidentia, ablatis enim omnibus accidentibus adhuc manet homo, qui tamen non manet ablatâ vnione.

Vnio & accidentia diuerso modo spectant ad integritatem hominis.

X. Dices, si ratione diuersæ vnionis, seu diuersæ partis heterogeneæ eiusdem vnionis, os hominis est tantum substantialiter proximè vegetatiuum, caro tantùm sensitiua &c. ergo tantùm cerebrum in homine erit rationale, ergo non poterit homo dici simpliciter animal rationale, cùm maxima pars illius non sit rationalis. Resp. negando consequentiam, primò enim est probabile omnes actus intellectûs & voluntatis diffundi per totum corpus, sicque vbique homo est rationalis. Secundò, licèt admittatur actum intellectûs non diffundi vlteriùs quàm per totum, vel saltem partem aliquam determinatam cerebri, & consequenter cerebrum solum esse proximè intellectiuum, adhuc nil obstat quo minùs homo simpliciter dicatur rationalis: sicut enim non obstat pars essentialis, seu substantialis, nempe corpus,

Dices: hinc sequi tantum cerebrum in homine esse rationale.

Ostenditur tamen hominem dici debere rationalem.

pus, huic denominationi, ita nec obstabit integritas; ad hanc enim denominationem sufficit vnam partem hominis hoc habere, vt suprà diximus sect. præcedente, n. 12. sicut etiam dicitur homo vel equus visiuus, licèt vna tantùm illorum pars sit visiua. Multominùs poterit homo propterea dici irrationalis, vt ibi diximus, cùm hæc vox excludat omnem participationem rationis. Adde, radicaliter & remotè hominem esse rationalem in omni parte corporis, cùm in singulis sit tota anima.

Homo in quauis parte radicaliter rationalis.

DISPVTATIO V.

De æqualitate, vel inæqualite Animarum & diuersitate specificâ.

SECTIO PRIMA.

Reiicitur sententia diuersitatem specificam statuens in inæqualitate.

I. *Dicitur aliquos nulla duo individua diuersæ speciei posse esse æqualia, nec consistere species inæquales.*

OPinantur aliqui conuenientiam specificam consistere in æqualitate, & consequenter disconuenientiam specificam in inæqualitate, ita vt quæcunque duo sint substantialiter in perfectione inæqualia, sint etiam diuersæ speciei: sicque asserunt non posse duo individua diuersarum specierum esse in perfectione æqualia, nec duo individua eiusdem speciei inæqualia: ita Suar. d. 29. Met. s. 8. num. 16. & 17. Vasq. To. 2. in primam p. d. 122. cap. 4. & 6. quam etiam sententiam amplecti videtur P. Hurt. hic d. 2. sect. 6. & 7. estque valdè communis inter recentiores opinio.

II. *Quo sensu dicant Aristoteles sub genere latere æquivocationes.*

Arguunt hi auctores primò: nam secundùm Aristotelem *sub genere latent æquiuocationes*, id est, differentiæ inæquales, & specie distinctæ, ergo censet Aristoteles ea quæ specie differunt, esse inæqualia. Sed contrà, nam hoc non eruitur ex illis verbis Aristotelis: esto enim lateant sub genere æquiuocationes, seu differentiæ specie diuersæ, non tamen sequitur necessariò debere esse inæquales; æquiuoca enim sunt *quorum nomen est commune, ratio verò substantia per nomen significata, diuersa*, non inæqualis.

III. *Omnes species non distant inæqualiter ab ente.*

Arguunt secundò: quæ inæqualiter distant ab ente, non possunt inter se esse æqualia, sicut nec quæ æqualiter distant, inæqualia; sed omnes species inæqualiter distant ab ente, ergo. Primò negatur minor: incipiendo enim ab ente æqualiter per prædicationes formales ab eo distant ignis & aqua, & tamen specie inter se differunt. Deinde, maior propositio non est vniuersim vera: sicut enim duo puncta sibi è diametro opposita, æqualiter distant à centro, vt duo poli, Arcticus scilicet & Antarcticus, qui tamen à se inuicem toto cœlo differunt & distant, ita quidni duæ species licèt æqualiter distent ab ente, poterunt tamen inter se esse diuersæ, & distare in perfectione? Præterea, perfectio cuiusque rei præcipue sumitur à differentiâ; hæc enim est *quæ dat esse, & distinguit in metaphysicis, sicut forma in physicis.*

Quæ æqualiter distant ab ente possunt inter se esse inæqualia.

IV. Sicut ergo materia prima contrahitur, & limitatur quoad suam capacitatem, & indifferentiam physicam per formas physicas specie diuersas, & inæquales, ita quidni poterunt duæ differentiæ inæquales, & inter se disparatæ, immediatè contrahere idem genus? quod si præstent, tunc illæ species æqualiter distabunt ab ente, & tamen inter se sunt inæquales, ergo &c. Adde, quoad æqualitatem vel inæqualitatem in perfectione parum referre quòd æqualiter vel inæqualiter distent ab ente, plura enim prædicata quæ vna species participat, & in se continet, poterunt in alterâ suppleri, & compensari per vnicum, vt Angelus per solum prædicatum *intellectiui* est perfectior equo, vel leone, qui tamen plura prædicata in se continent, nempe *vegetatiuum, sensitiuum, hinnibile, rugibile*, &c. quæ tamen non continet Angelus, vt bene aduertit P. Arriaga hîc, d. 1. s. 8. n. 257.

Ad æqualitatem vel inæqualitatem in perfectione parum refert quo pacto distent aliqua ab ente.

V. Arguunt tertiò: duæ quantitates quantitatiuè, seu mole diuersæ, sunt quantitatiuè inæquales, ergo duæ res essentialiter diuersæ debent esse essentialiter inæquales. Resp. nil mirum diuersitatem quantitatiuam arguere inæqualitatem, hoc enim idem est ac dicere quantitates inæquales in magnitudine esse inæquales in magnitudine: diuersitas enim in magnitudine est inæqualitas, cùm magnitudo sit species æqualitatis. Hoc autem non tenet in diuersitate essentiali; hæc enim non inuoluit inæqualitatem, vt ostensum est. Hic ergo modus non rectè explicat diuersitatem specificam.

Cur diuersitas quantitatiua arguat inæqualitatem, non tamen diuersitas essentialis.

SECTIO II.

Duo modi diuersitatem specificam statuentes in dissimilitudine.

I. *Alij diuersitatem specificam statuunt in minimâ dissimilitudine.*

DVæ ergo aliæ restant opiniones circa diuersitatem specificam & numericam. Prima est, quamcunque minimam dissimilitudinem efficere diuersitatem specificam, si tamen inueniri aliquid possit alteri ex illis rebus similius, quàm illæ sint inter se, alioqui, inquit hæc sententia, res illæ, licèt dissimiles, non erunt specie diuersæ.

II. *Visio Petri in hac sententia specie differt à visione Pauli.*

Dicunt ergo hi auctores visionem Petri differre specie à visione Pauli & visionem huius albedinis à visione alterius, quia scilicet datur aliquid his visionibus similius; similior est enim visioni Petri altera visio eiusdem Petri, quàm sit visio Pauli, & visioni huius albedinis similior est alia visio eiusdem albedinis, quàm sit visio alterius, licet sit gradibus intensionis priori albedini omninò æqualis.

III. *Quid in hac sententiâ sit conuenientia specifica.*

Conuenientia ergo specifica è contrario est maxima similitudo intensiua, vel quasi intensiua, seu quoad substantiam rei quæ reperiri inter aliqua potest, vt duo ignes, duo primi gradus albedinis &c. intensiua inquam; nam extensiua merè materialiter se habet, nec enim sunt diuersæ speciei Petrus & Paulus ex eo quòd vnus alterum digito superet in altitudine.

IV. *Vnio Petri secundùm hos auctores specie distinguitur ab vnione Pauli.*

Dices; ergo vnio Petri seu inter materiam & animam illius, distinguitur specie ab vnione Pauli, cùm vnioni illi similior sit alia vnio eiusdem Petri. Concedunt hi auctores consequentiam. Vrgebis, ergo etiam anima Petri & anima Pauli distinguuntur specie, imò dari non poterunt duæ animæ solo numero distinctæ, quod tamen nemo concedere audebit. Sequela probatur, sicut propterea vnio Petri distinguitur ab vnione Pauli, quòd hæc vnio dicat ordinem ad animam, ad quam non dicit, nec dicere potest ordinem vnio Pauli, sic etiam anima Petri dicit ordinem ad vnionem, ad quam nec dicit, nec dicere potest ordinem anima Pauli: & anima Pauli similiter ad vnionem, ad quam non potest dicere ordi-

nem anima Petri; ergo non minùs diſtinguuntur ſpecie hæ duæ animæ, quàm illæ duæ vniones.

V. *Anima Petri non diſtinguitur ſpecie ab animâ Pauli.*

Hoc tamen argumentum, quo putant nonnulli rem ita confici, vt contraria ſententia ſuſtineri non poſſit, non exiſtimo ita efficax, vt autumant illius auctores. Quidquid ergo ſit de viribus argumentationis contra opinionem, quæ aſſerit quamuis diſſimilitudinẽ minimam arguere diſtinctionem ſpecificam, contra quam puto eam conuincere, vt patet: contra hanc tamen ſententiam nullam habet vim; non enim dicit hæc ſententia quamcunque diſſimilitudinem arguere diſtinctionem ſpecificam, ſed eam ſolam, qua minor aliqua diſſimilitudo reperiri poteſt: vnde licèt negari non poſſit eſſe aliquam diſſimilitudinem inter animam Petri & animam Pauli ob argumentum numero præcedente poſitũ, cùm tamen nulla alia anima, vel res quæcunque, ſit ſimilior animæ Petri, quàm ſit anima Pauli, arguitur hanc ſimilitudinẽm eſſe maximam vtpote quâ nulla maior dari poſſit, & diſſimilitudinem ſimiliter inter eas eſſe minimam.

VI. *An in caſu impoſſibili Petrus & Bucephalus poſſint nõ diſtingui ſpecie.*

Dices; hinc ſequi, ſi non eſſet poſſibile aliud indiuiduum hominis præter Petrum, & aliud indiuiduum equi præter Bucephalum, Petrum & Bucephalum non diſtinguẽdos ſpecie. Ad hoc aliqui fortè concedent conſequentiam: ſi enim cuiuſque ſpeciei animalis non eſſet poſſibile niſi vnum indiuiduum, dicunt animal non fore genus reſpectu illorum, cùm non eſſet prædicabile de pluribus differentibus ſpecie.

VII. *Nullum brutum eſt tàm ſimile Petro, quin ſimilius, & ſimilius produci poſſit in infinitum.*

Reſpondent tamen ſecundò, negando cõſequentiam, dari enim, inquiunt, poteſt aliquod aliud animal ſimilius adhuc Petro, quàm ſit Bucephalus, & Bucephalo quàm ſit Petrus. Dices; ſaltem brutum illud quod eſt ſimillimum Petro, erit eiuſdem ſpeciei cum illo. Dicunt nullum eſſe ſimillimum, ſed ſemper eſſe producibile ſimilius & ſimilius in infinitum. Et eodem modo ſoluunt argumentum quod confici poſſet de creaturâ ſimillimâ Deo, quo ſcilicet quis contenderet Deum & creaturam illam fore eiuſdem ſpeciei; negant enim poſſe produci creaturam vllam tam ſimilem Deo, quin poſſit alia ſimilior & ſimilior produci in infinitum.

VIII. *Tres Perſonæ diuinæ diſtinguuntur ſpecie.*

Dices; ſaltem tres Perſonæ Diuinæ ſecundùm hunc modum philoſophandi erunt eiuſdem ſpeciei, cùm non poſſit eſſe alia Perſona, nec quidquã creatum, aut increatum Diuinis Perſonis ſimilius quàm illę ſint inter ſe. Reſpondent aliqui poſſe cõcedi conſequentiam, nec quidquam in hoc apparere incommodi. Quid ego hac de re ſentiam, dixi d. 34. Log. ſect. 2. num. tertio.

IX. *Sententia ſtatuens latitudinem in differentiâ indiuiduali.*

Altera ſententia ait, in gradu & differentiâ indiuiduali eſſe aliquam latitudinem, nec quamcunque diſſimilitudinem arguere ſtatim differentiam ſpecificam: ſicque aiũt hi auctores vnionem Petri à Pauli non differre ſpecie, ſicut nec viſionem huius & illius albedinis, licèt abſtrahi poſſit vna ratio à pluribus viſionibus huius albedinis, quæ non conueniat viſionibus alterius, ſicut & à pluribus vnionibus Petri, quæ non conueniat vnioni Pauli. Vnde vlteriùs addunt, non quamcunque rationem abſtractam à pluribus ſpecie diuerſis eſſe genericam, vt licèt bos & equus conueniant in hoc quòd ſint naturâ ſuâ comeſtiui fœni, quod videtur in eſſe prædicatũ quidditatiuum, & fundatum in eorum eſſentiis, quodque non conueniat leoni aut cani, hæc tamen ratio, inquiunt, ab ipſis abſtracta non eſt generica, quia ad prædicatum genericum requiritur ratio aliqua abſtracta à pluribus ſpecie diuerſis, per quam magis conueniant inter ſe, & differant ab aliis quàm per prædicatum ſuprà poſitum.

X. Si ergo ab iis quæratur, quid ſit aliqua duo indiuidua differre ſpecie? dicunt vix poſſe quidquam certi ſtatui: vniuerſim tamen aſſerunt non ſufficere quamcunque differentiam, ſed requiri aliquam notabilem. Si vlteriùs quæras, quæ ſit differentia notabilis? reſpondent refundendum hoc eſſe in arbitrium hominum, & communem omnium acceptionem. Dicunt tamen ex iis aliqui, poſſe hoc ſubinde probabiliter colligi ex appetitu quodam, & deſiderio, quo homines in res aliquas diuerſimodè feruntur: nam qui ſemel, inquiunt, vidit vnum leonem, non magnopere cupit videre alium, quia ſatiatus eſt iam eius appetitus, & curioſitas circa leonem: non minùs tamen adhuc cupit videre elephantem: quod ſignum eſt, inquiunt, intercedere notabilem differentiam inter leonem & elephantem, non tamen inter vnum leonem & alium. *Dicunt aliqui ad conſtituendam differentiã ſpecificam requiri notabilẽ diuerſitatem: & quæ ſit notabilis.*

SECTIO III.

Deciditur quæſtio circa diuerſitatem ſpecificam, & inæqualitatem Animarum.

QVæſtio hæc, vt omnes fatentur, plurimum in ſe habet de nomine, in re enim omnes conueniũt aliquam diſſimilitudinem & differentiam eſſe inter duas illas vniones, alteram animæ Petri, alteram animæ Pauli, ſicut & inter animas ipſas. Eò ergo deuoluitur tota quæſtio, vtrùm ſcilicet hæc differentia vocanda ſit ſpecifica, vel non. I. *Quæſtio hæc multũ habet de nomine.*

II. *Differentia ſpecifica Logica.*

Sic ergo decidi videtur poſſe lis inter has duas poſteriores ſententias, ſi dicatur quamcunque differentiam & diſſimilitudinem inter aliqua duo, quâ poſſit reperiri minor, eſſe aliquo modo ſpecificam, ſaltem *logicè*, cùm de ratione ab iis abſtractâ verificatur definitio ſpeciei tradita à Porphyrio, & à Dialecticis communiter recepta, nempe, *eſſe prædicabile de pluribus differentibus numero in quid.* Ad differentiã autem ſpecificam conſtituendam *phyſicè & moraliter* maior requiri videtur diſſimilitudo, quàm quæuis minima diſcrepantia, qualis eſt inter duas vniones, & viſiones Petri & Pauli, de quibus ſuprà, talis nimirum qualis eſt inter equum & leonem, ac res huiuſmodi notabiliter diuerſas. *Differentia ſpecifica Phyſica.*

III. Hinc infertur inter animas rationales quæ de facto ſunt, licèt detur aliqua diſſimilitudo, non tamen inæqualitas, nec etiam diſſimilitudo eſt tanta, quantam diuerſam ſubinde accidentium apparatus præſefert. illa quippe varietas diſpoſitionum & accidentium habet ſe per accidens, nec magis petit hæc anima has diſpoſitiones quàm alias: cuius indicium eſt, quòd eodem ſubinde die reddatur quis de acuto hebes, & è contrà: videmus etiam aliquos naſci gibboſos, cæcos, & claudos: nullus tamen, credo, dicet has ab animabus illis diſpoſitiones peti, ita vt quædam animæ ſint naturâ ſuâ gibboſæ, quædam cæcæ, claudæ &c. ita Soncinas 8. Met. q. 26. Sotus in Log. cap. de ſubſtan. q. 2. ad 9. Tol. lib. 3 de Ani. q. 8 qui contrariam ſententiam ait eſſe temerariam, & periculoſam: Fonſ. 5 Met. Conimb. hîc lib. 2. c. 1. q. 5. a. 3. Hurt. hîc d. 2. ſ. 6. & alij. Contra Capreolum in 2. d. 32. q. 1. Maiorem ibid. q. 2. concl. 6. Scotum 8. Met. q. 1. Caiet. 1. p. q. 85. a. 7. Ferraram lib. 1. cont. Gen. c. 3. Abulen. c. 15. Matth. q. 656. Rubium hîc lib. 2. tract. de plural. animarum. q. 3. n. 61. Murciam hîc lib. 2. d. 1. q. 8. § *Dicendum tamen*, & alios. *Animæ rationales, quæ de facto ſunt, nõ ſunt in perfectione ſubſtantiali inæquales.*

IV. Quòd ſiquis obiiciat illud Salomonis Sap. 8. v. 19. *puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam:* Reſp. per *animam bonam* hîc aliud nõ intelligi quàm animam cum optimo diſpoſitionum temperamento. Alioqui ſi id in ſolam animæ ſubſtantiam refundatur, ſequitur, animas aliquas eſſe naturâ ſua ſtultas, *Quomodo intelligatur illud, Sortitus ſum animã bonã.*

stultas, aut amentes, quod nemo dicet.

V. *Anima viri non magis differt ab anima fæminæ, quàm ab anima alterius viri.*

Quæres vtrùm saltem animæ viri & fæminæ magis differant, quàm animæ duorum virorum, aut fæminarum? Resp. probabilius videri non magis differre, sed per accidens esse huic animæ, quòd sit in corpore virili vel fæmineo: quia aliquando eadem anima est sub vtriusque dispositionibus simul, vt contingit in hermaphroditis, aliquando successiuè, vnde non semel contigit fæminas mutatas esse in mares: ergo signum est, merè per accidens esse huic vel illi animæ quòd sit in corpore virili vel fæmineo. Nec hinc inferas, partes equi, aut alterius viuentis perfecti non esse heterogeneas: nunquam enim vidimus oculum transiisse in aurem, aut è contrà, nec eandē partem animæ equi fuisse simul sub vtriusque partis dispositionibus.

VI. *Inter animas Petri & Pauli videtur esse minima dissimilitudo.*

Dices; potest saltem Deus creare aliud indiuiduum similius Petro, quàm sit Paulus, ergo iuxta sententiam sect. præcedente relatam de maximâ similitudine, Petrus & Paulus distinguentur specie. Respondent negando antecedens, cùm enim non implicet creari duo aliqua indiuidua habentia minimam dissimilitudinem, non est, inquiunt, cur non dicamus de facto ita contingere in Petro & Paulo, cùm omnis differentia in accidentibus, & dispositionibus sit ipsis per accidens.

VII. *Ad conuenientiam specificam non requiritur vt nulla inter duo sit dissimilitudo.*

Licèt ergo reperiatur aliqua dissimilitudo inter quæuis duo indiuidua, non tamen differunt specie: nec enim ad conuenientiam specificam requiritur omnimoda similitudo, sic namque nulla duo essent eiusdem speciei, cùm vnumquodque indiuiduum aliquid in se includat diuersum ab alio, nempe suam differentiam numericam. Vnde non potest stare illa sententia, quæ, vt aliqua duo sint eiusdem speciei, vult vt nulla omninò inter ea reperiatur dissimilitudo: hoc, inquam, consistere non potest, sic enim quæuis duæ animæ erunt diuersæ speciei, & alia huiusmodi. Ratio huius est, quia differentia indiuidualis verè spectat ad perfectionem substantialem hominis, estque verum & proprium illius prædicatum substantiale, & aliquo modo quidditatiuum, ac proinde cum duo indiuidua habeant diuersam differentiam indiuidualem, verè erunt dissimilia.

VIII. *Obiectur: differentiā indiuidualem vocari materialē, & accidentalem.*

Dices; differentia indiuidualis vocatur accidentalis, materialis &c. item de indiuiduis dicunt Philosophi omnes cum Aristotele non dari scientiam, ergo nullam continet differentia indiuidualis perfectionem & consequenter nec facere poterit dissimilitudinem inter duo. Resp. quicquid sit de his modis loquendi, certum est differentiam indiuidualem esse quid spectans ad veram & realem constitutionem cuiusque indiuidui, & realiter in eo inueniri identificatam cum aliis prædicatis.

IX. *Cur differentia indiuidualis vocetur materialis, & accidentalis.*

Quando ergo differentia indiuidualis vocatur materialis, accidentalis &c. non intelligunt non esse de substantiâ rei cuius est differentia, sed solùm est materialis, & accidentalis in ordine ad scientiam humanam: homines enim parum curant notitiam differentiarum indiuidualium, vtpote quæ & innumeræ sunt, & occultæ; ac propterea sistunt Philosophi in prædicato aliquo omnibus communi, cæterorumque omnium, quæ in indiuiduis sunt, quasi per accidens se haberent, indagationem omittunt, non quòd verè cognitu dignæ non sint, sed quòd ad eorum notitiam, pertingere desperent. Angelus tamen ipsas etiam differentias indiuiduales in singulis rebus perspicit, & ad substantialem illarum constitutionem pertinere videt.

X. *An equus orbatus oculo dici possit specie aliquo modo diuersus ab equo oculato.*

Contra dicta tamen hic & superiori disputatione obiici potest, sequi, si partes sint heterogeneæ, & specie aliquo modo distinctæ, equum truncatum auribus, vel oculis orbatum specie distingui ab alio equo integro. Resp. si sumatur alter equus vt mutilus, alter vt integer reduplicatiuè, posse duos illos equos dici aliquo modo specie distingui, sicut aër lucidus specie differt quà talis ab aëre non lucido: non tamen plenè & perfectè specie differt ab alio equo, cùm pars illa, quâ alter caret, non sit completa sed solùm incompleta & merè integralis.

XI. *Dices: talpa specie differt ab equo, quia caret oculis.* *Negatur: sed quia petit carere.*

Dices, talpa secundùm omnes, differt specie completâ, ab equo, idque quia caret principio, seu potentiâ visiuâ, & parte substantiali formæ, quæ exigit visionem, sed hic equus eâdem caret, ergo differet ab alio equo, specie completâ. Resp. non propterea præcisè talpam differre specie completâ ab equo & cæteris animalibus videntibus, quòd careat visu, & illâ parte substantiali formæ, sed quòd petat carere: vnde secundùm omnes eius partes repugnat ei habere visum, singulæ enim talpæ partes mediatè vel immediatè petunt non connecti cum visione; contrarium petit equus, sicque diuersissima est ratio talpæ & equi respectu potentiæ visiuæ, quâ vterque destituitur.

XII. *Ratio abstracta ab equo caeco vt caeco nō conuenit equis habentibus visū.*

Vrgebis, saltem ratio specifica equi abstracta non conuenit his duobus equis, cùm vterque non habeat totam rationem equi. Resp. rationem specificam equi non abstrahi ab hoc & illo equo vt integro, vel vt mutilo reduplicatiuè, sed præscindere ab vtroque: ratio enim abstracta ab equo integro vt tali, non conuenit equo mutilo, sicut nec ratio abstracta ab equo albo vt albo, conuenit equo non habenti albedinem.

XIII. *A quibus partibus equi abstrahatur ratio specifica equi.*

Quæres, à quibus ergo partibus abstrahatur ratio, & conceptus equi? Resp. ab iis quæ necessariæ sunt ad conceptum equi simpliciter, ita vt iis, vel aliquâ illarum deficiente, persistere non possit, quales sunt cor, cerebrum &c., aliæ autem partes, vt aures, oculi, pedes &c. licèt requirantur ad equum integrum constituendum, non tamen ad equum simpliciter, his enim omnibus ablatis manet equus, licèt non integer.

XIV. *Partes substantiales, seu primariæ, & merè integrātes, seu secundariæ.*

Aliquæ ergo partes equi, & aliorum animalium sunt magis necessariæ quàm aliæ, ac proinde vocari possunt substantiales, & ad illas cæteræ aliquo modo consequuntur: quâ de causâ magis propriè, oculi, aures, pedes, & cæteræ huiusmodi partes vocantur integrales, quòd scilicet merè integrent; aliæ verò partes de quibus iam diximus, licèt etiam integrent, non tamen merè, sed magis propriè constituunt, vt primariæ & necessariæ partes viuentis: sicut in arbore flores, folia, & rami integrant quidem arborem, sed non sunt ita necessaria ad illius constitutionem atque aliæ partes.

DISPVTATIO VI.

De Vita.

FVsissimè disputari solet à multis hæc quæstio, & tamen tandem recidere eam fatentur omnes, magnâ saltem ex parte in controuersiam de nomine: nullus enim negat plantas nutriri, ac mouere se. & habere perfectionem suam ab intrinseco. Vtrum autem hic earum motus, & ratio habendi perfectionem ab intrinseco, dicenda sit vita, necne, multi dubitant, & in hoc declarando præcipuè versatur præsens quæstio.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm plantæ viuant.

I. *Prima sententia negat plantas viuere.* TRes hac in re circa plantas olim erant sententiæ. Prima Stoicorum, vt refert Clemens Alexandrinus lib. 8. Stromatum: & Epicuri vt testatur Plutarchus lib. 5. de placitis Philosophorum, cap. 26. & hoc idem asserebant quidam alij ex antiquis: quæ etiam opinio hoc nostro seculo placuit recentioribus quibusdam non indoctis, qui viuere idem esse aiunt ac principium cognoscitiuum: plantis proinde ac rebus omnibus non cognoscentibus vitam adimunt.

II. *Secunda & viuere eas dicebat, & sentire.* Secunda sententia è contrario non vitam tantum, sed etiam sensum arboribus & plantis tribuebat. Ita Pythagoræi, & alij nonnulli ex antiquis.

III. *Tertia insuper addebat eas intelligere.* Tertia demum sententia est Manichæorum, quam refert, & irridet S. Augustinus lib. 2. de moribus Manichæ. cap. 17. hi ergo dicebant plantas, arbores, & similia, non vitâ tantùm & sensu, sed etiam ratione vti.

IV. *Plantæ verè viuunt.* Prima conclusio: Plantæ verè viuunt, & habent animam vegetatiuam. Ita Suarez lib. 1. de Anim. cap. 4. numer. 11. dicens hoc & in Theologia certum esse, & in Philosophia euidens, in qua, inquit, veritate asserenda omnes Philosophi, & Theologi conueniunt.

V. *Scriptura, & Patrum auctoritate probatur plantas viuere.* Probatur primò: Scriptura expresse vitam plantis tribuit: sic Psal. 77. v. 47. dicitur, *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina*, ergo certù, omninò est arbores viuere. Idem claré docet S. Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli: *nobis*, inquit, *viuere cum arboribus, & fruteta commune est. nam vitis viuit cùm viret, arescit cùm moritur.* Et S. Dionys. c. 6. de Diuin. Nominibus, circa initium: *animantes*, inquit, *omnes, & plantæ vt viuant acceperunt.* Estque communis SS. Patrum doctrina plantas viuere.

VI *Quo sensu videatur aliquando S. Augustinus negare plantas viuere.* Nec obstat, quod S. Augustinus. lib. 7 de Gen. ad literam cap. 6. ex iis Scripturæ verbis Gen. 2. v 7. *factus est homo in animam viuentem* negare videatur plantas viuere: *si enim*, inquit, *solùm vegetaret, sicut plantæ, nunquam de eo diceret Scriptura. Factus est in animam viuentem.* Resp. enim aliud secundùm S. Augustinum esse vitam, aliud animam viuentem, hanc enim solùm tribuit rebus sensitiuis. Mens autem S. Augustini de vitâ plantarum iam satis proximè ostensa est.

VII. *Plantæ perfectiore modo augentur quàm ignis, & res similes, quod est signum vitæ.* Probatur secundò: plantæ nobiliori modo augētur quàm ignis, & res aliæ quæ solùm per iuxta positionem se augent, appingendo nimirum & vniendo nouam materiæ & totoræ partem ad extimas tantùm sui partes; plantæ verò versus omnem dimensionem crescunt, & augentur, alimentum scilicet per venas quasdam ac meatus sugendo, & in omnem sui partem, animalium instar, dispensando, sicque in suam illud substantiam vitaliter conuertendo. Conf. in plantis non minùs reperiuntur variæ dispositiones & partes heterogeneæ, diuersusque organorum apparatus, ad alimentum in omnes earum partes quaquauersum deferēdum, quàm in animalibus, vt notauit Aristoteles l. 2. de partib. animalium, c. 10. ergo longè diuerso, magisque perfecto modo petunt augeri, quàm ignis, & alia non viuentia, habentque principium mouendi se ab intrinseco.

Diuersus organorum apparatus arguit plantas viuere.

VIII. *Nec vinū nutritur per aquā, nec flāma per oleum.* Hinc soluitur quod obiiciunt aliqui, vinum etiam nutriri per aquam intra se receptam, & flammam per oleum, quod ad se attrahit. Dico enim vinum non habere certa organa ordinata ad aquam ad se intrinsecè tanquam suum nutrimentum attrahendam, vinum enim nutrimento non indiget, imò nec per aquam nutritur, nec vires acquirit, vt plantæ per alimentum, sed debilitatur potiùs, & corrumpitur. Flamma verò oleum non intra se, sed solùm ad se per lychnum trahit, sicque augetur tantùm per iuxta positionem.

IX. *Varia vitæ indicia in plantis, & arboribus.* Probatur tertiò Plantæ & arbores multa habent vitæ indicia, quæ in igne, & rebus alijs non animatis, non reperiuntur. Inprimis enim instar animalium certas habent veluti ætates; nascuntur enim primò ex semine, deinde in iuuenili quasi ætate adolescūt, accedente postea tempore firmantur, ac veluti in ætate vegetâ roborantur, imminuta demum virtute senum instar languescunt, ac moriuntur. Secundò, certam sibi figuram, staturamque sicut animalia terminos tum magnitudinis, tum paruitatis determinant, frondibus se tanquam quibusdam capillis ornant, & alia huiusmodi, quæ sinè arguunt perfectiorem longè modum tum in existendo, tum operando, quàm sit in elementis, & alijs rebus, quas communiter omnes vocant inanimatas.

X. *Explicātur loca quædā Scripturæ, quæ affirmare videntur plantas nō viuere.* Dices; Gen. 1. v. 29. ait Deus primis parentibus, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem fructum super terram, vt sint vobis in escam, & vniuersis quæ mouentur super terrā, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum:* ergo in plantis non est *anima viuens*. Deinde Gen. 7. v. 22. sic habetur, *Vniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt* nempe per diluuium; sed plantæ non sunt mortuæ per diluuium, ergo. Ad primum locum respondeo sermonem illic esse de solis animalibus, & secunda verba, videlicet, *in quibus est anima viuens* tantùm sunt explicatio præcedentium, nempe, *quæ mouentur super terram*: deinde, animalia sunt præcipua, & quasi per antonomasiam *viuentia*, ac proinde in iis peculiari quodam modo *est anima viuens*. Secūdus locus Gen. 7. explicat seipsum, non enim loquitur vniuersim de omnibus viuentibus, sed de illis tantùm, in quibus est *spiraculum vitæ*, id est respiratio, ac proinde pisces tunc non sunt mortui, sicut nec plantæ.

XI. *Scriptura quo sensu tribuat rebus inanimatis vitā.* Dices secundò, Scriptura aliquando rebus etiam inanimatis vitam tribuit, vt Psalm. 113. v. 3. *Mare vidit, & fugit*, & similia; ergo sicut in his, ita & dum plātas ait viuere, intelligenda est metaphoricè. Resp. negando consequentiam. Scriptura enim & Patres propriè intelligi debent quando sine incommodo possunt; nō possunt autem hoc modo intelligi dum mari, & rebus huiusmodi aliis visum & sensum tribuunt:

buunt: at verò quòd plantæ crescant propriè, & nutriant se ab intrinseco, quid incommodi?

XII. Secunda conclusio: Plantæ & arbores non viuunt vitâ sensitiuâ. Ratio est quia nec dispositiones & organa sensuum in iis cernimus, nec vllum deprehendimus sentiendi indicium; nullum enim signum doloris edunt dum scinduntur, aut comburuntur. Hanc conclusionem clarè docet Aristoteles, tum alibi, tum lib. 5. de Gener. animalium, cap. 1. vbi ait animalia, dum dormiunt, viuere vitâ plantæ; è contrà verò plantas dicit non esse somni capaces quia expergisci non possunt, nec sentire. Idem docet S. August. lib. de quantitate animæ, cap. 33. vbi de sententiâ plantis & arboribus vitam sensitiuam ascribente sic loquitur: *Non est audienda, nescio quæ impietas rusticana planè, magisq; lignea quam sunt arbores, quibus patrocinium præbet, quæ dolere vitem quando vua decerpitur, & non solùm sentire ista cùm cæduntur, sed etiam videre, atque audire credit. De quo errore sacrilego alius est disserendi locus.* Hæc ille.

Plantæ, & arbores non viuunt vitâ sensitiuâ.

Animalia, dum dormiunt, viuunt vitâ plantæ.

S. Augustinus.

SECTIO II.

An detur vna ratio vitæ communis Deo & plantis.

I. NOnnulli qui nobiscum hactenus conueniunt circa plantas, quas fatentur viuere, negant tamen dari vnum conceptum vitæ communem iis cum Deo, sicque rationem vitæ dicunt iis esse æquiuocam. Ita P. Arriaga hic, d. 2. sect. 1. n. 74. & alij.

Negant aliqui dari rationem vnam vitæ.

II. Contra primò: est prædicatum aliquod commune plantis cum reliquis viuentibus, quod non conueniat rebus non viuentibus; hæc autem est ratio, seu conceptus vitæ, cùm, vt dixi, in nullo non viuente reperiatur, ergo datur ratio vitæ communis Deo & plantis.

Vera vita conuenit omnibus viuentibus, ergo abstrahi potest, suéq; est vna.

III. Respondet P. Arriaga citatus rationem illam vitæ, quæ competit Deo & plantis, esse merè æquiuocam, sicut est, inquit, *Gallus* homini Gallo, & aui. Cōtrà plantæ verè viuūt, vt ipse fatetur, & ostensum est sect. præcedente ex communi consensu Patrum, Theologorum, ac Philosophorum, & ratio idipsum euincit, vt ibidem latè probamus: ergo nō in merâ voce *vitæ* conueniunt (quod est æquiuocorum proprium) sed in vero aliquo prædicato, quod intrinsecè tam in Deo, quàm in plātis reperitur. Quod secus contingit in voce *Gallus*, quæ solo nomine competit duobus illis suprà positis, licèt enim in aliquibus prædicatis conueniant, vt in ratione entis substantiæ, corporis, & animalis, non tamen in prædicato illo, quod hac voce exprimitur, vt in Logica ostendi disp. 39. s. 5. dum de Æquiuocis.

Ostenditur rationem vitæ repertam in Deo & plantis non esse æquiuocam.

IV. Probatur vlterius abstrahi posse vnam rationem vitæ communem Deo & plantis. Ideo abstrahi potest vna ratio entis communis Deo & creaturis, quia ratio entis in vtrisque verè reperitur, sed ratio etiam vitæ reperitur verè in plantis, vt dictum est, & concedunt aduersarij, ergo abstrahi similiter ab iisdem poterit vna ratio vitæ. Conf. alioqui pari ratione dicet alius, non posse nec rationem substantiæ, nec spiritûs, nec alterius cuiusquam abstrahi à Deo & creaturis.

Tam abstrahi potest vna ratio vitæ à Deo & plantis, quàm vna ratio entis.

V. Dices; vita plantæ collata vitæ Dei tanto illi est inferior, vt non mereatur nomen vitæ. Contrà primò, sic nec ratio entis creati collata enti increato, quod est *ens à se, & necessariò*, meretur nomen entis, sed dici solet vmbra tantùm entis, vt ostendi in Logica d. 40. s. 2. n. 4. & 5. Potest nihilominus, etiam iuxta auctores contrariæ sententiæ, abstrahi vna ratio entis communis enti creato & increato, quia scilicet ens creatum, licèt sit infinities inferius increato, est tamen verum ens. Sic ergo licèt vita plantæ sit infinitè inferior vitæ Dei, cùm tamen, vt aduersarij fatentur, habeant plantæ in se veram rationem vitæ, non minùs abstrahi poterit ratio vitæ communis Deo & plantis, quàm ratio entis.

Imperfectio vitæ in plantâ non obstat, quo minùs abstrahi possit vna ratio vitæ.

VI. Dices secundò; ratio vitæ physicæ, quâ viuit planta, & ratio vitæ intentionalis, quâ Deus viuit, sunt longè diuersissimæ, ergo non possunt in vnam aliquam rationem vitæ conuenire. Contrà, etiam ratio entis creati, & ratio entis increati sunt longè diuersissimæ, & tamen conueniunt in vnam rationem entis, ergo idem fieri poterit in ratione vitæ: tota enim illa diuersitas prouenit à differentiis rationem communem vitæ contrahentibus. Quod magis declarabitur infrà sect. 4. num. 2. & præcipuè sect. 6. num. 4. 5. & 6.

Diuersitas vitæ physicæ, & intentionalis non impedit abstractionem vnius rationis vitæ.

VII. Optima verò impugnatio huius sententiæ est, vt assignetur conceptus ille, seu prædicatum, in quo viuentia omnia conueniunt, quodque Deo commune sit cum plantis: qui præsentis disputationis est scopus.

SECTIO III.

Reijciuntur quorundam placita circa conceptum communem vitæ.

I. OPinantur nonnulli conceptum hunc vitæ situm esse in operatione per se immanente, quâ res non constituitur in statu sibi pro primo instante debito: quod addunt, vt excludant emanationem passionum à ratione vitæ; omnes enim conueniunt emanationem illam non esse vitalem, quod tamen, inquiunt, alio modo quàm hoc, saluari nequit.

Aliqui vitā statuunt in operatione immanente ad perfectionē non debitā.

II. Sed quicquid sit de hoc secundo, de quo postea, impugnatur prima pars huius sententię primò, nam Angelo in primo instante suæ creationis debetur actus intellectûs, quo se cognoscat, nec enim minùs hoc spectat ad connaturalem Angeli statum, quàm vlla passio ad essentiam, vt communiter omnes admittunt, dicuntque non minùs connaturaliter deberi tunc Angelo actum intellectûs quo se & Deum cognoscat, quàm soli debetur lux, aut igni calor: & tamen actus ille est vitalis, vtpote verum exercitium potentiæ vitalis, ergo ratio vitæ non consistit adæquatè in operatione immanente non debitâ rei pro primo instante quo est; hæc enim operatio est pro illo instante debita, & tamen vitalis. Quod à fortiori viget in Deo, cui pro omni instante est debita cognitio tam sui, quàm aliarum omnium rerum. Deinde, Patri Æterno pro omni instante debetur productio Verbi Diuini, & tamen producit eum vitaliter, ergo.

Sequeretur Angelum, per actum quo primo creationis instante se & Deum intelligit, nō viuere.

Deus etiā, per suos actus intellectûs non viueret.

III. Deinde actualis grauitatio seu descensus in lapide est actus immanens, & non debitus illi pro primo instante quo est: ergo non omnis operatio immanens non debita rei pro primo instante est vitalis. Idem est in ascensu ignis sursum, de actione etiam quâ ignis se auget, &c. Nec vlla videtur ratio, cur magis debeatur lapidi in primo instante suæ productionis vbicatio in centro, vel igni in suâ sphærâ, quàm Angelo cognitio Dei, & sui; imò multo magis hæc debentur Angelo, cùm difficiliùs eâ carere possit, quàm lapis centro: sæpe enim lapis reperitur extra centrum, & ignis extra sphæram, non tamen Angelus sine illâ cognitione.

Grauitatio in lapide docet illam sententiam esse vitalem.

IV. Respondent aliqui: licèt hæ operationes non debeantur igni & lapidi pro primo instante, debetur tamen virtus illas producendi. Contrà, sic etiam debetur pro primo instante vis nutritiua equo & leoni,

Virtus operationes illas producendi primo instante, non arguit eas nō esse vitales.

ni, intellectiua & volitiua homini & Angelo, & tamen hæ operationes sunt vitales; ergo quòd virtus productiua alicuius operationis sit debita pro primo instante quo res est, nil impedit quo minus operatio illa sit vitalis: imò si hoc impediret, nulla omninò esset operatio vitalis, cùm res quæuis, per se loquendo, petat habere omnes potentias, & virtutem operatiuam primo etiam instante suæ productionis.

V. *Refellitur modus statuens vitā in actione immanēte.*

Secundò dicunt alij, in eo sitam esse vitalitatem potentiæ alicuius, quòd positis omnibus ad agendū requisitis, determinata sit ad operandum immanenter: quare, inquiunt, ignis, aqua, & alia huiusmodi non viuunt, quia positis omnibus requisitis, agunt transeunter. Sed contrà, ignis & aqua agunt etiam immanenter, tum accidentaliter, producendo scilicet in se calorem, & frigus, tum substantialiter, producendo scilicet, & vniendo sibi partem ignis & aquæ. Deinde potentia nutritiua, quæ secundùm omnes est vitalis, agit etiam transeunter, producit enim dispositiones, & accidentia in alimento, imò & formam chyli & sanguinis: hæc ergo vitæ explicatio non subsistit.

VI. *Alij vitā constituunt in motu ab intrinseco.*

Tertius vitam explicandi modus est eorum, qui dicunt viuere esse mouere se ab intrinseco, & vitam esse motum ab intrinseco: quæ ratio, inquiunt, competit tam vitæ increatæ, nempe Deo, quàm creatæ, plantis scilicet & animalibus, in quantum ille mouet se intentionaliter, hæc physicè. Modum hunc explicandi vitam in re existimo coincidere cum eo quem explicabo sect. sequente: nec enim per motum intelligunt verum & rigorosum motum, qui sit *actus entis in potentiâ prout in potentiâ*, hoc enim sonat incompletionem, & potentialitatem Deo repugnantem. Solùm ergo per motum intelligunt prædicatum quoddam, siue physicum sit, siue intentionale, quo & perficiatur res intrinsecè in se, & tendat in aliud, quod facit physicè per actionem, intentionaliter per qualitatem actûs intellectûs & voluntatis, quæ vocatur actio intentionalis, per quam tendit quis in obiectum, & denominatur agens & operans intentionaliter, sicut denominatur per aliam agens physicè. Actus tamen vitalis intentionalis non rectè vocatur motus.

Hic modus explicandi in eo dissidet, quod vitam generatim vocet motum.

VII. Varios hosce vitam explicandi modos obiter tantùm recenseo, & refello. Qui latiùs illas impugnatas videre cupit, adeat P. Arriagam qui id fusissimè præstat.

SECTIO IV.

Statuitur in quo situs sit conceptus vitæ viuentibus omnibus communis.

I. *Statuitur conceptus vitæ vt sic, Deo cæterisq; viuentibus communis.*

CONclusio: conceptus vitæ communis Deo, & plantis, cæterisque viuentibus in eo consistit, vt res aliqua ita perfectionem habeat ab intrinseco, vt ab extrinseco, saltem naturaliter, habere eam non possit. Hoc modo conceptum vitæ explicant multi docti recentiores, & videtur iuxta mentem P. Hurtadi hîc d. 3. s. 1. n. 9.

II. *Viuentia omnia perfectionem habent ab intrinseco.*

Quòd hæc ratio competat Deo, est manifestum: Deus enim intellectionem suam, & volitionem ab extrinseco accipere nullo modo potest. Quòd plantæ competat, probatur: planta per nutritionem acquirit suam augmentationem, idque tali modo, vt ab extrinseco eam connaturaliter, & sine miraculo accipere non possit; hoc enim indicant tot diuersa organa, meatus, ac dispositiones ad nutritionem à natura ordinata, & omnibus viuentibus insita. quæ indicant peculiari modo præ rebus inanimatis viuētia postulare vt habeant perfectionem suam ab intrinseco, & non eam merè accipiant ab extrinseco, instar ignis, & aliorum non viuentium.

III. *Ostenditur quomodo hoc conueniat omnibus viuentibus.*

Dices; prædicatum quod plantas constituit in esse viuentis, est verè se augere intrinsecè, & nutriri, sed hoc non reperitur in Deo, ergo non datur prædicatum aliquod commune Deo & plantæ, in quo peculiariter conueniant, & à rebus inanimatis distinguantur. Resp. distinguendo maiorem, nutriri est prædicatum quod planta habet iam contractū, concedo maiorem; est prædicatum in tota sua latitudine acceptum, nego: prædicatum enim vitæ in sua latitudine est *habere perfectionem ab intrinseco*, vt autem contrahitur ad nutritionem, competit *plantæ*, vt ad sensationem, *animali*; vt ad rationale, seu actus intelligendi & volendi cum vero motu physico, *homini* vel *Angelo*; vt demum contrahitur ad *habendam perfectionem ab intrinseco perfectissimo modo*, & sine vllo motu physico, competit *Deo*. Et quoad hoc, idem est in omni sententia, etiam qui excludunt plantas à ratione vitæ, & statuunt rationem viuentis tantùm in cognitione, eodem modo vrgentur: argui enim posset, rationem cognitionis in equo vel leone esse materialem, sensitiuam, & accidentalem, quod tamen Deo non competit: sicut ergo hîc respondent ipsi rationem cognitionis in brutis repertam non iis inesse secundùm totam suam latitudinem, & acceptionem communissimam cognitionis, sed esse rationem cognitionis contractam ad has imperfectiones, idem respondere poterimus & nos de ratione vitæ in plantis.

IV. *Deus viuit per omnipotentiam, & reliqua omnia attributa.*

Hic modus explicandi vitam ex eo capite placet, quòd certum aliquod, & clarum prædicatum assignet, in quo conueniunt plantæ cum Deo. Suas tamen habet difficultates; & inprimis obiicitur, hinc sequi, Deum viuere etiam per omnipotentiam & cætera omnia attributa, videlicet æternitatem, immensitatem, &c. hæc enim ita sunt perfectiones ab intrinseco, vt ab extrinseco esse nequeant. Responderi posset concedendo sequelam: in hoc enim nihil incommodi, imò videtur peculiariter facere ad excellentiam Dei, qui hoc modo est perfectissimè vita. Quam doctrinam tradere videtur S. Thomas 1. p. qu. 18. ar. 4. corpore.

V. *Omnis vita à parte rei est vel vegetatiua, vel sensitiua, vel rationalis.*

Dices; omnipotentia nec est vita vegetatiua, nec sensitiua, nec intellectiua, ergo nō est vita, cùm omnis ratio vitæ debeat intra vnum ex his gradibus reperiri. Resp. realiter loquendo, nullum esse viuens, quod non participet vnam ex illis rationibus, & de facto omnipotentia Dei est intellectiua, cùm realiter identificetur cum intellectione. Si autem loquamur præcisiuè, & quoad conceptum nostrum, non est necessarium vt quicquid est vitale, habeat vnam ex his rationibus, vt constat in exemplo allato.

VI. *Si Deus per impossibile nō haberet intellectionē, & volitionē, viueret per alia prædicata tantùm inadæquatè.*

Dices secundò; ergo si Deus per impossibile non posset intelligere & velle, & nihilominus haberet reliqua prædicata, viueret adhuc per illa, haberet enim illa *ab intrinseco*, in quo iuxta nos situs est conceptus essentialis vitæ. Resp. in casu illo fictitio haberet Deus in reliquis prædicatis vitam inadæquatè, seu non determinatam ad vllam vitam in particulari, quod tamen à parte rei esse realiter nō potest, cùm, vt suppono, nulla vita sit possibilis, quæ non sit vel vegetatiua, vel sensitiua, vel intellectiua. Sicut nulla est possibilis substantia à parte rei, quæ non sit vel corpus, vel spiritus: siquis tamen fingat substātiam vt sic existere, esset inadæquatè corpus vel spiritus, seu apta vt determinetur ad vtrumque. Idem est de formalitate entis respectu substantiæ & accidentis, & de aliis huiusmodi. Verum est quidem, prædicata reliqua Dei in casu illo fictitio existentia sine intellectione, licèt nullam ex tribus illis vitis haberent adæquatè, non tamen esse indifferentia ad vitam vegetatiuam vel sensitiuam, ob imperfectiones

nes in vitâ illis inclusas, sed apta tantùm forent ad vitam rationalem.

VII. *Lapis, & similia perfectionem suam essentialem non habent ab intrinseco.*

Dices tertiò; hinc sequitur, lapidem viuere, perfectionem enim suam essentialem habet ab intrinseco, nempe per identitatem. Resp. negando sequelam, ad probationem dico lapidem non habere perfectionem vllam essentialem ab intrinseco, cùm se totum accipiat ab extrinseco, per productionem scilicet à Deo, aut alio extrinseco agente. Quare habere perfectionem suam essentialem ab intrinseco est proprium vnius Dei, qui est essentialiter à se, & nihil accipere potest ab extrinseco.

SECTIO V.

Duæ præcipuæ difficultates circa hunc modum explicandi vitam.

I. *Obij. sequi ignem viuere, cùm augeat se ab intrinseco.*

PRima est: quòd etiam ignis augeat se intrinsecè, & habeat perfectionem suam ab intrinseco, non minùs quàm planta aut homo; auget quippe se per actionem immanentem, actio enim sequitur terminum, & in tantum est immanens in quantum terminus eius est immanens, & inest principio à quo producitur, vt constat in actibus intellectûs, voluntatis &c. sed terminus hic est intrinsecus principio à quo procedit, pars enim ignis iam de nouo acquisita per augmentationem vnitur igni se augenti, ergo non minùs operatur ignis ab intrinseco, & vitaliter, quàm planta, & consequenter non minùs viuit.

II. *Resp. terminũ augmentationis in igne potuisse connaturaliter produci ab extrinseco.*

Resp. licèt quidem de facto terminus augmentationis in igne se augente habeatur ab intrinseco, id est, à principio cui adiungitur, idem tamen terminus potuisset naturaliter produci ab extrinseco, nempe à sole, vel alio igne, & adiungi præcedenti, sicut modo adiungitur, totumque quod nunc fit, potuisset connaturaliter fieri à principio adæquato extrinseco: terminus autem acquisitus per nutritionem, licèt procedere possit, imò & de facto procedat à principio inadæquato extrinseco, nempe Deo, non tamen potest connaturaliter procedere à principio adæquato extrinseco: cuius indicium est tantus organorum, venarum, & arteriarum apparatus à naturâ viuentibus tributus, quibus sumatur cibus, alteretur, concoquatur, per omnes corporis partes dispensetur, ac demum in substantiam viuentis conuertatur.

III. *Terminus ab extrinseco producibilis non eget tanto organorum apparatu.*

Deinde, quotidianâ experientia constat viuentia omnia per solum appositum exteriùs alimentum nutriri non posse, sed, si dasit intus sumptum nutrimentum, perire. Vnde, quandò terminus aliquis est indifferens vt producatur ab intrinseco principio, vel extrinseco, non eget pluribus huiusmodi instrumentis, & organis, vt producatur, vt constat in igne tanta facilitate augente se, ac producente alium ignem.

IV. *Actio sequitur naturam termini.*

Dices; actio qua ignis producit suum terminum, est immanens, nam recipitur in principio à quo procedit: cùm enim actio sit intrinseca termino, si terminus sit intrinsecus agenti, vt hîc contingit, actio necessariò erit eidem intrinseca. Ad solutionem notandum quod suprà insinuauimus, actionem sequi communiter naturam termini cuius est actio: actio ex.gr. qua producitur connaturaliter terminus dependens à subiecto, est etiam dependens à subiecto, & è contrà, actio qua producitur terminus independens à subiecto, est similiter independens, sicut ille; quod enim in his, & similibus habet terminus vt *quod*, actio habet vt *quo*. Qua etiam de causa motus quo animal se mouet, vt dum homo mouet manum, non censetur actio vitalis quia scilicet termi-

Quod terminus habet vt quod, actio habet vt quo.

nus illius actionis non est ex natura sua immanens; illa enim vbicatio, quæ est illius terminus, potuisset æquè produci ab alio agente extrinseco mouente illud animal, atque ab animali ipso: vbicatio enim quam Petrus producit in sua manu, potuisset æquè produci à Paulo, si manum Petri per idem spatium mouisset, vt potuit.

Ad rem ergo præsentem: cùm actio sit propter terminum, & specificationem in ordine ad illum recipiat, ratio immanentis, vel transeuntis in actione desumitur à termino; cùm enim actio sit intrinseca termino, vt dictum est, petit connaturaliter esse in eodem subiecto, in quo petit esse terminus. Cùm ergo terminus in augmentatione ignis non sit ex natura sua immanens, id est, talis qui petat connaturaliter inesse supposito, à quo producitur, cùm de facto videamus contrarium, naturaliter enim augetur ignis à sole, vel etiam ab alio igne. Ac proinde licèt nonnunquam producatur augmentum illud ab eodem igne, est tamen terminus ille transiens, & cõsequenter actio quæ illum comitatur, & ad illius se naturã accommodat, erit similiter transiens. Viuens autem nunquam est indifferens vt augeatur ab alio supposito adæquatè extrinseco, cùm augeri debeat per intus-sumptionem, vt suprà ostensum est. V. *Vt actio sit immanens, terminus debet esse immanens.* *Viuens augeri nequit ab extrinseco sicut ignis.*

Dices cum P. Arriaga hîc d. 2. sect. 1. num. 34. etiam terminum nutritionis esse posse ab extrinseco: si enim, inquit, duo equi inter se plenè penetrarentur, posset stomachus equi A agere in cibum in stomacho equi B, & cibum illum vnire equo A. Negatur tamen hoc fieri posse: primò enim nullam huius rei habemus experientiam, sicut habemus de quibusdam saltem passionibus, vt postea videbimus. Deinde tanta dispositionum varietas & apparatus organorum, quibus alimentum intus trahitur, & per diuersos meatus in varias viuentis partes distribuitur, & non nisi post multas in diuersis locis alterationes in substantiam illius conuertitur, ostendit actionem nutritiuam, naturaliter non nisi ab intrinseco haberi posse. VI. *Quantumuis duo equi penetrarentur, non posset vnus nutrire alium.*

Vrgebis; quando ignis auget se, quicquid sit de actione producente partem formæ, saltem actio illa, quâ producitur vnio continuatiua nouæ partis formæ, erit immanens: terminus enim ille est essentialiter immanens, nec enim per diuinam potentiam potest vnio illa esse in alio quàm in illo igne, cùm sit modus illius; sed actio illa per nos est immanens, quæ est actio termini per se immanentis; cùm actio petat ex naturâ suâ inesse eidem subiecto cui inest terminus, ergo hæc actio est immanens. Resp. negãdo primum antecedens, nempe, actionem illam esse immanentem. Ad probationem dico, licèt nec per Diuinam potentiam possit vnio illa esse in alio supposito, seu intra alias partes, quã has, cùm sit modus harum, poterat tamen connaturaliter produci à sole, vel etiam ab alio igne, ergo non est terminus naturâ suâ immanens, cùm terminus immanens ille sit qui non potest connaturaliter procedere à principio adæquato extrinseco, qualis est pars acquisita per nutritionem, & illius vnio. VII. *Obij. actio saltem producens vnionem continuatiuã ignis, erit immanens.* *Resp. non esse, quia vnio illa potuisset produci ab extrinseco.* *Quis terminus sit immanens.*

Instabis: pars formæ viuentis quæ iam acquiritur per nutritionem, potuisset produci per primam generationem, ergo non petit inesse supposito à quo producitur, plantæ enim naturaliter producuntur à sole, vel Deo, & animalia à matre, vel causa prima, ergo hic terminus non est immanens. Resp. licèt hic terminus secundùm se spectatus, sit indifferens vt producatur per primam generationem, vel nutritionem, in his tamen circumstantiis, nempe, posito quòd non fuerit productus per primam generationem, petit produci per nutritionem, & procedere à principio intrinseco, seu inesse supposito à quo produci- VIII. *Obij. pars producta per nutritionem potuisset produci per primã generationẽ.* *Resp. petere in his circumstantiis procedere*

ab intrinseco: in quo differt ab igne.

ducitur. Hoc autem non contingit in termino augmentationis ignis, qui etiamsi non fuerit productus in primâ generatione, nihilominus æquè connaturaliter potest produci ab agente adæquatè extrinseco, atque ab intrinseco.

Actio nutritiua ex modo tendendi est ab intrinseco, non augmentatiua.

IX. Addo, hoc probabiliter refundi posse in ipsam naturam actionis nutritiuæ, quæ ex naturâ suâ petit procedere ab eodem supposito, in quo recipitur, hocque suaderi videtur ex tot diuersis organis ad hanc actionem eliciendam requisitis. In Augmentatione autem ignis secus contingit, perfectus enim conceptus augmentationis saluari potest sine hoc quòd actio sit in principio à quo procedit: quod autem de facto procedat à principio intrinseco dum ignis auget se, est per accidens, & non habetur ex conceptu essentiali augmentationis.

Secundò, se quæ videtur essentias producere vitaliter suas passiones.

X. Secunda difficultas hac in re est: passiones enim vniuersim procedunt ab intrinseco, producuntur quippe ab essentiis, in quibus etiam manent, ergo actio quâ producuntur, est immanens, ergo vitalis, habent enim perfectionem suam ab intrinseco, Conf. quando aqua recuperat frigiditatem amissam, id facit per actionem immanentē, nam frigiditas & consequenter actio qua producitur, recipitur in eodem supposito, à quo procedit, ergo hæc etiam actio erit vitalis, vel nutritio non erit.

Respondent aliqui passiones produci à generante.

XI. Ad hoc respondent aliqui passiones produci à generante, & non ab ipsâ essentiâ, iuxta illud, *qui dat formam, dat consequentia ad formam*: hoc autem si dicatur, clarè soluitur difficultas: passiones enim tunc non recipiuntur in eodem principio, à quo profluunt, profluunt enim à generante, recipiuntur in essentiâ, & consequenter illarum productio non magis est vitalis, quàm cùm sol producit metalla, aut vnus ignis alium. Sed hunc modum philosophandi reiecimus in Physicis, vbi diximus passiones emanare ab essentiâ: quod ostendunt tum alia, tum aqua recuperans frigiditatem amissam: sicut ergo illam amissam recuperat, ita quidni posset primò eam producere?

Dicunt alij posse passiones vnius essentiæ produci ab aliâ, si esset ei intimè præsens.

XII. Secundò, alij dicunt produci quidem passiones ab essentiis quibus insunt, aiunt tamen ea se esse indifferentes vt producantur tam ab aliâ essentiâ quā ab hac. Vnde, inquiunt, non solùm alius sol posset producere lucem, & proprietates in hoc, si esset illi intimè penetratus, sicut de facto aliquæ partes ignis producunt calorem in aliis partibus sibi proximis, frigefactis à niue, vel aquâ, sed etiam affirmant vnam partem materiæ posse producere quantitatem alterius, imò & vnam animam intellectum & voluntatem alterius, si ab animâ distinguantur: ac proinde intellectum & voluntatem dicunt non magis petere produci ex naturâ suâ ab hac animâ immanenter, quàm transeunter ab aliâ, sicque per accidens, inquiunt, est, quòd hîc & nunc producantur immanenter.

Possunt aliquæ passiones vnius essentiæ produci ab aliâ, non omnes.

XIII. Hæc solutio, quoad aliquas passiones, videtur probabilis, imò & vera: quidni enim sol, sicut auget & intendit lucem in lunâ, & reliquis astris, ita & illam totam posset primò producere? lux enim illa non magis petit procedere ab astris intrinsecè, quā à sole extrinsece. Idem videtur de calore respectu alterius ignis. Idem etiam affirmant aliqui de passionibus animæ, si distinguantur, & de quantitate, si statuatur vnam scilicet animam habere vim producendi intellectum & voluntatem alterius, & vnam materiam alterius quantitatem: quorum tamen vtrumque multò mihi videtur difficiliùs.

Passiones sunt indifferentes vt producantur vel ab essentiâ, vel à Deo.

XIV. Dici tamen in istis posset, licèt produci nequeant à causâ creatâ, esse tamen indifferentes vt producantur siue à materiâ & animâ, siue à Deo. Quòd autem de facto semper producantur passiones ab animâ, & quantitas à materiâ, inde solùm prouenit, non quòd, non sint indifferentes quantum est ex se, vt producantur à Deo, sed quia anima est causa particularior, sicque ad effectum illum magis proportionata. Sicut calor in igne, licèt producatur subinde per emanationem ab ipso igne in quo est, est tamen indifferens vt producatur à sole, vel ab alio igne, cùm idem numero calor potuisset à sole vel igne produci in aquâ, ferro, aut lapide: quòd autem communiter producatur ab ipso igne, est quòd ignis præueniat alia agentia, vtpote minùs indistans, meliusque veluti applicatus. Quod idem est quando ignis se auget: licèt enim augmentatio illa fiat communiter ab ipsis partibus ignis, quia sunt viciniores, & meliùs applicatæ, & consequenter commodiùs ab illis fit augmentatio, quàm ab agente extrinseco; est tamen virtus in agente extrinseco ad partem illam nouam producendam, illaque ex se non magis petit produci ab igne, qui augetur, quàm ab aliâ causâ. Concludo ergo, licèt producantur communiter passiones ab essentiâ, & augmentatio ignis ab ipso igne qui augetur, id tamen fit ex exigentiâ, non effectûs, sed causæ, quæ est particularior, & meliùs quasi applicata.

Passiones producuntur ab essentia, exigente causa, nō effectu.

Deus vt auctor naturæ tenetur infundere passiones, non tamē nutrire viuens.

XV. Si ergo passiones istæ non producerentur ab essentiâ, efficerentur à generante: non tamen tenetur Deus vt auctor naturæ nutrire viuens; videmus enim semper subtracto alimento perire. Alio ergo modo est indifferens passio aliqua vt producatur à Deo, quàm nutritio. Si autem dicat quis non esse indifferentes intellectum & voluntatem vt producantur naturaliter à Deo, sed petere produci à solâ animâ & Angelo, tunc asserent nonnulli eorum productionem esse vitalem, & animam ac Angelum per eam viuere, sicut asserunt aliqui actiones, quibus intellectus agens producit species in intellectu possibili esse vitales, & intellectum per actiones illas viuere.

SECTIO VI.

Corollaria quædam circa notionem vitæ iam explicatam.

Conceptus vitæ intentionalis in actu primo.

I. EX dictis totâ hac disputatione infero primò: conceptum vitæ intentionalis in actu primo consistere in aptitudine ad habendum perfectionem aliquam intentionalem ab intrinseco, ita vt ab extrinseco connaturaliter habere eam non possit. Hæc illatio probata est totâ sectione quartâ, & quintâ.

Duo modi habendi perfectionē ab intrinseco.

II. Duobus verò modis habetur hæc perfectio: vel per identitatem, quod soli Deo competit, qui secundùm prædicatum *intellectius* quod in ipso constituit actum primum intelligendi, vt cum veriore, & communiore Theologorum sententiâ ostendi 1. p. dum de scientiâ Dei, quodque sine vllâ imperfectione incompletionis, aut potentialitatis aptum est per actualem intellectionem recipere denominationem intelligentis. Secundus modus habendi hanc perfectionem ab intrinseco, est per aliquid realiter distinctum: & hic modus proprius est creaturarum.

Conceptus vitæ physicæ in actu primo.

III. Infero secundò: conceptum vitæ physicæ in actu primo situm esse in aptitudine ad perfectionem suam per veram & realem actionem ita ab intrinseco habendam, vt connaturaliter ab extrinseco habere eam hoc modo non possit: quæ proinde vita in Deo non reperitur.

Vita vt sic in actu primo, communis physicæ & intentionali.

IV. Infero tertiò: conceptum vitæ vt sic communem vitæ physicæ & intentionalis (de qua suprà sect. secundâ) consistere in aptitudine ad perfectionem aliquā habendam ab intrinseco, prout abstrahit ab illâ habendā

benda per actionem distinctam vel non, sed præcisè prout est aptitudo ad illam habendam ab intrinseco, ita vt ab extrinseco haberi connaturaliter non possit.

V. *Hic vitæ conceptus non est æquiuocus, sed verè vnus.*

Infero quartò: hunc vitæ conceptum non esse æquiuocum, sed verè & propriè vnum, per verum & proprium prædicatum, tam in actu primo vitæ intentionalis, quàm physicæ repertum. Probatur, aptitudo in actu primo vitæ intentionalis est verum & reale prædicatum aptitudinis ad perfectionem illam, & denominationem intelligentis habendam, siue id per identitatem fiat, siue per aliquid distinctum, quæ aptitudo non reperitur in lapide, ligno, & aliis rebus perceptionis obiecti alicuius non capacibus. Deinde, aptitudo etiam in actu primo vitæ physicæ est vera aptitudo ad perfectionem habendam ab intrinseco per veram & realem actionem physicam, ergo in reali prædicato conueniunt.

VI. *Ostenditur hunc vitæ conceptum esse vnum, & realem.*

Vtraque ergo hæc aptitudo est prædicatum reale, realiter in viuentibus tum intentionalibus, tum physicis repertum & in eo solùm differunt, quòd vnum principium vitale perfectionem suam petat habere ab intrinseco per actionem physicam, alterum actionem physicam non requirat. Abstrahi ergo hinc potest aptitudo seu exigentia vt sic ad perfectionem suam habendam ab intrinseco, ita vt ab extrinseco haberi connaturaliter non possit; quæ aptitudo & exigentia principio vitali tam intentionali, quàm physico est æqualiter communis.

VII. *Hic vitæ conceptus conuenit propriè Deo, & viuentibus creatis.*

Dices, Deus longè alio modo perfectionem suam habet ab intrinseco, quàm principia vitalia creata: est enim Deus essentialiter improductus, & perfectionem suam petit essentialiter habere a se, principia verò vitalia creata diuersissimo modo ab hoc perfectionem suam exigunt, vt constat, ergo non potest abstrahi vna aptitudo seu exigentia vtrique communis. Resp. diuersitatem hanc non relucere in ipsa ratione vitæ, seu habendi perfectionem ab intrinseco vt sic, sed in particularibus differentiis: alioqui sequeretur, homines & Angelos non conuenire cum Deo in principio intelligendi, cùm Deus intelligat essentialiter à se, & per cognitionem improductam, homines & Angeli per actum intellectûs realiter distinctum, & productum, qui duo modi intelligendi sunt diuersi, vt suprà ex alia occasione dixi.

VIII. *Vita triplex: physica tantùm, intentionalis tantùm, physica simul & intentionalis.*

Infero quintò, tria esse genera viuentium in actu primo, physicum tantùm, intentionale tantùm, physicum simul & intentionale. Viuens physicum tantùm, est planta: intentionale tantùm, Deus, per intellectionem saltem essentialem, sed tantùm ratione nostra, cùm sit essentialiter actualis intellectio: physicum simul & intentionale, homines & Angeli, dum actus intellectûs ac voluntatis, & intentionales omnes eliciunt.

IX. *Implicat Angelus qui sit sua intellectio.*

Infero sextò: constare ex dictis implicare principium vllum vitale creatum, Angelum ex. gr. qui sit sua intellectio. Ratio est clara, cùm enim conceptus vitæ, vt ostensum est, in eo situs sit, quòd perfectionem suam ita habeat ab intrinseco, vt ab extrinseco habere eam non possit, hic Angelus per intellectionem illam secum identificatam non viueret, cùm illam connaturaliter accipiat à principio adæquatè extrinseco, nempe Deo, à quo nimirum Angelus ille producitur.

SECTIO VII.

Quibus rebus competat ratio viuentis in actu primo.

I. *Ostenditur generatim quænam sint viuentia in actu primo.*

FVsè hic disputant aliqui quænam dicenda sint viuentia in actu primò. Vniuersim hoc dici potest, à quibuscunque vita in actu secundo, seu actuale exercitium vitæ (quales sunt omnes sensationes, vegetatio, intellectio, volitio, &c.) petit effici & recipi, illa esse viuentia in actu primo.

II. *Forma equi, leonis &c. sunt viuentia in actu primo.*

Composita ergo omnia vegetabilia, sensitiua, & intellectiua sunt viuentia in actu primo, sicut etiam anima rationalis, & Angelus respectu actuum intellectûs & voluntatis. Forma materialis, equi, leonis, &c. est etiam vita in actu primo, saltem respectu augmenti seu vnionis continuatiuæ acquisitæ in nutritione. Potentiæ item accidentales animæ, vt intellectus & voluntas, si distinguantur ab animâ, sunt vita accidentalis in actu primo, cùm efficiant & recipiant suos actus.

III. *Potentia motiua est vitalis argutiuè tantum, non formaliter.*

De potentiâ motiuâ est difficultas, posito quòd distinguatur ab animâ. P. Suarez ait potentiam motiuam esse vitalem. Alij tamen, & probabilius, asserendum potiùs dicunt contrarium, cùm eius terminus non sit per se immanens, sed eadem omnino vbicatio quæ producitur à principio intrinseco, potuisset produci ab extrinseco: sicut enim Petrus suâ manu dextra mouet sinistram, ita alius per idem spatium mouere illam potuisset, & eandem numero vbicationem producere. Argutiuè tamen est vitalis, cùm sit signum vitæ. Quo sensu SS. Patres eam sæpe vocant vitalem.

IV. *Species non sunt vitales in actu primo.*

Species visiuæ, & aliæ huiusmodi non videntur vitales in actu primo, quia concurrunt, non tanquam aliquid ex parte potentiæ, sed ex parte obiecti cuius vices supplent, ac proinde cùm obiectum sit quid extrinsecum, concursus specierum quæ sunt substitutæ loco obiecti, est in influendo quid extrinsecum. Vnde licèt non reciperentur in animâ, vel potentiâ, sed essent tantùm illis contiguæ, eodem modo ad actum cum potentiâ concurrerent.

V. *Differentia inter vitam substantialem, & accidentalem, si hæc à priori distinguatur.*

De habitibus dubitant multi; sed pendet resolutio huius ab illo, quid requiratur ad actum immanentem; de quo postea. Solùm noto, aliud esse quoad rationem Vitæ, in potentiis quibusdam accidentalibus, si dentur distinctæ ab animâ, quæ vocantur aliquo modo vita accidentalis, aliud de vitâ substantiali: non enim requiritur vt vita hæc accidentalis imperfecta recipiat in se suam operationem: quod, vt habitus omittam, de quibus nihil in præsenti statuo, clarum videtur in potentia nutritiuâ, si distinguatur, & sit potentia accidentalis; actio enim, cùm sit intrinseca termino, in eo solùm potest recipi in quo recipitur terminus: terminus autem nutritionis, cùm sit substantia, non potest recipi in potentia accidentali, & consequenter nec actio illius productiua in eadem vnquam recipietur. Sufficit ergo vt hæc potentia sit vitalis, quòd sit subiecto suo ratio se mouendi ab intrinseco, modo suprà explicato, sicque perfectio hæc subiecti dici etiam aliquo modo potest perfectio potentiæ, quæ subiecto inest.

DISPV-

DISPVTATIO VII.

De Corpore & Spiritu.

I. *Disputationes de corpore & spiritu coniungenda.*

ANtequam de Animâ rationali disputationem instituamus, eamque spiritualem esse probemus, inquirendum quid sit spiritus; quod vt meliùs fiat disputandum etiam necessariò de corpore, eiusque natura & proprietates indagandæ; sic enim clariùs natura spiritûs, qui corpori opponitur, innotescet.

II. *Ren. des Cartes par. 2. Phil. n. 4. rationem corporis ponit in actuali extensione.*

Reiiciendum verò hic inprimis quod asserit quidam recentior, qui naturam & notionem corporis consistere ait in actuali extensione, seu in eo quòd sit res extensa *in longum, latum, & profundum.*

III. *Reiicitur hæc sententia.*

Sed hæc sententia à nullo Orthodoxo sustineri potest: quare à Theologis rencitur vt erronea in fide. Ratio est clara; nam in sacrosanctâ Eucharistiâ est verum & reale Corpus Christi, & tamen illic non habet actualem extensionem secundùm *longum, latum & profundum*, cùm non solùm sit totum sub totâ hostiâ consecratâ, sed totum etiam sub qualibet illius parte ergo certum est in hoc non esse situm conceptum corporis. Hæc si considerasset hic auctor, in hanc opinionem non incidisset. Tanti interest ad rectè Philosophandum, vt quis versatus sit in Theologicis.

SECTIO PRIMA.

Variæ sententiæ de ratione Corporis & Spiritûs.

I. *Prima sententia ponit conceptum corporis in dependentiâ à materiâ.*

HOc ergo tanquam fidei principiis contrario reiecto; Prima sententia affirmat conceptum corporeitatis consistere in dependentiâ à materiâ tanquam à subiecto, & conceptum spiritualitatis in independentiâ ab eâdem sub illâ ratione, quod addunt, quia alio modo, inquiunt, potest aliquid pendere à materiâ, vt vnio spiritualis, quam aliqui ponunt inter animam & corpus, pendet à materiâ tanquam à termino: item species intelligibiles pendent efficienter à phantasmatibus materialibus, quæ tamen nihilominus sunt spirituales.

II. *Contrà, est possibile corpus simplex, quod non dependet à materiâ.*

Contrà primò, non implicat corpus simplex, imò cœlum de facto esse eiusmodi tanquam probabilius asseruimus in lib. de cœlo. d. 3. ergo ratio corporis vniuersim non consistit in dependentiâ à materiâ, hoc enim esset corpus, & tamen à materiâ non dependeret. Nec ratio etiam spiritualitatis consistit in independentiâ à materiâ: hoc enim corpus esset independens à materiâ, & tamen non foret quid spirituale. Contrà secundò, creatio accidentis alicuius materialis & corporei, albedinis v. g. caloris, aut quantitatis, est corporea, & tamen non dependet subiectiuè à materiâ per modum sustentantis, nec *vt quod*, nec *vt quo*, sed planè contrarium, ergo. De hac tamen creatione postea recurret sermo.

III. *Secunda sententia rationem corporis consistere in sensibilitate*

Secunda aliorum sententia est, materialitatem consistere in sensibilitate, seu aptitudine quâdam ad mouendum aliquem sensum: spiritualitatem verò è contrà consistere in subtiliori quodam existendi modo, nullo sensu perceptibili. Sed contrà nam substantiæ omnes, & multa accidentia non sunt vllo sensu perceptibilia, & tamen sunt materialia seu corporea, ergo. Maior probatur, & primò de substantiis est clarum. Idem etiam ostenditur in accidentibus; actus enim sensuum, & species ipsæ sensibiles non

Contra: multa insensibilia sunt corporea.

percipiuntur vllo sensu, ac proinde sunt solùm sensibiles actiuè, id est, ordinatæ ex naturâ suâ ad sensationes efficiendas: quo etiam modo ad illas ordinatur anima. Idem est de aliis plurimis occultis qualitatibus tum in viuentibus, quæ constituunt eorum organizationem accidentalem, tum in cœlis, stellis, & planetis, per quos varios effectus in terræ visceribus producunt. Et si dicas, licèt nullo sensu qui de facto est, possint percipi, posse tamen dari sensum horum omnium perceptiuum: idem dicunt aliqui de spiritibus, asserunt enim possibilem esse sensum, qui spiritualia percipiat.

IV. *Tertia sententia conceptū corporis statuit in impenetrabilitate.*

Tertia sententia affirmat conceptum corporis consistere in impenetrabilitate: conceptum verò spiritûs è contrà in penetrabilitate. Hæc tamen sententia ita latè sumpta nō videtur facilè sustineri posse; multa enim accidentia, vt omnes primæ qualitates, lux etiam, colores, imò & ipsa quantitas, sunt penetrabiles cum materiâ, & aliis rebus materialibus, & corporeis. Item materia & forma inter se connaturaliter penetrantur, ergo vniuersim loquendo non potest ratio corporeitatis consistere in impenetrabilitate tam latè sumptâ; quidquid sit de impenetrabilitate alio modo explicatâ, de qua postea.

Contrà, multa res corporea inter se penetrantur.

V. *Dices, consistere rationē corporis in impenetrabilitate cum aliâ re eiusdem speciei.*

Dices; non quamcunque penetrabilitatem obstare conceptui corporis, sed penetrabilitatem cum aliâ re eiusdem speciei: materia autem & forma non sunt eiusdem speciei, sicut nec calor & siccitas, & alia huiusmodi accidentia, ergo non obstante hac penetrabilitate, poterunt esse materialia: res autem spirituales sunt penetrabiles cum aliis eiusdem speciei, vt vna anima, vel vnus Angelus cum alio; cùm tamen duæ materiæ, vel duæ quantitates inter se penetrari non possint. Vnde infertur, impenetrabilitatem cum aliâ re eiusdem speciei constituere rationem corporeitatis, & penetrabilitatem cum alia re eiusdem speciei rationem spiritualitatis. Ita P. Arriaga hic d. 1. s. 4. subs. 6. & alij.

VI. *Contrà, gradus homogenei inter se penetrantur.*

Contrà primò, gradus qualitatis inter se penetrantur, & licèt de aliquibus dici possit, & debeat esse heterogeneos, & consequenter aliquo modo diuersæ speciei, vt ostendimus in lib. de Generatione sicque in his cesset obiectio; de omnibus tamen non est perinde certum, vnde d. 10. de Generat. sect. 2. num. 6. & 7. ostendi aliquas qualitates cōponi ex gradibus homogeneis. Quod ad hominem saltem viget contra multos ex his auctoribus, qui vniuersim affirmant, gradus intensionis in omnibus qualitatibus esse homogeneos, & eiusdem speciei. Deinde, duæ visiones duorum obiectorum similium possunt simul esse, & penetrari in eodem oculo.

Idem est de duabus visionibus duorum obiectorum similium.

VII. *Duæ formæ agnæ possunt, quantū est ex se, penetrari.*

Præterea, licèt quidem duæ qualitates, vel duæ formæ materiales non possint inter se penetrari, id tamen non prouenit ratione ipsarum formarum: si enim separarentur à materia & quantitate, penetrarentur inter se naturaliter, sicut & color videretur separatus à subiecto, vt cernitur in speciebus Sacramentalibus: miraculum ergo est quòd separentur à subiectis & quantitate, & separata conseruentur; nullum autem est miraculum, posita separatione, quòd penetrentur: ergo quantum est ex se, sunt formæ illæ penetrabiles, sicut & accidentia.

SECTIO

SECTIO II.

Conceptus corporeitatis non consistit in diuisibilitate integrali: & spiritualitatis in indiuisibilitate.

I. *Quarta sententia corporis rationem in diuisibilitate integrali.* QVarta sententia est P. Vasq. 1. p. d. 188. c. 7. n. 30. Granado 1. p. tract. 9. d. 3. sect. 3. Hurt. d. 2. de Anima, s. 3. præcipuè subs. 4. in noua editione, & aliorum, qui dicunt rationem corporis consistere in eo quòd res habeat aliquas partes integrales extensiuas; & è contrà, rationem spiritûs in earundem partium carentia. Argumenta huius sententiæ afferentur sect. sequente.

II. *Contrà, non est vnde multiplicitas partium obstet rei spirituali.* Impugnatur hæc sententia primò: non enim est ex quo capite repugnet res aliqua spiritualis quæ habeat in se diuersas partes integrales, ergo conceptus spiritualitatis non consistit in negatione partium integrantium. Dices; repugnare illius simplicitati. Contrà, non minùs repugnet simplicitati alicuius rei diuersitas partium secundùm intensionem, quàm secundùm extensionem: sed possunt res spirituales habere diuersas partes intensiuas, etiam iuxta auctores huius sententiæ; dicunt enim habitus naturales intendi, & remitti: item gratiam, habitus, & actus supernaturales docent communiter auctores intendi per additionem gradus ad gradum, ergo multiplicitas partium non obstat simplicitati rei spiritualis.

III. *Ostenditur diuersas partes extensiuas nō magis repugnare spiritui, quàm intensiuas.* Dices; intensionem qualitatis fieri in eadem parte subiecti, sicque arguere ex conceptu suo perfectionem, ac proinde stare potest cum perfectione rei spiritualis; extensio autem arguit imperfectionem: à re proinde spirituali penitus est ableganda. Contrà primò, multæ res spirituales sunt imperfectiores pluribus rebus materialibus, ergo non est cur illæ respuant diuisibilitatem, cùm hæc aliis rebus ipsis longè perfectioribus competat. Contrà secundò, extensio est aliqua perfectio, licèt non tanta quanta intensio; res enim magna, & extensa per diuersas partes sibi additas, habet plus virtutis post hanc additionem quàm antè, ergo cùm sit aliqua perfectio, non est cur spiritum dedeceat.

IV. *Extensio non magis arguit incompletionem, quàm intensio.* Dices; extensio arguit indigentiam & incompletionem. Contrà, sic etiam intensio, illa versus nouam partem spatij vel subiecti, hæc versus eandem. Deinde, est prædicatum in Deo, quod aliquo modo quasi correspondet extensioni rerum creatarum, nempe immensitas, quæ facit Deum præsentem, & aliquo modo diffusum per omne spatium, nullum tamen est in Deo prædicatum quod correspondeat partibus intensionis. Dices; non diffunditur Deus per diuersas partes, sicut cœlum, & res materiales, hoc enim esset contra simplicitatem spiritus. Contrà ergo tota ratio huius est diuersas illas, vt dixi, & realis distinctio partium quæ obstat simplicitati spiritûs in hac sententiâ, sed non minùs partes intensionis realiter distinguuntur quàm partes extensionis, ergo si hæ obstent simplicitati spiritûs, obstabunt etiam illæ, ergo &c.

V. *Compositio integralis in ordine ad tempus non repugnat spiritui, ergo nec in ordine ad locum.* Secundò impugnatur hæc sententia: Non minùs arguit imperfectionem, seu modum existendi imperfectum compositio integralis in ordine ad tempus, quàm in ordine ad locum: sed potest dari aliquid spirituale constans ex diuersis partibus integralibus secundùm spatium temporis, ergo & secundùm spatium loci. Maior videtur certa: si enim imperfectio sit ipsa distinctio partium, tam partes sunt distinctæ in ordine ad correspondendum diuersis partibus temporis, quàm loci: extensio etiam non est minor in vno quàm in alio, imò imperfectior in partibus quoad tempus, cùm minus perfectè inter se vniantur.

VI. *Extensio sola partiū quoad locū non magis facit molē, quàm extensio quoad tempus.* Dices; sola extensio partium secundum tempus non facit molem, sicque non repugnat spiritui. Contrà primò, nec sola extensio partium secundum locum facit molem; moles enim secundum communem conceptum omnium dicit impenetrabilitatem, ergo in hac potius quàm indiuisibilitate constituenda est ratio corporis. Contrà secundò, si moles dicat solam diuisibilitatem partium versus trinam dimensionem, longitudinem, scilicet, latitudinem, & profunditatem, ergo idem est facere molem, & habere partes hoc modo diuisibiles, ergo petitur in hac responsione principium, ideo enim respondetur non posse rem spiritualem habere partes quia faceret molem, & tamen idem planè est & re & ratione secundum hanc sententiam habere partes, & facere molem, ergo ideo formaliter dicunt non posse rem spiritualem habere partes quia non potest habere partes.

VII. *Posset Angelus mouere se in lineā per vbicationē diuisibilē.* Contrà tertiò: si sola moles seu trina dimensio obstet rei spirituali, quidni saltem dari poterit res aliqua spiritualis in vnâ tantum, vel duabus dimensionibus? vt si Angelus constitutus in puncto, aut lineâ, se moueat in lineam, vel superficiem, retinendo prius punctum aut lineam spatij, tunc quare non posset vbicatio illa esse diuisibilis secundùm diuersas partes? nec enim faceret molem. Ac proinde non tantæ molis est hæc solutio, vt nonnullis videtur. Sed de vbicatione Angelicâ plura postea.

VIII. *Ostenditur rem spiritualē habere diuersas partes successiuas.* Nunc ergo probatur minor primi syllogismi in argumento positi, nempe, posse dari rem spiritualem habentem diuersas partes correspondentes diuersis partibus temporis: primò enim admittitur à pluribus auctoribus huius sententiæ duratio distincta à re durante, quæ cùm sit essentialis correspondentia cum diuersis partibus temporis imaginarij, necessariò habere debet diuersas partes successiuas & fluentes, & consequenter componetur integraliter ex illis, & tamen iuxta aduersarios est spiritualis, ergo res spiritualis successiua componi potest integraliter ex diuersis partibus extensiuis: quidni ergo & res permanens? Secundò, admittunt posse dari lumen gloriæ transiens, seu fluens, & successiuum.

IX. *Sicut species materiales constant diuersis partibus in oculo, ita & species intelligibiles in intellectu.* Impugnatur eadem sententia tertiò: quando applicatur obiectum aliquod successiuè oculo, vt cùm quis aspicit solem, aut lunam orientem, vel prætersabentem fluuium, sicut species visiua illorum producitur successiuè in oculo, & actus phantasmatis in imaginatiuâ, ita & species intelligibilis eorundem in intellectu successiuè producetur, & actus similiter apprehensionis quæ tamen sunt spirituales: sicut enim apparet successiuè noua pars obiecti, ita & noua pars actûs illud repræsentans producitur, tam in oculo, quàm in intellectu & imaginatiuâ, nisi quis dicere velit singulis momentis perire totum actum, & alium totum emergere, vel simul manere infinitos actus & species totales in intellectu, & non vnum actum vel speciem totalem ex omnibus illis cōflatam: quod tamen gratis diceretur, & non vitatur petitio principij, cùm aliam illius causam reddere non possint, nisi quia res spiritualis non potest habere diuersas partes extensiuas, quod est in quæstione: Nec vlla apparet ratio, cur non æquè possit esse vna species ex omnibus illis conflata, ac tanta farrago specierum inter se discontinuarum, cùm continuatio addat aliquam perfectionem.

X. *Decimò, illæ partes speciei sūt intensiuæ, nō extensiuæ.* Respondere posset, nouas illas partes speciei intelligibilis, & actus intellectûs fore partes intensiuas, cùm recipiantur in eâdem parte subiecti. Contrà primò si hoc sufficiat ad intensionem, ergo nulla omninò potest esse pars extensiua speciei in intellectu,

lectu, vel animâ, imò nec speciei visibilis in oculo, cùm necessariò recipiantur omnes partes in eodem subiecto, nulla enim est pars oculi, quæ non recipiat partem speciei visibilis à singulis partibus obiecti.

Resp. esse extensiuam, cùm sint circa nouã partem obiecti.

Contrà secundò, noua pars intensiua speciei longè aliud munus habet, & ordinatur ad idem omninò obiectum, seu eandem eius partem clariùs videndã, non ad repræsentationem nouæ partis obiecti: sic enim est extensior solùm visio, seu intellectio, non intensior: nec enim intensiùs quis videt lunam, seu primam illius medietatem, postquam tota iam emersit supra horizontem, quàm dum media tantùm illa appareret. Vnde contrà tertio, secunda enim medietas, vel vltima quarta pars visionis, aut intellectionis correspondet præcisè vltimæ medietati, vel quartæ parti obiecti, non aliis, ergo non reddit visionem aut intellectionem magis intensam, sed solùm magis extensam.

SECTIO III.

Impugnatur vlteriùs sententia conceptum corporis statuens in diuisibilitate integrali.

I. *Angelus mouens se successiuè producit vbicationẽ spiritualem diuisibilem extensiuè.*

QVarto impugnatur prædicta sententia: Angelus secundùm omnes mouetur successiuè continuè, ergo terminum habere debet continuum & successiuum, motus enim nihil est aliud quàm productio vbicationis, quæ est illius terminus, ergo vbicatio hæc debet habere diuersas partes correspondentes diuersis partibus spatij & motûs, & tamen vbicatio Angelica est spiritualis iuxta aduersarios, ergo aliquid spirituale potest habere diuersas partes integrales extensiuas.

II. *Dicunt partes illas fuere solùm fluentes.*

Dices; partes illas esse fluentes, & solùm successiuas, nil autem contra naturam spiritûs habere huiusmodi partes. Contrà primò, non apparet cur potiùs conuenire possint rei spirituali partes fluentes, & successiuæ, quàm permanentes, cùm non minùs sint partes integrales & extensiuæ, quàm illæ, vt suprà diximus.

Ostenditur eas esse permanentes.

Contrà secundò, ponamus Angelum in mediâ parte gymnasij existentem; se successiuè extendere ad aliam mediam partem, retinendo adhuc vbicationem in præcedente, tunc non ita sunt successiuè partes huius vbicationis acquisitæ, quin maneant & constituant vnam vbicationem permanentem, ergo saltem in hoc casu vbicatio illa, quam tamen docent aduersarij omnes esse spiritualem, habebit diuersas partes extensiuas.

III. *Vbicatio, quam Angelus acquirit successiuè non potest esse indiuisibilis.*

Dices, non erit vbicatio illa diuisibilis, sed indiuisibilis, diffusa per totum spatium. Contrà primò, hoc enim nullo modo sustineri potest de vbicatione per motum acquisita. illa enim cum nouis semper, ac nouis correspondeat partibus spatij, omninò eadem esse non potest. Contrà secundò d. 13. Phys. s. 5. & 6. ostendi repugnare huiusmodi vbicationem vel vnionem indiuisibilem correspondentem spatio vel subiecto diuisibili, diuisibiliter existenti.

IV. *Si vbicatio animæ sit indiuisibilis sequitur animã ad aliquod spatium antecedere, vel subsequi corpus.*

Contrà tertiò, si vbicatio hæc sit indiuisibilis, sequeretur, animam præuertere, ad aliquod spatium, seu antecedere corpus, quando homo mouetur: dicunt enim auctores huius sententiæ nihil indiuisibile posse produci in tempore, & consequenter cùm vbicatio corporis sit diuisibilis, & producatur in tempore, vbicatio autem animæ indiuisibilis, & semper producatur in instante, sequitur, quando anima mouetur, & redditur præsens spatio nouo, corpus non moueri, & è contrà: ergo in instante A v. g. anima sit præsens spatio A, cui non sit tunc præsens corpus, ergo anima antevertit corpus, sicque ad aliquod spatium erit extra corpus, & Angelus intuitiuè videns hominem, videt animam ad spatium aliquod exiguum loci non vnitam corpori. Quod si admittatur, quidni ibi possit anima cognoscere res intuitiuè, cùm in illo spatio non alligetur corpori, nec ab eo vllo modo dependeat?

V. *Idem est argumentũ de vnione in nutritione hominis.*

Quartò, simile argumentum fit de Vnione spirituali, quam ponit P. Hurt. in homine, quæ videtur necessariò concedenda esse diuisibilis, & habere diuersas partes extensiuas, quando enim homo nutritur, anima extenditur, & vnitur nouæ parti materiæ, sed hoc fieri non potest per eandem vnionem, qua priùs vniebatur aliis partibus, sic enim mutaret essentiam, ergo debet esse noua, saltem partialis.

VI. *Cum homo nutritur vnio tũc acquisita debet esse diuisibilis.*

Dices; priori vnione deperditâ, emergit noua totalis, quâ vnitur anima & prioribus partibus & his denuò acquisitis. Contrà, quando nutritur homo, non potest eo instante quo acquiritur noua pars materiæ, deperdi vnio præcedens, ergo. Probatur antecedens, nutritio est actio vitalis, ergo pro aliquo priori vniri debet anima, quàm producat nutritionem, ergo in illo instante reali non potest perire illa vnio, & alia emergere; sic enim pro illo priori non esset anima vnita, & consequenter pro illo priori non esset homo, nec viuens seu principium vitale, sicque non esset nutritio, quæ, vt dixi, est actio vitalis; actio enim vitalis procedere nequit nisi à principio vitali.

VII. *Vna vnio in hac sententiâ ad nutritionẽ non sufficit.*

Dices: pro illo priori vnitur anima corpori per alteram vnionem materialem, & corpoream, quod sufficit ad nutritionem. Contrà: secundùm auctores illius sententiæ vna vnio non constituit viuens, seu principium vitale, sed nutritio est actio vitalis, ergo debet procedere à principio habente duplicem vnionem, ergo non potest illo instante mutari altera vnio, sic enim pro illo priori quo producit secundam, non haberet nisi vnam, cùm hæc secunda non possit præsupponi ad seipsam.

VIII. *Docet S. August. & S. Thomã rationem corporis statuere in diuisibilitate.*

Dices primò cum P. Hurt. citato; S. Thomam & S. Augustinum asserere rationem corporis consistere in diuisibilitate, seu compositione ex partibus integrantibus, & inde probant Deum non esse corpus. At mirum esset ita generatim loqui Sanctos hos Doctores, vt nihil velint esse corporeum, quod non constet partibus integrantibus, cùm manifestum sit, & ipse P. Hurtado cum aliis huius sententiæ auctoribus, fateatur S. Thomam statuere animas brutorũ indiuisibiles, quas tamen nullus vnquam affirmabat esse spirituales, sed omnes & ipse S. Thomas vbique asserit esse materiales, quia pendent ab hac nostrâ materiâ, & ex illius potentia generantur. Idem etiam clarissimè variis in locis docet S. Augustinus; ergo vniuersim non censent quicquid caret partibus, esse spirituale. Tantùm ergo negant, Deum esse instar rerum materialium, quæ hic oculis subijciuntur: eorum proinde auctoritas non contra nos, sed potiùs pro nobis facit, vt constat.

Satisfit auctoritati S. Aug. & S. Thomæ circa naturam corporis.

IX. *Falsò asseritur res omnes corporeas de facto esse diuisibiles, & spirituales indiuisibiles.*

Dices secundò; res omnes corporeæ quæ de facto sunt, sunt diuisibiles in partes extensiuas, & è contra res omnes spirituales indiuisibiles, ergo gratis asseritur esse possibile aliquid corporeum indiuisibile, & aliquid spirituale diuisibile. Resp. antecedẽs esse dubium: vnde enim ostẽditur vbicationẽ Angelicam, & vnionem spiritualem, quam ponunt hi auctores inter animam & corpus, nõ habere partes: certè clariùs multo intelligitur motus cõtinuus Angelorum dum se extendunt ad nouum spatium, & nutritio in homine, si statuantur diuisibiles extensiuè vbicatio & vnio. Deinde, puncta sunt indiuisibilia, & tamen quid corporeum. Prætereà, formæ perfectorum viuentium sunt indiuisibiles iuxta S. Augustinum & S. Thomam sequentes hac in parte opinionem

nionem Aristotelis;qui tamen omnes,vt dixi, vocãt semper has formas materiales, ergo res omnes corporeæ,quæ de facto sunt,non sunt diuisibiles,& res incorporeæ,seu spiritoales indiuisibiles.

X. *Ab existentibus non rectè arguitur ad possibilia.*

Deinde, admisso antecedente, negatur consequentia:sic enim plurimi,licèt dicant nullum de facto dari corpus nõ compositum ex materia & forma,asserunt tamẽ possibile esse corpus simplex.Item affirmãt multi possibilem esse creaturam quæ creet, posse aliquid permanens esse abæterno, & sexcẽta huiusmodi : imò pleraque ex his admittunt ij, qui hoc isthîc obiiciunt: ergo ab existentibus non rectè arguitur ad possibile.

SECTIO IV.

Vera sententia de conceptu Corporis & spiritus.

I. *Corpus physicum, & Mathematicum.*

NOtandum primò.Corpus diuidi à Philosophis in Physicum & Mathematicum.Corpus Physicum est vel aliquid constans ex materia & forma cum sua quãtitate,vt equus,leo,ignis,aqua, lignum: vel simplex, seu aliquid per se completum,non cõstãs materia & forma,quale in lib.de cœlo d.3.diximus probabilius videri de facto esse cœlũ. Corpus etiam physicum dicũtur materia & forma materialis. Corpus mathematicum est sola quantitas, ideo vocata corpus mathematicum, quòd mathematici illam solam abstractam à materia considerent in ordine ad suas dimensiones,& figuras,vt circulos,triãgulos &c.quos ipsi ex lineis & superficiebus ad finẽ sibi intentum imaginariè conficiunt.

Quid sit corpus mathematicũ.

II. *Non quidquid est corporeum est corpus.*

Notandum secundò,non quicquid est *corporeum*, esse *corpus*;nec quicquid est *spirituale spiritũ*,sed nomẽ corporis & spiritus præcipuis tãtùm in vtroque ordine tribui. Corpus ergo Mathematicum simpliciter sumptum sonat aliquid trinè dimensum, seu habens longitudinem latitudinem, & profunditatem. In physicis verò Corpus est,vel simplex illud de quo suprà,vel compositum aliquod completum,vel saltem illius partes:reliqua autem omnia quæ spectant ad prædicta,vocantur *corporea*,non *corpora*.

III. *Aliud etiã est spiritus, aliud res spiritualis.*

Spiritus etiam sumitur communiter pro re spirituali per se subsistente,vt est Deus, Angeli,& anima rationalis: reliqua verò dicuntur non *spiritus* absolutè & simpliciter, sed *res spirituales*; actus enim intellectus & voluntatis, species intelligibiles , vbicatio Angelica,vnio inter animam & corpus hominis, si sit spiritualis , non vocantur spiritus,sed spirituales. Non tamen hic ita rigorosè adhæremus huic acceptioni corporis: licèt enim Corpus perfectissimum substantialiter sit vel simplex illud,vel compositum ex materia & forma,in ratione tamen corporis formaliter potest quantitas , vel aliquid aliud esse corpus.Nec obstat quominùs eadem quantitas diuersimodè accepta, sit & Corpus mathematicũ, & physicum.His positis.

IV. *Res corporea in genere est, vel quantitas, vel quod cum quantitate connexum.*

Dicendum : rationem corporis seu rei corporeæ prout distinguitur à spiritu,esse vt vel sit quantitas, vel quid habens connexionem aliquam physicam cum illa, ita vt sine eâ existere connaturaliter nõ possit.Ratio huius est,quia hic conceptus competit omnibus & solis rebus corporeis,vt inductione cõstabit discurrenti ; primò enim competit materiæ & formæ materiali: item corpori completo, tam simplici quàm composito : omnibus item accidentibus ad illius complementum spectantibus,albedini scilicet,nigredini & reliquis coloribus, luci etiam, primis qualitatibus &c. præterea modis omnibus ad corporum completorum constitutionem & integritatem, siue substantialem,siue accidentalem spectãtibus:ac proinde nulla res est materialis,cui hæc cõnaturalis dependẽtia & physica cõnexio cum quantitate non competat.

SECTIO V.

Obiectiones contra nostram sententiam de Corpore & spiritu.

I. *Argumentum ex non apparentia implicãtiæ ductum ex non apparentia similis implicãtiæ retorquetur.*

OBijcies primò: non est euidens implicantia cur non possit dari vnio indiuisibilis subiectata in anima,& terminata ad corpus, ita vt tota sit in toto, & tota in qualibet illius parte, qualem de factu ponit P. Hurt.& P.Vasquez:sed hæc vnio esset spiritualis,res enim indiuisibilis educta ex potẽtia subiecti spiritualis,est spiritualis, ergo. Retorqueo argumentum,nõ est euidens implicãtia cur nõ possit dari vnio,vel forma indiuisibilis educta è potẽtia subiecti diuisibilis, quales de facto ait S.Augustinus & S.Thomas esse animas brutorum, talis autẽ vnio & forma esset corporea & materialis, vtpote educta è potentia materiæ, & subiecti quantitatiui,ergo conceptus rei spiritualis non consistit in indiuisibilitate. Quòd si dicas,hanc formam & vnionem fore spirituales, eodem modo dicam ego vnionem illam fore corpoream:sicut enim dependentia à materia & quantitate hic secundùm te non impedit rationem spiritus,ita indiuisibilitas , & eductio è subiecto spirituali non impediet ibi rationem corporis. Deinde d.13.Physi.sect.5. & 6.ostendi implicare eiusmodi vnionem.

II. *Tam in nostra sententia, quã in vlla alia assignatur vnus conceptus rei corporea.*

Obiicies secundò : assignari debet vna aliqua ratio in qua materia,quantitas, & accidentia materialia cõueniant, sed nulla est alia præter diuisibilitatẽ secũdùm partes integrales, ergo. Probatur minor, secundùm nostram sententiam ratio corporis debet vni conuenire primario, nempe quantitati, aliis solùm secundario,& in ordine ad illam. Cõtra,etiam in contraria sententia non conuenit eadem ratio corporis omnibus ; ratio enim quam assignant, est esse *diuisibile*, seu habere partes integrantes; sed pũctum non habet partes,nec est diuisibile,sed indiuisibile, ergo vna ratio non competit omnibus rebus corporeis, etiam in hac sententia.

III. *Sententia corpus statuens in diuisibilitate, non assignat vnum conceptum corporis.*

Dices;rationem corporis seu rei corporeæ esse vt constet partibus & punctis. Contra, punctum non constat partibus & punctis, & tamen est quid corporeum. Dices;saltem ordinari punctum ad constitutionem alicuius rei ex partibus & pũctis,hoc autem sufficit ad rationem rei corporeæ. Cõtra,ergo conceptus corporis nõ est vnus, vt contendunt aduersarij,sed debet sumi sub disiunctione, nempe vt corpus sit illud quod vel constat ex partibus,vel ad tale aliquid cõstituendum ordinatur,quod in re fatentur ipsi, nihil enim apud eos frequentius, quàm corpus esse omne id quod habet partes, vel *vt quod*, vel *vt quo*,ergo quoad hoc est par difficultas vtriusque sententię: nec magis est vna ratio quod habet partes *vt quod* vel *vt quo*, seu quod est diuisibile in partes,vel quod ordinatur ad aliquid hoc modo diuisibile cõstituendum, quàm est vna ratio *quantitas; vel quod ordinatur ad quantitatem*,seu aliquem ad eam dicit ordinem.

IV. *Ratio corporis non est ordinari ad constituendum vnum totum.*

Respondebis; posse abstrahi vnam rationem ab omnibus rebus corporeis,nempe ordinari essentialiter ad constituendum vnum totum,hæc autem ratio tam competit punctis,quàm partibus proportionalibus, cùm & hæ dicant essentialem ordinem ad puncta,vtpote sine quibus nullo modo esse possunt, neque hæc vicissim sine illis. Contra primò, nullus

hactenus rationem corporis hoc modo constituit. Contra secundò, probabile enim est, sicut datur punctum continuatiuum, seu quod petat vtrimque partes, & terminatiuum quod solùm petat eas ex vna parte, ita & posse dari punctum aliquod absolutum, & quod nullam requirat partem, quod & plurimi fatentur ex aduersariis, & in motu seu tempore reali non videtur negari posse.

V. *Sequeretur ipsa composita non esse corpora.*

Contra tertiò & præcipuè: ergo composita ipsa, vt homo, equus, leo &c. non sunt corpora, cùm non ordinentur essentialiter ad constituendum corpus; quod enim est corpus, nõ ordinatur essentialiter ad constituendum corpus; nec enim homo ordinatur essentialiter ad constituendum alium hominem, aut equus ad constituendum alium equum: imò repugnant huic conceptui. Tãdem ergo constituere debent conceptum corporis sub disiunctione, nempe vt illud sit res corporea, quod vel est diuisibile, seu corpus, vel ad illud constituendum ordinatur.

VI. *Sufficit quod assignetur conceptus aliquis rei corporea sub disiunctione.*

Ad argumentum ergo respondetur primò: non esse inconueniens vt ratio corporis latissimè sumpta, prout distinguitur à spiritu, & idẽ sonat ac corporeum, primariò competat vni, aliis secundariò. Secũdò dico: posse saltem sub disiunctione assignari vnam aliquam rationem, quæ modo etiã sibi proportionato, seu sub disiunctione conueniat omnibus inferioribus; quicquid enim est corporeum, vel est quantitas, vel cum ea habens connexionem. Tertiò dico: posse assignari rationem vnam simpliciter, nempe habere dependentiam in esse à quantitate. *Assignatur vnus conceptus corporis.* Quòd hæc ratio cõueniat aliis rebus corporeis non est dubium, quòd competat ipsi quantitati, in quo est difficultas, sic ostendo; nulla enim est pars quantitatis, quæ non sit quãtitas, cùm nulla sit pars quãtitatis vt vlna, palmus &c. quæ nõ habeat in se duas medietates, vel quatuor quartas partes à quibus dependeat, totum enim necessario pendet à suis partibus.

VII. *Optimè explicatur imperfectio corporis per dependentiam à quantitate.*

Obiicies tertiò: debere assignari aliquam rationem, in qua cernatur imperfectio, quam corpus ex conceptu suo dicit, & spiritus excludit; sed hæc imperfectio non potest esse alia, quàm compositio integralis, ergo. Nego minorem, primò, quia compositio integralis non est hæc imperfectio, cùm conueniat aliquibus rebus spiritualibus, tam secundùm partes extensiuas, quàm intensiuas vt ostensum est. Deinde, alia potest assignari ratio in quã consistat hæc imperfectio, nempe dependentia, vel connexio cum quantitate, ita vt sine ea connaturaliter existere non possit; per se enim loquendo quãtitas arguit in conceptu suo maiorem imperfectionem, cùm sit crassum quiddam, quàm vt habere diuersas partes: sub hoc enim conceptu præcipuè constituit quãtitas molem, quæ ex natura sua sonat quid crassum, & non subtile, instar spiritus.

VIII. *Dices, actio qua gratia obedientialiter educeretur è lapide dependeret à quantitate & tamen est spiritualis.*

Obiicies quartò: actio generatiua, quã secundùm probabilem sententiam de potentia obedientiali, gratia educeretur ex potentia lapidis, vel alterius subiecti materialis, est spiritualis; ergo potest aliquid spirituale habere necessariam connexionem cum re materiali, & quantitate. Resp. actionem illam fore materialem & corpoream. *Resp. actionem illam esse materialem.* Nec magis mirum est posse actionẽ materialem producere rem spiritualem, quàm posse actionem accidentalem (qualem contrariæ sententiæ auctores dicũt esse creationem Angeli, & alias actiones terminatas ad substantias) producere substãtiam, & actionem, quæ est modus, posse producere rem completam.

X. Vrgebis; ergo & actio naturalis producere poterit terminum supernaturalem. Nego consequentiam, nec magis sequitur hoc ex eo quòd actio materialis possit producere rem spiritualẽ quàm quòd actio accidentalis, seu quæ fit in substantia accidens, possit producere substantiam, aut actio modalis rem completam, & alia huiusmodi. Ratio ergo disparitatis est, quia cùm actio sit exercitium, & quasi applicatio virium agentis, si terminus supernaturalis produceretur per actionem naturalem, sequeretur, agens naturale applicare vires planè naturaliter ad terminum qui est supra vires eius naturales. *Quare actio naturalis producere nequeat terminum supernaturalem.*

SECTIO VI.

Aliæ obiectiones contra nostram sententiam de Corpore & Spiritu.

I. *Obii. actus intellectus, & voluntatis in via pendent à materia, & tamen sunt spirituales.*

OBiicies quintò: multæ operationes spirituales, vt intellectio & volitio in via petunt coniungi materiæ, postulant enim exerceri cum conuersione ad phantasmata, seu dependenter ab illis tanquam ab excitantibus. Resp. nullum actum intellectus vel voluntatis in via ita pendere à materia, vel quantitate, vt sine iis existere naturaliter non possit sicut enim anima ipsa potest naturaliter existere separata: ita & secum naturaliter fert, vt ait S. Thomas 1. p. q. 89 ar. 6. omnes suas species, & habitus spirituales, vtpote quæ non corrumpuntur: ac proinde docet idem S. Doctor animam separatam exercere planè similes operationes iis, quas exercebat in corpore. *Quomodo actus intellectus alicui potest independenter à quãtitate.* Qua de causa Caietanus ad illum articulum seriò omnes adhortatur ad studia literarum, quippe quorum fructus duret etiam post obitum, & futurus sit sempiternus. *Adhortatio Caietani.*

II. *Phantasma, non effectiuè, sed intentionaliter tantum concurrit ad speciem intelligibilem.*

Obiicies sextò: saltem actio quã phantasma producit species impressas in intellectu, existere nequit nisi dependenter ab ipso phantasmate, & consequẽter dependenter à materia & quantitate, à quibus phãtasma, vtpote sensus materialis, dependet; & tamẽ actio illa est spiritualis, cùm educatur adæquatè ex subiecto spirituali, nempe anima, ergo non omne quod pendet à quantitate, & existere non potest naturaliter sine illa, est materiale, & corporeum. Resp. iuxta probabilem multorum sententiam (de qua tamen postea) phantasma non concurrere effectiuè ad speciem intelligibilem producendam, sed solùm intentionaliter, seu excitando intellectum, & occasionem quasi præbendo ad speciei illius productionem.

III. *Visio intuitiua qua anima videt se vnitã corpori, est spiritualis.*

Obiicies septimò: actus intellectus quo anima Beatissimæ Virginis in cœlo intuitiuè se videt vnitã corpori, est spiritualis, & tamen habet cõnexionem intrinsecam cum quantitate, ergo per hanc connexionem non rectè explicatur natura rei corporeæ. Resp. facilè, connexionem hanc non esse physicam, imò nec propriè, & ex genere suo intrinsecam, sed extrinsecam & obiectiuam, quæ non est dependentia intrinseca. Vnde, si anima aliqua esset in duobus locis maximè disiũctis cœli Empyrei, & in vno tãtùm loco vnita corpori, posset in illo loco vbi non est vnita, habere hunc eũdem actum numero, quo intuitiuè videat se corpori, & consequenter quantitati vnitam: ergo hic actus non petit intrinsecam connexionem cum quantitate, cùm connaturaliter existere possit ei intrinsecè non vnita. Imò si anima in instante A eliciat actum quo se videt intuitiuè vnitam corpori in illo instante, & in instante B separaretur à corpore, & corpus vna cum quãtitate annihilaretur, posset adhuc continuare actum, & dicere, ego pro instante A sum vnita corpori, ergo hæc connexio non est intrinseca sed obiectiua & extrinseca, cum existere connaturaliter possit actus, etiam non existente quantitate, nec corpore. *Connexio, quã actus, ille intuitiuus habet cum corpore, & quãtitate, est tantum extrinseca.*

Obiicies octauò: creatio albedinis est materialis, IV

& ta-

Obii. creationem albedinis fore spiritualē.

& tamen non habet vllam dependentiam vel connexionem cum quantitate, aut materia: creatio enim est independentia à subiecto, vnde petit vt terminus ipsius nō insit subiecto. Resp. creationem non reddere terminum independentem à subiecto informationis, sed solùm sustentationis: quare licèt nō dependeat materialiter à subiecto albedo creata, petit tamen connaturaliter illud informare, seu ei inesse, cùm sit accidens, & consequenter res valde imperfecta. Sicut ergo materia, licèt creetur, petit tamen semper habere aliquam formam; ita & accidentia, & formæ materiales petunt semper connaturaliter inesse subiecto, quantumuis creentur.

Resp. esse materialē, & habere connexionē cum quantitate.

V. *Differentia inter animā rationalem, & accidēs creatum, in dependentia à subiecto.*

Anima verò rationalis non dicit necessariam cōnexionem cum materia, seu subiecto informationis, quia licèt sit quid incompletum, vtpote forma, non tamen tam strictum dicit ordinem ad suum subiectum, sicut accidēs *cuius esse est inesse*, estque ex natura sua *entis ens* munusque ipsius est vt sit ornatus quidam, & complementum substantiæ. At verò anima multas habet operationes independentes à corpore: ex quo fit, quòd possit naturaliter existere sine illo, præcipuè cum operationes illæ sint, per se loquendo, nobiliores iis, quas exercet in corpore.

VI. *Creatio illa albedinis dici possēt spiritualis.*

Secundò respondetur, creationem hanc, si reddat albedinem ita independentem ab omni connexione cum materia & quantitate, vt connaturaliter sine iis existere possit, fore spiritualem. Quod autem ex antiquis nullus hoc asseruerit, nil mirum, cùm hæc quæstio hoc solùm tempore exactè discuti cœperit. Ponenda itaque cuique sua sunt principia, iisque adhærendum, & cuncta cuique ad eam, quam statuit, normam reducenda.

VII. *Res quædā nec spirituales propriè, nec corporeæ, sed classis cuiusdam mediæ.*

Deinde, ponamus albedinem diuinitus creari per creationem indiuisibilē: si hæc creatio esset corporea, ergo res aliqua indiuisibilis erit corporea: si spiritualis, aliquid materiale seu corporeum potest produci per actionem spiritualem: si tandem dicatur hanc indiuisibilem creationem albedinis nec propriè fore spiritualem, nec corpoream, sed tertiæ cuiusdam classis, idem dicam de creatione illius diuisibili in nostra sententia, nempe, fore tertiæ illius classis & ætiel, quòd scilicet non habeat propriam & immediatam connexionem cum quantitate, sed remotam solùm, & impropriam, in quātum nimirum respicit talem entitatem immediate, quæ naturaliter existere non potest sine quantitate. Et ad hanc classem multæ aliæ res, de quibus est controuersia vtrū sint corporeæ an spirituales, reduci possunt.

VIII. *Quomodo vbicatio corporis Christi in Euchari-stia sit cor-porea.*

Obiicies nonò: vbicatio corporis Christi in Eucharistia est materialis & corporea, & tamen non est impenetrabilis, cùm per se non petat cōiunctionē cū quantitate & speciebus, ergo. Resp. primò, multos affirmare vbicationem illam esse spiritualem, vel saltem erit tertiæ illius classis; quam suprà posui. Deinde, ponamus statui hoc modo corpus Christi in Eucharistia per vbicationem indiuisibilem, saltem creatam, quam non est cur negent aduersarij esse supernaturaliter possibilem, cùm huiusmodi admittant naturaliter inter animam & corpus in homine: quæro vtrùm hæc vbicatio esset spiritualis, an corporea? dicere necessariò debent in suis principiis fore spiritualem, vel saltem mediæ illius classis: quidni ergo & nos idem dicamus in nostris?

IX. *Vbicatio illa corporis Christi dicit ordinem ad quantitatē.*

Resp. secundò, non statuere me rationem corporeitatis in impenetrabilitate, sed in ordine ad quantitatem. Cùm ergo hæc vbicatio sit vel modus ipsius quantitatis, vel saltem illius quod eam petit naturaliter, nempe materiæ, quæ postulat quantitatem, vbicatio sacramentalis corporis Christi dicit aliquo modo ordinem ad quantitatem, sicque erit corporea, idque siue vbicatio sit modus siue qualitas absoluta.

X. *Dos subtilitatis est corporea.*

Obiicies decimò: dos subtilitatis in corporibus Beatorum est corporea, & tamen non reddit corpus illud impenetrabile, sed potiùs contrarium, cùm per donum illud corpora Beatorum penetrentur cum rebus quibusque durissimis, ergo &c. Resp. eodem modo quo difficultati præcedenti, nos non statuere rationem corporis in impenetrabilitate, sed in dependentia, & connexione cum quantitate: dos autem subtilitatis habet hanc dependentiam & connexionem cum quantitate, ergo est corporea.

XI. *An dos subtilitatis distinguatur à corporibus beatorum.*

Secundò resp. cum P. Suarez To. 2. in 3. p. d. 48. sect. 5. dotem subtilitatis nō esse æqualitatem aliquā distinctā ab ipsis corporibus beatorū: nec enim videtur possibilis qualitas quæ reddat duo corpora apta inter se penetrari, & esse in eodē loco, magis quā qualitas quæ reddat calorem & frigus apta vt sint simul in eodem subiecto in gradibus intensis.

XII. *In quo consistat dos subtilitatis.*

Est ergo dos subtilitatis in corporibus beatorum assistentia extrinseca Dei, simul cum potentia obediētiali ex parte ipsorum corporum, quâ vult Deus concurrere cum iis ad penetrādum cœlum, terram, elementa, aliaque huiusmodi. Quod exinde suadetur: dicunt enim Theologi communiter cum S. Thoma, non posse vnum corpus gloriosum penetrari cum alio corpore glorioso, nec vnam partem eiusdem corporis cum alia, quod probabiliter ostēdit hanc subtilitatem non consistere in qualitate aliqua, sed in sola voluntate Dei, cum potentia obedientiali ex parte ipsorum corporum, qua vult Deus vt cum his rebus penetrentur, non cum aliis. Plura afferri possent contra nostram sententiam, sed quæ ex iactis iam fundamentis solutionem admittant non difficilem.

DISPVTATIO VIII.

De diuisibilitate & indiuisibilitate formarum materialium.

SECTIO PRIMA.

Suntne formæ materiales perfectorum viuentium diuisibiles.

I. *Formas plantarum, & imperfectorum animaliū esse diuisibiles.*

INprimis, animas plantarum, & imperfectorum animalium, vt lacertæ, vermis, & huiusmodi aliorum, esse diuisibiles & componi ex partibus integrantibus videtur per se manifestum, siquid tribuendum sit experientiæ: videmus enim vermes in duas partes sectos diu viuere & sentire, surculos etiam plātarum & arborum abscissos & alibi vel terræ, vel trunco alterius arboris, insertos germinare & crescere, quæ fieri non possunt, nisi vel anima, tā vermis quàm plantæ sit in duobus locis discōtinuis, vel dicatur Deum producere in altera parte nouam animam, imò in vtràque, cùm in verme non sit maior ratio cur prior anima informet vnam partem, quàm aliam. Imò eâdem ratione dicere quis posset

sempes diuiso ligno, vel aqua, produci in vtrâque, vel altera parte nouam formam, & alia etiam accidentia, cùm tot signa hic sint nouæ formæ, ac in verme.

II. *In quo sita sit præsens controuersia.* Quæstio ergo procedit de formis perfectorum animalium, vt equi, leonis, aquilæ, &c. vtrùm scilicet constent ex partibus integrantibus, ita nimirum vt pars formæ correspondeat parti materiæ, vel vtrùm tota anima sit in tota materia, & tota in qualibet illius parte, eo modo quo anima rationalis correspõdet corpori, & Angelus loco.

III. *Prima sententia animas brutorum ponit diuisibiles.* Prima sententia affirmat animas perfectorum animalium esse diuisibiles. Ita Scotus in 4. d. 44. q. 5. a. 1. Durand. in 1. d. 8. q. 3 n. 10. Capreol. in 2. d. 15. q. 1. ad vltimum. Iandunus 2. de Anima, q. 6. Marsil. l. de Gen. q. 10. Tolet. hic, l. 2. c. 2. q. 5. Ruuius hic l. 2. q. 3. n. 189 Pererius l. 6. suæ Philos. c. 3. Murcia l. 2. d. 5. q. 4. 5. *Dicendum*, P. Hurt. hic d. 2. s. 4. P. Arriaga hic d. 5. s. 6. P. Ouiedo hic Contr. 5. p. 6. p. 5. & ex recentioribus non pauci.

IV. *Secunda sententia asserit eas esse indiuisibiles.* Secunda sententia è contra asserit animas perfectorum animalium esse indiuisibiles. Ita S. Thomas 1. p. q. 76. a. 8. corp. post mediũ: & in quæst. de spis. creat. a. 4. & q. de Anima a. 2 & 2. cont. Gent. c. 72. circa medium. Denique tam clara est Doctoris Angelici mens hac in parte, vt Ruuius citatus, licèt maximè cupiat eum in contrariam sententiam explicatione aliqua attrahere, tandem tamen nu. 128. fateatur id fieri non posse Magistrum suum sequitur nobilis Schola Thomistarum, Caiet. 1. p. q. 76. a. 8 Ferrar. Bannez 1. de Gen. c. 5. q. 5 & 1 p q. 76. art. 8. d. 2. Io. à S. Thoma hic q. 2. a. 1. Complut. hic d. 5. & alij. Idem tenet Albet. Magn. l. 1. de Anima. c. vlt. & l. 2. c. 7. Alensis 7. Met. ad text. 59. S. Bonau. in 1. d. 8. 2. p. dist. qu. 3. Conimb. hic l. 2. c. 1. qu. 8. a. 3. initio, Suar. l. 1. de Ani. c. 13. n. 7. & alij.

V. *Quòd abscisso capite moriatur animal, non infertur animã eius esse indiuisibilem.* Probant aliqui: experientia enim, inquiunt, cõstat in perfectis animalibus præciso capite, aut corde euulso, statim animal illud perire, ergo illius anima est indiuisibilis. Primò aliqui negant antecedens, cùm in variis historiis referatur animalia quædam præciso capite, & euulsis etiam visceribus, ad breue tempus ambulasse: refert enim Aristoteles arietem abscisso capite, & Galenus victimas earis extractis, aliquantulum ambulasse. Quidquid ergo sit de antecedente, negatur consequentia; hoc enim nõ ex eo prouenit quòd illorum formæ sint indiuisibiles, sed quòd in suo esse dependeant à tali partium cõsensione: sicut ignis in sententia ponente in eo minimum naturale, petit tot partes, seu tantam quantitatem vt existat. Quod idem etiam cernitur in insectis, quæ in partes tam exiguas diuidi possunt, vt vitam non retineant, sicut nec retineret lacerta si in longum per medium diuideretur.

VI. *Quòd equus tactus moueat totũ corpus, non arguit indiuisibilitatem.* Probant alij secundò: equus in quacunque parte corporis tangatur, mouet totum corpus, ergo illius anima est indiuisibilis. Contra, sic vermis & lacerta, in quacunque parte corporis tangantur, mouent totum corpus, & tamen eorum animæ non sunt indiuisibiles. Ratio ergo huius est, vel naturalis sympathia inter illas partes, vel quòd pars tacta traiiciat species velocissimè in cerebrum, aut aliam partem animæ, in qua residet potentia cognoscitiua & appetitiua, & hoc modo excitatur, vel imperatur ab illa motus. Aliqui autem & probabilier, volunt illam partem in insectis, esse spinam dorsi, cùm maneat in istis vis cognoscitiua, & appetitiua, etiã post sectionem in varias partes: in his enim sedes vitæ est spina dorsi, sicut cor aut cerebrum in homine, equo, & aliis animalibus perfectis. *Spina dorsi sedes vitæ in insectis.*

VII. Probant tertiò: si equus alterum pedem imponat rei solidæ, alterum molli, vt si eum infigat luto, discernet inter vnam & alteram, ergo anima illius est indiuisibilis, cùm ad discernendum inter duo requiratur vt vtrumque percipiatur ab eodem principio. Contrà, idem contingit in verme & aliis insectis. Resp. ergo eodem modo quo obiectioni præcedenti, nempe ab vtroque pede traiici species ad potentiam cognoscitiuam in equo, & illam isthæc discernere. *Quomodo forma equi discernat inter durũ & molle.*

VIII. *Quomodo etiã discernat inter duo obiecta loco dissita.* Quòd verò vrgeri in hac difficultate posset, species vtriusque obiecti esse in eadem parte potentiæ cognoscitiuæ, & consequenter non posse equum cognoscere vtrùm species obiecti mollis proueniat à dextro pede, an à sinistro. Resp. species non esse repræsentatiuas obiecti quomodocũque, sed obiecti in tali loco: sicut oculus non solùm videt lucem & colorem nudè, sed vt modificata tali vel tali distãtia, seu vt in tali vel tali loco, & consequenter potẽtia cognoscitiua seu phantasia, vel imaginatiua equi, cognoscit obiectum illud vt applicatum illi vel illi pedi. Adde, probabile esse, in aliquibus animalibus, præsertim in insectis, potentiam cognoscitiuam dispergi per totum corpus, vt dictum est supra, nu. 6. cùm partes minimæ, etiam separatæ fugiant quasi & vitent contactum.

IX. *Probatur ex Aristo animas perfectorum viuentium esse indiuisibiles.* Efficaciùs ergo probatur, primò ex Aristotele de iuuentute & senectute, c. 1. vbi postquàm de animalibus imperfectis dixerat esse quasi multa animalia natura cohærentia, subdit, *at quæ sunt optimè constituta, haudquaquam viuere dissecta queunt, quòd eorum natura quàm maximè potest, vna habeatur.* At non esset eorum natura quàm maximè potest, vna, nisi forma eorum, seu anima foret indiuisibilis, in eorum maximè sententia, qui animas materiales indiuisibiles admittunt esse possibiles, ergo.

X. *Hoc dictum non probat animalia perfecta esse indiuisibilia quoad materiam.* Dices; si hæc ratio desumpta ex verbis Aristotelis quidquam probat, probat equum, non solùm quoad formam, sed etiam quoad materiam, esse indiuisibilem: ait enim Aristoteles horum animalium naturam maximè vnam, quæ potest esse, sed non repugnat natura seu compositum materiale indiuisibile, tam quoad materiam, quàm quoad formam, ergo equus esse debet huiusmodi, cùm habere naturam debeat maximè vnam, quæ potest esse. Resp. negando sequelam: ad probationem distinguo maiorem; ait Aristoteles horum naturam esse maximè vnam, quæ potest esse absolutè & simpliciter, nego maiorem; quæ potest esse in his circumstantiis, & saluis experientiis, quas habemus de hisce animalibus, cõcedo: experientia autem quotidiana docet hæc animalia secũdùm materiam diuidi; nulla autem est experientia quæ probet animalia perfecta diuidi quoad formam.

XI. *In anima equi nullũ est vestigiũ diuisibilitatis.* Probatur secundò: sicut non sunt multiplicanda entia totalia sine necessitate, ita nec partialia, sed hîc nulla est necessitas, ergo. Confirmatur, eodem modo videmus omnia contingere in his animalibus, & in homine quoad mortem, & diuisionem partium; ergo sicut in homine statuitus anima indiuisibilis spiritualis, ita in his anima indiuisibilis materialis, cùm nullum sit in iis vestigium diuisibilitatis. Confirmatur secundò, nihil est cur nõ sint indiuisibiles, ergo. Antecedens probatur, nec enim quòd animæ insectorum sint diuisibiles, sequitur animas perfectorum animalium similiter esse diuisibiles, cùm, vt dixi, non sint eædem experientiæ de his ac de illis, nec quidquam aliud est quod huic indiuisibilitati obstet. Hæc meo iudicio tam efficacia sunt ad probandum indiuisibilitatem harum formarum, ac quidquam fermè quod affertur ad probandum earum diuisibilitatem, vt in sequentibus videbimus.

SECTIO II.

Argumenta contendentia animas perfectorum viuentium non esse indiuisibiles.

I. *Licèt quorundam animæ sint indiuisibiles, non sequitur omnes esse.*

ARguitur primò: hinc sequi, formam serpentis fore indiuisibilem; illa enim, & multæ aliæ formæ animalium, quæ vocantur imperfecta, excedunt in perfectione formam muris, vel talpæ. Contra, sic etiam excedunt in perfectione vbicationem Angelicam, vel speciem intelligibilem muscæ, negationis, aut Chimæræ; & tamen hæ species sunt indiuisibiles iuxta P. Hurtado. Resp. itaque, non ex perfectione desumi ad hoc argumentum, sed quia videmus manifesta experientia posse illas formas perstare diuisas, quod non videmus in formis animalium perfectorum.

II. *Potentia brutorum, si distinguantur, statui possunt indiuisibiles.*

Arguitur secundò: omnes potentiæ brutorum sunt diuisibiles, ergo & formæ ad quas sequuntur. Confirmatur, operationes eorum sunt diuisibiles, ergo & potentiæ & formæ. Ad argumentum negari potest antecedens, præsertim si recipiantur potentiæ in ipsa forma quæ est indiuisibilis. Deinde, plurimi asserunt potẽtias materiales in homine esse diuisibiles, licèt anima, ad quam sequuntur, sit indiuisibilis.

III. In confirmatione maior est difficultas. Resp. ergo, non præcisè repugnare actiones illas materiales esse indiuisibiles quia sunt materiales, nec enim hoc nomine maior est ratio de illis, quàm de forma ipsa. Dices; subiectantur actus in animabus, subiectis indiuisibilibus, ergo sunt indiuisibiles. Primò antecedens est dubium, nam dicunt aliqui, & est opinio ipsius P. Hurtado, actus materiales in homine subiectari in sola materia, non in anima, ne quidem partialiter, quidni ergo & in equo idem posset contingere? Secundò, admisso quòd actus materiales brutorum subiectentur in eorum animabus indiuisibilibus, non sequitur eos esse indiuisibiles: dicunt enim multi actus materiales in homine subiectari saltem partialiter, in anima, quæ tamẽ est indiuisibilis, & spiritualis, & consequenter subiectum magis improportionatum, quàm forma equi respectu suorũ actuum, licèt concederetur eos esse diuisibiles.

Actus diuisibiles subiectari potest in potentia indiuisibili.

IV. *Argumentum de superfluitate.*

Arguitur tertiò: nos suprà partes viuentium statuimus heterogeneas ob superfluitatem quæ alioqui in iis inueniretur: sed hic etiam esset superfluitas, ergo. Contrà, multi ex auctoribus negantibus formas materiales perfectorum viuẽtium esse de facto indiuisibiles, admittunt tamen huiusmodi formas esse possibiles, ergo nulla est in his superfluitas, quæ non esset in illis. Huiusmodi ergo superfluitatem non abhorret natura cùm talis secundum omnes detur iam in anima rationali. At si in aure constitueretur virtus videndi, in pede audiendi &c. imprimis esset superfluitatem constituere sine vllo exemplo. Deinde, posset eodem modo dici in vite esse virtutem producendi rosas, aut aliud, imò omne genus florum, & fructus, vt suprà est latiùs declaratum.

Non omnẽ superfluitatem abhorret natura.

V. *Potest forma indiuisibilis naturaliter acquirere nouum locũ, retento adhuc priori.*

Arguit quartò P. Arriaga hic d. 1. s. 4. n. 150. Nullam rem materialem videmus posse naturaliter acquirere nouum locum, etiam proximum, nisi amittat locum præcedentem, ergo non est cur huiusmodi virtus concedatur formis animalium perfectorũ. Contrà primò, possibilis est secundùm ipsum forma materialis indiuisibilis, illa autem naturaliter acquireret nouum locum, non amittendo priorem, quid ergo vetat formam leonis, aut equi, de facto esse huiusmodi? Contrà secundò, secundùm communem philosophorum sententiam de rarefactione, vt supra vidimus d. 11. Gen. sec. 4. nu. t. in rarefactione aquæ ex. gr. singulæ illius partes extenduntur ad nouum locum inadæquatum, retento ex parte priori: quid ergo mirũ si simile quiddam concedatur formis perfectorum viuentium?

SECTIO III.

Argumenta alia contra indiuisibilitatem formarum perfectorum viuentium.

I. *Argumentũ ductum ex nutritione.*

ARguitur quintò: quando equus primò nutritur, & producit nouam partem vnionis in noua parte materiæ, sequeretur, actionem illam procedere sine principio sufficiẽte. Quæro enim à quo procedat illa noua causalitas in nouam partem vnionis? Dices; à forma, seu viuente prius natura existente ad illam nutritionem. Contra, viuens illud, equus ex. gr. erat immediatè antè in minimo naturali, sed partes illius minimi naturalis minuuntur per decretionem, dum equus acquirit nouas partes, (*omne enim agens agendo repatitur*) ergo non sunt principium sufficiens illius nouæ operationis, seu nutritionis, cùm prius sit habere sufficientia ad existendum, quàm ad operandum, nihil autem potest existere in parte minore minimo naturali.

II. *Deus res conseruat ad exigentiam causarum naturalium.*

Dices secundò; Deum conseruare formas semel productas. Contrà, Deus nullam formam conseruat nisi ad exigentiam dispositionum, & aliorum requisitorum ex parte formæ conseruandæ: si ergo desit aliquid ex parte ipsius, Deus vt auctor naturæ non potest illam conseruare, sicut nec naturaliter cõseruere potest equum vel hominem sine capite.

III. *Illud argumentum perinde vrget si hæ formæ sint diuisibiles.*

Contra, hoc argumentum æquè vrget, siue forma sit indiuisibilis, siue non, nam minimum illud naturale æquè diminuitur dum nouam partem formæ sibi aggenerat, ac dum acquirit solùm nouam partẽ vnionis; ergo nihil peculiare cõtinet hæc difficultas contra indiuisibilitatem formarum, quod non debeat solui in omni sententia.

IV. *Viuens in minore quãtitate potest conseruari, quã primò produci.*

Resp. itaque posse viuens conseruari in minori quantitate quàm possit primò produci, nec tot ac tam perfecta organa requirit via conseruationis, atque primæ productionis, vt omnes fatentur. Confirmatur, nam secundùm omnes potest forma conseruari cum imperfectioribus dispositionibus, quàm possit primò produci, ergo & in minori quantitate; quæ enim maior ratio vnius quàm alterius. Secundò dico: licèt in viuentibus requiratur minimum (id est talis quantitas, vt in minori produci primò viuẽs naturaliter non possit) probabile tamen est vix vnquam cõtingere vt viuens in illa minima quantitate producatur, cùm videamus animalia eiusdem speciei, equos ex. gr. non nasci semper in eadem magnitudine, seu mole quantitatis, sed aliquos in maiori, aliquos in minori, ergo etiam primò concipiuntur in quantitate inæquali, ergo licet deperdantur aliquæ partes dum aliæ acquiruntur, adhuc manet principium sufficiens nutritionis. In hoc tamen sensu producuntur semper viuentia in minimo naturali, id est, requirunt tot partes heterogeneas, vt cor, cerebrum &c. sine quibus produci primò non possunt, licèt hæ partes in magnitudine patiantur aliquam latitudinem.

V. *Proles, dum nutritur, nõ semper aliquid prioris quãtitatis deperdat.*

Tertiò dici posset, quãdo primò producitur proles, fuisse plus materiæ in proxima dispositione ad recipiẽdum formam illius viuentis, & consequẽter potuit facilè nutriri absque eo quòd quidquam materiæ, pro tam paruo saltem tempore, deperdat. Quartò tandem, mihi videtur probabile (estque declaratio præcedentis solutionis) prolem, dum in vtero matris est, sugere totum, vel penè totum alimẽ-

tum à matre cui per vmbilicum iungitur, eo ferè modo, quo surculus vnius arboris insitus trunco alterius ab eo nutrimentum haurit: cuius indicium est, quòd parturientes longè magis egeant cibo, quàm aliæ fœminæ. Mater ergo disponit alimentum penè proximè, & consequenter facilè illud conuertit proles in suam substantiam, sicque toto tempore quo est in vtero materno, potest semper augeri sine vlla ferè diminutione.

Mater parturiens materiam disponit pro fœtu.

VI. Arguitur sextò: Formæ omnes materiales educuntur ex potentia materiæ, & dependent materialiter ab illa, ergo non possunt esse indiuisibiles. Antecedens conceditur ab omnibus, consequentia probatur; hinc enim sequeretur, dari plures causas totales, & adæquatas eiusdem effectus: sequela probatur, singulæ partes materiæ influunt in totam illam formam, ergo singulæ partes sunt causa illius adæquata.

Obis eiusdem rei fore simul plures causas totales.

VII. Dices; omnes quidem partes concurrere ad productionem & conseruationem illius formæ, non tamen singulas vt causam adæquatam, sed partialem; vnde attemperare possunt suum influxum, & constituere vnam causam adæquatam & totalem, sicut plures partes alicuius causæ efficientis simul concurrunt vt vna causa adæquata ad eundem effectum. Contrà, vbicunque est res aliqua creata, debet habere actionem sui completè conseruatiuam, vt ostendi in libris de Gen. d. 3. s. 4. n. 1. & 2. & d. 35. Phys. s. 8. vbicunque enim est, debet habere omnia requisita ad existendum; vnum autem ex requisitis est actio cõseruatiua, vel productiua, ergo in omni parte materiæ habet actionem adæquatam, ergo dantur plures actiones & causæ adæquatæ illius effectus.

Ostenditur non posse partes materiæ hoc cõcurrere vt causas partiales.

VIII. Dices; actionem etiam esse indiuisibilem, sicut formam, & vna cum illa extendi, sicque vbicunque est, habet actionem adæquatam, non tamen diuersam, sed eandem, sicque vitatur inconueniens, iam enim non sunt duæ actiones totales, sed vnica. Sed contra, licèt enim hoc verum sit de actione conseruatiua animæ rationalis, quæ est creatio, nullo modo tamen dici potest de actione productiua, vel cõseruatiua formæ materialis indiuisibilis, est enim actio eductiua, seu passio, passio autem & influxus materialis necessario debet esse per intimam præsẽtiam, vt diximus in Physicis, tum quia per passionẽ subiectum mutatur, tum quia passio est modus intrinsecus, tam subiecti, quàm termini, ergo non potest vllibi esse, quin ibidem sit totum subiectum, alioqui non haberet vbique eandem essentiam, vt latè ostendi d. 13. Phys. s. 5. n. 6. & sequentibus.

Actio creatiua potest esse indiuisibilis, non actio eductiua ex subiecto diuisibili.

IX. Hinc patet, latam hac in parte esse disparitatem inter causam efficientem & materialem: causa enim efficiens non operatur cum intrinseca mutatione sui, sicut operatur materialis; vnde sufficit quod secundùm aliquã partem sui tangat passum; at causa materialis, vt diximus, concurrit cum intrinseca mutatione sui. Si autem exemplum de causa efficiente quidquam efficeret, probaret, licèt anima equi esset solùm in pede, posse tamen materiam capitis, & reliquarum omnium partium corporis ad eam materialiter concurrere, quod tamen nullo modo est cõcedendum.

Diuersitas in operando inter causam materialem, & efficientem.

X. Hoc argumentum adhuc fortius vrgetur in nutritione equi, aut leonis, vbi acquiritur noua pars animæ, & adiungitur præcedenti, ergo anima equi est diuisibilis. Dices; extẽdi solùm priorem animam ad nouam partem materiæ, vt contingit in anima rationali. Contra, anima rationalis non pendet omnino à materia; formæ autem brutorum ab ea pendent: cùm ergo dependeat forma equi à noua parte materiæ, & non desinat pendere à prioribus partibus, à quibus dependebat adæquatè, iam vel dabitur duplex actio totalis, vel saltem vna totalis, & alia partialis, quod similiter non debet concedi.

Dices, in nutritione equi acquiritur noua pars formæ, ergo est diuisibilis.

Hoc est præcipuum fundamentum, quo nituntur aliqui ad probandum formas animalium perfectorum non esse indiuisibiles, qua de causa latius illud cum tota sua probabilitate proposui: existimo tamẽ, si quis accuratè rẽ perpendat, facilè solui posse. XI.

Ad argumentum ergo supra positum maximè n. 10. in replica de nutritione, quam putãt habere maximam vim, Respondeo, in eo casu esse nouam actionem partialem eductiuam procedentem à noua illa parte materiæ, cui iam de nouo inest forma: manet nihilominus prior actio totalis, nec enim est cur non possit dari huiusmodi duplex actio in hoc casu propterea enim solùm repugnant duæ actiones totales, vel vna totalis & alia partialis, vt in Physicis diximus, quia altera esset superflua; hic autem noua illa partialis actio adueniens non esset superflua, nec enim formæ illi accederet in eadem parte materiæ, sed in diuersa, & redderet eam aptam informare aliam partem materiæ, sicque deseruiret diuerso muneri ab actione præcedente, quod sufficit vt non sit superflua. Sicut repugnat naturaliter eidem rei duplex vnio, & vbicatio totalis, vel partialis in eodem loco, & eadem parte materiæ, non tamen in diuerso loco, & diuersa parte, vt cõstat in Angelo & anima rationali, respectu spatij, & corporis. XII.

Non semper est superflua naturaliter vna actio totalis, & alia partialis.

Eodem modo respondeo ad id quod ponebatur n. 6. de prima productione formæ materialis indiuisibilis in parte diuisibili materiæ: dico enim actionẽ illam constari ex pluribus partialibus, seu diuersis partibus eiusdem actionis, quarum singulæ nõ proueniunt ab omnibus partibus materiæ, sed quæque ab illa sola, quam afficit. Nulla autem ex his partibus sufficeret sola ad formam illam conseruandam, sufficit tamen simul cum reliquis. Aptius proinde hæ actiones vocantur partiales, quàm totales. Et quoad hoc eadem planè est difficultas de pluribus partibus inter se vnitis, quibus producuntur diuersæ partes formæ diuisibilis. XIII.

Actio, qua primo producitur forma materialis indiuisibilis, est diuisibilis.

Obiicies septimò: hinc sequi, formam equi, leonis, aut cerui mutare subiectum; post multum enim temporis tota prior materia deperditur, & acquiritur tota noua, videtur autem inconueniens quòd forma materialis mutet subiectum, & contra commune illud Philosophorum dictum, *non posse aliquid migrare de subiecto in subiectum*. Resp. dictum illud nõ esse ita vniuersale, vt hic ponitur, sed solùm dicitur *accidens non migrare de subiecto in subiectum*, hoc autem nihil facit contra formas substantiales. Addo vlterius etiam accidens posse mutare subiectum, & migrare de vno in aliud, quantum est ex se, & nisi aliud obstaret: quod enim maius inconueniens quod effectus aliquis mutet causam materialem quàm efficientem? quod tamen sæpe videmus contingere, calor enim productus ab igne, potest naturaliter conseruari à luce, sole, vel Deo. XIV.

Forma materialis indiuisibilis potest successiuè mutare totum suum subiectum.

Vnde, si posset vno momento subrogari alia causa materialis, capax illorum accidentium, sicut subrogari potest causa efficiens, non video cur accidẽtia aliqua non possent migrare de vno subiecto in aliud. Naturaliter tamen hoc non potest contingere, cùm duæ partes materiæ, quarum singulis correspondet sua pars quantitatis, inter se penetrari non possint. Si ergo Deus conseruare inter se penetratas vellet duas materias, quarum altera informaretur octo gradibus caloris, & forma ignis, altera nullum haberet accidens, nec formam substantialem, si Deus in instante subtraheret concursum à materia hoc modo informata, posset alia materia sustentare naturaliter accidẽtia illa, & formam, sicque possent accidentia, & forma illa substantialis mutare subiectũ. XV.

Accidens etiã in casu aliquo particulari posset mutare subiectum.

Ego,

XVI. *Probabilius videtur formas materiales brutorum esse diuisibiles.* Ego, vt quid hac in re sentiam, aperiam, magis in eam sententiam inclino, quæ formas materiales perfectorum viuentium asserit esse diuisibiles, & ex partibus integrantibus compositas: tum quia est longè communior hodie opinio; tum quia rationes pro ea allatæ, licèt nulla conuincat, videntur tamen aliquantulum efficaciores. Ob auctoritatem tamen tantorum virorum existimo contrariam opinionem esse valde probabilem.

DISPVTATIO IX.

De Anima Rationali secundum se.

LIcèt hic liber peculiariter de Anima Rationali instituatur, illiusque præcipuè notitiam spectet, cùm tamen anima rationalis multa habeat cum animabus aliis communia, vt vegetationem, sensationes &c. (vnde ipse Aristoteles hic tribus primis capitibus de sensibus exterois & internis disputationem instituit) de anima etiam vegetatiua & sensitiua nonnulla subinde necessariò erunt intermiscenda, vtpote quæ ad animæ etiam rationalis notitiam conferunt.

SECTIO PRIMA.

Sitne Anima Rationalis spiritualis, & indiuisibilis.

I. *Spiritus subinde variè sumitur.* SPiritus variè sumitur: nonnunquam pro vento, vt Gen. 8. v. 1. *adduxit spiritum super terram, & imminuta sunt aquæ:* aliquando pro anima sensitiuà, vt Ecclesiastici 3. v. 21. *quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Subinde pro humore quodam corporis, vt Prou. 17. v. 22. *spiritus tristis exsiccat ossa,* vbi per spiritū tristem intelligitur humor melancholicus.

II. *Spiritum hic, & spiritualē propriè sumimus.* Strictè hic & propriè spiritum sumimus, prout distinguitur à rebus materialibus, & sicut variis locis Scripturæ accipitur, vbi hæc distinctio insinuatur, & peculiariter applicatur animæ hominis: vt cùm Ioannis 19. de Christo dicitur *inclinato capite tradidit spiritum,* & in cantico B. Virginis Lucæ 1. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* item Matt. 26. *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma:* &, *in manus tuas commendo spiritum meum,* & alibi sæpe.

III. *Auctoritate probatur animam rationalē esse spiritualē.* Animam itaque hominis esse spiritum strictè & propriè, prout distinguitur spiritus ab aliis animalibus, ac rebus corporeis, probatur & locis Scripturæ proximè allatis, & definiuit Concilium Lateranense sub Innocentio 3. cap. *Firmiter de summa Trinitate & Fide Catholicâ,* his verbis: *Ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam* (Deus) *corporalem, & spiritualem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi communem, spiritu & corpore constitutam.* Quod idem etiam in aliis Conciliis definitur.

IV. *Ratione ostenditur animam esse spiritualē.* Ratio est primò: quia Anima rationalis existere naturaliter potest sine connexione cum quantitate, & materia, vt constat in animabus separatis, ergo est spiritualis iuxta dicta disp. præcedente, sec. 4. Secūdò probatur ex subtilitate in discurrendo de rebus abditissimis, & à sensibus remotissimis, vt de Deo, de Angelis, de rebus post aliquot annos futuris, imò de solis etiam possibilibus, de negationibus &c. Tertiò, hoc idem indicat summa præstantia liberi arbitrij, quod ex præstantissimo modo operandi testari videtur animam hominis esse ab omni concretione materiali immunem. De his tamen duabus postremis rationibus postea recurret sermo cùm de potentiis sensitiuis agemus, vbi quæstionem illam examinabimus, possitne sensus aliquis materialis percipere obiectum spirituale.

Quoad secundum, quod in titulo quærebatur de indiuisibilitate seu simplicitate animæ rationalis, dupliciter procedere potest quæstio; vel de indiuisibilitate in partes integrales, vel in partes essentiales, seu substātiales, vtrùm scilicet anima cōponatur ex actu & potentia, seu subiecto & forma. Quoad partes integrantes, non ex eo præcisè argui potest Animam Rationalem iis carere, quòd sit spiritualis; res enim spirituales merò ex conceptu rerum spiritualium, huiusmodi cōceptum non respuunt, vt supra ostendimus. Vnde multi recentiores asserunt dari posse substantiam aliquam spiritualem constantem partibus integrantibus, in hoc enim, inquiunt, nulla apparet implicantia. V. *Indiuisibilitas duplex, in partes scilicet integrales, & essentiales.*

VI. *Substantia spiritualis composita integraliter non foret necessario intellectiua.* Sed quidquid sit de hoc, de quo sec. sequēte, certè ratio ob quam communiter negatur eiusmodi substantia spiritualis composita integraliter, non cōuincit, nempe, quòd foret intellectiua: responderi enim posset primò, non necessario fore intellectiuā ex eo quòd sit spiritualis. Deinde, quid mali, si concedatur possibilem esse substantiam spiritualem intellectiuam integraliter compositam, quæque posset, si non omnes alias res, saltem sui similes cognoscere, nempe compositas integraliter? Præterea, sicut res composita substantialiter, homo v. g. potest cognoscere rem substantialiter non compositam, sed simplicem, vt Angelum, vel Deum, quidni res composita integraliter poterit cognoscere rem integraliter simpliciem? Sic etiam res composita ex subiecto & forma accidentali, Angelus v. g. qui varia in se accidētia recipit, potest cognoscere rem talis compositionis expertem, nempe Deum. Non ergo tam religiosè *modum cognoscendi sequitur* in omnibus *modum essendi,* vt in plurimis exemplis non semel declarauimus. *Res cōposita cognoscere possunt res simplices, & simplices compositas.*

VII. *Nullum est fundamentum dicendi animam rationalem habere partes integrātes.* Licèt ergo fortè non implicet huiusmodi substātia spiritualis composita integraliter, non tamen est facilè concedenda. Certè nullum est fundamētum affirmādi Animam Rationalem de factu esse talem: licèt enim assignemus partes aliquibus rebus spiritualibus iam existentibus, iis tamen solummodo illas assignamus, quæ respiciunt terminum aliquem diuisibilem à quo diuisibilitatem suam desumant, vt in vnione, & vbicatione constat in ordine ad materiam & spatium. Anima verò non respicit immediatè, & essentialiter, & tam arcto respectu rem diuisibilem. Licèt enim dicat ordinem ad materiam, non tamen ita quin possit, etiam naturaliter, sine illa existere: vnde non est ea necessitas statuendi diuersas partes integrales in anima, quæ est in aliis nonnullis rebus spiritualibus.

VIII. Accedit communis omnium auctoritas, qui ita constanter, vnanimique consensu asserunt animam esse indiuisibilem, vt nullus discrepet, quod sine dubio magni momenti est in hac materia. Vnde, quidquid sit de possibili, de facto tamen omninò negādum est Animam humanam esse integraliter diuisibilem.

IX. *Dices, ergo probari nequit euidenter animam esse indiuisibilem.*

Dices; ergo non potest probari euidenter Animā Rationalem, & Angelum esse indiuisibiles, posito quòd admittatur rem spiritualem, subsistentem, & absolutam posse habere partes integrales extensiuas, & esse hoc pacto diuisibilem, ergo vel ob hoc vnū resiliendum est à sententia asserente rem spiritualem posse habere partes integrantes, & dicendum hunc esse proprium conceptum corporu, spiritualitatemque consistere in indiuisibilitate integrali. Contra,

Resp. in nulla sententia hoc probari euidenter.

in nulla sententia probari potest euidenter Angelū & animam esse indiuisibiles secundùm partes integrales, cùm non euidenter probent sententiā illam de indiuisibilitate rei spiritualis illius auctores, cùm ergo id à quo hæc sententia de indiuisibilitate Animæ secundùm ipsos dependet, & à quo totam suam euidentiam & certitudinem recipit, non sit euidens, id quod inde deducitur non poterit esse euidēs, cū ex præmissis incertis & ineuidentibus deduci nequeat conclusio certa & euidens.

X. *Anima non componitur ex forma & subiecto.*

Circa vltimum in titulo propositum, vtrùm scilicet Anima Rationalis componatur ex actu & potentia, seu subiecto, & forma, dicendum, sicut Anima est expers compositionis integralis, ita & essentialis, idque multò videtur certius. Ratio est primò, quia nulli fini ibi statueretur huiusmodi subiectum, seu materia receptiua Animæ, cum nostra materia prima, quam de facto informat, esset sufficiens vna cum Anima ad omnia munera quæ præstātur in homine, & cōsequenter gratis ibi poneretur aliud subiectum.

XI. *Ostenditur vlterius animam non esse compositam substantialiter.*

Secundò, illud aliud subiectum quod ibi poneretur, esset simul forma, cum actuaret materiam primam, & in illa reciperetur: quare ergo non componeretur ex materia & forma, seu potentia & actu, sicut anima ipsa rationalis in hac sententia, sicque daretur processus in infinitum. Tertiò, anima esset ens completum substantialiter, & consequenter nō posset in eo genere ordinari ad aliud complendum, sicque cōnstitueret vnum per accidens cum materia.

SECTIO II.

Possitne dari materia spiritualis.

I. *Status præsentis cōtrouersiæ.*

QVæstio hæc alii verbis proponi solet, vtrum scilicet possibilis sit compositio ex materia & forma spiritualibus. Per materiam autem hîc non intelligimus talem, qualis nostra est, nempe subiectum quantitatis, & habens diuersas partes extensiuas impenetrabiles, sed quærimus vtrùm dari possit subiectum substantiale spirituale formæ spiritualis, animæ nimirum rationalis.

II. *Angelos quidam de facto componi asserūt ex materia & forma.*

S Bonau. in 2. dist. 3. ar. 1. qu. 1. asserit Angelos de facto componi ex materia & forma spiritualibus, licèt ita de materia illa loquatur, vt videatur eam statuere nostræ non multum absimilem. Alexan. Halensis qu. 20. memb. 1. & qu. 44. memb. 2. distinguit triplicem materiam, *elementarem* seu sublunarem, *cælestem & spiritualem* Idem docere videtur Richardus in 2. dist. 3. ar. 1 q. 2. saltem quoad possibilitatem talis materiæ. Cuius etiam opinionis videtur esse Aureolus & alij nonnulli: quam sententiam tenet P. Bubalus ad quæst. 50. p. partis, art. 2. quæst. sua 2. diff. 2. §. 1 licèt de facto neget hoc modo Angelos componi.

III. *Negāt multi huiusmodi materiā, seu subiectū, substantiale spirituali formæ spiritualis esse possibile.*

Secunda tamen sententia non solùm negat Angelos de facto hoc modo constitui, de quo hodie nullus dubitat, sed vlterius affirmat huiusmodi cōpositionem omnino esse impossibilem, ac proinde implicare eiusmodi subiectum spirituale. Hoc insinuare videtur variis locis S. Thomas, de cuius tamē mente in fine sectionis sequentis nonnulla subiungemus, P. Suar. d. 13 Met. sect. 14. præcipuè num. 14. quem sequitur P. Hurt. d. 2. de Anima sect. 2. estque communior inter recentiores opinio. Hæc sententia quoad vtramque partem non est perinde certa licèt enim de facto nullus iam affirmet Angelos esse hoc modo compositos, sed simplices, implicare tamen aliquam huiusmodi compositionem non ita facilè ostenditur, vt ex iis quæ pro hac sentētia adduci solent, constabit.

IV. *Argument primò natura spiritualis completa, est perfectissima, ergo respuit compositionem substantialem.*

Arguitur primò: est possibile genus aliquod & ordo naturæ excludēs compositionem essentialem, seu ex materia & forma, sicut & aliud genus excludens compositionem integralem, ergo cum natura completa spiritualis sit perfectissimum genus naturę completæ creabilis, debet illi peculiariter competere hæc simplicitas, ita vt contrarium ipsi repugnet. Vnde, sicut rebus completis corporeis ita competit compositio essentialis, vt repugnet simplicitas in illo genere, ita è contra rebus spiritualibus ita competere debet simplicitas, vt repugnet compositio essentialis. Multa in hac probatione inuoluūtur falsa, & illud inprimis quod dicitur rebus corporeis repugnare simplicitatem essentialem; in libris enim de cœlo d. 3. ostendi non regnare corpus substantialiter simplex, ergo compositio essentialis non est de conceptu rei completæ corporeæ vt sic.

V. *Resp. rem spiritualem in multis posse superare corporeum, licèt componatur ex materia.*

Resp. ergo, licèt in quibusdam naturis spiritualibus completis non reperiatur eiusmodi compositio essentialis, non tamen sequitur hāc à rebus omnibus spiritualibus completis excludendam, magis quam simplicitatem essentialem à rebus omnibus corporeis: vnde in re completa spirituali est quoad hoc aliqua latitudo, sicut & in corporea. Dices; res spiritualis ex genere suo est perfectior re materiali, ergo debet habere exclusionem huius compositionis, cum in aliquo debeat illam excedere. Resp in hoc excedere rem materialem, quòd sit productiua perfectiorum operationum, quod cōstet partibus ex genere suo perfectioribus, quòd nō dicat dependentiam à quantitate, & alia huiusmodi, quæ arguunt maiorem subtilitatem rei spirituali peculiariter congruentem.

VI. *Quædam qualitates corporeæ sunt perfectiores quibusdā spiritualibus.*

Arguitur secundò: non potest natura spiritualis incompleta esse imperfectior natura materiali incompleta, sicut nec accidens spirituale imperfectius accidente materiali. Sed contrà, vt ab hoc vltimo incipiam, quare lux, vel potentia visiua in equo, (si distinguatur ab eius anima) aut secretæ illæ qualitates quas omnes fatentur esse in sole, cœlo, & planetis in ordine ad effectus varios in mundo sublunari producendos, dici non poterunt perfectiores specie intelligibili muscæ, negationu, aut Chimæræ vel vbicatione etiam Angelica, aut habitu aliquo vitioso?

VII. *Potest forma materialis esse perfectior materia spirituali.*

Ad argumentum ergo dico, vniuersim loquendo falsum esse quod assumitur in antecedente, licèt enim fortè non possit dari forma spiritualis imperfectior forma materiali, cùm sit principium nobiliorū operationum, nil tamē obstat quo minùs detur materia spiritualis imperfectior forma aliqua materiali. Quod verò ita vrgent nonnulli illud S. Dionysij. *Infimum supremi est perfectius suprema infimi*, ex quo deducunt nō posse rem vllam materialem æquare in perfectione rem spiritualem, vtpote superioris ordinis, iudicio etiam ipsorum, qui hanc sententiam sequuntur, non potest hoc axioma vniuersim in omni rigore intelligi, cùm concedant ipsi cœlum esse perfectius plantis viuentibus, vnionem Hypostaticam, licèt sit modus, perfectiorem tamen esse equo, vel leone, accidens etiam aliquod perfectius esse aliqua substantia, & sic de aliis plurimis, ac proinde soluere ipsi debent hoc axioma.

VIII.

Tertiò arguit P. Suarez citatus: ad nihil deseruiret

Obi. materiam spiritualem ad nihil deseruire.

ret illa materia, seu subiectum spirituale substantiale, ergo non est cur affirmemus posse dari. Antecedens probatur, si enim ad aliquid deseruiret, maximè ad operandum, sed ad hoc non deseruit, ergo. Probatur minor, non eliceret compositum hoc spirituale nisi operationes purè spirituales, sed ad operationes purè spirituales non egeret materia, cùm illas in se recipere posset forma illa spiritualis sine concursu materiæ: anima autem nostra ideo eget materia, quia elicere debet operationes materiales, imò sensationes ipsæ sunt entitatiuè tales, & consequenter requirunt subiectum sibi proportionatum.

IX. *Resp. primò. conducere materiam spiritualem vt forma illa existat modo connaturali.*

Resp. primò, formam illam spiritualem egere hac materia vt compleatur, & operetur modo sibi connaturali: vnde, licèt hæc forma non egeret materia spirituali vt sit, egere tamen potest vt completa sit: esto enim si separaretur, posset etiã operari, modus tamen ille existendi non est ei tam connaturalis: sicut si albedo, & calor separarentur à subiectis, operarentur & producerẽt, illa speciem sui, hic alium calorẽ. Imò animæ nostræ, esto status separationis non sit violentus, vt postea videbimus, non tamẽ est tam connaturalis ad status coniunctionis; cùm enim sit forma, & consequenter quid incompletum substãtialiter, vt sit in statu maximè connaturali petit cõpletionem substantialem, licèt ob operationes perfectas quas exercet separata, status separationis non sit illi violentus.

X. *Resp. Secũdo materiã spiritualem posse ad formæ illius existentiam esse simpliciter necessariam.*

Resp. secundò, posse dependere naturaliter formam spiritualem à subiecto spirituali, & educi ex illius potẽtia, sicque materia hæc ad illius productionem conduceret. Nec enim ex eo quod anima rationalis sit independens à subiecto sustentante, sequitur omnes formas spirituales esse eodem modo independentes. Sicut nec è contra, ex eo quòd formæ aliquæ materiales sint dependentes à materia tanquam à subiecto sustentante, & materialiter in eas influente, sequitur omnes formas materiales hoc modo ab illa dependere, cùm ipse Suarez asserat formas cœli de facto produci per creationem.

XI. *Non sequitur formã spiritualẽ eductam ex illa materia esse corruptibilem.*

Dices; ergo forma illa est corruptibilis, Nego cõsequentiam, sicut nec formæ cœli, licèt penderent à materia in genere causæ materialis, essent corruptibiles: ad corruptibilitatem enim non sufficit quòd dependeant à materia, sed vlteriùs requiritur vt earum vnio sit corruptibilis, quod si desit, formæ simpliciter sunt incorruptibiles, quantumuis educantur ex subiecto. Sicut si res aliqua haberet vbicationem incorruptibilem in hoc loco, peteret semper esse hîc, & si haberet durationem incorruptibilem, deberet semper durare, licèt educatur ex subiecto.

XII. *Forma spiritualis educta ex hac materia esset imperfectior anima nostra rationali.*

Arguitur quarto: sequi, fore formam illam perfectiorem & imperfectiorem anima nostra rationali: perfectiorem, quia penderet à materia perfectiore; imperfectiorem, quia penderet ab ea materialiter, seu tanquam à subiecto sustentante, ergo. Resp. negãdo sequelam, sed videtur fore formam illam simpliciter imperfectiorem, quia anima nostra & est independens ab omni subiecto sustentante, quod cæteris paribus arguit perfectionem, & principiũ plurium operationum, quarum non esset effectiua hęc forma. Pẽdere autem à perfectiore materia præcisè non arguit maiorem perfectionem, formæ enim sublunares pendent à perfectiore materia, quàm cœlestes, si materia cœli specie distinguatur à sublunari, vt diximus in Physicis disp. decima,

SECTIO III.

Aliæ argumenta contra materiam spiritualem.

I. *Materia spiritualis non esse principium intelligendi & volendi.*

ARguitur quintò: materia illa seu potentia passiua esset æquè perfecta ac nostra anima, ergo esset intellectiua, ergo actus & forma; quia esset principium intelligendi & volendi, operationes autem tribuuntur formis, non materiæ. Resp. non esse necessarium vt sit principium intelligendi & volendi, vel aliarum operationum, sed erit pura potentia passiua spiritualis, & ordinata ad constituendum vnum totum cum forma illa spirituali, sicut materia nostra est pura potentia passiua corporea.

II. *Quo sensu res spiritualis sit ex genere suo perfectior corporea.*

Vrgebis; res spiritualis ex genere suo est perfectior corporea, ergo debet hæc materia esse perfectior omni saltem forma materiali, & consequenter debet esse operatiua & vitalis. Resp. distinguendo antecedens, si sensus sit, intra genus rerum spiritualium, esse aliquid quod sit perfectius omni re corporea, est verissimum: Deus enim est res spiritualis, & infinitiès in perfectione superat res omnes materiales, & corporeas; si verò sensus sit, rem spiritualẽ ex genere suo, id est, ipso facto quòd sit spiritualis, esse perfectiorẽ omni re corporea, est falsum, multæ enim res materiales, vt equus, leo, &c. sunt perfectiores speciebus intelligibilibus, imò actibus quibusdam intellectus, & voluntatis, habitibus, ipsoque intellectu & voluntate, si ab animã distinguantur.

III. *Anima nostra non est formarum omnium spiritualiũ imperfectissima.*

Hinc infero, non rectè recentiores quosdam asserere animã nostram esse formarum omnium spiritualium imperfectissimam. Sicut enim inter Angelos datur maior & minor perfectio, hisque debentur perfectiores, & vniuersaliores species quàm illis, ita & in animabus: Vnde quidni dari potest eiusmodi forma, cui non debeãtur tam perfectę species & operationes ac animæ nostræ. Deinde anima nostra est elicitiua diuersarum sensationum quas illa quæ informaret materiam spiritualem elicere non posset; quod cæteris paribus arguit maiorem perfectionem. Præterea, formæ illæ receptæ in materia spirituali, educerentur ex illa tanquam ex subiecto, quod animæ nostræ respectu materiæ primæ non competit.

IV. *Forma recepta in materia spirituali, & anima nostra habent se sicut excedens, & excessũ.*

Quòd autem anima nostra dicat ordinem ad materiam, nil refert: sic enim dicit forma cœli, vt supra vidimus, & tamen est perfectior infinitis formis sublunaribus, Habent se ergo forma illa spiritualis & anima nostra sicut excedens & excessum, sub vna enim ratione anima nostra est illa perfectior, sub alia imperfectior, sicut contingit in accidente supernaturali respectu substantiæ naturalis, in viuente aliquo imperfecto, vt planta, respectu non viuentis perfecti vt cœli, & cæteris huiusmodi.

V. *Obii. materia illa est substantia spiritualis subsistens, ergo intellectiua.*

Arguitur sextò: materia illa esset intellectiua, probatur, nam esset substantia spiritualis per se subsistens, ergo intellectiua. Confirmatur, ex eleuato modo operandi animæ nostræ colligimus eam esse spiritualem, ergo cùm huic materiæ non competeret huiusmodi modus operandi, non esset spiritualis: sine fundamento enim diceimus esse possibilem substantiam spiritualem subsistentem, non intellectiuam, cùm nullam videamus huiusmodi quæ non sit intellectiua.

VI. *Resp. esse substantiã spiritualem subsistentem per modum*

Ad argumentum resp. negando primum antecedens. Ad probationem distinguo antecedens; est substantia spiritualis quæ sit subiectum, concedo antecedens; quæ sit forma, nego. Idem ergo munus habe-

subiecti non forma.

haberet in rebus compositis spiritualibus hæc materia, ac habet materia nostra in corporeis, nempe, vt sit pura potentia spiritualis, sicut illa est pura potentia corporea.

VII. *Occasione vnius rei spiritualis visæ ad alias inuestigandas discurritur.*

Ad confirmationem dico, licèt primò deprehensa fortè fuerit natura rei spiritualis ex illo modo operandi, postea tamen occasione ab hac re spirituali sumpta discurrimus ad alias indagãdas, sicut ab accidentibus ad substantias, à rebus substantialibus compositis ad simplices, à materia huius speciei ad alterius, ab hac serie primarum qualitatum ad aliam seriem possibilem, demum ab hoc vniuerso, & rebus in eo existentibus ad aliud cum rebus alterius longè ab his rationis, quas occasione harum quas videmus, affirmant omnes esse possibiles. Deinde, licèt res omnes subsistenter operantes tam eleuato modo sint spirituales, non tamen sequitur è contra quicquid est spirituale subsistens, debere illo modo operari, imò nec operari omninò, cùm aliud possit ipsi munus assignari, nempe, vt sit subiectũ rei illo modo operantis.

VIII. *Angelos de facto non esse ex materia & forma spiritualibus compositos auctoritate magis probatur, quàm ratione.*

Septimò tandem arguitur: hinc sequi, non posse probari Angelos non esse de facto hoc modo compositos. Resp. non posse probari euidenter ratione, cùm nihil obstet quo minùs cõponi possint ex huiusmodi actu & potentia: de facto tamen hoc modo eos non constitui asserendum ob auctoritatem omnium qui illos simplices esse affirmant & omnis cõpositionis expertes, vt videbimus ex loco Sãcti Thomæ statim citando.

IX. Dicendum ergo, nõ implicare huiusmodi compositionem essentialem ex subiecto, & forma spiritualibus, & consequenter dari posse materiam spiritualem, cùm non solùm non afferatur euidens ratio huius implicantiæ, sed videatur facilè percipi posse quomodo queat contingere, cùm tanta sit proportio inter materiam & formam spirituales ad vnum compositum perfectè spirituale constituendum, atque inter materiam & formam corpoream, imò longè maior quàm inter materiam corpoream & formam spiritualem, quas tamen in homine coalescere videmus ad vnum totum constituendum. Imò si de facto non videremus fieri vnum totum ex anima spirituali & materia corporea, longè videretur difficilius, & magis impossibile, quàm posse coalescere compositum ex materia & forma spiritualibus, vtpote inter se magis proportionatis.

Cum sint possibiles ad materia spiritualis.

X. *Mens Angelici Doctoris circà materiam spiritualē.*

Circa mentem sancti Thomæ, licèt contrarij velint ipsum sine controuersia affirmare implicare huiusmodi compositionem substantialem inter materiam & formam spirituales, & in aliquibus locis negari non possit fauere ipsum huic sententiæ, quæstione tamen sexta de potentia, art.6. ad 4. expressè tenet nostram. Cuius mens vt clariùs innotescat, ipsa eius verba hic attexam. Quartum ergo argumẽtum loco citato contendebat, Angelos & dæmones, si sint compositi substantialiter, debere necessariò esse corporeos, & constare nostra materia & forma: cui argumento respondet S. Doctor his verbis: *Ad quartum dicendum, quòd si Angeli ponantur ex materia & forma compositi, non propter hoc oportet quòd sint corporei ex ratione prædicta, nisi ponatur quòd sit eadẽ materia Angelorum & corporum. Posset autem dici, quòd esset alia materia à materia corporum diuersa, non quidem dimensionis diuisione, sed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actui proportionatur. Magis tamen credimus quòd non sint Angeli ex Materia & forma compositi, sed quòd sint formæ tantùm per se stantes.* Quid clarius?

DISPVTATIO X.

De immortalitate animæ.

De hac re Lessius l.2. de Numinis Prouidentiâ Hurt.d.18.de An.sect.1 & 2. Conim.tra. de Anima separata, disp.1. Rubius hîc tract. de Anima separata, q.3.4.& 5. Murcia de Immortal. animæ d.1. Suarez l.1.de Anima c.10. & 11. vbi Aristotelem ab errore de mortalitate Animæ, quem multi & graues auctores, ex antiquis, ei ascribunt, fusè vendicat: de eodem etiam subiecto alij plures, in quibus quæstio hæc fusius tractata videri poterit.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Anima rationalis sit immortalis.

I. *Anima rationalis est natura sua immortalis.*

Dicendum cum Orthodoxis omnibus, Animam Rationalem esse natura sua immortalem & incorruptibilem, ac post corporis mortem manere, vt debitum iis quæ in hac vita gessit præmium recipiat. Hæc est veritas Catholica, imò totum Christianæ vitæ basis, ac fundamentum, de qua veritate nullus, sine Atheismi nota, vel leuiter dubitare potest; in qua proinde ita conspirant Catholici omnes, vt auctores recensere sit superuacaneum.

II. *Probatur animæ immortalitas ex Scriptura.*

Probatur primò auctoritate Scripturæ: & vt alia loca quæ ad animæ immortalitatẽ probandam afferuntur, omittam, locus ille Matth.10.v.28. ad hoc maximè mihi videtur efficax, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nõ possunt occidere:* ergo anima est ex natura sua immortalis, alioqui si destructo corpore deberet ex natura sua interire, posset æquè ab hominibus occidi, ac occiditur anima bruti.

III. *Quorundã responsio ad loca Scripturæ pro animæ immortalitate.*

Dices; non posse animam rationalem ab hominibus occidi, non quod natura sua sit immortalis, sed quòd Deus decreuerit eam perpetuò cõseruare: sicut Adamus in paradiso si nõ peccasset, occidi non potuisset, licèt natura sua non esset illic immortalis, sed ex solo Dei beneficio. Anima ergo licèt tantùm ex Dei benignitate sit immortalis, nõ potest occidi.

IV. *Refellitur hæc responsio ex modo loquendi Scripturæ.*

Contra, locus hic Scripturæ plus probat: alio enim modo plerumque loquitur Scriptura, quando aliquid natura sua est impossibile, alio quando solùm est impossibile per voluntatem, & decretũ Dei nolentis aliquid fieri: in primo enim significat esse repugnantiam, & impotentiam antecedentem in rebus ipsis: Sic Matth.7.v.18. ait Christus, *Non potest arbor bona malos fructus facere,* &c. *Non potestis Deo seruire & mammonæ* Matth.6. v.24. *Non potes vnum capillum album facere, aut nigrum* Matth.5.v.36. *Quis potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* Lucæ 12. v.25. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso,* &c. *sic nec vos nisi in me manseritis.* Ioan.15.v.4. *Sine me nihil potestis facere.* v.5. & alia huiusmodi, quæ passim in Scriptura reperiuntur.

V. *Quo modo loquatur Scriptura de impossibilibus ex decreto Dei.*

Huiusmodi ergo loquutiones in phrasi Scripturæ non arguunt impotentiam & repugnantiam tantum consequentem, seu prouenientem ex decreto Dei, sed antecedentem, & rebus ipsis innatam. Alio siquidem modo de iis loquitur, quæ impossibilia tan-

tantùm sunt ex mero Dei beneficio: sic Lucæ 21. v. 18. dicit Christus, *Capillus de capite vestro non peribit*: & tamen ex prouidentia Diuina non potuit perire. Diuersus ergo hic modus loquendi arguit diuersitatem ex mente Scripturæ in rebus ipsis.

VI. *Decretum Concilij Lateranensis circa immortalitatem animæ.* Secundò probatur ex Concilio Lateranensi sub Leone 10. sess. 8. vbi hoc apertè Concilium declarat, & Philosophiæ magistris præcipit vt argumenta soluant quæ contra hanc veritatem fieri solent. Verba Concilij quoad nostrum propositum hæc sunt. *Cùm diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura Animæ rationalis, quod mortalis sit; & aliqui temere philosophantes secundùm saltem philosophiam verum esse assenerent; sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam esse mortalem, aut vnam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cùm illa non solùm verè & essentialiter humani corporis forma existat &c. verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multiplicitate singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda.*

VII. *Non satis consultò agunt, qui rationes, pro animæ immortalitate afferri solitas, soluere conantur.* Meo ergo iudicio, non satis consultò quidam rationes à Philosophis, ac Theologis pro animæ immortalitate afferri solitas eneruare conantur. Longè sanè melius, Reipublicæque Christianæ vtilius operam suam collocassent in doctrina hac, quæ totius honestæ vitæ fundamentum est, pro viribus stabilienda, ac firmanda potiùs, quàm suis eam probationibus destituendo; cùm nulla ratio sit tam clara ac solida, cuius vim imminuere quis si velit, & argutiis quibusdam offundere ei tenebras non possit.

VIII. *Auctoritate Patrum ostenditur animam esse immortalem.* In hac de animæ immortalitate doctrina tradenda ac propugnanda multi sunt sancti Patres, S. Augustinus librum integrum de animæ immortalitate scripsit, vbi cap. 4. *Manifestum est*, inquit, *immortalem esse animam humanam*. S. Gregorius Neocæsariensis lib. de Anima sic habet: *Cùm Anima corpore careat, simplex est: consequens autem mihi videtur, vt quod simplex est, sit immortale.* S. Chrysost. oratione 4 de Prouidentia, insanos appellat eos qui animam negant esse immortalem, *& perinde facere, ac si in die diem esse negent.* Quod etiam alij Patres vno ore pronuntiant.

SECTIO II.

Ratione ostenditur, Animam hominis esse immortalem.

I. *Immortalitatem triplex, Essentialis, Naturalis, & Gratuita.* Immortalitas triplex est: *essentialis, naturalis, & gratuita. Essentialis* immortalitas illa est, quæ omnimodam habet necessitatem existendi ita vt nulla potentia destrui possit. Hæc soli Deo conuenit, de quo proinde ait Apostolus 1. ad Timoth. 6. v. 16. *Qui solus habet immortalitatem. Naturalis* immortalitas illa est, qua res aliqua, posito quòd producatur, ex naturali quadam exigentia petit, vt semper duret: vnde citra violentiam, ne quidem à Deo potest destrui, licèt absolutè possit. Immortalitas *gratuita* est illa, quæ rei cuipiam ex mera Dei benignitate, & decreto prouenit, quo statuit rem aliquam perpetuò ab interitu vendicare, eamque semper conseruare incorruptam.

II. *Certissimum est animam perpetuò duraturam.* Non est dubium quin anima nostra sit ex decreto Dei perpetuò duratura, id enim variis locis clarè testatur scriptura, vt Sap. 5. v. 16. *Iusti autem in perpetuum viuent.* Sap. 3. v. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Io. 12. v. 25. *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam. Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth 25. v. 41: & v. 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Imò sec. præcedente, n. 2. testimonio scripturæ probaui animam esse ab intrinseco, & natura sua immortalem. Nũc rationibus, quæ mihi ad demonstrandum hoc efficaces videntur, idipsum ostendere conabor.

III. *Appetitu innato, quo omnes habent beatitudinis naturalis obtinendæ, apertè probat animam esse immortalem.* Prima ratio desumitur ex appetitu innato, quem omnes habent ad quietem & tranquillitatem, ac perfectam beatitudinem obtinendam. Quæ ratio vt clariùs procedat, ponamus homines non esse ad finem supernaturalem eleuatos, sed in pura natura relictos. Homines ergo appetitu innato perfectam quietem ac naturalem beatitudinem tãquam finem appetunt: quod adeò certum est apud omnes, vt à Philosophis censeatur principium per se notum. Hic verò appetitus frustra hominibus esset à natura inditus, si anima vna cum corpore interiret, in hac enim vita inter tot perturbationes & pericula, perpetuasque rerum vicissitudines, ac molestias nullus hunc finem, seu tranquillitatem inconcussam, ac stabilem consequi potest. Qua de causa solo luminis naturalis ductu Campos illos Elysios finxerunt Antiqui, loca scilicet ab omni dolore, molestia, ac perturbatione libera, vbi animæ, quæ hanc vitam in virtute traduxerant, cum omni quiete, tranquillitate, varijsque delicijs degerent, fineque suo naturali fruerentur.

IV. *Dices; hoc solùm probare animam per tempus aliquod post mortem duraturam, non tamen semper.* Dices; hoc solùm probat animas petere ad aliquod tempus, vt per horam, diem, aut mensem post mortem durare à corpore separatas, non tamen semper. Contrà primò si anima vna hora, vel die, possit & petat naturaliter existere post separationẽ à corpore, poterit & petet eo modo semper naturaliter existere, vt postea ostendam.

V. *Nisi animæ, quæ post mortem fruuntur beatitudine, sciant se illa perpetuò fruituras, beatitudo erit nulla.* Contra secundò, ad beatitudinem requiritur securitas, ergo nisi animæ illæ separatæ sciant se quiete hac, & voluptate semper fruituras, erunt in perpetuo timore, sollicitudine & anxietate illam amittendi, sicque nullum ferè erit gaudium, vtpote timore maximo permixtum. Quæ ergo deliciæ, dum fruentis capiti gladius semper impendet, quo timet ne momentis singulis in nihilum redigatur. His proinde non incongruè applicari posset illud Eccle. 41. v. 1. *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacẽ habenti in substantiis suis?* Imò recordatio annihilationis, quam momentis singulis timent, eò esset huiusmodi animabus amarior, quàm huic homini memoria mortis, quò deliciæ illarum sunt huius voluptatibus maiores. Acutissimo proinde doloris iaculo transfigerentur, quoties animam aliquam ex iis, quibuscum degunt, annihilari cernerent, & euanescere. Qua de causa Theologi omnes perpetuitatem & securitatem dicunt esse de ratione beatitudinis supernaturalis, seu hominis iam ad finem supernaturalem eleuati. Hãc rationem existimo esse efficacissimam. Alias etiam nõ minus efficaces subiungam.

VI. *Delectamenta huius mũdi, & ipsius vita contemptus propter virtutem clarè probat animæ immortalitatem.* Secunda itaque ratio est: videmus multos ex rectæ rationis dictamine, delicias huius mundi, voluptates, & humanam omnem felicitatem, ac propriũ commodum, imò vitam ipsam contemnere, & vbi id pietas exigit, profundere: & tamen flagitiosissimus quisque haberetur hic felicior, si nihil restaret post mortem, sed anima simul cum corpore interiret. In quem sensum loqui videtur Apostolus, dum primæ ad Corinth. 15. docet, si non sit resurrectio mortuorum, nos, id est, eos qui vitam in virtute, & pietate exigunt, *miserabiliores esse omnibus hominibus.*

VII. *Tertia ratio desumitur ex Iustitia Dei.* Tertia ratio desumitur ex iustitia Dei: Indies enim videmus multos sceleratissimos homines cum omni prosperitate in hoc mundo degere, & per lõgam annorum seriem in suis flagitiis omni voluptate, ac deliciis frui; bonos è contrà opprimi hic & vexari, perpetuisque doloribus, miseriis, & cruciatibus affligi: spectat ergo ad infinitam Dei Iustitiam,

prudent-

subiecti non formæ.

habere in rebus compositis spiritualibus hæc materia, ac habet materia nostra in corporeis, nempe, vt sit pura potentia spiritualis, sicut illa est pura potentia corporea.

VII. *Occasione vnius rei spiritualis visæ ad alias inuestigandas discurritur.*

Ad confirmationem dico, licèt primò deprehensa fortè fuerit natura rei spiritualis ex illo modo operandi, postea tamen occasione ab hac re spirituali sumpta discurrimus ad alias indagādas, sicut ab accidentibus ad substantias, à rebus substantialibus compositis ad simplices, à materia huius speciei ad alterius, ab hac serie primarum qualitatum ad aliam seriem possibilem, demum ab hoc vniuerso, & rebus in eo existentibus ad aliud cum rebus alterius longè ab his rationis, quas occasione harum quas videmus, affirmant omnes esse possibiles. Deinde, licèt res omnes subsistentes operantes tam eleuato modo sint spirituales, non tamen sequitur è contra quicquid est spirituale subsistens, debere illo modo operari, imò nec operari omninò, cùm aliud possit ipsi munus assignari, nempe, vt sit subiectū rei illo modo operantis.

VIII. *Angelos de facto non esse ex materia & forma spiritualibus compositos auctoritate magis probatur, quàm ratione.*

Septimò tandem arguitur: hinc sequi, non posse probari Angelos non esse de facto hoc modo compositos. Resp. non posse probari euidenter ratione, cùm nihil obstet quo minùs cōponi possint ex huiusmodi actu & potentia: de facto tamen hoc modo eos non constitui asserendum ob auctoritatem omnium qui illos simplices esse affirmant & omnis cōpositionis expertes, vt videbimus ex loco Sācti Thomæ statim citando.

IX. Dicendum ergo, nō implicare huiusmodi compositionem essentialem ex subiecto, & forma spiritualibus, & consequenter dari posse materiam spiritualem, cùm non solùm non afferatur euidens ratio huius implicantiæ, sed videatur facilè percipi posse quomodo queat contingere, cùm tanta sit proportio inter materiam & formam spirituales ad vnum compositum perfectè spirituale constituendum, atque inter materiam & formam corpoream, imò longè maior quàm inter materiam corpoream & formam spiritualem, quas tamen in homine coalescere videmus ad vnum totum constituendum. Imò si de facto non videremus fieri vnum totum ex anima spirituali & materia corporea, longè videretur difficilius, & magis impossibile, quàm posse coalescere compositum ex materia & forma spiritualibus, vtpote inter se magis proportionatis.

Cum'ipsa possibilis est materia spiritualis.

X. *Mens Angelici Doctoris circa materiam spiritualem.*

Circa mentem sancti Thomæ, licèt contrarij velint ipsum sine controuersia affirmare implicare huiusmodi compositionem substantialem inter materiam & formam spirituales, & in aliquibus locis negari non possit fauere ipsum huic sententiæ, quæstione tamen sexta de potentia, art. 6. ad 4. expressè tenet nostram. Cuius mens vt clariùs innotescat, ipsa eius verba hic attexam. Quartum ergo argumētum loco citato contendebat, Angelos & dæmones, si sint compositi substantialiter, debere necessariò esse corporeos, & constare nostra materia & forma: cui argumento respondet S. Doctor his verbis: *Ad quartum dicendum, quòd si Angeli ponantur ex materia & forma compositi, non propter hoc oportet quòd sint corporei ex ratione prædicta, nisi ponatur quòd sit eadē materia Angelorum & corporum. Posset autem dici, quòd esset alia materia à materia corporum diuisa, non quidem dimensionis diuisione, sed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actui proportionatur. Magis tamen credimus quòd non sint Angeli ex Materia & forma compositi, sed quòd sint formæ tantùm per se stantes.* Quid clarius?

D I S P V T A T I O X.

De immortalitate animæ.

DEbac re Lessius l. 2. de Nummis Prouidentiâ Hurt. d. 18. de Ani. sect. 1 & 2. Conim. tra. de Anima separata, disp. 1. Ruuius hic tract. de Anima separata, q. 3. 4. & 5. Murcia de Immortal. animæ d. 1. Suarez l. 1. de Anima c. 10. & 11. vbi Aristotelem ab errore de mortalitate Animæ, quem multi & graues auctores, ex antiquis, ei ascribunt, fusè vendicat: de eodem etiam subiecto alij plures, in quibus quæstio hæc fusius tractata videri poterit.

S E C T I O P R I M A.

Vtrum Anima rationalis sit immortalis.

I. *Anima rationalis est natura sua immortalis.*

DIcendum cum Orthodoxis omnibus, Animam Rationalem esse natura sua immortalem & incorruptibilem, ac post corporis mortem manere, vt debitum iis quæ in hac vita gessit præmium recipiat. Hæc est veritas Catholica, imò totum Christianæ vitæ basis, ac fundamentum, de qua veritate nullus, sine Atheismi nota, vel leuiter dubitare potest, in qua proinde ita conspirant Catholici omnes, vt auctores recensere sit superuacaneum.

II. *Probatur animæ immortalitas ex Scriptura.*

Probatur primò auctoritate Scripturæ: & vt alia loca quæ ad animæ immortalitatē probandam afferuntur, omittam, locus ille Matth. 10. v. 28. ad hoc maximè mihi videtur efficax, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nō possunt occidere:* ergo anima est ex natura sua immortalis, alioqui si destructo corpore deberet ex natura sua interire, posset æquè ab hominibus occidi, ac occiditur anima bruti.

III. *Quorundā responsio ad loca Scripturæ pro animæ immortalitate.*

Dices; non posse animam rationalem ab hominibus occidi, non quod natura sua sit immortalis, sed quòd Deus decreuerit eam perpetuò cōseruare: sicut Adamus in paradiso si nō peccasset, occidi non potuisset, licèt natura sua non esset illic immortalis, sed ex solo Dei beneficio. Anima ergo licèt tantùm ex Dei benignitate sit immortalis, nō potest occidi.

IV. *Refellitur hæc responsio ex modo loquendi Scripturæ.*

Contra, locus hic Scripturæ plus probat: alio enim modo plerumque loquitur Scriptura, quando aliquid natura sua est impossibile, alio quando solùm est impossibile per voluntatem, & decretū Dei nolentis aliquid fieri: in primo enim significat esse repugnantiam, & impotentiam antecedentem in rebus ipsis: Sic Matth. 7. v. 18. ait Christus, *Non potest arbor bona malos fructus facere, &c. Non potestis Deo seruire & mammonæ* Matth. 6. v. 24. *Non potes vnum capillum album facere, aut nigrum* Matth. 5. v. 36. *Quis potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* Lucæ 12. v. 25. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c. sic nec vos nisi in me manseritis.* Ioan. 15. v. 4. *Sine me nihil potestis facere.* v. 5. & alia huiusmodi, quæ passim in Scriptura repetiuntur.

V. *Quo modo loquatur Scriptura de impossibilibus ex decreto Dei.*

Huiusmodi ergo loquutiones in phrasi Scripturæ non arguunt impotentiam & repugnantiam tātum consequentem, seu prouenientem ex decreto Dei, sed antecedentem, & rebus ipsis innatam. Alio siquidem modo de iis loquitur, quæ impossibilia tan-

tantùm sunt ex mero Dei beneficio: sic Lucæ 21. v. 18. dicit Christus, *Capillus de capite vestro non peribit*: & tamen ex prouidentia Diuina non potuit perire. Diuersus ergo hic modus loquendi arguit diuersitatem ex mente Scripturæ in rebus ipsis.

VI.
Decretum Concilij Lateranensis circa immortalitatem animæ.

Secundò probatur ex Concilio Lateranensi sub Leone 10. sess. 8. vbi hoc apertè Concilium declarat, & Philosophiæ magistris præcipit vt argumenta soluant quæ contra hanc veritatem fieri solent. Verba Concilij quoad nostrum propositum hæc sunt. *Cùm diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura Animæ rationalis, quod mortalis sit; & aliqui temerè philosophantes secundùm saltem philosophiam verum esse asseuerent; sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam esse mortalem, aut vnam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cùm illa non solùm verè & essentialiter humani corporis forma existat* &c. *verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multiplicitate singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda.*

VII.
Non satis consultè agunt, qui rationes, pro animæ immortalitate afferri solitas, soluere conantur.

Meo ergo iudicio, non satis consultò quidam rationes à Philosophis, ac Theologis pro animæ immortalitate effectis solutas eneruare conantur. Longè sanè meliùs, Reipublicæque Christianæ vtiliùs operam suam collocassent in doctrina hac, quæ totius honestæ vitæ fundamentum est, pro viribus stabilienda, ac firmanda potiùs, quàm suis eam probationibus destituendo; cùm nulla ratio sit tam clara ac solida, cuius vim imminuere quis si velit, & argutijs quibusdam offundere ei tenebras non possit.

VIII.
Auctoritate Patrum ostenditur animam esse immortalē.

In hac de animæ immortalitate doctrina tradenda ac propugnanda multi sunt sancti Patres, S. Augustinus librum integrum de animæ immortalitate scripsit, vbi cap 4. *Manifestum est*, inquit, *immortalem esse animam humanam.* S. Gregorius Neocæsariensis lib. de Anima sic habet: *Cùm Anima corpore careat, simplex est: consequens autem mihi videtur, vt quod simplex est, sit immortale.* S. Chrysost. oratione 4 de Prouidentia, insanos appellat eos qui animam negant esse immortalem, *& perinde facere, ac si in die diem esse negent.* Quod etiam alij Patres vno ore pronuntiant.

SECTIO II.

Ratione ostenditur, Animam hominis esse immortalem.

I.
Immortalitas triplex, Essentialis, Naturalis, & Gratuita.

IMmortalitas triplex est: *essentialis, naturalis, & gratuita.* *Essentialis* immortalitas illa est, quæ omnimodam habet necessitatem existendi ita vt nulla potētia destrui possit. Hæc soli Deo conuenit, de quo proinde ait Apostolus 1. ad Timoth. 6. v 16 *Qui solus habet immortalitatem.* *Naturalis* immortalitas illa est, qua res aliqua, posito quòd producatur, ex naturali quadam exigentia petit, vt semper duret: vnde citra violentiam, ne quidem à Deo potest destrui, licèt absolutè possit. Immortalitas *gratuita* est illa, quę rei cuipiam ex mera Dei benignitate, & decreto prouenit, quo statuit rem aliquam perpetuò ab interitu vendicare, eamque semper conseruare incorruptam.

II.
Certissimū est animam perpetuò duraturam.

Non est dubium quin anima nostra sit ex decreto Dei perpetuò duratura, id enim varijs locis clarè testatur scriptura, vt sap. 5. v. 16. *Iusti autem in perpetuū viuent.* Sap. 3. v. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Io. 12. v. 25. *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eā.* *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth 25. v. 41. & v. 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Imò sec. præcedente, n. 2. testimonio scripturæ probaui animam esse ab intrinseco, & natura sua immortalem. Nūc rationibus, quæ mihi ad demonstrandum hoc efficaces videntur, id ipsum ostendere conabor.

III.
Appetitū innatum, quē omnes habēt beatitudinis naturalis obtinendæ, aperte probat animā esse immortalem.

Prima ratio desumitur ex appetitu innato, quem omnes habent ad quietem & trāquillitatem, ac perfectam beatitudinem obtinendam. Quæ ratio vt clariùs procedat, ponamus homines non esse ad finem supernaturalem eleuatos, sed in pura natura relictos. Homines ergo appetitu innato perfectam quietem ac naturalem beatitudinem tāquam finem appetunt: quod adeò certum est apud omnes, vt à Philosophis censeatur principium per se notum. Hic verò appetitus frustra hominibus esset à natura inditus, si anima vna cum corpore interiret, in hac enim vita inter tot perturbationes & pericula, perpetuasque rerum vicissitudines, ac molestias nullus hunc finem, seu tranquillitatem inconcussam, ac stabilem consequi potest. Qua de causa solo luminis naturalis ductu Campos illos Elysios finxerunt Antiqui, loca scilicet ab omni dolore, molestia, ac perturbatione libera, vbi animæ, quæ hanc vitam in virtute traduxerant, cum omni quiete, tranquillitate, verisque delicijs degerent, fineque suo naturali fruerentur.

IV.
Dices, hoc solū probare animam per tempus aliquod post mortem duraturam, non tamen semper.

Dices; hoc solùm probat animas petere ad aliquod tempus, vt per horam, diem, aut mensem post mortem durare à corpore separatas, non tamen semper. Contrà primò si anima vna hora, vel die, possit & petat naturaliter existere post separationē à corpore, poterit & petet eo modo semper naturaliter existere, vt postea ostendam.

V.
Nisi animæ, quæ post mortem fruentur beatitudine, sciant se illa perpetuò fruituras, beatitudo erit nulla.

Contra secundò, ad beatitudinem requiritur securitas, ergo nisi animæ illæ separatæ sciant se quiete hac, & voluptate semper frituras, erunt in perpetuo timore, sollicitudine & anxietate illam amittendi, sicque nullum ferè erit gaudium, vtpote timore maximo permixtum. Quæ ergo deliciæ, dum fruentis capiti gladius semper impendet, quo timet ne momentis singulis in nihilum redigatur. His proinde non incongruè applicari posset illud Eccle. 41. v. 1. *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacē habenti in substantijs suis?* Imò recordatio annihilationis, quam momentis singulis timent, eò esset huiusmodi animabus amarior, quàm huic homini memoria mortis, quò deliciæ illarum sunt huius voluptatibus maiores. Acutissimo proinde doloris iaculo transfigerentur, quoties animam aliquam ex ijs, quibuscum degunt, annihilari cernerent, & euanescere. Qua de causa Theologi omnes perpetuitatem & securitatem dicunt esse de ratione beatitudinis supernaturalis, seu hominis iam ad finem supernaturalem eleuati. Hanc rationem existimo esse efficacissimam. Alias etiam nō minus efficaces subiungam.

VI.
Delectationes huius mūdi, & ipsam vitā contemnimus propter virtutem: clarè probat animam immortalitatem.

Secunda itaque ratio est: videmus multos ex rectæ rationis dictamine, delicias huius mundi, voluptates, & humanam omnem felicitatem, ac propriū commodum, imò vitam ipsam contemnere, & vbi id pietas exigit, profundere: & tamen flagitiosissimus quisque haberetur his felicior, si nihil restaret post mortem, sed anima simul cum corpore interiret. In quem sensum loqui videtur Apostolus, dum primæ ad Corinth. 15. docet, si non sit resurrectio mortuorum, nos, id est, eos qui vitam in virtute, & pietate exigunt, *miserabiliores esse omnibus hominibus.*

VII.
Tertia ratio desumitur ex Iustitia Dei.

Tertia ratio desumitur ex iustitia Dei: Indies enim videmus multos sceleratissimos homines cum omni prosperitate in hoc mundo degere, & per lōgam annorum seriem in suis flagitijs omni voluptate, ac delicijs frui; bonos è contrà opprimi hic & vexari, perpetuisque doloribus, miserijs, & cruciatibus affligi: spectat ergo ad infinitam Dei Iustitiam,

prudens

prudentemque rerum administrationem, vt pio homini hîc afflicto alibi virtutis & laboris præmium cōferatur, cùm in hoc mundo illud nunquam recipiat, & vt è contra mali supplicijs debitis afficiantur.

VIII. *Etsi anime solo natura immane non mereant bonos præmium, malos pœnā post mortem habituros.* Dices primò; abûde vtique huic rationi satisfactum iri, si Deus de facto animas post mortem conseruet, licèt id animæ natura sua non postulent. Cōtra, lumine naturæ cōstat huiusmodi sceleratos homines debere alicubi puniri, & bonos è contra perpetuò hîc afflictos præmium bonorum operum aliquando recipere. Vnde & Ethnici solo naturæ ductu hoc nouerunt, locaque quibus boni vitæ in virtutibus actæ præmium, mali debitam sceleribus pœnam lorent, assignarunt. Hoc ergo non merè ex libera Dei voluntate, sed ex animarum, & vniuersi exigentia prouenit: libera enim Dei decreta naturæ lumine non innotescunt. Omnibus proinde insitum est hoc ex summi rerum omnium moderatoris æquitate, nō solùm fieri posse, sed debere, rectamque vniuersi administrationem id postulare.

IX. Dices secundò; rectam quidem rerum administrationem, Deique æquissimi Iudicis iustitiam, & impiorum hominum scelera petere, vt eorum animæ aliquantisper, per horam scilicet, mensem, aut annum, post mortem permaneant, non tamen semper. Contrà primò, saltem ergo hinc manifestè habetur, animam hominis non destrui simul cum corpore. Si verò, vt suprà dixi n. 4. & postea ostendam sec. sequente n. 2. 3. & 4. si, inquam, animæ die vno, mense, vel anno petant naturaliter post mortem hominis durare, non est vnde postea ex vlla naturali rerum exigentia pereant, sicque naturaliter manebūt perpetuò, suntque immortales.

Si animæ aliquantisper post mortem maneant naturaliter semper manebunt.

X. Contra secundò, & præcipuè, De ratione præmij iis, qui vitam hîc in virtute & pietate traduxerunt, debiti est perpetuitas, & securitas, vt iam ostensum est n. quinto. Quoad sceleratas verò animas, Deus de facto eas non per diem tantùm, aut annum post separationem à corpore, sed perpetuò conseruabit, & puniet, idque solo lumine naturæ Ethnici sunt assequuti, ergo hoc prouenit ex exigentia aliqua ex parte rerum creatarum, nempe ex grauitate & malitiâ peccati mortalis, siue infinita ea sit, vt volunt multi, siue superioris ordinis, vt affirmant alij, ob vilitatem personæ offendentis, & maiestatē infinitam personæ offensæ: de quo prima secūdæ, & tertia parte; non enim est nostri instituti rem hāc isthic discutere. Solùm addo, si animæ piorum petāt semper manere, vt iam ostensum est, nullam esse rationem cur non petant idem animæ sceleratorum.

SECTIO III.

Aliis rationibus ostenditur animæ immortalitas.

I. TRes rationes sec. præcedente allatæ, maximè efficaces sunt, & apertè meo iudicio ostendunt animam esse immortalem: nunc alias subnectam, quæ suam etiam vim habent ad hoc ipsum demonstrandum.

II. *Ex independentia à subiecto probatur animæ immortalitas.* Quartò itaque probatur animam esse immortalem: anima enim, præterquam quòd sit independens à subiecto, sicut Angelus, nihil habet sibi contrarium quod ipsam destruat. Dices, posse aliquid destrui quod non habet contrarium: lux enim, species sunt, & alia huiusmodi non habent contrarium, & tamen indies pereūt. Resp. in his peculiarem aliquam causam assignari posse cur pereāt, imò & experientiam; nulla tamen est eiusmodi in anima rationali. Ac primùm, lux ferè non destruitur nisi ad destructionem, vel ablationem agentis, aut interpositionem alicuius corporis opaci inter luminosum & passum: si autem aliquid ex his contingat, nil mirum si lux destruitur. Deinde diuersissima ratio est de minutis hisce rebus, & de anima & Angelo.

Quoad sonum & similia, diuersissima ratio est; cùm enim sint qualitates per se defectiuæ, non debent totæ simul, sed paulatim desinere, vnde statim postquam sunt, incipiunt deficere secundùm diuersas sui partes; anima autem nullas habet partes, nec paulatim potest desinere. Quæ ergo ratio naturalis assignari potest, cur vbi incorrupta mansit per quinquaginta, vel centum annos, postcà subitò pereat? Deinde, de illis habemus experientiam, de anima nullam. III. *Differentia inter animā, & sonum & huiusmodi circa desitionem.*

Nec vrget quod obiici posset de duratione indiuisibili, petente durare per horam, & post horam perire: primò enim probabilius est implicare eiusmodi durationem indiuisibilem, vt in Physicis ostēdi d. 13. s. 5. & 6. & d. 38. sec. 3. n. 7. Deinde, ea data, diuersissima ratio est de illa & de anima rationali; illa enim cùm respiciat essentialiter tale tēpus, eo toto elapso, & deficiente cōnotato essentiali, nil mirū si duratio deficiat: at verò anima rationalis non alligatur nec respicit essentialiter vllum tempus. IV. *Differentia inter animā & durationē indiuisibilem.*

Quintò probatur: multi non solùm supernaturaliter, sed etiam naturaliter patiuntur extasim: vnde Conimbricenses narrant Socratem, Platonem, Trismegistum, & alios sæpe fuisse in extasim raptos, & ab omni sensu alienatos. Imò S. Augustinus l. 14. de Ciuit. Dei c. 24. refert de quodam sibi noto, qui pro libito in extasim rapiebatur naturaliter, ita vt nec ignem, nec gladium sentiret. Ex quibus infertur, cùm extasis sit alienatio animæ à sensibus, & sola attentio ad operationes intellectuales, tunc posse animam operari independenter ab omni sensu corporeo, & consequenter posse sine corpore existere, independentia enim in operando arguit independentiam in essendo. V. *Ostenditur animæ immortalitas ex eo quod multi naturaliter patiantur extasim.*

Dices; ad summum probat hæc ratio, posse animā manere vna vel altera hora, aut die sine corpore, non tamen semper: vnde non probatur hinc, animam esse immortalem, nec æternam. Contra, si, vt dixi possit anima durare per vnam horam, vel diem sine corpore naturaliter, ergo & semper, cùm nihil sit secunda hora, vel die, quod eius destructionem exigat, magis quàm prima. Cui etiam fauet commune illud Philosophorum dictum, *Causis eodem modo se habentibus, effectus eodem modo conseruatur.* VI. *Causis eodē modo se habentibus effectus eodē modo conseruatur.*

Probatur sextò ex honore mortuis habito: quod indicat animas adhuc esse superstites, alioqui frustra iis hic honos exhiberetur. Septimò, ex eo quòd nunquam liceat mortuis detrahere, eosque diffamare quod ex eo prouenit, quòd mortui habeant ius ad suam famam, ergo eorum animæ sunt, seu existunt; nec enim quidquam habere potest ius quod nō est. Octauò, hoc idem suadet horror qui naturaliter omnibus incutitur ex conspectu hominis mortui, & loca vbi mortui sepulti etiam ante longum tempus fuerunt, ingrediendi: qui tamen non magis ex hominis, quàm equi, vel canis mortui præsentia nobis eueniret, nisi eius animam adhuc crederemus viuere. Siquis autem respondeat his omnibus eo modo quo obiectionibus præcedentibus, vt respondet quidam, quamuis, meo iudicio, malè operam suam collocet, eodem etiam modo refellitur responsio quo ibi. VII. *Varia alia probationes pro immortalitate animæ.*

SECTIO

SECTIO IV.

Obiectiones contra Animarum immortalitatem.

I. *Soluitur prima obiectio ex scriptura.*

OBiiciet primò illud Ecclesiastæ 3. v. 19. *vnus est interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio, sicut moritur homo, & illa moriuntur.* Resp. primò cum S. Thoma, 1. p. q. 75. a. 6. ad 1. verba illa à Salomone dicta esse in personâ impiorum. Secundò dico, sermonem ibi non esse de morte animarum, sed hominis, seu totius compositi, quoad totum namque eodem modo moriuntur; tam enim non manet homo, seu illud compositum post mortem, quàm non manet equus. Hoc modo locum hunc explicat S. Gregorius Nazianz. S. Hieronymus, & alij.

II. *Quo sensu docet scriptura mortuos nihil amplius posse.*

Obiicies secundò illud Ecclesiastæ 9. *Melior est canis viuus leone mortuo: viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui autem nihil nouerunt ampliùs.* Et v. 10. *Nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Respõdent multi hæc verba proferri in personâ impiorum. Secundò dici potest verissimum esse nec rationem, nec sapientiam futuram apud inferos: quod autem dicitur, mortuos nihil ampliùs nosse, intelligitur eos, qui tunc erant, maximè in Purgatorio & inferno, ignaros fuisse earum rerum, quæ in hoc mundo contingunt, cùm nullum ampliùs habeant cum viuentibus commercium, nisi Deus ipsis peculiariter species nonnullarum rerum, quæ in mũdo geruntur, infundat.

III. *Explicatio sextæ synodi dicentis animas & Angelos per gratiam tantum Dei esse immortales.*

Obiicies tertiò ex sextâ Synodo Generali, Actione 11. in epistolâ Sophronij approbata à Concilio, in qua dicitur, intellectualia, & spiritualia, qualia sunt animæ & Angeli, non per naturam, sed per gratiam Dei esse immortalia. Resp. gratiam duobus modis subinde sumi. primò & præcipuè, pro gratiâ sanctificante, & donis Dei supernaturalibus, quæ sunt planè supra omnem exigentiam naturæ. Secundò, latiùs sumitur gratia pro omni eo quod quocunque modo est donum Dei, licèt sit quid omnino naturale. Cùm ergo Deus gratis animas & Angelos creauerit, possitque absolutè ob perfectum, quod in res omnes habet, dominium, illos destruere, licèt natura sua sint immortales: quòd non vtatur hoc suo dominio, nec eos destruat sed conseruet, est aliqua illis præstita gratia, & beneficium.

IV. *Cur anima horreat separationem à corpore.*

Obijcies quartò: animam horrere separationem à corpore, quod arguit illam tunc debere perire, & amittere esse. Negatur sequela, horror enim ille vel prouenit ex ignoratione quid de eâ post separationem futurum sit, vel ex dolore quòd debeat amicos in hoc mundo, & res quasque sibi charissimas relinquere. Vnde multi qui hæc in vitâ contempserunt, non modò non horrent, sed votis omnibus expetunt separationem à corpore.

V. *Obi. animã extra corpus nullam operationem exercere posse, ergo nec esse.*

Obiicies quintò: anima rationalis nullam potest exercere operationem separata, ergo non manet. Consequentia videtur clara, nihil enim existere potest quod non potest operari. Antecedens probatur, si enim quidquam anima agere posset, maximè intelligere & velle, sed hoc non potest, nam in omni intellectione, & consequenter volitione, dependet à phantasmatibus & sensibus, sed separata nullos habet sensus nec phantasmata, ergo. Resp. animam iuxta multos, etiam dum est in corpore, exercere aliquas operationes intelligendi & volendi independenter à corpore, tum in extasibus illis quæ naturaliter quibusdam contingunt, vt suprà retulimus, tum quãdo intelligit se intelligere, & reflectit supra suos actus intellectus & voluntatis. Sed quidquid sit de hoc, deunita saltem à corpore non est cur superiore quodam & excellentiore modo non operetur, & independenter ab omni sensu corporeo per species sibi inditas à Deo, vel etiam per illas, quas in hac vita acquisiuit.

Resp. animã separatam operari independenter à sensibus.

VI. *Dices, virtutem esse præmium sibi, vitiũ pœnam.*

Obiicies sextò: argumentum illud ex vitâ hîc in virtute à quibusdam, in sceleribus ab aliis transactâ deductum, nihil probare; qui enim vitam in pietate transigunt, præmium suum hîc recipiunt, & è contrà qui sceleratè viuunt, pœnam: virtus namque est sibimet præmium, vitium pœna. Hinc Romanus Philosophus epist. 81. *Rectè fecit, inquit, fecisse merces est.* Et S. Augustinus, *Iussisti Domine, & ita factum est, vt omnis animus malus ipse sit pœna sibi.* Non est ergo cur post hanc vitam, vel præmium illi, vel hi pœnam expectent.

Rectè fecisse merces est.

VII. *Resp. exercitium virtutis cum magnis sæpe ærumnis esse coniunctum, sicque aliud præmiũ exigere.*

Resp. tamen, virtutis exercitium sæpe cum magnis laboribus, ærumnis, ac difficultatibus, cum cruciatibus etiam ac tormentis, imò cum mortis ipsius perpessione frequenter esse coniunctum, ergo præter honestatem virtutis aliud ei præmium debetur, quod cum huiusmodi acerbitate non coniungatur. Vnde in omni bene institutâ Republica præmia virtutem exercentibus semper proponi cernimus. Deinde, homines, quò sceleratiores, eò cum minori scientiæ stimulo se vitiis dedunt. Imò frequenter nullo planè scelerum suorum sensu afficiuntur, sed cum summâ voluptate luxuriantur, quibus proinde vitia non sunt pœna, nisi actiuè, vt aiunt, & causaliter. Æquitatis ergo ratio postulat, vt virtutis præmium illi, hi scelerum pœnam alibi recipiant.

Vitia quibusdam non sunt pœna, nisi causaliter.

DISPVTATIO XI.

Alia quædam discutiuntur circa animam Rationalem.

CAPVT PRIMVM.

De multiplicitate animarum, & modo quo producuntur.

I. *Singulis hominum corporibus singulæ infunduntur animæ.*

QVæres primò: vtrùm animæ rationales multiplicentur ad multiplicationem corporũ? Resp. affirmatiuè contra Pythagoræos statuentes transmigrationem animarum ab vno corpore hominis ad aliud, imò & in corpora brutorum. Conclusio tamen nostra est de fide, & definita in Concilio Lateranensi, loco disp. præcedente, sec. primâ citato: Ratio est, quia Deus vt author naturæ semper dispositis diuersis corporibus, animas ad eorum dispositionem infundit.

II. *Animæ sceleratorum hominum non transmigrant in corpora brutorum.*

Quòd verò non transmigrent animæ in corpora brutorum, multo videtur certius; tum quia non est cur in pœnam, vt dicebant illi, infundantur flagitiosorum hominum animæ in corpora brutorum; illa enim propriè non est pœna, cum non sciatur, nec sentiatur: neque enim cognoscunt animæ in brutis se eò esse ablegatas, nec quidquam recordantur eorum, quæ aliquando in corpore humano gesserunt. Longè verò magis abest à vero illud nonnullorum delirium, qui vnam tantùm numero asserebant esse animam, sicut Auerroës posuisse fertur vnum intellectum vniuersalem omnibus hominibus com-

munem: de quo in Logica, cùm de vniuersali.

III. *Anima rationalis non producitur à parentibus.* Quæres secundò: Vtrum anima rationalis producatur à parentibus? Resp. negatiuè, vt etiam est de fide; sed disposita à parentibus materia, producitur à solo Deo. Ratio est, quia anima est independens à subiecto, sicque produci debet per creationem; nullum autem agens naturale, saltem de facto, creat, quicquid dicant aliqui de possibili, vt in Physicis vidimus d. 41. sect. 6. De fide etiam est non fuisse productas animas rationales priùs quàm vnirentur, vt volebat Plato, & Origenes, hoc affirmans ex illo Gen. 2. v. 2. vbi dicitur, *Deus requieuisse ab omni opere quod patrarat*. *Error Platonis & Origenis circa animarum productionem.* At hic locus, siquid probet, probat omnes etiam formas materiales, & accidentia fuisse intra sex illos primos dies producta.

IV *Animæ non sunt creatæ ante corpora.* Cùm ergo anima sit natura sua forma corporis, Deus qui, vt auctor naturæ, se ad exigentiã causarum secundarum accommodat, potius in materia dispositionibus requisitis, animam creat, & infundit. Deinde, nulla sunt indicia fuisse animas creatas ante corpora, aliquos enim actus in statu illo separationis elicuissent, & iam recordarentur rerum quas ibi gesserant: sicut quando animæ redeunt ex Inferno, aut Purgatorio, recordantur earum quæ isthic viderunt. Ac proinde, nisi velimus ponere tot miracula, non possunt animæ primò fuisse productæ, & tanto tempore extitisse sine corporibus.

SECTIO II.

Vtrùm anima Rationalis sit formaliter vegetatiua & sensitiua.

I. Resp. affirmatiuè: anima enim rationalis est formaliter sensitiua, vt mox ostendam, anima autem sensitiua est etiam formaliter vegetatiua, potest siquidem disponere materiam ad extensionem sui, vel ad nouæ partis animæ sensitiuæ, aut vnionis productionem, eamque producit, & consequenter se auget & nutrit: sed hoc est formaliter esse vegetatiuam, seu nutritiuam, nec enim ob aliam causam dicuntur plantæ vegetare, nisi quia nouam partem suæ formæ, vel vnionis producunt in noua parte materiæ, & se nutriunt. *Ostenditur animam rationalem esse formaliter vegetatiuam, & sensitiuam.* Quod autem anima sensitiua producat nouam illam partem formæ, vel vnionis videtur certum; sicut enim anima vegetatiua producit partem sui, ita & sensitiua sui, vel vnionis. Cùm ergo anima rationalis possit hoc modo disponere materiam ad extensionem sui in ea, & producere nouam partem vnionis, erit formaliter vegetatiua. Deinde est formaliter sensitiua: nam eadem anima in homine intelligit & sentit, ergo elicit sensationes, ergo est sensitiua: si enim idem principium non esset intelligens & sentiens sed sensationes efficerentur & reciperentur in alia forma, non possent conducere animæ ad intelligendum. De quo postea latiùs.

II. *Diuersitas harum operationum non arguit diuersitatẽ formarum.* Secundò probatur: si enim hæc diuersitas operationum arguat diuersitatem formarum, non essent in homine tres solùm formæ, sed plures: quidni enim hoc modo erit vna forma ad assentiendum, alia ad dissentiendum, alia ad amandũ, alia ad odio habendum &c. cùm hæ operationes non sint diuersæ solùm, sicut nutritio, & sensatio, sed etiam contrariæ, & consequenter magis repugnantes, vt procedant ab eodem principio: sicut calor & frigus in gradibus intensis requirunt diuersa principia, ignem scilicet & aquam.

III *Sequeretur tot esse animas in homine, quot sunt diuersæ operationes sensuum.* Conf. primò, eodem modo ad singulas operationes sensuum diuersa deberet assignari anima, & alia erit anima visiua, alia auditiua, & sic de cæteris. Dices; sufficit diuersum principium accidentale ad has operationes. Contrà, ergo & ad nutritionem, & sensationem. Conf. secundò, in omnibus propè rebus secundùm hunc modum philosophandi deberent assignari plures formæ; sol enim diuersissimos effectus, vt plantas, vel saltem metalla producit, item exsiccat, liquefacit, indorat &c. Sicut ergo in hic diuersissimæ operationes possunt ascribi eidem principio, poterunt similiter in anima.

IV. *Aliud est vegetatiuũ aliud vegetabile.* Si tamen per *vegetatiuam* intelligatur idem atque *vegetabile*, seu quod potest augere se, anima rationalis non erit hoc sensu vegetatiua; sed iam erit quæstio de nomine: ad vegetationem enim sufficit quòd producatur noua pars vnionis, & consequenter noua pars viuentis, hæc enim est propriissimè nutritio & vegetatio, licèt forma ipsa non augeatur in se.

SECTIO III.

Quæ formæ præcedant animam in primâ eius infusione.

I. *An ante animam rationalem alia anima in materiã inducatur.* Quæstio est, vtrum ante animam rationalem infundatur in materiam, in quam illa postea inducitur, anima primò vegetatiua tantùm, postea hac expulsâ, sensitiua tantùm, & tandem expulsâ priori sensitiuâ, rationalis. Affirmant Conim. l. 2. de Anim. c. 1. qu. 4. ar. 2. & fauere videtur S. Thomas. 1 p. q. 118. ar. 2. fine, licèt explicari possit quòd solùm velit hominem primò viuere vitâ plantæ, deinde animalis, tertiò hominis, id est, priùs exercere operationes vegetandi, deinde sentiendi, vltimò ratiocinandi.

II. *Ante animã rationalem non inducitur alia anima in materiam.* Contrarium tamen videtur probabiliùs: tum quia certum est, & apud omnes in confesso, imò sæpe insinuatũ in Scripturâ nasci homines, ergo tunc quãdo nascuntur, materia seu corpus informatur anima rationali, alioqui non essent homines; sed tunc non potest anima illa exercere operationes ratiocinandi, ergo quòd ab initio defectu dispositionum non potuerit sentire, non magis arguit non habuisse compositum illud animam sensitiuam, quàm quando nascitur, non habere rationalem, cùm tunc nullum actum rationis possit elicere. Deinde, si immediatè ante animam rationalem fuit aliqua anima sensitiua in illo corpore, non fuit anima sensitiua in communi, sed aliqua particularis, ergo materia ex qua postea constituitur homo, immediatè antè constituebat brutum.

III. *Sequeretur ad animas animalium perfectorum debere alias animas antecedere.* Tertiò, quia ad omnes formas brutorum, saltem perfectorum, deberent eodẽ modo præcedere duæ aliæ, nempe vna vegetatiua, alia sensitiua: sicut enim ideo ab his ponitur alia prior animâ rationali, quia non potest tunc anima rationalis elicere vltimam suam operationem, ita & ad formam equi vel leonis poni alia deberet, cùm non possint etiam in initio elicere vltimam suam operationem. Quartò quia in cane statui deberet alia forma post nonum diem, si ad singulas nouas series operationum velint ponere nouam formam.

IV. *Natura incipit ab imperfectioribus quomodo intelligendũ.* Dices; *natura incipit ab imperfectioribus*, & paulatim ascendit ad perfectiora, ergo immediatè à formâ seminis non debet materia transire ad animam rationalem, formam nobilissimam. Contrà primò ergo nec à formâ illâ sensitiuâ imperfectissimâ transire immediatè debet ad animam rationalem, cùm multæ sint formæ intermediæ, per quas, si adeò religiosè obseruanda esset hæc gradatio, deberet transire. Contrà secundò, materia viâ corruptionis immediatè transit ab anima rationali ad formam cadauericam, omnium fortassè formarum imperfectissimam, ergo sicut in descensu non obseruatur semper hæc gradatio, ita non est cur obseruetur in ascensu.

Hoc

V. *Quo sensu homo vivat primò vitâ plantæ, deinde vitâ animalis, postremo vita hominis.*

Hoc ergo dictum non intelligitur semper de gradatione substantiali, sed de accidentali: hoc autem in ea videmus semper, per se loquendo contingere, & consonat dictum illud Philosophi suprà allatum, nempè, *homo primò vivit vitâ plantæ, deinde vitâ animalis, postremum vitâ hominis.* Et sicut hæc gradatio observatur in ascensu, ita vice versâ in descensu: primò enim per se loquendo deficit hominem moribundũ ratio, & senes frequenter repuerascunt: deinde cum deficit sensus, & senes in ætate iã decrepitâ omnibus penè sensibus destituuntur: atque ita sicut primò, ita & vltimò *vivit homo solum vitâ plantæ.* Dixi *per se loquendo*; nam in subitis quibusdam casibus omnes fortè operationes, & sensus simul deficiunt, vt constat dum quis subitò extinguitur.

Homo, vt primo, ita postremo vivit vita plantæ.

VI. *Quàm primum materia est organizata infunditur anima, licèt non statim possit omnes suas operationes exercere.*

Infunditur ergo anima rationalis quamprimum materia est organizata virtute seminis ad corpus humanum. Quod verò non possit statim exercere omnes suas operationes, id ei prouenit per accidens; & si hoc obstaret, non deberet, vt dixi, infundi anima rationalis nisi diu post ortum infantem, cùm nec statim post natiuitatem possit defectu dispositionum requisitarum elicere operationes rationis, saltem non potest ante natiuitatem, & tamen certum est ante eam infundi animam rationalem, alioqui non nascerentur homines. Sicut eodem modo in osse & carne hominis est eadem anima quæ in capite, licèt defectu dispositionum, in osse viuat tantùm vita plantæ, in carne vitâ animalis, & in capite vitâ hominis. Quod ergo hic contingit in eâdem animâ respectu diuersarum partium corporis & loci, fit ibi respectu diuersi temporis.

SECTIO IV.

Vtrùm status separationis sit Animæ Rationalis connaturalis.

I. *Duobus modis sumitur connaturale. Vt hic sumatur exponitur.*

ANte resolutionem, notandum primò: connaturale duobus modis sumi; vel pro vt distinguitur contra supernaturale, vel contra violentum. Quæstio autem hic procedit de secundâ acceptione. nam, de primâ, non dubium quin sine miraculo existere possit anima sine materiâ. Notandum secundò cum omnibus communiter: posse aliquid esse violentum, quod non solùm est contra efficientiam, sed etiam contra exigentiam, vel inclinationem alicuius rei. Sic communiter dicitur materiam fore violentam sine omni formâ, cum tamen formas non efficiat, & tam connaturaliter est sub animâ rationali, quàm sub alijs formis, ad quam tamen non concurrit, ne quidem materialiter.

II. *Status præsentis controversiæ.*

Ne ergo quæstio sit de nomine, quærimus vtrum status separationis sit contra inclinationem animæ, siue dicendus sit violentus, siue non. Tertiò notandum ablationem illius, quod rem aliam valde perficit, non semper illi esse violentam, sicut ablatio lucis non est aëri violenta, licèt à luce valde perficiatur. His positis.

III. *Animæ separatio est composito violenta.*

Dico primò: respectu totius compositi, animæ separatio est violenta. Videtur omninò certum, cùm sit à principio extrinseco, passo non conferente vim, sed renitente, cum per destructionem illius vnionis compositum destruatur.

IV. *Deus vt auctor naturæ producere nequit animam primò, nisi vnitam corpori.*

Dicò secundò: Deus vt author naturalis producere nequit animam primò, nisi vnitam corpori. Ratio est, quia vt auctor naturæ agere debet secundùm exigentiam causarum secundarum; cùm ergo nihil sit ex parte causarum secundarum, quod exigat animam primò produci sine corpore, sed potiùs contrarium, cùm semper priùs disponatur materia, & ad illius dispositionem Anima producatur, consequens est debere eam primò produci coniunctam corpori. Quo tamen non obstante, potest postea conseruari separata, cùm agentia naturalia petant destructionem vnionis, per quam est in materiâ, & consequenter exigunt vt separetur, destructio enim vnionis est separatio.

V. *Status separationis non est animæ violentus.*

Dico tertiò: hæc separatio non est animæ violenta. Probatur, licèt enim vnio sit animæ perfectio, itaque illam perdendo, perfectionem aliquam amittat, aliam tamen non minorem, imò aliquo modo maiorem acquirit, nempe modum operandi nobiliorem, actus scilicet intuitiuos, & perfectam rerum notitiam; cùm tamen in corpore, saltem corruptibili, cæco penè modo omnia cognoscat. Sicut ergo materia quando deperdit vnam formam, non patitur violentiam, quia accipit aliam, nec natura humana dum in Incarnatione impediebatur à propria subsistentia, quia accepit Diuinam; ita nec anima, licèt in separatione amittat aliquam perfectionem, dici potest pati violentiam, cùm aliam illius loco recipiat.

VI. *Non est separatio contra naturã, quando loco vnionis datur aliquid quod eam compensat.*

Objicies primò cum Conimb. tract. de Ani. separata, d. 2. ar. 3. vnio cum corpore est naturalis animæ, ergo illius amissio est contra naturam, alioqui verificarentur duo contradictoria. Resp. distinguendo consequens, illius amissio est contra naturam quando non datur ipsi aliquid aliud, quod vnionem hanc in aliquo genere compenset, concedo consequentiam; quando datur aliquid compensans, nego: vt in exemplis proximè allatis de materiâ prima, & natura humana Christi constat.

VII. *Nec hinc sequitur animam violenter detineri in corpore.*

Objicies secundò: ergo anima hic in corpore est violenta, cùm priuetur illis perfectissimis actibus, & altiori cognoscendi modo. Resp. negando sequelam, ad probationem dico, licèt priuetur illis perfectis actibus dum est in corpore, habet tamen complementum substantiale, & alias actiones, nempe operationes omnium sensuum, quas exercere non potest separata. Vnde fortè perfectio hæc substantialis in corpore, simul cum alijs illam comitantibus censeri posset æqualis alteri, sicque vterque status erit æquè naturalis.

VIII. *Res non patitur semper violentiam dum loco perfectioris accipit aliquid imperfectius.*

Secundò dico, non semper esse alicui rei violentum quando priuatur re quapiam perfectiori, & solùm aliquid imperfectius illius loco recipit: sic enim non est violentum materiæ amissâ animâ rationali recipere illius loco formam cadaueris, nec naturæ humanæ, si dimitteretur à Verbo Diuino, esset violentum recipere propriam subsistentiam: sicut nec intellectus vim vllam patitur, quando relinquendo actum scientiæ elicit actum opinionis, vel etiam quando relicto actu scientiæ cessat ab omni operatione. Nec quoad hoc spectandus est appetitus elicitus, esto enim anima mallet fortè existere separata, coniunctio tamen non est illi violenta: sicut nec subsistentia propria est humanæ naturæ violenta, licèt mallet habere Diuinam; nec actus opinionis, licet mallet habere scientiam. Quare non ita ad amussim sibi hac in parte correspondent appetitus innatus, & elicitus.

IX. *Obj. quicquid conuenit toti, conuenit ei ratione alicuius partis.*

Objicies tertiò cum P. Hurt. d. 18. de Ani. sect. 3. § 12. Mors est violenta homini, ergo ratione alicuius partis; non ratione materiæ, vtpote quæ indifferens est ad formam viuentis vel non viuentis, ergo ratione animæ: quicquid enim conuenit toti, conuenit ei ratione alicuius partis. Conf. dispositiones in homine resistunt morti, sed hę peculiariter tribuuntur animæ, ergo anima resistit morti, & contrariatur separationi, ergo separatio est ipsi violenta.

X. *Resp. non semper alicui...*

Ad argumentum Resp. primò, non quicquid cõuenit toti, semper ipsi conuenire ratione alicuius in-

quid conuenire toti ratione alicuius partis.

eo contenti, sed ratione ipsius totius adæquatè sumpti, vt constat in infinito, & in his & similibus propositionibus, *omnia elementa sunt quatuor*, &c. Resp. secundò. mortem esse violentam toti nec ratione materiæ nec ratione formæ præcisè & secundùm se sumptæ, sed ratione vnionis: vnde mors non est violenta animæ secundùm se, sed solùm vt vnitæ, & vt est pars totius, cuius, quà pars est, præcipuè bonum spectat, est autem talis formaliter per vnionem.

Mors est violenta toti ratione vnionis.

XI. Et per hoc patet ad confirmationem, esto enim dispositiones illæ resistant dispositionibus tendentibus ad destructionem vnionis, hæ tamen non sunt violentæ animæ secundùm se sumptæ, vtpote quæ sine dispositionibus naturaliter possit existere. Solù ergo sunt violentæ animæ vt vnitæ, & consequenter vnioni, quod enim tribuitur alicui redoplicatiuè ratione alterius, tribuitur ipsi rationi redoplicatæ: sic cùm dicimus *paries vt albus videtur*, sensus est videri solam albedinem Secundò dici posset, esto sint etiã animæ violentæ illæ dispositiones, vtpote naturalibus ipsius dispositionibus contrariæ, id tamen non prouenire ex eo quod tendant ad separationẽ animæ à corpore, sed quod obstent quominus anima habeat perfectionem sibi in hoc statu debitam, & consequenter impediantur operationes, quas etiam in corpore elicere debeat: qua de causâ ipsas expellit, & recuperat proprias, vt meliùs possit producere operationes sibi pro hoc statu connaturales, & debitas, ad quas, nisi dum vnita est corpori sis expedita, est in statu aliquo modo violento.

Quomodo dispositiones ad separationem tendentes sint animæ violentæ.

SECTIO V.

Quos actus elicere possit anima in statu separationis.

I. *Anima separata non potest elicere actus sensuum.*

IN primis, non posse elicere operationes materiales sensuum æquè videtur certum, ac posse elicere spirituales, actus scilicet aliquos intellectus & voluntatis Primum constat, vel enim non deficit secum potentias materiales, auditum, visum &c. si ab animâ distinguantur, vel saltem non habet dispositiones materiales, & organa ad operationes illas requisita. Secundum probatur, tunc enim perfectissimè debet intelligere, cum libera sit à mole & grauamine corporis, versarique debeat cum aliis animabus & Angelis, & consequenter species intuitiuas habebit, vel infusas sibi à Deo, sicut habent Angeli, vel productas ab obiectis ipsis spiritualibus, vt volunt aliqui, & insinuat P. Suarez l. 6. de Anima, cap. 6. & deinceps.

Potest elicere actus intellectus.

II. *Potest anima separata elicere actus abstractiuos, similes iis, quos elicuit coniuncta.*

Præterea, anima exercet actus intellectus, & consequenter voluntatis similes iis quos exercuit in viâ, nempe abstractiuos & imperfectos. Ita omnes communiter cum S. Thoma 1. p. quæst. 89. a. 6. Ratio est, quia non est vnde species in viâ acquisitæ corrumpantur, cùm non dependeant à corpore, sed sint mera instrumenta animæ, sicut sunt intellectus & voluntas. Idem est de habitibus vel voluntatis vel intellectus, si dentur distincti à speciebus de quo posita. Cùm ergo deferat secum anima principium harum operationum, non est cur eas elicere non possit, etiam separata.

III. *Quomodo excitentur species in animâ separata.*

Excitantur autem species in eo statu à solâ voluntate, non à phantasmatibus vt hîc in viâ communiter contingit. Deinde, recordantur animæ eorum quæ egerunt vel didicerunt in vitâ, ergo retinent species memoratiuas illarum rerum: & licèt quidem possit Deus species de nouo ad hæc munera iis infundere, non est tamen cur id præstet, cùm priores sufficiant. In animabus tamen Beatorum nullus manet habitus vitiosus siquem fortè in hac vitâ acquisierant, sicut nec honestus vllus in Inferno, cùm hisce statibus non conueniant.

IV. *Licèt anima separata eliciat actus intuitiuos, non obstat quo minus eliciat etiã abstractiuos.*

Dices primò; habet anima in eo statu perfectiores species, cur ergo retinebit has? Contrà, sic vir elicit operationes perfectiores iis, quas elicie bat puer, alias tamen etiam nunc habet, similes iis quas habebat puer, quæ nimirum eliciantur à speciebus quas acquisiuit in pueritiâ. Quo sensu intelligẽdus est Apostolus 1. ad Corinth. 13. v. 10. vbi ait scientiam euacuatum iri ex parte, id est, quoad imperfectionem seu non mansuram in patriâ scientiam nostram de Deo imperfectam & ex parte solùm, sed perfectè eũ cognoscemus sicuti est. Sicut hîc etiam in viâ sæpe habemus simul scientiam & opinionem de eodem omninò obiecto.

V. *Licèt in beatis non sit fides, possunt tamen esse actus naturales abstractiui.*

Imò Christus habuit simul varias scientias earundem rerum, vt communiter docent Theologi tertiâ parte, cùm de Incarnatione, primò enim habuit scientiam beatam, seu visionem beatificam, qua res vidit in Verbo: scientiam etiam per se infusam, qua res vidit in seipsis: præterea scientiam naturalem earundem rerum per accidens infusam: & tandem experimentalem. Quod autem in patria non sit futura fides, sicut nec Christus illam habuit, nil obstat quominus sint ibi actus naturales habiti per species abstractiuas, fides enim solùm subordinatur visioni *quasi lucerna, donec dies illucescat*, vt loquitur S. Petrus epist. 2. c. 1. v. 19. vnde in patria, illucescente die, & tenebris cessantibus, ac fine ad quem fides ordinatur, cessat.

VI. *Anima separata videt quædam intuitiuè, de quibusdam discurrit.*

Cognoscit ergo anima separata intuitiuè obiecta vt plurimum infra se, præter secreta cordium, videt etiam intuitiuè Angelos, eo modo quo Angelus inferior cognoscit superiorem: ita Suar. l. 6. de Ani. c. 6. 7. & 8. per species autem quas hîc acquisitas secum defert, discurrit etiam separata, & discurrendo longè perfectiores species abstractiuas indies comparat.

VII. *Anima separata habet potentiã mouendi se & alia.*

Quæres vtrum in Anima separata sit potentia motiua? Quòd possit anima separata seipsam mouere non est dubium. Imò nec dubitandum videtur, quin habeat virtutem mouendi alia à se, sicut habẽt Angeli: alioquin essent animæ separatæ instar tot statuarum, & stipitum. Nec sequitur, potentiam motiuam animæ esse materialem, magis quàm potentiam motiuam Angeli: sicut enim potest potentia motiua spiritualis Angeli producere terminum materialem, nempe impetum, & motum in rebus corporeis, ita quidni idem poterit potentia motiua animæ?

DISPV-

DISPVTATIO XII.

De Potentiis Animæ

POtentiæ Animæ rationalis sunt in duplici differentiâ, materiales aliæ, vt sensus tam interni quâ externi: aliæ spirituales, vt intellectus, & voluntas, quæ Angelis & animabus, etiam à corporibus separatis conueniunt. De vtroque potentiarum genere hîc agendum. Prius tamen quædam de potentiis generatim præmittenda.

SECTIO PRIMA.

Propositis sententiis, statuitur quid de potentiarum distinctione sit tenendum

I. *Decem vel duodecim diuersæ sunt de distinctione potentiarum sententiæ.*

DEcem vel duodecim diuersæ hac de re sunt sententiæ. Alij enim potentias sensitiuas distinguunt, non vegetatiuas. Alij materiales in homine vt sensus, non spirituales, intellectum scilicet & voluntatem tam in homine, quàm in Angelo. Alij potentias materiales distingui volunt à formâ in solo homine, nō in alijs animalibus, quòd scilicet actus materiales subiectari non possunt in formâ spirituali. Alij, licèt de facto nullam dari asserant substantiam, & consequenter nullam animam quæ operetur sine potentiis distinctis, talem tamen affirmant non esse impossibilem. Alij ita per potentias distinctas operari substantias omnes volunt, vt nullam vel de potentia absolutâ creari posse existiment, quæ sine potentiis operetur. Omnes tamen hæ sententiæ præcipuè reducuntur ad duas quæ hodie celebriores sunt in scholis: altera est Thomistarum, potentias vniuersim ab animâ distinguentium; Scotistarum altera & Nominalium, qui hanc potentiarum ab animâ distinctionem vniuersim negant, quas proinde accuratiùs discutiemus.

II. *Prima sententia statuit potentias ab animâ distinctas.*

Prima ergo sententia affirmat potentias omnes distingui ab animâ: ita Albertus Magnus in 1. d. 3. ar. vlt. & l. 2. de Ani. quæst. 7. Alensis 2. p. qu. 65. memb. 1. Caiet. 1. p. quæst. 77 ar. 1 Sotus in Logica, cap. de Proprio, quæst. 2. & tota Thomistarum schola. Tolet. hic l. 2. c. 4. qu. 9. Suar. hic l. 2. c. 1. nu 5. Valen. 1. p. d. 6. qu. 3. pu. 2. *Nihilominus*. Mol. 1. p. q. 14. ar. 3. Conim. hic, c. 3. qu. 4. ar. 2 Ruuius tract. de potentiis, q. 1. Murcia hic, l. 2. qu. 1. §. *Dico secundò*. & alij. Estque sine dubio sententia valde probabilis.

III. *Secunda sententia negat potentias distingui ab animâ.*

Secunda sententia est. D. Bonauenturæ in 1. d. 3. q. 3. Scoti in 2. d. 16. q. vnica. Okami in 2. d. 10. qu. 24. & 26. Gregor. in 2. d. 16 qu. 3. Gab. in 2. d. 16. qu. vnica, cōcl. 2. Henric. quodl. 3. q. 14. P. Hurt. d. 4. de Anima sect. 4. nu 63. P. Arriagæ hic d. 3. l. 3. nu. 118. P. Ouiedo hic cont. 3. p. 2. nu. 8. & plurimorum ex recentioribus. Dicit ergo hæc sententia, potentias non esse accidentia animæ & Angelo superaddita, vt volebat prior opinio, sed esse ipsam Animæ, & Angeli substantiam. Et licèt Scotus inter animam & potentias statuat distinctionem quandā formalē, seu ex natura rei, vt vocat, hæc tamen re ipsâ non est nisi distinctio rationis, cùm eandem ponat inter animal & rationale, & inter Relationes & Naturam Diuinam.

IV. *Ratio huius sententiæ est, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.*

Ratio præcipua huius opinionis est, quia *non sunt multiplicanda entia sine necessitate* cuius tamen necessitatis hîc nullum apparet vestigium. Sicut ergo aliqui, licèt malè, hoc titulo negant modos, vtpote, vt aiunt, otiosos (quos tamen ægrè quisquam, vt existimo, nisi difficillimè, & obscurissimè philosophando sustulerit) ita longè maiore ratione tolli poterunt potentiæ intellectiuæ & volitiuæ, cùm non minùs imò multò magis superfluus sit intellectus otiosus, quàm modus. Cùm anima secundùm S. Thomam, vt suprà vidimus, & alios auctores contrariæ sententiæ, est principium ipsius intellectus & voluntatis, quidni ergo & actuum intellectionis ac volitionis? cum non minorem in productione proportionē habeat cum actibus, quàm cum potentiis.

V. *Nulla experientia probat potentias distingui ab animâ.*

Secundò probatur, siquid suaderet necessitatem distinguendi potentias ab animâ, maximè experientiæ, in quibus videmus aliquas substantias operari per potentias accidentales à se distinctas, sed nulla omninò est experientia, quæ probat vllam substantiam operari *ad intra* vel totaliter, vel partialiter per potentiam, aut accidens distinctum, ergo.

VI. *Ostenditur auctoritate potentias ab anima non distingui.*

Tertiò probatur hoc idem auctoritate S. Augustini l. de Spiritu & Animâ, cap. 13 quam affert P. Hurt. loco proximè citato: *Anima*, inquit, *secundùm sui operis officium varijs nuncupatur nominibus: dicitur namq́, vitalis anima dum vegetat, spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit &c. ista tamen non differunt in substantiâ, sicut in nominibus, quoniam omnia ista vna anima est*. & licèt hic liber communiter non censeatur S. Augustini, vt exinde probatur, quòd in eo mentio fiat Boetij, qui diu vixit post tempora S. Augustini, omnes tamen fatentur esse auctoris docti & eruditi, multique censent esse Hugonis de S. Victore. Idem asserit S. Isidorus l. 11. Etymologiarum: *Anima*, inquit *dum viuificat corpus, anima est, dum vult, voluntas; dum intelligit, mens; dum recolit memoria; dum aliquid sentit, sensus*. S. item Bernardus ser. 11. supra Cant. sic habet; *In animâ tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hac tria eandem esse animam*.

VII. *Probabilius est potentias ab anima non distingui.*

Dicendum ergo cum hac sententiâ, Potentias animæ esse realiter ab eâ distinctas, exceptâ fortè potentia motiuâ, de qua postea. Sensus autem materiales sunt ipsa substantia animæ, quæ est adæquatum principium effectiuum sensationū ex parte potentiæ, connotat tamen organa, & dispositiones materiales ad has operationes requisitas: quo sensu siquis contendat sensus distingui ab animâ, quæstionē fecerit de nomine: quod enim dicimus est, non requiri potentiam aliquam accidentalem, quæ vel sola visionem, ex. gr. auditionem, aut tactum efficiat, vel vnà cum animâ ad hos actus eliciendos physicè concurrat, sicut affirmabat prior sententia.

VIII. *Difficultas est an potentia motiua distinguatur ab animâ.*

Dixi exceptâ potentiâ motiuâ, vtpote quæ non sit purè operatiua ad intra, cùm Anima & Angelus per hanc operentur etiam ad extra, producunt enim impulsum, & motum in alijs rebus; vnde probabile est ad hoc munus dari potentiam aliquam ab eorum substantiâ distinctam; sicut omnes aliæ substantiæ, vt operentur ad extra, habent potentias distinctas: licèt nec hoc fortè sit necessariò asserendū, vt videbimus disp. sequente, sect. 4.

SECTIO II.

Argumenta quædam contendentia potentias adæquatè distingui ab Animâ.

I. *Obij. requiri potentias ad determinandum animam ad agendum.*

ARguitur à nonnullis primò: quandocunque res aliqua est indifferens ad diuersas operationes, habere debet aliquod determinatiuũ, per quod ad vnam potiùs determinetur, quàm ad aliam. Sic sol indifferens ad indurandum, vel liquefaciendum determinatur ad hanc vel illam operationem à dispositionibus ceræ, & luti. Cùm ergo anima sit ex se indifferens ad intelligendum & volendum, debet per aliquid determinari, ergo dari debent huiusmodi potentiæ, per quas determinetur.

II. *Contra, ergo etiam in homine sunt plures intellectus & voluntates. A quo determinetur anima ad agendum.*

Sed contra, eodem enim modo argueretur, non vnum solum intellectum & vnam voluntatem ponendam esse in homine, sed tot, quot sunt diuersæ operationes, sicque alius deberet esse intellectus ad apprehendendum, alius ad iudicandum, vnus ad assentiendum, alius ad dissentiendum: vna voluntas ad amandum, alia ad odio habendum &c. Resp. itaque ad intelligendum determinari sufficienter animam per speciem, ad volendum verò per actum intellectus, qui volitionem semper antecedit; nec enim aliud ad hoc requiritur, quàm vt ipsi proponatur obiectum quod amet, vel auersetur, ne feratur in incognitum, alia autem determinatio non est necessaria.

III. *Dices, ergo anima amat intellectu, & voluntate intelligit.*

Arguitur secundò: si intellectus & voluntas non distinguantur, ergo *anima amat intellectu, & voluntate intelligit* Contrà primò, idem argumentum solui ab omnibus debet in intellectu & volontate Diuinâ, quæ inter se realiter identificantur. Contrà secundò, animal & rationale identificantur in homine, & tamen non propterea dicere licebit, *homo sentit per rationale, & per animal discurrit.* Ratio est, quia hæ propositiones faciunt sensum formalem, vt in Logica ostendimus, & in iis includitur tacita reduplicatio. resp. ergo materialiter & identicè animam intelligere per voluntatem, & per intellectum velle, sicut etiam homo materialiter intelligit per animal, & per rationale sentit, propter realem inter vtrumque identitatem.

Resp. negando, quia hæ propositiones faciunt sensum formalem.

IV. *Obij. habitus superna turales distinguuntur à gratia, ergo & potentia ab anima.*

Tertiò: in supernaturalibus habitus supernaturales, qui sunt quasi quædam potentiæ, distinguuntur à gratiâ, quæ se habet in supernaturalibus instar naturæ in naturalibus: ergo & potentiæ distingui debent ab anima. Contrà primo, asserunt multi gratiam non distingui à charitate, ad quod affirmandum non leue præbet fundamentum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7 ergo omnes potentiæ non deberent distingui ab animâ in naturalibus, sicut nec omnes habitus distinguuntur à gratiâ in supernaturalibus. Contrà secundò, ergo quot habitus dantur diuersi in supernaturalibus, vt fides & prudentia in intellectu, misericordia, iustitia, spes, charitas, pœnitentia, & cætera in voluntate, tot erunt potentiæ distinctæ in naturalibus.

Hæc obiectio nimium probat.

V. *Ostenditur disparitas inter habitus supernaturales, & potentias.*

Resp. ergo, ex separabilitate horum habituum colligere nos eorum distinctionem: quod enim à se & à gratia distinguantur habetur ex Con. Tridentino sess. 6. cap. 15. & can. 28. vbi definitur fidem non destrui per quoduis peccatum mortale simul cum gratia & charitate, quæ per quoduis peccatum mortale destruuntur, & idẽ est de spe: ergo spes & charitas distinguuntur ab aliis habitibus supernaturalibus. Nil autem tale habemus pro distinctione potentiarum ab animâ.

VI. Arguitur quartò potentiæ materiales distinguuntur & inter se, & ab anima: inter se, nam non est idem sensus visus, & auditus; ab animâ, quia videmus homine viuente deperdi hos sensus. Resp. ob hanc experientiam non necessariò concedendum distingui hos sensus ab animâ, saltem adæquatè, sed dici potent eos præter substantiam animæ includere organa & dispositiones, quibus destructis, pereunt inadæquatè. Principium tamen adæquatè elicitiuum operationũ omnium sensuum est sola anima.

Obij. homine viuente perire sensus, ergo distinguuntur ab animâ. Resp. sensus perire quoad dispositiones.

VII. *Aliquos videmus homines sapere, tamen carere intellectum & voluntatem.*

Hoc vero argumentum si quidquam probet, probat perire etiam intellectũ & voluntatem cum quis incidit etiam in insaniam, & pueros recens natos nec habere intellectum nec voluntatẽ, vel si hæ potentiæ possint esse, & tamen in operationibus dependere ab accidentibus quibusdam, & organis rectè dispositis, quidni ab iisdem in operando pendere potest anima?

VIII. *Non sequitur animam separatam posse videre, aut audire.*

Arguitur quintò: si anima sit potentia visiua, auditiua, &c. ergo anima defert secum has potentias, ergo quando est separata, petet concursum ad operationes sensuum: quod tamen nullus concedet. Resp. eodem modo quo priori difficultati, inquiro enim cur puer in infantiâ non petat concursum ad perfectas operationes intellectus & voluntatis? Si ob defectum dispositionum, idem dic in præsenti de actibus sensuum.

IX. *Obij. res aliæ operantur mediis accidentibus, ergo & anima.*

Sextò arguit P. Suarez ab inductione in aliis rebus. Videmus, inquit, alias omnes res agere mediis potentiis quibusdam, & accidentibus distinctis: corpora cælestia mediâ luce, & aliis qualitatibus, per quas in sublunaria influunt: elementa mediis primis qualitatibus: mixta similiter & per primas qualitates, & alias sibi connaturales: quidni ergo idem dici debet de animâ, & Angelis, nẽpe operari per potentias distinctas? Contrà, hæc inductio nimium, & consequenter nihil probat, probat siquidẽ intellectum & voluntatem operari posse etiam ab Angelo & animâ separatas, quod tamen Suarez & alij negant, habẽtque pro maximo inconuenienti, si concederetur. Quòd autem hoc sequatur, probo, nam aliæ qualitates, & potentiæ operantur separatæ, vt albedo, calor & reliqua accidẽtia & species in sanctissimo Sacramento, quæ eodem modo operantur separatæ à substantiâ panis, atque illi vnitæ.

Quod nimium probat, nihil probat.

X. *Resp. hoc solum probare ergo substantiam potentiis distinctis ad operandum ad extra, non ad intra.*

Resp. ergo disparitatem esse, quòd illæ omnes operationes sint ad extra, hæ operationes autem animæ ad intra, vnde nullum hinc desumitur argumẽtum ad probandum potentias distingui in animâ, licèt distinguantur potentiæ ab aliis rebus. Imò hinc potiùs conficitur argumentum contra hanc sententiam: docet enim P. Suarez, & plurimi ex auctoribus illius sententiæ, essentias vniuersim per emanationem producere suas passiones, & aquam se reducere ad suam frigiditatem, ergo substantia, vt operetur ad intra, non eget potentiis à se distinctis, sed operationes animæ, vt intellectio, volitio &c. sunt ad intra, ergo ad has operationes exercendas non eget anima aliquo à se distincto.

SECTIO III.

Alia argumenta pro distinctione potentiarũ.

I. *Obij. potentias animæ intenduntur & remittuntur, ergo sunt qualitates.*

ARguitur septimò, potentiæ animæ intenduntur & remittuntur, ergo sunt qualitates. Antecedens probatur ex modo earum operandi, perfectiores enim operationes elicere possunt homines vno tempore quàm alio: & in potentiâ visiuâ & auditiuâ res videtur clara, paulatim enim decrescunt; senes quippe minus perfectè vident & audiunt in eâ ætate quàm cùm essent iuuenes. Contrà, eodem modo probares quia intellectum & voluntatem intendi ac remitti: sæpe enim contingit homines, vt videre

dere

Contrà, ergo intellectus & voluntas intenduntur ac remittuntur.

dere, ita etiam acutiùs intelligere, intensioresque actus tum intellectus tum voluntatis vno tempore elicere quàm alio, ergo vel hæ etiam potentiæ intendentur, sicut illæ; vel si in his actibus refundi potest varietas in dispositiones, poterit ibi. Imò sicut senes multis annis non ita perfectè vident, ita iidem pueri non ita perfectè intelligebant: & illis senescentibus, repuerascit frequenter intellectus: sicque in omnibus est paritas.

II. *Resp. ergo varietatem illam operationum refundi posse in diuersitatem dispositionũ.*

Quòd verò refundi possit hæc maior & minor perfectio in actibus visionis vel in minus perfectas dispositiones organi, vel in qualitates quasdam noxias admixtas, inde suadetur, quòd videamus qualitates medij officere visioni, quidni ergo id etiam præstabunt qualitates in organo? Adde, probabile mihi videri, posse subinde fieri mutationem aliquam in figura, & situ partium ipsius organi, quæ, quantumcunque exigua, maximè obstare aut conducere potest ad visionem, vt constat in vitris ad species vel recipiendas vel refringendas efformatis, in quibus minima, & oculo vix perceptibilis mutatio, mirum est quantum ad effectus huius alterationem conferat.

III. *Alia causa varietatis visus.*

Aliquando verò imperfectio illa visûs contingere potest, non per diminutionem potentiæ, sed quòd subtilis quædam & tenuis membrana, ac veluti tela oculis (nobis etiam non aduertentibus) obducatur. Frequenter etiam ex aqueis quibusdam nebulis & vaporibus qui ex oculis, senum præsertim, perpetuò emittuntur & euaporant, quibus fascinatio ascribitur in vetulis. Quòd verò hæ nebulæ impedire possint visionem videtur clarum; cùm quotidianâ constet experientiâ nebulas & vapores inter obiectum & potentiam sitos illam maximè impedire.

IV. *Sicut in illâ sententiâ diuersitas potentiæ pendere potest à diuersitate dispositionum ita in nostra pendere potest diuersitas actuum.*

Deinde inquiro, quid causæ sit cur gradus aliqui potentiæ visiuæ amittantur & acquirantur, vt vult hæc sententia, & cur hæ potentiæ materiales intendantur per vices & remittantur? Dices; ob varietatem dispositionum, à quibus dependent, tanquam à conditionibus ad hoc requisitis. Contrà, sicut ergo ipsæ partes potentiæ possunt dependere à diuersis dispositionibus, tanquam à conditionibus, quidni dependere ab iis potest maior vel minor perfectio actuum? sicut de facto pendent operationes intellectus & voluntatis, vt in pueris cernimus, & amentibus: nisi & has potentias intendi similiter velint & remitti, intensioremque habere intellectum viros quàm pueros, quod nullus dicet. Intensior ergo & perfectior operatio voluntatis pendet à magis vel minùs perfectâ cognitione bonitatis, vel malitiæ obiecti, hæc à maiore vel minore perfectione speciei intelligibilis, huius autem perfectio pendet à perfectione actuum phantasmatis, & sensuum externorum, hi demum à diuersâ dispositione organi, & aliis causis iam assignatis.

Explicatur causa diuersitatis in actibus.

V. *Obij. homo defatigatus non potest tantum, quantum antea, ergo potentia eius motiua minuitur.*

Arguitur octauo: experientiâ quotidianâ constat corpus motu defatigari, nec ita posse hominem se mouere expedite post diuturnum motum & laborem, atque antea; quod signum est aliquas vires esse deperditas, ergo vis, seu potentia motiua non est sola anima, nihil enim huius deperditur, imò anima, quantum est ex se, æquè velociter mouere posset corpus languidum, ac firmum, & validum. Sed contrà, nam anima habet potentiam motiuam spiritualem, eandem enim retinet coniuncta cum corpore quam separata. Quod autem separata habeat potentiam motiuam, non video rationem dubitandi: quis enim dicet animam separatam esse instar statuæ, aut stipitis, & nec posse se, nec res alias mouere? quidni enim Angelos, vt in virtute intellectiuâ, ita etiam in motiuâ imitentur Animæ?

VI. Hæc ergo difficultas communis est vtrique sententiæ; hæc enim spiritualis potentia motiua non diminuitur: sicut ergo si esset separata, posset per hanc spiritualem potentiam æquè celeriter mouere languidum & debile corpus, ac sanum & vegetum, cur non poterit coniuncta? certè non prouenit ex eo quòd quidquam diminuatur de potentia illa motiua, quæ spiritualis est, & consequenter iuxta aduersarios non magis diminuitur quidquam illius, quàm intellectus aut voluntatis: sicut nec Angelus consumit quidquam suæ potentiæ motiuæ mouendo tantam machinam quanta est sphæra aliqua cœlestis.

Ostenditur hanc difficultatem esse communem vtrique sententiæ.

Si autem dicatur, ideò non posse æquè celeriter animam mouere corpus languidum in statu coniunctionis, ac sanum & vegetum, quia in eo statu non est actus assistens, sed informans, & consequenter ad organa corporea accommodata se debeat quoad motum, sicut ad illa accommodat se quoad actus intelligendi & volendi; idem dici poterit licèt potentia motiua sit ipsa substantia animæ; sicque par omninò est quoad hoc difficultas in vnâ sententiâ, & in alterâ. Quòd verò dicunt nonnulli potentiam motiuam animæ in statu coniunctionis esse materialem & corpoream, sicque intendi & remitti, longiùs mihi aberrare videtur à veritate: primò, quia materialis illa potentia motiua superaddita esset omninò superflua, cùm habeat anima aliam spiritualem; & argumenta omnia, quæ fieri possent contra potentiam motiuam identificatam cum animâ, vrgeri possint in potentia hac spirituali. Deinde, sicut eodem intellectu vtitur anima separata & coniuncta, quidni etiam vtetur eâdem potentiâ motiuâ? VII.

Potentia motiua animæ in statu coniunctionis pendet à dispositionibus corporis.

Ad argumentum itaque respondent aliqui, corpus languidum esse ponderosius sano ac vegeto, quia consumpti iam sunt magna ex parte spiritus vitales qui reddebant corpus leuius, & consequenter non tam facilè moueri potest ab anima. Hæc responsio quoad priorem partem videtur vera, cùm enim spiritibus vitalibus igneus quidam insit vigor, sunt ex natura sua leues: vnde manifesta constat experientia cadauer esse ponderosius eodem corpore adhuc viuo, & ex subito gaudio homines multo leuiores reddi certum est, sicut è contrà ex mœrore multo ponderosiores fieri, & quasi plumbeos. VIII.

Dicunt aliqui corpus languidum esse ponderosius vegeto, ideoque difficiliùs moueri.

Quoad secundam verò partem non satisfacit, esto enim sit nonnihil ponderosius corpus lassum & languidum, quàm sanum & vegetum, non tamen tanto excessu, vt anima quæ antea expeditè illud in omnem partem deferre poterat, postea ægrè idem mouere queat præsertim, cùm si esset separata, decuplo maius pondus sine difficultate quolibet rapere posset, sicut Angelus rapit cœlum, & dæmon inuertere magnam orbis partem posset, nisi à Deo cohiberetur. Hæc ergo esse nequit sola causa huius mutationis. IX.

Solum maius pondus non potest esse causa cur anima corpus languidum expedite non moueat.

Secundo ergo dici potest, quòd ægriùs quis se moueat lassus quàm vegetus, ex eo prouenire, non quòd non possit Anima tunc corpus illud mouere æquè celeriter ac antea, sed quòd non audeat, deterrita scilicet dolore qui ex motu illo prouenit: cùm enim corpus diuturnâ agitatione sit quassatum, & organa læsa, continuus motus causat dolorem; vnde, ne sentiat dolorem illa anima, non audet vires suas, quas etiamnum habet integras, exercere. Sicut si quis spinam plantæ pedis infixam haberet, vel nudis pedibus incederet per viam scabrosam, & lapillis asperis stratam, non moueret se tam celeriter ac si abesset spina, vel per viam faciliorem incederet, cùm tamen ipsius vires nec in vno casu, nec altero minuantur. X.

Anima dolore, quem in corpore languido sentit, deterretur ne vires exerat.

Tertiò tandem dico: cùm Anima in corpore sit actus informans, non assistens, sicut in aliis operationibus, ita & in motu dependet à dispositionibus, spi- XI.

Anima in tempore, læsis organis non est proxima ad motum expedita.

ritibus vitalibus, & organis corporeis. Deficientibus ergo spiritibus vitalibus, & dispositionibus ad motum requisitis, vel læsis organis, non potest vires, quas habet in actu primo, tam commodè in hoc statu exercere, sicut nec actus intellectus, vel visionis læsis potentiarum illarum organis, tam perfectè elicit. Imò multi ex solâ organi læsione redduntur amentes.

XII. *Ostenditur quomodo sola læsio organi vim operandi impediat.*

Dices, rationem cur anima non tam perfectè intelligat coniuncta ac separata, esse quòd non habeat tam perfectas species, quæ sunt partiale comprincipium intellectionis. Contrà primò, quando quis postquam per multos annos rectè vsus est ratione, tandem incidit in amentiam, habet æquè perfectas species atque antea, easdem enim retinet, quas antea acquisiuit, cùm species intelligibiles nunquam naturaliter corrumpantur, & per has iterum separata rectè poterit discurrere; ergo hoc non contingit defectu specierum, sed quia intellectus vti his speciebus non potest in hoc statu nisi dependenter ab organis corporeis; ergo idem dici poterit de potentiâ motiuâ, non posse scilicet animam in corpore defatigato tam dextrè illâ vti, licèt non sit quidquam imminuta.

Anima pro hoc statu non petit concursum ad species & motum tam perfectum.

Contrà secundò, quare non habet tam perfectas species coniuncta corpori, ac separata, nisi quia in productione & receptione specierum dependet ab organo corporeo? sicut ergo in hoc statu non petit concursum nisi ad species imperfectas, idque iuxta dispositionem organi, ita nec petet ad motum: sicque in pueris, quando organa motus sunt imperfecta & debilia, petit anima concursum ad motum tantùm imperfectum: quando autem membra corporis sunt firma, exigit concursum ad motum perfectum: si verò membra casu aliquo lædantur, motus etiam erit imperfectior: sicque esto potentia motiua in actu primo sit ipsa substantia animæ, vel potentia spiritualis, & semper eadem, in actu tamen secundo, seu quoad exercitium, pendet à dispositione organorum.

SECTIO IV.

Reliqua argumenta contendentia potentias ab Anima distingui.

I. *Obij. possibilis est substantia, quæ operatur per potentias distinctas, ergo anima est talis.*

Arguitur nonò: Possibilis est substantia intellectiua, & volitiua, quæ operetur per potentias distinctas, ergo anima rationalis de facto habet potentias distinctas, & per eas operatur; hoc enim conformius est experientiis in aliis substantiis compertis. Resp. primò retorquendo argumentum, possibilis est substantia operatiua sine potentiis distinctis, ergo anima est huiusmodi. Secundò resp. negando consequentiam: sic enim possibilis est secundùm multos substantia quæ operetur in distans, corpus simplex, materia alterius speciei &c. tamen plurimi negant de facto dari. Ad probationem ductam ab experientiis, & exemplis aliarum rerum, dico illis probari potius oppositum: nulla enim est experientia, vt dixi, quæ probet substantias egere potentiis accidentalibus vt operentur ad intra, sed tantum ad extra.

Contrà, non quidquid est possibile existit.

II. *Videtur implicare substantia intellectiua, quæ operetur per potentias distinctas.*

Tertiò dici posset, implicare substantiam intellectiuam & volitiuam quæ operetur per potentias distinctas: cùm enim illæ potentiæ sint omninò superfluæ, non possunt connaturaliter, seu tanquam proprietates illi substantiæ deberi. Si autem appareret peculiaris aliqua necessitas cur substantia aliqua requireret potentias distinctas, posset quis illas ei concedere.

III. *Ex luctâ inter appetitum sensitiuum, & rationem non probatur distinctio potentiarum.*

Arguitur decimò ex luctâ inter appetitum sensitiuum & rationem. Vnde ait Apostolus ad Gal. 5. v. 17. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et ad Rom. 7. v. 23. *video aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ* &c. ergo hæ potentiæ distinguuntur. Nego consequentiam; solùm enim opponuntur sibi quoad actus, actus enim appetitus sensitiui, seu animæ vt appetitus, inclinat ad contrarium illi quod dictat ratio, seu, anima vt intelligens, sicque vt appetens aduersatur sibi vt intelligenti, & *videt meliora probatq́; deteriora sequitur.* Imò hoc probaret esse in homine duas voluntates: sæpe enim inefficaciter vult homo vnum, & efficaciter contrarium, vt peccatores inefficaciter volunt gratiam Dei, & gloriam cœlestem, efficaciter verò peccatum & miseriam.

IV. *Non sequitur ex quod substantia sit sua potentia, posse esse suum actum.*

Arguitur vndecimò: si substantia possit esse sua potentia, quidni & suus actus? Hæc ratio mille patitur instantias; accidens enim quando producit aliud accidens, vt calor calorem, albedo speciem &c. est sua potentia, quidni ergo poterit esse suus actus, seu actio? Idem est de essentiâ respectu passionum in sententiâ S. Thomæ & eorum qui dicunt passiones produci per emanationem: quidni ergo & erunt essentiæ omnes sua operatio? Ratio ergo est, quia secundùm omnes hoc est proprium Dei, estque, vt aiunt, nimia perfectio, & actualitas quædam non cadens in creaturam, quia semper esset intelligens & volens, idque necessario. Aliam huius rationem assignaui suprà, d. 6. s. 6. n. nono.

DISPVTATIO XIII.

De modo quo anima concurrit ad actus vitales.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Anima immediatè recipiat & efficiat actus intellectus, & voluntatis.

I. *Status præsentis controuersiæ.*

Qvæstio procedit positâ distinctione potentiarum ab Animâ: si enim non distinguantur, nullus est dubitandi locus. Quærimus ergo vtrùm, si intellectus distinguatur ab animâ, is solus actus intelligendi efficiat & recipiat, animâ merè negatiuè se habente (& idem est de voluntate respectu actuum amandi, & odio habendi) vel vtrùm anima simul cum potentiis ad hos actus efficienter concurrat, eosque in suâ substantiâ immediatè recipiat, vel solùm mediatè, nempe quia immediatè recipiuntur in potentiis, quæ subiectantur in Animâ.

II. *Anima concurrit immediatè ad actus.*

Non eodem modo hac in re philosophantur auctores, ac de Potentiis: plurimi enim ex illis qui admittunt potentias distinctas ab animâ, asserunt nihilominus ita ab eâ pendere illas in operando, vt sine illius cõcursu nihil possint. Ita Suarez d. 18. Met. s. 5. n. 2. & 3. Vasq. 1. 2. d. 9. n. 17. & plurimi ex recentioribus, quibus nos etiam subscribimus: licèt, po-

sitâ

stâ distinctione potentiarum, non sit fortasse necessitas vt anima ad omnes operationes effectiuè concurrat, vt disputationis decursu constabit.

III.
Nisi anima per se concurrat ad operationes, erit instar stipitis.

Ratio est primò, quia in contrariâ sententiâ animæ ponuntur tanquam tot statuæ, & stipites, vtpote quæ omninò nihil agant, nec operationem vllam vitæ eliciant, magis quàm si essent ex ligno, vel lapide. Dices; licèt non operentur per se, id tamen præstant per potentias sui vicarias, intellectum scilicet & voluntatem; hoc autem animæ præstantiam commendat, & ad illius dignitatem spectat: sicut ad dignitatem Regis vel Principis pertinet quod per se nihil præstet, sed per substitutos, & famulos. Contrà, si Princeps ille nihil per se præstare posset: vt si esset claudus, vel mente captus, & consequenter ex necessitate haberet huiusmodi substitutos, certè non argueret vllam præstantiam, vel dignitatem in Principe. Imò qualis esset ille pater familias, qui nihil aut intelligere posset, aut velle? certè quantumcunque famuli, & alij illius loco substituti intelligerent, & rectè omnia disponerent, si tamen ipse in se nō perciperet, nec percipere posset res ad domus suæ, & familiæ administrationem spectantes non hoc ipsi laudi, sed summo dedecori verteretur, nec paterfamilias censendus esset huiusmodi homo, sed stipes. Idem autem est in nostro casu, anima enim nihil omninò percipit in se, secundùm hanc sententiam, sed solùm denominatiuè, & impropriè quia scilicet aliquid in eâ existens percipit, seu intelligit, nempe intellectus. Ex quo.

Egere alterius opera non arguit præstantiam, sed imbecillitatem.

IV.
Nisi anima immediatè recipiat actus intellectus, & voluntatis, non erit propriè beata, nec damnata.

Secundò sic argumentor: anima non solùm denominatiuè, sed verè & propriè intelligit & vult; anima enim in cœlo non denominatiuè tantùm, sed verè in substantiâ & entitate est beata, & non solùm quia intellectus eius est beatus, ergo in se immediatè recipit beatitudinem, seu actum intellectus, quo vidat Deum. Sicut è contrà, anima in Inferno verè & in se est damnata, & non denominatiuè tantùm; alioqui propriè solùm esset beatus intellectus, & consequenter non posset propriè de animabus affirmari illas esse vel beatas, vel damnatas, sed merè denominatiuè; quia nimirum denominatio quæ propriè & immediatè tribuitur alicui potentiæ in animâ existenti, impropriè & mediatè tribuitur toti, quod & durum videtur, & contra communem omnium conceptum, qui animam in se verè beatam ac damnatam censent: & hoc modo omnes Patres loquuntur: alioqui non magis in se esset anima beata & damnata, vel operationes bonas aut malas efficeret, & reciperet, quàm paries diceretur videri & emittere species, quia albedo in eo recepta videtur, & species emittit.

V.
Gratia recipitur immediatè in substantia animæ, ergo & actus intellectus, ac voluntatis.

Conf. gratia secundùm omnes immediatè recipitur in ipsa substantia animæ, alioqui non posset ipsam verè & propriè denominare gratam, & amicam Deo: sed non minus anima in se est verè & propriè inimica Deo, & obiectum odij ipsius per peccatum, quam grata per gratiam, ergo. Conf. secundò, non minùs verè & propriè fœdatur animâ per peccatum quàm ornatur per gratiam; ergo sicut gratia recipitur in ipsâ substantiâ animæ, quā alioqui non propriè ornaret, ita in eadem recipi debet peccatum; alioqui solus intellectus vel voluntas verè & propriè fœdaretur per peccatum in animâ. Conf. tertiò, gratia recipitur immediatè in animâ, ergo & peccatum, cùm sint contraria, contraria autem sunt circa idem subiectum, vt cum Aristotele asserit communis schola Philosophorum.

VI.
Si anima non concurrat immediatè ad actus, sequitur eam nec laudem per hos actus mereri, nec vituperium.

Tertiò probatur: sequeretur animam nec per bona opera laudem mereri, nec per mala vituperium. Sequela probatur, non alio modo, secundum hanc sententiam, concurrit anima ad hos actus, quàm quòd potentias, quæ eos eliciunt, sustentet, sed ob hanc sustentationem non meretur vel laudem, vel vituperium, quando potentiæ peccant, ergo. Probatur minor, concursus iste quem præbet anima ad potentias, est indifferens ad actum bonum & malum, nec magis inclinat ad vnum quàm ad alium, ergo ob hoc solùm quod concurrat hoc modo ad illarum conseruationem, nec laudem meretur, nec vituperium: sicut nec vituperium meretur Deus dum animæ peccans; quòd eas & earum potentias conseruet.

VII.
Dices vt actio aliqua tribuatur animæ sufficit concursus eius immediatus.
Resp. non sufficere, cum impedire eam anima non possit.

Dices; vt actio aliqua vertatur animæ vel laudi, vel vitupenio, non est necessarium vt immediatè in illam per se influat, sed sufficit si influat mediatè, & per suum instrumentum, nempe potentiam: sicut in moralibus, vt actio filij & pupilli imputetur Patri, aut tutori, non est opus vt hi influant immediatè in hus actus, vt est manifestum. Sed è contrà, nullæ actiones filij imputantur patri nisi quas potest pater impedire, vel quæ sunt sub ipsius dominio: cùm ergo operationes potentiarum non sint in potestate animæ, nec in illas habeat vllum dominium, vt possit vel efficere eas, vel impedire, vt docent contrariæ sententiæ auctores, non possunt animæ tribui, neque hæc ob illas vel laudem mereri vel præmium.

SECTIO II.

Si non requiratur immediatus concursus Animæ, voluntas sola & separata posset peccare.

I.
Si non requiratur concursus animæ, voluntas separata posset peccare.

QVartò probatur: alioqui si voluntas esset separata ab animâ, posset operari liberè, in hac sententiâ, & consequenter peccare: experientiæ enim illæ, per quas probant potentias distingui ab anima, etiam hoc probant, cùm omnes alias potentias videamus posse à subiectis separatas operari, vt calorem, frigus, albedinem &c. ergo tunc denominaret animam peccantem, si que ob peccatum illud posses anima damnari: quod sanè dictu videtur durissimum.

II.
Dices peccatum illud non tribueretur animæ quia voluntas tunc non vnitur. Contra, ergo saltem si voluntas postea animæ vniatur, anima peccabit.

Dices; si voluntas esset separata ab animâ, peccatum ab eâ commissum, & in eâ receptum, non posset denominare animam, nec illi tribui, quia non est illi tunc vnita voluntas, vnio autem ad hanc denominationem est necessaria. Contrà, ergo saltem si postea illi vniretur voluntas cum peccato illo moraliter, vel physicè manente, denominaret animam peccantem, & ob hoc peccatum damnari posset anima illa, quod tamen non videtur vllo modo admittendum: quare enim cùm nec actus ipse nec eius vnio sit animæ libera, tribuetur ipsi peccatum voluntatis, quod nullo modo erat in illius potestate, solumque propterea damnatur, quia habet sibi vnitā voluntatem peccantem, quam tamen nec à se deunire potest, nec à peccato cohibere.

III.
Contra secundò iuxta hanc sententiam vt actio instrumenti tribuatur causæ principali, non requiritur vnio.

Contrà secundò iuxta auctores huius opinionis, vt operationes instrumenti tribuantur causæ principali, non requiritur vt instrumentum, seu substitutum illi vniatur: sic enim cùm accidentia, sola producunt substantiam, vt cùm rana generatur ex putri & aliâ huiusmodi, tribuitur isthæc operatio in hac sententia alicui ranæ in particulari, vel toti speciei, vel denique ranæ in communi, quæ non quidem in se sed in suo substituto operatur, licèt nulli ex his accidentia illa vniantur. Cùm ergo in hac sententia voluntas sit instrumentum animæ ad operationes liberas, quamuis voluntas existat separata, denominabit animam liberè operantem, & peccantem.

IV.

Dices, peccare seu liberè operari, dicit etiam receptionem actus liberi, seu peccati: nec enim pec-

carct

Dices, ad peccandum sequeretur receptio actus peccaminosi.

caret Angelus, si Deus per impossibile ipsum eleuaret ad producendum simul cum animâ Petri actum peccati in ipsa anima Petri, sed vt peccet, deberet iam peccatum illud percipere. Distinguo priorē antecedens, peccare & liberè operari dicit receptionē actus in ipsa substantiâ animæ, nego antecedens; in illius substituto, concedo; quidni enim æquè sufficiet substitutum ad receptionem, atque effectionem?

V. *Contrà, in hac sententia sequeretur non requiri in anima receptionem actus peccaminosi.*

Sic ergo quia potentia efficit, dicitur anima efficere, ita, si potentia recipiat, quidni dicetur anima recipere? cùm quicquid in hoc genere fiat in substituto, fieri dicatur in eo cuius est substitutum. Hinc autem sequitur, si anima esset in gratia, & potentia ab ea separata, & in alio loco posita peccaret (vt secundùm hos auctores potest) sequitur, inquam, animam per actum illum peccaturam, & gratiam amissuram. Quod idem contingeret si anima esset beata. Deinde si voluntas separata ab animâ poneretur in duobus locis distinctis, & in altero peccaret, in altero amorem Dei aut alium actum bonum eliceret, anima in eodem loco existens esset simul in gratia, vel gloria, & in peccato.

VI. *Alio modo concurrere debet anima ad peccatū quàm posteri Adami ad illius peccatum.*

Dices; per peccatum Adami, peccarunt posteri, quidni ergo & anima dici poterit peccare per peccatum potentiarum? Contrà, hoc potiùs probaret, potentias debere peccare peccante anima, quàm hanc peccantibus potentiis. Respondent ergo nonnulli propterea peccatum originale nō puniri pœna sensus, quia scilicet non est physicè elicitum ab iis, qui illud contrahunt, sed punitur solâ priuatione, seu pœnâ damni: cùm ergo peccatum commissionis puniatur pœnâ sensus, signum est physicè animā ad illud concurrere, & alio modo quàm posteri Adami concurrunt ad peccatum originale.

VII. *Alia disparitas circa concursum animæ ad peccatum, & posterorum ad peccatum Adami.*

Secundò resp. voluntatem Adami per transfusionem illam fuisse factam moraliter voluntatem omnium posterorum, qui proinde in eo peccarunt moraliter: at verò anima nō potest fieri vnum quiddam cum voluntate, nec physicè, vt constat, cū physicè ab eâ distinguatur, & vnio physica quâ ipsi vniatur, supponit physicam distinctionem, cùm omnis vnio sit distinctorum, & eo modo distinctorum quo vniuntur: nec etiam moraliter; primò quia tunc anima non diceretur physicè peccare, sed sola voluntas. Præterea, non requireretur vnio physica ad hoc vt operationes vnius tribuerentur alteri, sicut non requirebatur vnio physica inter voluntatem Adami & posterorum: vnde, vt suprà dixi numer. 1. & 2. dum voluntas ab animâ separata peccat, peccaret anima.

SECTIO III.

Nisi anima immediatè recipiat actum intellectus, voluntas feretur in incognitum.

I. *Nisi anima immediatè recipiat intellectionem, voluntas ferretur in incognitum.*

QVinto itaque probatur conclusio: nam in contrariâ sententiâ sequeretur, voluntatem ferri in incognitum, sed hoc fieri non potest, ergo. Maior probatur, actus intellectus proponit obiectum in genere causæ formalis, seu informando, sed actus nō informat nisi intellectum, ergo illi soli repræsentat, & proponit obiectum, ergo voluntas nihil per actū illū cognoscit, ergo ipsi non proponitur obiectum, ergo fertur in obiectum, quod non nouit, & consequenter in incognitum. Minor, quòd hoc fieri nō possit, sic ostenditur: voluntas fertur in obiectum præferendo vnum alteri, ergo cognoscere debet bonitatē vtriusque, quo enim pacto vnum alteri præferet nisi vtrumque cognoscat, & vtriusque præferibilitatem consideret? quod enim intellectus duo obiecta percipiat, quid hoc iuuat vt volūtas alliciatur bonitate vnius potiùs quàm alterius, nisi ipsa etiam vtriusque bonitatem percipiat?

Impliciat vt voluntas feratur in incognitum.

II. *Quo sensu voluntas sit potentia cæca.*

Dices; voluntas est potentia cæca. Resp. non esse cæcam hoc sensu, nempe quòd nihil omninò videat; hoc enim est impossibile, vt dixi, cùm ferri nequeat in obiectum quod ipsi non proponitur. Hoc ergo tantùm sensu est cæca, nempe, quòd nihil videat per actus suos, vtpote qui non sunt repræsentationes rerum. Hoc tamen non arguit eam non videre per actus intellectus; hi enim sunt formales repræsentationes seu visiones rerum, & consequenter per eos repræsentantur res, non intellectui solùm, sed volūtati, quæ propterea potentiæ non distinguuntur. Imò si voluntas distingueretur ab animâ & intellectu, non esset propriè voluntas, seu potentia quæ ferretur amando, sed esset instar habitus cuiusdā qui efficit quidem actum amoris, sed non dicitur amare: sicut nec species, si quæ sint in intellectu, intelligunt, licèt actus intellectus effectiuè vnâ cum intellectu producant.

Voluntas videt per actus intellectus non voluntatis.

III. *Actus intellectus requiruntur vt voluntas illuminetur, ergo voluntas videt.*

Conf. primò, ideò prærequiritur ad actum volūtatis actus intellectus, vt illuminetur volūtas, & intentionaliter excitetur & moueatur, vel bonitate obiecti ad illud amplectendum, & quasi ad id accedēdum, vel malitia ad odio habendum, & ab eo recedendum, quod sine illustratione & cognitione illius fieri non potest. Dices; cùm puer ducit cæcum, vt cæcus rectâ incedat, & ad locum constitutū perueniat, non est opus vt ipse cæcus videat, & cognoscat viam, sed sufficit cognosci viam à puero: ergo similiter sufficit cognosci obiectum ab intellectu vt voluntas in illud tendat; ducitur enim voluntas ab intellectu, sicut cæcus à puero. Sed contra, nisi aliqua notitia viæ deriuetur à puero in cæcum, ita vt ipse occasione pueri ducentis aliquo modo apprehendat quâ sit eundum, tam errabit ac si nullū haberet ducē; vnde semper videmus debere vel apprehensa manu duci, vel alia quapiam ratione tangere puerum mediatè, vel immediatè.

Dum puer ducit cæcum debet cæcus aliquo modo viam percipere.

IV. *Frustra facem voluntati præfert intellectus, nisi voluntas lucem possit videre.*

Eodem ergo modo per actum intellectus debet aliquâ ratione voluntas illustrari, & percipere obiectum; frustra enim illi facem præfert intellectus si ipsa lucem omninò non percipiat; cæco enim perinde est facem extinctam præferri atque accensam; imò aliud quidlibet æquè ac facem. Ex quo efficax deducitur argumentum pro nostra sententia, nam secundùm omnes, ideò actum voluntatis præcedere debet actus intellectus, vt facem quasi voluntati præferat, ergo vt ipsam illuminet, & proponat bonitatem, vel malitiam obiecti, vt hanc videndo fugiat, illam prosequatur, sicut homo luce facis aduertens in viâ foueam, illam vitat, & per viam planam, quam beneficio similiter facis perspicit, incedit.

V. *Ostenditur debere necessariò esse eandem potentiam, quæ vult, & intelligit.*

Conf. secundò, quantumcunque Paulus obiectū aliquod cognoscat, non propterea Petrus excitabitur ad illius rei amorem, quia non est idem qui cognoscit & amat, sed si potentiæ distinguantur inter se & ab anima, non est eadem potentia cognoscens & amans, ergo. Dices; Petrum & Paulum non radicari in vno tertio, sicut radicantur hæ potentiæ, nempe in eâdem animâ. Contrà, si Petrus intelligeret per actum illum elicitum à Paulo, posset ipse obiectum illud amare: vnde ratio cur non possit prodire in actum amoris circa obiectum illud, est quia illud nō percipit; sed non magis percipit obiectum voluntas in hac sententiâ per actum intellectus, quam Petrus per actum Pauli, ergo. Deinde, quòd sola radicatio in eodem non sufficiat, probatur: hæc enim radicatio nihil est aliud, quàm vnio cum eodem tertio, sed

Sola radicatio in vno tertio ad hoc non sufficit.

hoc

hoc non sufficit vt voluntas excitetur ad amandum, licèt enim anima Christi vniatur Verbo Diuino realiter identificato cum cognitione Diuina non tamen inde excitatur ad amandum, quia scilicet non redditur per cognitionem illam cognoscens, ergo radicari vel non radicari in eadem parum refert ad hanc excitationem intentionalem, nisi voluntas inde percipiat obiectum quod proponitur.

VI. *Durandi opinio de distinctione intellectus, & voluntatis.*

Hæc ratio probat intellectum non distingui à voluntate, non tamen probat vel intellectum vel voluntatem non distingui ab animâ: vnde siquis cum Durando affirmare vellet, intellectum & voluntatem esse vnicam potentiam, eamque ab animâ distinctam, non conuinceretur hoc argumento; nec etiam ex illius vi cogeretur asserere animam immediatè influere in actum vel intellectus vel voluntatis, aut eos immediatè recipere.

SECTIO IV.

Obiectiones contra immediatam effectionem, & receptionem actuum Intellectus, & voluntatis in Anima.

I. *Obij. ad intelligendum non requiri, vt anima actum physicè producat.*

OBiicies primò: ratio præcipua cur nos asserimus animam immediate concurrere ad actus intellectus & voluntatis, est quia idem debet esse principium intelligendi & volendi, sed ad hoc non est necessarium vt anima efficiat intellectionem, si enim Deus infunderet intellectionem in animam, quam intellectionem ipse solus produceret absque concursu animæ, anima per illam intelligeret; ad denominationem siquidem intelligentis non requiritur aliud, quàm vt sit forma in subiecto apto: sicut enim lux physica in subiecto apto denominat illud illuminatum, à quocunque demum producatur lux illa, ita & lux intentionalis, seu actus intellectus; ergo non est opus vt eliciatur ab animâ intellectio.

II. *Resp. debere esse idem principium intelligendi & volendi, saltem receptiuum.*

Resp. proptereà dixisse me suprà non esse perinde necessarium vt omnes actus efficienter procedāt ab animâ, sed solùm vt anima concurrat immediatè aliquo modo, efficiendo scilicet vel recipiendo, receptione saltem latè sumpta, sicut anima rationalis recipi dicitur in materiâ, seu vt recipere idem sonat atque informare. Imò ob hoc ipsum argumentum dicunt multi, & probabiliter, ad intelligendum non requiri vt anima efficiat actum intellectus, de quo postea. Hoc tamen non obstante manet, idem esse principium intelligendi & volendi; nam principium intelligendi non dicit aliud quam principium percipiens obiectum, siue perceptionem illam physicè efficiat, siue non.

III. *Obij. sufficere sympathiam inter has potentias, licèt voluntas nihil percipiat.*

Obiicies secundò: posse voluntatem amare obiectum cognitum per intellectum, licet voluntas illud non percipiat; quidni enim statui inter potentias illas poterit naturalis quædam sympathia, ita vt ipso facto quòd intellectus obiectum aliquod cognoscat, voluntas consequenter illud velit? vnde, non sequitur, ferri in incognitum, esto enim voluntas illud non cognoscat, cognoscit tamen intellectus, sicque fertur quidem in incognitum à voluntate, sed non ab intellectu; quod sufficit vt non dicatur ferri simpliciter in incognitum.

IV. *Resp. sympathiam huiusmodi inter intellectum & voluntatem esse non posse.*

Sed contrà, nam quicquid sit de his sympathiis, quas vniuersim tollere est difficile, hîc certè non potest per sympathiam emergere actus amoris in voluntate, posito actu cognitionis in intellectu, nisi voluntas per actum intellectus videat obiectum: sicut enim frustra per viam aliquam incedenti præfertur lux physica, nisi illā percipiat, vel saltem illius beneficio videat viam, nec ad alium finem ipsi accenditur lucerna nisi vt illuminetur, & per lucem illam viam cernat; ita contingit in luce intentionali, quæ non ob alium finem accenditur quasi, & præfertur voluntati, nisi vt per illam illuminetur voluntas, & obiectum cernat, in quod feratur.

V. *Aliud est circa sympathiam est in physicis, aliud in intentionalibus.*

Ratio est, quia motus, & excitatio voluntatis non est physica, sicut excitatio habitus, aut alterius huiusmodi comprincipij, sed intentionalis: nihil autem intentionaliter ad aliquid moueri potest; quod illud non percipit, cùm intentionalis motio sit perceptio: dicere autem voluntatem intentionaliter moueri denominatiuè, quia coniungitur in eadem animâ intellectui hac ratione moto, est in re dicere non omninò moueri intentionaliter, quod enim solùm mediatè & denominatiuè dicitur intelligere, verè non intelligit, nec percipit obiectum, quod tamē requiritur, vt in illud feratur & amet.

VI. *Coniunctio cum intellectu in eadem animâ non sufficit vt voluntas operetur.*

Deinde, si sola coniunctio in eâdem animâ cum potentiâ intelligente sufficiat vt aliquid dicatur intelligere, habitus etiam iræ, & odij, &c. dicentur intelligere, cùm sint in eâdem anima cum voluntate: vel saltem gratia habitualis, quæ secundum omnes est in substantia animæ, aut habitus fidei & prudentiæ, quæ non in eâdem solùm animâ sunt, sed etiam in eadem potentia.

VII. *Differentia inter ea, quæ mouentur despoticè, & politicè.*

Vnde, notanda lata disparitas inter ea quæ mouentur ab alio merè physicè & despoticè, & inter ea quæ mouentur politicè & intentionaliter: priora enim non egent cognitione, sed merè quia sunt ad nutum quasi mouentis, vt possit ipsis vti pro libito: sic baculus mouetur ab homine, habitus à voluntate &c. At verò voluntas mouetur politicè & intentionaliter, ac veluti suasione quâdā allicitur, donec præbeat consensum: debet ergo ipsi proponi obiectum, cuius bonitate alliciatur.

VIII. *Imperfecta quadam vis imaginatiua spargitur per totum corpus.*

Obiicies tertiò: experientia constat, vnam partem animalis cognoscere, aliam se mouere, ergo hîc intercedere debet sympathia. Antecedens probatur in equo; cognoscit enim capite, percutit pede, ergo hîc non est eadem pars seu principium cognoscens & mouens: Resp. primò, quando equus pungitur in pede, & statim illum mouet posse probabiliter dici, in ipso pede, & omnibus partibus sensitiuis corporis diffusam esse imperfectam quandā potentiam imaginatiuam, & appetitiuam (quales communiter dicunt spargi per totum corpus insectorum) eo fine à naturâ insitas, vt ea quæ sunt mala, apprehendat & fugiat.

IX. *Dum equus pede percutit, vnde incipiat motus,*

Secundò dico cum recentioribus quibusdam, quando tangitur aliqua pars corporis equi trāsmitti velocissimo quodam motu species ad cerebrum, vbi communiter dicitur residere potentia & cognoscitiua, & appetitus. Pars ergo illa animæ cognoscens in capite transmittit vicissim motum in pedem, quo excitata pars animæ in pede, se etiam mouet, saltem partialiter, vnde licèt pes non cognoscat, potest tamen se mouere; sufficit enim quòd pars illa vnde primò incipit motus, cognoscat, aliæ enim partes possunt moueri physicè, nec est opus vt moueantur intentionaliter. Sicut cùm voluntas vnà cū habitu charitatis elicit actum charitatis, nil opus est vt habitus cognoscat, & moueatur intentionaliter, sed merè physicè, modò principium vnde primo incipit motus moueatur intentionaliter, nempe voluntas.

X. *S. Thomas & Aristo. docent vim motiuam animalis esse appetitum*

Quòd vero hoc ita contingat, suadetur primò ex Aristotele, tertio de Animâ præcipuè c. 10. circa finem, vbi expressè docet, potentiam motiuam animalis esse ipsum appetitum, his verbis: *omninò igitur vti diximus, hoc suiipsius motiuum est animal, quo est appetitiuum.* S. Thomas etiam 2. cōt. Gen. c. 82. & 1. par. qu. 75. ar 3. ad. 3. insinuare videtur alia mēbra merè se habere passiuè respectu motus, & non se moue-

re

re, sed moueri ab appetitu. Vnde non debet ita mirum videri, vt nonnullis videtur, partem vitalem nō mouere se, sed pati motum ab aliâ parte, cuius munus est motum illum in aliis membris corporis producere, vel per se solam, vel saltem partialiter, vt diximus.

XI. *Motus in animali prouenit primariò à cerebro.*

Deinde, hoc idem probatur ex communi Philosophorum & medicorum consensu, qui docent, vim effectricem motus in animali prouenire primariò è cerebro: ex anatomiis namque compertum esse dicunt, neruos omnes qui præcipua sedes sunt motus, deriuari è cerebro, sicut rami omnes arborum deriuantur à radice: vnde etiam certum est neruorum partes, quò propiores sunt cerebro, eò esse latiores, & robustiores, quò verò remotiores sunt à cerebro, eò esse tenuiores: sicque etiam hoc modo homo est *arbor inuersa.*

XII. *Ostenditur ulterius motum prouenire à cerebro.*

Quòd verò quoad huiuscemodi motum influxus aliquis proueniat reliquis partibus à cerebro, probatur: si enim neruus ille solus in aliquâ parte colli equi, vel cauti incidatur, quantumuis reliquum collum maneat integrum, non potest animal illud pedibus ampliùs consistere, sed statim in terram prolabitur, multo minùs potest, sicut antea, incedere. Nec dici potest, hoc inde prouenire, quod traijciat cerebrum spiritus vitales in alias partes: primò enim cū spiritus vitales sint res quædam materiales, & composita corporea, imò sanguis ipse defæcatior & purior, non apparet quo modo à cerebro equi ad imâ vsque calcem tam subitò per totum corpus trāsmittantur. Deinde, non est cur spiritus hi eò etiam trāsfundantur, cùm sufficientes in ijs partibus spiritus ad huiusmodi motum antea extiterint.

XIII. *Ex motu artificioso citharoedi ostenditur principium loco-motiuum non posse distingui ab intellectiuo, & volitiuo.*

Debere autem principium loco-motiuum esse idem cum intellectiuo, & volitiuo, hinc probatur: cùm enim citharœdus artificiosè mouet manus, principium intellectiuum & volitiuum vel concurrit ad motum illum effectiuè, vel directiuè: si effectiuè, conceditur quod intendimus; si directiuè, ergo dirigitur potentia motiua per regulas artis, nempe per actus intellectus, modum quo artificiosus ille motus fieri debeat, præscribentes; ergo percipere debet has regulas, & esse illarum capax: sicut pictor dirigi nullo modo posset per prototypon, nisi illud perciperet. Affirmare autem sufficere quòd intellectus dirigatur ad hoc vt potentia motiua motum artificiosum efficiat, est perinde ac dicere, Petro cognoscente modum artificiosè mouendi, Paulum saltare posse ad numeros, vt suprà ostendimus. Sicut ergo Petrum nihil iuuat ad saltum artificiosum tonus aliquis musicus, nisi ipse intellectu audiat; ita nec regula illa dirigere potentiam motiuam potest nisi eam aliquo modo percipiat. Ratio est quam suprà attulimus, quia potentia motiua vel debet moueri ab intellectiuâ & volitiuâ effectiuè, vel directiuè, seu intentionaliter. Vnde hæc ratio ad minimum probat debere animam simul cum potentia motiuâ ad motum illum artificiosum concurrere.

XIV. *Cur, licèt motus incipiat à cerebro digiti tamen & manus celeriùs mouentur, quàm partes intermediæ.*

Solum hoc occurrit difficile: si nimirum motus incipiat in cerebro, cur dum citharœdus pulsat fides partes intermediæ non tam celeriter mouentur, ac manus & digiti. Ad hoc tamen resp. sæpe contingere magis moueri partes remotas, quàm proximas, licèt ab his incipiat motus, quia nimirum sunt motui aptiores: sic cùm quis motum immediatè imprimit trunco arboris, magis mouentur folia & rami, quàm truncus, licèt ab hoc motus incipiat. Manus ergo & digiti sunt aptiores huic motui, quia agiliores & habiliores ad motum, vt ait S. Thomas loco suprà citato, vnde & celeriùs mouentur. Quod adhuc faciliùs intelligitur, si dicamus, potentiam motiuam in manu ad motum illum non receptiuè tantùm, sed etiam effectiuè concurrere.

XV. *Duplex in quouis animali potentia motiua.*

Quæres, vtrùm distinguatur potentia motiua in animali ab ipsa forma? Notandum, duplicem in quouis animali esse potentiam motiuam: primò, grauitatem, per quam more aliarum rerum animalia feruntur deorsum: deinde aliam habent animalia potentiam motiuam, quæ est illorum propria, & vocatur communiter *potentia loco-motiua*, & progressiua. Quoad grauitatem ergo & leuitatem dixi in lib. de Gener. d. 14. s. 1. numer. 4. eas esse qualitates à rerum grauium & leuium substantijs distinctas; has enim habent cum rebus inanimatis communes.

XVI. *Potentia loco-motiua non distinguitur necessariò ab anima.*

Quoad potentiam loco motiuam, videtur, non posse adæquatè distingui ab anima, ob argumentum suprà positum, cùm necessarium videatur vt anima saltem partialiter ad motum concurrat. Ad hoc autem quòd anima per potentiam motiuam operetur ad extra, non necessariò videtur statuenda in eâ potentia distincta: Dici enim posset nunquam animā, vel aliam formam motum aut impetum in extraneo subiecto producere, quin eum prius producat in se, & per impetum in se productum producit impetū in alijs. Quod si dicatur, cessat difficultas. Conf. Sicut enim sol producit primò lucem in se, & ignis calorem, mox in alijs rebus, ita quidni Angelus eadem ratione impetum in se primò producat, deinde in alijs?

SECTIO V.

In quo subiecto recipiantur actus materiales in homine.

I. *Status quæstionis proponitur.*

Difficultas procedere potest vel de subiecto totali, partiali, vtrùm scilicet actus vitales materiales in homine, vt visio, auditio &c. recipiantur in sola anima, an in illa simul & materia. Et quod nō recipiantur in sola anima, videtur certū: cùm enim sint materiales, non possunt hoc modo adæquatè respicere subiectum spirituale. Deinde, si hi actus adæquatè subiectari possint in animâ subiecto spirituali, quidni etiam & species ad eos requisitæ? quod si dicatur, eodem modo poterit anima separata exercere sensationes, atque actus abstractiuos intellectus, cùm deferre secum possit adæquatum earum principium, nempe speciem materialem, & potentiam.

Certum videtur sensationes non subiectari in sola anima rationali.

II. *Quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.*

P. Hurt. d. 4. de Anim. sect. 3. §. 44. acriter contendit nō posse actus vitales materiales recipi, nec partialiter in anima rationali. Ratio illius est primò, quia *quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*: ergo cum anima sit indiuisibilis, actus etiam in eâ recepti esse debent indiuisibiles. Sed contrà primò nam ipse P. Hurt. asserit punctum indiuisibile subiectari in partibus diuisibilibus. Contrà secundò, forma equi indiuisibilis iuxta sententiam S. Augustini, S. Thomæ, & Aristotelis, recipitur in materiâ diuisibili. Contrà tertiò, materia quæ est substantia, recipit qualitates, quæ sunt accidentia: & alia huiusmodi.

III. *Quo sensu intelligendum sit prædictum axioma.*

Sensus ergo illius axiomatis non est, quòd, quicquid recipitur, esse debeat in eodem planè ordine cum recipiente, eique arithmeticè conformari, sed quòd accommodare se debeat ad illius capacitatem, nempe, vt non possit recipi, nisi in subiecto illius capace, sicque accommodatur ad modum recipientis, non in *essendo*, sed in *recipiendo*. Deinde, anima rationalis indiuisibilis recipitur in materiâ diuisibili, nec enim hîc per receptionem intelligi debet causatio.

IV. Præterea, visio, & aliæ sensationes, licèt recipiantur in animâ, seu illam informent, non tamen fortè

ex

[illegible] obstat quo minus sensationes recipiantur in anima rationali.

ex eâ educuntur, sed solùm ex materiâ. Vltimò tandem, nam qui dicunt formas perfectorum brutorum esse indiuisibiles, non multum fortasse refugerent concedere visionē & alias sensationes in homine esse indiuisibiles. Communis etiam inter recentiores opinio est, vnicam esse vnionem in composito humano, illamque recipi & in materiâ & in animâ, quarum altera est diuisibilis, altera indiuisibilis.

V. Arguitur secundò: actus materialis est extensus, ergo non potest recipi naturaliter in animâ, cùm illi non possit tribuere hunc suum effectum formalem. Sed contrà, non enim est opus vt forma tribuat omnem effectum formalem subiecto cui inest; actus enim amoris intensus in Angelo non denominat illum intensum, ergo & actus extensus poterit vniri animæ, licèt illam non denominet extensam. Non ergo est necessarium, vt dixi, vt forma tribuat subiecto cui inest omnem effectum formalem, sed sufficit quòd tribuat aliquem; effectus enim formalis non est sola forma, sed forma, subiectum, & vnio. Deinde, sic anima rationalis, licèt sit indiuisibilis, potest, imò & petit naturaliter inesse materiæ, cui tamen non potest tribuere denominationem & effectum formalem indiuisibilis, ita & è contrà; quod enim educatur vel non educatur, parum refert ad effectum formalem, albedo enim & lux creatæ, non minùs denominarent parietem & aërem album & lucidum, quàm si ex iis educerentur.

Forma non necessariò tribuit subiecto, cui inest, omnem suum effectum formalem.

Lux creata tā perfectè redderet aerem lucidū, quā generata.

VI. Arguitur tertiò: non potest res spiritualis recipi in subiecto quantitatiuo, & corporeo, ergo nec res corporea in subiecto spirituali. Nego consequentiam; disparitas est, quia conceptus spiritus, vt dixi suprà d.7.s.4. consistit in independētiā à materiâ & quantitate; ergo ipso facto quòd dependeret à materiâ & quantitate, non esset spiritualis. Quando verò res corporea recipitur in subiecto spirituali, vt in termino inadæquato, nihil fit contra illius essentiam, cum adhuc retineat dependentiam à re materiali corporeâ & quantitatiuâ, qui est conceptus corporis. Quod idem est in probabili sententiâ de vnione corporeâ in homine, quam multi dicunt subiectari in vtroque extremo.

Nulla est repugnantia vt res corporea subiectetur in re spirituali.

VII. Instabis: quando duæ causæ inæquales concurrunt ad eundem effectum, effectus sequitur principaliorem: sic quando habitus supernaturalis concurrit cum potentiâ & speciebus naturalibus, actus euadit supernaturalis: sic etiam à specie, & potentiâ vitali producitur actus vitalis perfectior specie, ergo pari ratione, si recipiantur hi actus partialiter in anima, subiecto spirituali, erunt spirituales.

Obii. effectū semper sequi causam perfectiorem.

VIII. Contrà, antecedens non est vniuersim verum: primò enim, in moralibus, si alter parens sit ignobilis, proles absolutè censetur ignobilis. Deinde, in Physicis, ab animâ spirituali & specie impressâ materiali producitur sensatio, seu visio materialis. Item conclusio sequitur debiliorem partē: ergo effectus non sequitur semper perfectionem principij. Imò ex primo exemplo quod affertur, desumitur instātia cōtra eos, qui hoc argumentum proponunt: anima enim est perfectior habitu supernaturali, & tamen producitur ab illis duabus concausis actus supernaturalis, non naturalis. Vnde deducitur effectum non sequi semper naturam causæ perfectioris.

Resp. negatiuè, vt cōstat in variis effectibus, tam moralibus, quā Physicis.

IX. Nec vim vllam habet quod tantopere vrgent aliqui, tantam scilicet esse improportionem inter rē spiritualem & corpoream, atque è cōtrà, ergo si potest res corporea recipi inadæquatè in spirituali, poterit & spiritualis recipi in re corporeâ. Retorquetur argumentum, tanta est improportio inter rem corpoream & spiritualem, ac è contrà; sed potest forma spiritualis elicere actum materialem & corporeum, vt anima rationalis visionem, ergo & forma materialis actum spiritualem, quod tamen negant huius sententiæ auctores. Non ergo id negamus ob improportionem præcisè, sed ob rationem iam dictam desumptam ex conceptu spiritus suprà explicato, d.7.sec.4.

Improportio sola non obstat, quo minus res spiritualis recipiatur in subiecto corporeo.

X. Arguitur quartò: materia est subiectum sufficiens formæ equinæ, ergo & sensationis in homine, quæ est multò forma illa imperfectior. Nego cōsequentiam, nec enim semper res, quo imperfectior, eo pauciores requirit causas, Angelus enim tantùm requirit Deum, cùm tamen actus visionis requirat speciem, potentiam, & Deum: sic anima sola producit intellectum si distinguatur, non tamen intellectionem, licèt intellectu imperfectiorem, quia scilicet intellectio, ob formalitates in se contentas, petit plures, & peculiares quasdam causas, quas non petit intellectus. Non ergo desumitur perfectio vel imperfectio alicuius rei ex eo quòd plures, aut pauciores requirat causas, materia prima enim res imperfectissima requirit eamdem causam, quam Angelus. Sicut ergo effectus aliquis requirit subinde plures causas efficientes, vt de intellectione & visione iam dictum est, ita & requirere potest plures materiales quod peculiariter in sensationibus contingit, vt postea videbimus.

Nō semper res, quo imperfectior, eo pauciores requirit causas.

XI. Arguitur quintò: si possit actus vitalis materialis recipi inadæquatè in anima rationali, cur non poterunt aliæ qualitates materiales, vt lux, color, odor, &c. in eadem recipi? & sic habebimus albas, & odoriferas animas. Retorqueo argumentum: actus vitales materiales possunt recipi in animabus brutorum, ergo & calor, odor, &c. in iisdem recipi poterunt, sicque haberi illa albas, rubras, & odoriferas animas; quod tamen negant omnes communiter; alioqui extincto animali, fieri deberet resolutio vsque ad materiam primam.

Obii. si sensatio corporea subiectari possit in animâ rationali, ergo & calor, odor, &c.

XII. Resp. ergo, peculiarem esse rationem cur in anima cuiusque animalis recipi debeant actus vitales, & consequenter illa est proportionatum subiectum his qualitatibus, non aliis, sicut materia cœli est capax nostræ quantitatis & lucis, quia ad particularia cælestium corporum munera conducunt, non tamen est capax, nec subiectum proportionatum aliorum accidentium sublunarium: ergo non sequitur, subiectum aliquod est capax huius vel illius qualitatis, ergo omnium.

Resp. peculiarem esse rationē cur actus vitales subiectatur in animâ.

XIII. Sextò arguitur, & difficilius, vt probetur hos actus debere recipi in sola anima: non potest forma esse naturaliter in subiecto cui non potest tribuere effectum suum formalem; sed visio non potest tribuere materiæ denominationem videntis, ergo non potest illi inesse. Resp. nō esse necessarium vt possit forma tribuere omnem suum effectum formalem, sed sufficit quòd tribuat aliquem: sic enim species visibilis subiectatur, etiam adæquatè in aëre, cui tamen non tribuit denominationem visiui, seu effectiui visionis, sed soli oculo, & alia huiusmodi.

Vt forma recipi possit in aliquo subiecto, sufficit quod ei tribuat aliquem effectum formalem.

XIV. Dicēdum ergo, actus materiales sensuum in homine esse tam in materiâ quàm in formâ. Ratio est, quia alioqui omnia argumenta suprà facta pro immediato influxu animæ in actus spirituales nihil probarēt; si enim dicatur sufficere vt totum videat, ad hoc vt appetat, eodē modo dici poterit sufficere vt totum sit cognoscens ad hoc vt velit; ac proinde licèt actus intellectus recipiantur in solo intellectu, sufficienter excitabit totum, sicut hîc excitatur totum ad appetendum, licèt recipiatur materialis cognitio in solâ materiâ. Confirmatur: ideo anima, seu voluntas, debet immediatè in se recipere cognitionem, quia per illā determinatur intentionaliter ad agendum, seu ad operandum, nempe ad eliciendos actus spirituales amoris, sed non minùs anima, seu appetitus

Actus materiales in homine subiectantur & in materiâ, & in animâ.

Probatur debere sensationes recipi in animâ.

titus excitatur intentionaliter ad eliciendum actus materiales appetendi, ergo recipere in se debet immediatè determinatiuum ad amorem hunc materialem, nempe actum naturalem cognitionis.

XV. Quòd verò actus hi materiales, vt visio, auditio &c. in homine recipi etiam debeant partialiter in materiâ, videtur certum, nam alioqui essent spirituales, cùm adæquatè respicerent subiectum spirituale. Licèt autem hi actus informent animam rationalem, non tamen est necessarium, vt dixi, vt educantur ex illius potentiâ, sed ex potentiâ solius materiæ, vt in Physicis diximus de vnione inter animam & corpus.

Probatur debere etiã sensationes recipi in materia.

XVI. Dices; ergo sensationes brutorum sunt actus magis immanentes, quàm sensationes hominis: illæ enim recipiuntur in sola anima brutorum, ac proinde adæquatè erunt in principio, à quo profluunt, qui est conceptus actus immanentis. Resp. primò concedendo totum, nec in hoc est quidquam incommodi. Secundò tamen Resp. negando sequelam, actus namque materiales hominis verè recipiuntur in animâ, sicque in principio à quo profluunt, & consequenter sunt actus verè immanentes: quòd verò præterea recipiantur in alio subiecto, nil obstat quominus sint immanentes: sicut quòd animal sit etiam sensitiuum non arguitur non esse vegetatiuum: nec quod visio aliqua sit simul visio nigredinis tollit quominus sit visio albedinis, si vtrumque colorem repræsentet.

Nec hinc sequitur sensationes brutorum esse magis immanentes, quàm sensationes hominum.

SECTIO VI.

Alia quædam circa naturam potentiarum.

I. Latam hîc instituunt disputationem nonnulli de specificatione potentiarum & actuum, vtrùm scilicet respiciant obiecta in communi, vel in particulari. Nos hac de re satis diximus in Physicis d. 5. sec. 3. nec quidquam hîc occurrit addendum, cum eadem ferè de iis sit ratio respectu obiectorum & actuum, ac de materiâ respectu formarum, & causa efficiente respectu effectuum.

De specificatione potentiarum dictũ est in Physicis disp. 5. sec. 3.

II. Quæres, vtrùm potentiæ animalium specie distinctorum distinguantur specie; oculus ex. g. leonis & equi. Quæstio procedit, posito quod potentiæ distinguantur ab animâ; si enim non distinguantur, certum videtur distingui specie, cùm petat coniungi cum partibus vnius compositi specie distincti à partibus alterius. Si autem potentiæ ab animâ distinguantur, mihi satis probabile est, si virtus videndi in oculo leonis & equi sit æqualis, non necessariò distingui specie: res enim specie diuersæ habent sæpe proprietates non distinctas specie, vt terra & aqua frigus, sol & ignis lucem &c. si tamen dicere quis velit, potentiam visiuam leonis ita esse propriã leonis, vt non possit esse potentia visiua equi, & è contrà hæ potentiæ distinguentur specie, cùm peculiariter respiciant essentias specie distinctas.

Potentia visiua equi & leonis probabiliter non distinguũtur specie.

III. Quæres secundò, vtrùm distinguantur actus specie ab obiectis materialibus specie distinctis: Cõmunis est antiquorum sententia negans actus distingui ab obiectis materialibus & secundariis, sed solùm à formalibus & primariis, quâ de causa vno ore affirmant non posse dari duas visiones beatificas specie distinctas, quia Deus, qui est obiectum formale & primarium, est idem in vtraque: sicque aiunt eiusdem fore speciei visionem quâ videretur Deus, & in eo vnus aliquis Angelus, & visionem qua videretur Deus & centum Angeli specie distincti, & simul homo, equus, leo, & aliæ species creaturarum. Conformius tamen est nostris principiis dicere, diuersificari actus specie, etiam ex diuersitate specificâ obiectorum materialium; id enim in Physicis asseruimus de relatione omni transcendentali, vt de materiâ respectu formarum, de causa respectu effectuum &c.

Dicunt multi actus non distingui specie ab obiectis secundariis.

Probabilius tamen est actus illis specie distingui.

IV. Ratio à priori est: quia cùm actus non minùs essentialiter respiciat obiectum materiale quàm formale, quippe qui sit repræsentatio, & ordo vtriusque, verè vtrumque obiectum relucet in actu, & consequenter ab obiecto illo confertur diuersitas in actu. Cùm ergo sit immediatus ordo ad hoc obiectum, obiectum illum diuersificabit secundùm totum quod in se habet, sicque cùm obiectum quod repræsentatur ab hoc actu, specie distinguatur ab obiecto quod repræsentatur ab alio, hi actus distinguentur specie, sicut distinguuntur obiecta, quæ essentialiter respiciunt. Et nisi hæc ratio, quod scilicet obiecta specie distinguantur, sufficiat ad distinctionem specificam actuum, nec obiecta formalia illos distinguent specie, cùm illa sola sit ratio, quòd scilicet obiecta formalia distinguantur specie.

Cùm actus essentialiter respiciat obiectum materiale, sumet necessariò ab eo specificationem.

V. Dicendum ergo, sicut terminus seu effectus productus secundùm omnes tribuit extrinsecè & arguitiuè suam diuersitatem actioni, forma similiter materiæ, hæc formis, terminus relationi &c. ita obiectum tribuere diuersitatem suam actui, cùm hic non sit minùs immediatus & essentialis ordo ad obiectum, quàm illa ad effectus, terminos, materiam, formam &c.

Declaratur magis hæc distinctio actuũ ab obiectis materialibus.

DISPVTATIO XIV.

De Potentiis materialibus, seu sensibus.

Potentiæ materiales vel spectant ad animam vegetatiuam, vel sensitiuam. Animæ vegetatiuæ ad tria munera conceduntur potentiæ: potentia generatiua ad conseruationem & propagationem speciei; ad conseruationem indiuidui potentia nutritiua; & demum potentia augmentatiua, siue hæc distinguatur à nutritiuâ, siue non, ad dandum supposito iustam magnitudinem, quam non habet in primâ generatione. De his nihil admodum restat dicendum præter ea quæ in lib. de Gen. fusè dicta sunt: quare, ad potentias animæ sensitiuæ, de quibus plura sunt hîc disquirenda, pergemus.

Animæ vegetatiuæ ad tria munera triplex à natura data est potẽtia.

SECTIO PRIMA.

De Visu.

I. Sensus externi sunt quinque; *Visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus*, licèt non omnes in animalibus omnibus reperti. Horum, vtpote ad curiositatis potiùs quàm vtilitatis, vt aiunt, studiosos spectantium, tractationem à plerisque hîc omitti video. Hunc tamen tractatum non penitùs omittendum censeo, cùm in eo plurima, non iucunda tantùm, sed scitu etiam necessaria contineantur.

Sensus externi quinque: visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus.

II. Primus ergo dignitate sensus, & inter externos præci-

Sensus disgustatus præcipuus est visus. Habet in se oculus tres humores, crystallinũ, albugineum, & aqueum.

præcipuus, est Visus. Sedes huius potentiæ est in fronte, vbi oculi, vt ait S. Ambr. l. 6. Hexam. c. 9. *velut in quadam specula siti sunt, vnde omnia facilè prospectent.* Mira est oculi fabrica, tribus constat humoribus, *crystallino*, qui planè in medio oculi situs est; *albugineo & aqueo*: tunicis quinque, prima seu intima vocatur *specularis*, quòd sit instar speculi: proxima dicitur *reticularis*: tertia *vuea*, & ex colore huius tunicæ oculi dicuntur *nigri, cæsij, glauci* &c. hæc sola non ambit totum oculum, sed foramen in medio habet, per quod pupilla cernitur: quarta tamen est *cornea*: quinta demum vocatur *adhærescens & alba.* Habet vlteriùs oculus musculos septem, qui ei ad motum & miram illam volubilitatem deseruiunt: quatuor vt eum sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum flectant; duo alij eum in gyrum voluunt; septimus demum illum sedi suæ, & loculamento infigit, ibique firmè retinet.

Tunicas quinque, & septem musculos.

III. *In oculo duo sunt nerui optici.*

Duo prætereà sunt nerui, qui optici seu visorij vocantur, quorum alter à dextrâ parte cerebri ad dextrum, alter à sinistra ad sinistrum oculum tendit, sed postquam non nihil à cerebro processerunt, coëunt inter se, & postea iterum ab inuicem separantur, & vtrumque oculum intrant. Per hos neruos & spiritus animales à cerebro ad oculos, & vicissim species rerum ab oculis ad sensum communem, & phantasiam transmittuntur. Hinc fit vt ex vino liberalius hausto turbetur subinde visus, quod scilicet tunc per hos neruos spiritus turbidi ad oculos à cerebro mittantur: vnde, vt ait Aphrodiseus l. 2. Probl. q. 52. qui aquam bibere consueuerunt, acutiùs videant. Qui oculos etiam habent prominentes, & emissitios, non ita clarè: qui profundos, & nonnihil in caput demissos, acutè vident, quod species meliùs colligantur: vnde cùm quis visum vult intendere, oculos ex parte claudit.

Qui aquã bibere consueuerunt acutius vident.

IV. *Obiectum visus lux, & color.*

Quæres primò, quid sit obiectum visus? Resp. proprium illius obiectum esse colorem & lucem: color vocatur materiale obiectum, non quòd verè & in se non moueat visum, sed quòd sine luce videri nequeat; qua de causa lux vocatur obiectũ formale, quòd scilicet lux sine colore videri possit, nõ verò color sine luce. Prætereà, obiectum visus & aliorum sensuum est figura cuiusque rei & vbicatio.

V. *Vt obiectũ videatur non est opus totum medium illuminari.*

Quæres secundò, vtrùm vt obiectum videatur, necessarium sit totum medium illuminari? Resp. negatiuè, vt manifestâ constat experientiâ, cùm noctu e loco obscurissimo videtur ignis à longè: imò quo locus est obscurior, eo cæteris paribus meliùs videtur. Deinde, si lux illic esset, posset discerni, maximè si quis per spatium aliquod notabile propiùs accedat, si enim quis tantillum ad lucem propiùs appropinquet, aduertit mutationem. Sufficit ergo obiectum ipsum illuminari.

VI. *Satisfit cuidã experientiæ circa lucẽ.*

Dices; experientiâ constat, vitris quibusdam lucẽ in maximâ distantiâ, etiam in loco, qui maximè tenebrosus est, colligi, ergo illic est lux, licèt non cernatur. Resp. experientiam illam solum probare colligi illic species lucis, per quas non visas lux ipsa à longè constituta cernitur. Euidens enim videtur, si illic esset lux, fore vt cerneretur, præsertim, si quis, vt dixi, multò propiùs accedat ad luminosum.

VII. *Visio materialis existere naturaliter nequit, nisi existente obiecto.*

Quæres tertiò, vtrum visio aut alia sensatio externa existere possit sine suo obiecto? Resp. naturaliter non posse. Ratio est, quia vel dependet effectiuè ab obiecto ipso, vel à specie illius vicariâ; sed destructo obiecto non potest manere vel illius species, vel influxus, ergo. Imò nec diuinitus existere eam posse sine obiecto existimant nonnulli: dicuntque sicut vnio dependet Physicè ab extremis existentibus, ita visionem & sensationem omnem externam ab existentiâ sui obiecti dependere intentionaliter,

VIII. *Clausis oculis non manet visio, sed solà imaginatio obiecti.*

Dices; sæpe contingit dum fixis oculis intuetur quis solem, aut aliud corpus lucidum, præcipuè variegatum vt cancellos, videri sibi clausis oculis, vel etiam facie auersâ videre hoc idem obiectum; quod argumento est species esse naturâ suâ ad breue tẽpus durabiles sine obiecto; ergo si Deus destrueret tunc obiectum, maneret illa visio. Resp. in his casibus non existere visionem horum obiectorum, sed solum viuacem imaginationem excitatam à vehementi sensatione præteritâ: quæ est mens Aristotelis hic tex. 156. docẽtis imaginatione percipi id quod apparet oculis clausis, & in hoc distinguit imaginationem à sensu.

IX. *In qua oculi parte formetur visio.*

Quæres in quâ parte oculi formetur visio? Putant aliqui formari in *pupillâ*: alij, & propriùs vero, in *retinâ*, quæ est postrema pars oculi, quæque species recipit, & in se rerum omnium oppositarum figuras habet depictas. Illam proinde probabilissimè existimare quis posset esse sedem visionis.

SECTIO II.

Vtrùm color distinguatur à lumine.

I. *Prima sententia dicit colores vniuersim à lumine non distingui.*

PRima sententia vniuersim affirmat colorem à lumine non distingui: sicque noctu colores omnes abeunte sole perire asserit, & eodem redeunte reuiuiscere. Ita plurimi ex antiquis. Plato in Timæo, Auicen. l. 6. part. 3. c. 1. Auerroës hic, text. 7. com. 65. Alexander l. 1. quæst. natura. q. 1. c. 2. Idem docere videtur Alber. Magn. l. de sensu & sensibili, tr. 2. c. 1. Caiet. hic l. 2. c. 7. Iauell. hic q. 33. Soncin. 10. Met. q. 2. & alij. Cui etiam opinioni subscribunt recentiores quidam non indocti.

II. *Secunda sententia colores omnes veros distinguit à lumine.*

Secunda sententia è contrario colores omnes veros & permanentes distinguit à lumine, alios tamen ait esse apparentes, docetque hos in lumine consistere. Ita Suar. hic l. 3. c. 15. n. 2. Conimb. hic l. 2. c. 7. q. 2. a. 2. Rubius hic, l. 2. tr. de Visu, q. 1. n. 14. Murcia l. 2. de Ani. d. 6 q. 2. §. *Quibus suppositis*, Tol. hic, q. 17. Hurt. hic, d. 17. s. 2. n. 17. Arriaga hic, d. 5. s. 3. nu. 41. Ouiedo Cont. 4. de Anima, p. 1. n. 4. & alij.

III. *Possibilis est color à lumine indistinctus.*

Prima conclusio: possibilis est color identificatus cùm luce. Ratio est, quia nulla huius repugnantia assignari potest: cùm enim hæc prædicata sibi inuicem non opponantur, non est cur in vnam aliquam entitatem coalescere iis eaque inueniri identificata non possint: sicut vegetatiuum & sensitiuum in equo, leone, & aliis.

IV. *Possibilis etiam est color distinctus à lumine.*

Secunda conclusio: possibilis etiam est color à luce realiter distinctus. Ratio est, quia non videtur assignabilis huius rei implicantia, aut ex quo capite repugnet.

V. *Multi colores distinguuntur à luce.*

Tertia conclusio: dantur de facto colores multi realiter à luce distincti, quales sunt albedo, nigredo, viriditas &c. quæ in rebus hisce sublunaribus passim reperiuntur. Ita auctores secundæ sententiæ.

VI. *Decrescente luce, color non minuitur, ergo distinguuntur.*

Probatur primò: decrescente lumine, imò valde iam imminuto ac remisso, color, rubedo ex gr. apparet æquè intensa, licèt minùs clarè cernatur, ergo manifestum videtur rubedinẽ, & alios colores permanentes esse aliquid realiter distinctum à lumine; alioqui, quo gradu lux decrescit, decresceret color, cùm forent idem, clarissimâ tamen experientiâ cõstat contrarium, nec ad id probãdum alio opus est, quàm oculis. Hoc argumentum existimo esse efficacissimum. Secundò, sequitur in interioribus partibus auri, argenti, æris, marmoris, & similium, nullum omninò esse colorẽ, cùm lux eò nõ pertingat.

VII. *Quo sensu abscedente luce dicantur subinde colores tolli.*

Dices; canit Ecclesia *Rebusq; iam color redit: vultu nitentis siderum*, ergo abscedente luce pereunt colores, eaque reuertente redeunt. Contrà, canit etiam. *Nox atra rerum contegit terræ colores omnium*, ergo non pereunt

Xx 2

reunt nocte colores, sed solùm occultantur, & tenebris quasi abduntur. Eodem modo respondetur ad id quod quidam obiiciunt, *Nox abstulit atra colores*. Respondeo, solùm velle Poëtam, noctem seu tenebras colorum aspectum impedire; id autem auferri metaphoricè dicitur, quod oculis subducitur.

VIII. *Dantur etiam veri colores cū luce identificati.* Quarta conclusio: dantur etiam de facto colores aliqui veri à luce indistincti. Ita auctores primæ sententiæ. Probatur, lux enim, seu radij solares constanter apparent instar cuiusdam coloris: sine fundamento ergo quis negauerit radios illos, seu lucem æquè esse coloris aurei, atque est ipsum aurum. Quòd si quis ideò hunc neget esse verum colorem, quòd facilè transeat, & interpositione corporis opaci subitò euanescat, quæstionem fecerit de nomine. Quæ enim necessitas dicendi permanentiam esse de conceptu omnis veri coloris, vt bene Suarez citatus, c. 15. n. 8.

IX. *In Iride & nubibus sunt veri colores à luce indistincti.* Conf. in Iride etiam & nubibus sunt veri colores, vt asserit P. Suarez citatus n. 7. & 8. nec enim diuersi apparent hi colores pro diuerso situ vel rei, vel intuentis, vt contingit in coloribus in collo columbæ qui proinde non censentur veri colores, sed quædam visus deceptio: sed quocunque situ quis illos colores intueatur, eodem semper modo apparent, sicut & radij solares de quibus numero præcedente. Nulla autem est necessitas colores in nubibus, & Iride distinguendi à luce, ergo.

X. *Dantur etiam colores merè apparentes.* Quinta conclusio: dantur etiam colores aliqui merè apparentes, qui, quæ licèt colores videantur, verè tamen colores non sunt. Hæc conclusio probatur ex coloribus qui cerni videntur in sericis quibusdam, & collo columbæ, in vno enim situ vnius coloris videntur, in alio alterius, nunc rubei, nunc cærulei, nunc aurei, nunc viridis, & tamen in ipsa re nulla facta est mutatio, sicque sunt colores tantum apparentes, & quædam visus deceptio: sicut contingit dum remus in aquâ fractus videtur, quæ tamen est fractio, & curuitas tantum apparens, vt constat. *Vnde dignoscatur color apparens à vero.*

SECTIO III.

De Auditu.

I. *Sedes auditus.* Auditus in materia quadam fluida & subtilissima instar aëris purissimi consistit, sicut visus in humore illo crystallino. Sita est materia hæc in imo tortuosi cuiusdam tractus instar labyrinthi, qui per varios flexus eò tandem ducit. Tria sedem infimam auditus tenuia ossa ambiunt, vnum instar *incudis*, instar *malleoli* alterum, tertium ad formam *stapedis*. His vicina est membrana per quandam cauitatis illius partem transuersa quam *tympanum* vocitāt: & hæc fortè est causa, cur si quis aurem manu obturet, statim strepitum quendam intus & quasi tumultum audiat, quod scilicet aura intus inclusa calore dilatetur & motum aliquem cieat, sicque allisa ad *tympanum* strepitum quendam edit. Demum vt ad oculos, ita ad aures nerui à cerebro deriuantur, vt spiritus animales ad eas deferant, & vt cerebrum vicissim per eas species rerum ab auribus recipiat. *Auris fabrica.*

II. *Obiectum auditus est sonus.* Obiectum auditus est sonus, qui qualitas quædam est ex corporum inter se collisione producta, ex natura sua defectiua. Vbicatio etiam & duratio, nec enim tantum percipimus sonum, sed eum prætereà hic & nunc seu ex tali vel tali parte existere.

III. *Vocis definitio.* Aristoteles hic tex. 9. vocem definit quòd sit *percussio respirati aëris ab anima in pulmone existente ad arteriam*. Nec hinc sequitur Sanctos non locuturos in cœlo voce externa: primò enim, vt ait S. Thomas, non est necessarium ad locutionem & vocem, vt aër ab extrinseco attrahatur, vel extra fauces emittatur, sed sufficit, vt aër in pulmone motus, percutiat eum, qui est in gutture. Secundò dici potest, purissimum aërem in pulmonibus Beatorum contentum, habiturum donum penetrabilitatis, & consequenter posse exspirari & attrahi, penetrarique cum cœlo Empyreo. Tertiò, non caret probabilitate quod asserunt aliqui, ipsum cœlum Empyreum interius esse liquidum, & continere materiam quandam spirabilem delicatissimam, cuius ministerio Sancti pro libito loquuntur. Et hoc modo, vt in lib. de cœlo notaui d. 4. s. a. n. 7. & 8. explicant nonnulli *aquas quæ supra cœlos sunt*. *Quo modo Sancti loquantur in cœlo.*

IV. *Quid sit Echo.* Echo iuxta Aristotelem est *sonus ex solidis, & concauis corporibus reflexus*. Fit ex reflexione vel ipsius soni, vel specierum. Ratio verò cur subinde non tota vox vel oratio, sed vltimæ tantum syllabæ, & verba audiantur, est, non quòd tota non reflectatur, sed quia sonus prolatus à loquente, vtpote maior, impedit ne audiatur nisi illa pars quæ reflectitur post sonum à loquente absolutum: si enim aliquod interuallum intercedat ante reflexionem, existimo totam vocem auditum iri. *Cur vltima saltem syllaba vocis reflexa subinde audiatur.*

V. *Vnde proueniat reflexio soni.* Reflexio verò soni, vel speciei nihil est aliud quā quod sonus aut species in superficie corporis solidi recepta, cum facilius producere possit aliam speciem vel partem soni in aëre vicino corpori illi solido, vtpote aptiore ad species vel sonum recipiendum, quā in ipso corpore, in eo potius iterum versus loquentem, quàm vlterius in illo corpore sonum, aut speciem producit. Sicut ob eandem ferè rationem pila resilit versus projicientem: licet diuersitas sit in modo, cùm pila resiliat per motum localem, non tamen sic reflectatur sonus, saltem vt plurimum.

VI. *Sonus non habet contrarium.* Sonus contrarium non habet; nec enim sonus grauis & acutus (quorū ille prouenit cum multum aëris percutitur, acutus cùm parum) sunt sibi contrarij, sicut sunt albedo & nigredo, vel calor & frigus; in eodem quippe subiecto soni diuersissimi recipiuntur, vt constat in concentu multarum vocū, aut fidium in eodem aëre, vel aure simul recepto.

SECTIO IV.

De olfactu, gustu, & tactu.

I. *Sedes olfactus.* Olfactus in summitate interioris partis narium situs est in duabus particulis carnis spongiosis instar mamillarum, quæ cerebro sunt proximæ. Obiectum huius sensus est odor, qui est qualitas ex primarum permixtione orta, prædominãte tamen calore, qua de causa per calorem excitantur odores, per frigus è contrà minuuntur, & cessant. In hoc sensu bruta quædam multis gradibus superant hominem, cùm tenuissimos quosque odores in magnâ etiam distantia percipiant. Hinc minus mirum videri debet quod circa visum de hominibus quibusdam refertur, qui certissimè dicunt vbi sub terra lateat aqua: vident namque vapores quosdam supra terram ab aqua illa emissos, quos vtpote delicatissimos, alij discernere non possunt. *In odoratu bruta hominem superant.*

II. *Vtrum res odorifera substantiā ex se exhalent.* Quod hic à nonnullis quæritur vtrùm res odoriferæ solas qualitates producant in subiectis appositis, an etiam substantiam aliquam ex se emittant? mihi probabile videtur vtrumque subinde præstare: vnde & res quasdam odoriferas per huiusmodi exhalationes minui paulatim cernimus, & homines subinde per odorem cibi nonnihil nutriri, imò & satiari, ita vt appetitum omnem ad cibum amittant: quod tamen per solius odoris productionem contingere difficulter posset.

Gustus

III. *Sedes gustus.* Gustus in tota quidem lingua, sed præcipuè in ipsa cuspide locatur. Distinguitur à tactu, cùm aliquando ab eo separetur, non in aliis tantum corporis partibus, sed etiam in lingua, quæ primas subinde qualitates sentit, non tamen sapores, vel saltem valde imperfectè. *Distinguitur à tactu.* Imò obiectum aliquando nullum habet saporem, vt aqua, quam nihilominus tangit vitaliter lingua; ergo distinguitur gustus à tactu.

IV. *Sedes tactus sunt caro, & nervi.* Sensus tactus diffunditur per totum ferè corpus, residetque in carne & neruis sed præcipuè in neruis. Necessarius maximè animalibus est hic sensus, vt dum per illum dolorem sentiunt, noxia fugiant, & vitam conseruent. Ossa non sentiunt, nec dentes, licèt dolor aliquando in ipsa etiam dentium substantia existere videatur, *Ossa non sentiunt, nec dentes.* sed est tantum in gingiuis, vel neruo quo dentes maxillæ affiguntur, qui cùm in interiorem partem dentis à radice intret, dolor in eo receptus, recipi videtur in ipso dente, vt dictum est d. 2. s. 2. n. 4.

V. *Quænam sint obiecta tactus.* Obiectum huius sensus sunt primæ qualitates, mollities item & durities, impulsus, qualitas etiam causans dolorem & voluptatem. Quæres, quænam sit hæc qualitas dolorifera? Aristoteles & Philosophi communiter, sicut & Medici cum Galeno, dicunt esse *diuisionem continui*: sed est definitio solum causalis, quòd scilicet diuisio continui communiter dolorem causet, licèt in eâ formaliter dolor non consistat, cùm sæpe dolor sentiatur vbi nullum continuum diuiditur. Mos ergo est Aristoteli res obscuras per aliqua nobis nota exponere, sicut sonum ait esse *percussionem aeris*, odorem *exasperationem fumosam* &c. quæ ad summum definitiones sunt causales. Qualitas ergo illa dolorifera non est diuisio continui, sed accidens quoddam inde resultans, quod dolorem causat.

VI. Dices; si primæ qualitates sint obiectum tactus, ergo vel quæ sunt in sensorio, carne scilicet & neruis, vel quæ in subiectis extraneis: non illæ, tunc enim essemus in continua sensatione, cùm nunquam non sint aliquæ ex primis qualitatibus in carne & neruis; nec etiam aliæ, cùm enim primas qualitates *Intus existens prohibet extraneum.* semper habeamus nobis insitas, non possumus eas percipere quæ sunt in alieno subiecto: nam, vt ait Aristoteles, *intus existens prohibet extraneum.* Resp. non percipi qualitates in sensorio existentes, cuius *Non percipiuntur tactu qualitates existentes in sensorio.* licèt difficile sit rationem assignare, ea tamen reddi potest ducta ex ipsa natura potentiarum, visus enim petit, vt experientia constat, obiectum aliquantulum remotum, tactus verò vtpote imperfectus, petit vt obiectum sibi sit quidem contiguum & applicatum, non tamen intimè præsens, hic enim videtur conceptus tangendi aliquid nempe non vt sit illi intimè præsens, sed proximum, multò minus vt ab illo informetur: præcipua tamen huius rei ratio desumi debet ab experientia.

VII. *In quo subiecto sit calor vehemens, qui sentitur in febri.* Nec in febri, quando intus sentitur calor vehemens, vel frigus, id inde prouenit, quòd in eadem parte sentiatur vbi est, sed est calor ille vel frigus in sanguine aut aliquo alio humore maligno per totum corpus disperso, qui sentitur à carne, ad quod tamen necessariò debet humor ille esse intensioris frigoris quàm tunc habeat caro, vel nerui à quibus sentitur.

VIII. *Quomodo qualitates in organo non impediant, sensationem extranearum.* Hinc soluitur quod obiiciebatur contra sensationem qualitatum in obiectis extrinsecis: licèt enim sint aliquæ primæ qualitates semper in sensorio, sentit tamen qualitates, quæ illas in intentione superant, non alias, nisi sint alterius rationis; vt manus calida vt sex potest in obiecto calido vt sex sentire grauitatem, vel impulsum, duritiem, mollitiem &c. Imò manus valde calida sentire potest frigus in obiecto quod habet plus caloris quàm frigoris: quæ fortè est causa cur idem obiectum, in eadem temperie, respectu manus calidæ videatur frigidum, & respectu frigidæ calidum. Quòd verò semper intus existens non prohibeat omninò extraneum, videtur manifestum: nam in oculo est aliquid lucis, & tamen videt lucem in extraneo subiecto.

IX. *Ad tactum non requiritur, vt qualitas, quæ sentitur, sit in subiecto discontinuo.* Existimo tamen, nō esse necessarium ad tactum seu sensationem vitalem alicuius rei, vt semper obiectum sit in subiecto discontinuo, seu non vnito: videtur enim valde probabile vnam partem carnis sentire calorem aut frigus in parte sibi proxima, præsertim si magna sit diuersitas in temperamento. Hoc tamen non est verum de omnibus qualitatibus; nec enim caro sentit duritiem ossis sibi vniti, vt constat. Probabile etiam videtur sentiri subinde qualitatem in æquali, vel minori intentione: duæ *Sentitur subinde qua vna eiusdem intensionis cū ea, quæ est in sensorio.* enim manus æqualis duritiei vel mollitiei sentiunt inuicem duritiem aut mollitiem, & si altera esset paulò durior, posset tamen aliquam duritiem sentire in alia, vt manifestum videtur experientia. Imò licèt aliquæ qualitates non sentiantur, dum sunt in sensorio, non tamen videtur perinde certum de omnibus, vt de impulsu, motu, vel grauitate.

X. *Homo in collectione omnium sensuum superat reliqua animalia.* Solum noto, esto in vno aliquo sensu superetur homo à quibusdam animantibus, vt visu ab aquila, olfactu à cane & vulture &c. in collectione tamen omnium sensuum longè superat homo vllum aliud animal: quod tum ipsius animæ perfectio requirit, tum quòd per sensus, & experientiam ad scientias perueniat: qua de causa hæc scientiarum instrumenta habere vniuersim debuit perfecta; eo enim perfectius, per se loquendo, *rationale* in homine fungetur suo munere, quo *animal* fungatur suo.

DISPVTATIO XV.

De sensibus internis.

SECTIO PRIMA.

An præter sensus externos detur etiam aliquis internus.

I. *Ostenditur dari sensum internum.* ARistoteles hîc l. 3. c. 2. & 3. probat dari sensum aliquem internū præter externos, quod per se videtur manifestum, primò enim cōstat à singulis sensibus ad cerebrum neruos quosdam & fibras protendi, quibus & ipsi species rerum

cerebro subministrent, & ab eo spiritus vicissim animales recipiant, vt suprà diximus s. 1. n. 3. Deinde, bruta recordantur obiectorum quæ sensu aliquo perceperunt; feræ enim recordantur loci, in quo catulos reliquerunt: canes domini sui ita meminerunt, vt subinde supra tumulum illius demortui inedia & dolore consumantur: equus recordatur stabuli &c. *Vnde canes subinde in somnis latrent.* Imò canes subinde in somnis latrant, ergo tunc ipsorum imaginatiuæ obiectum aliquod prius sensu perceptum occurrit, in somno enim nullo sensu externo vt plurimum vtuntur.

Anima in corpore, læsis organis non est promptà ad motum expedita.

titibus vitalibus, & organis corporeis. Deficientibus ergo spiritibus vitalibus, & dispositionibus ad motum requisitis, vel læsis organis, non potest vires, quas habet in actu primo, tam commodè in hoc statu exercere, sicut nec actus intellectus, vel visionis læsis potentiarum illarum organis, tam perfectè elicit. Imò multi ex solâ organi læsione redduntur amentes.

XII.

Ostenditur quomodo sola læsio organi vim operandi impediat.

Dices, rationem cur anima non tam perfectè intelligat coniuncta ac separata, esse quòd non habeat tam perfectas species, quæ sunt partiale comprincipium intellectionis. Contrà primò, quando quis postquam per multos annos rectè vsus est ratione, tandem incidit in amentiam, habet æquè perfectas species atque antea, easdem enim retinet, quas antea acquisiuit, cùm species intelligibiles nunquam naturaliter corrumpantur, & per has iterum separata rectè poterit discurrere; ergo hoc non contingit defectu specierum, sed quia intellectus vti his speciebus non potest in hoc statu nisi dependenter ab organis corporeis; ergo idem dici poterit de potentiâ motiuâ, non posse scilicet animam in corpore defatigato tam dextrè illâ uti, licèt non sit quidquam imminuta.

Anima pro hoc statu non petit concursum ad species & motum tam perfectum.

Contrà secundò, quare non habet tam perfectas species coniuncta corpori, ac separata, nisi quia in productione & receptione specierum dependet ab organo corporeo? sicut ergo in hoc statu non petit concursum nisi ad species imperfectas, idque iuxta dispositionem organi, ita nec petet ad motum: sicque in pueris, quando organa motus sunt imperfecta & debilia, petit anima concursum ad motum tantùm imperfectum: quando autem membra corporis sunt firma, exigit concursum ad motum perfectum: si verò membra casu aliquo lædantur, motus etiam erit imperfectior: sicque esto potentia motiua in actu primo sit ipsa substantia animæ, vel potentia spiritualis, & semper eadem, in actu tamen secundo, seu quoad exercitium, pendet à dispositione organorum.

SECTIO IV.

Reliqua argumenta contendentia potentias ab Anima distingui.

I.

Obij. possibilis est substantia, quæ operatur per potentias distinctas, ergo anima est talis.

ARguitur nonò: Possibilis est substantia intellectiua, & volitiua, quæ operetur per potentias distinctas, ergo anima rationalis de facto habet potentias distinctas, & per eas operatur; hoc enim conformius est experientiis in aliis substantiis compertis. Resp. primò retorquendo argumentum, possibilis est substantia operatiua sine potentiis distinctis, ergo anima est huiusmodi. Secundò resp. negando consequentiam: sic enim possibilis est secundùm multos substantia quæ operetur in distans, corpus simplex, materia alterius speciei &c. tamen plurimi negant de facto dari. Ad probationem ductam ab experientiis, & exemplis aliarum rerum, dico illis probari potiùs oppositum: nulla enim est experientia, vt dixi, quæ probet substantias egere potentiis accidentalibus vt operentur ad intra, sed tantum ad extra.

Contrà, non quidquid est possibile existit.

II.

Videtur implicare substantia intellectiua, quæ operatur per potentias distinctas.

Tertiò dici posset, implicare substantiam intellectiuam & volitiuam quæ operetur per potentias distinctas: cùm enim illæ potentiæ sint omninò superfluæ, non possunt connaturaliter, seu tanquam proprietates illi substantiæ deberi. Si autem appareret peculiaris aliqua necessitas cur substantia aliqua requireret potentias distinctas, posset quis illas ei concedere.

III.

Ex luctâ inter appetitum sensitiuum, & rationem non probatur distinctio potentiarum.

Arguitur decimò ex luctâ inter appetitum sensitiuum & rationem. Vnde ait Apostolus ad Gal. 5. v. 17. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et ad Rom. 7. a. 23. *video aliam legem in membris meis repugnantē legi mentis meæ* &c. ergo hæ potētiæ distinguuntur. Nego consequentiam; solùm enim opponuntur sibi quoad actus, actus enim appetitus sensitiui, seu animæ vt appetitus, inclinat ad contrarium illi quod dictat ratio, seu, anima vt intelligens, sicque vt appetens aduersatur sibi vt intelligenti, & *videt meliora probatq́, deteriora sequitur.* Imò hoc probaret esse in homine duas voluntates: sæpe enim inefficaciter vult homo vnum, & efficaciter contrarium, vt peccatores inefficaciter volunt gratiam Dei, & gloriam cœlestem, efficaciter verò peccatum & miseriam.

IV.

Non sequitur eo quod substantia sit sua potentia, posse esse suum actum.

Arguitur vndecimo: si substantia possit esse sua potentia, quidni & suus actus? Hæc ratio mille patitur instantias; accidens enim quando producit aliud accidens, vt calor calorem, albedo speciem &c. est sua potentia, quidni ergo poterit esse suus actus, seu actio? Idem est de essentiâ respectu passionum in sententiâ S. Thomæ & eorum qui dicunt passiones produci per emanationem: quidni ergo & erunt essentiæ omnes sua operatio? Ratio ergo est, quia secundùm omnes hoc est proprium Dei, essetque, vt aiunt, nimia perfectio, & actualitas quædam non cadens in creaturam, quia semper esset intelligens & volens, idque necessario. Aliam huius rationem assignaui suprà, d. 6. s. 6. n. nono.

DISPVTATIO XIII.

De modo quo anima concurrit ad actus vitales.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Anima immediatè recipiat & efficiat actus intellectus, & voluntatis.

I.

Status præsentis controuersiæ.

QVæstio procedit positâ distinctione potentiarum ab Animâ: si enim non distinguantur, nullus est dubitandi locus. Quærimus ergo vtrùm, si intellectus distinguatur ab animâ, is solus actus intelligendi efficiat & recipiat, animâ merè negatiuè se habente (& idem est de voluntate respectu actuum amandi, & odio habendi) vel vtrùm anima simul cum potentiis ad hos actus efficienter concurrat, eosque in suâ substantiâ immediatè recipiat, vel solùm mediatè, nempe quia immediatè recipiuntur in potentiis, quæ subiectantur in Animâ.

II.

Anima concurrit immediatè ad actus.

Non eodem modo hac in re philosophantur auctores, ac de Potentiis: plurimi enim ex illis qui admittunt potentias distinctas ab animâ, asserunt nihilominus ita ab eâ pendere illas in operando, vt sine illius cōcursu nihil possint. Ita Suarez d. 18. Met. s. 5. n. 2. & 3. Vasq. 1. 2. d. 9. n. 17. & plurimi ex recentioribus, quibus nos etiam subscribimus: licèt. posità

sita distinctione potentiarum, non sit fortasse necessitas vt anima ad omnes operationes effectiuè concurrat, vt disputationis decursu constabit.

III. *Nisi anima per se concurrat ad operationes, erit instar stipitis.*

Ratio est primò, quia in contrariâ sententiâ animæ ponuntur tanquam tot statuæ, & stipites, vtpote quæ omninò nihil agant, nec operationem vllam vitæ eliciant, magis quàm si essent ex ligno, vel lapide. Dices; licèt non operentur per se, id tamen præstant per potentias sui vicarias, intellectum scilicet & voluntatem; hoc autem animæ præstantiam commendat, & ad illius dignitatem spectat: sicut ad dignitatem Regis vel Principis pertinet quod per se nihil præstet, sed per substitutos, & famulos. Contrà, si Princeps ille nihil per se præstare posset, vt si esset claudus, vel mente captus, & consequenter ex necessitate haberet huiusmodi substitutos, certè non argueret vllam præstantiam, vel dignitatem in Principe. Imò qualis esset ille paterfamilias, qui nihil aut intelligere posset, aut velle? certè quantumcunque famuli, & alij illius loco substituti intelligerent, & rectè omnia disponerent, si tamen ipse in se nō perciperet, nec percipere posset res ad domus suæ, & familiæ administrationem spectantes nuo hoc ipsi laudi, sed summo dedecori verteretur, nec paterfamilias censendus esset huiusmodi homo, sed stipes. Idem autem est in nostro casu, anima enim nihil omninò percipit in se, secundùm hanc sententiam, sed solùm denominatiuè, & impropriè quia scilicet aliquid in eâ existens percipit, seu intelligit, nempe intellectus. Ex quo.

Regere alienis operis non arguit præstantiam, sed imbecillitatem.

IV. *Nisi anima immediatè recipiat actus intellectus, & voluntatis, non erit propriè beata, nec damnata.*

Secundò sic argumentor: anima non solùm denominatiuè, sed verè & propriè intelligit & vult; anima enim in cœlo non denominatiuè tantùm, sed verè in substantiâ & entitate est beata, & non solum quia intellectus eius est beatus, ergo in se immediatè recipit beatitudinem, seu actum intellectus, quo videt Deum. Sicut è contrà, anima in Inferno verè & in se est damnata, & non denominatiuè tantùm; alioqui propriè solùm esset beatus Intellectus, & consequenter non posset propriè de animabus affirmari illas esse vel beatas, vel damnatas, sed merè denominatiuè; quia nimirum denominatio quæ propriè & immediatè tribuitur alicui potentiæ in animâ existenti, impropriè & mediatè tribuitur toti, quod & durum videtur, & contra communem omnium conceptum, qui animam in se verè beatam ac damnatam censent: & hoc modo omnes Patres loquuntur: alioqui non magis in se esset anima beata & damnata, vel operationes bonas aut malas efficeret, & reciperet, quàm paries diceretur videri & emittere species, quia albedo in eo recepta videtur, & species emittit.

V. *Gratia recipitur immediatè in substantia animæ, ergo & alius intellectus, ac voluntatis.*

Conf. gratia secundùm omnes immediatè recipitur in ipsa substantia animæ, alioqui non posset ipsam verè & propriè denominare gratam, & amicam Deo: sed non minus anima in se est verè & propriè inimica Deo, & obiectum odij ipsius per peccatum, quam grata per gratiam, ergo. Conf. secundò, non minùs verè & propriè fœdatur anima per peccatum quàm ornatur per gratiam; ergo sicut gratia recipitur in ipsâ substantiâ animæ, quā alioqui non propriè ornaret, ita in eadem recipi debet peccatum, alioqui solus intellectus vel voluntas verè & propriè fœdaretur per peccatum in animâ. Conf. tertiò, gratia recipitur immediatè in animâ, ergo & peccatum, cùm sint contraria, contraria autem sunt circa idem subiectum, vt cum Aristotele asserit communis schola Philosophorum.

VI. *Si anima non concurrat immediatè ad actus, sequitur eam nec laudem per bonas actiones mereri, nec vituperium.*

Tertiò probatur: sequeretur animam nec per bona opera laudem mereri, nec per mala vituperium. Sequela probatur, non alio modo, secundum hanc sententiam, concurrit anima ad hos actus, quàm quòd potentias, quæ eos eliciunt, sustentet, sed ob hanc sustentationem non meretur vel laudem, vel vituperium, quando potentiæ peccant, ergo. Probatur minor, concursus iste quem præbet anima ad potentias, est indifferens ad actum bonum & malum, nec magis inclinat ad vnum quàm ad alium, ergo ob hoc solùm quod concurrat hoc modo ad illarum conseruationem, nec laudem meretur, nec vituperium: sicut nec vituperium meretur Deus dum animæ peccant; quòd eas & earum potentias conseruet.

VII. *Dices; vt actio aliqua tribuatur animæ sufficit concursus eius mediatus. Resp. non sufficere, cum impedire eam anima non possit.*

Dices; vt actio aliqua vertatur animæ vel laudi, vel vituperio, non est necessarium vt immediatè in illam per se influat, sed sufficit si influat mediatè, & per suum instrumentum, nempe potentiam: sicut in moralibus, vt actio filij & pupilli imputetur Patri, aut tutori, non est opus vt hi influant immediatè in hos actus, vt est manifestum. Sed contrà, nullæ actiones filij imputantur patri nisi quas potest pater impedire, vel quæ sunt sub ipsius dominio: cùm ergo operationes potentiarum non sint in potestate animæ, nec in illas habeat vllum dominium, vt possit vel efficere eas, vel impedire, vt docent contrariæ sententiæ auctores, non possunt animæ tribui, neque hæc ob illas vel laudem mereri vel præmium.

SECTIO II.

Si non requiratur immediatus concursus Animæ, voluntas sola & separata posset peccare.

I. *Si non requiratur concursus animæ, voluntas separata posset peccare.*

QVartò probatur: alioqui si voluntas esset separata ab animâ, posset operari liberè, in hac sententiâ, & consequenter peccare: experientiæ enim illæ, per quas probant potentias distingui ab anima, etiam hoc probant, cùm omnes alias potentias vt deamus posse à subiectis separatas operari, vt calorem, frigus, albedinem &c. ergo tunc denominaret animam peccantem, si quæ ob peccatum illud posset anima damnari: quod sanè dictu videtur durissimū.

II. *Dices, peccatum illud non tribueretur animæ quia voluntas tunc non vnitur. Contra, ergo saltem si voluntas postea animæ vniatur, anima peccabit.*

Dices, si voluntas esset separata ab animâ, peccatum ab eâ commissum, & in eâ receptum, non posset denominare animam, nec illi tribui, quia non est illi tunc vnita voluntas, vnio autem ad hanc denominationem est necessaria. Contrà, ergo saltem si postea illi vniretur voluntas cum peccatu illo moraliter, vel physicè manente, denominaret animam peccantem, & ob hoc peccatum damnari posset anima illa, quod tamen non videtur vllo modo admittendum: quare enim cùm nec actus ipse nec eius vnio sit animæ libera, tribuetur ipsi peccatum voluntatis, quod nullo modo erat in illius potestate, solumque propterea damnatur, quia habet sibi vnitā voluntatem peccantem, quam tamen nec à se deunire potest, nec à peccato cohibere.

III. *Contra secundò iuxta hanc sententiam vt actio instrumenti tribuatur causæ principali, non requiritur vnio.*

Contrà secundò iuxta auctores huius opinionis, vt operationes instrumenti tribuantur causæ principali, non requiritur vt instrumentum, seu substitutum illi vniatur: sic enim cùm accidentia, sola producunt substantiam, vt cùm rana generatur ex putri & alia huiusmodi, tribuitur isthæc operatio in hac sententia alicui ranæ in particulari, vel toti speciei, vel denique ranæ in communi, quæ non quidem in se sed in suo substituto operatur, licèt nulli ex his accidentia illa vniantur. Cùm ergo in hac sententia voluntas sit instrumentum animæ ad operationes liberas quamuis voluntas existat separata, denominabit animam liberè operantem, & peccantem.

IV. Dices, peccare seu liberè operari, dicit etiam receptionem actus liberi, seu peccati: nec enim pec-

caret

Dices ad potentiam disparitas vt recipere actus peccaminosos.

caret Angelus, si Deus per impossibile ipsum eleuaret ad producendum simul cum animâ Petri actum peccati in ipsa anima Petri, sed vt peccet, debet etiam peccatum illud percipere. Distinguo primũ antecedens, peccare & liberè operari dicit receptionẽ actus in ipsa substantiâ animæ, nego antecedens; in illius substituto, concedo: quidni enim æquè sufficiet substitutum ad receptionem, atque effectionem?

V. *Contrà. in hac sententia sequeretur non requiri in anima receptionem actus peccaminosi.*

Sicut ergo quia potentia efficit, dicitur anima efficere, ita, si potentia recipiat, quidni dicetur anima recipere? cùm quicquid in hoc genere fiat in substituto, fieri dicatur in eo cuius est substitutum. Hinc autem sequitur, si anima esset in gratia, & potentia ab ea separata, & in alio loco posita peccaret (vt secundùm hos auctores potest) sequitur, inquam, animam per actum illum peccaturam, & gratiam amissuram. Quod idem contingeret si anima esset beata. Deinde si voluntas separata ab animâ poneretur in duobus locis distinctis, & in altero peccaret, in altero amorem Dei aut alium actum bonum eliceret, anima in eodem loco existens esset simul in gratia, vel gloria, & in peccato.

VI. *Alio modo concurrere debet anima ad peccatũ quàm posteri Adami ad illius peccatum.*

Dices; per peccatum Adami, peccarunt posteri, quidni ergo & anima dici poterit peccare per peccatum potentiarum? Contrà, hoc potiùs probaret, potentias debere peccare peccante anima, quàm hanc peccantibus potentiis. Respondent ergo nonnulli propterea peccatum originale nõ puniri pœna sensus, quia scilicet non est physicè elicitum ab iis, qui illud contrahunt, sed punitur solâ priuatione, seu pœnâ damni: cùm ergo peccatum commissionis puniatur pœnâ sensus, signum est physicè animã ad illud concurrere, & alio modo quàm posteri Adami concurrunt ad peccatum originale.

VII. *Alia disparitas circa concursum animæ ad peccatum, & posterorum ad peccatum Adami.*

Secundò resp. voluntatem Adami per transfusionem illam fuisse factam moraliter voluntatem omnium posterorum, qui proinde in eo peccarunt moraliter: at verò anima nõ potest fieri vnum quiddam cum voluntate, nec physicè, vt constat, cù physicè ab eâ distinguatur, & vnio physica quâ ipsi vnitur, supponit physicam distinctionem, cùm omnis vnio sit distinctorum, & eo modo distinctorum quo vniuntur: nec etiam moraliter; primò quia tunc anima non diceretur physicè peccare, sed sola voluntas. Prætereà, non requireretur vnio physica ad hoc vt operationes voius tribuerentur alteri, sicut non requirebatur vnio physica inter voluntatem Adami & posterorum: vnde, vt suprà dixi numer. 1. & 2. dum voluntas ab animâ separata peccat, peccaret anima.

SECTIO III.

Nisi anima immediatè recipiat actum intellectus, voluntas feretur in incognitum.

I. *Nisi anima immediatè recipiat intellectionem, voluntas ferretur in incognitum.*

QVinto itaque probatur conclusio; nam in contrariâ sententiâ sequeretur, voluntatem ferri in incognitum, sed hoc fieri non potest, ergo. Maior probatur, actus intellectus proponit obiectum in genere causæ formalis, seu informando, sed actus nõ informat nisi intellectum, ergo illi soli repræsentat, & proponit obiectum, ergo voluntas nihil per actũ illũ cognoscit, ergo ipsi non proponitur obiectum, ergo fertur in obiectum, quod non nouit, & consequenter in incognitum. Minor, quòd hoc fieri nõ possit, sic ostenditur: voluntas fertur in obiectum præferendo vnum alteri, ergo cognoscere debet bonitatẽ vtriusque, quo enim pacto vnum alteri præferet nisi vtrumque cognoscat, & vtriusque præstabilitatem consideret? quod enim intellectus duo obiecta percipiat, quid hoc iuuat vt volũtas alliciatur bonitate vnius potiùs quàm alterius, nisi ipsa etiam vtriusque bonitatem percipiat?

Impugnatur vt voluntas feratur in incognitum.

II. *Quo sensu voluntas sit potentia cæca.*

Dices; voluntas est potentia cæca. Resp. non esse cæcam hoc sensu, nẽpe quòd nihil omninò videat; hoc enim est impossibile, vt dixi, cùm ferri nequeat in obiectum quod ipsi non proponitur. Hoc ergo tantùm sensu est cæca, nempe, quòd nihil videat per actus suos, vtpote qui non sunt repræsentationes rerum. Hoc tamen non arguit eam non videre per actus intellectus; hi enim sunt formales repræsentationes seu visiones rerum, & consequenter per eos repræsentantur res, non intellectui solùm, sed volũtati, quæ propterea potentiæ non distinguuntur. Imò si voluntas distingueretur ab animâ & intellectu, non esset propriè voluntas, seu potentia quæ ferretur amando, sed esset instar habitus cuiusdã qui efficit quidem actum amoris, sed non dicitur amare: sicut nec species, si quæ sint in intellectu, intelligunt, licèt actus intellectus effectiuè vnà cum intellectu producant.

Voluntas videt per actus intellectus non voluntatis.

III. *Actu intellectus requiritur vt voluntas illuminetur, ergo voluntas videt.*

Conf. primò, ideò prærequiritur ad actum volũtatis actus intellectus, vt illuminetur volũtas, & intẽtionaliter excitetur & moueatur, vel bonitate obiecti ad illud amplectendum, & quasi ad id accedẽdum, vel malitia ad odio habendum, & ab eo recedendum, quod sine illustratione & cognitione illius fieri non potest. Dices; cùm puer ducit cæcum, vt cæcus rectâ incedat, & ad locum constitutũ perueniat, non est opus vt ipse cæcus videat, & cognoscat viam, sed sufficit cognosci viam à puero: ergo similiter sufficit cognosci obiectum ab intellectu vt voluntas in illud tendat; ducitur enim voluntas ab intellectu, sicut cæcus à puero. Sed contra, nisi aliqua notitia viæ deriuetur à puero in cæcum, ita vt ipse occasione pueri ducentis aliquo modo apprehendat quâ sit eundum, tam errabit ac si nullũ haberet ducẽ; vnde semper videmus debere vel apprehensa manu duci; vel alia quapiam ratione tangere puerum mediatè, vel immediatè.

Dum puer ducit cæcum debet cæcus aliquo modo viam percipere.

IV *Frustra facem voluntati præfert intellectus, nisi voluntas lucem possit videre.*

Eodem ergo modo per actum intellectus debet aliquâ ratione voluntas illustrari, & percipere obiectum; frustra enim illi facem præfert intellectus si ipsa lucem omninò non percipiat; cæco enim perinde est facem extinctam præferri atque accensam; imò aliud quidlibet æquè ac facem. Ex quo efficax deducitur argumentum pro nostra sententia, nam secundùm omnes, ideò actum voluntatis præcedere debet actus intellectus, vt facem quasi voluntati præferat, ergo vt ipsam illuminet, & proponat bonitatem, vel malitiam obiecti, vt hanc videndo fugiat, illam prosequatur, sicut homo luce facis aduertens in viâ foueam, illam vitat, & per viam planam, quam beneficio similiter facis perspicit, incedit.

V. *Ostenditur debere necessario in ipso pondere potentiam, quæ vult, & intelligit.*

Conf. secundò, quantumcunque Paulus obiectũ aliquod cognoscat, non propterea Petrus excitabitur ad illius rei amorem, quia non est idem qui cognoscit & amat, sed si potentiæ distinguantur inter se & ab anima, non est eadem potentia cognoscens & amans, ergo. Dices; Petrum & Paulum non radicari in vno tertio, sicut radicantur hæ potentiæ, nempe in eadem animâ. Contrà, si Petrus intelligeret per actum illum elicitum à Paulo, posset ipse obiectum illud amare: vnde ratio cur non possit prodire in actum amoris circa obiectum illud, est quia illud nõ percipit; sed non magis percipit obiectum voluntas in hac sententiâ per actum intellectus, quam Petrus per actum Pauli, ergo. Deinde, quòd sola radicatio in eodem non sufficiat, probatur: hæc enim radicatio nihil est aliud, quàm vnio cum eodem tertio, sed

Sola radicatio in vno tertio ad hoc non sufficit.

hoc

hoc non sufficit vt voluntas excitetur ad amandum, licèt enim anima Christi vniatur Verbo Diuino realiter identificato cum cognitione Diuina non tamen inde excitatur ad amandum, quia scilicet non redditur per cognitionem illam cognoscens, ergo radicari vel non radicari in eodem parum refert ad hanc excitationem intentionalem, nisi voluntas inde percipiat obiectum quod proponitur.

VI. *Durandi opinio de distinctione intellectus, & voluntatis.*

Hæc ratio probat intellectum non distingui à voluntate, non tamen probat vel intellectum vel voluntatem non distingui ab animâ: vnde siquis cum Durando affirmare vellet, intellectum & voluntatem esse vnicam potentiam, eamque ab animâ distinctam, non conuinceretur hoc argumento; nec etiam ex illius vi cogeretur asserere animam immediatè influere in actum vel intellectus vel voluntatis, aut eos immediatè recipere.

SECTIO IV.

Obiectiones contra immediatam effectionem, & receptionem actuum Intellectus, & voluntatis in Anima.

I. *Obij. ad intelligendum non requiri, vt anima actum physicè producat.*

OBiicies primò: ratio præcipua cur nos asserimus animam immediate concurrere ad actus intellectus & voluntatis, est quia idem debet esse principium intelligendi & volendi, sed ad hoc non est necessarium vt anima efficiat intellectionem, si enim Deus infunderet intellectionem in animam, quam intellectionem ipse solus produceret absque concursu animæ, anima per illam intelligeret; ad denominationem siquidem intelligentis non requiritur aliud, quàm vt sit forma in subiecto apto: sicut enim lux physica in subiecto apto denominat illud illuminatum, à quocunque demum producatur lux illa, ita & lux intentionalis, seu actus intellectus; ergo non est opus vt eliciatur ab animâ intellectio.

II. *Resp. debere esse idem principium intelligendi & volendi, saltem receptiuum.*

Resp. proptereà dixisse me suprà non esse perinde necessarium vt omnes actus efficienter procedāt ab animâ, sed solùm vt anima concurrat immediatè aliquo modo, efficiendo scilicet vel recipiendo, receptione saltem latè sumpta, sicut anima rationalis recipi dicitur in materiâ, seu vt recipere idem sonat atque informare. Imò ob hoc ipsum argumentum dicunt multi, & probabiliter, ad intelligendum non requiri vt anima efficiat actum intellectus, de quo postea. Hoc tamen non obstante manet, idem esse principium intelligendi & volendi; nam principium intelligendi non dicit aliud quam principium percipiens obiectum, siue perceptionem illam physicè efficiat, siue non.

III. *Obij. sufficere sympathiam inter has potentias, licèt voluntas nihil percipiat.*

Obicies secundò: posse voluntatem amare obiectum cognitum per intellectum, licet voluntas illud non percipiat; quidni enim statui inter potentias illas poterit naturalis quædam sympathia, ita vt ipso facto quòd intellectus obiectum aliquod cognoscat, voluntas consequenter illud velit? vnde, non sequitur, ferri in incognitum, esto enim voluntas illud non cognoscat, cognoscit tamen intellectus, sicque fertur quidem in incognitum à voluntate, sed non ab intellectu; quod sufficit vt non dicatur ferri simpliciter in incognitum.

IV. *Resp. sympathiam huiusmodi inter intellectum & voluntatem statui non posse.*

Sed contrà, nam quicquid sit de his sympathiis, quas vniuersim tollere est difficile, hîc certè non potest per sympathiam emergere actus amoris in voluntate, posito actu cognitionis in intellectu, nisi voluntas per actum intellectus videat obiectum: sicut enim frustra per viam aliquam incedenti præfertur lux physica, nisi illā percipiat, vel saltem illius beneficio videat viam, nec ad alium finem ipsi accenditur lucerna nisi vt illuminetur, & per lucem illam viam cernat; ita contingit in luce intentionali, quæ non ob alium finem accenditur quasi, & præfertur voluntati, nisi vt per illam illuminetur voluntas, & obiectum cernat, in quod feratur.

V. *Aliud esse ea sympathiam est in physicis, aliud in intentionalibus.*

Ratio est, quia motus, & excitatio voluntatis non est physica, sicut excitatio habitus, aut alterius huiusmodi comprincipij, sed intentionalis: nihil autem intentionaliter ad aliquid moueri potest, quod illud non percipit, cùm intentionalis motio sit perceptio: dicere autem voluntatem intentionaliter moueri denominatiuè, quia coniungitur in eadem animâ intellectui hac ratione moto, est in re dicere non omninò moueri intentionaliter, quod enim solùm mediatè & denominatiuè dicitur intelligere, verè non intelligit, nec percipit obiectum, quod tamē requiritur, vt in illud feratur & amet.

VI. *Coniunctio cum intellectu in eadem animâ non sufficit vt voluntas operetur.*

Deinde, si sola coniunctio in eâdem animâ cum potentiâ intelligente sufficiat vt aliquid dicatur intelligere, habitus etiam iræ, & odij, &c. dicentur intelligere, cùm sint in eâdem anima cum voluntate: vel saltem gratia habitualis, quæ secundum omnes est in substantia animæ, aut habitus fidei & prudentiæ, quæ non in eâdem solùm animâ sunt, sed etiam in eadem potentia.

VII. *Differentia in ea, quæ mouentur despoticè, & politicè.*

Vnde, notanda lata disparitas inter ea quæ mouentur ab alio merè physicè & despoticè, & inter ea quæ mouentur politicè & intentionaliter: priora enim non egent cognitione, sed merè quia sunt ad nutum quasi mouentis, vt possit ipsis vti pro libito: sic baculus mouetur ab homine, habitus à voluntate &c. At verò voluntas mouetur politicè & intentionaliter, ac veluti suasione quâdā allicitur, donec præbeat consensum: debet ergo ipsi proponi obiectum, cuius bonitate allicitur.

VIII. *Imperfecta quadam vis imaginatiua spargitur per totum corpus.*

Obiicies tertiò: experientia constat, vnam partem animalis cognoscere, aliam se mouere, ergo hîc intercedere debet sympathia. Antecedens probatur in equo; cognoscit enim capite, percutit pede, ergo hic non est eadem pars seu principium cognoscens & mouens: Resp. primò, quando equus pungitur in pede, & statim illum mouet posse probabiliter dici, in ipso pede, & omnibus partibus sensitiuis corporis diffusam esse imperfectam quandā potentiam imaginatiuam, & appetitiuam (quales communiter dicunt spargi per totum corpus insectorum) eo fine à naturâ inditas, vt ea quæ sunt mala, apprehendat & fugiat.

IX. *Dum equus pede percutit, vnde incipiat motus.*

Secundò dico cum recentioribus quibusdam, quando tangitur aliqua pars corporis equi trāsmitti velocissimo quodam motu species ad cerebrum, vbi communiter dicitur residere potentia & cognoscitiua, & appetitus. Pars ergo illa animæ cognoscens in capite transmittit vicissim motum in pedem, quo excitata pars animæ in pede, se etiam mouet, saltem partialiter, vnde licèt pes non cognoscat, potest tamen se mouere; sufficit enim quòd pars illa vnde primò incipit motus, cognoscat, aliæ enim partes possunt moueri physicè, nec est opus vt moueantur intentionaliter. Sicut cùm voluntas vnâ cū habitu charitatis elicit actum charitatis, nil opus est vt habitus cognoscat, & moueatur intentionaliter, sed merè physicè, modò principium vnde primo incipit motus moueatur intentionaliter, nempe voluntas.

X. *S. Thomas & Aristo. docent vim motiuam animalis esse appetitum.*

Quòd vero hoc ita contingat, suadetur primò ex Aristotele, tertio de Animâ præcipuè c. 10. circa finem, vbi expressè docet, potentiam motiuam animalis esse ipsum appetitum, his verbis: *omninò igitur vti diximus, hoc suiipsius motiuum est animal, quo est appetitiuum.* S. Thomas etiam 2. cōt. Gen. c. 82. & 1. par. qu. 75. ar. 3. ad. 3. insinuare videtur alia mēbra merè se habere passiuè respectu motus, & non se moue-

re, sed moueri ab appetitu. Vnde non debet ita mirum videri, vt nonnullis videtur, partem vitalem nõ mouere se, sed pati motum ab aliâ parte, cuius munus est motum illum in aliis membris corporis producere, vel per se solam, vel saltem partialiter, vt diximus.

XI. Deinde, hoc idem probatur ex communi Philosophorum & medicorum consensu, qui docent, vim effectricem motus in animali prouenire primariò è cerebro: ex anatomiis namque compertum esse dicunt, neruos omnes qui præcipua sedes sunt motus, deriuari è cerebro, sicut rami omnes arborum deriuantur à radice: vnde etiam certum est neruorum partes, quò propiores sunt cerebro, eò esse latiores, & robustiores, quò verò remotiores sunt à cerebro, eò esse tenuiores: sicque etiam hoc modo homo est *arbor inuersa.*

Motus in animali prouenit primariò è cerebro.

XII. Quòd verò quoad huiuscemodi motum influxus aliquis proueniat reliquis partibus à cerebro, probatur: si enim neruus ille solus in aliquâ parte colli equi, vel tauri incidatur, quantumuis reliquum collum maneat integrum, non potest animal illud pedibus ampliùs consistere, sed statim in terram prolabitur, multo minùs potest, sicut antea, incedere. Nec dici potest, hoc inde prouenire, quod traijciat cerebrum spiritus vitales in alias partes: primò enim cũ spiritus vitales sint res quædam materiales, & composita corporea, imò sanguis ipse defæcatior & purior, non apparet quo modo à cerebro equi ad imã vsque calcem tam subitò per totum corpus trãsmittantur. Deinde, non est cur spiritus bic eò etiam trãsfundantur, cùm sufficientes in ijs partibus spiritus ad huiusmodi motum antea extiterint.

Ostenditur viterius motum prouenire à cerebro.

XIII. Debere autem principium loco-motiuum esse idem cum intellectiuo, & volitiuo, hinc probatur: cùm enim citharœdus artificiosè mouet manus, principium intellectiuum & volitiuum vel concurrit ad motum illum effectiuè, vel directiuè: si effectiuè, conceditur quod intendimus; si directiuè, ergo dirigitur potentia motiua per regulas artis, nempe per actus intellectus, modum quo artificiosus ille motus fieri debeat, præscribentes; ergo percipere debet has regulas, & esse illarum capax: sicut pictor dirigi nullo modo posset per prototypon, nisi illud perciperet. Affirmare autem sufficere quòd intellectus dirigatur ad hoc vt potentia motiua motum artificiosum efficiat, est perinde ac dicere, Petro cognoscente modum artificiose mouendi, Paulum saltare posse ad numeros, vt suprà ostendimus. Sicut ergo Petrum nihil iuuat ad saltum artificiosum tonus aliquis musicus, nisi ipse intellectu audiat; ita nec regula illa dirigere potentiam motiuam potest nisi eam aliquo modo percipiat. Ratio est quam supra attulimus, quia potentia motiua vel debet moueri ab intellectiuâ & volitiuâ effectiuè, vel directiuè, seu intentionaliter; Vnde hæc ratio ad minimum probat debere animam simul cum potentia motiuâ ad motum illum artificiosum concurrere.

Ex motu artificioso citharœdi ostenditur principium loco-motiuum non posse distingui ab intellectiuo, & volitiuo.

XIV. Solum hoc occurrit difficile: si nimirum motus incipiat in cerebro, cur dum citharœdus pulsat fides partes intermediæ non tam celeriter moueantur, ac manus & digiti. Ad hoc tamen resp, sæpe contingere magis moueri partes remotas, quàm proximas, licèt ab his incipiat motus, quia nimirum sunt motui aptiores: sic cùm quis motum immediatè imprimit trunco arboris, magis mouentur folia & rami, quàm truncus, licèt ab hoc motus incipiat. Manus ergo & digiti sunt aptiores huic motui, quia agiliores & habiliores ad motum, vt ait S. Thomas loco suprà citato, vnde & celeriùs mouentur. Quod adhuc faciliùs intelligitur, si dicamus, potentiam motiuam in manu ad motum illum non receptiuè tantùm, sed etiam effectiuè concurrere.

Cur, licèt motus incipiat à cerebro digiti tamen & manus celerius mouentur, quàm partes intermediæ.

Quæres, vtrùm distinguatur potentia motiua in animali ab ipsa forma? Notandum, duplicem in quouis animali esse potentiam motiuam: primò, grauitatem, per quam more aliarum rerum animalia ferũtur deorsum: deinde aliam habent animalia potentiam motiuam, quæ est illorum propria, & vocatur communiter *potentia loco-motiua*, & progressiua. Quoad grauitatem ergo & leuitatem dixi in lib. de Gener. d. 14. s. 1. numer. 4. eas esse qualitates à rerum grauium & leuium substantijs distinctas; has enim habent cum rebus inanimatis communes. XV.

Duplex in quouis animali potentia motiua.

Quoad potentiam loco motiuam, videtur, non posse adæquatè distingui ab anima, ob argumentum suprà positum, cùm necessarium videatur vt anima saltem partialiter ad motum concurrat. Ad hoc autem quòd anima per potentiam motiuam operetur ad extra, non necessariò videtur statuenda in eà potentia distincta: Dici enim posset nunquam animã, vel aliam formam motum aut impetum in extraneo subiecto producere, quin eum prius producat in se, & per impetum in se productum producit impetũ in alijs. Quod si dicatur, cessat difficultas. Conf. Sicut enim sol producit primò lucem in se, & ignis calorem, mox in alijs rebus, ita quidni Angelus eadem ratione impetum in se primò producat, deinde in alijs? XVI.

Potentia loco-motiua non distinguitur necessariò ab anima.

SECTIO V.

In quo subiecto recipiantur actus materiales in homine.

Difficultas procedere potest vel de subiecto totali, partiali, vtrùm scilicet actus vitales materiales in homine, vt visio, auditio &c. recipiantur in sola anima, an in illa simul & materia. Et quod nõ recipiantur in sola anima, videtur certũ: cùm enim sint materiales, non possunt hoc modo adæquatè respicere subiectum spirituale. Deinde, si hi actus adæquatè subiectari possint in animâ subiecto spirituali, quidni etiam & species ad eos requisitæ? quod si dicatur, eodem modo poterit anima separata exercere sensationes, atque actus abstractiuos intellectus, cùm deferre secum possit adæquatum earum principium, nempe speciem materialem, & potentiam. I.

Status quæstionis proponitur.

Certum videtur sensationes non subiectari in sola anima rationali.

P. Hurt. d. 4. de Anim. sect. 3. § 44. acriter contendit nũ posse actus vitales materiales recipi, nec partialiter in anima rationali. Ratio illius est primò, quia *quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*: ergo cum anima sit indiuisibilis, actus etiam in eà recepti esse debent indiuisibiles. Sed contrà primò nam ipse P. Hurt. asserit punctum indiuisibile subiectari in partibus diuisibilibus. Contrà secundò, forma equi indiuisibilis iuxta sententiam S. Augustini, S. Thomæ, & Aristotelis, recipitur in materiâ diuisibili. Contrà tertiò, materia quæ est substantia, recipit qualitates, quæ sunt accidentia: & alia huiusmodi. II.

Quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Sensus ergo illius axiomatis non est, quòd, quicquid recipitur, esse debeat in eodem planè ordine cum recipiente, eique arithmeticè conformari, sed quòd accommodare se debeat ad illius capacitatem, nempe, vt non possit recipi, nisi in subiecto illius capace, sicque accommodatur ad modum recipientis, non in *essendo*, sed in *recipiendo*. Deinde, anima rationalis indiuisibilis recipitur in materiâ diuisibili, nec enim hic per receptionem intelligi debet causatio. III.

Quo sensu intelligendum sit prædictum axioma.

Præterea, visio, & aliæ sensationes, licèt recipiantur in animâ, seu illam informent, non tamen fortè IV.

ex

Nil obstat quo minùs sensationes recipiantur in animâ rationali.

ex eâ educuntur, sed solùm ex materiâ. Vltimò tandem, omnes qui dicunt formas perfectorum brutorum esse indiuisibiles, non multum fortasse refugerent concedere visionē & alias sensitiones in homine se indiuisibiles. Communis etiam inter recentiores opinio est, vnicam esse vnionem in composito humano, illamque recipi & in materiâ & in animâ, quarum altera est diuisibilis, altera indiuisibilis.

V. Arguitur secundò: actus materialis est extensus, ergo non potest recipi naturaliter in animâ, cùm illi non possit tribuere huius suum effectum formalem.

Forma non necessariò tribuit subiecto, cui inest, omnem suum effectum formalem.

Sed contrà, non enim est opus vt forma tribuat omnem effectum formalem subiecto cui inest; actus enim amoris intensus in Angelo non denominat illum intensum, ergo & actus extensus poterit vniri animæ, licèt illam non denominet extensam. Non ergo est necessarium, vt dixi, vt forma tribuat subiecto cui inest omnem effectum formalem, sed sufficit quòd tribuat aliquem; effectus enim formalis non est sola forma, sed forma, subiectum, & vnio. Deinde, sic anima rationalis, licèt sit indiuisibilis, potest, imò & petit naturaliter inesse materiæ, cui tamen non potest tribuere denominationem & effectum formalem indiuisibilis, ita & è contrà; quod enim educatur vel non educatur, parum refert ad effectum formalem, albedo enim & lux creatæ, non minùs denominarent parietem & aërem album & lucidum, quàm si ex iis educerentur.

Lux creata tā perfectè redderet aërem lucidū, quā generata.

VI. Arguitur tertiò: non potest res spiritualis recipi in subiecto quantitatiuo, & corporeo, ergo nec res corporea in subiecto spirituali. Nego consequentiam; disparitas est, quia conceptus spiritus, vt dixi suprà d.7.s.4. consistit in independētiâ à materiâ & quantitate; ergo ipso facto quòd dependeret à materiâ & quantitate, non esset spiritualis. Quando verò res corporea recipitur in subiecto spirituali, vt in termino inadæquato, nihil fit contra illius essentiam, cum adhuc retineat dependentiam à re materiali corporeâ & quantitatiuâ, qui est conceptus corporis. Quod idem est in probabili sententiâ de vnione corporeâ in homine, quam multi dicunt subiectari in vtroque extremo.

Nulla est repugnantia vt res corporea subiectetur in re spirituali.

VII. Instabis: quando duæ causæ inæquales concurrunt ad eundem effectum, effectus sequitur principaliorem: sic quando habitus supernaturalis concurrit cum potentiâ & speciebus naturalibus, actus euadit supernaturalis: sic etiam à specie, & potentiâ vitali producitur actus vitalis perfectior specie, ergo pari ratione, si recipiantur hi actus partialiter in anima, subiecto spirituali, erunt spirituales.

Obi. effectū semper sequi causam perfectiorem.

VIII. Contrà, antecedens non est vniuersim verum: primò enim, in moralibus, si alter parens sit ignobilis, proles absolutè censetur ignobilis. Deinde, in Physicis, ab animâ spirituali & specie impressâ materiali producitur sensatio, seu visio materialis. Item conclusio sequitur debiliorem partē: ergo effectus non sequitur semper perfectionem principij. Imò ex primo exemplo quod affertur, desumitur instātia cōtra eos, qui hoc argumentum proponunt: anima enim est perfectior habitu supernaturali, & tamen producitur ab illis duabus concausis actus supernaturalis, non naturalis. Vnde deducitur effectum non sequi semper naturam causæ perfectioris.

Resp. negatiuè, vt obstat in variis effectibus, tam moralibus, quā Physicis.

IX. Nec vim vllam habet quod tantopere vrgent aliqui, tantam scilicet esse improportionem inter rē spiritualem & corpoream, atque è cōtrà, ergo si potest res corporea recipi inadæquatè in spirituali, poterit & spiritualis recipi in re corporeâ. Retorquetur argumentum, tanta est improportio inter rem corpoream & spiritualem, ac è contrà; sed potest forma spiritualis elicere actum materialem & corporeum, vt anima rationalis visionem, ergo & forma materialis actum spiritualem, quod tamen negant huius sententiæ auctores. Non ergo id negamus ob improportionem præcisè, sed ob rationem iam dictam desumptam ex conceptu spiritus suprà explicato, d.7.sec.4.

Improportio sola non obstat, quo minùs res spiritualis recipiatur in subiecto corporeo.

X. Arguitur quartò: materia est subiectum sufficiens formæ equinæ, ergo & sensationis in homine, quæ est multò forma illa imperfectior. Nego cōsequentiam, nec enim semper res, quo imperfectior, eo pauciores requirit causas, Angelus enim tantùm requirit Deum, cùm tamen actus visionis requirat speciem, potentiam, & Deum: sic anima sola producit intellectum si distinguatur, non tamen intellectionem, licèt intellectu imperfectiorem, quia scilicet intellectio, ob formalitates in se contentas, petit plures, & peculiares quasdam causas, quas non petit intellectus. Non ergo desumitur perfectio vel imperfectio alicuius rei ex eo quòd plures, aut pauciores requirat causas, materia prima enim res imperfectissima requirit eandem causam, quam Angelus. Sicut ergo effectus aliquis requirit subinde plures causas efficientes, vt de intellectione & visione iam dictum est, ita & requirere potest plures materiales quod peculiariter in sensationibus contingit, vt postea videbimus.

Nō semper res, quo imperfectior, eo pauciores requirit causas.

XI. Arguitur quintò: si possit actus vitalis materialis recipi inadæquatè in anima rationali, cur non poterunt aliæ qualitates materiales, vt lux, color, odor, &c. in eadem recipi? & sic habebimus albas, & odoriferas animas. Retorqueo argumentum: actus vitales materiales possunt recipi in animabus brutorum, ergo & calor, odor, &c. in iisdem recipi poterunt, sicque habent illa albas, rubras, & odoriferas animas; quod tamen negant omnes communiter; alioqui extincto animali, fieri deberet resolutio vsque ad materiam primam.

Obi. si visio corporea subiectari possit in animā rationali, ergo & calor, odor, &c.

XII. Resp. ergo, peculiarem esse rationem cur in anima cuiusque animalis recipi debeant actus vitales, & consequenter illa est proportionatum subiectum his qualitatibus, non aliis, sicut materia cœli est capax nostræ quantitatis & lucis, quia ad particularia cælestium corporum munera conducunt, non tamen est capax, nec subiectum proportionatum aliorum accidentium sublunarium: ergo non sequitur, subiectum aliquod est capax huius vel illius qualitatis, ergo omnium.

Resp. peculiarem esse rationē cur actus vitales subiectentur in animâ.

XIII. Sextò arguitur, & difficilius, vt probetur hos actus debere recipi in solâ anima: non potest forma esse naturaliter in subiecto cui non potest tribuere effectum suum formalem; sed visio non potest tribuere materiæ denominationem videntis, ergo non potest illi inesse. Resp. nō esse necessarium vt possit forma tribuere omnem suum effectum formalem, sed sufficit quòd tribuat aliquem: sic enim species visibilis subiectatur, etiam adæquatè in aëre, cui tamen non tribuit denominationem visiui, seu effectiui visionis, sed soli oculo, & alia huiusmodi.

Vt forma recipi possit in aliquo subiecto, sufficit quod ei tribuat aliquem effectum formalem.

XIV. Dicēdum ergo, actus materiales sensuum in homine esse tam in materiâ quàm in formâ. Ratio est, quia alioquì omnia argumenta suprà facta pro immediato influxu animæ in actus spirituales nihil probarēt; si enim dicatur sufficere vt totum videat, ad hoc vt appetat, eodē modo dici poterit sufficere vt totum sit cognoscens ad hoc vt velit; ac proinde licèt actus intellectus recipiantur in solo intellectu, sufficienter excitabit totum, sicut hic excitatur totum ad appetendum, licèt recipiatur materialis cognitio in solâ materiâ. Conf. ideo anima, seu voluntas, debet immediatè in se recipere cognitionem, quia per illā determinatur intentionaliter ad agendum, seu ad operandum, nempe ad eliciendos actus spirituales amoris, sed non minùs anima, seu appe-

Actus materiales in homine subiectantur & in materiâ, & in animâ.

Probatur debere sensationes recipi in animâ.

titus excitatur intentionaliter ad eliciendum actus materiales appetendi, ergo recipere in se debet immediatè determinatiuum ad amorem hunc materialem, nempe actum naturalem cognitionis.

XV. *Probatur debere etiã sensationes recipi in materia.*

Quòd verò actus hi materiales, vt visio, auditio &c. in homine recipi etiam debeant partialiter in materiâ, videtur certum, nam alioqui essent spirituales, cùm adæquatè respicerent subiectum spirituale. Licèt autem hi actus informent animam rationalem, non tamen est necessarium, vt dixi, vt educantur ex illius potentiâ, sed ex potentiâ solius materiæ, vt in Physicis diximus de vnione inter animam & corpus.

XVI. *Nec hinc sequitur sensationes brutorum esse magis immanentes, quàm sensationes hominum.*

Dices; ergo sensationes brutorum sunt actus magis immanentes, quàm sensationes hominis: illæ enim recipiuntur in sola anima brutorum, ac proinde adæquatè erunt in principio, à quo profluunt, qui est conceptus actus immanentis. Resp. primò concedendo totum, nec in hoc est quidquam incommodi. Secundò tamen Resp. negando sequelam, actus namque materiales hominis verè recipiuntur in animâ, sicque in principio à quo profluunt, & consequenter sunt actus verè immanentes: quòd verò prætereà recipiantur in alio subiecto, nil obstat quominus sint immanentes: sicut quòd animal sit etiam sensitiuum non arguitur non esse vegetatiuum: nec quod visio aliqua sit simul visio nigredinis tollit quominus sit visio albedinis, si vtrumque colorem repræsentet.

SECTIO VI.

Alia quædam circa naturam potentiarum.

I. *De specificatione potentiarum dictũ est in Physicis disp. 5. sec. 3.*

LAtam hîc instituunt disputationem nonnulli de specificatione potentiarum & actuum, vtrùm scilicet respiciant obiecta in communi, vel in particulari. Nos hac de re satis diximus in Physicis d. 5. sec. 3. nec quidquam hîc occurrit addendum, cum eadem ferè de iis sit ratio respectu obiectorum & actuum, ac de materiâ respectu formarum, & causa efficiente respectu effectuum.

II. Quæres, vtrùm potentiæ animalium specie distinctorum distinguantur specie; oculus ex. g. leonis & equi. Quæstio procedit, posito quod potentiæ distinguantur ab animâ; si enim non distinguantur, certum videtur distingui specie, cùm petat coniungi cum partibus vnius compositi specie distincti à partibus alterius. Si autem potentiæ ab animâ distinguantur, mihi satis probabile est, si virtus videndi in oculo leonis & equi sit æqualis, non necessariò distingui specie: res enim specie diuersæ habent sæpe proprietates non distinctas specie, vt terra & aqua frigus, sol & ignis lucem &c. Si tamen dicere quis velit, potentiam visiuam leonis ita esse propriã leonis, vt non possit esse potentia visiua equi, & è contrà hæ potentiæ distinguentur specie, cùm peculiariter respiciant essentias specie distinctas.

Potentia visiua equi & leonis probabiliter non distinguntur specie.

III. *Dicunt multi actus non distingui specie ab obiectis secundariis.*

Quæres secundò, vtrùm distinguantur actus specie ab obiectis materialibus specie distinctis? Cõmunis est antiquorum sententia negans actus distingui ab obiectis materialibus & secundariis, sed solùm à formalibus & primariis, quà de causa vno ore affirmant non posse dari duas visiones beatificas specie distinctas, quia Deus, qui est obiectum formale & primarium, est idem in vtraque: sicque aiunt eiusdem fore speciei visionem quâ videretur Deus, & in eo vnus aliquis Angelus, & visionem qua videretur Deus & eorum Angeli specie distincti, & simul homo, equus, leo, & aliæ species creaturarum. Conformius tamen est nostris principiis dicere, diuersificari actus specie, etiam ex diuersitate specificâ obiectorum materialium; id enim in Physicis asseruimus de relatione omni transcendentali, vt de materiâ respectu formarum, de causa respectu effectuum &c.

Probabilius tamen est actus illos specie distingui.

IV. *Cùm actus essentialiter respiciat obiectum materiale, sumet necessariò ab eo specificationem.*

Ratio à priori est: quia cùm actus non minùs essentialiter respiciat obiectum materiale quàm formale, quippe qui sit repræsentatio, & ordo vtriusque, verè vtrumque obiectum relucet in actu, & consequenter ab obiecto illo confertur diuersitas in actu. Cùm ergo sit immediatus ordo ad hoc obiectum, obiectum illum diuersificabit secundùm totum quod in se habet, sicque cùm obiectum quod repræsentatur ab hoc actu, specie distinguatur ab obiecto quod repræsentatur ab alio, hi actus distinguentur specie, sicut distinguuntur obiecta, quæ essentialiter respiciunt. Et nisi hæc ratio, quod scilicet obiecta specie distinguantur, sufficiat ad distinctionem specificam actuum, nec obiecta formalia illos distinguent specie, cùm illa sola sit ratio, quòd scilicet obiecta formalia distinguantur specie.

V. *Declaratur magis hæc distinctio actuũ ab obiectis materialibus.*

Dicendum ergo, sicut terminus seu effectus productus secundùm omnes tribuit extrinsecè & arguitiuè suam diuersitatem actioni, forma similiter materiæ, hæc formis, terminus relationi &c. ita obiectum tribuere diuersitatem suam actui, cùm hic non sit minùs immediatus & essentialis ordo ad obiectum, quàm illa ad effectus, terminos, materiam, formam &c.

DISPVTATIO XIV.

De Potentiis materialibus, seu sensibus.

Animæ vegetatiuæ ad tria munera triplex à natura data est potẽtia.

POtentiæ materiales vel spectant ad animam vegetatiuam, vel sensitiuam. Animæ vegetatiuæ ad tria munera conceduntur potentiæ: potentia generatiua ad conseruationem & propagationem speciei; ad conseruationem indiuidui potentia nutritiua; & demum potentia augmentatiua, siue hæc distinguatur à nutritiuâ, siue non, ad dandum supposito iustam magnitudinem, quam non habet in primâ generatione. De his nihil admodum restat dicendum præter ea quæ in lib. de Gen. fusè dicta sunt: quare, ad potentias animæ sensitiuæ, de quibus plura sunt hîc disquirenda, pergemus.

SECTIO PRIMA.

De Visu.

I. *Sensus externi quinque. Visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus.*

SEnsus externi sunt quinque: *Visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus*, licèt non omnes in animalibus omnibus reperti. Horum, vtpote ad curiositatis potiùs quàm vtilitatis, vt aiunt, studiosos spectantium, tractationem à plerisque hîc omitti video. Hunc tamen tractatum non penitùs omittendum censeo, cùm in eo plurima, non iucunda tantùm, sed scitu etiam necessaria contineantur.

II. Primus ergo dignitate sensus, & inter externos præci-

Sensus digustatu præcipuus est visus. Habet in se oculus tres humores, crystallinũ, albugineum, & aqueum.

præcipuus, est Visus. Sedes huius potentiæ est in fronte, vbi oculi, vt ait S. Ambr. l. 6. Hexam. c. 9. *velut in quadam specula siti sunt, vnde omnia facilè prospectent.* Mira est oculi fabrica, tribus constat humoribus, *crystallino*, qui planè in medio oculi situs est; *albugineo & aqueo*: tunicis quinque, prima seu summa vocatur *specularis*, quòd sit instar speculi: proxima dicitur *reticularis*: tertia *vuea*, & ex colore huius tunicæ oculi dicuntur *nigri, cæsij, glauci* &c. hæc sola non ambit totum oculum, sed foramen in medio habet, per quod pupilla cernitur: quarta tamen est *cornea*: quinta demum vocatur *adhærescens* & *alba*.

Tunicas quinque, & septem musculos.

Habet vlteriùs oculus musculos septem, qui ei ad motum & miram illam volubilitatem deseruiunt: quatuor vt eum sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum flectant; duo alij eum in gyrum voluunt; septimus demum illum sedi suæ, & loculamento infigit, ibíque firmè retinet.

III.
In oculo duo sunt nerui optici.

Duo præterea sunt nerui, qui optici seu visorij vocantur, quorum alter à dextrâ parte cerebri ad dextrum, alter à sinistra ad sinistrum oculum tendit, sed postquam non nihil à cerebro processerunt, coëunt inter se, & postea iterum ab inuicem separantur, & vtrumque oculum intrant. Per hos neruos & spiritus animales à cerebro ad oculos, & vicissim species rerum ab oculis ad sensum communem, & phantasiam transmittuntur. Hinc fit vt ex vino liberalius hausto turbetur subinde visus, quod scilicet tunc per hos neruos spiritus turbidi ad oculos à cerebro mittantur: vnde, vt ait Aphrodiseus l. 2. Probl. q. 52. qui aquam bibere consueuerunt, acutiùs videant. Qui oculos etiam habent prominentes, & emissitios, non ita clarè: qui profundos, & nonnihil in caput demissos, acutè vident, quod species meliùs colligantur: vnde cùm quis visum vult intendere, oculos ex parte claudit.

Qui aquã bibere consueuerunt acutius vident.

IV.
Obiectum visus lux, & color.

Quæres primò, quid sit obiectum visus? Resp. proprium illius obiectum esse colorem & lucem: color vocatur materiale obiectum, non quòd verè & in se non moueat visum, sed quòd sine luce videri nequeat; qua de causa lux vocatur obiectũ formale, quòd scilicet lux sine colore videri possit, nõ verò color sine luce. Prætereà, obiectum visus & aliorum sensuum est figura cuiusque rei & vbicatio.

V.
Vt obiectũ videatur non est opus totum medium illuminari.

Quæres secundò, vtrùm vt obiectum videatur, necessarium sit totum medium illuminari? Resp. negatiuè, vt manifestâ constat experientiâ, cùm noctu è loco obscurissimo videtur ignis à longè: imò quo locus est obscurior, eo cæteris paribus meliùs videtur. Deinde, si lux illic esset, posset discerni, maximè si quis per spatium aliquod notabile propiùs accedat, si enim quis tantillum ad lucem propiùs appropinquet, aduertit mutationem. Sufficit ergo obiectum ipsum illuminari.

VI.
Satisfit cuidam experientia circa lucẽ.

Dices; experientiâ constat, vitris quibusdam lucẽ in maximâ distantiâ, etiam in loco, qui maximè tenebrosus est, colligi, ergo illic est lux, licèt non cernatur. Resp. experientiam illam solum probare colligi illic species lucis, per quas non visas lux ipsa à longè constituta cernitur. Euidens enim videtur, si illic esset lux, fore vt cerneretur, præsertim, si quis, vt dixi, multò propiùs accedat ad luminosum.

VII.
Visio materialis existere naturaliter nequit, nisi existente obiecto.

Quæres tertiò, vtrum visio aut alia sensatio externa existere possit sine suo obiecto? Resp. naturaliter non posse. Ratio est, quia vel dependet effectiuè ab obiecto ipso, vel à specie illius vicariâ; sed destructo obiecto non potest manere vel illius species, vel influxus, ergo. Imò nec diuinitus existere eam posse sine obiecto existimant nonnulli: dicuntque sicut vnio dependet Physicè ab extremis existentibus, ita visionem & sensationem omnem externam ab existentiâ sui obiecti dependere intentionaliter.

Dices; sæpe contingit dum fixis oculis intuetur quis solem, aut aliud corpus lucidum, præcipuè variegatum vt cancellos, videre sibi clausis oculis, vel etiam facie auersâ videre hoc idem obiectum; quod argumentũ est species esse naturâ suâ ad breue tẽpus durabiles sine obiecto; ergo si Deus destrueret tunc obiectum, maneret illa visio. Resp. in his casibus non existere visionem horum obiectorum, sed solum viuacem imaginationem excitatam à vehementi sensatione præteritâ: quæ est mens Aristotelis hîc tex. 156. docẽtis imaginatione percipi id quod apparet oculis clausis, & in hoc distinguit imaginationem à sensu. VIII.

Clausis oculis non manet visio, sed solũ imaginatio obiecti.

Quæres in quâ parte oculi formetur visio? Putant aliqui formari in *pupillâ*: alij, & propiùs vero, in *retinâ*, quæ est postrema pars oculi, quæque species recipit, & in se rerum omnium oppositarum figuras habet depictas. Illam proinde probabilissimè existimare quis posset esse sedem visionis. IX.

In qua oculi parte formetur visio.

SECTIO II.

Vtrùm color distinguatur à lumine.

PRima sententia vniuersim affirmat colorem à lumine non distingui: sicque noctu colores omnes abeunte sole perire asserit, & eodem redeunte reuiuiscere. Ita plurimi ex antiquis. Plato in Timæo, Auicen. l. 6. part. 3. c. 1. Auerroës hîc, text. 7. com. 65. Alexander l. 1. quæst. natur. q. 1. c. 2. Idem docere videtur Alber. Magn. l. de sensu & sensibili, tr. 2. c. 1. Caiet. hîc l. 2. c. 7. Iauell. hîc q. 33. Soncin. 10. Met. q. 2. & alij. Cui etiam opinioni subscribunt recentiores quidam non indocti. I.

Prima sententia docet colores vniuersim à lumine non distingui.

Secunda sententia è contrario colores omnes veros & permanentes distinguit à lumine, alios tamen ait esse apparentes, docetque hos in lumine consistere. Ita Suar. hîc l. 3. c. 15. n. 2. Conimb. hîc l. 2. c. 7. q. 2. a. 2. Rubius hîc, l. 2. tr. de Visu, q. 1. n. 14. Murcia l. 2. de Ani. d. 6 q. 2. §. *Quibus suppositis*, Tol. hîc, q. 17. Hurt. hîc, d. 17. s. 2. n. 17. Arriaga hîc, d. 5. s. 3. nu. 41. Ouiedo Cont. 4. de Anima, p. 1. n. 4. & alij. II.

Secunda sententia colores omnes veros distinguit à lumine.

Prima conclusio: possibilis est color identificatus cùm luce. Ratio est, quia nulla huius repugnantia assignari potest: cùm enim hæc prædicata sibi inuicem non opponantur, non est cur in vnam aliquam entitatem coalescere in eaque inuicem identificata non possint: sicut vegetatiuum & sensitiuum in equo, leone, & aliis. III.

Possibilis est color à lumine indistinctus.

Secunda conclusio: possibilis etiam est color à luce realiter distinctus. Ratio est, quia non videtur assignabilis huius rei implicantia, aut ex quo capite repugnet. IV.

Possibilis etiam est color distinctus à lumine.

Tertia conclusio: dantur de facto colores multi realiter à luce distincti, quales sunt albedo, nigredo, viriditas &c. quæ in rebus hisce sublunaribus passim reperiuntur. Ita auctores secundæ sententiæ. V.

Multi colores distinguuntur à luce.

Probatur primò: decrescente lumine, imò valde iam imminuto ac remisso, color, rubedo ex. gr. apparet æquè intensa, licèt minùs clarè cernatur, ergo manifestum videtur rubedinẽ, & alios colores permanentes esse aliquid realiter distinctum à lumine; alioqui, quo gradu lux decrescit, decresceret color, cùm forent idem, clarissimâ tamen experientiâ cõstat contrarium, nec ad id probãdum alio opus est, quàm oculis. Hoc argumentum existimo esse efficacissimum. Secundò, sequitur in interioribus partibus auri, argenti, æris, marmoris, & similium, nullum omninò esse colorẽ, cùm lux eò nõ pertingat. VI.

Decrescẽte luce, color non imminuitur, ergo distinguuntur.

Dices; canit Ecclesia *Rebusq́, iam color redit: vultu nitentis sideris*, ergo abscedente luce pereunt colores, eaque reuertente redeunt. Contrà, canit etiam. *Nox atra rerum contegit terræ colores omnium*, ergo non pe- VII.

Quo sensu abscedente luce dicantur subinde colores tolli.

 reunt

reunt nocte colores, sed solùm occultantur, & tenebris quasi abducuntur. Et eodem modo respondetur ad id quod quidam obiiciunt, *Nox abstulit atra colores*. Respondeo quam, solùm velle Poëtam, noctem seu tenebras colorum aspectum impedire; id autem auferri metaphoricè dicitur, quod oculis subducitur.

VIII. *Dantur etiam veri colores cū luce identificati.* Quarta conclusio: dantur etiam de facto colores aliqui veri à luce indistincti. Ita auctores primæ sententiæ. Probatur, lux enim, seu radij solares constanter apparent aurei cuiusdam coloris: sine fundamento ergo quis negaverit radios illos, seu lucem æquè esse coloris aurei, atque est ipsum aurum. Quòd siquis ideò hunc neget esse verum colorem, quòd facilè transeat, & interpositione corporis opaci subitò evanescat, quæstionem fecerit de nomine. Quæ enim necessitas dicendi permanentiam esse de conceptu omnis veri coloris, vt bene Suarez citatus, c. 15. n. 8.

IX. *In Iride & nubibus sunt veri colores à luce indistincti.* Confirm. in Iride etiam & nubibus sunt veri colores, vt asserit P. Suarez citatus n. 7. & 8. nec enim diversi apparent hi colores pro diverso situ vel rei, vel intuentis, vt contingit in coloribus in collo columbæ qui proinde non censentur veri colores, sed quædam visus deceptio: sed quocunque situ quis illos colores intueatur, eodem semper modo apparent, sicut & radij solares de quibus numero præcedente. Nulla autem est necessitas colores in nubibus, & Iride distinguendi à luce, ergo.

X. *Dantur etiam colores merè apparentes.* Quinta conclusio: dantur etiam colores aliqui merè apparentes, quique licèt colores videantur, verè tamen colores non sunt. Hæc conclusio probatur ex coloribus qui cerni videntur in sericis quibusdam, & collo columbæ, in vno enim situ vnius coloris videntur, in alio alterius, nunc rubri, nunc cærulei, nunc aurei, nunc viridis, & tamen in ipsa re nulla facta est mutatio, sicque sunt colores tantum apparentes, & quædam visus deceptio: sicut contingit dum remus in aquâ fractus videtur, quæ tamen est fractio, & curuitas tantum apparens, vt constat.

Vnde dignoscatur color apparens à vero.

SECTIO III.

De Auditu.

I. *Sedes auditus.* AVditus in materia quadam fluida & subtilissima instar aëris purissimi consistit, sicut visus in humore illo crystallino. Sita est materia hæc in imo tortuosi cuiusdam tractus instar labyrinthi, qui per varios flexus eò tandem ducit. Tria sedem infimam auditus tenuia ossa ambiunt, vnum instar *incudis*, instar *malleoli* alterum, tertium ad formam *stapedis*. His vicina est membrana per quandam cauitatis illius partem transuersa quam *tympanum* vocitát: & hæc fortè est causa, cur siquis aurem manu obturet, statim strepitum quendam intus & quasi tumultum audiat, quod scilicet aura intus inclusa calore dilatetur & motum aliquem eiciat, sicque allisa ad *tympanum* strepitum quendam edit. Demum vt ad oculos, ita ad aures nerui à cerebro deriuantur, vt spiritus animales ad eas deferant, & vt cerebrum vicissim per eas species rerum ab auribus recipiat.

Auris fabrica.

II. *Obiectum auditus est sonus.* Obiectum auditus est sonus, qui qualitas quædam est ex corporum inter se collisione producta, ex natura sua defectiua. Vbicatio etiam & duratio, nec enim tantum percipimus sonum, sed eum prætereà hic & nunc seu ex tali vel tali parte existere.

III. *Vocis definitio.* Aristoteles hic tex. 9. vocem definit quòd sit *percussio respirati aëris ab anima in pulmone existente ad arteriam*. Nec hinc sequitur Sanctos non locuturos in cœlo voce externa: primò enim, vt ait S. Thomas, non est necessarium ad locutionem & vocem, vt aër ab extrinseco attrahatur, vel extra fauces emittatur, sed sufficit, vt aër in pulmone motus, percutiat eum, qui est in guttore. Secundò dici potest, potissimum aërem in pulmonibus Beatorum contentum, habiturum donum penetrabilitatis, & consequenter posse exspirari & attrahi, penetrarique cum cœlo Empyreo. Tertiò, non caret probabilitate quod asserunt aliqui, ipsum cœlum Empyreum interius esse liquidum, & continere materiam quandam spirabilem delicatissimam, cuius ministerio Sancti pro libito loquuntur. Et hoc modo, vt in lib. de cœlo notaui d. 4. s. 2. n. 7. & 8. explicant nonnulli *aquas quæ supra cœlos sunt*.

Quo modo Sancti loquantur in cœlo.

IV. *Quid sit Echo.* Echo iuxta Aristotelem est *sonus ex solidis, & concauis corporibus reflexus*. Fit ex reflexione vel ipsius soni, vel specierum. Ratio verò cur subinde non tota vox vel oratio, sed vltimæ tantum syllabæ, & verba audiantur, est, non quòd tota non reflectatur, sed quia sonus prolatus à loquente, vtpote maior, impedit ne audiatur nisi illa pars quæ reflectitur post sonum à loquente absolutum: si enim aliquod interuallum intercedat ante reflexionem, existimo totam vocem auditum iri.

Cur vltimæ tantum syllabæ vocis reflexæ subinde audiantur.

V. *Vnde proueniat reflexio soni.* Reflexio verò soni, vel speciei nihil est aliud quā quod sonus aut species in superficie corporis solidi recepta, cum facilius producere possit aliam speciem vel partem soni in aëre vicino corpori illi solido, vtpote aptiore ad species vel sonum recipiendum, quā in ipso corpore, in eo potius iterum versus loquentem, quàm vlterius in illo corpore sonum, aut speciem producit. Sicut ob eandem ferè rationem pila resilit versus proiicientem: licèt diuersitas sit in modo, cùm pila resiliat per motum localem, non tamen sic reflectatur sonus, saltem vt plurimum.

VI. *Sonus non habet contrarium.* Sonus contrarium non habet; nec enim sonus grauis & acutus (quorū ille prouenit cum multum aëris percutitur, acutus cùm parum) sunt sibi contrarij, sicut sunt albedo & nigredo, vel calor & frigus; in eodem quippe subiecto soni diuersissimi recipiuntur, vt constat in concentu multarum vocū, aut fidium in eodem aëre, vel aure simul recepto.

SECTIO IV.

De olfactu, gustu, & tactu.

I. *Sedes olfactus.* OLfactus in summitate interioris partis narium situs est in duabus particulis carnis spongiosis instar mamillarum, quæ cerebro sunt proximæ. Obiectum huius sensus est odor, qui est qualitas ex primarum permixtione orta, prædominante tamen calore, qua de causa per calorem excitantur odores, per frigus è contrà minuuntur, & cessant. In hoc sensu bruta quædam multis gradibus superant hominem, cùm tenuissimos quosque odores in magnâ etiam distantia percipiant. Hinc minus mirum videri debet quod circa visum de hominibus quibusdam refertur, qui certissimè dicunt vbi sub terra lateat aqua: vident namque vapores quosdam supra terram ab aqua illa emissus, quos vtpote delicatissimos, alij discernere non possunt.

In odoratu bruta hominem superant.

II. *Vtrum res odorifera substantiā ex se exhalent.* Quod hic à nonnullis quæritur vtrùm res odoriferæ solas qualitates producant in subiectis appositis, an etiam substantiam aliquam ex se emittant? mihi probabile videtur vtrumque subinde præstare: vnde & res quasdam odoriferas per huiusmodi exhalationes minui paulatim cernimus, & homines subinde per odorem cibi nonnihil nutriri, imò & satiari, ita vt appetitum omnem ad cibum amittant: quod tamen per solius odoris productionem contingere difficulter posset.

Gustus

III. *Sedes guſtus.* Guſtus in tota quidem lingua, ſed præcipuè in ipſa cuſpide locatur. Diſtinguitur à tactu, cùm aliquando ab eo ſeparetur, non in aliis tantum corporis partibus, ſed etiam in lingua, quæ primas ſubinde qualitates ſentit, non tamen ſapores, vel ſaltem valde imperfectè. *Diſtinguitur à tactu.* Imò obiectum aliquando nullum habet ſaporem, vt aqua, quam nihilominus tangit vitaliter lingua; ergo diſtinguitur guſtus à tactu.

IV. *Sedes tactus ſunt caro, & nerui.* Senſus tactus diffunditur per totum ferè corpus, reſidetque in carne & neruis ſed præcipuè in neruis. Neceſſarius maximè animalibus eſt hic ſenſus, vt dum per illum dolorem ſentiunt, noxia fugiant, & vitam conſeruent. *Oſſa non ſentiunt, nec dentes.* Oſſa non ſentiunt, nec dentes, licèt dolor aliquando in ipſa etiam dentium ſubſtantia exiſtere videatur, ſed eſt tantum in gingiuis, vel neruo quo dentes maxillæ affiguntur, qui cùm in interiorem partem dentis à radice intret, dolor in eo receptus, recipi videtur in ipſo dente, vt dictum eſt d.2.ſ.2.n.4.

V. *Quænam ſunt obiecta tactus.* Obiectum huius ſenſus ſunt primæ qualitates, mollities item & durities, impulſus, qualitas etiam cauſans dolorem & voluptatem. Quæres, quænam ſit hæc qualitas dolorifera? Ariſtoteles & Philoſophi communiter, ſicut & Medici cum Galeno, dicunt eſſe *diuiſionem continui*: ſed eſt definitio ſolum cauſalis, quòd ſcilicet diuiſio continui communiter dolorem cauſet, licèt in eâ formaliter dolor non conſiſtat, cùm ſæpe dolor ſentiatur vbi nullum continuum diuiditur. Mos ergo eſt Ariſtoteli res obſcuras per aliqua nobis nota exponere, ſicut ſonum ait eſſe *percuſſionem aeris*, odorem *euaporationem fumoſam* &c. quæ ad ſummum definitiones ſunt cauſales. Qualitas ergo illa dolorifera non eſt diuiſio continui, ſed accidens quoddam inde reſultans, quod dolorem cauſat.

VI. Dices; ſi primæ qualitates ſint obiectum tactus, ergo vel quæ ſunt in ſenſorio, carne ſcilicet & neruis, vel quæ in ſubiectis extraneis: non illæ, tunc enim eſſemus in continua ſenſatione, cùm nunquam non ſint aliquæ ex primis qualitatibus in carne & neruis; nec etiam aliæ, cùm enim primas qualitates ſemper habeamus nobis inſitas, non poſſumus eas percipere quæ ſunt in alieno ſubiecto: nam, vt ait Ariſtoteles, *intus exiſtens prohibet extraneum*. *Intus exiſtens prohibet extraneum.* Reſp. non percipi qualitates in ſenſorio exiſtentes, cuius licèt difficile ſit rationem aſſignare, ea tamen reddi poteſt ducta ex ipſa natura potentiarum, viſus enim petit, vt experientia conſtat, obiectum aliquantulum remotum, tactus verò vtpote imperfectus, petit vt obiectum ſibi ſit quidem contiguum & applicatum, non tamen intimè præſens, hic enim videtur conceptus tangendi aliquid nempe non vt ſit illi intimè præſens, ſed proximum, multò minus vt ab illo informetur: præcipua tamen huius rei ratio deſumi debet ab experientia. *Non percipiuntur tactu qualitates exiſtentes in ſenſorio.*

VII. *In quo ſubiecto ſit calor vehemens, qui ſentitur in febre.* Nec in febri, quando intus ſentitur calor vehemens, vel frigus, id inde prouenit, quòd in eadem parte ſentiatur vbi eſt, ſed eſt calor ille vel frigus in ſanguine aut aliquo alio humore maligno per totum corpus diſperſo, qui ſentitur à carne, ad quod tamen neceſſariò debet humor ille eſſe intenſioris frigoris quàm tunc habeat caro, vel neruus à quibus ſentitur.

VIII. *Quomodo qualitates in organo non impediant ſenſationem extranearum.* Hinc ſoluitur quod obiiciebatur contra ſenſationem qualitatum in obiectis extrinſecis: licèt enim ſint aliquæ primæ qualitates ſemper in ſenſorio, ſentit tamen qualitates, quæ illas in intentione ſuperant, non alias, niſi ſint alterius rationis; vt manus calida vt ſex poteſt in obiecto calido vt ſex ſentire grauitatem, vel impulſum, duritiem, mollitiem &c. Imò manus valde calida ſentire poteſt frigus in obiecto quod habet plus caloris quàm frigoris: quæ fortè eſt cauſa cur idem obiectum, in eadem temperie, reſpectu manus calidæ videatur frigidum, & reſpectu frigidæ calidum. Quòd verò ſemper intus exiſtens non prohibeat omninò extraneum, videtur manifeſtum: nam in oculo eſt aliquid lucis, & tamen videt lucem in extraneo ſubiecto.

IX. *Ad tactum non requiritur, vt qualitas, quæ ſentitur, ſit in ſubiecto diſcontinuo.* Exiſtimo tamen, nõ eſſe neceſſarium ad tactum ſeu ſenſationem vitalem alicuius rei, vt ſemper obiectum ſit in ſubiecto diſcontinuo, ſeu non vnito: videtur enim valde probabile vnam partem carnis ſentire calorem aut frigus in parte ſibi proxima, præſertim ſi magna ſit diuerſitas in temperamento. Hoc tamen non eſt verum de omnibus qualitatibus; nec enim caro ſentit duritiem oſſis ſibi vniti, vt conſtat. Probabile etiam videtur ſentiri ſubinde qualitatem in æquali, vel minori intentione: duæ enim manus æqualis duritiei vel mollitiei ſentiunt inuicem duritiem aut mollitiem, & ſi altera eſſet paulò durior, poſſet tamen aliquam duritiem ſentire in alia, vt manifeſtum videtur experientia. *Sentitur ſubinde qua eiuſdem intentionis eſt ea, quæ eſt in ſenſorio.* Imò licèt aliquæ qualitates non ſentiantur, dum ſunt in ſenſorio, non tamen videtur perinde certum de omnibus, vt de impulſu, motu, vel grauitate.

X. *Homo in collectione omnium ſenſuum ſuperat reliqua animalia.* Solum noto, eſto in vno aliquo ſenſu ſuperetur homo à quibuſdam animantibus, vt viſu ab aquila, olfactu à cane & vulture &c. in collectione tamen omnium ſenſuum longè ſuperat homo vllum aliud animal: quod tum ipſius animæ perfectio requirit, tum quòd per ſenſus, & experientiam ad ſcientias perueniat: qua de cauſa hæc ſcientiarum inſtrumenta habere vniuerſim debuit perfecta; eo enim perfectius, per ſe loquendo, *rationale* in homine fungetur ſuo munere, quo *animal* fungatur ſuo.

DISPVTATIO XV.

De ſenſibus internis.

SECTIO PRIMA.

An præter ſenſus externos detur etiam aliquis internus.

I. *Oſtenditur dari ſen ſ. internum.* ARiſtoteles hîc l.3.c.2. & 3. probat dari ſenſum aliquem internũ præter externos, quod per ſe videtur manifeſtum, primò enim cõſtat à ſingulis ſenſibus ad cerebrum neruos quoſdam & fibras protendi, quibus & ipſi ſpecies rerum cerebro ſubminiſtrent, & ab eo ſpiritus viciſſim animales recipiant, vt ſuprà diximus ſ.1.n.3. Deinde, bruta recordantur obiectorum quæ ſenſu aliquo perceperunt; feræ enim recordantur loci, in quo catulos reliquerunt: canes domini ſui ita meminerunt, vt ſubinde ſupra tumulum illius demortui inedia & dolore conſumantur: equus recordatur ſtabuli &c. *Vnde canes ſubinde in ſomnis latrent.* Imò canes ſubinde in ſomnis latrant, ergo tunc ipſorum imaginatiuæ obiectum aliquod prius ſenſu perceptum occurrit, in ſomno enim nullo ſenſu externo vt plurimum vtuntur.

II. *Recordatio brutorum nō est propriè memoria.*

Hæc tamen recordatio non potest propriè vocari memoria, quæ iuxta Aristotelem lib. de memoria & reminiscentia, est *cognitio præteritæ cognitionis*; bruta autem non cognoscunt suos actus, ut plerumque dicitur, sed solum obiecta, quæ prius nouerant, per speciem scilicet obiecti ex priori cognitione relictam. Aliqui tamen, & probabiliter, dicunt sensum internum, etiam in brutis, posse cognoscere non obiecta solum, sed etiam operationes sensuum exteriorum per speciem modificatam, seu quæ sit species, non obiecti tantum, sed actus: aiunt enim actus sensuum exteriorum posse etiam speciem sui, sensui interno imprimere.

III. *Statuunt aliqui septē sensus internos cognoscitiuos.*

Vtrum autem distinguendæ sint tot potentiæ internæ cognoscitiuæ quot distinguunt aliqui, qui septem numerant diuersas, videlicet, *sensum communem, phantasiam, imaginatiuam, æstimatiuam cogitatiuā, memoriam, & reminiscentiam*, iure dubitari posset. Mihi certè superflua videtur tanta potentiarū multiplicatio ad intra, etiam ratione nostra, eadē quippe ratione tot distingui possent intellectos, cum nō minor varietas operationum spiritualium illi competat, quàm septem his potentiis materialibus conueniat diuersitas operationum materialium.

IV. *Vnus tantum est huiusmodi sensus communis, isq; in cerebro situs.*

Hæc ergo omnia existimo posse non incongruè reduci ad vnum sensum communem in cerebro situm, vt Philosophi omnes hodie affirmant non in corde, vt volebat Aristoteles, hoc enim nerui ab omnibus sensibus in cerebrum protensi indicant. Præterea nimio studio defatigatur imaginatio, & caput, ad quam intemperiem curandam remedia non cordi, sed capiti applicantur. Hic verò sensus non propterea communis dicitur quòd percipiat sensibilia solum aliqua communia, seu quæ à pluribus sensibus percipiuntur, vt sunt vbicatio, & figura, sed quòd vniuersalis quodāmodo sit in cognoscendo, & percipiat obiecta omnium sensuum, sicque virtualiter in se omnium perfectionem contineat.

Cur vocetur sensus communis.

V. *Humiditas, & siccitas diuersimodè ad memoriam conducunt.*

Ad varios tamen actus varias requirit hic sensus dispositiones: sicut enim figura quæpiam aquæ, vel molli ceræ facilè imprimitur, & facilè etiam deletur; silici autem vel marmori, rebus duris & siccis difficulter insculpitur forma aliqua, semel autem incisa semper ferè permanet; ita ad aliquid facilè addiscendum requiritur humiditas tanquam præcipua dispositio; quo genere memoriæ præcipuè excellunt pueri, vtpote qui cerebrum habent humidum: ad aliquid verò memoria retinendum maximè opportuna est siccitas. Hinc etiam redditur ratio cur in ingeniis, iudiciis, & memoriis hominum tanta sit diuersitas; sicut etiam cur lædatur imaginatiua in ordine ad vnam operationem, non aliam. Nec propterea necessarium est tot multiplicare potentias; si enim tot essent potentiæ internæ distinctæ quot sunt obiecta & operationes, in quibus homines insaniunt, vt stultorum, ita potentiarum nollus esset numerus.

Vnde in ordine ad vnam operationem lædatur imaginatiua, non in ordine ad aliam.

SECTIO II.

De Appetitu.

I. *Sedes etiā appetitus est in capite.*

SEnsum communem, seu Imaginatiuam sequitur appetitus, per quem feruntur animalia omnia ad bona delectabilia, & cōtraria auersantur, ac fugiūt. Situs est appetitus similiter in capite (sicut & sensus communis, à quo intētionaliter ad operationes mouetur) non in corde, vt volebat Aristoteles, alioqui non esset idem principium appetens & cognoscens. Hoc tamen postremum non negabat Aristoteles, ipse enim sensum similiter communem ponebat in corde, licèt ex anatomiis, quas non viderat Aristoteles, & neruis à cerebro procedentibus, contrarium operâ medicorum sit compertum.

II. *Quid sit appetitus concupiscibilis, & irascibilis.*

Diuiditur verò appetitus in concupiscibilem & irascibilem, quæ non sunt diuersæ realiter potentiæ, sed diuersæ tantum rationes eiusdem in ordine ad diuersos actus, & obiecta. Concupiscibilis proinde fertur in bona, vt illa consequatur; irascibilis in mala, vt illa depellat, vel vt aliqui volunt, in bona ardua, vt difficultates perrumpendo ad ea perueniat.

III. *Ira, melancholia, & alij huiusmodi actus non producuntur in corde.*

Dices; operationes appetitus sunt in corde, vt ira, tristitia, melancholia, &c. ergo & potentia appetitiua. Contrà, verecundia est in facie dum rubore suffunditur, quo nimirum sanguis confluit, vt faciem & quantum potest, hominem ipsum ab aliorum oculis occultet, & tamen verecundia est operatio potentiæ appetitiuæ, ergo appetitus erit etiam in facie. Sic cùm quis appetit cibum, saliua confluit ad os, ergo in ore etiam erit appetitus. Resp. ergo irā non esse solum *ebullitionem sanguinis circa cor*, vt subinde definitur, hoc enim potius est effectus iræ; sed est actus aliquis appetitus, quo quis appetit vindictam, vel aliquid huiusmodi, hic autem actus efficere potest vt ebulliat sanguis, maximè circa cor, vbi sanguis est calidissimus. Sic etiam possunt actus tristitiæ, & alij commouere alios humores, & efficere vt illis opprimatur cor, ibique sentiatur dolor ille ex humore melancholico, licèt in hac cordis oppressione non consistat formaliter actus doloris.

Vnde ex ira ebulliat maximè sanguis circa cor.

IV. *Ponunt aliqui quinque appetitus quinque sensibus correspondentes.*

Scotus, quem sequitur P. Hurt. d. 17. de Anim. s. 11. ait, præter appetitum internum residentem in cerebro, esse alios quinque exteroos appetitus correspondentes quinque sensibus: primò, quia dolor & delectatio sentitur in singulis partibus corporis, ergo ibi est appetitus. Sed hæc ratio non vrget, nec enim quæuis delectatio, vel dolor est actus voluntatis aut appetitus, sed subinde cognitionis, vt multi probabiliter asserunt, nam anima delectatur ipsa cognitione & intellectione rerum abditarum: Sancti etiam delectantur per visionem Dei &c.

V. *Probabile est singulis partibus corporis inesse imperfectum aliquem appetitum.*

Secunda ratio est, quia omne bonum cognitum est obiectum appetitus, ergo cùm cognoscatur per sensus, poterit per illam cognitionem mouere appetitum, cùm obiectum illud debitè proponatur. Mihi ob hanc rationem videtur probabile inesse omnibus partibus corporis imperfectum quendam appetitum, non qui perfectos illos actus appetitus eliciat, sed tantùm quosdam imperfectos de obiectis singulorum sensuum, quæ per illam cognitionem sufficienter proponuntur.

VI. *In solo appetitu reperiuntur passiones.*

In appetitu sensitiuo solo propriè reperiuntur passiones: in voluntate autem non nisi per analogiā quandam & similitudinem, quòd scilicet actus similes his actibus appetitus ab illa eliciantur, vt ait S. Thomas 1. 2. q. 22. art. 3. ad 3. Definitur ergo passio, quod sit *motus appetitus sensitiui ex apprehensione boni vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis*: quæ mutatio præcipuè exercetur in corde, quod per actus gaudij & lætitiæ, seu prosecutionis dilatatur; per actus verò ad fugam spectantes contrahitur, & coarctatur,

Quid sit passio.

VII. *Actus appetitus concupiscibilis sunt sex.*

Actus appetitus concupiscibilis, qui ad operationes irascibiles supponuntur, numerantur sex à S. Thoma 1. 2. q. 23. art. 4. *Amor, Desiderium, Fuga, Delectatio, Tristitia, & Odium*: hæc enim potentia vel versatur circa bonum prosequendo, vel circa malum, illud fugiendo. Actus irascibilis communiter censentur hi quinque, *Spes, Desperatio, Audacia, Timor, Ira*: qui ita circa bonum illud versantur, vt aliquam etiam difficultatem in eo, & rationem ardui connotent.

Actus appetitus irascibilis, quinque.

VIII. Ex delectatione oritur risus, non tamen semper, sed

Risus unde oritur. sed solum dum coniungitur delectatio cum aliqua admiratione (vnde pueros & fatuos semper penè ridere cernimus, quòd scilicet omnia admirentur) sæpe enim rebus variis delectantur homines, quæ tamen risum non mouent, vt in diuersis obiectis visus, & gustus cernitur. Quæ assignatur causa à nonnullis, cur Christus nunquam riserit, quòd scilicet nihil vnquam verè admiratus sit, nec quidquam ei acciderit inexpectatum. Est autem ipse actus ridendi *vibratio quædam, seu titillatio septi transuersi* (quod à nonnullis diaphragma appellatur) *& musculorum thoracis, seu pectoris, & oris.* *Quid sit risus.* Risus proinde plurimum homines dilatat: quod in causa est, cur qui hilaritati & risui multum dediti sunt, facilè pinguescant.

IX. *Vnde oriatur fletus.* Risui opponitur fletus, qui ex dolore, contraria causa oritur. Sicut ergo per delectationem dilatantur partes supradictæ, ita per dolorem eædem, & partes quædam circa oculos coarctantur, & constringuntur: ex quo fit, vt exprimantur ex oculis lachrymæ. *Lachrymæ nonnunquam excutiuntur risu.* Has tamen etiam subinde contingit excuti risu: dum enim alia dilatantur, partes iuxta oculos constringuntur, sicque exiliunt lachrymæ, licèt non in tanta copia ac dolore & fletu.

X. *Possitne sensus materialis percipere obiectum spirituale.* Quæres, vtrùm sensus materialis percipere possit obiectum spirituale? Communis sententia est, sensus qui de facto sunt, non posse percipere obiectum spirituale, vel diuinitus. Hoc tamen constantius asseritur, quàm probatur, præsertim cùm concedatur posse oculum nostrum eleuari ad videndam lucem & colorem supernaturalem, quæ aiunt nonnulli esse in corporibus beatorum. Ad hoc tamen dici potest, sicut intellectus, qui potest cognoscere obiectum aliquod naturale, potest etiam eleuari ad cognoscendum obiectum supernaturale; ita eodem modo potent sensus aliquis, quia est virtus videndi colorem, eleuari ad videndum colorem supernaturalem *Potest oculus corporeus eleuari ad videndum lucem supernaturalem.* seu ad percipiendum obiectum quod solum est improportionatum, quia supernaturale; hanc enim improportionem supplet eleuatio. Vnde, si posset etiam dari sonus aliquis supernaturalis, probabile est posse auditum nostrum ad eum percipiendum eleuari: quod idem est de aliis sensibus respectu suorum obiectorum, quæ solum habent improportionem supernaturalitatis: proprium enim est potentiæ obedientialis supplere defectum, & improportionem in efficiendo actus supernaturales.

XI. *Eleuari nequit auditus ad videndum.* At verò non potest Deus efficere vt res habeat effectum formalem, cuius non est capax: quare sicut non potest Deus efficere vt auditus videat, quantumcunque ipsum eleuet ad efficiendam & recipiendam visionem coloris, quia scilicet non potest auditum facere potentiam videndi, ita nec facere potest vt oculus videat obiectum aliquod spirituale, quantumcunque efficere possit vt eliciat & recipiat actum perceptiuum illius obiecti, vt in Physicis diximus, cum de potentia obedientiali, disp. 27. sect. 4. & 5. hîc enim non est sola improportio supernaturalitatis, vt in intellectu respectu actus & obiecti supernaturalis, sed aliud genus improportionis, quale est inter visum & sonum, auditum & colorem &c. quæ improportio secundum omnes non potest suppleri à Deo. *Potentia obedientialis solum supplet improportionem supernaturalitatis.*

XII. *Implicat potentia materialis, quæ videat obiectum spirituale.* Quod si vlterius inquirat quis, vtrùm saltem sit possibilis potentia materialis, quæ videre possit naturaliter obiectum spirituale? Existimo talem potentiam implicare: sequeretur enim ex iam dictis, posse talem rem materialem eleuari ad videndum Deum; quod per se videtur à recta ratione alienũ: sic namque sequeretur, brutum eleuari posse ad videndum Deum: quod tamen omnes maximum reputant incommodum.

DISPVTATIO XVI.

De speciebus impressis.

I. *Ex obiecto & potentia pariter notitia.* EX *obiecto & potentia pariter notitia*: cùm ergo iam viderimus quo pacto, & per quid potentia concurrat, videndum, quid hac in parte agat obiectum, quod est alterum actuum comprincipium.

II. *Species est duplex, impressa, & expressa.* Species in duplici sunt differentia, alia enim est species impressa, alia expressa. Hæc est formalis similitudo, seu expressio, & repræsentatio obiecti, estque formaliter actus ipse intellectus, vel potentiæ materialis cognoscitiuæ. Illa est comprincipium determinans potentiam cognoscitiuam ad eliciendam speciem expressam: vocatur verò impressa, quòd imprimatur communiter ab obiecto, vt color imprimit speciem sui in oculo. *Species vicaria obiecti.* Hæc proinde species dicitur vicaria obiecti, vtpote cuius loco ad actum concurrit.

III. *Species sunt accidentia, non substantiæ.* Sunt autem species impressæ accidentia quædam ab obiectis per medium diffusa, non substantiæ, vt volebant aliqui; nec enim ad earum munus requiritur substantia, sed sufficiunt qualitates quædam intentionales, vt nimirum actus vitales partialiter producant. De his ergo præsens instituitur disputatio. Quia verò potentiæ sunt in duplici differentia, materiales aliæ, aliæ spirituales, de vtrisque inquirendum, an habeant in se huiusmodi comprincipia effectiua actuum, seu species impressas.

SECTIO PRIMA.

Sintne species impressæ in sensibus.

IN potentia visiua dari species impressas communis est omnium opinio: probaturque variis experientiis, quarum hîc nonnullas ex clarioribus subiiciemus. I. *In oculo sunt species impressæ.*

II. *Variis experientiis probatur dari in oculo species impressas.* Primò ergo, si inter potentiam & obiectum intericiatur corpus aliquod opacum, non videtur obiectum illud; quod indicio est traiici aliquid recta per medium ab obiecto in potentiam, quod impeditur interpositione corporis rei illius per medium traiectæ incapacis: nisi enim huiusmodi aliquid traiiceretur, quod recipi deberet in medio, non esset cur visio magis impediretur per corpus illud interiectum, quàm intellectio, nec cur requireret medium diaphanum. Secundò, idem ostenditur in visione obiectorum per speculum, & res alias diaphanas obductas à tergo corpore opaco, quod indicat ab iis reflecti aliquid in oculum, hoc autem nil aliud est quam species impressa, ergo.

III. *Læduntur subinde oculi interpositione vitri, quod* Tertiò idem ostenditur ex interiectione vitri inter oculum & obiectum, ex cuius variatione variatur visio: quod signum est, aliquid per illud traiici aliquo modo cõducens ad visionem. Imò lædi subinde experimur oculos per interpositionem huius-

 cemo-

arguit aliquid ab obiecto in oculos transiri. cemodi vitri, quod indicat, aliquid per illud in oculos transmitti, quod dolorem in iis efficiat. Quartò, virga media ex parte aquæ immersa videtur curua; quod arguit, esse aliquam ibi reflexionem, aut refractionem specierum. Quintò, in longissima distantia non videtur exiguum aliquod obiectum, quia scilicet non potest tam procul emittere speciẽ sui: si autem merè visum terminaret, posset videri; ad terminandum enim præcisè non requiritur vt obiectum sit præsens, vt constat in intellectione, inter quam & obiectum, licèt interiiciatur corpus aliquod opacum, constituaturque obiectum in maximâ distantiâ, per quod fit vt non sit præsens, adhuc tamen percipitur.

IV. *Dantur'ne in auditu species, est incertum.* In auditu etiam dari species asserit communis sententia, quod tamen non tam clarè ostenditur, atque de visu. Probatur ex reflexione & velocitate qua sonus auditur, vel directus, vel reflexus; ergo traiicere debet per medium speciem sui. Posset tamen dici, non species tunc, sed sonum realem per medium diffundi.

V. *Quomodo species, vel sonus deferatur.* Quæres, quo modo species, vel sonus realis deferatur? Dicunt aliqui id fieri per motum localem. Sed contrà, licèt enim sonus, vt suprà dictum est disp. præcedente, sect. 3. producatur primò per motum localem, & corporum collisionem, fieri tamen nequit vt aër tanta velocitate feratur, in locum præsertim tam distantem, præcipuè quando tam leuiter primò mouetur aër, sicut dum homo loquitur, vel ex leui tactu fidium. Contrà secundò, cùm duo homines recta sibi oppositi loquuntur, non possent se inuicem audire; aër quippe ad vtrumq; peruenire non potest, sed motus ab vno occurrens aëri moto ab altero illum impediret. Imò in hoc casu, dum duo ex aduerso positi sibi inuicẽ simul loquuntur, si sonus situs sit in motu locali, vel per illum deferatur, sequitur aërem moueri motibus contrariis. Contrà tertiò, etiam flante vento, fertur contra eũ sonus; ergo non defertur per motum. Contrà quartò, cùm Petrus in medio templi vel gymnasij loquitur, vox vndequaque diffunditur, & in partes planè oppositas; vox autem solum versus illam partem ferri deberet, versùs quam imprimitur motus, nisi impedimentum aliquod occurrat, vt constat in aliis omnibus rebus motis. Nouæ ergo, & nouæ partes soni producuntur successiuè & continuè, vt d. 5. de gen. s. 4. latius est declaratum. *Non potest sonus deferri per motum localẽ aëris.*

VI. *In olfactu, gustu, & tactu non dantur species.* In olfactu, gustu, & tactu nulla videtur necessitas statuendi species. Ratio est, quia species est ex natura sua vicaria obiecti, seu ordinata ad supplendum ipsius defectum: tunc ergo solum requiritur, quando obiectum non adest; sed obiectum horum sensuum nunquam non adest, ergo nunquam eget vicaria, & consequenter non potest naturaliter dari species odoris, gustus, & tactus in his potentiis, cùm obiecta ipsa per se semper concurrant.

VII. *Dices, substantiæ non sunt per se operatiuæ, ergo egent speciebus.* Dices; obiecta omnia debere agere per species, quia substantiæ non sunt operatiuæ immediatè ad extra. Contrà primò, nec operantur, sed solæ qualitates, nempe sonus, odor, sapor, &c. Contrà secundò, producunt per aduersarios species in subiectis extraneis, ergo operantur ad extra, cùm non minùs productio speciei sit ad extra, quã productio actus auditionis, olfactionis, &c. Deinde, cur in visione requirantur species videtur peculiaris ratio præ aliis sensibus, visus enim petit obiectum non esse omninò præsens, sed in aliqua distantia: alij autem sensus non hoc petunt, vt constat; ergo licèt ponantur species in visu, nulla tamen vrget necessitas eas ponendi in aliis potentiis. *Resp. substantias nõ per se, sed per suas qualitates hic operari.*

VIII. In phantasiâ dari species videtur clarum: primò enim, homines dormientes exercent actus imaginationis, quando nullus sentit, nisi ad summum valde exiguè, & imperfectè operator, ergo habet phantasia suas species independentes ab operationibus & speciebus sensuum externorum. Quod etiam aliis animantibus contingit, præcipuè canibus. Præterea, homines & bruta recordantur præteritorum, ergo habent illorum species. *In phantasiâ sunt species impressæ.*

IX. *Vtrum in phantasiâ dentur species insensata.* Quæret aliquis, an in phantasiâ sint species insẽsatæ? Insensatæ dicuntur earum rerum species, quæ nullo sensu percipiuntur, vt in communi exemplo, cùm ouis fugit lupum, vitat venenosam, carpit salubrem herbam: quæritur vtrum ouis tunc apprehendat lupum vt inimicum, sanitatem in hac herbâ, insalubritatem in illa, &c.

X. *Mira in naturæ antipathia.* Ad solutionem notandum quod quotidie vsu-uenit, etiam hominibus; cibus enim qui huic sapit, alteri ita est insipidus, vt eum ne gustare quidem sustineat. Sic etiam nonnulli conspectu felis toti cohorrescunt: alij hunc, alij illum florem, licèt suauissimum, ferre nequeunt: vnde nonnulli rosæ nec aspectum, nec contactum, nec odorem pati possunt; hocque etiam ante discursum rationis, per meram scilicet imaginationem.

XI. *Nulla experientia probat dari in phantasiâ species insensatas.* Quo posito, dico; mihi ob hæc non videri necessarium concedere esse in phantasiâ huiusmodi species insensatas, cùm omnia referri possint in species sensatas, seu rerum perceptarum à sensibus externis. Ouis ergo non apprehendit in lupo inimicitiam, illum quippe fugit, cùm primò statim conspicit. Ratio ergo horum omnium est, quòd ex diuersa complexione diuersarum rerum, nonnulla quæ aliis iucunda videntur, aliis planè displiceant, vt iam ostendi. Ipse ergo aspectus lupi est horridus, & iniucundus oui, sicut aspectus felis homini, qui tamen tunc non apprehendit vllam inimicitiam, aut huiusmodi quidquam in fele: vnde si postea interrogetur cur ita cohorruerit, nullam reddit huiusmodi causam; sed solum quòd aspectus felis sit ei iniucundus. Quare licèt cognoscat felem non esse vllo modo nociuũ, non minus tamen cohorrescit quàm antea.

XII. *Cur ouis herbam salubrẽ comedat, non venenosã.* Sic quia odor huius herbæ est ingratus oui, gratus odor illius, propterea hanc comedit, non illam: sicut etiam equos videmus comedere fœnum, vel auenam, non carnem: canes è contrà carnem, non fœnum, quia his gratus est vnus cibus, non alius. Nec tamen quæ hic diximus, ita intelligenda sunt, vt nihil omnino cognoscat imaginatio, nisi quod directè prius cognouerit sensus externus, vt postea dicemus, sed quod asserimus, est phantasiam non habere species huiusmodi rerũ purè insensatarum, qualis est inimicitia, odium &c. licèt forte in homine, cuius perfectior est imaginatiua, alia sit ratio.

SECTIO II.

Peculiaria quædam de speciebus, & sensibus materialibus.

I. *Quid sit sensibile commune.* QVæret aliquis, vtrum sensus externus habeat species sensibilis communis? Sensibile commune dicitur, quod vel percipitur pluribus sensibus, vel ad quod cognoscendum, ab intellectu vel imaginatione desumitur occasio ex variis sensibus, vt sunt figura motus, vbicatio, duratio, magnitudo, distantia, numerus, &c. de quo dictum est suprà d. 14. sect. 2. & 3. vbi tanquam probabilius asserui hæc sensu, quamuis non omninò clarè & perfectè, percipi. *Sensus externus habet species sensibiles communes.*

II. Dices; vt intellectus discernat duo inter se distare, non est opus vt oculus vllas vbicationes videat, sed

Videtur corpus interiectum, eſt videre vbicationem.

ſed ſufficit quòd illa videat, & aliquid interiectum. Contrà, videre aliquid interiectum eſt videre vbicationem, interiectio enim eſt interpoſitio, interpoſitio autem idem ſonat ac rei alicuius tali loco, ſeu inter duo, poſitionem.

III. *Viſio durationis eſt ſucceſſiua.*

Dices ſecundò; ſi videatur duratio, ergo viſio ſingulis momentis perit, cùm duratio fluat. Reſp. nihil eſſe incommodi quòd viſio durationis ſit ſucceſſiua, ſicut obiectum ipſum. Quod omnes concedere debent in viſione dum quis ſpectat fluuium præterlabentem, aut rem aliquam ante feneſtram, vel anguſtam rimam tranſeuntem, cùm ſingulis momentis ſit nouum obiectum.

IV. *Species non eſt imago obiecti prius viſa.*

Quæres ſecundò, qualis imago aut ſimilitudo obiecti ſit ſpecies? Reſp. non eſſe imaginem prius viſam, ſicut eſt imago Cæſaris ex. gr. alioqui oculus non videret immediatè obiectum ipſum, imò nec omnino illud perciperet, niſi per diſcurſum: ideò enim diſcurrit intellectus, quia ab vna re peruenit in cognitionem alterius, ſicut viſa imagine Cæſaris, ſtatim à cognitione imaginis tranſit ad cognitionem ipſius Cæſaris.

V. *Cur ſpecies vocetur imago obiecti.*

Dicitur ergo ſpecies imago & ſimilitudo obiecti, non quòd ſit quid priùs cognitum, ſed quòd ſicut imago Cæſaris tanquam quid priùs cognitum ducit in notitiam Cæſaris, ita ſpecies tanquam ſemen obiecti, eſt ſimul cum potentia cauſa cognitionis, & ſic eſt ſimilitudo virtualis & effectiua obiecti. Sicut cognitio, quia reddit nos formaliter cognoſcentes obiectum, dicitur ſimilitudo illius formalis, licet ipſa entitatiuè ſit ſubinde obiecto diſſimillima, nam accidens eſt ſimilitudo & repræſentatio ſubſtantiæ, res ſpiritualis rei corporeæ, finita infinitæ; & è contrà. Et licèt intellectus ipſe, & lumen gloriæ poſſint aliquo modo vocari imago obiecti hoc ſenſu, cùm concurrant ad efficiendum illius cognitionem, peculiari tamen modo hoc tribuitur ſpeciei, vtpote ſemini & vicariæ obiecti, & illius loco ſpecialiter ad hoc munus ſubſtitutæ.

Lumen gloriæ non eſt propriè imago obiecti.

VI. *Experientia probatur non videri ſpeciē impreſſam, ſed ipſum obiectum.*

Quòd verò ſpecies impreſſa viſualis non ſit imago aliqua viſa, ſed ſolum terminetur viſus ad obiectum ipſum, probatur: primò enim quicunque inſpiceret ſpeculum, videret imaginem illam, ſicut imaginem Cæſaris in pariete depictam. quod tamē eſt falſum: manifeſta quippe conſtat experientia hominem breuis viſus, ſi ſtet prope ſpeculum, non poſſe in eo quidquam clarè cernere, ſi res repræſentata ſit paulò remotior: quod ſignum euidens eſt non cerni aliquid quod eſt in ſpeculo, cùm illud ſit propè, & conſequenter obiectum proportionatum curto hominis illius viſui, ſed videt rem ipſam remotè à tergo poſitam. Deinde, ſiquis aſtans ſpeculo, vtatur perſpicillis, quæ iuuant ad rem videndam propè, nihil videbit clarè in ſpeculo, ſi res repræſentata proponatur à longè, ſecus ſi perſpicilla iuuent ad rem videndum procul: manifeſtum ergo eſt non videri quidquam in ſpeculo.

Alia eiuſdem rei experientia.

SECTIO III.

Satisfit quibuſdam experientiis circa ſpecies.

I. *Conducit hæc ſectio ad naturā ſpecierum declarandam.*

HÆc ſectio & vtilitati deſeruiet, & curioſitati: plura enim & difficillima indicia contingunt, quæ ſemel declaraſſe expedit, præſertim cū ex eorum explicatione, ſpecierum, quarum hîc notitiam præcipuè ſpectamus, natura clariùs innoteſcet.

II. *Cur obiectū appareat quaſi eſſet in ſpeculo.*

Quæret ergo primò, cur obiectum appareat quaſi eſſet in ſpeculo, & non in loco vbi eſt? Reſp. non apparere in ipſo ſpeculo, ſeu in illius ſuperficie, ſed veluti demiſſum interius, & quaſi à tergo, in eadem diſtantia verſus illam partem, qua obiectum reipſa diſtat ex altera. Ratio verò cur videatur obiectum eſſe verſus illam partem, ſeu à tergo ſpeculi, eſt, quia ſpecies ex illa parte reflectuntur, & veniunt ad oculum, ſicque quaſi ibi de nouo incipiunt: vnde ſicut in viſione directa, ideò videtur obiectum ex illa parte qua eſt, quia inde primò incipiunt ſpecies; ita in reflexa videtur eſſe ex alia parte, quia per illam reflexionem ex altera parte ſpecies denuò quaſi incipiunt. Quæ etiam eſt cauſa, cur Echo audiatur ab ea parte à qua vox reflectitur, non ab ea in qua vox primò incipit.

Cur Echo audiatur quaſi ex loco, vnde vox reflectitur.

III. *Vnde ex velo ſerico rubro reflectatur color rubeus.*

Quando verò appenſo in ſole velo ſerico rubro, aut alterius coloris, omnia in quæ reflectitur lux illa, videntur illius coloris, ratio eſt vel quòd verè nunc per reflexionem illarum ſpecierum videatur ipſe color ruber in velo, licèt valde imperfectè, quia corpus in quod emittuntur ſpecies, non eſt ita aptū reflexioni, vel quòd tunc per radios ſolis producatur lux rubra, iuxta dicta ſuprà d.14.ſ.2.n.8.

IV. *Cur in fluuio res appareāt ordine inuerſo.*

Quæres ſecundò, cur in fluuio res omnes cernantur ordine inuerſo? homo enim ſe in fluuio aſpiciens, capite apparet deorſum, & pedibus ſurſum. Ratio eſt, quia omnia cum proportione, eodem ordine ex altera parte fluminis, & ſpeculi quaſi retro apparere debent, quo ſunt ex illa parte, ex qua primò ſpecies incipiunt: vnde caput hominis, cùm ſit in re cœlo vicinius, quàm ſint eiuſdem pedes, debet etiam hoc modo apparere.

V. *In ſpeculo cur facies appareat inuerſa.*

Et hæc etiam ferè eſt ratio, cur in ſpeculo facies appareat inuerſa, ita vt pars dextra correſpondeat dextræ intuentis, & ſiniſtra ſiniſtræ, quia ſcilicet recta reflecti debent omnia, prout ſpeculo opponuntur, & non ordine tranſuerſo, ſeu contraria via. Si ergo facies directa reſpiciat orientem, reflexa neceſſariò reſpicit occidentem, non tamen mutando latera, ſed vt dixi, ita, vt dextra adhuc correſpondeat dextræ, & ſiniſtra ſiniſtræ.

VI. *Non ſe habet facies in ſpeculo, ſicut ſi homo ſe inuerteret.*

Hoc autem quòd ita ſe habeat, manifeſta conſtat experientia: nec enim habet ſe facies in ſpeculo ſicut ſi homo ſe inuerteret, ita vt cùm obuertit faciem verſus Orientem, dextra pars corporis correſpondeat auſtro, ſiniſtra aquiloni; ſi verò ſe inuertat, & reſpiciat Occidentem, ſiniſtra correſpondeat Auſtro, & dextra Aquiloni. Sed in ſpeculo cum homo reſpicit Orientem, dextra pars tam corporis & faciei in ſe, quàm vt apparet in ſpeculo, correſpondet, Auſtro, ſiniſtra Aquiloni. Vnde, ſiquis habeat næuum, vel maculam in aliqua parte faciei, illa pars in ſpeculo, reſpondet eidem parti cœli, cui reſpondet in ipſa facie. Quod idem contingere quis animaduertet, ſi dum ſpeculum intuetur, alteram manum moueat.

VII. *Homo inſpiciens ſpeculū videt ſe ellic in ſuo oculo repræſentatum.*

Id verò notandum, nempe, cùm quis ſpeculum inſpicit, non ſolum videre ipſum ſe in ſpeculo, ſed in ſuo etiam oculo. Cuius ratio eſt; quia per ſpeculum reflectuntur ſpecies in oculum, qui cùm ſit diaphanus, & quoddam veluti ſpeculum, ſimiles viciſſim ſpecies reflectit, & hac ratione videt ſe in ſuo oculo repræſentatū. Quæ ſimiliter eſt cauſa cur echo ter vel quater ſubinde multiplicata audiatur, nempe ob multiplicem refractionem vel ſpecierū, vel ſoni.

Cur Echo ſæpius ſubinde repliceтur.

VIII. *Cur virga ex parte immerſa aqua appareat curua.*

Quæres tertiò, cur virga in ſe recta appareat in aqua, curua ſi media ſolum immergatur? Reſp. id prouenit ob diuerſitatem medij. quod cùm vbique non ſit eiuſdem craſſitiei, diuerſimodè accipit & trāſmittit ſpecies: ex quo fit vt vna pars diuerſo modo repræſentetur ab alia, & videatur eſſe diuerſæ rationis. Quo pacto putantur circulatores variis ſubinde modis illudere oculis intuentium, nempe per immutationem medij: ita tamen, vt nō percipiatur.

Quomodo circulatores oculos ſubinde illudant.

IX.

Hîc notandum, non omnia corpora eſſe media perinde apta ſoni, & ſpecierum coloris: ſono nam-

que

Specierum cohibentur corpora tantùm diaphana, soni densa etiam & opaca sunt capacia.

que tam aptum medium est corpus densum & opacum, quàm diaphanum: vnde experientiâ quotidianâ constat, siquis autem apponat alteri extremitati columnæ lapideæ, fore vt audiat sonum in altera extremitate productum, non tamen productum in aëre, vel alio corpore à columnâ illâ separato. Corpora diaphana, si à tergo re aliquâ opacâ obducantur, reflectunt species colorum: reflexio enim nihil est aliud, quàm productio alicuius versus primum agens, ac proinde est necessarium vt id quod reflectit qualitatem aliquam, sit aptum illam in se recipere, cùm reflectat producendo aliud simile per eam partem illius, quam in habet.

Quid sit specierum reflexio.

X. *Aqua est subiectum soni.*

Quæres quintò, vtrùm etiam aqua sit subiectum soni? Negat P. Hurt. hic d. 17. s. 3. n. 23. Contrarium tamen existimo probabilius cum Conimb. hic l. 2. c. 8. q. 2. a. 1. P. Arriaga hic d. 5. s. 3. nu. 45. P. Ouiedo hic, Cont. 4. p. 1. n. 10. & aliis: tum quia id affirmat Aristoteles l. 2. de Ani. c. 8. tum quia strepitum aquæ per loca aspera decurrentis, & in imo murmur edentis audimus: tum quia silere eâ de causa solent piscantes, ne pisces abigant: tum denique quia, vt refert Plinius l. 10. Nat. Hist. c. 70. pisces in quibusdam viuariis strepitu quodam ad cibum vocari sunt soliti.

XI. *Vnde ex vehemente sono lædatur subinde potentia.*

Quæres sextò, vnde proueniat vt ex vehemente sono lædatur potentia? Primò, si asseramus verum & realem sonum vsque ad aurem pertingere, minor est difficultas: tunc enim dici posset licèt moderatus sonus delectet auditum, sicut & calor actû qui tamen, si nimius sit, eum lædit, sic etiam sonus vehemens. Sed quia etiam albedo intensa disgregat, & lædit organum visus, ad quod tamen realiter per se non pertingit, sed solùm per speciem, alia reddi huius rei debet causa, saltem in colore. Probabile ergo mihi videtur intensum sonum, & speciem albedinis rapere veluti potentiam ad actum valde intensum, & hac ratione excitare, & attrahere ad illam partem corporis spiritus vitales magnâ copiâ, qui calore suo inflammant & lædunt sensorium; sicut simili ratione intenso studio læditur caput, vt constat experientiâ.

SECTIO IV.

Denturne species in intellectu; & in quo genere concurrant.

I. *Malè aliqui dicunt species esse eiusdem speciei cum obiectis.*

ANtequam statuamus quid hac in re sit dicendum, quædam circa naturam specierum annotanda. Dixerunt ergo aliqui, species impressas esse eiusdem speciei cum suis obiectis. Ita sentire videtur Durandus in 2. dist. 3. q. 3. & alij nonnulli. Sed contrà, tunc enim species leonis esset leo, species lapidis lapis, species Dei Deus, &c. Deinde, si species albedinis sit albedo, & nigredinis nigredo, ergo in aëre, speculo, & oculo est simul albedo, nigredo, & omnes colores, qui tamen sunt incompossibiles in eodem subiecto; omnes enim horum species sunt in aëre, & speculo.

II. *Species est eiusdem speciei intentionalis cum obiecto, non Physica.*

Si quando ergo dicantur species impressæ esse eiusdem speciei cum obiectis, intelligi debet, non quòd sint eiusdem speciei Physicæ, sed intentionalis, quod scilicet obiectum virtualiter & effectiuè ad viuum exprimant, & repræsentent: sicut actus intellectus dici potest hoc sensu eiusdem speciei intentionalis cum suo obiecto, quòd scilicet illud formaliter referat ac repræsentet, non tamen eiusdem speciei Physicæ, cùm omnis creatus actus intellectus sit accidens, qualitas, spiritualis, finitus, obiectum subinde substantia, quantitas, corporeum, infinitum, imò negatio, vel Chimæra.

Nec etiam, vt volebant alij, sunt species impressæ idolum quoddam, seu formalis similitudo obiecti, per quod idolum prius visum percipiatur obiectū: sic enim, vt diximus, sensus discurrerent, per vnius enim cognitionem ad alterius notitiam deueherent. Deinde, nec sunt formales repræsentationes obiectorum; sic namque non essent species impressæ, sed expressæ, & eiusdem planè rationis cum actibus. III.

Species impressæ non sunt quid prius visum. Nec sunt formales obiecti repræsentatio.

Notandum secundò, phantasiam pro hoc statu semper in operationibus comitari intellectū: quod exinde ostenditur; primò, quia videmus læso organo corporeo, non posse homines eo modo operari quo antea, vt constat in amentibus. Ratio verò cur insaniant subinde circa vnum obiectum homines, non circa aliud, vel prouenit ex mutatione notabili temperamenti, vel quòd vehemens aliqua species illius obiecti immutatur, quæ, vbi excitatur, rapit ad se, & quasi possidet potentiam circa illud obiectum. IV.

Phantasia in hoc statu semper operatur vnà cum intellectu. Cur quidam circa vnum subinde potissimum insaniant.

Vlteriùs verò probatur, dum operatur intellectus, operari semper phantasiam vel antecedenter ad intellectum, vel concomitanter, vel consequenter: antecedenter, nam priùs quasi natura debet antecedere phantasma operationem intellectus tanquam quid excitans & determinans intellectum ad operandum circa tale vel tale obiectum: phantasia verò determinatur à sensibus, vel ab humore aliquo in corpore, qui spiritus quosdam ad cerebrum trāsmittit, ipsumque immutat, & nonnunquam turbat: ex quo prouenit vt cholerici de rixis, & prælijs somnient, phlegmatici de aquâ, & fluminibus, melancholici de rebus tristibus &c. V.

Phantasia frequenter operatur antecedenter ad intellectum.

Cur cholerici somnient de prælijs.

Concomitanter subinde operatur phātasia, nam quando cogitamus de re quapiam spirituali, vt de Angelo, imaginamur rem aliquam materialem, vt iuuenem alatum: item Deum Patrem concipimus ad modum venerandi cuiusdam senis, gratiam instar lucis, vel alterius formæ materialis, &c. Demū consequenter, quia quando semel excitatus intellectus per aliquod phantasma, postea discursu paulatim ad aliud & aliud obiectum per species vniuersales peruenit, vel saltem cognoscit actus suos, aut aliud huiusmodi, tunc probabile est phātasiam producere speciem aliquo modo similem rei, de quâ cogitat intellectus: quod eo fine fit, vt cùm in viâ ordinetur phantasma ad excitandum intellectum, possit postea habere speciem in promptu, per quam id præstet; & in hoc superat phantasia hominis, vt suprà diximus, phantasiam aliorum animalium. VI.

Aliquando operatur phantasia cum intellectu concomitanter. Aliquando consequenter.

Dices, non eget intellectus phantasmate ad excitationem, potest enim excitari à voluntate, quæ imperat frequenter intellectui, vt de hoc vel illo obiecto cogitet. Sed contrà, *nihil volitum quin præcognitum*, ergo si voluntas velit vt intellectus de obiecto aliquo cogitet, debet voluntati obiectum hoc aliquo modo priùs ad actum intellectus proponi; ergo vel dabitur processus in infinitum, vel dicendum, esse aliquod aliud determinatiuum actuum præter voluntatem. Verum quidem est, si imperfectè proponatur obiectum, posse voluntatem mouere intellectum, vt de eo perfectiùs cogitet, & illius naturam clariùs indaget. VII.

Non potest intellectus primò excitari ad operandū à voluntate.

Quoad primum ergo quod in titulo quæritur, vtrùm scilicet sint species in intellectu? Resp. affirmatiuè; cuius licèt fateantur omnes rationem conuincentem assignari non posse, suadetur tamen probabiliter ex eo, quod anima separata egeat speciebus ad suas operationes, ergo & coniuncta, cùm non maiorem, imò minorem virtutem habeat ad intelligendum in statu coniunctionis, quàm separationis. VIII.

Dantur species impressæ in intellectu.

Dices; in statu coniunctionis habet aliud supplēs vicem speciei, nempe phantasma, ergo nō eget specie. Contrà, actus aliquos elicit intellectus circa ob- IX.

iecta,

Phantasia sine speciebus impressis nō potest excitare intellectū.

iecta, quorum species, & notitia non erat antecedéter ad hos actus in phantasiâ, sed ad summum concomitanter, vel consequẽter. Imò, non apparet cur, vbi semel fuerit excitatus intellectus à phãtasmate, non possit vti suis speciebus independenter à phantasmate, saltem antecedente, sed concomitante solum, aut consequente: & hoc sensu dicitur intellectus *operari cum conuersione ad phantasmata.*

X. *Multa percipit intellectus, quæ omninò non cadunt sub phantasiā.* Secundò probatur: experimur intellectum lōgè subtiliori modo, & clariori intelligere ac penetrare obiecta, quàm illa percipiat sensus, & phantasia; solum enim videmus albedinem, vel lucem, intellectus verò ex hac occasione vlterius eas considerat sub conceptu accidentis, qualitatis, &c. Præterea, relationem earum transcendentalẽ ad effectus suos & causas disquirit: vlterius etiam tendit ad indagandum illarum subiectum, & causas efficientes, etiam causam Primam, quorum pleraque non percipit omninò phantasia, reliqua autem nō eâ claritate percipit, vt possint illius actus esse sufficientes ad operationes tam perfectas. Aliud ergo requiritur comprincipium ad hoc præstandum, cuius scilicet munus sit intellectum ad hos actus efficiendo iuuare.

XI. *Species impressa concurrit cum intellectu ad actus effectiuè.* Quoad secundum, dico species ad actus concurrere cum intellectu effectiuè. Ratio est, vel enim concurrere debent ad actus intellectus effectiuè, vel formaliter, sed non concurrunt formaliter, ergo. Minor, in qua est difficultas, probatur: species ex naturâ suâ ordinatur ad supplendum vicem obiecti, si fuisset præsens, sed obiectum non potest terminare intellectum in genere causæ formalis, ergo. Probatur minor. Deus v.g. aut Angelus non potest informare intellectum animæ, vel Angeli, ergo non possunt illum determinare in genere causæ formalis, sed tantum efficientis, concurrendo scilicet cum illo effectiuè ad actum producendum.

XII. *Concursus speciei effectiuus probatur ex ratione imaginis in actu.* Secundò probatur: actus intellectus, sicut naturâ suâ est vitalis, ita est imago obiecti, ergo sicut ob formalitatem vitalitatis requirit ex naturâ suâ concursum potentiæ vitalis, sic etiam ob rationem imaginis talis obiecti requirit principium aliquod tenens se ex parte obiecti, quòd sit imago virtualis illius, & cum intellectu ad illius productionem concurrat effectiuè.

XIII. *Licèt intellectus determinet voluntatē formaliter, non tamen species hoc modo determinat intellectū.* Tertiò: in oculo, non lux quæ informat oculum, determinat ad visionem, sed illa quæ est in obiecto, ergo licèt res aliquæ informent, non tamen concurrunt in quantum informant potentiam, sed in quantum simul cum eâ coëfficiunt actum. Nec refert actum intellectus determinare voluntatem in genere causæ formalis ad operandum; munus enim actus intellectus est determinare illuminando & proponendo obiectum, quod facit in genere causæ formalis tanquam repræsẽtatio rei: hoc autem modo iuuare non potest intellectum species, cùm non sit vllius rei formalis repræsentatio, vt suprà ostensum est.

SECTIO V.

Quorum obiectorum dentur species in intellectu.

I. *Status controuersiæ.* Difficultas præcipuè est, vtrùm intellectus habeat speciem propriam substantiæ, Angeli, & aliarum rerum, quæ sub sensum non cadunt, nam illarum quæ sensibus percipiuntur, non videtur dubium quin intellectus habeat proprias species, vt albedinis, lucis, &c. has enim accipit à sensibus.

II. Mihi probabilius videtur dari in intellectu nostro, etiam in viâ, & dum anima est vnita corpori, propriam speciem impressam imperfectam Dei, Angeli, & aliorum obiectorum, quæ sensibus non percipiuntur. Ratio est, quia species impressa propria alicuius rei est illa, quæ peculiari modo ad rei illius repræsentationem ordinatur: sicut species expressa rei alicuius est illa, quæ rem illam formaliter repræsentat: vnde, sicut datur hîc in viâ species expressa Dei, seu actus illum peculiariter repræsentans, licèt imperfectè, & confusè, vt cum quis dicit, *Deus est trinus & vnus, Deus est æternus, immensus* &c. ita quidni dari similiter poterit species impressa huic actui & obiecto peculiariter correspondens? *Anima hîc in corpore habet propriam speciem impressam abstractiuam Dei, Angeli, & aliarum, quæ sensibus nō percipiuntur.*

III. *Hæc species licèt repræsentet quidditatē horum obiectorum, nō tamen est species eorum quidditatiua.* Dices; species illa impressa esset quidditatiua. Contrà, ergo & expressa, cùm quoad omnia illi in suo genere conformetur. Resp. ergo, si per speciem quidditatiuam intelligatur species repræsentans quidditatem rei, hanc speciem esse quidditatiuam: sin verò per speciem quidditatiuam intelligatur species quæ proueniat directè ab ipso obiecto, & non abstrahatur ab aliis rebus prius cognitis, nec habeatur per discursum, hoc sensu non est species quidditatiua; peruenimus enim in cognitionem huius obiecti, non directè per speciem ab illo procedentem, sed per longum de aliis rebus discursum ducimur in illius cognitionem, speciemque illius propriam abstrahimus. Quod autem habeamus speciem propriam horum obiectorum, inde probatur, aliquando enim non per discursum ad Deum, vel Angelum cognoscendum tendimus, sed sine discursu præuio illos cognoscimus: vnde sicut propterea arguimus esse in intellectu relictam speciem obiecti alicuius conclusionis, quod postea elicere possimus actum circa obiectum illud immediatè, & sine præmissis, ita & in præsente.

IV. *Explicatur modus quo species Angeli, & aliarum rerum, quæ non percipiūtur sensibus, acquiratur.* Modus autem requirendi has species est huiusmodi. Dicitur alicui esse Angelos, ipse primò non capit quid velit loquens, per Angelum: paulatim ergo per res materiales obuias, & quæ sensibus subiacent, naturam ipsi & proprietates Angeli aperit; ait esse cum instar iuuenis alati, pulcherrimi, fortissimi, &c. pergit deinde depurando has species, & dicit esse Angelum instar huius iuuenis, ablatis tamen imperfectionibus, id est, habere pulchritudinem, fortitudinem, velocitatem, & permanentiam in ætate quasi iuuenili &c. Vbi verò quis semel elicuit actum hoc modo repræsentantem Angelum, poterit postea per speciem ab hoc actu relictam (omnis enim actus, iuxta communem sententiam producit in intellectu speciem sui obiecti, vel saltem intellectus illam producit illuminatus ab illo actu) Angelum immediatè, & per propriam speciem, quam iam acquisiuit, cognoscere.

V. *Quomodo hic acquirat intellectus speciē entium rationis.* Sicut autem hoc modo deuenit intellectus in cognitionem Angeli per res corporeas, secludendo illarum imperfectiones, ita è contrario ad cognitionem Entium rationis peruenit per cognitionem rerum verarum, & realium, secludendo earum perfectiones. Vnde hippocentaurum equo & ceruo similem esse asserit intellectus metaphoricè, & seclusis perfectionibus, & consequenter ita esse similem, vt longissimo distet interuallo, non tamen ita quin maiorem cum iis similitudinem vel potiùs minorem dissimilitudinem habeat, quàm cum relatione rationis, vel vnione informationis fictâ inter duos Angelos, aut cum alio huiusmodi.

VI. *Qua ratione acquirantur species negationum.* Sic etiam negationes cognosci primò possunt per huiusmodi species abstractas ab aliis rebus: cum enim videamus rem vnam positiuam remouere aliā per remotionem veram & Physicam, vt frigus calorem, dicimus negationem esse remotionem formæ ablatis perfectionibus. Hæ autem species imperfectè tendunt ad cognitionem negationis, paulatim tamẽ magis ac magis deputantur, donec tandem, quan-

tum

tùm rerum obscuritas patitur, propriæ sint negationis: licèt fortè nunquam sint ita propriæ, vt non simul admisceantur species rerum positiuarum: vnde existimo negationes hîc nunquam perfectè in se cognosci.

VII. *Per quas species elicientur primus actus circa substantiam, & res spirituales.* Difficultas præcipuè est de primo actu circa res spirituales, substantiam, & alia huiusmodi per quas scilicet species actus ille habeatur. Dicitur communiter non elici actum illum per speciem impressam sed per species expressas seu actus intellectus naturâ hunc actum præcedentes, habetur enim vt diximus per quendam discursum, vnde dici solet actus ipsos, seu species expressas habere hanc vim, vt concurrant loco speciei impressæ ad actum ex iis deductum. Sed quòd in hoc aliquæ sint difficultates, & quia supponit præmissas efficienter concurrere ad conclusionem, quod tamen in Logica, d. 47. s. 7. ostendi esse falsum, dicam quod mihi hac in re videtur probabilius, & loco citato insinuaui.

VIII. *Primus actus hic in via circa res spirituales producitur per species vniuersales.* Existimo ergo primum actum, quo quis deuenit in cognitionem Angeli, aut alterius rei sensibus non subiectæ, ex quo actu postea relinquitur, vt dictum est, species illius obiecti, posse produci à speciebus quibusdam vniuersalibus id repræsentando: habet enim intellectus pro illo priori varias huiusmodi species vniuersales, vt species pulchritudinis, fortitudinis, velocitatis, iuuentutis, &c. per has ergo poterit determinari efficienter ad producendum primum illum actum. Sicut enim iuxta auctores suprà citatos, potest ab actibus illis præcedentibus determinari intellectus ad hunc actum efficiẽdum, quidni etiam determinari poterit ab his speciebus? vt ipote quæ cum eo dicunt sufficientem proportionem.

IX. *Aliud est esse collectionẽ specierum vniuersalium, aliud esse collectionẽ vniuersalem.* Dices; hæ species sunt vniuersales, ergo non possunt determinare ad actum circa obiectum aliquod particulare. Distinguo antecedens; sunt vniuersales sigillatim sumptæ, cõcedo antecedens; tota hæc collectio in his circumstantiis est vniuersalis, nego. Aliud ergo est esse collectionem specierum vniuersalium, aliud collectionem vniuersalem, inuicẽ enim se ad efficiendum limitant, & modificant. Vnde, licèt sigillatim ad varios actus sint hæ species indifferentes, simul tamen excitatæ sunt determinatæ ad hos actus, & circa hæc obiecta in particulari.

X. *Per quas species eliciatur primus actus circa Trinitatem.* Hoc etiam modo existimo primò cognosci Trinitatem: habet enim intellectus speciem numeri ternarij, & vnitatis, seu identitatis, & Dei: hæ ergo tres species simul producunt primum actum circa Trinitatem, adiutæ tamen subinde præsertim in rudioribus, exemplis quibusdam crassioribus è rebus creatis deductis. Si autem cum speciebus numeri ternarij, & vnius, seu identitatis coniungeret quis species rei alicuius creatæ, cui numerum hunc ternarium, & vnitatem applicaret, faceret Chimæram, cùm hoc obiectum esset impossibile, Trinitas enim & vnitas soli Deo competit.

XI. *Propositiones ex se vniuersales in causando, coniunctæ, sunt ad vnam conclusionẽ limitatæ.* Hoc autem ne videatur mirum, non erit abs re illud exemplis quibusdã illustrare. Et primò quoad hoc eãdem omninò puto esse difficultatem de speciebus expressis, seu præmissis in ordine ad conclusionem. In hoc ergo syllogismo in Barbara, *Omnis homo est animal, omne visibile est homo, ergo omne visibile est animal*: singulæ ex his præmissis sigillatim sumptæ sunt indifferentes ad varias conclusiones inducendas; si enim vel Maior, vel Minor cum alia propositione coniungeretur, aliam conclusionem eliceret, & cum aliis & aliis propositionibus, alias & alias conclusiones propè in infinitum, vt discurrenti patebit: ergo in se sunt propositiones vniuersales in causando, seu in inferendo conclusiones, & tamen simul positæ se limitant & determinant, seu modificant ad hanc conclusionem in particulari, ita vt aliam in his circumstantiis elicere non possint. Quidni ergo idem præstare poterunt species impressæ? Idem ostendi potest in aliis rebus, vt in quatuor primis qualitatibus; calor enim vt tria ex se indifferens est vt sit in hoc mixto vel in illo, sicut & frigus vt tria, humiditas item & siccitas in certis gradibus, omnes tamen in certâ temperie determinant ad hoc vel illud mixtum in particulari, non ad aliud, & sic de aliis pluribus.

XII. *Sunt in intellectu species tam vniuersalium, quàm singularium.* Dantur in intellectu species tam singularium, quàm vniuersalium. Quòd dentur species singularium, videtur clarum; nec enim solum cognoscitur homo, sed Petrus, Paulus, &c. alioqui non possemus formare has propositiones, *Petrus est Romæ, Paulus est Leodij*, &c. Deinde, eorum obiectorum habemus speciem in intellectu, quæ percipimus sensibus, sed per hos percipiuntur singularia, cùm omnia percipiantur semper vt existentia, ergo. Esse etiam species vniuersalium in intellectu, probatur; nec enim singularia tantùm cognoscimus, sed etiam vniuersalia, & gradus, ac prædicata Metaphysica mente distinguimus, ergo eorum etiam habemus speciem, tanquam alterum comprincipium ad actus hosce eliciendos.

XIII. *Per quas species producatur actus primò repræsentans rationem communem.* Difficultas tamen hîc est, & maxima, quomodo seu per quas species cognoscantur rationes vniuersales, & quo pacto hæ species producantur. Et quidem post primum actum non videtur hoc adeò difficile; cùm enim, vt suprà diximus, omnis actus sit productiuus speciei sui obiecti (vel saltem intellectus ab actu illo illustratus speciem illam possit producere) vbi semel repræsentata est ratio aliqua communis, relinquitur in intellectu quasi semen quoddam ad producendos postea actus rationis illius repræsentatiuos. Præcipuè ergo procedit difficultas de primo actu, per quas scilicet species eliciatur. Cùm itaque videat intellectus res varias in ratione aliquâ omnibus æqualiter competente conuenire, easque sibi similes, colligit speciem illius rationis in quâ sunt similes, non considerando illas formaliter vt discrepant: quod eò faciliùs contingere potest, si non sigillatim res illas consideret, & distinctè, sed solùm indistinctè.

XIV. *Intellectus multa intentionaliter separat, quæ realiter separare nequeunt.* Confer licèt nunquam quis cernat indiuiduos, quin illa videat in aliquo loco & tempore, cùm hæ circumstantiæ rem quamlibet necessariò comitentur, potest tamen intellectus, ob subtilem & abstractiuum suum modum tendendi, separare illa intentionaliter, & acquirere speciem illius rei secundùm se, per quam postea recordetur quis Petri ex. gr. quem aliquando vidit, non cogitando omninò de loco, in quo illum vidit.

XV. *Quid sit intellectus agens, & possibilis.* Hinc colliges quid sit intellectus agens, quid possibilis: nihil enim aliud sunt quàm ipsa substantia animæ, quæ in quantum abstrahit species à phantasmatibus, dicitur intellectus agens; in quantum verò recipit has species, vt aliqui volunt, dicitur possibilis, vel potiùs passibilis, quòd velut eas patiatur, non agat. Secundò, dici potest intellectus possibilis, seu passibilis, in quantum elicit & recipit actus intellectus, per quos percipit seu intelligit res, quarum sunt repræsentatiuæ hæ species, quas, vt dixi, in quantum dicitur agens, in se producit.

SECTIO VI.

De diuisibilitate specierum.

I. Qvæstio præcipuè procedit de diuisibilitate specierum materialium, albedinis v. g. de diuisibilitate, inquam, non subiectiuâ, sed obiectiuâ. id est, non vtrùm sint diuersæ partes speciei in diuersis

partibus

Quæstio procedit de diuisibilitate obiectiuâ specierû, non de subiectiua.

partibus subiecti, in quo recipiuntur (hoc enim pro præsenti admittimus, & eadem ferè de ijs hac in parte est ratio ac de alijs qualitatibus materialibus) sed vtrùm in eadem parte subiecti sint tot diuersæ partes specierum quot sunt partes in obiecto quod eas producit, ita vt singulæ partes speciei repræsentent singulas tantû partes obiecti; vel vtrùm totum obiectum ex aduerso oculi positum, seu omnes illius partes producant singulas partes speciei, & consequenter, quæuis pars minima speciei sit repræsentatiua totius obiecti, seu omnium partium illius: sicut actio qua ignis B producitur ab igne A, licèt subiectiuè sit diuisibilis, id est, habeat diuersas partes correspondentes diuersis partibus subiecti, cui inest, singulæ tamen ex his partibus actionis pendent indiuisibiliter à toto igne A, ita vt quauis illius parte pereunte pereat tota actio.

II. *Species sensuum materialium possunt esse obiectiuè indiuisibiles.*

Conclusio: nulla est repugnantia, vt eadem pars speciei sit repræsentatiua plurium partium obiecti diuisibilis quoad extensionem, imò ita videtur frequenter, aut etiam semper contingere. Est contra P. Hurt. hic d. 12. sect. 5. P. Arriag. d. 4. sect. 7. num. 223. P. Ouiedo Contr. 13. p. 5. num. 1. & alios. Prima pars probatur: quid enim magis repugnat vt eadem pars speciei impressæ sit virtualiter repræsentatiua duarû partium obiecti, quàm vt eadem visio, seu species expressa repræsentet duas partes obiecti, imò & duo obiecta planè distincta? quod tamen communiter censetur non repugnare, nihilque frequentius, quàm eandem posse esse visionem albedinis & nigredinis.

III. *Eadem vnio respicit plura extrema, ergo & eadē species plura obiecta.*

Confir. eadem vnio potest esse, imò & de facto est inter res varias, maximeq; diuersas, vt inter materiam & formam, substantiam & accidens: imò concedunt recentiores communiter posse dari vnionem quæ connectat plures formas eidem materiæ: quidni ergo & eadem species poterit esse repræsentatiua virtualiter plurium partium obiecti, cum non magis species impressa sumat suam specificationem ab obiecto, quàm species expressa vel quàm vnio ab extremis.

IV. *Plures partes obiecti possunt concurrere ad producendā eandem partem obiecti.*

Dices primò, obiectum sensibile non cognoscitur nisi à specie, quam producit, sed pars A obiecti non producit partem B speciei, sed solùm partē A, ergo non potest cognosci nisi per partem A. Resp. concedendo maiorem, & distinguendo minorem: pars A obiecti sola non producit partem B speciei, concedo minorem, non producit simul cum parte B obiecti, nego: sic autem semper manet, obiectû videri per speciem quam producit, & consequenter per speciem sui; visio enim per hanc speciem producta non est visio solùm partis A in obiecto, sed etiam partis B.

V. Vrgebis: pars A obiecti sola aliquando producit speciem sui, quæ pars speciei est tantùm repræsentatiua illius partis, ergo gratis dicitur dari posse aliam speciem, quæ producatur à parte A & B simul, sitque vtriusque repræsentatiua. Contrà primò, idem argumentum fieri potest de visione, seu specie expressâ.

Species, quæ est vnius obiecti tantû nunquam potest esse species alterius.

Contrà secundò, actio A profluit ab igne A seorsim applicato, & tamen non repugnat, vt alia actio profluat indiuisibiliter ex parte agentis ab igne A, & B simul applicatis. Resp. ergo sicut sæpiùs tum in Logica, tum Physica diximus, licèt actio, quæ semel est huius agentis tantùm, sicut & visio huius obiecti tātum, non possit esse actio, aut visio alterius agentis, vel obiecti, dari tamen potest iuxta omnes alia actio & visio, quæ plura obiecta vel agentia respiciat indiuisibiliter: ita & contingere potest in specie impressâ.

VI. Dices secundò; ergo ablatâ minimâ parte obiecti perit tota species impressa. Contrà, quid in hoc magis incommodi quàm in specie expressa, seu visione ipsâ, quæ secundùm communissimam sententiam, ablatâ minimâ parte obiecti, tota perit. Sicut secundum omnes quando magnus aliquis ignis producit paruum ablatâ minimâ parte magni ignis, perit tota actio, & alia tota emergit.

Ablatâ minima parte obiecti perit tota species.

VII. *Dices ergò stans intra domum tantam videbit partem cœli ac stans in fenestrâ.*

Dices tertiò; hinc sequi siquis interius aliquantulum stet intra cubiculum, fore vt tantam partē cœli videat, atque si prospiceret per fenestram: patet sequela, nam in fenestra producitur species indiuisibilis totius illius partis cœli, ergo illa species producet vlterius aliam speciem sibi similem vsque ad oculum videntis, & consequenter videbit totam illam partem cœli, quam videt stans in fenestra.

VIII. *Retorquetur argumentum.*

Miror hoc argumentum tantopere à P. Arriagâ vrgeri, cum eadem prorsus sit difficultas, siue species illius partis cœli sit indiuisibilis, siue diuisibilis secundum diuersitatem partium obiecti: sicut enim dicitur fore vt species illa indiuisibilis, producat aliam sibi similem, ita illa diuisibilis, seu plures illæ partes quidni producent partes alias sibi similes, sicque nō minor est difficultas in illâ sententiâ quàm in hac. Resp. ergo non posse produci speciem directè, nisi in illâ parte spatij, aut oculi, quò à parte obiecti quā repræsentat, duci potest linea recta, sed producitur alias species imperfectior, & repræsentatiua pauciorû partium obiecti: quæ species vel dici potest produci à specie illa perfectiore, & virtualiter hanc continēte (sicut sextus gradus heterogeneus caloris continet quintum, & alios quinto inferiores) vel immediatè producere ab illis partibus obiecti, à quibus ad eam partem aëris duci potest linea recta: sicut respōdere debent aduersarij de suâ specie diuisibili.

Non potest produci species, nisi ab illa parte obiecti à qua duci potest linea recta ad partem spatij in quā producitur.

IX. *Dices si species sit indiuisibilis, omnes partes obiecti æquali claritate videbuntur.*

Dices quartò cum eodem num. 227. hinc sequi contra manifestam experientiam, omnes partes albedinis, quantumuis inæqualiter distantes, æquè clarè videri: patet, inquit, *euidenter* sequela, claritas enim actus visionis prouenit ab intensione speciei, cum ergo æqualis sit intensio speciei respectu obiecti remoti & propinqui, vtpote indiuisibilis, æquali claritate vtrumque repræsentabit.

X. *Hoc etiam argumentum retorquetur, & solui debet ab obiiciente in specie expressa.*

Hoc argumentum minùs vrget quàm præcedēs: quod vt clarius appareat, suppono communem Philosophorum doctrinam, posse scilicet per eandē speciem expressam, seu actum intellectus indiuisibilem duo obiecta inæqualiter repræsentari. sicut, vt non abeam longius, hæ ipsæ partes albedinis inæqualiter distantes eodem indiuisibili actu intellectus repræsentantur: effectus item repræsentatur in causâ, vt creaturæ in Deo clarè viso, minùs tamen clarè quàm Deus, actus enim ille respectu Dei est intuitiuus, respectu creaturarum abstractiuus. Si ergo argumentum suprà positum valeat, sequitur, hoc actu indiuisibili æquè clarè videri omnes illas partes albedinis, tam clarè etiam ceteras creaturas, quàm Deū. Simile enim conficeram argumentum; vbi respectu duorum obiectorum nulla est inæqualitas in claritate visionis, obiecta illa videntur æqualiter, sed respectu horum obiectorum nulla est inæqualitas in claritate visionis, est enim eadē indiuisibilis visio respectu vtriusque obiecti, vt supponimus, ergo obiecta ista actu illo videntur æqualiter, quod tamē certum est esse falsum. Sicut ergo hoc argumentum nō tenet in specie expressâ, & repræsentatione formalista multò minùs in impressâ, & repræsentatione virtuali.

XI. *Tota species est respectu vnius obiecti magis, respectu alterius minùs clara.*

Dico itaque, totum actum esse magis clarum & intuitiuum respectu vnius, & totum abstractiuum & minus clarum respectu alterius. Sic etiam species est effectiua actus qui repræsentet vnum obiectum magis, aliud minùs clarè; species enim non respicit obiectum, nisi per actum. Sicut ergo tota species ex-

pressa est magis clara formaliter respectu vnius minùs autem clara respectu alterius, ita tota species impressa est respectu eorundem magis & minùs clara virtualiter.

XII. *Cùr videtur species magna sæpe esse obiectum indiuisibile.* Secunda Conclusionis pars, nempe, hoc frequenter contingere, ostenditur: videmus quippe magnum obiectum longiùs emittere species, & fortiùs operari in magnâ distantiâ, quàm paruum: vbi quæuis minima pars illius obiecti emittit species in tantâ distantiâ, quod tamen præstare non posset sola, ergo debent aliæ partes simul cum illâ concurrere ad productionem illius speciei; nec enim apparet quo alio modo iuuari ab iis possit pars illa, nisi aliæ partes simul cum eâ speciem illam coëfficiant. Sicut cùm magnus ignis producit intensum calorem in remoto, singulæ partes concurrunt ad calorem illum producendum, vnde quantumcunque sit illic magnus ignis, si tamen Deus omnes partes ab operando impediret, præter vnum aliquem palmũ, hic non posset producere intensiorem, nec magis remotum effectum, quàm si reliquæ partes ignis abessent: sic nec posset paruum aliquod obiectũ producere speciem sui tam remotè, & in tantâ intensione, nisi aliæ partes obiecti vnà hunc effectum producerent.

XIII. *Dices: si species sit indiuisibilis, sequitur eam frequenter totam perire.* Obiici potest, sequi frequenter deperdi totam priorem speciem & acquiri nouam integram: si enim esset parua aliqua pars albedinis aliquantulũ à longè, & alia ipsi apponeretur, etiam non vnita, clariùs videretur iam quàm anteà, & consequenter clariorem & intensiorem emitteret speciem, ergo non est eadem species quæ antè, sed noua, ergo prior periit. Resp. primò omnes debere concedere species frequentissimè perire, & nouas produci: si enim interponatur corpus aliquod opacum, statim omnes ex alterâ illius parte pereũt, & illo amoto nouæ producuntur: quod idem contingit in luce. Deinde, si quis auertat faciem, pereunt omnes species quæ erant in illius oculis, imò omnes quas illius facies & tota illa pars corporis producebat in aëre, & in omnium eorum oculis qui ipsum intuebantur. Species ergo, & huiusmodi aliæ minoræ entitates, & pereũt facilè, & facilè reproducuntur.

Resp. omnes fatetur debere totam speciem frequenter perire.

XIV. *Non tamen est necessarium vt tota semper species pereat, licèt sit indiuisibilis.* Secundò: videtur mihi dici posse non necessariò tunc perire priores partes specierum, sed etiamnum manere, esseque quandam intensionem in speciebus, quando autem accedunt nouæ partes obiecti, tunc prior pars illius obiecti simul cum illis producit nouam partem intensiuam, non quæ sit repræsentatiua illius partis tantùm, sed etiam aliarum: ista autem secunda pars supponit priorem, sicut secundus gradus caloris primum & quemadmodum gradus caloris, quo perfectiores, eo possunt perfectiores heterogeneos gradus producere, ita & species plures, perfectiores heterogeneos actus. Vnde quando hoc modo successiuè applicatur obiectum, & consequenter producitur species successiuè, non ex ablatione cuiusuis partis perit tota species, sed solũ perit pars illa speciei quæ ab illâ obiecti parte peculiariter simul cum aliis dependet.

SECTIO VII.

De productione, & corruptione specierum.

I. *A qua causa producantur species in sensibus, imaginatiuâ & intellectu.* QVæres primò, quæ sit causa productiua specierum? In sensibus externis species quæ in iis sũt producuntur ab obiectis: species verò in Imaginatiuâ, vel producuntur ab actibus sensuum externorum qui si distent, transmittunt species suorum obiectorum per neruos sensorios, qui, vt supra diximus à sensibus ad cerebrum ducuntur, in Imaginatiuam; in intellectu verò, vel producuntur ab ipso intellectu, seu animâ illuminatâ iam ab actu phantasmatis, & ad hoc ab illo determinatâ, vel, vt nonnulli volunt, à Deo. Vnde non videtur necessarium, actum phantasmatis ad speciem illam concurrere effectiuè.

II. *Volunt aliqui species tam in imaginatiua quam intellectu paulatim perire.* Quæres secundò, vtrum species internæ aliquando destruantur, an semel acquisitæ semper maneãt? Dicunt aliqui, non semper manere species, vel materiales in imaginatiua, vel spirituales in intellectu, sed tandem destrui; quia, inquiunt, licèt species non habeant contrarium, sicut tamen sonus & impetus sunt qualitates natura sua defectiuæ, sicque, licèt ad tempus durent, paulatim tamen deficiunt, & destruuntur, idem dici poterit de speciebus. At sane difficile videtur, cùm durauerint species per tantum temporis (recordamur enim rerum quas vidimus ante viginti annos) postea eas destrui. De sono verò & impetu dispar est ratio, illi enim statim incipiunt perire, sicque paulatim destruuntur secundùm diuersos gradus.

Aliud est de sono, aliud de speciebus.

III. *Species intellectuales nunquam pereunt.* Mihi ergo probabilius videtur, species intellectuales nunquam destrui naturaliter, ac proinde tota mutatio fit in speciebus materialibus; hæ autem sicut requirunt temperamentum quoddam, vt primò imprimantur, ita etiam vt conseruẽtur: sic enim videmus humiditatem in cerebro iuuare ad aliquid facile addiscendum, siccitatem ad retinendum &c. Vnde aliquando morbo destruuntur species internę materiales, aliquando læsione organi, aut alia simili ratione. Imò, cùm subiiciantur in materiâ, sicut hæc paulatim deperditur, ita & species in illâ subiectatæ, tandemque totæ destruuntur, nisi identidem refricetur obiecti illius memoria.

Species materiales imaginatiuæ variis modis destruuntur.

IV. *Dantur in eodem subiecto species rerum contrariarum, non tamen species contrariæ.* Quæres tertiò, vtrum species habeant contrariũ? Si per species contrarias intelligantur illæ, quæ inclinant ad actus contrarios, dari videntur in intellectu species contrariæ, nempe species elicitiuæ actuum contrariorum, assensus scilicèt & dissensus circa idem obiectum. Hoc saltem est certum, dari simul in eodem subiecto species rerum diuersarum, vt albedinis & nigredinis in gradibus intensis: quæ tamen species non sunt dicendæ contrariæ, cùm non mutuò se expellant ab eodem subiecto, vt constat.

DISPVTATIO XVII.

De specie impressâ Dei.

QVæstio hæc Theologica est quã latè discussi primâ parte disputatione tertiâ; sed quia ab iis qui ante me Philosophiâ scripserunt hic eam tractatam video, omittendam non putaui, maximè cùm Philosophia nostra Theologiæ, scientiarum Principi, sit subordinata, eique tota deseruiat.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam circa speciem impressam Dei.

I. *Quæstio est in ordine ad claram visionem.*

Difficultas procedit in ordine ad claram Dei visionem, iam enim disputatione præcedente sec. 5. n. 2. & sequentibus, ostendi dari in intellectu nostro propriam speciem Dei in ordine ad cognitionem illius abstractiuam.

II. *Deum duplici respectu causa efficientis respicit visionem beatificam.*

Notandum primò, Deum in visionis beatificæ productione dupliciter se habere: primò per modū causæ vniuersalis, qui conceptus communis est visioni cum cæteris omnibus effectibus, qui Deum respiciunt tanquam causam primam: secundò per modum obiecti, quatenus scilicet hæc visio repræsentat Deum, & sub hac consideratione Deus est causa particularis visionis, non minùs quàm quoduis aliud obiectum est causa particularis repræsentationis sui.

III. *In visione consideranda sunt duæ formalitates.*

In visione itaque duæ reperiuntur formalitates *entis*, & *repræsentationis*: vt est *ens* respicit Deum vt causam vniuersalem, vt *repræsentatio* eundem respicit per modum obiecti influentis in hanc visionem, sicut alia obiecta influunt in visiones sui.

IV *S. Augustinus ait speciem concurrere effectiuè.*

Notandum secundò, cum communi sententiâ philosophorum, vt suprà ostensum est, speciem ad repræsentationem obiecti concurrere effectiuè: hoc apertè probatur ex verbis illis S. August. l. 9. de Trin. c. 2. vbi sic habet; *tenendum quod omnis res, quamcunque cognoscimus, generat in nobis notitiam sui, ab vtroque enim notitia paritur, cognoscente & cognito* Ex quibus D. Augustin. verbis, quæ sunt clarissima ortum est, vt diximus, commune illud dictum philosophorum, *ex obiecto & potentiâ paritur notitia.*

V. *Deus de facto ad visionem beatificam concurrit per se non per speciem.*

Notandum tertiò, quamuis nonnulli, vt Richardus in 3. d. 14. ar. 1. quæst. 3. & fauet Scotus in 4. d. 49. qu. 11. dicant Deum de facto videri per speciem impressam, quam sententiam acriter defendit Vasquez 1. p. d. 43. c. 7. & Alarcon 1. p. tract. 1. d. 3. c. 2. nu. 4. & c. 3. per totum: contrarium tamen esse multò probabilius: ita S. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 2. Alensis 1. p. quæst. 7. m. 2. & in 2. p. q. 24. m. 1. Henricus quodl. 3 q. 1. & quodl. 4. q. 7. Duran. in 4. d. 49. q. 2. nu. 13. Palud. in 4. d. 49. q. 1. art. 2. Capreol. ibid. qu. 5. at. 1. Ferra. 3. cōtra Gen. c. 49 Sotus in 4. d. 49. qu. 2. ar. 3. Caiet. 1. p. q. 12. at. 2. Suarez l. 2. de Deo c. 12. Valēta 1. p. q. 12. p. 1. Molina 1. p. q. 12. art. 2. d. 1. Tan 1. p. d. 2. q. 6. d. 2. nu. 9. Herice 1. p. d. 42. c. 3. Arriag. hîc d. 4. sect. 2. numer. 111. & alij: qui omnes, quicquid sit, vtrum possibilis sit necne species impressa Dei, negant tamen Deum de facto à beatis per huiusmodi speciem videri.

VI. *Ratio est primò, quia Deus est obiectum perfectissimum.*

Ratio est, quia Deus est obiectum perfectissimū, & perfectissimè intelligibile in ratione obiecti, ratio autem obiecti perfectissimi consistit in efficientiâ visionis, ergo ad Deum spectat concurrere immediatè ad visionem sui, actio enim & effectus propriè non pendent nisi à causâ proximâ, & consequēter perfectius est concurrere immediatè, & per se, quàm solùm mediatè.

VII. *Secundò, quia Deus est obiectum semper præsens, & proportionatū.*

Probatur secundò: quando obiectum ipsum est præsens, & proportionatum, non est necessarium vt aliquid aliud illius loco concurrat, sed hîc Deus semper est præsens, & potens agere, cùm sit obiectum perfectissimum, & actualissimum, ergo. Tertiò: quia hoc secundum probabilem sententiam dicitur de rebus quibusdam materialibus, iis scilicet, quæ sunt obiecta tactus, gustus, odoratus, vt suprà vidimus, & vt multi volunt, auditus, ergo à fortiori dici potest de Deo.

VIII. *Dari nequit naturaliter species impressa Dei.*

Cùm ergo de facto Deus per se immediatè concurrat ad visionem claram sui, species impressa Dei in ordine ad huiusmodi visionem naturaliter dari non potest. Inquirendum ergo restat an saltem diuinitus sit possibilis.

SECTIO II.

Vtrùm diuinitùs dari possit species impressa Dei.

I. *Status præsentis controuersiæ.*

Ad vitandum quæstionem de nomine notandum, quærere nos in præsenti vtrùm sit possibilis qualitas aliqua impressa, seu inhærens animæ, quæ loco Dei concurrentis iam per modum obiecti ad claram visionem sui, eandem visionem producat si enim quis huiusmodi qualitatem concedat, neget tamē esse speciem, quia scilicet conceptus speciei in eo situs sit, vt sit vicaria obiecti, ita scilicet, vt suppleat defectum eius, quasi concurrere non possit, & proptereà non vult dari speciem impressam Dei, cùm Deus semper sit potens concurrere, rem concedit, litigat de nomine.

II. *Prima sententia negat possibilem esse speciem impressam Dei.*

Prima sententia negat possibilem esse speciem impressam Dei. Ita Henricus quodl. 3. qu. 1. Duran. in 4. d. 49 q. 2. Scotus in 4. d. 49. q 2. ar. 3. Capreol. ibid. qu. 5. a. 1. Ferrat. l. 3. contra Gen. c. 49. Caiet. 1. p. q. 12. ar. 2. Zumel 1. p. qu. 12. ar. 2. d. 3. Bannez 1. p. q 12. at. 2. d. 2. Arrubal 1. p. d. 16. c. 4. Tan. 1. p. d. 2. quæst 6. d. 2. n. 12. & alij.

III. *Secunda sententia ait eam esse possibilem.*

Secunda sententia affirmat esse possibilem. Ita Richardus in 3. d. 14. art. 1. quæst. 3. Scotus cum suis in 4. d. 49. q. 11 P. Molin. 1. p. quæst. 12. art. 2 d. 1. Vasq. 1. p. d. 38. 39 & 43. Suarez d. 30. Met. sect. 11. & lib. 2. de attrib. neg. c. 13. Valen 1. p. quæst. 12. punc. 2. Becanus de visione c. 9. concl 2. Herice 1. p. d. 40. c. præcipuè 8. Fasolus 1. p. dub. 10. Hurt. hîc d. 12. s. 3. Arria. hîc d. 4. s. 2. Salas q. 3. tr. 2. d 5. s. 2. Ouiedo contra. 13. de animâ p. 6. & alij passim.

IV. *Probatur possibilitas speciei impressæ Dei solutione rationum contrariæ sententiæ.*

Probatur hæc sententia, primò, impugnatione rationum quæ pro contrariâ afferuntur. Arguunt ergo primò: res superioris ordinis non potest cognosci per speciem ordinis inferioris, cùm species esse debeat in eodem gradu immaterialitatis cum obiecto. Sed negatur antecedens, & constat apertè cōtrarium in specie expressâ, qua tum Deus, tum angelus videtur ab animâ vel angelo.

V. *Quidam, licèt non rectè, negant etiam speciem expressam.*

Negant consequenter aliqui speciem expressam, tunc enim, inquiunt, non videretur Deus immediatè in se, sed in specie illâ seu verbo, quod in mente sibi quis format. Sed contrà, non possunt Beati videre Deum per ipsam essentiam Dei formaliter, ergo debent actum aliquem elicere, seu, speciem expressam, per quam eum sibi repræsentent.

VI. *Ex eo quod Deus videatur per speciem expressam, non sequitur eum non videri immediatè.*

Quod verò dicunt sequi non videndum Deum immediatè, facile reiicitur, nec enim actus ille, qui elicitur, & quem vocamus visionē Dei, impedit quo minùs Deus videatur immediatè, cum sit ipsa ratio formalis, per quam videtur: vnde sicut vnio non impedit quo minus extrema connectantur immediatè, & sic de aliis huiusmodi (tunc enim censentur aliqua vniri immediatè, quando nihil mediat, quod non sit ipsa ratio formalis vniendi) ita nō obstat quo minùs Deus videatur immediatè, quando nihil mediat nisi ipsa ratio formalis videndi.

VII. *Species expressa non est aliquid priùs visum sed ipse actus visionis.*

Quod autem obiiciunt Beatos, si forment intra se actum, non visuros Deum in se, sed in illo actu, seu similitudine Dei quam sibi formant: falsum est eos tale quid intra se formare, per quod tanquam in aliquo priùs viso Deum cognoscant, hoc enim nul-

lo modo est necessarium, sed producunt in se ipsam repræsentationem claram Dei per quam non visam, Deum sibi repræsentabant. Et vlterius inquiro nunquid actum illum seu similitudinem immediatè vident? si ita, ergo sicut possunt per actum aliquem videre illam similitudinem immediatè, poterunt & Deum, alioqui dabitur processus in infinitum.

VIII. *Alias rationes contra speciem impressam Dei.*

Alias etiam afferunt rationes contra speciem impressam, vt quod species sit similitudo obiecti, nulla autem dari potest similitudo Dei, vtpote qui est actus purus, nihil autē creatum potest esse actus purus. Item species fluit necessariò ab obiecto, ergo Deus non operaretur libere. Præterea, si videatur per speciem non videtur per essentiam. Quartò species debet esse æqualis obiecto, nihil autem esse potest æquale Deo.

IX. *Species impressa non est realis similitudo obiecti, sed intentionalis.*

Sed hæ rationes quoad speciem de quâ loquimur nihil habent ponderis: ad primam distinguo maiorem, species est realis similitudo obiecti, seu in esse entis, nego maiorem; in esse intentionali, seu repræsentatiuè, concedo: nullum autem est inconueniens. vt sicut visio ipsa est similitudo & repræsentatio formalis; ita species impressa sit repræsentatio, & similitudo illius virtualis. Ad secundam resp. negando antecedēs vniuersim loquendo, est enim concursus ad speciem subordinatus diuinæ voluntati. Tertia consistit in æquiuocatione, vnde distinguo antecedens, non videtur per essentiam, hoc est essentia ipsa non videtur immediatè, nego antecedens; essentia non est causa immediate productiua visionis, cōcedo. Ad quartam dico, in essendo nihil posse esse æquale Deo, posse aliquo modo in repræsentando: quod fateri omnes debent de specie expressâ; quod autem habere potest hæc formaliter, potest impressa habere effectiuè.

SECTIO III.

Alia argumenta contra speciem impressam Dei.

I. *Obij. Deus est intelligibilis intrinsecè, ergo non potest fieri intelligibilis per speciē.*

HIs ergo omissis arguunt alij difficilius. Implicat aliquid habere per formam distinctam, seu extrinsecam, quod habet per se, & intrinsecè, ergo non potest dari species impressa Dei. Patet consequentia, species impressa datur vt obiectum reddatur visibile, seu intelligibile, sed Deus essentialiter est per se intelligibilis, ergo non potest reddi intelligibilis per speciem impressam. Conf. Deus non potest reddi præsens, sapiens intelligens &c. per aliquid distinctum, quia hæc habet per se intrinsecè, ergo nec reddi potest hoc modo intelligibilis, cùm non minùs per se hoc habeat, & intrinsecè.

II. *Resp. Deum non esse necessariò proximè intelligibilem intrinsecè.*

Resp. primò Deum non esse necessariò proximè intelligibilem per se, hoc enim præter potentiā producendi visionem importat voluntatem ad illam concurrendi, si autem nolit concurrere, in sensu cōposito huius nolitionis non est proximè præsens, cū ablatio cuiuslibet conditionis auferat potentiam proximam, vt est per se notum: proinde ignis non approximatus non est proximè potens ad comburendum, esto totam potentiam, seu vim actiuam habeat sine approximatione.

III. *Agentia libera possunt id habere ab extrinseco, quod habēt ab intrinseco.*

Hoc ergo quod dicitur non posse rem vllam habere id per aliquid extrinsecum, quod habet per se intrinsecè, solum est verum in agentibus necessariis, non in liberis: Deus enim est per se immediatè productiuus gratiæ & tamen potest etiam illam producere per aquam, aut rem aliam creatam. Ad id quod additur de denominationibus intelligentis, præsentis &c. nihil mirū quod eas Deus accipere nequeat ab extrinseco, cùm enim cognitio omnis & præsentia extra Deum sint formæ creatæ, non possunt recipi in Deo, vtpote qui nequit esse subiectum formæ intrinsecæ, sic namque mutaretur.

IV. *Obij. speciem impressam Dei fore necessario infinitam.*

Arguunt secundò. hæc species si daretur, foret infinita, esset namque illimitata, nec enim habet vnde limitetur, non ex parte intellectus, qui potest perfectiorem & perfectiorem recipere speciem in infinitum; non ex parte obiecti, quod similiter est infinitum, idem est de causâ efficiente, quæ est solus Deus. Contrà idem dici posset de concursu Dei tanquam obiecti ad visionem immediatè, quæ similiter non haberet vnde limitaretur, essetque proinde infinita.

Resp. fore finitam tantum perfectionem, quantam Deus ipse voluerit communicare.

Res. ergo vtramque limitationem suam sumere, vel à Deo volente se eousque manifestare, & non amplius: vel dici potest latiorem aut minùs latam speciem in repræsentando produci ad exigentiam luminis gloriæ.

V. *Species impressa Dei non est frustranea.*

Arguunt tertiò: hæc qualitas est frustranea cùm semper inueniat intellectum actuatum, & completum per essentiam Dei. ergo implicat. Nego antecedens, esto enim hinc sequatur non esse necessariam hanc speciem cùm Deus semper sit potens concurrere, non tamen sequitur esse impossibilem. Sed hinc.

VI. *Ordinatur hæc species non ad supplendum vices Dei non potentis, sed non volentis per se concurrere.*

Arguunt quartò species ordinatur ad concurrendum loco obiecti, & ad supplendum vices illius, ergo non potest dari species impressa Dei, cum Deus nunquam possit non esse potens concurrere ad visionem beatam, ergo implicat dari aliquid ordinatum ad supplendum vices illius, quod nunquam potest deesse. Res. si Deus esset agens seu obiectum necessarium, obiecto, vt suprà dixi haberet vim, cum verò sit agens & obiectum omninò liberum, potest dari aliquid ex naturâ suâ ordinatum ad supplendū vices illius, non quidem non potentis, sed non volētis concurrere: vnde hoc non ex impotentiâ in Deo euenit, sed ex libertate.

VII. *Obij. non posse dari aliquid subordinatum Deo nolenti per se operari.*

Contra hoc vrgent aliqui, implicare siquidem videtur, vt detur aliquid ordinatum ad supplendum impedimentum in Deo tanquam obiecto, merè ortum ex eo, quod nolit agere per seipsum, tunc enim dici pari ratione poterit esse adhuc possibilem aliam speciem ad supplendum vicem huius etiam speciei, posito quod Deus nolit per hanc concurrere, sicque dabitur species speciei, idque in infinitum.

VIII. *Resp. multa esse possibilia dependenter à voluntate Dei nolente ad aliquid concurrere.*

Sed contrà, tota enim hæc subordinatio in eo consistit: quod hæc species naturaliter existere non possit, & consequenter ad visionem concurrere, nisi posito quod Deus præbere concursum obiectiuum nolit per se, huiusmodi autem subordinatio non est noua, sed communis in rebus creatis, nempe vt aliquid connaturaliter sit possibile merè dependenter à voluntate Dei nolentis concurrere per aliud. Sic concursus Dei ad actum fidei aut charitatis, vel etiam visionis, aut amoris beatifici per auxilium extrinsecum aut intrinsecum transiens, non petit, nec potest connaturaliter existere, nisi posito quod Deus liberè nolit producere habitus infusos, qui sunt cōnaturalia principia horum actuum, sicut Deus per se est in ratione obiecti principium connaturale visionis beatificæ.

IX. *Hoc in rebus naturalibus clarius cernitur.*

Hoc in rebus naturalibus clariùs cernitur: sic enim concursus Dei solius vt causæ particularis ad aliquos effectus calorem ex gr. producendum in igne, frigus in aquâ, lucē in sole &c. cōnaturaliter supponit Deum nolle concurrere cum causis secundis igne, aquâ, & sole ad illos effectus; connaturaliter enim alius concursus deberet poni, nempe simul cum his rebus, quæ concursum illum exigunt; posito autem quod nolit Deus, vt causa vniuersalis, cum iis concurrere, potest has qualitates producere vt cau-

sa

si particularis, concursu à Deo solo procedente.

X. *Concedunt aliqui vnā speciem alteri subordinatam in infinitum.*

Ad primum inconueniens quod inferabatur, nēpe hinc sequi esse possibilem aliam qualitatem, quæ naturaliter concurrat ad visionē, posito quod Deus nolit cum hac specie concurrere, P. Hurt. d. 1ā. de Anim. s. 3. n. 47 videtur concedere consequentiam, etiam in specie albedinis: vnde, inquit, si Deus præbere nolit concursum ad visionem materialem cum specie A, potest dari qualitas aliqua ei subordinata, quæ illius loco concurrat.

XI. *Non est necessarium concedere huiusmodi subordinationem in speciebus, cum aduersarij eam non concedant in concursibus.*

Aliter tamen responderi potest: & inquiro vtrùm in simili, quando nolente Deo concurrere cum habitu, aut causā secundā, datur concursus extrinsecus habitui illi, aut causæ secundæ subordinatus, vt eum dicimus dari, inquiro, inquam, vtrùm si nolit Deus concurrere per concursum A, sit alius concursus huic subordinatus, ita vt sicut concursus extrinsecus connaturaliter poni non potest, nisi nolēte Deo producere habitum fidei aut charitatis, ita concursus B poni non possit connaturaliter nisi nolente Deo vti concursu A, & sic de alijs: si sit alius concursus illi subordinatus, quid incommodi si concedamus huiusmodi subordinationem, etiam in infinitum in speciebus, cùm aduersarij eam concedant in concursibus: si non sit alius concursus subordinatus, sed dicatur concursum A & B & alios deinceps se habere disparatè, idem dicere possum de speciebus.

XII. *Non sequitur possibile esse speciem speciem in infinitum.*

Nihilominus hinc non sequitur vltimum inconueniens, esse scilicet possibilem speciem speciei in infinitum; licet enim daretur qualitas ex naturā suā ordinata ad concurrendum loco speciei impressæ A ad producendum visionem Dei, hæc tamen qualitas non esset species speciei A: sicut si esset species expressa ordinata ad repræsentandum Deum loco speciei expressæ A, non esset illa species expressa speciei A. Vtraque ergo esset species obiecti, seu Dei, illa effectiua, hæc formalis. Addo tamen si concedatur esse possibilem speciem speciei impressę, idque in infinitum non videri magnum inconueniens, cùm omnes id admittant in specie expressà, potest enim dari vnus actus reflectens supra alium in infinitum.

SECTIO IV.

Duæ aliæ difficultates contra speciem impressam Dei.

I. *Obij. gratia ob excellentiam petit produci à solo Deo, ergo & visio beatifica.*

ARguunt quintò: sicut gratia habitualis, & alia dona supernaturalia, habitus scilicet infusi, quia sanctificant formaliter, petunt ob suam excellentiam Deum, tanquam causam particularem, nec possunt produci à causā secundā, ita visio, cùm beatificet formaliter, est qualitas tam excellens, vt petat Deū tanquam causam particularem.

II. *Resp. ex rei perfectione nullū duci argumentum quod debeat à solo Deo produci.*

Contrà primò, ergo non potest visio produci per lumen gloriæ, cùm gratia Deum petat tanquā causam adæquatam. Contrà secundò, hæc ratio solùm probat Deum concurrere debere ad visionem immediatè, si ergo per se ad eam concurrat loco luminis, poterit ex parte obiecti eam producere per speciem. Resp. ergo argumentum ex rei perfectione deductum non probare illā à solo Deo debere necessariò produci, cùm res, etiam imperfectissimæ, id petant in materia prima, quātitas, & alia huiusmodi.

III. *Peculiaris est ratio, cur gratia petat produci à solo Deo.*

Quod autem affertur de gratiā habituali respondet Arriaga citatus n. 115. peculiarem esse rationem de gratia: cum enim sit amicitia cum Deo, non videtur posse conferri nisi à Deo, cùm non possit aliquid connaturaliter conferre vlli amicitiam alterius, præter ipsum amicum. Quæ ratio, inquit ille, si non sufficiat, conced. poterit esse possibile aliquid quod connaturaliter efficere possit gratiam: quod etiam docent alij recentiores. Vnde Thomistæ communiter, & videtur opinio D. Thomæ, dicunt de facto à sacramētis imprimi animæ qualitatem productiuam gratiæ; quod licet hodie communiter negetur, non tamen ex eo capite quod repugnet istiusmodi qualitas, sed quod eadem difficultas sit quod sacramenta producant physicè qualitatem illam, seu characterem supernaturalem, atque quod producant gratiam, de quo plura dixi de Sacramentis in genere d. 3. s. tertiā.

Secundò responderi potest gratiam esse per modum naturæ, & actus primi in ordine supernaturali; vnde non potest connaturaliter dari alia qualitas illius productiua, sic enim non esset per modū naturæ. Addo tamen non satis efficaciter ostendi, non posse profluere physicè gratiam ab vnione hypostaticā, vt vidimus in materiā de Incarn. d. 11. s. 3. vnde P. Granado in materiā de gratiā trac. 4. d. 8. s. 5. n. 44. ait in Christo gratiam habitualem physicè profluxisse ab vnione hypostatica: quod etiam tribuitur Medinæ, & alijs nonnullis ex Thomistis. IV.

Potest gratia physicè profluere ab vnione hypostatica.

V. *Obij. effectus petens causā superiorem non potest produci ab inferiore.*

Arguunt sextò quando effectus connaturaliter petit causam superiorem, non potest illius vices supplere causa inferior, effectus siquidem petere videtur causam illam secundùm totam suam virtutem. Cùm ergo visio naturaliter petat Deum, vt vidimus non potest loco Dei substitui causa secunda, nulla enim est æqualis virtutis cum Deo.

VI. *Resp. posse subinde causam inferiorem supplere locum superioris.*

Resp. vbi non est peculiaris difficultas, posse causam minus perfectam supplere locum perfectioris respectu effectus alicuius, licet is magis connaturaliter petat causam perfectiorem: nec etiam ad effectum aliquem producendum requiritur vt tanta sit virtus in causā inferiore quanta in superiore, sed quanta est perfectio in effectu, vt spectat ad hanc causam.

VII. *Nec hinc sequitur posse creaturam creare aut sine Dei concursu operari.*

Dices; ergo creatura potest creare. Negatur tamē consequētia, tū ob rationes allatas d. 41. Phys. s. 7. tum maximè quia ad dignitatē Dei spectare videtur, vt aliqua series actionum ipsi, saltem naturaliter reseruetur, cùm experientia videamus series rerum, quo perfectiores, eò perfectiorem seriem actionum sibi vendicare, vt viuentia vitales, animalia sensitiuas &c. quam rationem latiùs prosequutus sum in Physicis loco citato, & hæc etiam est ratio quare creatura non possit operari sine actuali concursu Dei, nēpe quia dignitas Dei & perfectissimū eius dominium requirit, vt sine illo, actu concurrente, nihil fiat, vt in Phy. ostēdi d. vigesima octauā.

VIII. *Nec etiam ex hac doctrina sequitur posse animam rationalem generari.*

Vrgent; nullam posse rationem assignari cur anima rationalis non possit generari, præter hanc, quod scilicet effectus petens causam superiorē non possit produci ab inferiore. Contrà, hæc ratio hic omninò non vrget, Deus enim vt auctor supernaturalis est perfectior se, vt est auctor naturalis, ergo saltem supernaturaliter posset anima generari. Dices; non posse, quia generatio ex conceptu suo est actio inferioris ordinis ad creationem. Contrà, generatio in entitate supernaturaliter esset perfectior creatione, quā de facto producitur anima, cùm non sit, cur ratio supernaturalitatis supplere nequeat, imò superare modum producendi in creatione repertum: sicut nō est dubium, quin vnio hypostatica eam superet, esto generetur, imò fortè possit esse ipsa generatio, in sententiā statuente vnionem formæ materialis actionē eius eductiuam. Alia ergo quærenda est huius causa, & quoad præsens hæc fortè afferri potest, quod imprimis videatur contra dignitatem animæ, vt educatur è potentiā corporis, & ab illo in esse dependeat: si autem sermo sit de materiā spirituali, multi putant non tam facilem assignatu esse implicantiā,

saltem in ordine ad potentiam absolutam. Dici tamen posset non esse illam subiectum animæ nostræ proportionatum.

SECTIO V.

Quid sentiendum in hâc controversiâ de specie impressâ Dei.

I. *Probabilius est esse possibilem speciem impressam Dei.* Quamvis negari nō possit rationes sec. superiore allatas maximâ probabilitatem afferre sententiæ neganti possibilem esse speciem impressam Dei, probabilius tamen existimo cum auctoribus secundæ sententiæ s. 2 positæ, eam non implicare tum quia hodie communior est hæc sententia, tum quia non est aliquid negandum diuinæ omnipotentiæ, nisi quod implicantiam, aut magnum aliquod inconueniens secum afferat, nihil autem huiusmodi in specie impressa reperiri ostendimus soluendo argumenta contraria, quæ est præcipua ratio huius sententiæ.

II. *Mens S. Thomæ circa speciem impressam Dei similis videtur valde dubia.* Difficultas est circa mentem S. Thomæ, qui variis locis, præcipuè autem 1. p. q. 12. a. 2. negat posse videri Deum per speciem P. Ernee, d. 40. c. 1. licèt dicat speciem impressam esse possibilem, ait tamē S. Thomam eam hoc loco asseruisse impossibilem, quod etiam passim volunt Thomistæ; idem ait P. Suarez citatus c. 13. P. Salas, & alij aiunt tamen eius rationes non concludere de specie impressâ de quâ loquimur, sed de obiectiuâ. P. Val. 1. p. q. 12. pun. 2. ait eum loqui solum de potentia ordinaria. P. Arriaga hic d. 4. s. 2. n. 110, ait S. Thomā ita loqui in hâc materiâ vt meritò citari à Theologis possit pro contrariis sententiis, licèt enim intendere videatur loqui de specie impressâ, rationes tamen eius solùm probant de obiectiuâ. P. Vasq. d. 29. c. 1. & 2. & d. 43. n. 23. cum aliis vult eum loqui de specie obiectiua, quod etiam sentit P. Hurt. d. 12. de An. s. 3. cum rationes, plus, vt ait, efficaces sint de similitudine obiectiuâ, seu priùs cognita, at vero de specie impressâ non habeant pondus illud, quo D. Thomas solet argumentari, sed nullam omninò ad hoc efficaciam: *quare, inquit, veri eius discipuli tenemur sentire eum esse loquutum de specie prius cognita, cum hac ex expositio honorabilior sit S. Thomæ*: hæc ille.

III. *Videtur S. Thomas loqui de specie obiectiua seu prius cognitâ, dum negat speciem impressam Dei.* Certe S. Thomas illo art. videtur expressè loqui de specie obiectiuâ, nam in corpore, prope finem, vbi totam controuersiam concludit, sic habet: *vnde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere diuinā essentiam non videri*: ergo clarum est his verbis S. Thomā loqui de specie obiectiua, seu similitudine prius visâ, nam angelus, etiam iuxta S. Thomam q. 8. de veritate c. 7. cognoscit alium Angelum, non absentem solùm, sed etiam præsentem per speciem, & tamen videt ipsum Angelum immediatè. Vnde ex hoc loco (qui tamen est præcipuus, cùm quæstionem proponat in terminis) existimo nihil concludi posse circa mentem S. Doctoris. Deinde omnia alia loca quæ affert Suar. & alij ex S. Thomâ videntur debere iuxta hanc explicari; imò vix alibi loquitur de potentiâ absolutâ.

IV. *Licèt sol eleuaretur ad producendā visionem beatificam non esset species impressa Dei.* Solùm Noto circa hanc quæstionem, non esse dubium in sententia admittente potentiam obedientialem latam, quin possit res aliqua, lapis v. aut aliud huiusmodi eleuari ad producendam obedientialiter visionem beatificam, non tamen propterea esse speciem impressam Dei, hoc enim dicit qualitatem, quæ ex naturâ sua habeat vim visionem illam producendi, & ad id munus ordinetur.

DISPVTATIO XVIII.

De Intellectu.

SECTIO PRIMA.

De obiecto intellectus.

I. *Obiectum intellectus est quidquid est conceptibile.* Obiectum cuiusque potentiæ est obiectum omnium actuum illius: ergo nihil sit quod aliquo actu nostri intellectus non percipiatur obiectum intellectus nostri imprimis erit id omne quod in se rationem entis participat, non ita vt sola ratio entis vt sic sit illius obiectum, cùm singularia, & differentias etiam vltimas, saltem indeterminatè & confusè cognoscamus, scimus enim Petrum, Paulum, Bucephalum, & alia esse indiuidua, & existere. Spectat prætereà ad intellectum quidquid quacumque ratione est conceptibile.

II. *Assignantur in particulari obiecta intellectus.* Obiectum ergo intellectus sunt Deus, creaturæ, vniuersalia, singularia, res spirituales materiales, entia, non entia, substantia, accidens, entia realia, & rationis: quando enim dicimus, *Chimæra est ens rationis; hippocerus est impossibilis*, aut aliquid huiusmodi, obiectum aliquod apprehendimus, de quo hoc affirmamus, sed illud obiectum non est quid reale & possibile tunc enim actus esset falsus ergo concipimus aliquid impossibile, ergo res etiam impossibiles sunt obiectum nostri intellectus. De quo fusè dictum est in Logica d. 13. sec. tertia.

III. Quæres primò, vtrum vniuersalia sint prius cognita quā singularia. Hæc est celebris apud nonnullos quæstio, quam latè discutiunt. Mihi non tanti momenti videtur: quare paucis eam expediā. Resp. ergo, communiter & via inquisitionis prius cognosci singularia, per se enim loquendo non deuenimus in cognitionem vniuersalium, nisi per singularia, à quibus, vbi illorum aliqua cognouerimus, & viderimus inter se conuenire partim, partim differre, abstrahimus postea discurrendo duas species, vniuersalem alteram, alteram particularem, hanc repræsentatiuam confuso quodam modo rationis indiuidualis, illam repræsentatiuam rationis communis: quæ species post actus remanent, & ad similes postea actus eliciendos determinant. Quomodo autem, & per quas species primus actus repræsentans naturam vniuersalem habeatur, nempe per collectionem quarundam specierum vniuersalium, quæ in his circumstantiis repræsentare possint solam naturam vniuersalem, declarauimus disp. 16. sec. 5. n. 7. & 9. exemplo præmissarum respectu conclusionis, in quibus eadem ferè est difficultas. *Via inquisitionis prius cognoscuntur singularia quàm vniuersalia.*

IV. *A quando abstrahuntur simul species singularis, & vniuersalis.* Dixi *per se loquendo*, & viâ inquisitionis: per accidens enim, vbi scilicet obiectum non clarè, & in debitis circumstantiis proponitur, simul abstrahitur species singularis & vniuersalis, species imperfecta singularis, perfecta rationis communis. Cognitione enim experimentali priùs communiter cognoscuntur singularia, quàm vniuersalia, experientiæ quippe sunt de singularibus, cognitione tamen scientifica, seu doctrinali, priùs cognoscuntur vniuersalia. Quo sensu accipiendi sunt Aristoteles & S. Thomas dum dicunt, priùs cognosci vniuersalia: vnde etiam ait

Aristoteles,

Aristoteles, *scientiam esse de vniuersalibus*; quia scilicet præcipuum quod spectant homines, est, cognoscere prædicata quædam rebus in varijs communia, vt hac ratione sument principia generalia ad scientias apta, licèt viâ inquisitionis, & scientiâ experimentali, prius incboent omnes à singularibus.

V. *Scientia experimentali prius cognoscuntur accidentia, quàm substantia. Cognitione doctrinali prius cognoscitur substantia quàm accidens.*

Vnde etiam, per se loquendo, prius semper, scientia experimentali cognoscuntur accidentia, quàm substantia; accidentia enim habent speciem propriam & intuitiuam, & directè & immediatè in illud tendentem, substantia verò non nisi speciem mediatam, & ab alijs rebus abstractam. Cognitione tamen scientifica & doctrinali, priùs cognoscimus substantiam, quàm accidentia, & per illius cognitionem deuenimus in cognitionem accidentium. Sic etiam per essentiæ cognitionem peruenimus in cognitionem passionum, & proprietatum: qua de causâ hæc vocatur cognitio à priori, illa autē quæ ab accidentibus procedit ad substantiam, & à passionibus ad essentiam, dicitur à posteriori. Quare hoc etiam modo intelligendi sunt Aristoteles & S. Thomas cum dicunt, priùs cognosci substantiam, quam accidentia, nempe cognitione à priori.

SECTIO II.

De specificatione potentiarum, & actuum.

I. *Potentiæ respicientes obiecta adæquata specie distincta, distinguuntur specie. Potentiæ specie distinctæ feruntur aliquando in omninò eandem obiecta adæquata.*

QVæres secundò, vnde specificentur potentiæ & actus? Primò, potentias, quæ in obiecta adæquata feruntur specie distincta, distingui specie non est dubium, cùm quoad hoc eadem sit ratio de illis, ac de materiâ respectu formarum specie distinctarū, & de causâ efficiente respectu suorum effectuum; &c. Dico tamen secundò, ad distinctionem specificam potentiarum non requiri vt ferantur in obiecta specie distincta, sed posse dari duas potentias specie distinctas, quæ ferantur in eadem omninò obiecta. Hoc primò patet in intellectu hominis, & Angeli, & duorum etiam Angelorum, supremi scilicet & infimi ordinis inter se, quos intellectus ex relatione quā dicunt ad essentias specie distinctas, distingui specie, nullus negat. Idem dicunt multi de potentiâ visiuâ hominis, equi, leonis, &c.

II. *Actus, qui ad obiecta specie distincta terminantur, distinguuntur specie.*

Quod dixi de potentijs, dicendum eodem modo de actibus; nempe, actus qui feruntur in obiecta specie distincta esse specie distinctos, quantumcunque obiecta illa sint solùm materialia vt suprà diximus. Vnde actus fidei, quo quis credit Euam comedisse pomum vetitum, est distinctus specie ab actu quo credit Christum passum esse Hierosolymis. Ratio est, quia actus fidei duo in se habet, repræsentare obiectum, & tali modo dicere seu assentiri: vnde licèt sub ratione assensus præcisè, non distingueretur specie vnus actus fidei ab alio, cùm assentiantur omnes propter idem motiuum, seu obiectum formale, nempe auctoritatem Diuinam, distingueretur tamen ratione repræsentationis, feruntur namque hi actus in obiecta materialia specie distincta.

III. *Quo sensu dicant auctores actus & potentias non specificari ab obiectis materialibus.*

Quando autem dicunt auctores non specificari actus, & consequenter potentias ab obiecto materiali, intelligunt de obiecto materiali remoto, seu materialissimo, vt loquuntur Dialectici, & quod non attingitur omninò ab actu, sed proptereà solùm dicitur obiectum, quia sustentat obiectum proximum, tantumque est subiectum denominationis: sic se habet paries respectu albedinis, aër respectu lucis, &c. nec enim variatur visio specie ex eo quòd albedo sit in pariete, lacte, vel niue; variatur tamen ex eo quòd sit visio huius, vel illius coloris, imò etiam huius & illius albedinis, si vna albedo esset specie distincta ab alia.

IV. *Duo actus specie distincti versari possunt circa idem numero obiectum.*

Quòd autem possint duo actus specie distincti versari circa obiectum eiusdē speciei, videtur multò certius: primò enim duæ cognitiones duorum Angelorū, supremi scilicet & infimi ordinis, vel saltem animæ & Angeli versari possunt circa idem obiectum, etiam numero; vterque enim affirmare potest nunc solem lucere, solem esse maiorē luna &c. eorum tamen actus distinguuntur specie. Idem clariùs constat in apprehensione & iudicio, & in actibus intellectus & voluntatis, qui circa idem omninò obiectum versantur; voluntas enim illud amat, quod ipsi proponit intellectus, nec ferri in quidquā potest quod non priùs repræsentetur ab intellectu. Ex alijs ergo specificari possunt actus, quàm ex obiectis, nempe ex modo tendendi. Notandum verò, potentias non specificari immediatè ab obiectis sed solùm mediatè; eo enim modo ab ijs specificantur, quo ea respiciunt, sed non respiciunt obiecta nisi mediatè, nempe medijs actibus: specificantur ergo immediatè ab actibus, ab obiectis verò tantùm mediatè.

Potentiæ specificantur solùm mediatè ab obiectis, immediatè ab actibus.

V. *Quid sit memoria.*

Quæres tertiò, quid sit memoria? Resp. licèt iuxta Aristotelem *l. de Memoriâ & reminiscentiâ* memoria propriissimè sumpta sit intellectus prout reflectit denuò, vel cogitat, non de obiecto solùm priùs cognito, sed etiam de actu à quo cessauit; communiter tamen dicitur memoria esse solùm intellectus prout rursus cogitat de aliquo obiecto, de quo iam cogitare desierat, idque per speciem ab obiecto illo relictam.

VI. *In Deo reperiri non potest memoria.*

Ex quo constat, res omnes cognoscitiuas posse habere memoriam præter Deum; Deus verò non potest, quia nunquam potest actum de obiecto vllo intermittere: & licèt dicatur obliuisci res, & recordari, hæ tamen locutiones sunt solùm metaphoricæ; quòd nimirum ita se gerat circa rem aliquam, ac si illius fuisset oblitus, vel ac si denuò illam in memoriam quasi reuocaret. Sicut etiam subinde dicitur pœnitere Deum alicuius rei quam fecit, non quòd verè tunc ipsum illius facti pœniteat, sed quod ita se circa rem illam gerat, sicut solent homines cùm ipsos alicuius rei pœnitet, nempe rem illam destruunt. Quæret aliquis, vtrùm omnia animalia habeant memoriam? Pleraque habere, videtur certum: de quibusdam tamen insectis est aliqua dubitatio, imò Aristoteles ait muscas memoriâ carere, quæ quantumlibet à re aliquâ, aut loco abigantur, nihilominus statim redeunt; quod alijs animalibus non videtur competere.

In quibus rebus sit memoria.

DISPVTATIO XIX.

De quibusdam actibus intellectus.

CAPVT PRIMVM.

De cognitione Intuitiua, Abstractiua, & Quidditatiua.

I. *Cognitio abstractiua duplex.*

COgnitio Abstractiua vel est cognitio abstrahēs ab existentiâ rei pro vllâ differētiâ temporis, vt cognitio de alio mundo possibili; vel licèt feratur in rem vt existentem, non tamen illam cognoscit in se, sed in alio. Hac ratione omnis conclusio est cognitio abstractiua, quia fertur in obiectum, non immediatè cognitum in se sed per præmissas priùs cognitas: sic quando videndo accidens, per illud iam visum cognoscimus substantiam, cognitio illa substantiæ non est intuitiua, sicut cognitio accidentis, sed abstractiua.

II. *Ad cognitionem intuitiuam duo requiruntur.*

Hinc infertur, ad cognitionem intuitiuam duo requiri, & vt sit de obiecto existente, vt existēte pro aliqua differentia temporis, *præsentis* scilicet, *præteriti*, aut *futuri* & vt cognoscatur res illa in se immediatè, & non in alio priùs cognito. Cognitio ergo quam habuit Deus ab æterno, rerum futurarum, & quam modo habet præteritarum, est intuitiua; est enim immediata, & de rebus pro aliquâ differentiâ temporis existentibus. Et idem est de actu quo Angelus res intuetur: imo & de cognitione quam habemus accidentium sensibus perceptorum.

III. *Eadem cognitio potest esse intuitiua, & abstractiua respectu diuersi obiecti.*

Infero secundò, eandem cognitionem posse esse intuitiuam & abstractiuam saltem respectu diuersorum obiectorum, vt visio beatifica quâ beatus videt Deum, & creaturas aliquas possibiles in Deo: hæc, inquam, visio est intuitiua respectu Dei, abstractiua respectu illarum creaturarum. Idem est de omni actu naturali, quo Angelus videt effectum in causâ existente. Ex quo à fortiori infertur, non repugnare vt simul sint in eodem intellectu duo actus, alter intuitiuus, alter abstractiuus, circa idem obiectum: imò de facto ita frequenter contingit, vt dum Angelus videt se intuitiuè, & simul abstractiuè se cognoscit in suis effectibus.

IV. *Dum quis se conspicit in speculo, est visio intuitiua.*

Quæres, cùm quis se intuetur in speculo, sitne visio illa intuitiua, an abstractiua? Qui asserunt, dum Petrus ex.gr. se aspicit in speculo, non terminari, visionem illam immediatè ad Petrum, sed ad imaginem quandam illius in speculo efformatam, dicent visionem esse abstractiuam. Nos verò, qui asseruimus visionem illam non ferri ad imaginem, vel idolum Petri in speculo efformatum, cùm nihil ibi sit præter ipsam speciem impressam, sed immediatè terminari ad ipsum Petrum, consequenter affirmamus visionem illam reflexam esse æquè intuitiuam, ac est ipsa visio directa. Imò existimo etiam actum, quo quis recordatur Petri mortui, esse dicendum intuitiuum, cùm immediatè feratur in Petrum, vt pro suâ differentia temporis existentem.

Actus, quo quis recordatur Petri mortui est intuitiuus.

V. *Visio materialis conseruata destructo obiecto esset intuitiua.*

Quæres secundò, posito per possibile, vel impossibile quòd Deus conseruaret sensationem externā, visionem ex.gr. destructo obiecto, verùm illa visio foret intuitiua? Resp. quoad præcipuum quod dicit visio intuitiua, esset; esto enim hîc obiectum destruatur, adhuc est visio obiecti existentis, id est, ex naturâ suâ est talis conditionis, vt petat connaturaliter loquendo existentiam obiecti pro eo tempore: vnde potest intellectus ex vi illius colligere existentiam obiecti, sicut viso accidente colligere potest existentiam subiecti, etsi diuinitus existere sine illo accidens possit.

In eo ergo differt hæc visio ab omni cognitione abstractiua, quòd abstractiua non petat naturaliter loquendo existentiam sui obiecti, sed ex natura sua abstrahat ab illius existentia. Dicunt tamen aliqui, & probabiliter in eo casu non fore visionem illam intuitiuam adæquatè, sed inchoatè tantùm, & in potentiâ proximâ: visionem enim completè intuitiuam includere dicunt quid extrinsecum, nempe existentiam obiecti. VI. *In quo differat visio conseruata à cognitione abstractiuâ.*

Quoad cognitionem quidditatiuam: latiùs patet cognitio intuitiua, quàm quidditatiua; quando enim quis videt colorem à longè, visio illa est intuitiua, vtpote immediatè habita per propriam speciem illius coloris non tamen quidditatiua, quia nimirum ex vi illius visionis non potest quis directè dicere quid illud sit quod videt, sed solùm confuso quodā modo illud cognoscit. Nec etiam quæuis cognitio perfecta est quidditatiua: licèt enim quis perfectè cognosceret animal in homine, non cognosceret hominem quidditatiuè, quia per cognitionem quidditatiuam cognoscitur vltima rei differentia, ita vt possit quis certò dicere, *est Petrus, est Paulus, est hoc, vel illud indiuiduum*, &c. Nec etiā quæuis cognitio quidditatis est cognitio quidditatiua si propriè loquamur: cognitio enim quidditatis est omnis cognitio, quæ quouis modo attingit entitatem rei, quæuis tamen eiusmodi cognitio non est quidditatiua. VII. *Latius patet cognitio intuitiua, quam quidditatiua.*

Non quæuis cognitio perfecta est quidditatiua.

Omnis cognitio quidditatis non est cognitio quidditatiua.

Cognitio ergo quidditatiua est illa, per quam clarè & distinctè cognoscitur essentia, seu quidditas alicuius rei, ita vt ex vi huius cognitionis dicere possimus quid res illa sit, & eam ab omnibus alijs discernere. Ad hoc autē vt cognitio aliqua sit quidditatiua, vel debet esse immediata, clara, & intuitiua rei in seipso, vel saltem in eius causa efficiente magis principali, in quâ formaliter vel eminenter continetur. Ratio est, quia communis sententia docet debere cognitionem quidditatiuam haberi per medium saltem æquè perfectum atque est ipsa res, quia in medio & per medium cognosci debent omnia eius prædicata & perfectiones: vnde sicut non potest effectus produci à causa adæquata imperfectiore, ita nec in tali, & per talem perfectè cognosci: nec enim per illam plus videri potest illius effectus, quàm in se habet causa. Imò nec definitio hominis habita à posteriori per effectus est cognitio quidditatiua illius, licèt sit perfectissima cognitio quidditatis. Siquis autem velit hanc dici cognitionē quidditatiuam, quia est perfecta cognitio quidditatis, saltem specificæ, est tamen omnium infima & imperfectissima. VIII. *Quæ cognitio sit propriè quidditatiua.*

Cur non possit effectus cognosci in causa adæquatè imperfectiore.

SECTIO II.

De scientia subalternante, & subalternata.

QVoad scientiam subalternantem & subalternatam infinita est confusio, totaque lis tandem recidit in quæstionem de modo potiùs loquendi, quàm de re. Fusè hac de re disputat P. Fonseca 4. Met. c. 1. Vasq. 1. par. d. 6. & Hurt. in proœ. Met. sec. 8. I. *Quæstio hæc ferè est de nomine.*

Notandum

II. *Primus modus subalternationis.*

Notandum, varijs modis posse scientiam vnã subordinari alteri: primò, quando idem est vtriusque obiectum, vel potius subiectum, ita tamen vt scientia subalternata superaddat differentiam quandam accidentalem: sic Musica subordinari dicitur Arithmeticè. quod licèt vtraque agat de numeris, Musica tamen superaddat differentiam accidentalem, nempe sonum, & disputat de numeris sonoris, seu prout peculiariter reperiuntur in sono.

Musica & Arithmetica.

III. *De secundo, principia vnius scientiæ desumuntur ab alia.*

Secunda subalternatio est, cùm principia vnius scientiæ vel desumuntur ab alia, vel in illâ demonstrantur, siue id fiat ostensiuè, vt aiunt, siue per impossibile. Ostensiuè medicina subordinari dicitur physicæ iuxta illud, *vbi definit physicus, incipit medicus:* à priori enim vel posteriori probantur eius principia à physicâ; dum namque morbis calidis frigida, frigidis calida medicamenta apponit, rationem illius desumit probatam, & ostensam in Physica; quia scilicet calor & frigus sunt contraria, & in gradibus intensis ex eodem se inuicem subiecto expellunt: ex quo principio deducunt Medici, quas herbas & medicamenta, id est, quantùm in se habentia caloris aut frigoris virtualis, his vel illis morbis curandis applicare debeant.

Vbi definit Physicus incipit Medicus.

IV. *Omnes scientiæ subalternantur aliquo modo Metaphysicæ.*

Aliquando verò probantur principia vel conclusiones alicuius scientiæ per reductionem ad impossibile, vt si quis concederet duas propositiones contradictorias simul esse veras, conuinceretur deducẽdo ipsum ad principium illud Metaphysicum, nempe, *impossibile est idem simul esse, & non esse.* Hoc pacto Logica, imò saltem generali quadam ratione omnes scientiæ subordinantur Metaphysicæ, cùm nulla sit in cuius materiâ non possit contingere vt explicitè vel implicitè concedantur duo huiusmodi contradictoria: quod si contingat, recurrendum necessariò ad illud principium Metaphysicum. Præcipuè tamẽ & peculiari modo subordinatur Logica Metaphysicæ, vtpote cuius totum artificium, & forma syllogistica in hoc principio fundatur, vt latè in Logicâ ostensum est.

V. *Tertia scientiarum subordinatio est in ordine ad eundẽ finem.*

Tertiò dicitur vna ars vel scientia subordinari, aut subalternari alteri, quando scilicet cum quodam ordine mediatè vel immediatè habet eundem finem. Sic ars fræno-factoria subordinatur equestri; vtraque militari. Imò aliquando dicuntur subordinari & subalternari aliquæ scientiæ, quando non cum quodam ordine inter se, sed solum concomitanter se habent ad finem aliquem: sic philosophia naturalis & moralis subordinari sibi inuicem dicuntur, quia vtraque spectat beatitudinem hominis naturalem, tenduntque hæc practicè, illa speculatiuè ad eundem finem.

Subalternatio concomitans.

VI. *Exigua hac in re certitudo cum confusione.*

In hac quæstione certitudo exigua est, confusio infinita, si singula quis minutatim velit discutere: quare præstat pauca clarè dicere, quàm multa confusè, præsertim cùm parui momenti res sit, & penè de voce. Quod ergo hîc est de re, iam dictum est, nempe, tot modis artes & scientias se inuicem iuuare: quisnam autem ex his modis propriè dicatur subalternatio, quæstio est de modo loquendi.

VII. *Quæ scientiæ dicantur propriè aliji subalternari.*

Proprijssimè itaque dicitur scientia illa subalternari, seu subordinari alteri, quæ vel ab eâ desumit principia, vel cuius præmissæ sunt conclusiones alterius priori ex his modis. Logica propriè subalternatur Metaphysicæ, hæc proinde respectu illius est scientia subalternans: posteriori modo, medicina subalternatur physicæ, & hæc respectu illius similiter est subalternans. Hoc sensu dicitur communiter, vt suprà notauimus, *vbi definit Physicus, incipit Medicus.* Solùm addo, contingere posse, vt duæ aliquæ scientiæ sibi inuicem sub diuersa ratione subalternentur. Et hoc de re confusissimâ sit satis.

Duæ scientiæ sub diuersa ratione sibi inuicem possunt subalternari.

SECTIO III.

An idem actus supra se possit reflectere.

I. *Posse actum confusè supra se reflectere, non est dubium.*

QVoad cognitionem reflexiuam, seu actum reflectentem suprà seipsum, non videtur dubium quin dari possit actus qui saltem confusè supra se simul cum alijs reflectat, vt cùm quis dicit, *omnis actus intellectus est spiritualis: omnis actus creatus est accidens, qualitas,* &c. intra quæ obiecta includitur ipse actus nunc elicitus. Respondere quis posset, in hac & similibus propositionibus esse *suppositionem accommodã.* vt loquuntur Dialectici, qualis est in hac propositione, *quod tegit omnia cælum;* nempe, præter cætera etiam hic actus, *omnis actus intellectus est spiritualis, omnis actus intellectus creati est accidens, qualitas,* &c. dici inquã, posset, hos actus præscindere à seipsis. Sed contrà. nam propositio illa, *quod tegit omnia cælum,* non est simpliciter & in tota latitudine vera, & propterea adhibenda est suppositio accommoda; aliæ verò propositiones sunt absolutè & simpliciter veræ in tota latitudine: quare in iis non est necessaria eiusmodi suppositio.

Quare in hac propositione, Omnis actus creatus est accidens, non sit suppositio accommoda.

II. *Ostenditur vlterius dari posse actũ supra se confusè reflectentem.*

Probatur secundò: ponamus Deum reuelare, & Ecclesiam definire omnem actum intellectus creati esse rem creatam, dependere à Deo, &c. actus quo hoc definiret, & diceret, omnis actus intellectus est spiritualis, haberet se aliquo modo pro obiecto: patet consequentia, esset hæreticus qui postea negaret actum illum esse rem creatam, aut dependere à Deo, ergo ille actus continetur sub obiecto adæquato istius actus, nec enim esset hæreticus nisi qui negaret aliquid quod alia propositio affirmabat, ergo alia affirmabat actum illum, nempe se esse rem creatam, & dependere à Deo, ergo habebat se pro obiecto. Idem est de alijs infinitis propositionibus vniuersalibus, vt, *nulla creatura,* seu, *nullus actus creatus fuit ab æterno,* quæ propositio est de fide, cùm de fide sit omnia esse creata in tempore: item de hac, *omnis actus finitus est creatura,* hæc enim & similes propositiones supra se simul cum alijs reflectunt.

III. *Negant multi posse actum aliquem clarè supra se reflectere.*

Difficultas ergo præcipua est, num dari possit actus aliquis qui clarè supra se reflectat. In primis, actum, quo Deus omnia clarè cognoscit, esse eiusmodi est certum, cum vnus & idem actus realiter cognoscat omnia, ergo & se. De actu creato maior est difficultas, & plurimi recentiores negant posse dari actum, qui clarè supra se reflectat, ac se cognoscat, quia, inquiunt, esset principium effectiuum sui. Sed contrà, hoc argumentum etiam probaret non posse dari actum qui confusè se cognoscat, & supra se reflectat, cuius tamen contrarium iam ostensum est sæpius contingere. Resp. ergo, duplex esse obiectũ, *motiuum,* & *terminatiuum,* non ergo est necessarium vt omne obiectum sit motiuum, seu efficiat actum à quo cognoscitur, sed sufficit vt illum terminet.

Contrarium est probabilius.

IV. *Omne obiectum non est prius cognitione.*

Vnde nec omne obiectum est prius cognitione, vt constat in cognitione Diuinâ, tum respectu sui tũ rerum possibilium, Imò esto in alijs obiectis verum foret, esse illa priora aliquo modo cognitionibus, & valere hanc causalem, *ideò cognoscuntur intuitiuè quia sunt,* non è contrà; in actu tamen reflexiuo sunt simul, conuertunturque subsistendi consequentiâ hęc duo, *ideo actus reflexus cognoscitur quia est,* & *ideo est quia cognoscitur,* cùm ipsum esse ipsius sit à seipso cognosci: realiter enim sunt eadem in hoc actu cognoscere & cognosci.

In actu reflexiuo idem est cognoscere, & cognosci.

V.

Dices; causam remotam esse naturâ priorem effectu; cùm ergo species sit causa immediata actus, & obiectũ causa speciei, tandem sequitur obiectum fore causam actus, & consequenter sui, cùm ipse actus

Non omne obiectum producit speciem sui.

ctus hic sit obiectum sui, sicque erit naturâ prior se. Resp. nõ omne obiectum necessario producere speciem sui, sed infundi subinde species sine concursu obiecti: quo in casu obiectum nec mediatè nec immediatè esset causa actus, & consequenter nec sui. Deinde, actus repræsentantes negationes & Chimæras non causantur ab obiectis, nec mediatè, cùm negationes & Chimæræ non possint producere speciem sui; ergo omnis actus non causatur mediatè vel immediatè ab obiecto. Nec etiam dici actus semper relationem ad obiectum, sicut nec principium producens ad effectum, quando scilicet idem vel producit vel cognoscit se; relatio enim semper est ad aliud.

Actus non dicit semper relationem ad obiectũ.

DISPVTATIO XX.

De Comprehensione.

SECTIO PRIMA.

Generalia quædam circa Comprehensionem.

I. *Non quæuis clara visio est comprehensio.*

COgnitio comprehensiua vt sit propriè talis debet in primis esse clara & quidditatiua, vnde actus fidei & opinionis hoc nomine à ratione veræ comprehensionis excluduntur. Nec etiam quæuis clara & intuitiua cognitio obiecti est propriè comprehensiua, sic enim visio beatifica vocatur subinde comprehensio, vnde de se ait S. Paulus ad Philip. 3. *sequor autem, si quo modo comprehendã*, & Beati vocantur *comprehensores*, licèt hoc alio modo explicari possit, nempe vt comprehendere illic idem sonet, ac finem vltimum intentum consequi, vel ad metam pertingere, vt optimè notauit S. Tho. 1. p. q. 12. ar. 7. ad primum. Visio tamen beatifica non est comprehensio propriè dicta, vt constabit ex dicendis sec. sequente.

Quo sensu Beati dicãtur comprehensores.

II. *Comprehensio triplex.*

Comprehensio triplex est *vulgaris, stricta, & strictissima*, *vulgaris* comprehensio est, quâ res aliqua cognoscitur, & termini & effectus, quos respicit naturaliter, cognoscuntur generatim, id est ita vt cognoscat quis rem illam esse talium effectuum productiuam: non tamen est necessarium vt effectus hi & termini perfectè cognoscantur. Comprehensio *stricta* est, quâ res cognoscitur, ac termini omnes & effectus eius sigillatim, & in particulari, ita vt nihil eorum, quæ ad rem illam spectant, lateat cognoscẽtem. Tertia demum & *strictissima* est, quâ res cognoscitur quantum cognoscibilis, non *extensiuè* tantum, vt in comprehensione strictâ, sed *intensiuè*, seu ita vt modus cognitionis sit modus obiecti. De quâ sect. sequente.

Vulgaris. *Stricta.* *Strictissima.*

III. *Comprehensio alia actualis, alia habitualis.*

Comprehensio alia est *actualis*, alia *habitualis*, seu virtualis. *Actualis* est actus aliquis quo cognoscuntur illa omnia, quæ spectant ad comprehensionem rei. *Habitualis* comprehensio est vis quædam in actu primo, quâ possit quis licèt non simul, saltem diuisiuè cognoscere omnes effectus, connotata, & terminos alicuius causæ: quando ergo habet quis virtutem in actu primo hæc omnia cognoscendi, dicitur habere comprehensionem virtualem. Ad vnam tamen vel alteram comprehensionem, habitualem scilicet vel actualem non requiritur vt cognoscantur effectus liberi existentes, cùm vt cognoscatur causa libera perfectè non requiratur magis cognosci effectum illius vt existentem, quàm eius carentiam, sed sufficit cognosci habere causam illam virtutem tales vel tales actus in particulari exercendi, & omittendi.

Quid requiratur ad comprehensionem causæ liberæ.

IV. *Vtrum ad comprehensionem requiratur, vt cognoscantur effectus, & termini supernaturales.*

Quæres vtrum ad comprehensionem requiratur vt cognoscantur effectus & termini supernaturales, quos causa vt eleuata respicit? Dico ad comprehensionem vulgarem non requiri, cum omnes communiter supponãt posse Angelum naturaliter comprehendere aquam, vel lapidem, & tamen naturaliter cognoscere non potest vtrùm sit productiua gratiæ necne, cùm naturaliter scire nequeat gratiam, & effectus supernaturales. Vtrum autem ad comprehensionem perfectam requiratur etiam, vt illi termini cognoscantur non ita constat. Mihi probabilius videtur requiri, nam per se loquendo arguit maiorem perfectionem posse eleuari ad huiusmodi effectus, quàm non posse: quo enim perfectiores sunt effectus, etiam supernaturales, eo maior censetur virtus causæ.

V. *Præcipua difficultas circa comprehensionẽ.*

Difficultas præcipua in hâc quæstione est, vtrùm qui rem quampiam, & omnia quæ in eâ formaliter & eminenter continentur sciret, eam comprehenderet: quam propterea fusiùs hic discutiemus. Quia verò res in particulari aliquo exemplo clariùs constabit, quàm si solum disputetur in genere, quæstionem circa Dei peculiariter cognitionem proponemus.

SECTIO II.

An qui Deum, & omnia quæ in eo formaliter & eminenter sunt, cognosceret, Deum comprehenderet.

I. *Certum est Deum ab intellectu creato comprehendi non posse.*

DEum ab intellectu creato nec de potentiâ absolutâ comprehendi posse, tanquam indubitatum suppono ex primâ parte, vbi communis Theologorum sententia id fide certum esse asserit: & licèt P. Vasqu. 1. p. d. 52. contẽdat non esse hoc de fide, ob summam tamen Doctorum hâc in re consensionem, variaque Scripturæ testimonia, quæ Deũ frequenter dicunt esse incomprehensibilem, temerarium saltem esset asserere Deum ab vllâ creaturâ posse comprehendi.

II. *Prima sententia asserit actum, qui Deum, & omnia in eo cognosceret, fore comprehensionem.*

Prima ergo sententia affirmat actum illum, qui Deum & omnia quæ in eo formaliter & eminenter sunt, cognosceret, fore Dei comprehensionem, ac proinde eiusmodi actum creaturæ communicari nõ posse: ita D. Bonau. in 3. d. 14. ar. 2. quæst. 3. Capreol. ibid. qu. 2. ar. 3. & in 4. d. 49. quæst. vlt. art. 3. Ferrar. 3. contra Gen. c. 56. Caiet. 3. p. quæst. 10. ar. 2. Sotus in 4. d. d. 49. quæst. 3. art. 3. Molina 1. p. qu. 12. ar. 7. & 8. Suarez l. 2. de Deo vno c. 26. & 3. p. tom. 1. d. 26. s. 3. Vasquez 1. p. d. 53. c. 4. Arrubal 1. p. d. 27. n. 8. Hurtad. hîc d. 10. s. 3. n. 34. Moncæus d. 2. c. 9. ex eo capite id affirmat repugnare quod visio illa in Deo non posset videre seipsam: quod etiam docet Hurt. citatus, & ex recentioribus non pauci.

III. *Secunda sententia negat actum, qui Deum, & omnia in eo cognosceret, fore comprehensionem.*

Secunda sententia è contrà asserit, etiamsi homo aliquis, vel Angelus Deum videret, & omnia quæ in eo formaliter & eminenter sunt ex vi huius visionis cognosceret, Deum nihilominus non comprehendendũ: ita Magister in 3. d. 14. §. *Quibus respondentes.* Alensis 3. p. qu. 13. n. 7. Greg. in 1. d. 44. q. 2. Durand.

in

sceret, sive comprehensio non.

in 3.d.14.q.2. n.4.& in 4 d.49 q.3.n.13. Ruiz d.6. de Scientia s.3 Erice 1.p.d.4.c.4. Arria.hic d.6.sect. 9.subs.2. Ouiedo hic cont.6.p. 5.n.7. estque satis communis hodie opinio.

IV. *Ad videnda infinita in Deo non requiritur visio infinita.*

Vt paulatim hac in re procedamus: Dico primò, ad videnda infinita in Deo, etiam specie diuersa non requiritur visio infinita. Ita S. Thomas 3.p.q.10.ar 3. ad 2. Erice d. 36.n.58.& 71. Tan 1.p.d.5.q. 5. num. 109.& 110. Moncæus d.2.c 4.& 6. Hurt. hic. d. 10.s. 3.nu.34. Arriaga d.6.de Animâ s.9.n.137.estq; cõmunissima opinio. Hanc conclusionem contra eos statuo qui ideo cognitionem omnium in Deo repugnare asserunt quia foret infinita.

V. *Visio Dei non est infinita, ergo nec infinitarum in eo creaturarũ.*

Probatur primò, ad videndum Deum obiectum simpliciter infinitũ non requiritur vel lumẽ vel visio infinita, ergo nec ad videndum in ipso infinita. Probatur consequentia, non est tantus excessus perfectionis quem infinita obiecta creata superaddunt Deo quàm inter Deum & albedinem, sed hic excessus non arguit virtutem infinitam in visione Dei, ergo nec alius.

VI. *Si esset alius Deus, visio vtriusque repræsentans non esset infinita.*

Probatur secundò, & Fingamus esse alium Deum Deo in perfectione æqualem, si daretur vna visio ad vtrumque terminata non esset infinita, nec enim superadderet secunda nisi adhuc tantam perfectionẽ ei quæ inest cognitioni, quam de facto habent Beati de Deo, ergo licèt cognoscantur infinita in Deo eâdem visione, non sequitur visionem fore infinitam, cùm infinitæ creaturæ non habeant tantum perfectionis quantum habet Deus. Quod argumentum vrget de vnâ visione, quæ repræsentaret solum Patrem, & de alia, quæ Patrẽ simul & filium: quod enim Filius in hac visione superaddit Patri est perfectius omnibus creaturis.

VII. *Possunt infinita videri extra Deũ, ergo & in Deo.*

Probatur tertiò Nam vt docet Suarez 3. p. tom. 1.d.27.sect 4 & Vasq. 1 p.d.49.c.2. & d.53.c.4.n. 17. non repugnat vt Deus non infinita solùm, sed omnia etiam possibilia sanctis extra Deum reuelet, ita vt creaturas videant concomitanter tantũ, & visione disparatâ, ergo & in Deo hæc omnia videre poterunt. Patet consequentia, si enim tota perfectio in vtroque obiecto videri potest visione finita, ergo obiectum illud non refundit infinitatem in visionem.

VIII. *Connexio inter Deum & creaturas nihil addit ex perfectione.*

Dices; non videri connexionem inter Deum & creaturas. Contra primò, hæc connexio ex parte obiecti nihil aliud est quàm Deus & creaturæ, si ergo hoc complexum videatur, videtur connexio, quantum est ex parte obiecti. Contrà secundò, si Deus & creaturæ videri possint visione finitâ, imò & duo Dij in casu illo fictitio, aut Pater & filius, vt dictum est num 6 quidni & hæc connexio videri etiam poterit visione finitâ, nec enim tantam perfectionem addit supra Deum & creaturas, vt ob eam solam dici debeat visio Infinita.

IX. *Non magis sequitur visionem esse infinitam specierum fore infinitã quam infinitorum indiuiduorũ.*

Probatur quartò, nullus penè negat posse infinita, numero tantùm distincta, videri visione finitâ, ergo & poterunt videri infinitæ species. Probo consequentiam, eadem enim calculatio fieri posset de indiuiduis, præsertim si in iis detur inæqualitas indiuidualis, vt in communi sententia conceditur; vnde sic argumentor, ad videndum vnum hominem in Deo requiritur vnus gradus visionis, ergo ad videndum duos plus requiritur, ergo ad infinitos homines in Deo videndos requiritur visio infinitè intẽsa. Quod si dicatur visionem illam infinitorum indiuiduorum crescere solùm secundùm minores & minores partes in infinitum, sicque non esse simpliciter infinitã, cum nõ crescat secundum partes æquales, seu arithmeticè, vt aiunt, sed tantũ geometricè, quidni idem dici posset de infimis speciebus? præsertim cum nõ videantur implicare plures, & consequenter infinitæ eiusdem perfectionis. Addo cum P. Suarez citato, non esse necessarium vt in visione repræsentantẽ infinitas species in Verbo sit hoc nomine vlla omninò intensio gradualis, cur enim implicet visio indiuisibilis quæ hoc præstet? sicut extra Deum eâdem cognitione indiuisibili cognosci potest albedo & nigredo, & obiecta quæque diuersissima.

X. *Visio repræsentans omnia possibilia in Deo non foret infinita.*

Dico secundò: ad videnda omnia possibilia in Deo non requiritur visio infinita. Ita auctores concl. præcedente citati. Probatur iisdem rationibus, quibus priorem conclusionem probauimus: si enim infinita in Deo visa non arguant visionem infinitã, certè nec omnia, maius enim est videre Deum quã reliqua omnia, cùm creaturæ nihil addant Deo perfectionis, nec perfectius intensiuè sit obiectum Deus & creatura, quàm Deus solus. Deinde sicut connexio illa quæ cernitur inter omnipotentiam Dei & effectus infinitos non arguit visionem infinitam, ergo nec cognitio connexionis cum omnibus.

SECTIO III.

Præcipuæ conclusiones circa comprehensionem.

I. *Qui Deum, & in eo possibilia cognosceret, non eum comprehenderet.*

Dico tertiò: Etiamsi quis Deũ & omnia possibilia in Deo videret, adhuc Deum non comprehenderet. Hanc conclusionem existimo à nemine negari posse. Probatur, qui Deum & omnia in eo possibilia videret, non cognosceret Deum quantum cognoscibilis est, ergo Deum non comprehenderet. Consequentia est clara, antecedens probatur posset adhuc vnum attributum Dei, nempe scientia, perfectius cognosci, ergo per actum illum non cognosceretur Deus quantum cognoscibilis est. Antecedens, in quo est difficultas, probatur, potest Deus seu attributum scientiæ cognosci adhuc in ordine ad impossibilia, quæ non minus clarè & perfectè nouit Deus quam possibilia, ergo per solam cognoscibilitatem Dei in ordine ad possibilia non exhauritur tota eius cognoscibilitas, & consequenter per huiusmodi actum non comprehenderetur.

II. *Qui Deum, & in eo possibilia omnia, & impossibilia cognosceret, non eum tamen comprehenderet.*

Dico quartò: Etsi quis omnia videret quæ in Deo sunt formaliter & eminenter, non eum comprehenderet. Ita auctores supra sect.2. in secundâ sententia relati. Imò S Fulgentius lib. ad Ferrandum in resp. ad 3. quæstionem, de facto hoc animæ Christi tribuit *Sanctissima*, inquit, *Christi anima nihil minùs habuit scientia quàm ipse Deus* & S. Isidorus in cap.40. Exodi de Christi animâ sic scribit, *sola enim sibi integrè nota est Trinitas, & humanitate assumpta.*

III. *Tunc aliquid comprehenditur quando scientia cognitione finitur.*

Ad huius conclusionis probationem notandum, comprehensionem variè sumi; primò, vt dixi sect.1. num.1. pro adeptione, quo sensu loquitur Apostolus 1. ad Corinth.9.v. 24. *sic currite vt comprehendatis.* Secundò pro contentione vnius rei intra superficiem concauam alterius, quæ comprehensio competit rebus materialibus. Tertiò demum strictè & perfectè dicitur aliquid comprehendi, quando vt ait S. Augustin. l. 12. de ciuitate. cap. 18. *scientiæ cognitione finitur.*

IV. *Comprehensio extensiua, & intensiua.*

En quibus verbis S. August. colligimus ad comprehẽsionem perfectam necessarium esse vt per cognitionem intentionaliter exæquetur, & exhauriatur obiectum, eiusque cognoscibilitati satisfiat, seu, vt communis habet definitio comprehensionis, *cognoscatur quantum cognoscibile est*, non extensiuè tantum sed intensiuè. Duplex proinde est comprehensio, *extensiua*, quâ ita cognoscitur obiectum, vt nihil lateat cognoscentem, quod semper ad comprehensionem requiritur: & *intensiua*, per quam eâ perfectione

cogno-

cognoscitur, & tam altè penetratur obiectum, atque cognosci & penetrari petit; quæ duo vbi conspirant, est perfecta comprehensio.

V. *Res creatæ non in physicam tantũ sui multiplicationem propendent, sed intentionalem.*

Quod vt meliùs intelligatur, notandum, res creatas ex natura suâ propendere non solũ vt se Physicè per realem generationem alterius sibi similis cõmuniter multiplicent, sed etiam intentionaliter, sicque res omnes habent actiuitatem, quâ vel per se vel per speciem ad cognitionem sui moueant, ac determinent.

VI. *In comprehensione non spectatur quam cognitionem res aliqua possit terminare, sed quam petat.*

Non tamen præcisè spectandum quam cognitionem possit obiectum terminare, cùm res quæque minimæ cognosci à Deo, & supercomprehendi possint, sed quam cognitionem per se loquendo petat. Sicut autem productio substantiæ non est tam perfecta in esse entis sicut effectus, sed solùm est illi proportionata in esse actionis, ita & comprehensio substantiæ perfectæ, vt quatuor debet esse perfecta vt quatuor in ratione cognitionis, non in ratione entis. Quando ergo eo modo cognoscitur obiectũ, quo petit cognosci non *extensiue* solùm, sed *intensiue*, tum verè comprehenditur, & commensurator ei cognitio: hoc autem si desit non cognoscitur adæquatè, nec satiatur eius appetitus, seu cognoscibilitas nec cognoscitur quantum cognoscibile est, sicut omnes fatentur ob hanc causam, licèt omnia in obiecto aliquo cognoscerentur probabiliter, non comprehensum iri obiectum.

VII. *Ratio cur Deus nequeat à creatura cõprehendi.*

Hinc manifestè constat cur nullus intellectus creatus possit comprehendere Deum, nec diuinitùs: esto enim extensiuè cognoscere possit quicquid in Deo formaliter est & eminenter, cùm tamen nulla cognitio creata possit per perfectionem suam intrinsecam exæquare intensiuè cognoscibilitatẽ Dei sed petat adhuc perfectiorem & perfectiorem cognitionem in infinitum, tanquam sibi parem in ratione cognitionis, consequenter non potest Deus ab vllâ cognitione creatâ cognosci intensiuè quantum cognoscibilis est, sed tantũ à diuinâ, quæ sola in ratione cognitionis tam perfecta est, ac Deus in ratione entis, & obiecti, estque ei adæquata. Quâ etiam de causâ non potest secundùm S. Thomam amari Deus quantum est amabilis, ab alio quàm ab ipsomet Deo Quam doctrinam ex S. Aug tradit S. Fulgentius ad Ferrandum his verbis: *Quia anima Christi non nouit Deitatem, ita vt Deitas sit, Deitatem non comprehendit.*

Deus à solo Deo amari potest quantum amabilis est.

VIII. *S. Thomas ait ad comprehensionẽ non sufficere vt nihil lateat videntem.*

Eadem est mens S. Thomæ variis locis, præcipuè verò q. 8 de veritate ar. 2. corp. & ad 2. vbi comprehensionis naturam ex proposito tractans ait ad eam non sufficere vt nihil lateat videntem, sed vlteriùs requiri vt *modus cognitionis sit modus obiecti*: id est vt non solùm videatur in actu signato modus quo obiectum petit cognosci, sed in actu exercito ita cognoscatur, vt est cognoscibile: & exemplũ affert actus opinionis, per quam ait esto repræsententur omnia, quæ sunt in propositione demonstrabili, & modus etiam quo cognosci petit, nempe demõstrabilitas, non tamen comprehenditur propositio illa, quia modus cognitionis non est modus obiecti, nẽpe demonstratio.

IX. *Declaratur vlterius mẽs D. Thomæ circa comprehensionẽ.*

Idem habet l. 3. contra Gent. ca 55. & 1. p. q. 14. ar. 3. & qo. 12 art. 7. in corp. & ad 2. vbi, inquit, *licet omnia quæ in obiecto sunt cognoscantur, si tamen non tam perfectè cognoscantur atque obiectum petit, non comprehenditur obiectum illud*: & hoc sensu explicat ille S. August. ad Paulinum vbi dicit tunc aliquid comprehendi *cum fines eius circumscribuntur*, quod ait S. Tho. intelligendum esse *quando modus cognitionis est modus obiecti*, alioqui per cognitionem non finitur; non *extensiue*, hoc enim modo cognitio probabilis, licèt omnia cognoscat, non tamen comprehendit secundum S. Thomam; sed *intensiue*, vt supra ostensum est.

Hinc ergo probatur conclusio ratione primò: per actum creatum, quo cognoscerentur omnia, quæ formaliter & eminenter sunt in Deo, non cognosceretur Deus quantum cognoscibilis est, nec cognoscibilitas eius finiretur, vt ait S. August. ergo non comprehenderetur, consequentia constat ex definitione comprehensionis, quæ est *vt aliquid cognoscatur quantum cognoscibile est*. Antecedens probatur, esto enim *extensiue* tunc cognosceretur Deus quantum cognoscibilis est, nõ tamen *intensiue*, cognitio enim, quam petit Deus tanquam sibi proportionatam, est ipsa cognitio diuina: sicut enim in ratione entis Deus est res omnium perfectissima, ita petit cognitionem in ratione cognitionis omnium perfectissimam, tanquam sibi proportionatam. X. *Ratione ostenditur hanc cognitionem non esse Dei comprehensionẽ.*

Secundò probatur: possunt alia Dei attributa cõmunicari creaturæ vt æternitas, angelus enim creari potuit ab æterno, & in æternum durare, ergo *extensiue* in hac ratione esse potest æqualis Deo, cùm tamen non minùs de Deo dicatur *qui solus habet immortalitatem*, quàm *quod sit incomprehensibilis*. *Intensiue* tamen duratio creaturæ non est in perfectione æqualis durationi Dei, cum nec sit infinita simpliciter, nec necessaria, hoc enim repugnat creaturæ. Quidni ergo & cognoscere omnia in Deo communicari poterit creaturæ, & habere etiam cognitionẽ *extensiue* æqualem cognitioni Dei? XI. *Creatura in duratione extensiuè esse potest æqualis Deo ergo & habere cognitionem extensiuam rerum omnium.*

Probatur tertiò: potest dari visio in vno angelo vel homine quæ repræsentet Deum & infinita in ipso, omnes v.g. angelos possibiles, & alia in eodem vel alio; quæ repræsentet Deum & in eo omnia animalia possibilia, vna quæ res omnes materiales, alia, quæ spirituales, vna, quæ Deum & res naturales, alia quæ ipsum & res omnes spirituales: nulla enim harum visionum esset Dei comprehensio, ergo saltem non repugnat Deum & omnia in ipso cognosci posse *extensiuè* à pluribus. Si tamen stare velint aduersarij exemplo comprehensionis materialis, quod tantopere vrgent, illa erit vera extensiua comprehensio cùm non minùs aqua in stagno aliquo contineri possit perfectè in variis paruis fossis, quàm in stagno. Hoc autem si semel habeamus, certè gratis diceretur non posse dari vnam visionem quæ omnia in Deo repræsentet, ex eo enim quod contineret in se perfectionem duarum vel plurium visionum finitarum, non sequitur vel illam fore infinitam, vel intensiuè æqualem Deo: de extensiua autem perfectione cognitionis nil refert, cùm duæ vel decem saltem visiones esse possint *extensiuè* æquales Dei cognoscibilitati; ergo conceptus comprehensionis non consistit in adæquatione extensiuâ, sed intensiuâ. XII. *Possunt dari duæ, vel tres cognitiones æquales cognoscibilitati extensiuæ Dei, ergo & vna.*

Confir. potest sigillatim vnus vel plures homines habere huiusmodi cognitiones, seu successiuè, ergo & simul, quid enim vetat dum Petrus habet visionem Dei, & omnium rerum supernaturalium in ipso, quin possit Paulus, vel idem etiam Petrus habere aliam, quâ videat Deum, & in eo omnia naturalia? XIII. *Successiuè possunt dari plures huiusmodi cognitiones extensiuæ, ergo & simul.*

Quartò probatur: ponamus cum probabili sententiâ, quam tenent plerique ex aduersariis, Deum non dicere relationem transcendentalem ad creaturas, & has omnes implicare præter vnum Angelũ ex. gr. In hoc casu Deus non minus esset incomprehensibilis, quàm modò, sicut in illâ sententiâ non esset minùs omnipotens, nec enim vnum attributum magis pendet à creaturis, quàm aliud, & tamen tunc videri possent omnia, quæ sunt in Deo formaliter & eminenter, cognoscique Deus *quantum cognoscibilis est extensiuè*, ergo in alio situs est conceptus comprehensionis, quàm in cognitione XIV. *Implicantibus omnibus creaturis præter vnũ, possent omnia in Deo videri, ergo & modò.*

ne

ne extensiua omnium, quæ sunt in Deo.

SECTIO IV.

Obiectiones contra naturam comprehensionis hoc modo explicatam.

I. *Propositio quædam de comprehensione cur damnata.*

OBiicitur primò, *Arnoldum de villa noua* damnatũ fuisse ab Inquisitione Tarraconẽsi ob hãc propositionem, *quam cito anima Christi vnita fuit diuinitati, ipsa sciuit omnia quæ diuinitas.* Resp. primò hãc censuram à nullo Concilio, vel Romano Pontifice cõfirmatam esse, vt notatur in decretorio illorum Inquisitorum. Secũdò, dico damnatum esse quod hoc ex erroneo principio dixerit, nam alioqui, inquit nõ potuisset constituere vnam personã cũ humanitate.

II. *Differentia inter comprehensionem corpoream, & intellectualem.*

Obiicitur secundò, ex S. Augu. dicente æquè cõprehendi aquam in vase, siue illud aureum sit, siue lapideum, aut ferreum, ergo ad comprehẽsionem parum refert quale sit id quod alterum cõtinet modo totum contineat. Resp. in comprehensione materiali perfectionem materiæ parum cõferre ad perfectiorem continentiam, imò frequenter metallum imperfectius perfectius aliquid continet. At verò in cognitione aliter res se habet, perfectior enim cognitio, sicut denominat potentiam perfectiùs cognoscẽtem, ita & obiectum perfectiùs cognitum, sicque diuersitas perfectionis in cognitione facere potest ad comprehẽsionem, vt omnes fatentur de actu cognitionis tãtùm probabilis, qui licèt *extensiuè* cõplectatur obiectum, non tamen illud comprehẽdit. Et idem iuxta communem sententiam est de sciẽtia nostra demõstratiua: cùm ad cõprehensionẽ requiratur cognitio intuitiua, seu visio obiecti primarij.

Res hac declaratur exemplo actus probabilis.

III. *Duplices fines cuiusuis rei, extensiui, & intensiui.*

Cùm ergo duplices sint fines cuiusuis rei, *extensiui & intensiui*, & obiectum vt comprehendatur cognosci debeat quãtum cognoscibile est, & cõsequẽter cognosci etiam debebit cognitione adæquata *intensiue*, alioqui omnes eius fines non circumscribuntur, ita vt *modus cognitionis sit modus obiecti*, quod tamen requirũt S. Thomas & S. Aug. ad comprehensionem, vt vidimus sectione præcedente.

IV. *Ex eo quod creatura non possit omnia producere, non sequitur nõ posse eam omnia cognoscere.*

Obiicitur tertiò: repugnat creaturæ posse omnia producere, vtpote quod est proprium omnipotẽtiæ, & attributum Dei, ergo & eidem repugnat omnia cognoscere. Contra, vnus Angelus non potest producere alium, & tamen potest eum cognoscere. Latiùs ergo patet cognoscere quàm producere, cùm & angelus & homo cognoscat Deum. Resp. itaque omnipotentiam, cum dicat vim producendi res independenter à concursu alterius, & non extrinsecè tantùm eas attingat, sicut cognitio, sed intrinsecè det iis esse reale, non metaphoricum solum & intẽtionale: Respondetur, inquam, arguere vim infinitam simpliciter, sicut etiam arguit eas cognoscere cum omnimoda independentia ab omni alio, non tamen cognoscere cognitione participata, vt in simili etiam diximus suprà de æternitate.

V. *Vis producendi fermè omnia cõmunicari posse creaturæ.*

Deinde dico, vim producendi fermè omnia, & omnipotentiam participatam posse obedientialiter communicari creaturæ iuxta sentẽtiam admittẽtem Potentiam obedientialem, vt ostendi d. 27. Phy. sec. 4. ergo saltem æquè latè patere potest vis cognoscẽdi omnia in creatura. Quod admittit P. Hurt. hic d. 10. l. 3. s. 3. n. 26. vbi dicit posse dari visionem, quæ Deum & omnia in eo repræsentet præter seipsam. Qui tamen ob hoc solùm affirmant Deum comprehendi non posse, non magis faciunt eum incomprehensibilem, quam angelum.

VI. Obiicitur quartò: ergo solus Deus rem quamuis minimam comprehendit, cùm ab eo solo sit perfectissimè cognoscibilis. Nego consequentiam, nec enim spectari debet quo modo possit obiectũ cognosci, sed quo cognosci petat: cùm ergo res creatæ finitam tantùm habeant cognoscibilitatem, nõ possunt vt sibi proportionatam exigere cognitionem simpliciter infinitam, vt comprehendantur. Res ergo creatæ per cognitionem sibi in esse cognitionis æqualem comprehenduntur, per cognitionem iis superiorem supercomprehenduntur.

Res creatæ, non cõprehendi tãtum possunt, sed supercomprehendi.

VII. *Res creata petit solùm mediatè cognosci à Deo.*

Et hinc soluitur quod obiiciunt nonnulli, angelum scilicet & materiam primam petere cognosci à Deo, cùm ab eo petant produci. Resp. enim petere quidem hoc titulo à Deo cognosci, sed mediatè solum, quod scilicet petant ab eo produci: nos autem loquimur de exigentia immediata, & sub conceptu cognoscibilitatis præcisè. Deinde non petunt cognitionem diuinam vt infinitam formaliter, sed quatenus in illa continetur eminenter perfectio finita ipsis proportionata: & licèt cognitio Dei tendens in has & alias creaturas sit infinita, hanc tamen infinitatem habet materialiter tantùm & identicè, & ex parte subiecti, quia scilicet identificatur hæc scientia cùm Deo, non ex parte obiecti: vnde si Deus esset finitus, aut angelus haberet potentiam creandi, vtriusuis cognitio esset huic exigentiæ adæquata.

Creatura non exigit hanc Dei cognitionẽ vt infinitã.

VIII. *Gratia nec cognoscibilitatẽ, nec amabilitatem habet infinitam.*

Eodem modo respõdetur ad id quod affertur de gratia, quæ vt amari, ita cognosci petit à Deo, cùm tamen amabilitatem & cognoscibilitatem non habeat infinitam, adæquatur scientia & amore limitatis. Licèt etiam, cùm constituat amicum, petat redamari à Deo, illum tamen amorem solùm petit secũdùm perfectionem illam amoris, quæ ipsius amabilitati est proportionata, infinitatem verò in illo amore concomitanter solùm & materialiter: si enim Deus amare posset amore solùm finito, posset amabilitatem gratiæ exæquare, vt de quauis creatura dicere debent omnes, quæ & cognosci & amari petit à Deo.

IX. *Multi putant mentẽ S. Thomæ circa comprehensionẽ fuisse dubiam.*

Mens S. Thomæ in hoc puncto ita dubia nõnullis visa est, vt Soto asserat multos ex discipulis S. Thomæ ipsum putasse hac in parte sibi fuisse cõtrarium. Hoc certum est ipsum quoties ex proposito agit de natura comprehensionis explicare eam semper in ordine ad perfectionem intensiuam, vt constat in exemplo ab eo toties allato *opinionis & scientiæ*. Quando verò in prima, & tertia parte dicit Beatos & animam Christi non videre omnia in Verbo, quia sic Deum comprehẽderent, probabiliter explicari potest tantum loqui de comprehensione extensiua, & illam de facto negare Beatis, & animæ Christi, docereque de potentia ordinaria fieri non posse, vt Deus & omnia in eo cognoscantur: quid verò de potentia absoluta fieri possit, non disputat.

X. *Quando res possint alias cõprehendere naturaliter, quã supernaturaliter.*

Omnis ergo creatura rationalis, quæ naturaliter habere in se potest speciem alicuius rei aptam elicere cognitionem illi vsquequaque adæquatam, potest rem illam naturaliter comprehendere: quæ vero supernaturaliter tantùm habere potest eiusmodi speciem, poterit eam comprehendere tantùm supernaturaliter. Ac proinde quæuis creatura rationalis, & sui, & rerum sibi inferiorum comprehensionem habere potest; quæuis enim natura rationalis creata elicere potest cognitionem æquè perfectam, ac petit natura inferior, non tamen hæc æquè perfectã ac superior. Rerum verò superiorum habere solùm potest comprehẽsionem supernaturaliter. Res quippe vt, quo perfectiores in se, eo perfectiores habent potentias cognoscitiuas, ita & perfectiores cognoscibilitates: Dei verò cognoscibilitatem nullus intellectus, præter diuinum, adæquare potest, vt dixi, & consequenter nec Deum comprehendere,

DISPVTATIO XXI.

De oppositione actuum intellectus inter se.

SECTIO PRIMA.

Possitne simul dari in eodem intellectu assensus & dissensus circa idem obiectum.

I. *Prima sententia affirmat posse simul stare assensum & dissensum.*

PArs negatiua videtur hactenus supposita vt certa contra Gabrielem in 4. dist. 10. q. vnica, a. 3. & Nominales communiter, quos ex parte sequuntur aliqui ex recentioribus, qui dicunt assensum & dissensum circa idem obiectum posse, saltem per Diuinam potētiam simul in eâdem anima, vel Angelo inueniri.

II. *Assensus & dissensus de eodem non possunt simul in eâdē anima reperiri.*

Prima conclusio: Assensus & dissensus de eodem obiecto non potest naturaliter in eadem anima vel Angelo simul existere. Ita Aristoteles 4. Met. vbi ait *perspicuum esse, fieri non posse vt idem simul rem eandem & esse, & non esse existimet.* Hæc conclusio clarius constabit ex conclusione tertia, si enim nec diuinitus stare simul possint assensus & dissensus, multo minus stare possunt simul naturaliter.

III. *Possunt poni simul diuinitus in lapide.*

Secunda conclusio: Assensus & dissensus circa idem obiectum possunt diuinitus poni simul in subiecto effectuum illorum formalium incapace, in ligno v.g. vel lapide. Hoc latius ostendetur infra n. 7. & 8.

IV. *Non possunt esse simul diuinitus in Anima, vel Angelo.*

Tertia cōclusio: Assensus & dissensus de eodem obiecto nec per potentiam Diuinam esse simul possunt in subiecto effectus eorum formalis capace, in eadem anima ex.gr. vel Angelo.

V. *Si assensus & dissensus esset simul, intellectus assentiretur falso cognito vt falso. Sicut localiter, ita nec intentionaliter potest quis moueri motibus cōtrariis.*

Probatur primò: implicat enim cōtradictionem vt intellectus iudicet id ita esse, quod euidenter scit nōn ita se habere. Secundò, impossibile est, vt intellectus assentiatur falso cognito vt falso: sicut enim in re ista duo se destruunt, & lumine naturæ notum est *non posse idem simul esse & non esse*, ita & se destruūt in cognitione: implicare quippe omninò videtur cōtradictionem vt intellectus, tam apertè pugnantia, esse simul posse sibi persuadeat, cùm sciat ea esse simul non posse. Tertiò, sicut non potest quis simul accedere & recedere localiter ab eodem termino, seu moueri motibus contrariis physicis, ita nec poterit moueri contrariis motibus intentionalibus, seu accedere simul & recedere ab eodem termino. Quæ ratio etiam probat in ordine ad Diuinam potētiam, nisi Deus statuat intellectum in duobus locis, sicut statuit corpus, cùm accedit & recedit simul ab eodem loco.

VI. *Si assensus, & dissensus essēt simul, posset quis efficaciter velle impossibile.*

Quartò: sequeretur posse aliquem efficaciter velle quod nouit esse impossibile, seu posse efficaciter conari facere id, quod nouit fieri non posse; quod tamen planè est impossibile, nec enim potest conari applicare media apta & proportionata ad efficiendum id, ad quod efficiendum nouit nulla esse mēdia apta vel proportionata. Dices; aliunde iudicat fieri id posse; mouetur ergo ad hoc faciendum ex vi huius iudicij, non alterius. Contrà, tam vnum deterret & impedit, quàm alterum mouet, ergo si excitaret ex vi vnius ad hoc prosequendum efficaciter, excitabitur etiā ex vi alterius ad efficaciter volendū non prosequi, ergo volet simul pugnantia cognita vt pugnantia, quod implicat.

VII. *Potest quis simul iudicare duo contradictoria esse probabilia.*

Dices primò; iudicare potest intellectus vtrumque contradictorium esse probabile, ergo & vtrique ex contradictoriis assentiri. Nego consequentiam; nulla enim est repugnantia vt vtraque pars cōtradictionis pro se habeat rationes probabiles: hoc enim in omni ferè opinione Philosophica contingit, sicque in hoc nulla inuoluitur contradictio.

VIII. *Cur esse possint simul in subiecto effectus eorum formalis incapace, non tamen in subiecto capace.*

Dices secundò; potest Deus collocare simul has duas qualitates, assensus scilicet & dissensus circa idem obiectum in lapide, aut alio subiecto effectus eorum formalis præcipui incapace, vt diximus supra, n. 3. ergo & in intellectu, ergo intellectus simul poterit saltem diuinitus assentiri simul & dissentiri eidē obiecto. Qui assensum & dissensum dicunt non cōsistere adæquatè in sola qualitate, de quo postea, facilè se ab hac difficultate expediūt, vt constat. Nunc autem in omni sententia respōdetur, solùm repugnare hos actus circa subiectum capax effectus illorum formalis, nā subiecto incapaci effectus formalis non insunt in quantum assensus & dissensus formaliter, sed in quantum qualitates solùm, vel accidentia; sub hac autem ratione non sibi repugnant; oppositio siquidem horum actuum non est respectu entitatum ipsarum præcisè, sicut est oppositio formæ & negationis, cùm hi actus formaliter contradictorij non sint, sed solùm virtualiter, vnus quippe actus nō est negatio alterius: magis tamen expressè opponūtur contradictoriè virtualiter, quàm quælibet ferè duæ aliæ res virtualiter sibi oppositæ cum ferantur formaliter in obiecta contradictoria.

IX. *Dissensus & assensus esse possunt in eodē spatio, quod fieri nequit in contradictoriis.*

Conf. nullus enim negabit quin possit Deus assensum huiusmodi & dissensum simul in eodē spatio imaginario conseruare, quod tamen fieri nō potest in contradictoriis, ergo repugnantia non est in ipsis entitatibus harumqualitatum præcisè, sed respectu subiecti, ergo non est etiam respectu cuiuscūque subiecti, sed subiecti apti ad recipiendum effectus illarum formales, subiectum enim effectuū horum incapax, quoad hoc perinde est ac nullum.

X. *Possunt duæ apprehensiones contradictoriarum esse simul in eodē intellectu.*

Notandum tamen, non eodem modo rem se habere in apprehensione: nec enim repugnat apprehendi simul duo contradictoria, imò hoc frequenter videtur contingere, cum quis proponit sibi aliquid, dubitando de illius veritate, seu proponendo sibi vtramque partem contradictionis, vel quando simul audit duas propositiones contradictorias, aut eas in charta scriptas legit, & dum legit posteriorem recordatur adhuc primæ. Imò potest quis simul apprehendere vnum, & iudicare contradictoriū, quod semper contingit dum Catholicus agit cum hæretico contra fidei articulos disputante. Ratio est, quia simplex apprehensio non fertur adhærēdo, nec aliquid intentionaliter ponendo in obiecto, sicut iudicium: apprehensiones enim rei solùm proponunt intellectui, non affirmant, ac proinde nulla sequitur contradictio: nec etiam illa inferuntur inconueniētia in apprehensionibus, quæ in iudiciis suprà inferri ostendimus.

Imò potest quis vnum apprehendere, & alterum iudicare.

XI. *Nequit voluntas efficaciter velle contradictoria.*

Ex his infero, idem dicēdum de voluntate, nempe non posse ferri simul efficaciter in duo contradictoria iudicata vt talia, licèt in se contradictoria nō sint: voluntas enim non fertur in obiecta prout sunt, sed prout repræsentantur. Non tamen repugnat dari simul duas simplices complacentias de contradictoriis, sicut supra vidimus de apprehensionibus: sicut nec repugnat voluntas efficax circa rem aliquā, & inefficax seu simplex complacentia de opposito, vt contingit dum quis in tempestate inuitus merces proiicit in mare. Ratio est, quia simplex complacē-

tia

Potest voluntas efficaciter velle vnum, & inefficaciter contradictorium.

tia non est absoluta voluntas aliquid faciendi, sed solùm quædam velleitas, & retardatio quasi voluntatis efficacis cōtrariæ, dum simul inueniuntur: Vnde sicut in motu locali non potest quis simpliciter ferri simul versus terminos oppositos, potest tamen motu contrario inefficace, vt ita dicam, impresso ab alio agente retardari: ita & in præsenti in motu intentionali voluntario.

SECTIO II.

De oppositione actuum fidei, opinionis, & scientiæ: vbi etiam de certitudine & euidentia: de apprehensione etiam, iudicio, & discursu.

I. *De scientia, opinione, & fide dictum est in Logica.*

DE actibus fidei, opinionis, & scientiæ fusè disputatum est in Logica d. 50. per totã: nec quidquam hic occurrit adiiciendum. De apprehensione etiam, iudicio, & discursu ibidem latè dictum est d. 6. & d. 47. De certitudine etiam & euidentia d. 49. hic tamen quædam obiter adiiciam.

II. *In quo consistat certitudo, & euidentia actuum.*

Certitudo ergo & euidentia substantialis actus in hoc consistunt, quòd talibus nitatur principiis, si sit cognitio mediata; vel tali connexione terminorum perfectè penetrata, si sit immediata. Vnde Angelus intuens hasce cognitiones videbit nihil in iis esse, ratione cuius is qui eos elicit, si supra suos actus, vel illorum principia reflectat, formidare possit de eorū veritate, & conformitate cum obiectis. Quo autem principia sunt plura, firmiora, & euidentiora, perfectiusque penetrata, eo etiam actus sunt certiores, euidentiores, & clariores substantialiter: vt actus quo quis iudicat & cognoscit se existere, est certior & euidētior actu quo cognoscit esse Petrum illum quicum loquitur, & alia huiusmodi. Est autem certitudo & euidentia actibus intrinseca, & ille actus præter dicta dicitur clarus, quo ita quis percipit obiectum, vt illud ab aliis distinguat, & quo magis distinguitur seu discernitur obiectum, eo dicitur actus clarior.

Certitudo & euidentia sunt actibus intrinsecā.

III. *Hi actus intellectus optimè declarantur per actus voluntatis.*

Diuersitas hæc in substantiali perfectione actuum intellectus, optimè explicatur in simili in actibus voluntatis: diuerso enim modo fertur quis in vnum obiectum per amorem, quàm in aliud; nec perfectissimo modo substantiali fertur quis semper in obiectum, in quod tendit per actū maximè intensum: plurimi namque magis intensè amant rem aliquam leuem, & parui momenti, vt diuitias, de quibus semper penè cogitant, quàm Deum: amore tamen *appretiatiuo*, qui est substantialiter perfectior, & alterius rationis, magis amant Deum, id est, si alterum ex duobus esset relinquendum, Deus scilicet aut diuitiæ, millies citiùs relinquerent diuitias quā Deum, & ex vi illius amoris præferrent Deū diuitiis. Quod signum est, actum illum esse altioris rationis & ordinis, & in perfectione substantiali superare amorem diuitiarum, quamuis ab illo superetur in perfectione graduali.

Amor appretiatiuus.

Differentia inter amorem intensum & appretiatiuū.

Licèt ergo nō possit esse vna cognitio verior, vel falsior formaliter alia, vt in Logica diximus, cùm veritas consistat in indiuisibili, potest tamen vna cognitio esse certior & euidentior alia, idque non gradualiter tantum, sed substantialiter, quia niti potest pluribus & certioribus principiis, vel perfectius penetrare connexionem extremorum inter se. Sic actus Angelorum, etiam circa eadem obiecta, sunt nostris longè clariores. IV.

Vna cognitio nequit esse verior aut falsior alia, potest esse certior & euidentior.

Quæri hic solet, vtrùm iudicium sit simplex qualitas, an ex tribus actibus compositum? Resp. esse simplicem qualitatem, sicut etiam est simplex qualitas apprehensio complexa, quā scilicet quis duos terminos sibi inuicem vnitos, vt *paries albus*, vel integram etiam propositionem mente cōcipit, vt *anima est immortalis*. V.

Iudicium est simplex qualitas.

Probatur; licèt enim sæpe contingat, quādo quis audit alium successiuè proferentem propositionem aliquam, vt ipse etiam successiuè apprehēdat extrema, & per diuersos actus, hi tamen actus non sunt iudicium, sed duæ vel tres apprehensiones simplices: postea verò vbi loquens absoluit propositionem totam, tunc audiens cùm per apprehensiones præcedentes, quæ etiamnum manent, habeat sibi sufficienter proposita extrema, & obiectum applicatum, per alium actum indiuisibilē assertiuè profert quasi sententiam, & iudicat extrema illa inter se vniri. Nec enim duæ vel tres apprehensiones simplices faciūt vnum iudicium; stantibus enim adhuc his apprehēsionibus dubitamus frequenter vtrùm obiectum ita sit à parte rei, necne, seu vtrùm extrema illa inter se vniantur; vt cùm apprehendimus stellas & paritatē, licèt per aliam tertiam apprehensionem apprehendatur etiam vnio, dubitamus nihilominus vtrùm pares sint, an impares: ergo hæ apprehēsiones nō sunt vnio iudicatiua. VI.

Probatur iudicium esse vnum actum simplicem.

Positis tribus apprehensionibus dubitamus an obiectū ita sit, ergo iudicium iis non consistit.

Quòd verò iudicium sit vnicus actus simplex cognoscens tam extrema quàm vnionem, probatur: nam actus iudicij cognoscit necessariò vnionem identitatis exercitam inter duo illa extrema, hominem v.g. & Petrū in hac propositione, *Petrus est homo*, ergo hic actus necessariò fertur etiam in extrema: ergo licèt apprehensiones quædam priùs natura prærequirantur ad hunc actum, in hoc tamen solo consistit iudicium. VII.

Iudicium assertiuè extrema vnit inter se.

Quādo autem dicitur, propositionem esse compositam, & habere extrema, sermo solùm est de propositione vocali, nam propositio mentalis non alio modo habet extrema, quàm propositio obiectiua, dum dicimus *Petrus est homo*, nempe formaliter, & ratione nostra. Vnde sicut ex parte obiecti, ita ex parte cognitionis dari poterunt ratione nostra diuersæ formalitates formalitatibus obiectiuis correspondentes. VIII.

Propositio mentalis solum habet partes ratione distinctas.

DISPVTATIO XXII.

De actuali intellectione.

SECTIO PRIMA.

Refelluntur duæ opiniones circa naturam intellectionis.

I. *Prima sēt. intellectionem consi-*

PRima sententia est quorundam, qui dicunt consistere cognitionem, seu intellectionem in sola actione, & hãc sine termino vllo producto reperiri; licèt in modo explicandi nonnulla inter eos sit diuersitas: quoad primum enim, quòd scilicet intellectio consistat in sola actione physica videtur hæc sententia Conimbr. l. 3 de An. c. 8. q. 3. a. 3. & 4. quoad vtrūq; verò id asserunt alij nōnulli.

stere ait in sola actione physica.

II. *Implicat actio physica sine termino.*

Sed quoad secūdum falsa est hæc sententia: actio enim essentialiter est via ad terminum, & ipsum fieri ipsius, ergo implicat cōtradictionem vt detur fie-

ti,& tamen nullius fieri, & aliquid quod sit essentialiter via,& nihilominus ad nullum terminum: sicut ob eandem rationem implicat secūdùm omnes vt detur vnio & tamen nullius vnio; non minùs autem essentialiter respicit actio terminum, quàm vnio extrema.

III. *Ostenditur intellectionem non consistere in sola actione physica.*

Quoad primum etiam non placet hæc sententia primò, quia actio physica ex conceptu suo est solùm via ad terminum. Deinde, Deus tam agit seu producit actionem illam quàm intellectus creatus, & tamen non viuit per eam, ergo viuere & intelligere non est præcisè agere hanc actionem. Præterea, illa qualitas producta per actionem, seu illud verbum est formalis repræsentatio obiecti, ergo cognitio, ergo actio sola non est cognitio & repræsentatio obiecti. Imò, non est omninò cur actio sit repræsentatio, cùm verbum hoc per actionem productum sufficienter id præstet: sicut nullus dicit parietem reddi album, aut aërem lucidum, vel totaliter vel partialiter per actionem productiuam albedinis, aut lucis, nec ob aliud requiritur actio quàm vt producat hos terminos, & vt hos effectus tribuat remotè & causaliter, non formaliter.

IV. *Qualitas illa producta, seu verbum est formalis repræsentatio obiecti.*

Dices; verbum illud non est formalis repræsentatio obiecti, sed est aliquid prius cognitum. Cōtra primò, hoc habere non potest verum in omni cognitione; sequeretur enim hinc visionem, & sensationes omnes non ferri immediatè in obiecta, sed in idolum quoddam prius cognitum, ergo visio albedinis non esset intuitiua. Idem est de cognitione intuitiua Angelorum, imò & de visione ipsa beatifica, quam sequeretur non ferri immediatè in Deum, sed in huiusmodi qualitatem prius cognitam, & consequenter Beatos non videre Deum in se, quod tamē iuxta omnes est falsum. Contra secundò, verbum illud, seu qualitas producta per actionem, cognoscitur immediatè, iuxta hos auctores, per hāc actionem, quid ergo vetat obiectum ipsum immediatè per eandem cognosci? ergo superflua erit hæc qualitas, & verbum in hac sententia, sed sufficit sola actio; quæ simul erit actio & verbum, seu productio & repræsentatio: quæ est sententia quorundam recentiorum iam referendæ.

V. *Secunda sententia ait intellectionē consistere in sola qualitate, quæ sit sua productio,*

Secunda ergo sententia est quorūdam recentiorum, qui intellectionem omnem dicunt consistere adæquatè in termino, seu qualitate productā: hanc tamen qualitatem asserunt produci seipsa, & esse nō solùm actionem intentionalem, seu grammaticalē, vt aiūt, qua scilicet denominamur intelligentes, sed etiam actionem physicam, eo modo quo aliqui in physicis dixerunt Angelum non produci per actionem distinctam, sed esse suum *produci*, & actionem physicam, seu creationem.

VI. *Ratio est: quia est determinata ad tale principium, sicq; sua actio.*

Hanc sententiam tenet P. Ouiedo hic cont.6.p.1. n.19. & alij. Ratio horum est, quia actus vitalis, seu qualitas illa procedere petit à principio in quo recipitur, seu à principio vitali, ergo est ex natura sua determinata ad talem causam, ergo non est indifferēs ad plures, ergo nil opus actione distincta, cùm hæc ideò solùm dicatur requiri, vt effectum ex se indifferentem ad dependendum à variis causis determinet, vt potiùs ab hac dependeat quàm ab illa: ergo vbi nulla est indifferentia & indeterminatio, nil opus determinatiuo, sicque qualitas illa erit sua actio.

VII. *Contra, gratis dicitur qualitatem illā non esse ad varia principia partialia indifferentem.*

Sed contra primò, gratis enim dicitur non esse indeterminatam qualitatem illam vt pendeat à diuersis agentibus saltem partialibus; quidni enim (nisi petatur principium) potest actus seu qualitas, quæ producitur nunc à sola potentia, postea conseruari à potētia simul cum habitu, vel etiam primò ab habitu partialiter produci? Deinde, actus supernaturalis, charitatis v.g. qui primò producitur per auxiliū Dei extrinsecum concurrens simul cum anima, nulla ratio reddi potest, nisi similiter petatur principiū, cur conseruari postea nequeat ab habitu charitatis loco auxilij illius extrinseci concurrentis.

VIII. *Potest qualitas illa, saltem supernaturaliter produci à variis principiis.*

Contra secundò, cur saltem per Diuinam potentiam eleuari nequit aliquid ad actus illos, seu qualitates, simul cum potentia producendas? Nulla apparet ratio, posita potentia obedientiali, quam hi auctores admittunt, cur hoc fieri nequeat; ergo produci necessariò debet hæc qualitas per actionē distinctam, cùm sit indifferens vt à variis causis, saltem partialibus, producatur: ergo ad hanc indifferentiam tollendum requiritur actio.

IX. *Si actus esset sua productio, habitus naturalis deberent posse simpliciter.*

Contra tertiò, habitus naturales secundùm omnes non dant simpliciter posse, sed solùm facilè; sed in hac sententia habitus naturales darent posse simpliciter, ergo. Minor probatur, tunc dicitur aliquid dare esse simpliciter, quando effectus simpliciter nō posset esse sine illo, sed in hac sententia actus qui elicitur ab habitu aliquo naturali, nec per Diuinam potentiam elici posset sine illo habitu, ergo. Probatur minor, actus ille seu qualitas, secundùm hos auctores est simul actio, sed actio quæ procedit ab aliquo agente, non potest nec per Diuinam potentiam existere nisi ab illo, ergo agens illud & principium essentialiter requiritur ad hanc actionem, & consequēter ad actum & quantitatē. ergo habitus ille naturalis huic actioni, seu qualitati dat esse simpliciter.

SECTIO II.

Duæ aliæ sententiæ circa naturam intellectionis.

I. *Tertia sententia asserit intellectionem includere & qualitatem & actionē physicam.*

TErtia sententia asserit intellectionem includere non qualitatem tantùm, seu actionem grammaticalem, sed etiam physicam, atque adeò in conceptu suo dicere productionem & receptionem illius qualitatis, essentiamque illius in his tribus adæquatè consistere, nempe in qualitate ipsa, in actione illius productiua, & in passione seu receptione. Pro hac sententia citari solent ex antiquis Capreolus, Medina, Sotus, & alij, & quibusdam in locis in eam inclinare videtur Suarez, vt Tom.1. in 3. p.d.24.s.2. concl.3. & alibi: tenet Molina 1. parte, qu.12. art.2. Lessius, & alij ex recentioribus: præcipuus tamē fautor huius sententiæ hoc nostro sæculo est P. Hurt. d.6. de Ani. per sectiones varias & subsectiones, quē plurimi ex recentioribus sequuntur, & acriter hanc sententiam propugnant.

II. *Actio physica nō magis ingreditur conceptum intellectionis, quā conceptum albi, aut lucidi.*

Impugnatur tamē hæc sententia primò: esto nūquā haberi nequeat hæc qualitas sine actione illius productiua (cùm enim sit quid creatum debet necessario per actionem aliquam produci) non tamen propterea sequitur actionem illam productiuam ingredi conceptum formalem intellectionis, magis quàm cōceptum formalem albi aut lucidi ingreditur actio productiua lucis vel albedinis, aut actio pingendi dat obiecto formaliter denominationem repræsentati. Conf. si ex eo quòd actio qualitatem, seu actum hunc necessariò comitetur, dicat quis actionem ingredi conceptum formalem, ergo etiam conceptum cuiusque rei ingredietur vbicatio & duratio, cùm non minùs sine iis res esse non possit quā sine actione productiua. Conf. secundo, actio ex cōceptu suo solùm est via ad terminum, seu illius productio, nec ad aliud munus deseruit, ergo non intelligimus per illam formaliter, sed solum per terminū seu qualitatem ab ea productam.

III.

Secundò impugnatur: intelligere formaliter est formaliter repræsentare obiectum; sed sola qualitas est repræsentatio, ergo per solam qualitatem intelligimus.

Sola qualitas est repræsentatio obiecti, ergo sola qualitas est intellectio.

gimus. Minor probatur, actio non est formalis repræsentatio, & imago obiecti, sed solùm causalis, seu productio repræsentationis formalis, ergo repræsentatio consistit in sola qualitate. Conf. ab eo denominatur potentia repræsentãs, à quo denominatur obiectum repræsentatũ, sed obiectũ denominatur repræsentatũ à sola qualitate, nõ ab actione, ergo &c.

IV. *Sola qualitas est imago obiecti, ergo si ponatur in subiecto apto tribuet ei effectum suum formalem.*

Tertiò impugnatur: sola qualitas, vt dixi, est formalis repræsentatio, & imago obiecti, ergo ipso facto quòd ponatur in subiecto apto dabit illi suam denominationem, & effectum formalem: hoc siquidem omnibus formis accidentalibus, vt calori, frigori &c. cõpetit; ipso facto enim quòd sint in subiecto apto, tribuunt effectum formalem, à quocunque demum producantur, cùm effectus formalis primarius nihil aliud sit, quàm forma in subiecto apto. Si ergo Deus solus produceret hanc qualitatẽ, & eam vniret intellectui, ei proportionato, tribueret necessario effectum suum formalem, illumque denominaret repræsentantem, seu cognoscentem obiectum. Quod etiam contingit in imagine picta, quæ quamuis esset à se, non minùs rem, cuius est imago, referret, & denominaret repræsentatam, quam si ab illa, vel ab alio quopiam produceretur.

V. *Dicunt repræsentare mortuo modo.*

Dices; tunc mortuo tantùm modo produci illam qualitatem, ac proinde non habebit effectum. Contrà primò, modus producendi nihil iuuat ad effectum formalem, si consistat adæquatè in qualitate, ergo si repræsentatio cõsistat adæquatè in sola qualitate, vt manifestum videtur consistere, quocunque modo producatur, tribuet necessario effectum suũ formalem. Contrà secundò, denominat potentiam repræsentantem & percipientem obiectum, ergo nõ mortuo modo; tali enim modo redderetur tunc homo cognoscens obiectum illud, vt maneret in eius intellectu notitia illa, & loqui de ea posset; posteaque illius recordaretur, imò & ex vi illius moueri posset voluntas ad amorem: quid ergo illi deest vt repræsentet obiectum vitaliter? Contra tertiò, ipsa qualitas est essentialiter vitalis, ergo quandocũque est in subiecto vitali apto ad recipiendum effectum illius formalem, dabit et denominationem viuentis, & consequenter cognoscentis vitaliter. Cõf. si esset in subiecto non apto ad recipiendum effectum illius, tribueret tamen ei denominationem habentis qualitatem vitalem, ergo plus tribuet subiecto apto, cùm secundùm proportionem capacitatis subiecti, crescat semper effectus formalis. Pluribus hanc sententiam impugnabimus in probatione nostræ.

Si obiectum verè repræsentet intellectui, non potest id facere mortuo modo.

VI. *Quarta sententia asserit intellectionem consistere in sola qualitate.*

Quarta sententia affirmat intellectionem in conceptu suo essentiali non includere actionem physicam, esto sine ea naturaliter dari non possit, sed ait consistere adæquatè in sola qualitate, & verbo mentis seu actione, vt vocant grammaticali. Vnde asserunt multi ex auctoribus huius sententiæ, posse aliquẽ diuinitus intelligere licèt ipse physicè ad qualitatem illam non concurrat, sed infundatur à solo Deo. Ita quoad priorem partem Vasquez variis locis, sed præcipuè Tom. 1. in 1. p. d. 141. c. 4. n. 20. tenet Scotus in 3. dist. 13. qu. 3. & alibi. Durandus in 4. dist. 49. q. 2. Caiet. 1. par. q. 79. a. 2. Ferrar. l. 2. cont. Gent. c. 9. & 82. Capreol. in 2. d. 1. q. 2. ar. 3. ad 12. Henricus quodlib. 11. q. 3. Soncinas l. 9. Met. q. 21. Valencia 2. p. d. 6. q. 5. pu. 1. Salas 1. 2. q. 3. tr. 2. d. 2. sec. 4. qui innumeros de more citat, Arriaga hîc d. 6. s. 2. n. 37. & aliis, & videtur expressa mens S. Thomæ 1. par. q. 54. a. 1. ad 3. vbi sic habet, *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam. In qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem.* Hæc sanctus Doctor.

S. Thomas docet intellectionẽ sitam esse in sola qualitate.

SECTIO III.

Præmittuntur quædam circa naturam intellectionis.

I. *Vita duplex, physica, & intentionalis.*

ANtequã statuamus quid hac in parte tenẽdum sit, notandum vitam duplicem esse, physicam & intentionalem, de quibus suprà dictum est d. 6. s. 4. & 6. Vita physica in actu secũdo cõsistit in actuali productione vitæ intentionalis per actionem physicam. Vita intentionalis in actu secundo est qualitas quædam habita cõnaturaliter ab intrinseco, quæ per suam entitatem est tendentia quædam in obiectum, per quam potentia vitalis denominatur videns, intelligens, amans &c.

II. *Hæ duæ vitæ vt plurimum reperiuntur cõiunctæ.*

Notãdum secundò: licèt hæ duæ vitæ in actu secundo, vt plurimùm saltem, reperiantur cõiunctę, nam Angeli, homines, & animalia efficiunt suas operationes, & qualitatem illam intentionalem, per quam percipiunt obiecta; nil tamen vetat vnam vitam reduci ad actũ, saltem supernaturaliter sine alia, sicque vt aliquid viuat intentionaliter, licèt non viuat physicè in actu secundo: viuere enim physicè in actu secundo in creans, est, vt dixi, per actionẽ physicam producere vitam intentionalem. Vnde licèt non possit aliquid viuere physicè, producendo in se hos actus, quin viuat intentionaliter, cùm ipso facto quod habeat qualitatem illam seu actionem intentionalem sibi vnitam, sicque subiectum capax necessario viuat intentionaliter: è contra tamen nil obstat quominùs viuere possit intentionaliter, quantumuis non viuat physicè: potest enim aliunde, saltem supernaturaliter, habere qualitatem illam sibi vnitã, licèt eam in se non producat: sicque tunc haberet exercitium vitæ intentionalis, licèt non haberet exercitium physicæ.

Potest vita intentionalis in creatis separari à vita physica.

III. *Quare iuxta S. Thomam qualitates intentionales vocentur actiones.*

Tertiò notandum circa has qualitates intentionales: ideò eas vocari actiones, vt ait S. Thomas, tũ quia verè reddunt potentias, in quibus sunt, aliquid agentes: & sicut actiones physicæ dant denominationem tendentis in terminum suo modo, id est, physicè, ita hæ denominant potentiam tendentem etiam in obiectum suo: qua de causa verbis semper actiuis & passiuis, eodẽ modo enuntiantur, quo illę.

IV. *Declaratur magis ratio S. Thomæ.*

Quemadmodum ergo dicimur per actionẽ physicam solem producere, lucem verò vel metalla produci; ita & intellectum dicimus cognoscere per has actiones, seu qualitates, & obiectum cognosci. Præcipuè verò dicuntur actiones, quia sicut per actionem physicam verè agens tendit in passum vel terminum, illumque veluti possidet, ita per actionem intentionalem, intellectionem ex gr. cognoscens cõprehendit, & quasi possidet aliquo modo obiectum in ordine ad operationes aliquas circa illud exercẽdas, vt ad amandum illud, vel odio habendum, ad sermonem de eo serendum, &c. ergo aliqua est similitudo & paritas inter has actiones & physicas, nec merè gratis dicuntur actiones & tendentiæ.

V. *Intellectio, visio, &c. sunt qualitates intentionales.*

Dico primò: huiusmodi qualitates intellectio scilicet, visio &c. sunt qualitates intentionales. Conclusio est in confesso apud omnes & probatur apertè: qualitas intentionalis est illa, qua principium vitale intentionaliter fertur in obiectum, illud repræsentando, vel appetendo, seu per quam principium vitale possidet aliquo modo obiectum, sitque illius compos in ordine ad aliquas operationes, modo suprà n. 3. ex S. Thoma declarato, sed omnis actus intellectus, & voluntatis, seu qualitas huiusmodi à potentia cognoscitiua & appetitiua elicita, est talis, vt patet, ergo.

VI. Dico secundò istæ qualitates sunt etiam physicę.

Visio, intellectio, &c. sunt etiam qualitates physicæ.

Hoc licèt expressè nõ asseratur ab auctoribus quartæ sententiæ sectione præcedente relatæ, explicatis tamen terminis facilè constabit. Illæ ergo qualitates educuntur ea potentia animæ, in ea subiectantur, verè illam immutant; producuntur item per actionem physicam, ergo quoad hæc conueniunt cum gratia, lumine gloriæ &c. imò & cum luce, calore, & albedine respectu suorũ subiectorum; sed hæ sunt qualitates physicæ, ergo & illæ.

SECTIO IV.

Statuitur in quo situs sit conceptus intellectionis creatæ.

I. *Conceptus intellectionis non includit actionem physicam.*

PRima conclusio: conceptus intellectionis & vitæ intentionalis, esto naturaliter eam comitetur actio physica, in formali tamen suo conceptu actionem physicam nõ includit. Ita auctores quartæ sententiæ sectione secunda, n.6. citati. Præcipua huius probatio sunt impugnationes tertiæ sententiæ suprà sectione secunda positæ.

II. *Intellectus tendit in obiectum adæquatè per qualitatem, ergo per solam qualitatem intelligit.*

Ratio tamen vlterius est, primò: quia vita intentionalis in actu primo solũ dicit in formali suo cõceptu vim tendendi intẽtionaliter in obiectum; sed tendit adæquatè intentionaliter per qualitatem, ergo per solam qualitatem viuit intentionaliter in actu secundo, seu, quod eodem recidit, ergo sola qualitas est illius exercitium intentionale in actu secũdo, & vita actualis: sicque viuit intentionaliter per solam qualitatem. Conf. per illud solum viuit intentionaliter, per quod tendit intentionaliter in obiectum, sed hoc est sola qualitas per quam nimirum solam repræsentat obiectum, ergo.

III. *Aliis denominationibus non ingreditur actio, ergo nec denominationem intelligentis.*

Secundò probatur conclusio: in alijs denominationibus & effectibus formalibus non ingreditur actio, ergo nec in denominatione intelligentis. Antecedens probatur, ad denominationes enim albi, calidi, lucidi, &c. licèt necessario requiratur actio aliqua productiua, quasi præuium quiddam, non tamen actionem formaliter includunt, vt suprà dixi, sed cõsistunt adæquatè hi effectus formales in forma, subiecto, & vnione, ergo & effectus formalis intelligentis in his consistit. Vnde sicut in illis parum refert qualis sit actio per quam producuntur, generatiua, an creatiua, naturalis, an supernaturalis, vna, an duplex &c. ita & in præsenti.

IV. *Intellectio non est actio physica, sed intentionalis.*

Dices primò; intelligere est agere, & intellectio est actio, ergo non consistit conceptus formalis intelligentis in sola qualitate, sed intrinsecè includit actionem. Distinguo antecedens, intellectio est actio physica, nego antecedens; actio intentionalis, concedo, vt iam ostensum est.

V. *Intelligere non est viuere physicè, sed intentionaliter.*

Dices secundò; intelligere est viuere, ergo includit actionem. Distinguo eodem modo antecedens, est viuere physicè, nego antecedens; intentionaliter, concedo: viuit autem intentionaliter principium vitale ipso facto quòd habeat in se hanc qualitatem, quæ essentialiter est vita intentionalis, cui licèt naturaliter coniungatur vita physica, seu actio physica vitalis, illius tamen conceptum non ingreditur, sed solùm habet se concomitanter, vt suprà est declaratum.

VI. *Actio intentionalis æquè dare potest denominationem intentionalem subiecto, atque actio physica physicam.*

Probatur tertiò: sicut actio physica, quia vita physica, potest denominare principium viuens physicè, quidni actio intentionalis, cùm sit vita & tendentia intentionalis, poterit denominare principium intẽtionale viuens intentionaliter? Nec obstat, quòd hæc qualitas connaturaliter petat procedere à principio cui inest: licèt enim forma materialis petat connaturaliter procedere, seu produci in genere causæ materialis à materia, si tamen Deus solus illam produceret per creationem, & vniret materiæ, non minus faceret vnum per se cum illa quàm si educeretur, & produceretur modo cõnaturali: ergo eodem modo philosophari licebit in nostro casu.

VII. *Intellectio, visio &c. non sunt modi.*

Secunda conclusio: licèt multi, & nõ improbabiliter, dicant qualitates hasce intentionales esse vniones sui ad sua subiecta, & consequenter modos: probabilius tamẽ est, & dictis in Physicis d.34. sect. 3. conformius eas non esse modos, sed per vniones distinctas subiectis suis vniri.

VIII. *Intellectio est modus respectu obiecti, non subiecti.*

Ratio est; essentialis enim affectio, seu vnio, visionis ex.g. cum subiecto non est de conceptu illius essentiali, sicut loco citato dixi de vbicatione & duratione; abunde enim munus suum præstant hæc omnia, licèt cõnectantur cum subiectis per vnionem distinctam: sunt ergo modi aliquo modo respectu obiectorum, non subiectorum; seu modi intentionales, non physici, vt illic dixi de vbicatione respectu spatij. Plura hac de re dicta sunt loco in Physicis citato, eadem enim est de visione respectu obiecti, & de vbicatione respectu subiecti, difficultas.

IX. *Intellectio in suo effectu formali includit etiam vnionem.*

Tertia conclusio: Visio, intellectio, & huiusmodi aliæ actiones intentionales non consistunt adæquatè in sola qualitate, sed ad effectum suum formalem dandum includunt etiam vnionem. Hanc conclusionem existimo esse de mente auctorum quartæ sententiæ, quam suprà sectione 2. num. 6 retuli: licèt enim mentionem expressè non faciant vnionis, sed dicant consistere intellectionem in sola qualitate, adhuc videtur necessario includenda.

X. *Ratio est, quia forma non tribuit suum effectum nisi vnita.*

Ratio à priori est, quia Intelligens in cõceptu suo essentiali & intrinseco non dicit solum subiectum aptum, & formam, sed vnionem, sicut album, lucidũ &c. quantumcunque enim albedo esset intime præsens lacti vel parieti, non tamen illi tribueret effectum formalem nisi ipsi vniretur. Conf. intelligens est habens intellectionem, sicut album est habẽs albedinem: vnde hæc propositio *album est dulce*, apud Dialecticos harum rerum arbitros, facit hunc sensum, *habens albedinem est habens dulcedinem*, sed subiectum habet intellectionem & albedinem formaliter per vnionem, habere enim formam est habere eã sibi vnitam, ergo.

Intelligens est habens intellectionem.

Conf. secundò, vnio substantialis inter materiam & formam in homine ingreditur iuxta omnes conceptum formalem & constitutionem hominis, ergo & vnio accidentalis conceptum formalem intelligentis. Conf. tertiò, album, dulce, intelligens &c. sunt composita, sed in compositis omnibus tanquam pars ingreditur vnio, ergo album, dulce, intelligens &c. ingreditur vnio tanquam aliquid illorum constitutiuum.

XI. *Intellectio posita in bruto cur illud non redderet intelligens.*

Hinc clarè intelligitur, quomodo, licèt intellectio ponatur in bruto, aut visio in lapide, nec hunc visurum, nec intellecturum illud; idque nũ tãtùm quia non est aptitudo ex parte subiecti, quod tamẽ solũ sufficeret, sed quia deest aliquid ex parte formæ, nẽpe vnio proportionata, & vitalis, seu quæ ordinetur connaturaliter ad coniungendam hanc formã subiecto quod connaturaliter petit.

XII. *Sæpe non datur effectus formalis, defectu solius vnionis proportionatæ.*

Posse autem subinde defectu solius vnionis non communicari effectum aliquem formalem, videtur certum: multi enim dicunt, animas in Inferno per vnionem quandam alligatiuam affigi & vniri igni, & illius materiæ, quam tamen certum est eas non informare: cuius ratio est, quia vnio illa non est vnio informationis, sed alterius cuiusdam generis; si enim Deus produceret vnionem informationis inter materiam illam adhuc informatam forma ignis & animam rationalem, anima verè illam informaret, ergo quòd nõ informet, prouenit solùm ex defectu vnionis proportionatæ, ergo idem contingere posset in intel-

intellectione, licèt cætera adessent, quæ tamẽ, vt dixi, non adsunt, cùm desit subiectum similiter proportionatum.

XIII. *Dices, vnio non repræsentat, ergo non ingreditur conceptum intelligentis.*

Dices; ergo soluendum nobis est argumẽtum de repræsentatione & imagine, quo sectione præcedẽte impugnabamus tertiam sententiam, & diximus actionem physicam non ingredi conceptum intelligentis quia intellectio est repræsentatio, actio autem omninò non est repræsentatio, sed nec vnio hæc est repræsentatio, ergo par est difficultas hic de vnione, atque ibi de actione.

XIV. *Alio modo ingreditur vnio conceptũ intelligẽtis, quam actio.*

Resp. negando sequelam, licèt enim vnio non sit repræsentatio, spectat tamen intrinsecè ad conceptum repræsentantis, vel intelligentis: intelligens siquidem est habens intellectionem, habet autem illam formaliter per vnionem, vt dictum est. Deinde in omnibus aliis denominationibus, & effectibus formalibus longè alio modo videmus habere se vnionem, quàm actionem productiuam, licèt hæc etiam, saltem tanquam aliquid extrinsecè prærequisitum necessariò adesse debeat, necessitate tamen existentiæ potius, quàm denominationis, quòd nimirũ nulla forma dare possit effectum formalem nisi sit, esse autem accipit per actionem. Vnio verò ingreditur ipsum intrinsecum conceptum informantis, cũ sit formaliter ipsa informatio.

XV. *Vnio ex generali conceptu informantis ingreditur intrinsecè conceptum intelligentis.*

Licèt ergo vnio non sit repræsentatio, requiritur tamen ex generali conceptu formæ, informantis, quæ, vt tribuat effectum formalẽ, debet esse in subiecto, hic enim est formalis conceptus vnionis, est autem in subiecto formaliter per vnionem, ergo alio modo ingreditur effectum formalem vnio, quàm actio. Vnde, si albedo esset à se, & nullam haberet actionem sui productiuam, si tamen vniretur subiecto, tribueret effectum formalem, non tamen tribueret quotcunque haberet actiones productiuas, si non esset vnio, ergo vnio ingreditur ipsum conceptum formalem intrinsecum, non tamen actio. Nec requiritur actio ad vitalitatem, seu tendentiam, cùm hæ qualitates ex se & vitales sint, & tendentiæ.

SECTIO V.

Argumenta quædam contendentia actionem physicam ingredi conceptum intellectionis.

I. *Attentio formalis nõ consistit in actione physica.*

Obiicies primò: cognitio est attẽtio ad rem cognitam, sed attentio est conatus quidam, & actio physica, ergo, Resp. negando minorem, attentio enim nihil aliud dicit quàm perceptionem rei de qua cogitat, hoc autem fit formaliter per qualitatem illam, & actionem intentionalem. Si autem quis attentionem dicat consistere in actione physica, neget maiorem, sicque duplex distingui potent attentio, physica, & intentionalis, sicut & duplex vita, illa in actione physica consistens, hæc in intentionali; illa producens, hæc percipiens; vtraque denominás potentiam agentem, sed diuersimodè.

Attentio duplex, physica & intentionalis.

II. *Conc. Trid. nihil dicit contra intellectionem in sola qualitate.*

Obiicies secundò, Concilium Tridentinum sec. 6. Can. 4. vbi damnat illos, qui dicunt liberum hominis arbitrium nihil cooperari diuinæ gratiæ, sed habere se merè passiuè. Respondemus, hoc ad nos non spectare, dicimus enim voluntatem semper cooperari, & agere physicè: quæstio verò est quid fieri possit diuinitus, Concilium autem solùm loquitur de facto Secundò dico, loqui illic Concilium de actibus liberis; ad hos autem semper requiritur actio physica.

III. *Quid velit Concilium dum dicit liberum arbitrium, si non operetur, habere se vt quoddam inanime.*

Vrgebis, damnare Concilium eos, qui dixerint liberum arbitrium à Deo excitatum habere se vt inanime quoddam, & nihil omninò agere, ergo idem est apud Concilium, nihil agere, & esse inanime, ergo vt viuat, debet agere physicè. Resp. Verum esse, si nihil agat physicè, habere se quoad hoc sicut quoddam inanime instrumentum, quod merè passiuè se habet nihil agendo: Concilium autem nõ vult vt etiam hoc sensu liberum arbitrium sit tanquam inanime quoddam, sed vt agat & cooperetur liberè cum Deo excitante, quod denotat quendam conatum. Non tamen hinc deducitur, quidquid non operatur hoc modo, statim esse inanime, cùm etiam res inanimes operentur physicè, vt sol, ignis, &c. Verum quidẽ est, si ea natura sua nil posset agere, sed solùm pati & recipere, tunc fortè esset quid inanime, licet hoc etiam multi in rebus quibusdam negent: id autem non cõtingit in intellectu & voluntate, quæ, quidquid sit in ordine ad potẽtiam absolutam, connaturaliter tamen possunt & petunt agere physicè, & suas operationes producere.

IV. *Quo sensu dicat S. Thomas viuere esse mouere se ab intrinseco.*

Obiicies tertiò: viuere iuxta S. Thomam est *mouere se ab extrinseco*, ergo dicit actionem physicam. Resp. hanc definitionem S. Thomæ debere ab omnibus explicari, cùm certum sit non competere omni vitæ, Deus enim perfectissimè viuit vita essentiali, & tamen non se mouet physicè non solùm reipsa, sed nec ratione, cùm ad intellectionem & volitionem eius naturalem nõ detur actio physica, ne quidem ratione nostra. Nec etiam pro omni vita creata à S. Thoma tradita est hæc definitio, formaliter loquendo, sed solùm concomitanter, vel causaliter, quales multas definitiones tradit Aristoteles, vt cùm definit sonum esse *percussionem aëris*, odorem in flore aut alia re esse *exspirationem fumosam*, &c. quas certũ est esse definitiones causales, nõ formales. Quòd autem hæc sit mens Sancti Thomæ, videtur clarum ex loco ipsius suprà sectione 2. nu. 6. citato, vbi expressè docet, in intellectione nullam importari rationem originis, sed solùm informationem quãdam nostri intellectus.

Definitiones quædam causales.

V. *Intelligens mouet se ab intrinseco per qualitatem intentionaliter.*

Mouet ergo se ab intrinseco intentionaliter omne intelligens per intellectionẽ in se receptam: quia nimirum illa qualitas est peculiari modo intellectui intrinseca, ita vt non possit cõnaturaliter esse ab extrinseco, licèt supernaturaliter possit. Sufficit ergo hanc qualitatem esse ab intrinseco connaturaliter: mouet autem se, vt patet, per hanc qualitatem, quia qualitas intellectionis infusa non denominat illum qui eam infundit, intelligentem, sed illum cui infunditur: imò eum qui infũdit, potest denominare passiue intellectum, vt si Deus Petro infundat actum cognitionis circa ipsum Deum.

VI. *Non hinc sequitur ignem viuere per calorem, aut aquam per frigus.*

Nec hinc sequitur, ignem viuere per calorem in se receptum, nec aquam per frigus, non enim sunt qualitates intentionales, nec tendentiæ, seu motus, nec etiam vitales, cùm non ita sint ab intrinseco, vt naturaliter esse ab extrinseco non possint. Vegetatiua autem, vt viuant in actu secundo, & moueant se ab intrinseco, debẽt operari physicè, cùm terminus in ipsis productus non sit intẽtionalis, & cõsequenter per illum non possunt mouere se intẽtionaliter, ergo nisi agant physicè, non viuunt omninò.

VII. *Dices, intellectiuum creatum est productiuũ physicè, ergo in actu secundo est actio physica.*

Obiicies quartò: intellectiuum creatum in actu primo est productiuum intellectionis; ergo constituitur in actu primo per virtutem agendi physicè, ergo reduci debet ad actum secundum per actualem operationem physicam, ergo intellectio dicit actionem physicam. Huic argumento valde insistit P. Hurtado d. hac 6. § 7. & deinceps, estque præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ. Resp. itaque distinguendo antecedens: intellectiuum creatum dicit actionem physicam præsuppositiuè, vel concomitanter, concedo antecedens; formaliter,

Resp. solum dicere actionem physicam præsupposit.ud.

pego: licet enim, si non posset producere suam intellectionem, & viuere physicè, non posset viuere intentionaliter, cùm, si intellectus non posset producere qualitatem illam ab intrinseco, non esset immanens qualitas, nec vitalis, hoc tamen solùm arguit vitam physicam in creatis in actu primo semper comitari, vel præsupponi ad vitā intentionalem.

VIII. *In creatis semper est in actu primo duplex vita.*

In actu ergo primo est in omni quod viuit intētionaliter, duplex vita, vt suprà diximus sec. 3. physica, & intentionalis, quarum etiam exercitium naturaliter semper coniungitur: non tamen identificantur hęc duo exercitia, sed vita physica exercetur per actionem physicam, intentionalis per qualitatem & actionem intentionalem, per quam, & non per actionem physicam, tendit intētionaliter in obiectū, vt loco citato latiùs est explicatum. Nec sequitur, ex eo quòd non possit separari naturaliter actio physica ab intentionali, propterea esse de illius essentia seu conceptu metaphysico, sed solùm esse aliquid concomitanter requisitum.

IX. *Hæ qualitates à Deo solo productæ sunt immanentes,*

Vnde etiam notandum, licèt actûs isti intentionales, quando producuntur à solo Deo, & infundūtur animæ, sint immanentes quoad intrinsecū quod dicit actus immanēs nempe vt insit principio à quo ex natura sua petit procedere, nō tamen sunt completè & adæquatè immanentes quoad extrinsecum quod dicit immanentia, nempe vt quid insit principio, à quo actu procedit: actualis autem hæc processio non requiritur ad intellectionem, sed solùm aptitudinalis, seu vt insit principio à quo petit procedere, licèt actu ab eo non procedat.

X. *Obi. intelligere est dicere, dicere autem importat actionē physicam.*

Obiicies quintò: intelligere in creatis est dicere, sic enim in scriptura habetur Sap. 2. v. 1. *Dixerunt cogitantes apud se non rectè*: quod etiam aliis Scripturæ locis insinuatur: vnde communiter dicunt SS. Patres nil aliud esse *apud se cogitare*, quàm *apud se dicere*. Sic etiam Theologi affirmant cognitionē essentialem Dei non esse dictionem, sed hanc affirmant solùm de Deo notionaliter, & in tantum loqui Deum ad intra, in quātum producit Verbum. Resp. primò etiam loqui totam Trinitatē, sic enim habetur Gen. 1. v. 3. *Dixit Deus, fiat lux*, & Psalmo 148. v. 5. *ipse dixit & facta sunt &c.* hæc autem tribuuntur toti Trinitati: vnde dicere aliquando idem ferè est quod repræsentare obiectum.

Cōtra, etiā tota Trinitas, loquitur, & dicit

XI. *Latius patet intelligere, quàm dicere.*

Aliquando verò dicere sumitur pro producere qualitatem illam, & verbum mentis, & si hoc modo sumatur, vt communiter sumitur, latius patet intelligere quàm dicere: illa autem loca scripturæ intelligenda sunt prout res de lege ordinaria se habent, semper enim de lege ordinaria principium intelligens producit suam intellectionem, sicque semper etiam dicit. Dicere ergò non est intelligere vtcunque, sed intelligere producendo suam intellectionē, includitque actionem physicam simul & intentionalem, distinguiturque ab intelligere sicut includēs ab incluso. Quæ solutio conformis est doctrinæ S. Thomæ 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. dicentis intellectionē nō importare originem, sed meram informationem potentiæ intelligentis, dictionem verò asserit importare vlterius originem à dicente.

XII. *Verbū propriè vltra intellectionem, connotat productionem.*

Eodem ferè modo soluitur obiectio quæ fieri solet de verbo, tam externo quàm interno; nempe, intellectionem esse verbum, sed verbum ex conceptu suo importat actu *dici seu produci à loquente*, ergo intellectio in conceptu suo importat *produci à loquente, seu intelligente*. Resp. enim primò, verbum plus dicere quàm intellectionem, nempe productionem ab intelligente; sicut etiam loqui externè est, verbum seu sonum illum articulatum proferre. Secundò probabiliter dici potest, verbum vt sic non dicere in cōceptu suo essentiali vt actu producatur ab intelligēte, sed vt sit aptum produci: qua de causa excluditur cognitio essentialis in Deo à ratione verbi, quia scilicet omnino non potest produci.

SECTIO VI.

Aliæ obiectiones contendentes actionem physicam esse de conceptu intellectionis.

I. *Quando actio physica ingrediatur conceptum voliti[onis].*

OBiicies sextò ex P. Vasq. Volitio est voluntaria, ergo debet produci à principio in quo est, voluntarium enim definitur *id quod est à principio intrinseco cognoscente singula*. Resp. si per voluntarium intelligatur liberum, tunc non est mirum ingredi conceptum illum actionem etiam physicam, vt postea dicemus. Secundò responderi potest, *verba in definitionibus non significare actum sed potentiam*, sicque ad rationem voluntarij non requiri vt actu producatur à principio volente, sed solùm quod aptum sit ab illo produci. Definitio tamen voluntarij est alio modo explicanda; nempe, vt voluntarium sit quod procedit à motiuis intrinsecis, non extrinsecis, qualia sunt vis & metus, hæc enim faciunt actum inuoluntariū; voluntarium enim dicitur actio conformis inclinationi operantis, & consequenter non elicita per coactionem: de quo alibi.

Quo pacto intelligenda sit definitio voluntarij.

II. *Peccatum semper ingreditur actio physica.*

Obiicies septimò: peccare est physicè agere, sed odisse Deum est peccare, ergo actus odij includit actionem physicam. Resp. peccare dicere actionem liberam, libertas autem consistit in creatis in actione physica, libertas enim est posse operari, & nō operari physicè, seu producere, & omittere actionem. Hinc tamen solùm sequitur, de essentia talis actus esse actionem physicam, non verò amoris.

III. *Quomodo Deus in nobis formaliter operetur velle.*

Hinc etiam infertur, requiri gratiam excitantem & adiuuantem ad credendum, sperandum, & diligendum prout oportet, quia sunt operationes liberæ. Nec alio modo operatur Deus in nobis formaliter ipsum velle, quàm operando, vel producendo volitionem, sicut operatur esse album producendo albedinem in subiecto.

IV. *Non magis hinc sequitur voluntatem ferri in incognitū quàm in cōtraria sententia.*

Obiicies octauò: hinc sequi, absque eo quòd in intellectu sit cognitio proponens obiectum, posse voluntatem amare, quidni enim poterit Deus per se producere qualitatem amoris, & illam voluntati infundere absque eo quòd præcedat cognitio? quod si fiat, amabit per actum illum voluntas, cùm ibi sit tota essentia amoris. Sed contra, nam par penè videtur quoad hoc difficultas, siue actio physica ingrediatur rationem amoris vt sic, siue non; quidni enim eodem modo potest Deus efficere vt volūtas eliciat saltem supernaturaliter & necessariò actum amoris sine præuia cognitione? quod si contingeret, amaret voluntas, cùm ibi sit tota essentia amoris: sed de hoc postea redibit sermo.

V. *Docent aliqui non repugnare vt voluntas feratur in incognitū.*

Respondent ergo aliqui, non repugnare in ordine ad Diuinam potētiam, vt voluntas amet sine cognitione præuia, & tunc velle illam aiunt obiectum aliquod, nescire tamen quodnam illud sit, Deo per concursum extraordinarium determinationē actus intellectus supplente; cognitio enim, inquiunt, solùm est per modum applicantis obiectum, & reddentis illud quasi intentionaliter præsens voluntati: sicut ergo in causis physicis, licèt naturaliter non possit dari actio seu tendentia physica in terminum, seu obiectum distans, potest tamē supernaturaliter, absque eo quòd applicetur passum agenti, ita quidni in causis intentionalibus poterit voluntas ferri diuinitus in obiectum non applicatum per intellectum, esto naturaliter non possit?

VI. Probabile tamen est, hoc fieri non posse, vel diuinitus: voluntas enim fertur in bonum in esse apprehenso,

Ratio probabilis cur voluntas non possit ferri in incognitum.

prehensio, seu in bonum intentionale, sicut appetitus naturalis in rebus inanimatis ad bonum in esse rei, vnde sicut non potest dari, nec diuinitus appetitus naturalis ad rem, quæ non habeat bonum in esse rei seu bonum verum & reale, ita nec volitio ad bonum non apprehensum; bonum enim non apprehensum perinde est quoad voluntatem, atque si omninò non esset. Quam vim habeat hæc solutio, videbimus d. sequente, sec. 8 d. sexto.

VII. *Hinc non sequitur posse dari creaturam intellectiuam, quæ non sit volitiua.*

Obiicit nonò P. Hurtado sec. 1. subsec. 2. hinc sequi, posse dari creaturam intellectiuam quæ non sit volitiua. At certè non video quomodo hoc sequatur magis ex nostra sententia, quàm ex contraria siue enim cognitio includat actionem, siue non, vnde ex hoc magis sequitur posse dari huiusmodi creaturam, quàm ex contrario.

VIII. *Licèt intellectio non includat actionem physicam formaliter, eam tamen in actu primo connotat.*

Obiicies decimò: si actualis intellectio non includit formaliter actionem physicam, ergo poterit dari potentia intellectiua creata quæ non sit physicè productiua suæ operationis, seu qualitatis intentionalis. Probatur consequentia, si enim non est de essentia intellectionis in actu secūdo actio physica, ergo nec est de essentia intellectiui in actu primo, ergo potest separari. Resp. esse aliquo modo de essentia intellectiui in actu primo posse producere suū actum, seu qualitatem, nempe implicitè & concomitanter, vel præsuppositiuè, vt iam dictū est; cùm enim qualitas hæc sit immanens, debet posse procedere à principio cui inest. Vt ergo reducatur ad actum secundum completè, debet completè exercere totam suam virtutem, quam habet in actu primo, nō tamen vt reducatur ad actum secundum solùm incompletè: quæ tamen incompleta reductio sufficit ad intellectionem.

SECTIO VII.

Quædam alia de intellectione: vbi de actibus quibusdam conditionatis.

I. *Qualitas intellectionis produci potest à solo Deo, & poni in lapide.*

QVæres vtrū possit produci intellectio seu actio illa intentionalis & grammaticalis à solo Deo, & poni in alieno subiecto, vt lapide, vel ligno? Quoad primum, iam diximus posse: cùm enim nō sit ista actio, potest vel à Deo solo, vel ab aliis simul causis pendere. Quoad secūdum, nil etiam obstat quo minùs id fiat; quod tamen si contingeret, non redderet subiectum illud intelligens, ob dicta in Physicis, cùm de potentia obedientiali d. 27. sec. sexta.

II. *Nullus actus intellectus est conditionatus ex parte subiecti, sed obiecti.*

Notandum hic circa actus quosdam intellectus, qui dicuntur conditionati, non esse conditionatos ex parte subiecti: hoc enim videtur implicare, nam quod absolutè est in intellectu, non est in illo cōditionatè; solùm ergo sunt conditionati ex parte obiecti: ideo verò dicuntur conditionati, quia repræsentant conditionem ex parte rei repræsentatæ, vt cùm Petrus dicit, *si paries est albus, est disgregatiuus visus*; hic actus est iudicium absolutum ex parte subiecti, nam Petrus verè hoc iudicat; est autem conditionatus ex parte obiecti, iudicat enim parietem non esse absolutè disgregatiuum visus, sed conditionatè, nempe si habeat albedinem; absolutè tamen habet hoc iudicium.

III. *Hic actus, iudicarē parietem esse disgregatiuū visus, si esset albus, non est conditionatus ex parte subiecti.*

Dices; habeat quis hunc actum, *iudicarem parietem esse disgregatiuum visus, si esset albus*, hic saltem actus est cōditionatus ex parte subiecti; dicit enim *iudicarem*, quod insinuat non esse absolutè iudicium, sed fore, posita tali conditione. Resp. hunc etiam actum esse absolutum ex parte subiecti, sed respectu alterius obiecti, iudicat enim se id iudicaturum: vnde pro obiecto habet actum intellectus quo iudicaret parietem esse disgregatiuum visus, posita ex parte obiecti tali conditione: absolutè tamen nunc iudicat se id in iis circumstantiis iudicaturum; vnde actus est solùm conditionatus ex parte obiecti, non subiecti.

IV. *De conditionatis quibusdam actibus voluntatis.*

Eodem enim ferè modo (vt non vlteriùs differam) philosophandum est de actibus conditionatis seu velleitatibus, vt aiunt, ex parte voluntatis, licèt res sit haud paulò obscurior, nec eadem ratione respondeti possit in omnibus. Quando ergo quis dicit, *vellem videre Petrum*, vel indicat solùm simplicē complacentiam, vel desiderium quoddam præsentiæ Petri: verè autem tunc habet complacentiam illam absolutè, & non conditionatè. Cùm verò dicit quispiam, *vellem dare eleemosynam, si pecuniam haberem*, hic actus, sicut & præcedentes, non potest ita explicari, vt significet actum cōditionatum ex parte subiecti, quasi tunc non esset in voluntate actus, nisi sub cōditione: actus enim tūc absolutè est, sed non est absolutus ex parte obiecti, sed conditionatus, id est, talis qui non moueret ad opus illud nisi dependeret à conditione ponenda.

Velle dare eleēmosynam, si haberē pecuniā, quomodo sit actus conditionatus.

V. *Alius modus explicandi actus praedictos.*

Aliqui tamen, & probabiliter, dicunt, posita conditione elici nouum actum ex modo tendendi diuersum, nempe absolutū. Prior ergo actus facit hūc sensum, *ita sum animo affectus, vt si haberem pecuniam, darem eleemosynam*: secundus verò actus dicit, *volo absolutè dare eleemosynā*, hic enim actus supponit ipsum iam pecuniam habere. Vltimum genus actuum cōditionatorum in voluntate est, cùm quis dicit, *volo dare eleemosynam, si nauis salua appellat*; vbi etiā est voluntas absoluta ex parte subiecti, sed dandi conditionatè, nempe, si nauis appellat: & sic de cæteris huiusmodi actibus.

SECTIO VIII.

De verbo mentis.

I. *Sermo duplex duplici constans genere verborum.*

SErmo; vt in Logica dixi, duplex est; internus, & externus: hoc aliis, illo nobis loquimur: vt verò externus verbis ore prolatis, ita internus verbis mēte formatis constat. De hu pulchrè S. Augustinus l. 15. de Trinitate, *Sicut, inquit, in nobis duplex est os, vnum corporis, aliud cordis, vt colligitur ex Matth. 15. ita & duplex loqui, & verbum.* Ex his duobus verbū præcipuum est mentale, seu verbum cordis, vtpote cuius illud aliud, signum tantùm est, & index. In quam rem idem S. Augustinus l. 15. de Trinit c. 11. sic scribit: *Verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen, nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est* &c. Hic ergo quid & quale sit hoc verbum mentis, inquirimus varij enim variè de eo loquuntur.

S. Aug. de Verbo interno & externo.

II. *Quid sit Verbum in creatis.*

Dico itaque, verbum in creatis esse qualitatem, seu speciem expressam ab intellectu productam, per quam repræsentamus obiectum: hæc enim nobis exprimit rem illam, de qua cogitamus. Mihi tamen probabile videtur, vt suprà dixi l. 5. nu. 12. licèt mera intellectio non includat actionem physicam, verbū tamen illam in suo conceptu includere, & loquutionem internam non esse repræsentationem obiecti quomodocunque, sed repræsentationem productam à cognoscente.

Connotat actionem productiuam.

III. *Sitne Verbum in sensibus.*

Quæres, vtrùm in sensibus etiam sit verbū? Quæstio hæc est de voce. Dico itaque esse in sensibus tū externis, tum internis qualitatem quandam ab ipsis productam, quæ idē in illis quoad sua obiecta præstat quod præstat qualitas spiritualis in intellectu. Communiter tamen hæc qualitas non dicitur verbum, nec sensus per eam dicuntur loqui, hoc enim peculiariter tribuitur soli intellectui.

IV.

Hinc infero, verbum non esse imaginem quandam ab intellectu effformatam, per quam prius vi-

Verbū non est idolum prius visū.

sam percipiamus in ea velut in quodam quasi idolo, obiectum. Primò, quia non est opus huiusmodi aliquo obiecto priùs viso ad cognoscendum obiectum, cùm sufficiat qualitas seu species expressa, per quam non visam obiectum repræsentetur. Secundò, quidni æquè potest actus intellectus immediatè repræsentare obiectum ipsum ac imaginem hanc obiectiuam?

V. *Si verbum sit quid prius visū, nulla visio erit intuitiua, aut sensatio immediata.*

Tertiò, sic enim nulla visio obiecti esset intuitiua, cùm non feratur immediatè in obiectum, sed solùm in hoc illius idolum. Quartò, Deus à Beatis non videretur immediatè, sed solùm in huiusmodi imagine priùs visa: vel si Deus immediatè videatur per actum intellectus, eodem modo videri poterunt alia obiecta, sicque superflua erit hæc imago priùs visa. Quintò, in sensibus videtur absque controuersia fatendum, obiecta ipsa, lucem scilicet, calorem saporem &c. percipi immediatè; ergo dici idem potest de intellectu.

VI. Dices; disparitatem esse inter sensum & intellectum, nam, vt ait Aristoteles 2. de Ani. tex. 60. *Obiectum intellectus est intra, obiectum verò sensus extra animam*: ergo habet intra se semper anima secundùm Aristotelem suum obiectum, ergo obiectum intellectus est aliquid huiusmodi in anima productum, quo viso videt per illud anima res illas quarum est imago. Resp. solùm velle Aristotelem, habere nos obiectum intra animam, id est, in potestate animæ, vt possit de illo intellectus cogitare quandocunque libuerit, quia quantumuis obiectum sit absens, habet tamen in anima principium sufficiés ad illud intelligendum vbi placuerit: quod secus contingit in sensu, nec enim potest quis obiectum sentire quando voluerit, sed tunc solùm quando est præsens.

Quo sensu dixerit Aristoteles nos habere obiectū intellectus intra animā.

VII. Obiicies: Pater æternus intelligendo producit Verbum, quod intuetur: ergo idem fieri poterit in nobis. Contrà, hinc potiùs deducitur argumentum pro nostra sententia: Pater enim æternus intelligit per suam intellectionem essentialem antecedenter aliquo modo ad productionem Verbi à se visi, ergo & nos intelligere poterimus per cognitionem formaliter, non per verbum aliquod quod per modum obiecti intueamur. Quòd verò Pater æternus vlteriùs producat Verbum, non est ex indigentia intelligendi, sed ex fœcunditate naturæ, vt scilicet detur alia Persona cognoscens. In rebus autem creatis, longè alio modo res se habet.

Ratio quare Pater æternus producat Verbum, quod intuetur, nō tamen intellectus creatus.

DISPVTATIO XXIII.

De Voluntate.

INtellectum, vt in essendo, ita & in operando sequitur voluntas, vtpote à cuius actibus, cum cæca sit, in suis operationibus eliciendis dirigitur. Opportunè itaque post tractatum de intellectu, sequitur tractatus de volũtate, quem proinde de more subiiciemus.

SECTIO PRIMA.

De obiecto voluntatis: vbi an voluntas amare possit malum quà malum.

I. *Bonū triplex: honestum, vtile, delectabile.*

INprimis notandum, bonum à Philosophis moralibus triplex communiter numerari, *honestum*, *vtile*, & *iucundum* seu *delectabile*. *Honestum* est, quod in se, & sine relatione ad aliud habet bonitatem & amabilitatem, & consequenter amatur amore beneuolentiæ. Bonum *delectabile* & *vtile* sunt obiectum amoris concupiscentiæ, vtpote quæ bona sunt cum ordine & relatione ad aliud, cũ hac tamen differentia, quòd bonum *delectabile* sit per se bonum alteri, *vtile* verò est alteri bonum, non per se immediatè, sed ratione boni quod causat. Eadem tamen res diuersas subinde bonitates habere poterit.

II. *Malum similiter triplex.*

Sicut autem est triplex bonum, nempe vel in se, vel alteri formaliter, & causaliter, ita illi est oppositum triplex similiter malum, nempe in se, vt carentia alicuius rei; alteri formaliter, vt dolor; & causaliter, nempe malum impediens consecutionem alicuius boni. Id tamen quod est malum sub vna ratione, potest esse bonum sub alia, vt malum physicum sæpe est bonũ morale; sic enim dolores, cruciatus, & tormenta, quæ sunt patientibus mala physica, ipsos enim verè affligunt & cruciãt, sunt tamen bona moraliter, vtpote causa meriti & præmij.

Malū sub vna ratione est bonū sub alia.

III. *Obiectum prosequutionis est bonū, obiectum fugæ malum.*

Notandum secundò, duo esse genera actuum in voluntate, alij enim sunt actus prosecutionis vt amor, desiderium &c. alij auersionis & fugæ, vt odium. Obiectum ergo priorum actuum est bonum, obiectum posteriorum malum, quod fugit voluntas, & auersatur, seu odit. Quando autem dicitur obiectum intellectus esse verum vel falsum, voluntatis bonum aut malum, non est sensus diuersum esse obiectum intellectus & voluntatis, cùm voluntas in nihil vnquam feratur nisi quod ei proponitur ab intellectu, sed solùm intelligendum est dictum illud in sensu formali, hoc est, quòd intellectus in obiectum feratur qua verum, voluntas qua bonum &c.

IV. *Nulla potest vel malum quà malum amare, vel bonum quà boni odisse.*

Quæres primò, vtrùm possit voluntas amare malum sub ratione mali, & bonum qua tale odisse? Dicendum cum Doctoribus communiter contra Nominales contrarium opinantes, non posse voluntatem, vel malum simpliciter, seu in quo, aut in aliqua eius circumstantia non appareat aliqua ratio boni, amare, aut bonum simpliciter, seu in quo, aut in aliquo ad illud spectante, nihil appareat mali, odio habere. Probatur ex illo S. Dionysij lib. de Diu. Nominibus prope finem, *nemo intendens ad malum operatur*. Ad hoc etiam allusisse videtur Philosophus moralis his verbis; *Nullus, inquit, tantùm à naturali lege descivit, & hominem exuit, vt animi causa malus sit*. Innuit nimirum vnumquemque, in actibus etiam malis aliquid sibi boni præfigere, ad quod tanquam ad scopum collimet, nec vnquam in malum quà malum ferri.

Nemo intendens ad malum operatur.

Nullus animi causa malus. Seneca.

V. *Probatur à paritate appetitus innati.*

Ratio est, quam affert S. Thomas 1.2.q.8 art.1. quòd appetitus sit inclinatio in bonum: sicut ergo appetitus innatus, qui sequitur formam, non potest ferri nisi in id quod reipsa est bonum, ita nec appetitus elicitus, nisi in id quod saltem vt bonum apprehenditur, licèt possit in id tendere quod non est bonum in se, cùm sequatur, non naturas rerum præcisè, seu res prout sunt, vt appetitus innatus, sed prout apprehenduntur.

VI. Secundò probatur experientia; quæ adeò manifesta videtur hac in parte, vt negari omnino nõ possit: experimur enim in dies nos bona prosequi, mala fugere, non è contra. Conf. à priori, id quod mouet aliquem ad prosecutionem, debet esse bonum, nam bonum solum est quod allicit volũtatem, malum autem deterret, nec potest allicere ad se voluntatem, nisi aliquid saltem in eo apprehendatur boni. Conf.

Nihil allicere potest voluntatem præter bonum.

ni. Conf. secundò, non potest intellectus assentiri falso cognito vt falso, sed ab illo refugit intentionaliter, & dissentit, ergo nec potest voluntas amare & prosequi malum qua tale, licèt malum specificatiuè possit, sicut & intellectus materialiter & specificatiuè assentiri potest falso, existimato scilicet vero.

VII. *Omne quod amatur amari debet vt finis, vel vt medium, ergo vt bonum.*

Conf. tertiò, quidquid amatur, vel amari debet vt finis, vel vt medium. si primum, ergo habet bonitatem in se ratione cuius ametur; si secundum, ergo debet esse vtile seu aptum ad consequendum finem, ergo bonum saltem alteri, ergo semper in eo quod amatur, reperitur aliquid boni. Quæ etiā probant, nec per potentiam absolutam posse malum vt malum amari, aut bonum vt bonum odio haberi, cùm par quoad hoc sit ratio tam in ordine ad potentiam absolutam quàm ordinatiam.

VIII. *Quandocumque amatur malum, aliqua ratio boni in eo apprehenditur.*

Semper ergo quando amatur malum, amatur sub aliqua specie boni, quod in malo illo apprehenditur: vt si quis velit malum inimico, amat malum illud vt bonum sibi, quod etiam contingit cùm quis sibi ipse mortem consciscit, in eo enim bonum aliquod apprehendit, nempe liberationem à præsenti dolore, cruciatu &c. Præterea, quando quis vult abstinere à re aliqua iocunda, vel vult malum ad exercēdam libertatem, (si hoc fieri possit) apprehendit vt bonum exercere hîc & nunc libertatem, & sic de alijs. In quibus omnibus semper apparet aliquid boni, vel physici, vel moralis, vt dolores, ac cruciatus, & mors ipsa est martyribus mala physicè, bona tamen moraliter, seu in ordine ad meritum: sicut è contra voluptates peccatoribus sunt bonæ physicè, malæ autem moraliter, quia sunt occasio peccati ac demeriti, ac demum damnationis. Quando autem quispiam odit aliquod bonum, vt cùm peccator odit Deum, concipit illum non vt malum in se, sic enim semper actum odij Dei præcederet hæresis, aut infidelitas, sed illum apprehēdit vt malum alteri, nempe ipsimet peccatori.

Quædam bona physicè, mala moraliter, & physicè mala, moraliter bona.

SECTIO II.

Vtrùm possit voluntas ex duobus æqualibus bonis alterum præeligere; vel etiam minus bonum maiori præponere.

I. *Potest voluntas ex æqualibus vnum alteri præferre.*

RESpōdetur posse: est contra Vasq. To. 1 in 1.2. d.43. Probatur primò, quia videntur homines in dies id in se experiri: cui conformiter est dictum illud Poëtę, *video meliora proboq; deteriora sequor*, quod saltem ad communem experientiam & existimationem omnium probandam, vim habet, & à fortiori viget in bonis æqualibus.

II. *Licèt non possit quis amare id quod nō est bonum, potest tamen minus bonū præferre maiori.*

Dices; supra affirmasse nos, quando voluntas fertur prosecutiuè in aliquod malum, inueniri ibi aliquid, quod habeat rationem boni, ergo & quando inter æqualia vnum alteri præelegit, vel inter æqualia præfert minus, reperietur ibi aliquid, quod sit, vel appareat saltem, vt maius bonū. Resp. negando cōsequentiā, disparitas est quia in illo casu est necessarium, vt ibi appareat aliquid saltem sub ratione boni, alioqui voluntas non inueniret illic suum obiectum, & consequenter ferretur extra obiectum adæquatum, quod tamen illi non magis potest competere, quàm oculo, vel auri, aut alteri sensui externo: hîc autem inuenit suum obiectum, cùm vtrumque sit bonum, vt supponimus: quod verò præferat vnum alteri, tribuendum est illius libertati. Non tamen amat minus bonum, quia minùs bonum, hoc enim consistit in priuatione, estque malum formaliter, sed amat quia bonū: quòd autem præferat hoc alteri, nihil est ex parte obiecti determinans ad vnū potiùs quàm ad aliud, sed merè id facit quia vult, sicque *stat pro ratione voluntas.*

III. *Sequitur, si non possit ex æqualibus eligere, omittentem opus præceptum non peccare.*

Secundò probatur: quando quis omittit opus aliquod charitatis, quod præstare tenetur, repræsentatur illi & opus & negatio operis, ergo vel vtrumque concipitur vt æque bonum, vel alterum vt melius: non primum in hac sententiā. quia ipse eligit alterū vt supponimus, quod secundùm hos auctores facere non posset si vtrumque ei proponeretur vt æquè bonum: nec etiam secundum, quia si negatio illius operis proponatur vt melior, ergo non liberè opus omittit: probatur, non enim potest facere opus in hac sententia, tunc enim eligeret minùs bonum, ergo non omittit illud liberè, & consequenter non peccat, quod, vt omnes fatentur, est falsum.

IV. *Non satisfacit dicendo ipsum peccare quod rationes non inquirat.*

Respondet Vasquez peccare ipsum, quòd non inquirat rationes per quas persuadeat sibi opus esse melius negatione operis, cùm tamē possit, & teneatur ad hoc rationes inquirere. Contrà primò, communiter censentur homines, quando omittunt opus aliquod præceptum, peccare ipsa omissione operis quod facere deberent. Contra secūdò, idem argumentum fieri potest de ipsa inquisitione harum rationum, vel omissione seu carentia huius inquisitionis: vel enim hæc carentia homini repræsentatur ac proponitur vt magis bonum, vel non, & cætera eodem modo & ordine quo in argumento; æqualiter enim vigent hîc atque ibi, & vis difficultatis vbique est eadem.

V. *Deus de facto ex æqualibus quædam deligit, nec semper facit optimum.*

Tertiò probatur: nam Deus non tenetur amare & producere perfectiores creaturas, sed potest ex duabus vel multis rebus possibilibus in perfectione æqualibus, quam velit, eligere; imò & creaturas minus perfectas producere, vt communiter contra quosdam recentiores dici solet, qui affirmant Deum semper facere optimum: imò sequeretur & ipsum & voluntatem creatam semper operari necessariò, non liberè, cùm & actus ipse voluntatis sic necessarius foret, & multò magis cognitio, à qua excitatur & dirigitur, ergo hîc nulla omninò interueniret libertas.

VI. *Omnis peccans est ignorans.*

Obijcit Vasquez primò commune illud dictum in scholis ab omnibus receptum, *omnis peccans est ignorans*, quod arguit in omni peccato voluntatis semper præcedere ignorantiam in intellectu, qui si cognosceret, seu penetraret bonitatem obiecti oppositi, non eligeret istud; ergo quòd hoc eligat est quia ignorat præstantiam alterius. Resp. verum esse Theologos cum S. Thoma 1.2. qu.77. ar.2. & q.78. art.1. communiter asserere, ante omne peccatum præcedere in intellectu defectum aliquem; qua de causa peccatores vocātur in Scriptura *insipientes, stulti*, &c. hic autem defectus non est error; nec iudicium quo quis iudicat hîc & nunc expedire appetere potiùs hoc obiectum, quàm contrarium, sed est solùm carentia talis cognitionis, qua posita videt Deus fore vt voluntas non eligeret hoc, sed contrarium; non quod nō posset, etiam illa stante ferri in cōtrarium, sed quod nollet, eligeretque pro sua libertate hoc potiùs quam illud.

Cur peccatores in scriptura dicantur insipientes, & stulti.

VII. *Consultatio præcedens non arguit voluntatem semper eligere optimum.*

Obijcit secundò idem Vasquez Aristotelem, & communem sententiam Philosophorum, qui dicūt, semper ante electionem voluntatis præcedere consultationem in intellectu; ergo debet sequi & amplecti id quod optimum factu iudicat intellectus, nullo enim alio fine præcedit consultatio. Resp. voluntatem quidem plerumque, cùm finem aliquem intendit, amplecti medium quod ad illum iudicat optimum & efficacissimum; vel saltem quod intensius repræsentatur & proponitur, nō quòd non possit aliud eligere, sic enim non eligeret liberè licet enim posita intentione efficacissima, nō possit non eligere

ligere aliquod medium, potest tamē hoc potius medium eligere quàm illud. Ratio ergo cur vt plurimū feratur voluntas in melius medium, est quòd ibi inueniat plus ex suo obiectu, nēpe plus boni, in quod proinde magis inclinatur.

SECTIO III.

De quibusdam actibus voluntatis.

Duplex genus actuū in intellectu & voluntate, assensus & pura dissensio, prosequutio & pura fuga.

I. NOtandum hic quod asserunt aliqui, vt in intellectu, ita & in voluntate, esse duplex genus actionum negatiuarum quibus feruntur hæ potentiæ in sua obiecta. Dicūt itaque dari vnum genus, quod vocant purum dissensum in intellectu, & puræ fugæ in voluntate, quibus actibus nihil positiuè, seu per modum assensus & prosecutionis vel intelligitur, vel appetitur, sed per illos ità se habet intellectus & voluntas, vt purè ab obiectis illis recedant, seu resiliant. Aliud genus actionis negatiuę est per modum assensus in intellectu, vt cùm quis positiuè affirmat esse negationem lucis in aëre &c. In voluntate verò hoc contingit quando quis per actum positiuum amat contradictorium aliquod priuatiuum; tūc enim eodem actu formaliter odit contradictorium positiuum, vt dum quis amat tenebras, eodem actu formaliter odit & auersatur lucem, cùm velle esse tenebras sit nolle esse lucem, nam velle non esse alicuius rei, est formaliter nolle illā esse, quod est præcipuum genus odij.

Amor amicitiæ, & concupiscētia.

II. De diuisione actuum voluntatis diximus in Physicis ex occasione appetitus materiæ primæ, vbi posuimus differentiam inter actum *amoris, desiderij, gaudij*, &c. Hic ergo sola restat declaranda diuisio amoris in amorem amicitiæ, & concupiscentiæ. Actus ergo amoris amicitiæ ille est, per quem sistit quis in persona amata, & eam amat propter illam ipsam personam, & non propter cōmodum aliquod, quod inde personæ amanti proueniat. Amor verò concupiscentiæ est, quo concupiscit quis, vel vult aliquid ipsi personæ amanti, seu quo aliquis volt bonum sibi, qui proinde vocatur amor quęstuosus, estq; proinde longè imperfectior.

Amor concupiscentiæ est amor quęstuosus.

Vt apprehensio iudicium, ita simplex cōplacentia antecedit actum efficacem voluntatis.

III. Tandem aduertendum, sicut in intellectu ante iudicium præcedit simplex apprehensio, quæ nihil affirmat vel negat, sed obiectum tantùm proponit; ita voluntatem efficacem præcedit simplex complacentia, quæ est simplex affectus voluntatis, per quem primo statim intuitu placet nobis vel displicet res apprehensa. Non tamen ita mouet voluntatem hęc complacentia, vt tendat ad prosecutionem, nisi præuertendo subinde rationem, vt contingit in motibus *primò primis*, vt aiūt, seu qui iudicium & plenam aduertentiam præueniunt. Huiusmodi autem simplices complacentiæ vt plurimum sequuntur necessario repræsentationem rei, cùm bonum apprehēsum sit obiectum sufficiens voluntatis, & consequenter ipsam mouebit ad amorem, si nihil aliud interueniat quod obsit: sicutē contra malum apprehensum eodem modo ipsam mouebit ad auersionem & fugam.

Motus primò primi.

De actibus conditionatis voluntatis.

IV. De aliis actibus voluntatis, maximè de conditionatis, vt, *vellem dare eleemosynam si haberem pecuniam*, & aliis huiusmodi dictum est disp. præcedente, sect. 7. num. quarto.

SECTIO V.

Possitne voluntas ferri in incognitum.

Voluntas non potest natura aliter velle, quod non proponitur ab intellectu.

I. NAturaliter omnem actum voluntatis præcedere debere actum intellectus, qui obiectum proponat, in quod feratur volūtas, certius videtur quam vt probatione indigeat: vnde ortum habuit tritum illud, *nihil volitum quin præcognitum*. Ratio est, quia voluntas tendit in obiectum per amorem allecta ab illius bonitate; sed allicī ab illa non potest, nisi eam cognoscat, ergo de quo latè Suarez d. 23. Met. sect. 3. Vasqu. 1. 2. d. 3. cap. 2. & 3. Salas 1. 2. tr. 1. d. 5. s. 1. Hurt. d. 14. de Anim. s. 4. secun S. Thomam 1. 2. q. 9. art. 1. Sicut autem non potest voluntas naturaliter primò producere volitionem sine præuia cognitione, ita nec eam pōtest conseruare: vnde quocunque instante cessat cognitio, cesset etiam necesse est volitio.

Dicunt multi posse voluntatē diuinitus ferri in incognitum.

II. In ordine autem ad potentiam Diuinam, vtrùm possit dari amor alicuius obiecti sine cognitione præuia, maior est difficultas. Gregorius, Paludanus, Okamus, S. Bonauentura, Gerson. & alij nonnulli mystici Theologi affirmant posse. Dicunt itaque hi auctores, posse hominem amore perfectissimo in Deum ferri, nullo præcedente actu intellectus, vel etiam sensus. Cui etiam sententiæ existimant aliqui fauere S. Patrem Ignatium in libello Exercitiorum spiritualium in Regulis de spirituum discretione, secundo loco positis; vbi in secunda regula sic habet: *solius est Dei consolari animam, nulla præcedente consolationis causa*: quod paulò pòst ita explicat tunc contingere, quando *nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quidquam obiectum est, quod eiusmodi consolationem causare ex se possit.* Qui tamen locus explicari potest ita vt nihil iucundum tunc obiciatur, sed infundi consolationem etiam in medio rigore pœnitentiæ, & aquam quasi elici ex silice, ac mel de petra: nō tamen quod nihil omninò tunc menti obiciatur.

Secunda sententia negat posse voluntatē, etiam diuinitus ferri in incognitum.

III. Communior longè est contraria sententia, quæ affirmat, nec per Diuinam potentiam posse dari volitionem sine cognitione pręuia. Ita omnes ferè auctores præter iam citatos, inter quos S. Bonau. & Gerson dicunt frequenter naturaliter contingere vt voluntas rapiatur in amorem, absque eo quod præcedat cognitio. quod tamen ab omnibus ferè reicitur. Ratio verò cur non possit voluntas habere actum amoris vel odij sine cognitione præuia, non ita facilis est assignatu, præsertim cùm agatur de Diuina potentia.

Ratio difficulter assignatur.

Prima ratio, quid scilicet voluntas allici debeat ab obiecto reiicitur.

IV. Dicunt aliqui rationem esse, quia debet voluntas allici ab obiecto, & illius bonitate hoc autem, inquiunt, fieri nequit nisi ipsi proponatur obiectum. Sed cōtra, nam allici nihil aliud est, quàm quòd delectetur, vel erga illud afficiatur; ad hoc autem nihil aliud requiritur quàm vt habeat in se delectationem, & affectionem erga illud: cùm ergo Deus solus possit producere per se volitionem, sicut & intellectionem, cur non poterit diuinitus voluntas amare, seu allici & affici erga obiectum, quod non cognoscit. Aliud fortasse foret si volūtas ipsa deberet elicere actum illum, nos autem ponimus elici eum à solo Deo, & infundi animæ quod disp. præcedente in simili de actu intellectus diximus fieri posse.

Secunda ratio quòd appetitus elicitus non feratur nisi in bonum apprehensum, sicut innatus ad verum.

V. Affirmant alij ideo non posse voluntatem amare sine cognitione præuia, quia sicut appetitus innatus non potest nec diuinitus dari, nisi in bonum reipsa, ita appetitus elicitus, inquiunt, non potest nec diuinitus ferri nisi in bonum in esse apprehēso, sicut enim ille sequitur rem ipsam, ita hic sequitur apprehēsionem: Quam rationem latius prosequutus sum disp. præcedente s. 6. n. 6.

Respō. dendo disparitas.

VI. Resp. tamen negando consequentiam, Disparitas est, quia cùm appetitus innatus sit ipsa entitas rei quicquid habet, habet naturaliter. Appetitus verò elicitus, cùm sit quid distinctum ab ipsa re, actus ominium

vnall inter appetitum obiectum, & amatum.

mirum aliquis, seu operatio, & possit produci à solo Deo, & vniri subiecto apto, vt suprà vidimus, non est cur haberi non possit sine cognitione præuiâ, quæ ideò solùm videtur requiri, vt proponat obiectum, non eget autem principium volitiuum propositione obiecti, nisi vt eliciat actum, non vt aliunde productum accipiat. Nec item est necessarium vt quando quis amat aliquid, possit reddere rationem illius quod amat, & dicere quid sit; hoc enim solùm requiritur naturaliter, non supernaturaliter, imò nec semper naturaliter, nisi modo quodam confusissimo: neque enim cognitio est partiale obiectum actûs amoris.

Non est opus vt amans reddere illius semper rationē possit, quod amat.

VII. Dico primò: non potest voluntas liberè amare vel odisse obiectum aliquod sine cognitione præuiâ, nec diuinitùs. Videtur clarum, potentia enim libera est illa, quæ positis omnibus requisitis potest operari & non operari; sed implicat contradictionem vt possit principium aliquod liberè determinare ad amandum obiectum, nisi sciat quid sit illud in quod ferri velit, vel à quo actum suspendit; ergo ad operationem liberam necessariò prærequiritur cognitio rei in quam ferri debet.

Voluntas nequit liberè amare, etiam diuinitùs, incognitū.

VIII. Dico secundò: licèt affirmari possit, volitionem essentialiter præsupponere cognitionem, sicut corpus supponit Vbi, vnio extrema &c. & consequenter probabiliter asserere liceat, non posse, nec diuinitùs, actum voluntatis produci à solo Deo, & infundi sine præuiâ cognitione: difficile tamen est rationem huius ostendere, præsertim cùm non videatur cur saltem in lapide ponere huiusmodi actum non possit Deus sine cognitione.

Probabile est non posse voluntatem, nec diuinitùs, ferri in incognitum.

IX. Videtur ergo probabilius posse infundi animæ actum amoris sine cognitione præuiâ, & consequenter posse voluntatem amare obiectum quod non cognoscit, amore tamen necessario, & à solo Deo producto, ipsique infuso; nulla enim hac in re apparet contradictio, vel ratio valdè vrgens, cùm non ob aliud requiratur cognitio, quàm ad determinandam potentiam circa obiectum: si autem Deus solus producat hunc actum, & eum infundat animæ, non requiritur hæc cognitio ex parte animæ: nec enim anima se hîc & nunc determinat ad actum illum voluntatis producendum, sed à Deo productum recipit

Probabilius tamen est, posse voluntatē, per actum à sol. Deo productū, ferri in incognitum.

SECTIO V.

Quomodo actus voluntatis pendeant ab actibus intellectûs.

I. DIximus sec. præcedente ita actus voluntatis dependere ab actibus intellectûs, vt non possit naturaliter operari voluntas nisi præuio actu aliquo intellectûs. Hic ergo vlteriùs inquirimus, in quo genere, actus voluntatis à cognitione seu obiecti propositione dependeant, vtrùm scilicet actus intellectûs efficienter ad volitiones concurrant, an solùm in genere causæ directiuæ, obiectum scilicet repræsentando, illudque potentiæ appetitiuæ proponendo.

Status præsentis controuersia.

II. Affirmant aliqui concurrere actus intellectûs ad actus voluntatis tanquam causas efficientes partiales simul cum voluntate: ita Molina 1. p. quæst. 10. art. 2. d. 3. Caiet. & alij nonnulli, quos multi hodie sequuntur ex recentioribus.

Dicunt aliqui cognitiones efficienter producere volitiones.

III. Dicendum tamen actus intellectûs non concurrere nec partialiter effectiuè ad actus voluntatis. Ratio à priori est, quia sufficienter intelligitur causalitas actuum intellectûs in actus voluntatis quòd proponant obiectum, in quod feratur voluntas eliciendo suos actus circa illud, nec ob aliud requirit actum intellectûs, nisi quia est potentia cæca, egetque illuminatione circa obiectum in quod debeat tendere; sicque causalitas intellectûs respectu actuum voluntatis est intentionalis non physica, seu dirigendo, non efficiendo: ita S. Thomas 1.2. quæst. 9. ar. 1. & 1. p. qu. 27. ar. 4. & q. 82. a. 4. & de Verit. quæst. 22. ar. 12. Henric. quodlib. 9. quæst. 5. Scotus in 2. d. 25. quæst. 1. Capreol. in 2. d. 25. quæst. 1. art. 3. Ferrar. cont. Gentes, l. 1. cap. 44. Valc. 1.2. d. 2. quæst 4 p. 1. §. *Tertia tamen*, & alij passim.

Actus intellectus nō concurrunt efficienter ad actus volūtatis.

IV. Dices; Verbum Diuinum spirat tertiam Personam, eamque verè producit, ergo & Verbum creatum producet amorem. Negatur consequentia; ratio est; quia communicatur Filio à Patre natura Diuina vt natura, vt dixi in lib. de Generat. d. 5. & consequenter vt fœcunda & operatiua ad intra. Cùm ergo non supersit alia operatio ad intra, præter amorem, debet secunda Persona, quæ est Verbum, esse productiua amoris, seu tertiæ Personæ. Deinde, identificatur in Verbo Diuino ratio Verbi & vis spiratiua, quod non contingit in creatis. Tandem, Verbum Diuinum non producit Spiritum Sanctum formaliter per intellectum, sed per voluntatem, sicque lata est quoad hoc disparitas inter Verbum Diuinum, & creatum.

Licèt Verbum increatum producat amorem, non tamen sequitur idem facere Verbum creatum.

V. Quæres secundò, qualis actus intellectûs requiratur ad volitionem, apprehensio, an iudicium? Imprimis ad simplicem complacentiam certum est non requiri nisi apprehensionem, quod indubitatum videtur apud omnes. Difficultas ergo est de actu efficaci. P. Suarez d. 23. Met. sect. 7. Salas 1.2 tract. 1. d. 5. s. 1. & alij nonnulli asserunt, ad volitionem efficacē non sufficere apprehensionem, sed requiri iudicium. Vasq. è contrà, To. 1. in 1.2. d. 44. ca. 2. censet, ad volitionem, etiam efficacem, sufficere solam apprehensionem: quem communiter hac in parte sequuntur recentiores, videturque probabilior sententia.

Ad volitionem efficacem eliciendam sufficit simplex apprehensio.

VI. Ratio est, quia non minùs efficax est apprehensio spiritualis ad mouendum appetitum, vt ita dicam, spiritualem, seu voluntatem, quàm apprehensio materialis ad mouendum appetitum materialem, sed apprehensio materialis potest mouere efficaciter appetitum materialem, vt videmus in brutis, quæ nullos eliciunt actus iudicij, ergo & apprehensio spiritualis mouere poterit efficaciter voluntatem. Notandum tamen, non quamcunque apprehensionem sufficere ad determinandum voluntatem ad actum efficacem amoris, vel odij, sed eam solùm quæ ita apprehendit rem, vt sufficiat ad proximè determinandum ad iudicium & assensum, vel quæ apprehendit rem vt conuenientem aut disconuenientem; huiusmodi autem apprehensio æquiualet iudicio quoad excitandum affectum.

Ratio est; quia apprehensio materialis mouet efficaciter, ergo idem præstare poterit spiritualis.

Qualis apprehensio ad hoc requiratur.

VII. Hinc soluitur quod obiicit P. Suarez loco suprà citato, sequi scilicet ex hac sententiâ, posse odio haberi beatitudinem, potest enim, inquit, quis eam apprehendere, apprehensio autem non magis determinat ad vnam partem, quàm ad aliam, ergo ex vi huius apprehensionis potest iam odisse eam, quàm amare; ergo per hanc apprehensionem determinari poterit ad eam odio habendam. Resp. enim, apprehensionem quæ determinat ad amandum aliquid, non debere illud apprehendere quomodocunque, sed apprehendere vt bonum & conueniens iuxta proximè dicta; vt autem illud quis auersetur, apprehendi debet vt disconueniens, seu vt aliquo modo malum.

Non hinc sequitur posse aliquē odisse beatitudinem.

VIII. Beatitudo ergo, si apprehendatur vt beatitudo, debet necessariò apprehēdi vt bona, & conueniens, cùm beatitudo ex suâ definitione sit *complexio omniū bonorum*, & consequenter non potest odio haberi: si autem apprehendatur vt mala, iam non apprehendi-tur

Beatitudo, cùm sit complexio omnium bonorum non

potest apprehendi vt mala.

tur beatitudo nisi nomine tenus, cùm sit implicatio in terminis, vt complexio omnium bonorum, & in quâ nihil mali potest reperiri, apprehendatur vt mala.

IX. *Vt voluntas operetur non est opus actu reflexo intellectus.*

Vt autem voluntas feratur in obiectum, non eget actu intellectûs qui reflexè dicat esse hic & nūc eliciendum talem actum voluntatis, sed sufficit quòd repræsentetur bonitas, vel malitia obiecti, quâ repræsentatâ fertur in obiectum illud voluntas, & actum elicit circa illud, licèt pro obiecto non habeat vllum suum actum.

X. *Voluntas ad operandum non eget imperio practico explicato his verbis. FAC HOC.*

Nec etiam requiritur ad hoc vt volūtas operetur, imperium illud practicum quod ponunt quidam in intellectu respectu voluntatis explicatum per has voces, *fac hoc*; nec enim aliud requiritur ad hoc vt potentia indifferens, seu libera se determinet, quàm vt ipsi proponatur obiectum sufficiens: licèt enim potentia necessaria indifferens suo modo, hoc est, indeterminata, non possit se determinare, potest tamen potentia propriè indifferens seu libera; in illâ enim prouenit indifferentia ex imperfectione & impotentiâ, in hac verò ex perfectione & potentiâ ad vtramque partem condictionis, vt videbimus disp. sequente: potentia enim libera illa est, quæ, *positis omnibus requisitis; potest operari & non operari*; quod est, posse se determinare ad operationem, quod manifestum est procedere ex perfectione.

DISPVTATIO XXIV.

De libertate voluntatis.

SECTIO PRIMA.

An sit, & quid sit libertas in actu primo.

I. *Libertas quadruplex.* *A miseriâ.*

Libertas quadruplex est: *à miseria, à peccato, à coactione, & à necessitate.* Libertas à miseriâ est libertas *gloriæ*, gloria enim seu beatitudo, cum sit *complexio omnium bonorum*, excludit omnem miseriam. De qua proinde loquitur Apostolus ad Romanos 8. v. 21. *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Libertas à peccato est libertas *gratiæ*, quâ nimirum liberamur à iugo & seruitute peccati: de qua idem Apostolus ad Rom. 6. v. 18. *liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Libertas à coactione est, dum aliquid sine violentia fit, seu nullâ vi illatâ ab extrinseco, quantumuis necessariò fiat. Hoc sensu dicunt Theologi quidam processionem Spiritus Sancti, & amorem etiā tum Dei erga seipsum, tum beatorum erga Deum, esse liberum, hoc est, maximè spontaneum, & volūtarium, nempe sine vllâ omninò vi extrinsecus illatâ elicitum.

A peccato. *A coactione.*

II. *A necessitate.*

Quarta demum libertas est, libertas à necessitate; quæ ab alijs vocatur libertas indeterminationis & indifferentiæ, ad agendum scilicet, & non agendum: de qua Apostolus 1. ad Corinth. 7. v. 37. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.*

III. *Hic agimus de solâ libertate à necessitate.*

De hac solâ libertate in præsenti loquimur, quæ scilicet radix est & fundamentum meriti omnis, ac demeriti. Vnde à Pio Quinto, & Gregorio XIII. in speciali bullâ damnatæ sunt hæ propositiones: *Quod voluntariè fit etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit: sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* In quem etiam sensum loquuntur frequentissimè sancti Patres: sic S. Gregorius Nazianzenus in Apologet: *Arbitrij libertas*, inquit, *parem in vtramque partem motum habet.* Et vt alios omittam, qui videri possunt apud Bellarminum, Suarez, & alios, S. Augustinus tom. 1. lib. 3. de libe. arbitrio cap. 18. *Si laboriosum*, inquit, *est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene: Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.*

Pulcherum S. Augustini testimonium pro libertate.

IV. *Certissimū est dari in hominibus liberum arbitrium.*

Dari itaque in homine liberum arbitrium, seu potestatem operandi, ita vt possit etiam operationem omittere, ita manifestum est, vt supponendum potiùs sit, quàm probandum, cùm & clarâ quisque in se id sentiat experiētiâ, & vniuersus in hoc omnium conspiret sensus, quodque caput est, clarissimis sæpe in Scripturâ affirmetur testimonijs, Conciliorumque definitionibus, quæ videri poterunt apud Suar. d. 19. Met. sect. 2. Valen. 1. p. disp. 6. qu. 6. pun. 4. & alios. Vnde nervosè & eruditè hæreticos nostri temporis hac in parte exagitat P. Hurtado hîc, d. 15. sect. 2. manifesteque probat dari in hominibus huiusmodi liberum arbitrium, seu potentiam ad vtramque partem contradictionis. Quod etiam doctissimè præstant Bellarminus, Becanus, & alij, qui contra hæreticos hac nostrâ ætate scripserunt: quare nihil opus plura isthic hac de re attexere.

V. *Definitio libertatis in actu primo.*

Definitur communi Philosophorum consensu libertas in actu primo, seu potentia libera, nēpe eam esse, quæ, *positis omnibus ad operandum requisitis, potest operari, & non operari*: operantur enim & non operantur etiam bruta, & inanimata, sed ita, vt cùm operantur, cessare ab operatione non possint, & cùm non operantur, ideò est, quia operari non possunt, sed aliquid deest vt sint proximè expedita ad operādum: quod manifestè arguit impotentiam.

VI. *Differentia in modo operandi inter liberas, & non liberas.*

Secùs res se habet in causis liberis, quę etiā quando sunt proximè expeditæ ad operandum, possunt tamen & operari, & operationem omittere, simul enim habent potentiam ad vtrumque. Agentia verò inanimata, & animata necessaria habent solùm potentiam operandi, vel impotentiam operandi, id est, vel habent potentiam ad operandum, vel non habent: libera verò & habent potentiam ad vnum & ad aliud, habent quippe vtramque potentiam simul, simultate tenente se ex parte potentiæ, non effectûs: nec enim potest simul esse actus, & actûs omissio.

VII. *Potentia passiua, quà passiua, non potest esse libera.*

Illud *ad operandum* significat libertatem consistere in agendo, non in patiendo, nec enim potentia passiua, quà passiua est libera, sed tota quasi accommodat se ad arbitrium principij agentis, penes quod est, vt passiua recipiat, vel non recipiat actionem: nec enim si agens velit agere, est in potestate passi non pati: causa enim efficiens iuxta Aristotelem est, *vnde primò incipit motus*, nempe ordine executionis, non intentionis, hoc enim tribuitur causæ finali, quæ hoc sensu primò mouet ad agendum, estque ratio cur aliæ omnes causæ applicentur.

VIII. *Libertas contrarietatis, & contradictionis.*

Libertas duplex est, *Contrarietatis*, & *contradictionis*: hæc necessariò requiritur ad libertatem, estque indifferentia ad eliciendam vel omittendam actionem, seu libertas ad actum & negationem actûs, quę est illius contradictoria. Libertas *contrarietatis* est libertas ad actum, & illius contrarium, vt ad amorem, & odium, ad assensum & dissensum &c. ita vt pro

illo

illo priori babeat principium libertatem & ad eliciendum amorem, & ad eliciendum odium, licèt non ad vtrumque eliciendum simol, vt iam sæpius est declaratum. Vnde siquis solùm possit elicere actum vnius rationis, vt tantùm amorem, vel tantùm odium, diceretur necessitatus quoad specificationem: si verò non posset omninò non agere seu omittere actionem, diceretur necessitatus quoad exercitium, quæ est necessitas simpliciter, & nullo modo stare potest cum libertate.

Necessitas quoad specificationē, & quoad exercitiū.

IX. *Ex omnibus potentiis sola voluntas est formaliter libera.* Inter omnes potentias voluntas sola est libera, vtpote quæ sola vim baber operandi & non operandi, seu se determinandi, intellectus enim proposito debitè obiecto, cessare ab opere non potest, magis quā visus propositā luce, vel albedine. Si autem propositis obiectis non prodeant visus & intellectus in actū, est quia prodire non postunt defectu alicuius ex parte actùs primi requisiti.

X. *Quæ requirantur vt voluntas sit proximè libera.* Vt tamen voluntas sit proximè libera, requirit quædam alia connotata, vt cognitionem deliberatam, seu cum sufficienti aduertentiā rationis concursum Dei indifferentem, vt obiectum non sit infinitum & clarè visum, tunc enim necessariò rapit voluntatem ad amorem: quæ si adsint, voluntas est proximè libera; si verò aliquid ex illis absit, est voluntas solùm libera radicaliter & remotè: hoc autem semper retinet etiam in pueris & amentibus, in quibus ex parte sui, & quoad intrinseca, babet eamdem vim operandi liberè atque in adultis; & ratione vtentibus, licèt prodire in actum non possit, defectu alterius requisiti.

XI. *Licèt à voluntate varia requirantur ad operandū, illa tamen non sunt, nec partialiter libera.* Nec ex hoc quòd voluntas, vt sit proximè libera, requirat aliqua alia concomitantia, licet inferre eam solam non esse formaliter liberam; sicut nec rectè infertur, oculum solum non esse formaliter visiuum, licèt connotet speciem & concursum Dei: sicut enim hic ideò oculus solus dicitur visiuus, quia is solus est qui in actu secundo videt, & percipit obiectum, licèt species simul cum oculo coefficiat visionem; ita voluntas etiam sola est libera, non cognitio, & alia, nec partialiter, licèt ad operandum requirantur ex patte principij in actu primò, quia nimirum in solius voluntatis potestate est facere & omittere actionem, & consequenter in ordine ad illam solam actio censetur libera.

SECTIO II.

Sitnè libertas in actu secundo actibus voluntatis intrinseca.

I. *Libertas duplex, in actu primo, & in actu secundo.* SVpponit quæstio libertatem esse duplicem, alteram in actu primo, quam modo declarauimus sectione præcedente; alteram in actu secundo, quæ nihil aliud est quàm exercitium libertatis prioris, & ipsa actio quam elicit. De libertate in actu primo certum est quoad radicale quod dicit, esse illi libertatem intrinsecam, cùm sit ipsa eius essentia, licèt vt sit proximè libera, nonnulla alia requirantur, vt dictum est sectione præcedente, n. decimo.

II. *Docēt aliqui libertatem esse actibus intrinsecam.* Libertatem ergo in actu secundo esse actibus intrinsecam tenent multi ex recentioribus secun Capreolum, Ferrar. & alios nonnullos, quam etiam opinionem latè probat P. Hurtado d. 15. de Ani. sec. 6. subs. 2. & sequentibus.

III. *Ex eo quòd vitalitas sit actibus intrinseca, non sequitur liber-tatem ēsse intrinsecam.* Arguunt primò: vitalitas est actui intrinseca, ergo & libertas actui libero. Negatur tamen consequentia, disparitas est, quia actum esse vitalem dicit procedere actu à principio intrinseco, naturaliter saltem loquendo; vnde, potest voluntas operari & exercere aliquos actus, imò de facto illos producit necessariò, & non cum indifferentiā & indeterminatione; at operari & producere in se actum voluntatis non vitaliter, nō potest. Deinde, vitalitas est adæquatè intrinseca potētiæ vitali, non sic libertas potentiæ liberæ; hæc enim præter id quod dicit ex parte potentiæ & intrinsecè, connotat tamquam quid constituens partialiter libertatem, concursum Dei indifferentem, & non determinatum ad vnum. Licèt verò, vt potentia vitalis possit operari, requiritur etiam concursus Dei, hic tamen concursus non constituit formaliter potentiam vitalem, ne quidem partialiter, cùm sit principium extrinsecum: vitalitas autem vt suprà ostendimus, ex conceptu suo est formaliter, & adæquatè intrinseca.

IV. *Obi. potētia libera aliquam perfectionē trāsfundit in actum, quam non trāsfundit necessaria.* Arguunt secundò: potentia libera babet aliquam perfectionem peculiarem intrinsecam, quam non babet necessaria, ergo bæc perfectio relucere debet in actu, ergo perfectionem aliquam confert actui libero supra actum necessarium, ergo actus liber & necessarius essentialiter differunt, ergo libertas & necessitas sunt actibus intrinsecæ. Resp. potentiam liberam, qualis est voluntas, conferre aliquid intrinsecum suis actibus quod potentia merè necessaria, & quæ non potest esse libera (quales sunt potentiæ brutorum & rerum inanimatarum) non confert suis. *Resp. ostēdendo quæ sit illa perfectio,* Peculiaris autem hæc, & intrinseca perfectio actuum voluntatis est, quòd licèt subinde sint actus voluntatis necessarij, habent tamen aptitudinem vt fiant liberi, quod actibus aliarum potentiarum non competit; ita enim sunt necessarij, vt fieri liberi nullo modo possint; nec enim vllā ratione potest ignis liberè comburere, vel equus aut leo rugire, aut currere liberè.

V. *Obii non posse actū non malū transire in malū, nisi libertas sit actui intrinseca.* Arguunt tertiò: ponamus aliquem babere actum, seu volitionem indeliberatam & necessariam occidendi inimicum, fiat hic actus postea per plenam aduertentiam liber, Deo iam displicet hic actus, antea non displicebat, ergo aliquid ei iam additur mali, quod antea in illo non erat, sed nihil est huiusmodi, nisi dicatur esse nouus actus intrinsecè liber & malus, substitutus loco prioris, ergo actus liber & necessarius differunt intrinsecè, & per suas entitates, & non solùm extrinsecè.

VI. *Ostēditur quomodo possit actus ille indeliberatus transire de non malo in malum.* Resp. sæpe contingere, denominationem aliquā tribui partialiter à re quæ in se denominationem illam non babet; sic denominatio prioris, posterioris, superioris, inferioris, primi, secundi &c. tribuitur à rebus quæ denominationes illas in se non continent; dicitur enim hesternus dies prior ab hodierno, & sic de aliis. Sicut ergo potest aliquid denominari prius ab eo quod non est prius, sed posterius, ita quidni poterit aliquid denominari malum ab eo quod in se formaliter malum non est? Actus ergo malus duo dicit; potestatem in voluntate faciendi & omittendi, & quòd obiectum sit prohibitum; quocunque autem ex his deficientibus, actus non est malus. Vnde vlteriùs, sicut lex vel prohibitio, licet in se bona, potest tamen extrinsecè constituere partialiter actū aliquem contrarium legi, ita quidni potent aduertentia, licèt in se bona, constituere tamen partialiter actum extrinsecè liberum & malum? *Lex bona reddit actum malum.*

VII. *Non displicet Deo aduertentia, sed actus in his circumstantiis.* Dices; ergo Deus odit hanc aduertentiam, quod tamen fieri nequit; aduertentia enim non est mala, ergo non potest esse obiectum odij. Respondeo primò aduertentiam nec esse malam, nec Deo displicère, sed actum illum in his circumstantiis Deo displicere. Sicut è contrario, dum quis valde laborat siti, haustus frigidæ ipsi placet, & est pretio æstimabilis, non quòd sitis placeat, vel sit æstimabilis, sed positā siti, seu in his circumstantiis placet & est pretio æstimabilis frigida.

VIII. Secundò dici potest, licèt nec actus, nec aduer-

Licèt vna-tra pars per se Deo displiceat, potest tamen totum displicere.

tentia per se sit quid malum, vtrumque tamen coniunctum constituere vnum obiectum malũ, & Deo displicere. Sicut enim in pulchritudine physicâ, licèt subinde singulæ partes sigillatim sumptæ, sint pulchræ, si tamen inter se coniungantur, totum constituũt deforme, vt si magnus oculus ex facie sibi proportionatâ desumptus, statuatur in paruâ facie, aut è contrà: idem contingere potest in pulchritudine morali, quæ non minùs habet partes suas, quàm pulchritudo physica suas, possuntque, licèt sigillatim pulchræ, coniunctæ tamen constituere obiectum turpe ac deforme.

SECTIO. III.

Alia argumenta contendentia libertatem esse actibus intrinsecam, & resoluitur quæstio.

I. *Actus secundus liber, solùm quoad influxum distinguitur adæquatè à primo.*

ARguunt quartò: operatio libera est actus secundus, & exercitium potentiæ liberæ: sed actus secundus debet adæquatè distingui à primo, ergo actus liber debet in se esse intrinsecè liber, & non constitui in esse per denominationem extrinsecam à potentiâ liberâ, sic enim actus quà liber, non distingueretur adæquatè à potentiâ. Resp. actum secundum debere distingui adæquatè à primo quoad influxũ, & entitatem productam, non tamẽ quoad denominationem quam in se habet; sicut licèt ignis A producens ignem B, debeat necessariò ab illo distingui, non tamen secũdùm omnem denominationẽ quam habet distinguitur ab eo adæquatè, in ratione enim prioris aut posterioris constituuntur per se inuicem extrinsecè inadæquatè.

II. *Actu transeunte de necessario in liberum, exercetur libertas à potentiâ formaliter, non efficienter.*

Arguunt quintò: quando potentia de operante *necessariò*, transit ad operantem liberè, tunc primò exercet suam libertatem, ergo tunc debet producere operationem liberam, omissâ necessariâ. Distinguo antecedens, tunc primò exercet suam libertatẽ formaliter, concedo antecedens; efficienter, nego. Non ergo est necessarium, vt tunc de nouo efficiat operationem aliquam, quod est efficienter exercere libertatem, sed vt eundem actum conseruet, ita tamen vt possit omittere: quod dum facit, operatur liberè formaliter, non quidem primò producendo operationem, sed conseruando.

III. Arguunt sextò: diuersa sunt principia actûs liberi, & necessarij, ergo & actus ipsi erunt diuersi, vtpote qui necessariò mutantur pro diuersitate agentium. Resp. primò, negando antecedens; principia enim voluntatis operantis, tum liberè, tum necessariò, sunt sola voluntas & omnipotentia Dei, & subinde habitus, hæc autẽ eadem principia in actu primo manent, tam in actu libero, quàm necessario.

Eadem esse possunt principia actûs liberi & necessarij.

Dices; mutatur cognitio, nam ex non plenè aduertente redditur intellectus plenè aduertẽs quod necessariò fit per nouum actum intellectûs. Resp. esto hoc ita sit, non tamen mutari principia actûs voluntatis, cognitio enim non influit physicè in actus volũtatis, vt dixi d. præcedente, sec. 5. n. 3. sed solùm est conditio requisita per modum propositionis, & quasi applicationis obiecti. Secundò resp. eandem qualitatem posse produci à diuersis principiis, vt idẽ calor productus à sole, potest conseruari vel etiam primò produci ab igne, ergo hoc argumẽto ad summum conficitur mutari actionem, non tamen terminum actionis. Sed, vt dixi, probabilius est, nec actionem mutari.

Idem actus potest procedere à diuersis principiis.

IV. *Conclusio: libertas nõ est actibus adæquatè intrinseca.*

Dicendum ergo: libertatem esse actibus voluntatis intrinsecam partim, partim extrinsecam, nempe denominationem desumptam partialiter à potentiâ proximè expeditâ ad agendum, & non agendum, seu habente plenam aduertentiam, quâ positâ & potest ponere actionem, & potest illam non ponere, sed suspendere concursum. Ita Scotus in 4. q. primâ, Durandus in 2. d. 38. q. 1. & tertiâ, Suares de gratia. Prolegom. 1 & de Angelis l. 2. c. 35. n 9. Vasq. 1. 2. d. 55. cap. 3. n. 13. Valentia 1. 2. d. 2. q. 13. punctu primo. Tanner. 1 2. d. 2. q. 1. d. 2. n. 34. Arriaga hic, d. 8. s. 4. n. 104. Ouiedo hîc, Contr. 12. p. 8. & alij passim.

V. *Duo dicit quisquis actus liber.*

Vnde duo dicit actus liber vt liber, intrinsecum vnum, nempe procedere ex animâ, seu voluntate, vnde accipit, vt dixi, libertatem quandam radicalẽ, seu aptitudinalem, quæ non competit actibus brutorum; alterum est extrinsecum, nempe procedere à potentiâ, quæ potuit eam producere & non producere.

VI. *Ratio à priori cur libertas sit actibus intrinseca & extrinseca.*

Probatur primò ex solutione argumentorũ prioris sententiæ. Secundò, quia sicut veritas & falsitas sunt extrinsecæ actibus intellectûs, vt ostendi in Logicâ d. 44. s. 3. n 6. ita quidni libertas & necessitas actibus voluntatis? Tertiò & præcipuè, quia eo ipso quod intelligimus actum procedere à principio libero, seu quòd ita illum producit, vt possit non producere, intelligitur actus ille esse liber, ergo non est opus vt concipiamus nouum aliquod prædicatum in illo intrinsecum; ipso facto enim quòd procedat à principio libero & indifferente, habet esse liberum; sed actus liber semper procedit à principio indifferente & libero, ergo semper necessariò habet hanc libertatem extrinsecam, ergo vel dicendum habere duplicem libertatem, quæ tamen esset planè superflua, vel asserendum libertatem non esse actibus intrinsecam, sed solùm partim intrinsecam, partim extrinsecam, vt suprà declaratum est.

SECTIO IV.

An actus sit liber pro primo instante quo est.

I. *Actus, primo instante quo est, est liber.*

REsp. actum primo instante quo elicitur, esse liberum. Primò, quia Deus ab æterno habuit actum liberum creandi mundum, sed nullum est instans prius eo quod est ab æterno, ergo. Secundò, visio denominat oculum videntem, & lux aërem lucidum, aut calor calidum primo instante quo sunt hæ qualitates in oculo & aëre, ergo & actus liber primo instante quo est, denominabit potentiam liberè agentem.

II. *Ostenditur actum liberum primo instanti quo est, esse liberum.*

Dices; actus licèt sit primo instante, non tamen est pro illo instante liber, sed solùm pro sequentibus, in quibus potest esse & non esse. Contrà primò, ergo nec Deus habuit actum liberum ab æterno, cùm idem argumentum de actu Dei fieri possit, vt constat: imò actus Dei nunquam fuisset liber, quia posito semel quòd sit, nunquam potest non esse. Contrà secundò, quando peccator quispiam elicit actum odij Dei, primo instante quo illum elicit, potuit non elicere, ergo actus ille, primo instante quo fuit, fuit liber.

III. *Nisi actus sit liber pro primo instante, non erit liber pro sequentibus.*

Contrà tertiò si actus ille non sit liber primo instante, ergo nec sequentibus: si enim ideò sit liber secundo instante, quia potuit in illo non esse, ergo & primo, cùm in illo etiam, potuerit non esse: vnde & Angelus creatus ab æterno potuisset ab æterno elicere actum liberum, vt in Physicis diximus. Contrà quartò, ergo siquis in instante A existens in gratiâ, eliceret in instante B actum odij Dei, & sequente statim instante moreretur, non damnaretur. Et idem è contrario est de peccatore in instante A eliciente actum contritionis, & moriente in instante B, ita vt vno tantùm instante actus ille contritionis existat, hic enim secundùm hanc sententiam damnaretur.

Sequeretur peccatorẽ, in instanti A elicientẽ actum contritionis, & mortuum in instante B mortuũ, damnãdum.

IV. Dices secundò; posito quòd actus sit, non potest

non

Vt actus sit liber, sufficit, quod pro priori naturæ potuerit non esse.

non esse, sed primo instante est, ergo non potest in illo non esse, ergo non est tunc liber. Contrà, posito quòd perseueret, non potest non perseuerare, sed secundo instante perseuerat, ergo secundo instante non potest non esse, ergo non est liber. Resp. ergo, vt actus sit liber, sufficere quòd pro aliquo priori, non temporis sed naturæ potuerit non esse, esto, posito quòd sit, non possit non esse, hæc enim solùm est necessitas secundùm quid, & consequent, nempe supposito quòd sit, quæ necessitas non obstat libertati actûs.

V. *Magis declaratur hæc prioritas naturæ in actu libero.*

Vt ergo actus aliquis sit liber, sufficit quòd potentia pro aliquo priori naturæ, seu signo rationis potuit illum non elicere, tunc enim ita est, vt potuerit illo instante reali non esse, cùm ita eum producat potentia, vt potuerit tunc non producere; potentia quippe libera ea est, vt diximus, quæ *posito omnibus requisitis in actu primo, potest operari & non operari*; ergo eo instante quo ponuntur omnia requisita, debet habere hanc indifferentiam, seu potentiam operandi & non operandi; ergo actus, qui eo instante elicitur, ita est, vt potuerit illo instante non esse, ergo illo instante est liber, hæc enim est definitio libertatis. Imò potentia actum hunc illo instante producendo, exercet tunc suam libertatem.

VI. *Actus primo instāti ita ponitur, vt possit nō poni, ergo est liber.*

Conf. quocunque instante ponuntur omnia requisita, potest potentia libera operari & non operari, ergo actus illo instante ita ponitur, vt possit tunc non poni, alioqui nec secundo instante, nec vllo ex sequentibus erit liber, vt iam dictum est. quocunque enim instante conseruatur, ideo liberè conseruatur, quia potentia ita illum tunc conseruat, vt possit tunc non conseruare; instantia autem omnia præcedentia perinde se habent ad illud instans, atque si omninò non fuissent.

SECTIO V.

An transire poßit actus de libero in necessarium, & è contra; vbi etiam de iudicio indifferente.

I. *Potest idem actus transire de libero in necessarium.*

QVoad primum resp. posse actum transire de necessario in liberum, & è contrà. Explicatur & probatur: ponamus Petrum habere volitionem occidendi inimicum, quæ tamen volitio procedat ex cognitione indeliberatà, postea, manente eàdem volitione, habeat cognitionem deliberatam, & plenam aduertentiam illius obiecti, iam ille actus ita est, vt possit non esse, & consequenter est liber, cùm tamen antea esset necessarius, & per eum Petrus non peccaret. Dicere autem adueniente huiusmodi cognitione, mutari necessariò actum illum, & nouum produci, videtur gratis affirmari, cùm nulla talis essentialis dependentia assignari possit huius actûs voluntatis respectu illius cognitionis, vt mutatà cognitione mutari necessariò debeat actus etiam voluntatis, præsertim cùm, vt suprà diximus disp. præcedente. sec. quintà, actus intellectûs non influant physicè in actus voluntatis, sed solùm ad hoc deseruiant, vt proponant obiectum.

Gratis dicitur priorē actū voluntatis cessare, & nouum emergere.

II. *Cur licèt actus nequeat trāsire de vero in falsum, possit tamē de libero in necessarium.*

Dices; non potest actus transire de vero in falsum, cum tamen veritas sit actui extrinseca; ergo nec de libero in necessarium, vel è contrà. Resp. negando consequentiam, disparitas est clara: nam si actus transiret de vero in falsum, mutaret obiectum, vt in Logicà fusè ostensum est disp. 45. hîc autem nihil huiusmodi contingit, sed solùm sequitur mutari intellectionem & loco cognitionis indeliberatæ substitui deliberatam, in hoc autem quid repugnantiæ? Dispar ergo maximè quoad hoc est ratio in voluntate, & intellectu.

III. *An, stante iudicio ex se indifferente, possit aliūde voluntas cogi.*

Quæres, vtrùm stante iudicio indifferente de aliquo obiecto, possit aliunde voluntas cogi, saltem per Diuinam potentiam, ad amandum, vel odio habendum illud obiectum? Plurimi ex recentioribus negant: nam voluntas, inquiunt, pro illo priori est libera, & consequenter quod agit ex vi huius cognitionis, liberè agit. Ad difficultatis intelligentiam notandum, iudicium seu cognitionem indifferentem esse illam, quæ est deliberata cum plenâ aduertentiâ: si verò sit de obiecto infinito, videlicet Deo, non debet esse clara illius repræsentatio, qualis est visio beata, quæ propterea rapit sanctos necessariò in amorem Dei, & consequenter in ordine ad hunc actum tollit eorum libertatem.

Quid sit iudicium indifferens.

IV. *Potest necessitari voluntas, quāmuis in intellectu sit iudicium ex se indifferens.*

Dico itaque stante iudicio indifferente de obiecto aliquo, posse aliunde necessitari voluntatem ad amorem illius vel odium. Probatur, si Deus infunderet Petro physicam prædeterminationem posito priùs in intellectu ipsius, iudicio ex se indifferente, Petrus necessitaretur ad opus illud, seu actum eliciendum. Dices; principium ibi est indifferens, ergo non est necessitatum. Distinguo antecedens, est indifferens adæquatè, nego antecedens: inadæquatè, concedo: licèt enim actus ille intellectûs ex se non necessitet, habet tamen secum coniunctum aliud principium necessitans: ad tollendam autem libertatem sufficit vel ex vno principio ita cogi operantem, vt stante illo, omittere operationem non possit, quod contingit in præsenti; *bonum* enim, vt aiunt, *ex integrâ causâ*. Quod declaratur, quia licet Beati habeant cognitionem infusam, vel etiam naturalem Dei, per quam præcisè non rapiuntur necessariò in illius amorem, cùm tamen simul habeant visionem beatificam, ex vi huius rapiuntur ad necessarium amorem Dei; ergo ad tollendam libertatem sufficit vel vnum, quod per modum causæ antecedenter dicat necessariam connectionem cum effectu.

Bonum ex integrâ causâ.

V. *Idem planè est obiectū actus liberi, & necessarij.*

Nec obstat quod contra hoc opponunt quidam, nempe sequi, voluntatem ferri in incognitum. Negatur enim hoc sequi, nihil enim amat voluntas in hoc casu, quod non cognoscit; sicut per actum liberum & necessarium amatur idem omninò obiectum adæquatè: ergo quòd actus sit liber vel necessarius, nil opus est mutari quidquam in obiecto, sed stante eàdem cognitione, & ex se indifferente, potest voluntas cogi ab extrinseco, & determinari ad vnum, nempe per concursum Dei, per quem cogi potest, aut per aliquod aliud principium necessitans, licèt cætera principia sint indifferentia ad assentiendum vel dissentiendum illi obiecto.

SECTIO VI.

De poßibilitate creaturarum quarundam rationalium.

I. *Quæstiones de possibilitate rerū diuinationis plurimum habent, vtilitatis parum.*

HÆc quæstio, de variis scilicet creaturis rationalibus possibilibus, non est hoc loco omittenda: nec enim tanti mihi videtur, vt in illius discussione diu quis moretur, & argumenta vel in vnam partem vel alteram exquirat, cùm in istiusmodi quæstionibus ægrè quis inueniat in quo figat pedem, &, non dico cum certitudine, sed vel cum probabilitate quidquam pronuntiet. Rem itaque paucis expediam: quæstiones enim de possibilitate rerum, diuinationis plurimum habent, vtilitatis parum.

II. *Implicat potentia intellectiua purè discursiua.*

Quæres primò, vtrùm sit possibilis potentia aliqua intellectiua purè discursiua, seu quæ elicere nō possit actum vllum immediatum. Resp. eiusmodi potentiam intellectiuam non esse possibilem. Ratio est clara, talis enim intellectus numquam posset incipere operari, cùm incipere debeat ab actu imme-

diato, primus enim actus nequit esse discursiuus, cùm actus discursiuus ille sit, qui ex alio actu antecedente infertur, ergo præcedit necessariò actus aliquis immediatus, vel dabitur processus in infinitum. Hoc etiam contingeret quoties ab omni actu cessaret, imò & dum omisso discursu circa vnum obiectum, discurrere incipit circa aliud alterius planè rationis, quodque nullam habet connexionem cum præcedente. Debet ergo posse elicere aliquos actus, præter discursiuos.

III. *Possibilis est intellectus, qui ad omnia obiecta non extendatur.* Quæres secundò, vtrùm possit dari intellectus, qui ad omnia obiecta non extendatur, sed sphæram quasi habeat hac in parte limitatam? Nullam video huius rei implicantiam: sicut enim in rebus materialibus cognoscitiuis, videmus eas esse ad certa obiecta limitatas, ita non est cur intellectibus quibusdam possibilibus, certi hac in re limites nequeant à naturâ præscribi. Vnde omnis intellectus non necessariò cognoscit ens vt ens.

IV. *Ostenditur nihilominus intellectû de facto ad omnia obiecta extendi.* Dices; ergo probari nequit nostrum intellectum de facto esse omnium obiectorum cognoscitiuum. Resp. experientiâ probari videtur intellectum nostrum ad omnia obiecta extendi; cognoscit enim omnis generis obiecta, naturalia, supernaturalia, materialia, spiritualia, Deum, creaturas, existentia, possibilia, entia, non entia, possibilia, impossibilia: ex quo probabiliter inferimus eum ad omnia obiecta extendi. Conf. dicimus omnipotentiam Dei ad omnia possibilia extendi, omniscientiam ad omnia etiam impossibilia, ergo intellectus noster aliquo saltem modo ad omnia obiecta extenditur.

V. *An sit possibilis voluntas, quæ supernaturaliter operari possit liberè, licèt non possit naturaliter.* Quæres tertiò, dari ne possit voluntas aliqua, quæ licèt naturaliter operari nequeat liberè, possit tamen operari liberè diuinitùs? Imprimis si sermo sit de actibus supernaturalibus, non videtur dubium quin supernaturaliter, seu diuinitùs exercere actus aliquos liberos possit, quos exercere nequit naturaliter, cum naturaliter nihil supernaturale producere possit. Loquendo verò de actibus naturalibus, seu quæ sunt intra naturalem sphæram agentis, nulla voluntas potest circa quodcunque obiectum operari liberè vllo modo, circa quod non possit operari liberè naturaliter.

VI. *Sit ne possibilis intellectus formaliter liber.* Quæres quartò, an possit dari potentia cognoscitiua formaliter libera, seu quæ obiecto debitè proposito assentiri pro libito possit vel dissentire. Non est quæstio vtrùm potentia intellectiua identificari possit cum volitiuâ, & in quantum est volitiua possit præbere vel cohibere assensum: imprimis enim id reperitur in Deo, & iuxta nostram sententiam potentias non distinguentem ab anima, id contingit in homine. Nec video repugnantiam cur, si potentiæ distinguantur ab animâ, non possit dari potentia accidentalis intellectiua realiter identificata cum voluntate, sicut, vt suprà vidimus, de facto statuit Durandus intellectum & voluntatem in homine, & Angelo.

VII. *Dari non quit potentia purè cognoscitiua, quæ operetur liberè.* Quæstio ergo procedit de potentiâ quæ sit tantùm cognoscitiua, an scilicet possit operationes suas exercere liberè. Mihi probabilius videtur repugnare huiusmodi potentiam intellectiuam: imò quamuis qui eam admittunt, nolint illam vocare voluntatem, existimo tamen esse imperfectam quandam voluntatem, & si à tali creaturâ rationali quæreretur, cur in obiecto obscurè proposito (de hoc enim tantùm procedit quæstio, non de obiecto, quod clarè & euidenter apparet verum, vel falsum) huic parti assensum præbeat potius quàm contrariæ, diceret, quia volo. Deinde, nulla ratio est, cur in hac sententiâ non possit dari etiam potentia intellectiua, quæ vero clarè proposito pro suâ libertate non assentiatur, quod tamen refugiunt concedere, qui libertatem intellectui concedunt.

VIII. *Nulla est repugnantia, vt detur creatura intellectiua, quæ non sit volitiua.* Quæres quintò, vtrùm dari possit creatura intellectiua non volitiua? Ego certè loquendo in ordine ad Diuinam potentiam, non solùm non video manifestam huius rei repugnantiam, sed nec vllum omninò inconueniens cur concedi huiusmodi creatura non possit.

IX. *De aliis creaturis possibilibus dictum est suprà.* De possibilitate aliarum creaturarum, vt an dari possit libertas merè passiua: an sit possibilis potentia materialis quæ percipere posit obiectum spirituale, & de aliis huiusmodi dictum ex occasione est in disputationibus iam traditis.

DISPVTATIO XXV.

De Præfinitione actus liberi.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Deus saluâ libertate præfinire posit actum liberum.

I. *Quid sit Præfinitio.* PRæfinitio de quâ hic loquimur est actus voluntatis diuinæ, quâ videns per scientiam conditionatam voluntatem creatam, si detur ei auxilium indifferens, talem actum liberè elicituram, pro aliquo priori antequam actus ille voluntatis creatæ sit absolutè futurus, vult actum illum, & consequenter postea dat aliquod ex mediis illis antea præuisis, per quod voluntas creata actum illum elicit. *Status quæstionis.* Quærimus ergo vtrùm positâ huiusmodi voluntate diuinâ posit actus ille liberè elici, æquè ac si Deus eiusmodi illius præfinitionem non habuisset.

II. *Prima asserit actum liberũ, saluâ libertate, præfiniri non posse.* Duæ hac in re sunt oppositæ sententiæ, prima asserit actum liberum per huiusmodi intentionem efficacem Dei, antecedenter ad absolutam eius futuritionem præfiniri non posse, sic enim, inquit hæc sententia, tolleretur libertas, cum ex vna parte, positâ præfinitione, actus non posit non sequi, ex aliâ verò præfinitio hæc sit antecedens; quidquid autem antecedit incompossibile cum negatione actûs, tollit libertatem. ita Vasq. 1. p. d. 89. c. 10. & d. 89. c. 3. & 7. & 3. p. to. 1. d. 74. c. 7. & alibi. Valentia 1. p. d. 2. q. 22 punc. 3. & q. 23. p. 4. Molina 1. p. q. 14 a. 13. disp. 18. Lessius de prædest. n. 17. Hence t. p. d. 23. c. 9. & alij ex recentioribus.

III. *Malè pro hac sententiâ citantur S. Anselmus & S. Damascenus.* Citatur etiam S. Anselmus. & S. Damascenus, qui tamen non loquuntur de eiusmodi præfinitionibus, de quibus hic disputamus, sed de iis, quæ, vel ipsæ per se sunt principia necessitantia immediatè, vel principia necessitantia proxima inducunt: quo modo S. Damascenum explicat S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. ad primum

IV. *Secunda sententia affirmat posse actum liberum præfiniri.* Secunda è contrà sententia affirmat huiusmodi præfinitionem efficacem non tollere libertatem, & consequenter eam esse possibilem: ita Suarez l. 1. de prædest. c. 8. n. 18. & opusc. 1. de auxiliis l. 1. c. 16. n. 4. & alibi sæpe, addens oppositam sententiam sibi nũquam nec probabilem quidem visam: Arrubal 1. p. d. 67. c. 4. Coninck de actibus supernaturalibus d. 2. dub. 7.

dub.7. P Rainaudus, Tannerus s.p.d.2. q.10.dub.8. Arriaga d.8.de animæ s.3. P. Fonseca, Henriquez & alij plurimi tum ex recentioribus, tum antiquis.

V. *Conclusio patet actus liber saluâ libertate præfiniri.*

Hanc secundam sententiam veriorem existimo. Pro cuius explicatione Notandum, intentionem, quantumcunque dicatur efficax, non tamen influere per se in actum immediatè, sed solum mediatè, seu per media proxima, quæ applicat. Vnde quantùcunque intentio sit efficax, si tamen per impossibile applicaret media inefficacia, actus non poneretur. Præcisè ergo ex vi præfinitionis actus non est futurus directè & immediatè, sed solùm quatenus ipso facto quod quis efficaciter intendit actû, debet consequenter velle media, quæ ex se habent vim & efficaciam actum illum inferendi. Ex quo prouenit totum influxum in actû adequatè procedere à mediis, seu auxilio, nec alio modo præfinitionem seu intentionem actûs in illum influere, quàm quod stante præfinitione illâ necessitatur Deus ad ponenda eiusmodi media, quæ actum inferent. Quod autem Deus necessariò det media libera, non tollitur libertas, & indifferens eorum operandi modus; sicut nec tolleretur libertas voluntatis creatæ, si Deus necessariò produceret hominem, aut angelum simul cum illorum potentiis.

Intentio nô influit in actum immediatè.

Media libera operantur liberè, licèt producantur necessariò.

VI. *Deus videt actum liberû esse possibilem per media libera, ergo potest eum efficaciter velle.*

Hoc ergo posito probatur Cõclusio primò: Deus videt per scientiam conditionatam esse actum talem liberum possibilem per huiusmodi media libera, ergo potest Deus velle actum illum eo modo quo est possibilis, & postea eius existentiam per illa media efficere, omne enim obiectum possibile potest Deus velle eo modo quo est possibile: cùm ergo videat actum illum liberum esse possibilem, potest eum velle & efficaciter intendere. Conf. quandocunque quis scit certissimè se habere media efficacia respectu alicuius finis, potest absolutè viâ intentionis dicere, *volo finem*: sic medicus sciens se habere varias medicinas, quibus possit morbum aliquem curare, aut varia media vt currum, equum &c. quibus possit ad locum aliquem tendere, potest absolutè viâ intentionis dicere, *volo curationem talis morbi, seu sanitatem restituere, volo ire ad talem locum* &c.

VII. *Scientia media non tollit libertatem ab illis, ergo nec præfinitio.*

Secundò probatur: si quid obstet, quò minùs possit dari eiusmodi præfinitio, est quia tolleretur libertas, sed non tolleretur, ergo. Probatur minor, non maiorem habet connexionem præfinitio efficax cum positione sequuturâ actûs, quàm scientia conditionata de eiusdem futuritione, positâ conditione, nec enim magis frustrari potest scientia Dei, quàm volitio nec magis cum illâ, quàm cum hac stare potest omissio seu negatio illius actûs: nec enim minùs impossibilis est negatio illius actûs in sensu composito scientiæ conditionatæ, positâ conditione, quàm in sensu composito volitionis. & tamen iuxta omnes, qui admittunt scientiam conditionatam, hæc non tollit libertatem, quantumuis æquè antecedat consensum absolutum, ac præfinitio, ergo nec eam tollit præfinitio.

SECTIO II.

Argumenta contendentia præfinitionem actûs liberi saluâ libertate esse impossibilem.

I. *Obj. posito quod Deus velit actû, non potest non esse.*

OBiices primò: posito quod Deus efficaciter aliquid velit non potest illud non esse, ergo posito quod velit efficaciter consensum Petri, non potest Petrus non consentire, cùm hoc decretum sit infrustrabile, ergo stante hoc decreto, non est in potestate Petri non consentire, sed hoc decretum est antecedens, & non in potestate Petri vt eam habeat, ergo ex aliquo antecedente necessitatur ad actum illum eliciendum.

Nec sufficit si dicas licèt consentire debeat, si Deus illum velit consentire, adhuc tamen esse liberum ad circumstantias actûs, nempe vt assentiatur hoc vel illo loco, hac vel illâ intentione graduali actûs &c. hoc inquam non sufficit, adhuc enim sequitur esse Petrum necessitatum ad consentiendum, seu ad illud de quo est præfinitio, ergo præfinitio tollit libertatem ergo vlteriùs si præfiniretur actus quoad omnes circumstantias, sicut ex vi prioris præfinitionis, quæ est tantùm de amore ex. gr. necessitatur Petrus ad amorem, ita ex vi huius quæ foret de amore cum omnibus circumstantiis, necessitaretur ad amorem, & omnes circumstantias, ergo præfinitio semper tollit libertatem respectu obiecti, de quo est præfinitio. II. *Nec satisfacit si respondeas nô præfiniri omnes actûs illius circumstantias.*

Resp. cum præfinitio non influat immediatè in actum, sed solùm sit causa cur ponantur principia immediata, quæ adæquate actum illum producunt. Resp. inquam, cùm hæc principia sint libera, meò eadem quæ fuissent, licèt præfinitio non fuisset posita (quippe quæ non ponitur nisi ex præuisione cõditionatâ effectûs, casu scilicet quo media illa ponerentur) clarum videtur præfinitionem non alio modo ponere actum, quàm poneretur si præfinitio non fuisset, & consequenter non tollit libertatem. III. *Respon. præfinitionem cum eadem influat, et media libera, non tollere libertatem.*

Quod verò præfinitio non influat, nec causet actum constat; primò enim non omninò illum producit: deinde quantumcunque ponatur præfinitio efficax illius actûs. si tamen adhiberentur principia proxima inefficacia, adhuc non sequeretur actus: sicut ergo in tantum solùm actus, est vel non est futurus, in quantum media seu principia proxima sunt vel non sunt efficacia, ita in tantum est vel non est actus futurus liberè, in quantum principia proxima sunt vel non sunt libera. IV. *Ostenditur præfinitionem nô influere in actum.*

Vrgebis, principia proxima in his circumstantiis non esse libera: nec enim eiusmodi sunt vt possint inferre vel non inferre actum; posito enim quod coniuncta sint cum præfinitione, impossibile est, vt non producant actum, cùm præfinitio sit infrustrabilis. Resp. totam hanc necessitatem non esse antecedentem, sed consequentem; præfinitio enim supponit actum aliquo modo futurum, nempe conditionatè, nec potest Deus præfinire actum nisi reguletur à scientiâ conditionatâ repræsentante actum illum futurum, casu quo ponantur illa principia, ergo ante præfinitionem, actus est conditionatè futurus. Sicut ergo ob similem rationem principia illa coniuncta cum scientiâ conditionatâ non tollunt libertatem, ergo non magis possit in sensu composito scientiæ conditionatæ poni negatio illius actûs, quã in sensu composito præfinitionis, ita nec tollent libertatem coniuncta cum præfinitione. V. *Obi. nullâ media coniuncta cum præfinitione esse libera.* *Resp. esse adhuc libera antecedenter.*

Instabis, etiam necessitate antecedente poni actum præfinitum, ponitur enim ex vi alicuius antecedentis, præfinitio siquidem necessariò antecedit actum, cùm antecedat principia actûs, quæ necessariò præcedunt actum, principia enim illa dantur hîc & nunc ex vi præfinitionis. Resp. negando antecedens, esto enim præfinitio præcedat principia actûs illius, solùm tamen præcedit vt quid necessariò illa applicans: si verò principia sint libera parum refert à quo applicentur, & vtrùm liberè applicentur, an necessariò. Sicut licèt Deus necessariò ageret ad extra, si tamen, vt supra dixi, eandem voluntatem humanam vel Angelicam tunc produceret, quam nunc producit liberè, illa æquè liberè eliceret suos actus, ac modò elicit. VI. *Præfinitio non antecedit actû vt quid influens in illum, sed solùm vt applicans media.*

VII. Præfinitio ergo licèt secundùm quid præcedat actum,

Præfinitio non antecedit actū simpliciter, sed secundum quid.

actum, cùm ponatur ante absolutam illius existentiam, non tamen præcedit simpliciter: ad hoc enim requiritur, vt nullo modo supponatur actus futurus hîc verò aliquo modo supponit eum futurum præfinitio, in esse scilicet conditionato: vnde simpliciter est in nostrâ potestate efficere, non quidem vt habeamus præfinitionem, quando nolumus, hoc enim non requiritur vt non tollatur libertas, sed efficere possumus vt non ponatur præfinitio; sicut enim de facto consensurus est Petrus huic inspirationi & auxilio, posito quod dentur, ita potuisset non consentire, sicque efficere potuisset, vt Deus hanc scientiam, & consequenter præfinitionem non habuisset: ergo simpliciter est in nostra potestate vt nō ponatur præfinitio, cùm pendeat à libertate iam aliquo modo, nempe conditionatè exercitâ, sicque exercitium libertatis conditionatum subsequitur: nihil autem necessitat absolutè & simpliciter, nisi quod simpliciter antecedit actum, seu quod nullo modo supponit libertatem exercitam, ne quidem conditionatè; quod hic, vt vidimus, non contingit.

Præfinitio supponit libertatē aliquo modo.

VIII. Obicies secundò. vt actus producatur liberè, debet in statu absoluto procedere ab iisdem principiis, à quibus præuidebatur processurus in statu conditionato. quod tamen hîc non contingit, videtur enim actus in statu conditionato processurus à solis principiis indifferentibus, secundùm se sumptis, in statu autem absoluto de facto procedit ex iis simul & præfinitione, ergo additur nouum principium, idque necessariò connexum cum effectu. Contrà, idem namque argumentum fieri posset de scientiâ conditionatâ, hæc enim non præuidebatur in statu conditionato actûs.

Obi. actū hic nō procedere ab iisdē principiis, à quibus præuidebatur processurus.

Instatur argumentum.

IX. Resp. ergo distinguendo vltimum consequens, additur nouum principium proximum simpliciter antecedens, & influens in effectum, nego antecedens; additur nouum principium remotum, subsequens seu supponens effectum aliquo modo futurum, & non influens, concedo: huiusmodi autem principium non tollit libertatem, cùm, vt dixi, supponat eam iam aliquo modo exercitam, & actum aliquo modo futurum: ad hoc autem vt videatur actus certò futurus, vel non futurus, sufficit videri causas immediatas seu verè influentes; saltem non requiritur, vt illæ causæ remotæ videantur, quæ supponunt aliquo modo effectum, hæ enim non possunt in eum verè influere.

Resp. actū procedere ab iisdem principiis immediatis.

X. Nec refert quòd tam scientia conditionata, quàm præfinitio antecedat absolutam positionem actus, hoc enim non lædit libertatem: etenim vt quis sit liber, sufficit quòd possit operari & non operari, positis omnibus simpliciter antecedentibus. Non ergo antecedit præfinitio simpliciter futuritionem etiam absolutam effectus, sed subsequitur, ad hoc enim sufficit quòd simpliciter fuerit in nostrâ potestate, vt præfinitio non fuerit, quod ita esse suprà ostendimus.

Non obstat libertati, quòd præfinitio antecedat absolutam positionem effectûs.

SECTIO III.

Alia argumenta contra præfinitionem actûs liberi.

Obiī. si Deus absoluti velit actum, ergo non posse velle contrarium, vel quod inefficaciter.

I. OBiicies tertiò: in hoc sita hactenus videtur solutio, quod præfinitio non immutet principia proxima, & simpliciter antecedentia, seu influentia, sed præfinitio immutat hæc principia, vel saltem vnum ex illis, ergo. Probatur minor, immutat voluntatem Dei, per quam vult præbere concursum generalem indifferentem, hæc enim esse debet eiusmodi, quâ etiam sit paratus ad habendam carentiam actus, si voluntas creata nolit actum illum ponere, sed hæ voluntates diuinæ pugnant inter se, velle enim efficaciter actum, est absolutè eum velle, hac autem voluntate stante, non potest vllo modo Deus velle actûs carentiam, etiam inefficaciter & conditionatè.

Sed contra, voluntas enim efficax alicuius obiecti non excludit omnem voluntatem, etiam inefficacem contrarij, sed solùm efficacem: sic qui in tempestate vult efficaciter proiicere merces in mare, habet nihilominus voluntatem inefficacem, quâ velit eas, quantum est ex se non proiicere: sic etiam si quis adiudicatus morti sciat vnicum medium euadendi mortem, seu vt iudex ei parcat, esse, vt quantum est ex se, sit paratus mori, & ad mortem subeundam se offerat, potest ex intentione euadendi mortem, velle illo modo mortem, seu ex parte suâ contentus esse mori; en hic homo vult efficaciter vitam, & tamen inefficaciter vult illius priuationem, nempe mortem, & hanc voluntatem adhibet tanquam medium ad vitam conseruandam. II.

Ostenditur posse aliquid efficaciter velle vnū, & inefficaciter velle contrarium.

Quod adhuc clariùs constat si ponamus alicui grauiter laboranti Deum reuelare fore certò, vt mortem euadat, si sit contentus mori, seque voluntati diuinæ hac in parte resignet: hic potest velle mori seu paratus esse mori, si Deo visum fuerit, vt hâc ratione efficaciter mortem effugiat. Sic etiam de facto Deus cum voluntate antecedente inefficace & conditionata saluandi omnes, & inter eos Iudam, habet voluntatem efficacem eum post præuisa demerita damnandi. III.

Alia eiusdem rei exempla.

Resp. ergo voluntatem, quâ Deus efficaciter vult actum præfinitum, non esse eiusmodi vt nolit contrarium non posse fieri, hæc enim esset alia voluntas à præfinitione, sed solùm vt verè fiat, imò ipso facto quòd velit actum liberum fieri debet per aliquem actum parare concursum sufficientem ad contrarium, alioqui non vellet actum liberum, sed necessarium. IV.

Qualis sit in Deo actus præfinitiuus.

Nec hinc sequitur, quod obiiciunt aliqui, si Deus habeat voluntatem, quâ parat concursum ad contrarium, posse voluntatem præfinitiuam frustrari; nullum enim hîc est frustrationis periculum, nec enim antea præfinit Deus conuersionem Petri ex. gr. quàm per scientiam conditionatam sciat certissimò eum, si detur tale auxilium, consensurum, quæ scientia falli non potest. Nec etiam quod obiiciunt alij, per voluntatem illam quâ parat Deus concursum ad contrarium, parat concursum vt præfinitio frustretur, sed potius vt sortiatur effectum, cùm sit præfinitio actûs liberi, liber autem esse actus non posset, nisi pararetur ei talis concursus, vt, licèt de facto sit actus secuturus, posset tamen non sequi, ad quod voluntas parans concursum ad contrarium est omninò necessaria. V.

Nec hinc sequitur posse voluntatem præfinitiuā Dei frustrari.

Obiicies quartò: si Deus præuiso per scientiam conditionatam consensu Petri substitueret ante consensum absolutum prædeterminationem physicam, tolleretur libertas, ergo & in nostro casu, cùm non minùs infallibilem habeat connexionem præfinitio cum effectu quàm prædeterminatio. Negatur tamen consequentia, disparitas est iam enim mutarentur principia proxima, & immediatè influentia, & poneretur vnum partialiter concurrens ad effectum, quod simpliciter necessitat, prædeterminatio enim siue detur ex scientiâ conditionatâ, siue non retinet semper eandem naturam, & consequenter absolutè, & antecedenter necessitat. VI.

Differentia inter præfinitionem & prædeterminationem.

Dices; hîc & nunc prædeterminatio hæc est quid consequens effectum conditionatè futurum, datur enim ex scientiâ cognoscente effectum futurum, cū ergo hæc scientia sit posterior effectu conditionatè VII.

Prædeterminatio semper tollit libertatem.

futuro, à fortiore est illo posterior prædeterminatio, quæ sequitur scientiam, & ex illius directione datur. Resp. nihilominus prædeterminationem, etiam in hoc casu tollere libertatem, cùm, vt dixi, sit principium immediatè & physicè influens, & operans semper iuxta naturam suam.

VIII. Quod verò hic & nunc fingatur subsequi libertatem, iam sub conditione exercitam, est per accidens, nec enim in re potest vnquam ita contingere, nunquam enim visus est actus futurus liberè, si procederet ex prædeterminatione, cùm hæc excludat essentialiter omnem indifferentiam. Si autem Deus simul cum principiis ex se indifferentibus daret prædeterminationem physicam, quod vnâ quasi manu ædificat, aliâ destrueret, & actum redderet necessarium, vt enim actus sit indifferens omnia eius principia proxima debent esse indifferentia.

Quid si Deus simul cũ principiis indifferentibus daret Prædeterminationem.

IX. Obiicies quintò: præceptum Christo impositum non influit immediatè, & tamen tollit in eo libertatem ad non subeundam mortem, ergo non solùm principia immediata tollunt libertatem, sed etiam mediata, ergo & tollet eã præfinitio. Distinguo primum consequens, ergo principia mediata simpliciter antecedentia, & quæ inferunt principia & causas immediatas necessitantes, tollunt libertatem, concedo consequentiam; principia mediata, quæ non simpliciter antecedunt, nec inferunt causas immediatas necessitantes, tollunt libertatem, nego: hic autem cùm Christus ob vnionem hypostaticam sit antecedenter necessitatus ad vitandum omne peccatum, & præceptum de subeundâ morte reddat vitationem mortis peccatum, debet ei negari concursus ad volendum non mori, nec Deus est paratus ad dandum ei concursum ad actum, quo vellet non mori, sicque necessitatur ratione mediorum immediatorum.

Principia mediata simpliciter antecedentia tollunt libertatem.

X. Obiicies sextò: non enim videtur dari posse eiusmodi præfinitio, de quâ nos loquimur, per modum scilicet puræ intentionis, potentia enim operatiua personæ rationalis, si sit expedita determinatur necessariò immediatè ad operandum, & est simul exequutiua, nec enim est cur alio modo operetur. Resp. ad summum hinc probari debere illum intendere exequutionem illius per aliquod medium, qui actus non est propriè electio, nec voluntas immediatè exequutiua, nec enim vnquam ex vi illius ponetur effectus, nisi sequatur alia medium aliquod determinatum eligens in particulari. Secundò dici potest, nec hoc modo velle media actum illum, sed esse vel actum imperantem respectu electionis mediorum, vel magis propriè intentionem puram mediatè solùm tendentem ad media, quatenus obligat vel necessitat Deum ad volitionem mediorum, quibus immediatè rem illam efficiat. Ratio autem est, nam agens liberum potest pro libitu hoc vel illo modo operari, vel scilicet vno & eodem actu dicendo, volo hunc effectum per hoc vel illud medium, vel volo effectum & postea eligam media; sicut potest vel immediatè velle dare eleemosynam, vel imperare actum eleemosynæ ex actu charitatis, & deinde illum elicere tanquam actum imperatum.

Obi. Intentio semper est etiam exequutiua.

Resp. licet interdum identificentur, possunt tamen separari.

SECTIO IV.

Discutiuntur quædam circa præfinitionem.

I. QVæres vtrum, si per impossibile Deus haberet actum præfinitiuum sine scientiâ mediâ præfinitio tolleret libertatem? Resp. quæstionem nostram non procedere de eiusmodi præfinitione; vt tamen etiam de hac aliquid dicamus, aduertendum præfinitionem variis modis statui posse sine scientiâ mediâ: primò ita vt sit omninò infrustrabilis, & nulla sit in Deo scientia media, nec antè præfinitionem, nec post, per quam dirigatur ad exequutionem actûs præfiniti, tunc autem dici posse videtur præfinitionem tollere libertatem, non per se, & immediatè, sed quia cogit ad ponendum medium necessitãs, ne fortè frustretur; nisi quis dicere velit, tunc etiam præfinitionem connotare sola media indifferentia, nec posse mouere Deum ad eligendum alia quàm eiusmodi, quæque inferent consensum liberè; integrum enim hic cuique est dicere quod lubet, cùm casus sit planè fictitius.

Si nulla esset scientia conditionata in Deo, & præfinitio sit infrustrabilis, tolleret libertatem.

II. Secundò ita fingi potest præfinitio, vt sit frustrabilis, & nulla sit scientia media etiam consequens intentionem finis & præcedens electionẽ mediorum, licèt enim voluntas Dei, vt nunc est, sit infrustrabilis, cùm prudenter semper habeatur, si quis tamen imprudenter eam haberi supponat, nil est quo minùs eam ponat frustrabilem, nil enim obstat quo minùs voluntas Dei sit frustrabilis sub conditione impossibili, sicut Deus sub cõditione impossibili potest peccare, si enim mentiretur, peccaret.

Secundò fingi potest præfinitio frustrabilis.

III. Tertiò statui potest intentio Dei efficax & infrustrabilis, ita tamen vt in signo subsequente intentionem ante electionem essentialiter connotet scientiam, sicq; licèt cæco modo ponatur intentio, electio tamen hac ratione non ponitur, sed ex scientiâ, tunc verò præfinitio non tollit libertatem per se, sed indifferens esse potest, vt per scientiam conditionatam sequentem ponantur media vel indifferentia (efficacia tamen) vel necessitantia.

Omnis præfinitio sine scientiâ mediâ non tollit libertatem.

IV. Quartò tandem fingi posset quod Deus per intentionem efficacem sine scientiâ conditionatâ antecedente velit, non solùm actum illum quomodocunque (suppono libertatem esse actui extrinsecam) sed vt liberum, & tunc non tollitur libertas, neque hæc præfinitio præcedit futuritionem consensûs, etiam conditionatam, sed subsequitur, verè enim Deus talem præfinitionem habere non posset, saltem efficacem, nisi consensus Petri esset, sub conditione saltem, futurus. Tunc ergo vel debet scientia conditionata subsequi per quam eligat media illa, quæ efficaciter & liberè efficiant actum præfinitum, vel debet ipsa intentio ex se illa sola sequutura connotare, & sicut cæco modo intendit finem, seu actum illum liberum creatum quâ talem; ita & debet intentio illa excitare ad sola media libera & non alia, eo etiam modo ponenda, sicque sequeretur actus liberè. Sed hinc.

Si Deus velit actũ vt liberũ, nulla præfinitio tollit illius libertatem.

V. Obiicier aliquis; si auxilium habeat totam suam vim & efficaciam independenter à scientiâ mediâ, ergo de facto non est cur Deus non possit, & præfinire actus liberos, & habere etiam suam prouidentiam sine scientiâ hac mediâ, seu conditionatâ: vnde recentiores aliqui ita opinantur, & licèt, inquiunt, possit Deus vti hac scientiâ si velit, non tamen est ita necessaria, vt sine eâ disponere de rebus non possit per scientiam simplicis intelligentiæ.

Dices; ergo possit Deus habere prouidentiam sine scientiâ mediâ.

VI. Resp. tamen non posse haberi præfinitionem & prouidentiam Deo dignam sine scientiâ conditionatâ, esset enim ipsius ordinatio exposita errori, & frustrabilitati, nec posset prudenter quidquam statuere.

Sine scientiâ mediâ haberi nequit prouidentia Deo digna.

VII. Dices; Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere diuersa media, quæ possunt efficere talem actum, & finem illum consequi, ergo talis actus & finis est per illa media possibilis, sed Deus potest velle quicquid est possibile, & eo modo quo est possibile, ergo. Resp. aliud quoad hoc esse de causis necessariis, & liberis. Quod ergo illa media possint efficere talem actum, non sufficit, nam etiam pos-

Ostenditur scientiam mediã esse necessariã ad præfinitionem.

possunt non efficere, nec aliter possunt eum efficere, quam si voluntas velit, hæc enim est natura mediorum indifferentium, vt scilicet voluntatem suæ relinquant libertati, si ergo relinquãtur naturis suis, solùm potest Deus velle vt possint, seu vt voluntas per ea possit eiusmodi actum elicere; si autem absolutè velit Deus vt fiat actus per hoc medium, quando aliàs voluntas non erat per illud actum hic & nunc elicitura, infertur vis voluntati, & nec ipsa, nec medium relinquitur suæ naturæ.

Dices, principia omnia huius actus præcedunt scientiam conditionatam.

Respondent Deum antecedenter ad scientiam conditionatam habere omnia requisita ad actum illum liberum causandum: voluntas enim collatiua auxilij, seu medij ad illum requisiti, voluntas item concurrendi in actu primo præcedunt scientiã conditionatam, hæc enim supponit effectum conditionatè futurum, ergo à fortiori supponit voluntatem collatiuam auxilij, & concurrendi in actu primo. Cùm ergo Deus ante scientiam conditionatam habeat omnia principia ad effectum requisita, quidni vti iis poterit pro illo priori si voluerit?

IX. *Resp. principia huius actus non esse proximè expedita sine scientiâ mediâ.*

Sed contrà, nam etiamsi concederetur totam vim potè physicam, seu physicè influentem & absolutè antecedentem præcedere scientiam conditionatam, non tamen sequitur posse sine hac scientia virtutem illam prodire in actum, & esse proximè expeditam quoad operandi modum, ad hoc namque requiritur, vt possit Deus prudenter in suis operationibus procedere, & infallibiliter finem per hoc vel illud medium assequi; alioqui exposita esset frustrationi eius voluntas; intendens enim dare medium efficax, daret subinde inefficax, nisi priùs sciat quid, dato tali auxilio, voluntas sit factura. Cùm ergo hoc per solam scientiam simplicis intelligentiæ non nouerit, sed tantùm per scientiam conditionatam, nihil nisi ex illius directione statuere potest, perinde enim est apud Deum non posse omninò statuere, & non posse statuere prudenter.

Perinde est Deo non posse omninò statuere, & nõ posse statuere prudenter.

X. *Conditionale nil ponit in esse.*

Adde non videri necessarium vt vlla volitio, aut principium actûs cõditionatè futuri præcedat actu & absolutè, nam ad conditionatam existentiam effectûs sufficit conditionata similiter existentia causæ, *conditionale* autem *nil ponit in esse*, sed solùm poneret, si illud cõditionatum de facto poneretur. Vnde causâ positâ in esse absoluto, poneret absolutè, quod in esse conditionato ponit conditionatè.

XI. *Vt actus liber prouideatur, nõ est opus vt videantur nisi principia immediata.*

Dices; vt actus præsertim liber videatur futurus, etiam conditionatè debet videri vt procedens ab omnibus suis principiis, alioqui non videbitur vt liber, sed per scientiam conditionatam non videtur procedens ab ipsâ scientia conditionata, ergo hæc non est principium illius, ergo potest esse actus sine scientiâ conditionatâ. Resp. distinguendo maiorem, debet videri vt procedens ab omnibus suis principiis immediatis, concedo; non ab aliis: principia enim immediata, vt sæpe dixi, sola sunt quæ in actum influunt, ac proinde si illa habeat homo, vndecunque habeat, & siue ex hac scientiâ, siue ex illâ, ex vllâ scientiâ vel nullâ, actus eodem modo sequetur, & liberè, scientia enim & aliæ causæ remotæ, actûs non immutant naturam principiorum immediatè influentium.

XII. *Declaratur hoc exemplo ignis producentis calorem.*

Sicut si sit natura ignis vt producat calorem, à quâcunque causâ producatur ignis, siue à sole, vel alio igne, siue à Deo solo, per actionem creatiuam vel generatiuam, naturalem vel supernaturalem, eodem modo producet calorem, quia scilicet semper manet idem principium immediatum; reliqua autem principia solùm sunt remota, & nullo modo influũt in effectum, sed solùm applicant causam proximam. Vnde vlteriùs infero non esse necessarium vt volitio Dei applicatiua auxilij ingrediatur obiectum scientiæ condionatæ, cùm solùm sit causa remota, sed sufficit quod cognoscatur ipsum auxilium. Ingredi tamen debet obiectum scientiæ conditionatæ voluntas concurrendi generaliter, seu concursûs simultanei, hæc enim volitio est principium influens immediatè.

XIII. *Possibilitas duplex, completa, & incompleta.*

Vt verò hæc, quæ per se sunt satis obscura, meliùs percipiantur, aduertendum, vt possibilitatem, ita & futuritionem rei alicuius duplicem esse, completam & incompletam: per hanc in possibilitate intelligimus ipsa prædicata obiectiua rei: per completam verò possibilitatem intelligimus omnia, quæ quouis modo conducunt vt res poni possit à parte rei; vnde non omnipotentia solùm in Deo ad rei alicuius possibilitatem requiritur, sed etiam scientia.

XIV. *Futuritio etiam rei est duplex, completa & incompleta.*

Eodem modo ad futuritionem rei incompletam requiritur solùm vt ponantur principia proxima, quæ rem illam de facto producent: futuritionem verò rei omninò completam ingrediuntur omnia, quæ quouis modo, directè vel indirectè, remotè vel proximè ad eam actu extra causas ponendam conducunt. Hæc tamen omnia non eodem modo ingrediuntur conceptum proprium futuritionis: vnde per locum intrinsecum non desineret res esse futura, licèt principia illa remota cessarent, modò perstarent proxima; verum est quidem in hoc casu consequenter desineret res esse futura, quia si remota principia deessent, deessent consequenter proxima, vtpote quæ ab iis pendent: sic sublata actione conseruatiuâ solis, periret lux, & calor, aliique effectus in rebus sublunaribus à luce solis producti, licèt hi effectus ab actione illâ non procedant.

XV. *Peculiaris est ratio cur non sit opus vt videatur scientia media.*

Deinde notandum, peculiarem esse rationem cur non debeat scientia conditionata videri inter alia principia: præterquam enim quod sit principium remotum, vlteriùs concurrit solùm directiuè, ad hoc autem vt principium directiuum concurrat, non est opus vt cognoscatur ipsum, sed vt per ipsum cognoscatur obiectum, hoc enim sufficit ad mouendam voluntatem, vt rem illam, & principia ad illam requisita velit, sicque concurrit in actu exercito, licèt in actu signato non repræsentet se, quamuis à parte rei sine hac scientiâ, nec actus liber, nec auxilium efficax ad illius actûs productionem poni possit.

XVI. *Scientia conditionata cur, à se habet se præcisiuè.*

Nec tamen scientia conditionata repræsentat positiuè actum producendum sine se, hoc enim est falsum, sed solùm præcisiuè se habet, dum repræsentat rem in statu conditionato, in statu autem absoluto semper concurrit in actu exercito, repræsentando scilicet rem conditionatè futuram, si detur auxilium, & hoc faciendo sufficienter mouet voluntatem ad ponendum auxilium. Vnde quoad hoc eodem modo se habet scientia media quoad futuritionem conditionatam, sicut se habet scientia simplicis intelligentiæ quoad possibilitatem, dirigit enim hæc ad rem producendam, repræsentando scilicet possibilitatem rei, non repræsentando seipsam.

XVII. *Obi. volũtas pendens à scientiâ conditionatâ nõ potest stare cum vtrouis ex extremis.*

Obiiciunt vlteriùs iidem recentiores: conditio antecedens actum liberum futurum debet esse eiusmodi; vt possit stare cum vtrouis ex extremis, assensu scilicet vel dissensu, sed hoc fieri non potest, si voluntas Dei pendeat à scientiâ conditionatâ, & cum eâ connectatur, sicut enim ipsa scientia conditionata est determinata ad vnum extremum in particulari, ita volitio cum eâ coniuncta ad idem extremum determinetur necesse est.

XIII. *Resp. scientiam cõditionatam esse ad vnũ determinatam solum consequenter.*

Resp. sicut scientia ipsa conditionata non tollit libertatem, quia supponit aliquo modo consensum futurum, nempe conditionatè, sicque non antecedit consensum simpliciter, vt ostensum est, sed tantùm secundùm quid; ita nulla volitio Dei in hac scientiâ fundata potest tollere libertatem, æquè enim

sup-

supponit consensum aliquo modo futurum, ac ipsa scientia conditionata, sicque non antecedit consensum simpliciter.

Hæc obiter de quæstione Theologicâ dicta sunto: plena enim quæstionis huius discussio, maximè de necessitate scientiæ conditionatæ, spectat ad primam partem, vbi eam latiùs discussi disputatione nona, sectione quartâ.

DISPVTATIO XXIV.

De purâ omissione.

SECTIO PRIMA.

Sitne possibilis pura omissio.

I. *Status quæstionis.* QVæstio procedit de omissione liberâ, nam omissiones multas necessarias, & quæ animæ incogitanti obrepunt, reperiri frequenter in voluntate certissimum est, iam enim homines non eliciunt multos actus voluntatis, quos tamen elicerent si ipsis repræsentaretur tale vel tale obiectum, saltem debito modo: quod autem non eliciant de facto, non stat per ipsos, & consequenter ipsis non imputantur illæ omissiones, sed sunt necessariæ.

II. *Ad omissionem liberam non requiritur, vt voluntas nullum tunc eliciat actum.* Ad huius difficultatis resolutionem, notandum ad puram omissionem liberam non requiri, vt voluntas nullum omninò tunc actum eliciat, sed solum vt nullum eliciat incompossibilem cum illo actu, quem omittit. Quæstio itaque est vtrum quando voluntas est proximè potens ad amandum, & aliud agendum, possit purè omittere amorem. Ex quo multò clariùs constat ad puram omissionem non excludi omnem actum intellectûs, imò essentialiter requiritur ad omissionem liberam, non ad necessariam.

III. *1. Sent. ait implicare puram omissionem.* Prima sententia affirmat puram omissionem non esse possibilem: ita Montesina 1.2.to.2.d.2.quæst.2. Gamachæus 1.2.qu.71.c.2 & ex recentioribus non pauci citatur etiam à nonnullis Vasquez 1.2. d.92.c.2. & Valentia t. 2.d.6.quæst.1.p. 4.§. *Si autem.* Hi tamen non negant puram omissionem simpliciter esse possibilem, sed solùm aiunt eam moraliter nunquam contingere.

IV. *Pura omissio libera non est impossibilis.* Dicendum nihilominus possibilem esse puram omissionem liberam. Ita S. Thomas 1.2.qu.6.ar.3.& alibi sæpe, Duran. in 2.d.35.quæst.2 Mol.1.p.qu.14. ar.13.d.12. Suarez tom.4. Met.d.19.s.4. num.8. Valentia citatus, Salas 1.2.l.13.d.2.sect.5. Hurtado d.15. de Anim. sect.7. Tanner.1. 2. d.4.quæst.4. dub. 1. Ripalda de En. sup.d.79. Arria. hic d.8.sect.6 Ouiedo hic Con.10.p.1 §.3. estque communissima inter recentiores opinio.

V. *Probatur primò ex libertate contradictionis.* Probatur hæc Conclusio ex libertate contradictionis passim à Philosophis admissâ, quæ in hoc præcisè consistit, quod voluntas, proposito aliquo obiecto, ita circa illud versetur, vel possit versari, vt possit etiam non versari, vt cogitans se debere audire sacrum, non accingit se ad ponenda media ad illius auditionem requisita, & merè negatiuè se habet circa illa omnia, & ipsam sacri auditionem, quâ de causâ vocatur libertas contradictionis, nempe libertas ad actum præcisè & negationem actûs, quæ est illius contradictoria. Quare, idem est libertas contradictionis formaliter, ac libertas ad contradictoria, quale respectu actûs nihil propriè est, præter illius negationem, seu omissionem. Conf. ex definitione libertatis in actu primo, quòd scilicet sit *potentia operandi & non operandi*, sed non operari præcisè est omittere actum, ergo pro illo priori potest voluntas elicere vel omittere actum, sed hæc omissio est negatio illius actûs, ergo si pro illo priori non operaretur eo modo, quo secundùm definitionem potentiæ liberæ potest, habet puram omissionem.

VI. *Quid propriè dicat libertas contradictionis.* Dices primò; sufficere ad libertatem quòd elicere possit hunc actum, vel alium similem, hoc autem nũ est purè omittere. Contrà primò, definitio libertatis hoc non dicit, sed solùm potentiam operandi & nõ operandi, sed non operari non est elicere actum diuersum, hoc enim tam verè est operari, atque elicere actum priorem, ergo posse non operari præcisè non est posse elicere alium actum, sed posse non elicere hunc, nam, vt iam diximus, libertas contradictionis est iuxta etymologiam vocis libertas ad contradictoria, vnus autem actus amoris numero ab hoc distinctus non est ei contradictoriè oppositus, sed disparatus. Deinde, anima hic in via non habet potestatem eligendi vnum indiuiduum præ alio, vt dixi in Physicis d. 31. dum de indiuiduatione effectuum.

VII. *Vt quis liberè possit amare Petrum, non est opus, vt cogitet de illo actu amoris.* Dices secundò; alio modo explicari posse definitionem libertatis, nempe vt, positis omnibus in actu primo requisitis, possit quis velle actum, aut eius negationem. Contrà, vt quis versetur circa obiectum aliquod Petrum ex gr. non est necessarium aliud quàm vt obiectum illud solum proponatur, si enim habeat in se bonitatem, amari potest ipso facto quod sufficienter proponatur; cum ergo actus ipse amoris sit distinctum obiectum, potest voluntas in prius obiectum ferri, siue hoc secundum obiectum, nempe actus proponatur, siue non, alius enim est actus quo amatur Petrus, alius quo quis volt eum amare, hic enim est reflexus, tendens in ipsum actum, alius directus tendens in Petrum. Vnde si alicui per actũ fidei proponatur Deus, etiamsi non cogitet reflexè supra actum amoris, vel illius negationem, potest Deum amare.

VIII. *Deinde actus amoris non esse formaliter liber.* Deinde, modus ordinarius quo homines amant obiectum aliquod, non est volendo priùs elicere vel non elicere amorem circa illud, sed immediatè tendendo in obiectum, nihil in actu signato cogitando de actu, vel illius negatione. Prætereà, nunquam actus amoris vel odij, aut alterius virtutis aut vitij esset elicitiuè & formaliter liber, sed solùm mediatè, in quantum scilicet sequitur ad actum imperantem liberum.

IX. *Si quis solius Dei haberet cognitionem, posset eum liberè amare.* Hinc itaque habemus non solùm non esse necessarium actum positiuum, vt quis omittat amorem ex.gr. sed aliquando non posse haberi, vt in casu posito, quòd quis haberet cognitionem Dei, sine repræsentatione vllius alterius obiecti, tunc enim posset ipsum amare ex vnâ parte, ex aliâ verò, non necessitaretur ad amorem, quia cognitio viæ, vtpote imperfecta non necessitat.

X. *In hoc casu ad non amandum Deum, nec est opus, nec posset quis velle eum non amare.* In casu ergo posito, ad non amandum Deum, nõ solùm non deberet quis positiuè velle omittere amorem, sed non posset id velle positiuè, *nihil enim volitum quin præcognitum*, hic autem supponimus nullum aliud obiectum cognosci præter Deum: & licèt cognosceretur, cùm tamen non sit infinitum, nec infinitè propositum, non necessariò raperet voluntatem

possunt non efficere, nec aliter possunt eum efficere, quam si voluntas velit, hæc enim est natura mediorum indifferentium, vt scilicet voluntatem suæ relinquant libertati, si ergo relinquātur naturis suis, solùm potest Deus velle vt possint, seu vt voluntas per ea possit eiusmodi actum elicere; si autem absolutè velit Deus vt fiat actus per hoc medium, quando aliàs voluntas non erat per illud actum hic & nunc elicitura, infertur vis voluntati, & nec ipsa, nec medium relinquitur suæ naturæ.

Dices principia omnia huius actus præcedere scientiam conditionatam.

Respondent Deum antecedenter ad scientiam conditionatam habere omnia requisita ad actum illum liberum causandum: voluntas enim collatiua auxilij, seu medij ad illum requisiti, voluntas item concurrendi in actu primo præcedunt scientiā conditionatam, hæc enim supponit effectum conditionatè futurum, ergo à fortiori supponit voluntatem collatiuam auxilij, & concurrendi in actu primo. Cùm ergo Deus ante scientiam conditionatam habeat omnia principia ad effectum requisita, quidni vti iis poterit pro illo priori si volueri?

IX. Sed contrà, nam etiamsi concederetur totam vim purè physicam, seu physicè influentem & absolutè antecedentem præcedere scientiam conditionatam, non tamen sequitur posse sine hac scientiâ virtutem illam prodire in actum, & esse proximè expeditam quoad operandi modum, ad hoc namque requiritur, vt possit Deus prudenter in suis operationibus procedere, & infallibiliter finem per hoc vel illud medium assequi; alioqui exposita esset frustrationi eius voluntas; intendens enim dare medium efficax, daret subinde inefficax, nisi priùs sciat quid, dato tali auxilio, voluntas sit factura. Cùm ergo hoc per solam scientiam simplicis intelligentiæ non nouerit, sed tantùm per scientiam conditionatam, nihil nisi ex illius directione statuere potest, perinde enim est apud Deum non posse omninò statuere, & non posse statuere prudenter.

Resp. principia huius actus non esse proximè expedita sine scientiâ mediâ.

Perinde est Deo non posse omninò statuere, & nō posse statuere prudenter.

X. Adde non videri necessarium vt vlla volitio, aut principium actûs cōditionatè futuri præcedat actu & absolutè, nam ad conditionatam existentiam effectûs sufficit conditionata similiter existentia causæ, *conditionale* autem *nil ponit in esse*, sed solùm poneret, si illud cōditionatum de facto poneretur. Vnde causâ positâ in esse absoluto, poneret absolutè, quod in esse conditionato ponit conditionatè.

Conditionale nil ponit in esse.

XI. Dices; vt actus præsertim liber videatur futurus, etiam conditionatè debet videri vt procedens ab omnibus suis principiis, alioqui non videbitur vt liber, sed per scientiam conditionatam non videtur procedens ab ipsâ scientia conditionata, ergo hæc non est principium illius, ergo potest esse actus sine scientiâ conditionatâ. Resp. distinguendo maiorem, debet videri vt procedens ab omnibus suis principiis immediatis, concedo; non ab aliis: principia enim immediata, vt sæpe dixi, sola sunt quæ in actum influunt, ac proinde si illa habeat homo, vndecunque habeat, & siue ex hac scientiâ, siue ex illâ, ex vllâ scientiâ vel nullâ, actus eodem modo sequetur, & liberè, scientia enim & aliæ causæ remotæ, actûs, non immutant naturam principiorum immediatè influentium.

Vt actus liber prævideatur, nō est opus vt videantur nisi principia immediata.

XII. Sicut si sit natura ignis vt producat calorem, à quâcunque causâ producatur ignis, siue à sole, vel alio igne, siue à Deo solo, per actionem creatiuam vel generatiuam, naturalem vel supernaturalem, eodem modo producet calorem, quia scilicet semper manet idem principium immediatum; reliqua autem principia solùm sunt remota, & nullo modo influūt in effectum, sed solùm applicant causam proximam. Vnde vlteriùs infero non esse necessarium vt volitio Dei applicatiua auxilij ingrediatur obiectum scientiæ condionatæ, cùm solùm sit causa remota, sed sufficit quod cognoscatur ipsum auxilium. Ingredi tamen debet obiectum scientiæ conditionatæ voluntas concurrendi generaliter, seu concursûs simultanei, hæc enim volitio est principium influens immediatè.

Declaratur hoc exemplo ignis producentis calorem.

XIII. Vt verò hæc, quæ per se sunt satis obscura, meliùs percipiantur, aduertendum, vt possibilitatem, ita & futuritionem rei alicuius duplicem esse, completam & incompletam: per hanc in possibilitate intelligimus ipsa prædicata obiectiua rei: per completam verò possibilitatem intelligimus omnia, quæ quouis modo conducunt vt res poni possit à parte rei; vnde non omnipotentia solùm in Deo ad rei alicuius possibilitatem requiritur, sed etiam scientia.

Possibilitas duplex, completa, & incompleta.

XIV. Eodem modo ad futuritionem rei incompletam requiritur solùm vt ponantur principia proxima, quæ rem illam de facto producent: futuritionem verò rei omninò completam ingrediuntur omnia, quæ quouis modo, directè vel indirectè, remotè vel proximè ad eam actu extra causas ponendam conducunt. Hæc tamen omnia non eodem modo ingrediuntur conceptum proprium futuritionis: vnde per locum intrinsecum non desineret res esse futura, licèt principia illa remota cessarent, modò perstarent proxima; verum est quidem in hoc casu consequenter desineret res esse futura, quia si remota principia deessent, deessent consequenter proxima, vtpote quæ ab iis pendent: sic sublatâ actione conseruatiuâ solis, periret lux, & calor, aliique effectus in rebus sublunaribus à luce solis producti, licet hi effectus ab actione illâ non procedant.

Futuritio etiam res est duplex, completa & incompleta.

XV. Deinde notandum, peculiarem esse rationem cur non debeat scientia conditionata videri inter alia principia: præterquam enim quod sit principium remotum, vlteriùs concurrit solùm directiuè, ad hoc autem vt principium directiuum concurrat, non est opus vt cognoscatur ipsum, sed vt per ipsum cognoscatur obiectum, hoc enim sufficit ad mouendam voluntatem, vt rem illam, & principia ad illam requisita velit, sicque concurrit in actu exercito, licèt in actu signato non repræsentet se, quamuis à parte rei sine hac scientiâ, nec actus liber, nec auxilium efficax ad illius actûs productionem poni possit.

Peculiaris est ratio cur non sit opus vt videatur scientia media.

XVI. Nec tamen scientia conditionata repræsentat positiuè actum producendum sine se, hoc enim est falsum, sed solùm præcisiuè se habet, dum repræsentat rem in statu conditionato, in statu autem absoluto semper concurrit in actu exercito, repræsentando scilicet rem conditionatè futuram, si detur auxilium, & hoc faciendo sufficienter mouet voluntatem ad ponendum auxilium. Vnde quoad hoc eodem modo se habet scientia media quoad futuritionem conditionatam, sicut se habet scientia simplicis intelligentiæ quoad possibilitatem, dirigit enim hæc ad rem producendam, repræsentando scilicet possibilitatem rei, non repræsentando seipsam.

Scientia conditionata circa se habet se præcisiuè.

XVII. Obiiciunt vlteriùs iidem recentiores: conditio antecedens actum liberum futurum debet esse eiusmodi; vt possit stare cum vtroque extremis, assensu scilicet vel dissensu, sed hoc fieri non potest, si voluntas Dei pendeat à scientiâ conditionatâ, & cum eâ connectatur, sicut enim ipsa scientia conditionata est determinata ad vnum extremum in particulari, ita volitio cum eâ coniuncta ad idem extremum determinetur necesse est.

Obi. volitionem pendentem à scientiâ conditionatâ nō posse stare cum vtroque extremo.

XIII. Resp. sicut scientia ipsa conditionata non tollit libertatem, quia supponit aliquo modo consensum futurum, nempe conditionatè, sicque non antecedit consensum simpliciter, vt ostensum est, sed tantum secundùm quid; ita nulla volitio Dei in hac scientiâ fundata potest tollere libertatem, æquè enim sup-

Resp. scientiam cōditionatam esse ad vnū determinatam solum consequenter.

supponit consensum aliquo modo futurum, ac ipsa scientia conditionata, sicque non antecedit consensum simpliciter.

Hæc obiter de quæstione Theologicâ dicta sunto: plena enim quæstionis huius discussio, maximè de necessitate scientiæ conditionatæ, spectat ad primam partem, vbi eam latiùs discussi disputatione nona, sectione quartâ.

DISPVTATIO XXIV.

De purâ omissione.

SECTIO PRIMA.

Sitne possibilis pura omissio.

I. *Status quæstionis.* QVæstio procedit de omissione liberâ, nam omissiones multas necessarias, & quæ animæ incogitanti obrepunt, reperiri frequenter in voluntate certissimum est, iam enim homines non eliciunt multos actus voluntatis, quos tamen elicerent si ipsis repræsentaretur tale vel tale obiectum, saltem debito modo: quod autem non eliciant de facto, non stat per ipsos, & consequenter ipsis non imputantur illæ omissiones, sed sunt necessariæ.

II. *Ad omissionem liberam non requiritur, vt voluntas nullũ tunc eliciat actum.* Ad huius difficultatis resolutionem, notandum ad puram omissionem liberam non requiri, vt voluntas nullum omninò tunc actum eliciat, sed solum vt nullum eliciat incompossibilem cum illo actu, quem omittit. Quæstio itaque est vtrum quando voluntas est proximè potens ad amandum, & aliud agendum, possit purè omittere amorem. Ex quo multò clariùs constat ad puram omissionem non excludi omnem actum intellectûs, imò essentialiter requiritur ad omissionem liberam, non ad necessariam.

III. *1. Sent. ait implicare puram omissionem.* Prima sententia affirmat puram omissionem non esse possibilem: ita Montesinus 1.2.to.2.d.2.quæst.2. Gamachæus 1.2.qu.71.c.2 & ex recentioribus non pauci: citatur etiam à nonnullis Vasquez 1.2. d.92.a.2. & Valentia t. 2.d.6.quæst.1.p. 4.§. *Si autem.* Hi tamen non negant puram omissionem simpliciter esse possibilem, sed solùm aiunt eam moraliter nunquam contingere.

IV. *Pura omissio libera non est impossibilis.* Dicendum nihilominus possibilem esse puram omissionem liberam. Ita S. Thomas 1.2.qu.6.ar.3.& alibi sæpe, Duran. in 2.d.35.quæst.2 Mol.1.p.qu.14. ar.13.d.12. Suarez tom.4. Met.d.19.s.4 num.8. Valentia citatus, Salas 1.2.l.13.d.2.sect.5. Hurtado d.15. de Anim. sect.7. Tanner. 1. 2. d.4.quæst.4. dub. 1. Ripalda de En. sup. d.79. Arria. hic d.8. sect.6 Ouiedo hîc Con.10.p.1.§.3. estque communissima inter recentiores opinio.

V. *Probatur primò ex libertate contradictionis.* Probatur hæc Conclusio ex libertate contradictionis passim à Philosophis admissâ, quæ in hoc præcisè consistit, quod voluntas, proposito aliquo obiecto, ita circa illud versetur, vel possit versari, vt possit etiam non versari, vt cogitans se debere audire sacrum, non accingit se ad ponenda media ad illius auditionem requisita, & merè negatiuè se habet circa illa omnia, & ipsam sacri auditionem, quâ de causâ vocatur libertas contradictionis, nempe libertas ad actum præcisè & negationem actûs, quæ est illius contradictoria. Quare, idem est libertas contradictionis formaliter, ac libertas ad contradictoria, quale respectu actûs nihil propriè est, præter illius negationem, seu omissionem. Conf. ex definitione libertatis in actu primo, quòd scilicet sit *potentia operandi & non operandi*, sed non operari præcisè est omittere actum, ergo pro illo priori potest voluntas elicere vel omittere actum, sed hæc omissio est negatio illius actûs, ergo si pro illo priori non operaretur eo modo, quo secundùm definitionem potentiæ liberæ potest, habet puram omissionem.

VI. *Quid propriè dicat libertas contradictionis.* Dices primò; sufficere ad libertatem quòd elicere possit hunc actum, vel alium similem, hoc autem nõ est purè omittere. Contrà primò, definitio libertatis hoc non dicit, sed solùm potentiam operandi & nõ operandi, sed non operari non est elicere actum diuersum, hoc enim tam verè est operari, atque elicere actum priorem, ergo posse non operari præcisè non est posse elicere alium actum, sed posse non elicere hunc, nam, vt iam diximus, libertas contradictionis est iuxta etymologiam vocis libertas ad contradictoria, vnus autem actus amoris numero ab hoc distinctus non est ei contradictoriè oppositus, sed disparatus. Deinde, anima hîc in via non habet potestatem eligendi vnum indiuiduum præ alio, vt dixi in Physicis d. 31. dum de indiuiduatione affectuum.

VII. *Vt quis liberè possit amare Petrum, non est opus, vt cogitet de illo actu amoris.* Dices secundò; alio modo explicari posse definitionem libertatis, nempe vt, positis omnibus in actu primo requisitis, possit quis velle actum; aut eius negationem. Contrà, vt quis versetur circa obiectum aliquod Petrum ex gr. non est necessarium aliud quàm vt obiectum illud solum proponatur, si enim habeat in se bonitatem, amari potest ipso facto quod sufficienter proponatur; cum ergo actus ipse amoris sit distinctum obiectum, poterit voluntas in prius obiectum ferri, siue hoc secundum obiectum, nempe actus proponatur, siue non, alius enim est actus quo amatur Petrus, alius quo quis vult eum amare, hic enim est reflexus, tendens in ipsum actum, alius directus tendens in Petrum. Vnde si alicui per actũ fidei proponatur Deus, etiamsi non cogitet reflexè supra actum amoris, vel illius negationem, poterit Deum amare.

VIII. *Deinde actus amoris non esse formaliter liber.* Deinde, modus ordinarius quo homines amant obiectum aliquod, non est volendo priùs elicere vel non elicere amorem circa illud, sed immediatè tendendo in obiectum, nihil in actu signato cogitando de actu, vel illius negatione. Prætereà, nunquam actus amoris vel odij, aut alterius virtutis aut vitij esset elicitiuè & formaliter liber, sed solùm mediatè, in quantum scilicet sequitur ad actum imperantem liberum.

IX. *Si quis solius Dei haberet cognitionem, posset eum liberè amare.* Hinc itaque habemus non solùm non esse necessarium actum positiuum, vt quis omittat amorem ex.gr. sed aliquando non posse haberi, vt in casu posito, quòd quis haberet cognitionem Dei, sine repræsentatione vllius alterius obiecti, tunc enim posset ipsum amare ex vnâ parte, ex aliâ verò, non necessitaretur ad amorem, quia cognitio viæ, vtpote imperfecta non necessitat.

X. *In hoc casu ad non amandum Deum, nec est opus, nec posset quis velle eum non amare.* In casu ergo posito, ad non amandum Deum, nõ solùm non deberet quis positiuè velle omittere amorem, sed non posset id velle positiuè, *nihil enim volitum quin præcognitum*, hîc autem supponimus nullum aliud obiectum cognosci præter Deum: & licèt cognosceretur, cùm tamen non sit infinitum, nec infinitè propositum, non necessariò raperet voluntatem

tatem ad volitionem sui. Tandem non deberet elicere odium Dei, hoc enim, non est necessarium vt non amet, imò frequenter elicere illud non posset, cùm solùm proponatur Deus vt bonus. & si sermo sit de personâ hypostaticè vnitâ non posset omninò Deum odisse.

XI. *Potest Deus subtrahere cōcursū circa omne aliud obiectum.* Secundò probatur conclusio: potest Deus, dum quis habet cognitionem alicuius obiecti creati, sufficientem ad excitandum actum amoris circa illud, potest, inquam, subtrahere concursum ad omnem alium actum circa aliud quodcunque obiectum, & præter amorem circa hoc, ergo in illo casu cum obiectum illud sic cognitum non raperet necessariò voluntatem ad amorem, posset non illud amare, non per alium actum positiuum, cùm omnis eiusmodi actus hic & nunc sit impossibilis, ergo amorem purè omittendo, imò in hoc casu vel debet amare, vel amorem omittere, cùm sint contradictoria.

XII. Aliæ etiam rationes à nonnullis ad puram omissionem probandam afferuntur: hæ tamen vt opinor, maximam ad hoc ostendendum vim habent, & clarissimè probant intentum.

SECTIO II.

Argumenta contra puram omissionem liberam.

I. *Obii. si detur pura omissio, nihil est in actu secūdo, quod non fuerit in actu primo.* Obiicies primò: si detur pura omissio libera, deberet voluntas habere aliquid in actu secundo, quod non habuit in primo, sed nihil habet, ergo. Probatur minor, in actu primo non operatur, ergo in actu primo habet omissionem operationis, sed in actu secundo nihil habet aliud, ergo nihil habet in actu secundo, quod non habuit in primo. Putant multi hoc argumento euinci puram omissionem esse impossibilem.

II. *Resp. in actu secūdo esse negationem, quæ non fuit in actu primo.* Resp. in actu primo non includi actionem, nec negationem actionis, cùm nihil debeat ingredi conceptum actûs primi, repugnant cum actu secundo: sicut materia prima pro illo priori, quo est indifferens ad formam non habet negationem formæ, licèt eodem modo argui posset pro illo priori non habere formam, imò si pro illo priori haberet negationem formæ, non esset indifferens ad formam, concipitur enim indifferentiæ essentialiter abstrahit. & à formâ & illius negatione.

III. *In actu primo voluntas non includit actum, nec negationē actus.* Habent se ergo pro illo priori tum materia, tum voluntas præcisiuè respectu formæ, & negationis formæ, actûs & illius omissionis. Fallacia verò huius argumenti in hoc consistit, quod procedat à prioritate naturæ & rationis ad prioritatem realem, seu à rebus in conceptu, ad easdem vt à parte rei, in quem lapsum multos & hic, & in Logicâ dum de Præcisionibus, maximè procliues esse video. Licèt ergo non posit materia vel potentia libera instante aliquo reali carere formâ & illius negatione, pro signo tamen aliquo rationis, secundum omnes, potest. Sic secundùm Dialecticos in prioritatibus illis repertis inter gradus Metaphysicos, homo vt animal, seu pro illo priori, non est rationalis, non tamen pro illo priori est irrationalis, quamuis realiter seu à parte rei nullum animal esse posit, quòd non vel rationale sit, vel irrationale.

Distinguēda sunt in signa rationis ab instātibus temporis.

IV. *Quid sit pro illo priori habere negationē præcisiuè.* Dices; pro illo priori voluntas non operatur, ergo habet formam, vel quasi formam, per quam denominatur non operans, sed denominatio non operantis formalissimè prouenit à negatione operationis, ergo. Distinguo primum consequens, ergo habet eiusmodi formam positiuè, nego consequentiā; præcisiuè, concedo: id est intellectus considerans voluntatem, cum fundamento illam repræsentat nec cum actu, nec cum negatione actûs, sed indifferentem ad vtrumque: sicut repræsentare etiam potest parietem, nec conceptâ albedine, nec illius negatione, licèt sine harum alterâ à parte rei existere nullo modo posit.

V. *Pro illo priori negatione actus non ita cōcipitur.* Negatio itaque non se tenet ex parte obiecti, sed cognitionis: & pro illo priori hoc esse actum nec omissionem actûs, nihil aliud est, quàm concipi voluntatem, illis non conceptis, cum aptitudine tamen ad alterum illorum habendum. Dices; pro illo priori non habet realiter actum, & non tantùm in conceptu, ergo pro illo priori habet realiter negationem actûs. Resp. negando suppositum tam in antecedente, quàm consequente, est enim implicatio in terminis dicere pro illo priori, & realiter, cū pro illo priori inuoluat necessariò nostrum conceptum. vnde dicere *pro illo priori realiter* idem est ac dicere à parte rei nostro modo concipiendi vel *realiter rationis*. Pro illo itaque priori voluntas solùm non operatur præcisiuè, pro illo enim priori nec operatur, nec non operatur, sed habet se vt carens præcisiuè circa operationem & illius carentiam.

VI. *Pura omissio est voluntaria interpretatiuè & æquiualenter.* Obiicies secundò: pura omissio, si detur, debet esse voluntaria, sed talis esse nequit, cùm sit negatio voluntarij, magis quàm negatio caloris potest esse calor. Resp. negando minorem, licèt enim sit negatio alicuius voluntarij, nempe positiui, non tamen omnis, cùm enim hæc omissio aliquo modo procedat à voluntate, est etiam aliquo modo voluntaria, præsertim cùm procedat libere, ita scilicet, vt potuerit non procedere. Est itaque pura omissio voluntaria, exercitiuè voluntatis tendentia, & alia huiusmodi interpretatiuè & æquiualenter, quatenus scilicet, qui non agit cùm possit, gerit se æquiualenter, & interpretatiuè, ac si positiuè nollet agere.

VII. *Differentia inter voluntat. & potentias necessarias.* Ad quæ intelligenda notandum, hoc habere voluntatem præ potentijs, quæ determinantur ad vnū, seu agunt necessariò, quales sunt visus, intellectus &c. quod illa in actu primo dicat potentiam volendi & non volendi, vnde dicit potentiam ad vtramque partem contradictionis, ex quo prouenit, vt tam operari, quàm non operari sit aliquo modo exercitium voluntatis, cùm in actu primò sit potentia ad vtrumque. In alijs verò potentijs quando non operantur, non prouenit ex potentiâ ad non operandum, sed ex impotentiâ ad operandum, vnde non operari nullo modo vocari potest exercitium illarū, cùm exercitium sit potentiæ alicuius exercitium, vbi ergo non est potentia, nec est exercitium potentiæ. Voluntas ergo, cùm possit non operari, habet potentiam ad non operandum, reliquæ verò potentiæ cū non habeant *posse non operari*, quando non operantur, sed *non posse operari*, omissio, seu negatio operationis in illis non potest dici exercitium potentiæ, vt videtur manifestum, sed effectus, vt ita dicam, vel potiùs defectus proueniens ex impotentiâ.

Voluntas nō operatur ex potentiâ non operandi, aliæ ex impotentia operandi.

VIII. *Potentia libera est vitalis solùm in quantū est potentia agendi.* Obiicies tertiò: potentia libera vt libera est vitalis, ergo quando reducitur ad actum in secundum, reduci debet per exercitium vitale, sed negatio hæc non est vitalis, ergo &c. Distinguo antecedens, potentia libera vt libera est vitalis in quantum est potētia agendi sic volendi, concedo antecedens; in quātum est potentia non-volendi & non-agendi, nego. Vnde quando exercet potentiam non-agendi non exercet se per vitam, sed per non-vitam, cùm non moueat se ab intrinseco per negationem. Secundò tamen dici potest iuxta supra dicta omissionem puram esse vitalem interpretatiuè, quatenus scilicet est peculiaris negatio, quæque, saltem sub ratione liberæ, nisi in potentiâ vitali, reperiri non potest.

IX. Obiicies quartò: in Deo est libertas contradictionis, qui tamen non habet puram omissionem, ergo. Inprimis

De purâ omissione aliud est de Deo aliud de creaturis.

Inprimis multi, & probabiliter in Deo statuunt puram omissionem. Secundò dico, licèt Deo denegetur, quia est imperfectum quoddam voluntarium, non tendens propriè in finem, non tamen est cur in nobis non admittatur.

X. Obiicies quintò: voluntas est potentia intentionalis, ergo per omne exercitium debet tendere intentionaliter. Resp. voluntatem ita esse potentiam tendendi, vt etiam sit potentia non tendendi, in quantum ergo est potentia tendendi, exercet se per tendentiam, in quantum verò est potentia non-tendendi, exercitium eius est carentia huius tendentiæ, per quam non debet tendere in obiectum, sed non-tendere. Resp. secundò puram omissionem liberam esse tendentiam interpretatiuam, quatenus scilicet non operari cum possis, perinde est in prudenti hominum æstimatione ac nolle operari, vt supradiximus de voluntario.

Voluntas est potentia tendendi, & non tendendi.

XI. Obiicies sextò: ex omissionibus generari habitus malos inclinantes ad similes postea omissiones, qui enim sæpe omittit sacrum die festo, facilius illud omittet quàm alius, ergo omissiones sunt actus, non negationes. Resp. omissionem puram nunquam generare habitum, cùm non sit operatiua. Ad experientiam illam dico, plerumque intercedere actus positiuos, quibus volunt homines hæc vel illa facere, & per hos generantur habitus negligentiæ inclinantes ad iterum vitiosè omittendum in similibus occasionibus.

Habitus non generantur per omissiones, sed per actus positiuos.

SECTIO III.

Alia argumenta contra puram omissionem liberam.

I. Obiicies septimò: semper quando quis omittit habet aliquod motiuum, ergo omissio non est pura, sed est aliqua intentio, & tendentia ob motiuum. Antecedens probatur, si enim interrogetur cur omiserit, semper poterit reddere illius rationem ergo non fit per puram omissionem, quæ nullum motiuum attingit. Resp. primò vel sermonem esse de omissione internâ vel externâ, si de secunda solemus plerumque respondere causam cur actionem externam, orationem scilicet omiserimus esse quia noluimus facere, vel quia omisimus actum internum. Si verò sermo sit de omissione actûs interni, respondemus quia non erat clarè nobis propositum obiectum vel infinitum, vel plurimum saltem habens bonitatis, nulla admixta malitia. Vnde in omissione pura non proprium, sed solum lato modo motiuum interuenit. Imò frequenter quando potest dari pura omissio nullum omninò potest attingi motiuum, cùm nihil aliud sæpe sit in cogitatione præter obiectum, circa quod actus versari poterat, qui omittitur, vt declaratum est.

Obii. omissio habet motiuum, ergo est actus positiuus.

Resp. primò puram omissionem non habere motiuum.

II. Responderi potest secundò, interpretatiuè posse habere motiuum, sicut habet causam, quæ enim maior implicantia, vt pura omissio impropriè causetur quasi finaliter ab obiecto, quàm quasi efficienter à causa efficiente. Quod si quis vocare nolit motiuum, vocet conditionem; saltem eo modo videtur se habere, vt illa posita sequatur omissio, alias non sequutura.

Resp. secundò habere motiuum interpretatiuè.

III. Obiicies octauò: quando sunt duo, vel plura motiua, potest omissio esse ob vnum, non ob aliud, ergo non est pura. Resp. primò iuxta dicta obiectione præcedente, nec esse propriè ob vnum motiuum, nec ob aliud. Secundò dico, sicut interpretatiuè & impropriè, seu metaphoricè est ob motiuum ita nullam esse inconueniens, vt sit ab hoc motiuo, non ab illo. Hoc autem si dicatur, tunc consequenter probabiliter dici potest, quod affirmant multi, diuersas esse specie negationes, seu omissiones, quæ connaturaliter sequuntur ad diuersa motiua: licèt enim non quæuis differentia cognitionis inferat diuersitatem in omissionibus, sicut nec in actibus positiuis, actus tamen intellectûs repræsentantes diuersa motiua, sicut causant diuersos actus volũtatis, quidni etiam causabunt diuersas specie omissiones?

Quomodò pura omissio fiat ob vnum motiuum, non ob aliud.

IV. Obiicies nonò: non posse nos ab omni actu cessare, vnde quando omittimus, vel fit quia directè nolumus, vel quia aliquid volumus impossibile, vel denique quia intentionem aliò diuertimus. Resp. primò, nullam esse repugnantiam vt voluntas circa particulare aliquod obiectum ad breue tempus cesset ab omni actu, ergo dari in omni rigore potest pura omissio. Secundò dico, licèt omni actu carere nequeat, non tamen est necessarium vt semper velit aliquid incompossibile, nec etiam aliquid disparatũ tanta intensione, vt in illa cogitatione & volitione planè impendantur omnes vires animæ, ita vt ad aliud attendere non possit; sæpe enim anima ad varia simul attendit: ergo licèt versetur voluntas circa vnum obiectum, adhuc potest versari circa aliud sicque est locus puræ omissioni liberæ, si non agat quando potest.

Voluntas ad breue tempus carere potest omni actu.

V. Obiicies decimò: non potest dari meritum sine actu positiuo, ergo nec peccatum. Conf. nam Aristoteles 3. Ethicorum ait omne voluntarium esse laudabile vel vituperabile. Resp. primò latius secundum multos patere omissionem liberam quàm peccatum, Vasquez enim eam admittit esse possibilem, & tamen negat esse peccatum. Resp. secundò negando consequentiam, plura enim requiruntur ad bonum, quàm ad malum: vnde communiter dici solet non posse dari meritum, vbi est tantum semiplena deliberatio, cùm tamen dari possit peccatum.

Licèt non possit esse meritũ in purà omissione, potest esse peccatum.

VI. Ad confirmationem dico solùm loquutum esse Aristotelem de voluntario perfecto seu positiuo. Imò omnes hoc eius dictum explicare debent, cùm actus voluntatis necessarij sint voluntarij, qui tamen nec laude digni sunt, nec vituperio. Quod verò proponi solet ex Ecclesiastici cap. 31. vers. 10. *qui potuit transgredi & non est transgressus*, non probat puram omissionem esse meritoriam, cùm laudetur vir pius iam mortuus quod vniuersim non sit transgressus legem Dei, quod faciendo non potest non aliqua præstitisse laude digna, cùm multa sint præcepta affirmatiua, quæ non transgrediendo, seu implendo, exercet opera bona, & meritoria.

Solum voluntarium perfectũ est laudabile, vel vituperabile.

VII. Tandem ad auctoritatem S. Augustini, & S. Thomæ, quæ hic obiici solet, ad S. Augustinum dum l. 2. de libero arbitrio c. 19. ait in omni peccato reperiri conuersionem ad creaturam, & auersionem à Deo: Resp. primò, velle ipsum omne peccatum habere conuersionem ad creaturam vel formaliter vel interpretatiuè, qui enim die festo aduertens instare tempus audiendi sacrum, iacet in lecto, interpretatiuè præfert somnum, vel pigritiam Deo, & perinde cum ipso agitur, ac si positiuè nollet audire sacrum, sed dormire. Alij dicunt S. Augustinum loqui tantùm vt plurimum. Quibus etiam modis explicari possunt alij Patres, & illud S. Augustini, *peccatum est dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei*, &c. Ad S. Thomam eodem modo dico solum loqui eum moraliter, dum ad omissionem requirit actum, rarò enim contingit eiusmodi pura omissio, vt apud omnes est in confesso.

Soluitur auctoritas S. Augustini, & S. Thomæ circa puram omissionem.

DISPVTATIO XXVII.

De Intentione & Electione.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur quædam circa intentionem finis, & electionem mediorum.

I. MVlta de his in Physicis diximus d.23. cùm de causa finali, nunc pauca solum adiicienda, quæ ibi in hunc locum remisimus.

II. *Cognitio non constituit partialiter finem, sed est tantùm conditio.* Primum est vtrùm cognitio finis ingrediatur partialiter eiusdem constitutionem, vel sit solùm conditio? Resp. esse solùm conditionem: ratio est, quia id solùm est finis, quod amatur, & quod assequi intendimus per media, quæ adhibemus, sed solùm intendimus assequi rem apprehensam, non ipsam apprehensionem, ergo. Hinc tamen non sequitur quin cognitio partialiter simul cum fine moueat, sicque finis & illius cognitio constituunt vnum mouens adæquatum, vtrumque enim mouet in suo genere, finis obiectiuè, cognitio formaliter.

III. *An eiusdem effectûs dari possint duo fines totales.* Secundum est, vtrùm possint duo fines adæquati & totales concurrere ad eundem effectum? Non quærimus vtrùm possit quis eodem actu velle duo obiecta, quorum singula per se sufficerent ad rationem finis, & ad mouendam voluntatem, ita vt de facto sint obiecta partialia illius actûs: sed vtrum possit quis per duos actus velle duplicem finem totalem, id est ita, vt si alter finis non intenderetur, eodem tamen modo sequerentur operationes ad extra, quæ iam sequuntur ad vtrumque finem.

IV. *Resp. posse dari huiusmodi duplicem finẽ totalem.* Resp. posse: ponamus ex.g. velle quempiam concionari ex motiuo charitatis, dum autem perstat in hoc actu, & intentione concionandi ex charitate, iniungatur ipsi vt concionetur, tunc actum illum concionandi, quem eliciturus erat ex charitate, idque eadem celeritate & promptitudine, elicit nunc etiam ex obedientiâ, imò eliceret, etiamsi non haberet motiuum charitatis, ergo hi duo fines sunt adæquati, hoc enim est esse finem adæquatum & totalem, nempe vt licèt cum aliquid aliud committetur, eodem tamen modo actum eliceret, atque si hic solus finis tunc esset in intentione.

V. *Nec obstat, quòd non possit dari duplex causa totalis efficiens.* Dices cum P. Vasquez, qui est in contrariâ sententiâ tom.1.in 3.partem d.10.c.8. Non potest naturaliter dari duplex causa totalis efficiens, ergo nec duplex finalis; nec enim minùs esset hîc superfluitas, quàm ibi. Admisso antecedente negatur consequẽtia, disparitas est, quia longè diuerso modo se habent causæ intentionales, ac Physicæ: primò enim nihil frequentius, quàm vt idem obiectum recipere possit diuersas denominationes extrinsecas à diuersis visionibus, intellectionibus, & volitionibus, non tamen potest produci naturaliter à diuersis actionibus Physicis.

VI. *Disparitas inter duplicẽ causam finalẽ, & efficientem.* Ratio est, actiones enim Physicæ solùm ordinãtur ad ponendam rem à parte rei: cùm ergo per vnam actionem sufficienter ponatur, & habeat suam existentiam, non requiritur alia, imò foret superflua. Actiones verò intentionales ordinantur per se primò ad perficiendam potentiam vitalem, & solum consequenter ac secundariò ad obiectum; quod secus contingit in actionibus Physicis quæ primò & per se ordinantur ad obiectum, seu terminũ. Deinde, à duobus finibus totalibus tantum procedit vna actio Physica in rem quæ fit: à duabus verò causis totalibus efficientibus semper procedere deberet duplex actio, vt constat, & in Physicis latius est declaratum.

VII. Tertium est vtrùm intentio finis, & electio mediorum sint duo actus, an inter se identificentur? Existimant aliqui realiter distingui hos actus in nobis, ratione in Deo, sicque aiunt intentionẽ in Deo esse aliquo modo priorem electione, & causam illius, licèt intentio præsupponat cognitionem mediorum. Hæc opinio est probabilis: mihi tamen semper magis placuit contraria sententia asserens eundem esse actum quo quis intendit & eligit media. *Intentio finis est semper electio mediorum in genere.* Ratio est quia intendere efficaciter finem est velle eum consequi, seu velle efficientiam finis, velle autem efficientiam finis necessariò inuoluit volitionem mediorum, per quæ finem vult consequi: vnde saltem debet velle aliqua media in confuso: quando autem consultatione factâ, inuenit quodnam medium in particulari sit magis proportionatum, deposito priori actu, quo volebat finem per aliqua media confusè, habet alium, quo illum vult per hæc media in particulari.

VIII. *Intentio & electio nec ratione distinguitur.* Imò videtur probabile, nec ratione distingui intentionem & electionem saltem aliquorum mediorum in genere, cùm intentio efficax sit formaliter actus, quo quis vult efficaciter consequi finem; electio verò est actus quo vult media ad finem consequendum: qui actus videntur planè iidem.

IX. *Vlteriùs ostenditur electionem semper esse intentionẽ.* Conf. Electio tendit in medium vt vtile, ergo vt conducens ad aliquid consequendum, ergo eodem actu quo medium eligimus, intendimus finem. Antecedens probatur, non enim vult medium propter se, sic enim non amaretur nec eligeretur vt medium sed vt finis, ergo nõ alio modo eligit quis medium, nisi propter aliud, sed ad illud per medium consequendum, sicque actio illa est formaliter & electio medij, & intentio finis.

X. *Disparitas inter assensum conclusionis, & electionem mediorum.* Hinc soluitur quod opponunt aliqui, posse scilicet intellectum assentiri conclusioni propter præmissas, licèt actu illo non attingat intrinsecè obiectum præmissarum, sed præmissis extrinsecè tantum ad actum conclusionis determinantibus, ergo & poterit voluntas velle media propter finem, licèt actu illo non attingat finem intrinsecè. Sed negatur consequentia, disparitas est manifesta, obiectum enim conclusionis sufficientem in se habet veritatem, vt terminet actum, medium autem, cùm quà tale, habeat solum bonitatem vtilem, bonitas ipsius non est per se expetibilis, sed solum in ordine ad finem, vt dixi disp.47.Log. sec.5.n.3.

SECTIO II.

De actu imperante & imperato.

I. *Proponitur status quæstionis.* DIxi suprà disp.23.sec.5.n.10. ad hoc vt voluntas prodeat in actum, non requiri imperium illud practicum his vocibus explicatum FAC HOC, siue sit actus intellectûs, vt communior fert opinio, siue voluntatis. Hic ergo vlteriùs inquirimus vtrum saltem possit voluntas imperio suo, seu actu aliquo alium actum imperare.

II. *Potest voluntas vno actu imperare alium, tam intellectûs, tam voluntatis.* Resp. posse voluntatem per vnum actum imperare alium, non externum tantum, sed etiam internum, nec intellectûs solummodò, sed voluntatis: imò etiam existimo posse actum imperatũ esse per-

fectiorem

fectiorem subinde imperante: sic non solum ex affectu charitatis potest quis imperare actum humilitatis, vel temperantiæ, sed ex affectu misericordiæ erga proximum potest sibi imperare actum religionis vel charitatis. Nec in hoc videtur esse peculiaris difficultas, si rectè intelligantur termini, vnum enim actum imperare alium nihil est aliud, quàm efficaciter ad illum determinare, hoc autem non videtur dubium quin possit voluntas præstare, posito enim quod efficaciter velit actum aliquem voluntatis, vult eum absolutè elicere; ergo eliciet; si enim non eliciat, si sit in illius potestate, ergo liberè omittit, ergo vult eum efficaciter, & non vult, quæ sunt contradictoria.

Quid sit vnum actum imperare alium.

III. *Declaratur vlterius, quomodo vnus actus aliud imperet.*

Confir. stante voluntate efficaci seruandi omnia mandata, si occurrat præceptum aliquod eorum explendi, infallibiliter eliciet voluntas actum, quo illud expleat, ergo vnus actus potest alium imperare, imperare enim, vt dixi, non est aliud, quàm quòd ex vi vnius actus, alius sequatur. Vnde Concil. Trid. sess. 14. c. 4. ait attritionem excludere omnem affectum peccandi, quod nimirum in se includat propositum seruandi omnia mandata.

IV. *Opinio negans posse voluntatẽ sibi imperare actum immediatè.*

Vasquez t. 2. d. 51. c. 5. Coninck d. 3. de actibus d. 10. & alij nônulli opinantur non posse voluntatem imperare sibi actum voluntatis efficaciter, & immediatè, sed ad summum inefficaciter, & mediatè, mouendo scilicet intellectum ad indagandas rationes quibus moueatur voluntas ad volendum obiectum seu ad talem vel talem actum eliciendum.

V. *Ratio eorũ est quia actus imperatus non esset liber.*

Ratio eorum est: sequeretur enim, inquiunt, actum imperatum non esse liberum, cùm stante actu imperante, eo modo quo nos eum ponimus, non possit actus imperatus non sequi, hoc autem videtur inconueniens, sic enim quiuis actus imperatus alicuius virtutis amitteret suam honestatem, cùm amittat libertatem. Imò vlteriùs, inquiunt, sequitur imperantem sibi actum contritionis, vel amoris Dei super omnia ex affectu beatitudinis, & iustificationis, reddere se ipso facto impotentem ad eiusmodi actum eliciendum, actus enim amoris vel contritionis necessarius non sufficit ad iustificationem, sed solus liber.

VI. *Actus imperatus varius modis potest esse liber.*

Ad solutionem notandum; variis modis posse actum imperatum esse liberum: primò extrinsecè, seu denominatiuè, & participatiuè ab actu imperante: hoc ergo modo actus imperatus voluntatis est liber id enim nihil aliud est, quàm hunc actum sequi ad determinationem alterius, qui est liber: quo etiam modo actus intellectus, imò actus etiam externi, ad internum voluntatis actum sequuti, sunt denominatiuè liberi.

Primò denominatiuè.

VII. *Secundò quoad circũstantias.*

Secundò actus aliquis imperatus est liber, quando licèt (vt hic contingit) non sit liberum voluntati, posito actu imperante de actu amoris v.g. eliciẽdo, non eum elicere, potest tamen hic actus in particulari esse liber quatenus scilicet, quãtumuis ponatur actus imperans, potest volũtas non solùm hunc numero actum præ alio simili elicere, sed etiam valde diuersum secundùm intentionem, obiecta diuersa, & alias huiusmodi circumstantias, actus enim imperans amorem Dei, solùm tendit in genere, sicque quocunque amore posito satisfit illius imperio, multi autem sunt actus amoris possibiles, etiam inter se valde diuersi, vnde poterit actus amoris imperatus non solum esse liber, sed meritorius, licèt stante actu imperante non possit non sequi aliquis actus amoris, pro instante vel tempore, quo est imperium.

VIII. Hoc modo d. 25. de Incar. s. 2. dixi Christi libertatem sufficienter ad meritum saluari, cùm hac ratione non solum in ipsius potestate fuerit mori hac vel illa hora, in hac vel illa cruce, quod sufficit ad libertatem purè Physicã, vt dici solet, sed liber erat ad moriendum per talia vel taliá tormenta, grauiora scilicet vel minus grauia, in loco obscuro vel celebri, vnde maior oriatur mortis ignominia, ex hoc vel illo motiuo, & alia huiusmodi, quæ dici solet libertas in genere moris: licet enim, vt ibidem dixi, secundum hunc modum procedendi non fuerit liber Christus ad moriendum simpliciter, circumstantiæ tamen proximè positæ multum faciunt ad æstimationem moralem, & consequenter ad meritum.

Libertas purè Physica.

Libertas in genere moris.

IX. *Si omnes circumstãtiæ determinentur, actus imperatus nõ est liber.*

Si tamen omnes mortis circũmstantiæ fuissent determinatæ, non fuisset liber Christus secundum hunc modum libertatem cius defendendi, nec morali libertate, nec Physicâ. Quod idem contingeret hîc in actu imperato respectu imperantis, nec alia ratione esset in hoc casu actus ille liber, pro tempore quo illum sic intendit actus imperans, quàm extrinsecè modo suprà explicatu n. 5. Imò vlterius addidi d. 17. de Incar. s. 2. probabile esse potuisse Christum hic in via mereri per actus amoris Dei beatificos, seu ortos ex visione beata, cùm, licèt non potuerit non amare Deum, esset tamen in potestate ipsius diuersos & inæquales actus amoris elicere,

X. *Si tempus non determinatur, actus imperatus potest esse liber.*

Dixi pro tempore pro quo actus imperans vult illum actum elici, si enim solum eum imperet indeterminatè quoad tempus, sed pro aliquo instãte intra tale tempus, non obstante actu imperante est liber actus imperatus elicitus quocunque instante illius durationis, excepto vltimo. Quod idem est de intentione efficaci finis respectu electionis medij, etiam vnici, si intentio non sit determinata pro certo instante, sed tantum pro tali tempore, tunc enim electio talis medij est libera quouis instante illius tẽporis, excepto vltimo, si eousque electionem differat. Et per hæc patet ad obiectionem suprà factam.

XI. *Alius modus defendẽdi libertatẽ actus imperati.*

Dicunt aliqui actum imperatum amoris in circũstantiâ actus amorem imperantis non solum esse liberum quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam, ita vt simpliciter possit tunc voluntas omninò non amare, quia, inquiunt, est in potestate voluntatis tollere vel impedire ne ponatur imperium.

XII. *Hic tamẽ modus solum arguit illum esse liberum mediatè.*

Sed contrà, hoc enim non sufficit vt possit immediatè non elicere actum amoris, seu non amare, sed tantum mediatè tollendo scilicet vel impediendo causam ad amorem necessitantem, qua stante, non sequi amor non potest. Vnde in hoc casu solum est libera voluntas ad non amandum mediatè, immediatè autem & simpliciter necessitata. Qui plura de actu imperante & imperato videre cupit adeat P. Ouiedo qui hîc Cont. nona fusissimè hac de re disputat.

SECTIO III.

De concursu Dei cum causis secundis.

I. FVsè hac de re dictum est in Physicis d. 28. s. 5. & 6. vbi & varios Dei cum causis secundis concurrendi modos ab alijs statutos impugnaui, & veram eum explicandi rationem aperui. Hîc tamen quædam adijciam.

II. *Dicunt aliqui Deum cum videat quo voluntas se esset inclinatura, dare ei concursum determinatum.*

Dicunt ergo aliqui Deũ, cùm videat quò voluntas pro aliquo priori se esset inclinatura, dare ipsi in actu primo, seu parare concursum determinatũ ad illum actum, ita vt Deus non sit indifferens ad non concurrendum. Per hoc autem, inquiunt, non tollitur libertas, licèt enim hæc actualis determinatio ad vnum proueniat ab hoc decreto diuino, voluntas tamen antea erat virtualiter determinata ex se, quod sufficit, inquiunt, ad libertatem.

III. At sane hæc sententia videtur pugnare secum; pro illo enim priori quo vidit Deus quò volũtas se-

Contrà, eundem semper dari debet Dei concursū, per quē videbat actum esse futurū.

se esset inclinatura, vidit hoc eam facturam esse per aliquem concursum, ita enim videt Deus res futuras, sicut ipsæ sunt futuræ. cùm ergo hi actus non solum non sint futuri, sed nec possibiles sine concursu Dei, non possunt videri à Deo vel futuri vel possibiles sine concursu aliquo Dei, ille autem concursus debet esse indifferens, ergo alium videt concursum pro illo priori, alium dat, quod implicat, illum enim dare debet actu, per quem videbat operationem conditionatè futuram, nec enim alium concursum præbet Deus creaturis operantibus, quã illum, per quem vidit eas conditionatè operaturas, alioqui non esset idem actus in statu conditionato, & absoluto. Decretum autem quod ponunt hi recentiores est huiusmodi, *si dedero concursum indifferentem Petro, operabitur eius voluntas, dabo alium nempe determinatum.*

IV. *In hoc modo explicādi concursum Dei tollitur libertas.*

Ex quo sic hanc sententiam impugno; omnis determinatio in antecedens actum per modum causæ influentis tollit libertatem, sed hic concursus Dei est antecedens per modum causæ influentis, & est determinatus ad vnum, & absolutus non relinquens in voluntate indifferentiam ad non operandum, ergo tollit libertatem. Conf. nam eodem modo respondere possent, qui ponunt prædeterminationem Physicam, & dicere eam non tollere libertatem, quia Deus pro illo priori vidit, quo se esset inclinatura voluntas: Sicut autem ipsos impugnamus, quia Physica prædeterminatio, cùm sit causa influens, determinata ad vnum, tollit necessariò libertatem, ita & hic concursus, cùm non minus sit determinatus ad vnum. Vnde ad libertatem non sufficit quòd voluntas habitura fuisset omnia requisita ad agendum & non agendum, sed & quando operatur debet habere in actu primo omnia requisita ad operandum & non operandum, quod non saluatur in hac sententia, sicut nec in prædeterminatione Physica, cùm vnum principium non sit indifferens, sed necessariò inferens actum.

V. *Decretum Dei non est tantū vniuersale, & confusum.*

Alij ergo aiunt Deum habere decretum quoddam vniuersale, & solum confuso quodam modo influens; Deus ergo, inquiunt, hoc & nihil aliud dicit pro illo priori, *volo præbere concursum ad aliquem effectum*, non tamen magis determinat suum concursum ad aquam, quàm ad ignem, nec ad vllum effectum in particulari. Sed contrà primò, nam ad decretum tam vniuersale nullus vnquam effectus sequetur. Cōtrà secundò, Deus quidquid producit, producit ex suis Ideis, sed Idea aquæ non est Idea ignis, sicut nec Idea hominis Idea equi &c. ergo debet decretum Dei, & concursus in actu primo procedere magis in particulari, & non modo ita confuso.

VI. *Alius modus statuēdi concursum Dei vniuersalem.*

P. Sua. l. 2. de Auxiliis c. 3. n. 17. ait decretum Dei, per quod decernit concurrere cū causa libera creata esse generale quidem in hoc sensu, nempe quod offerat pro illo priori ad varios actus specie, sub cōditione tamen, nempe si voluntas creata voluerit non tamen, inquit, est generale hoc decretum, seu confusum, vt dicebat prior sententia, id est, ad nullum in particulari indiuiduum descendens, Deus enim vt distinctissimè omnia, & in particulari cognoscat, ita etiam distinctissimè & in particulari vult, ac decernit. Non tamen est dicenda hæc voluntas Dei conditionata simpliciter, & formaliter, sed solum virtualiter, vnde fertur hic concursus diuinus absolutè in amorem ex. gr. in particulari, ita tamen, vt stare cum eo possit negatio concursus ad amorē, nempe si voluntas creata nolit se inclinare ad eliciēdum actum amoris. Eodem etiam modo fertur ad odium & ad alios actus specie distinctos, & præbet concursum in actu primo ad singulos.

Decretum hoc Dei nō est formaliter, sed virtualiter conditionatum.

VII. Vnde ad effectū ad extra non requiritur semper decretum efficax absolutum, sed sufficit conditionatum; est verò conditionatum hoc decretum Dei, etiam quoad exercitium, sicque relinquit voluntatem liberam tam libertate contradictionis, quàm contrarietatū, ita enim est paratus Deus in actu primo præbere concursum ad hunc specie & numero actum amoris v. g. vt paratus sit etiam non concurrere, vel etiam concurrere ad contrarium, nempe ad actum odij, si voluntas creata velit. Nec est huiusmodi decretū superfluum, quod aliqui obiciunt, vt enim aliquid non sit superfluum sufficit si ad aliquem finem deseruiat, hic autem habet finem hoc decretum, nempe vt relinquat voluntatem creatam liberam, & quoad exercitium & quoad specificationem; quod tamen non faceret, si esset determinatum ad vnum actum, vel specie vel numero.

Hoc decretum relinquit voluntate creatā omni modo liberam.

VIII. Hic modus explicandi concursum Dei est probabilis. Videatur locus in Physicis citatus d. 28. s. 5. & 6. vbi meam hac in re opinionem explicui.

DISPVTATIO XXVIII.

De Habitibus secundum se.

HÆc sola restat disputanda quæstio, quam huc remisi, cum à nonnullis in Logica disputari soleat. Magis tamen necessaria est cognitio habitus supernaturalis vtpote de quo frequentior vsus in Theologia, quàm naturalis. Primò de habitibus naturalibus agemus, & de iis quæ vtrisque sunt communia: deinde disputationem subiiciemus de supernaturalibus.

SECTIO PRIMA.

Quid sint, & in quibus potentiis reperiuntur habitus.

I. *Habitus variè sumitur.*

VAriis modis sumitur habitus: nonnunquam pro facilitate quadam, qua ita rebus quibusdam ex se non gratis, sed molestis potiùs & asperis paulatim assuescimus, vt exiguam tandem in iis ferendis, ac propè nullam difficultatem sentiamus, quæ proinde transire dicuntur in habitum. Hinc ortum habuit dictum illud Philosophorū, *ab assuetis non fit passio*. In quam rem pulchrè Seneca Philos. de Tranquill. animæ c. 10. *Nullo*, inquit, *meliùs nomine de nobis natura meruit, quàm quòd cū sciret quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauissima adducens*. Inò nonnulli diuturno tempore rebus istiusmodi grauibus assueti, & malis, vt ita dicam, innutriti, omnem eorum sensum sensim amittunt, nec ab iis abhorrent ampliùs, sed sibi veluti naturalia intuentur; qua de causa meritò dicitur *Consuetudo altera natura*.

Ab assuetis non fit passio.

Cōsuetudo calamitatum mollimentum.

Cōsuetudo altera natura.

II. *Tres alij modi sumendi habitum.*

Secundò sumitur habitus pro modo quodam rē aliquam habendi, de quo in prædicamentis. Tertiò pro formâ accidentali opposita priuationi: sic sumitur dum dicimus, *habitus & priuatio*. Quartò denium pro principio quodam actuum, quo sensu de eo in præsenti disputamus.

III. Habitus ergo naturalis iuxta omnes est *qualitas impressa*

Definitio habitus naturalis.

impressa animæ, facilitans ad actus sibi similes, à quibus primò fuit producta. In quo differt ab habitu supernaturali, vt fidei, spei &c. hi non dant facile posse sed simpliciter. Et si dicas quis nos in dies experiri frequenti vsu actuum fidei facilitatem in credendo, ea quo probari videtur etiam habitus supernaturales tribuere non simpliciter solùm posse, sed facile. Respondeti potest quandocunque elicimus actum fidei supernaturalem, elici etiam actum naturalem fidei circa idem obiectum, sicque produci habitum naturalem, qui facilitat ad actus naturales, siue hi habitus distinguantur à speciebus, siue non: quod exinde probatur nam si quis circa vnum aliquem articulum fidei labatur in hæresim perdit illicò totum habitum supernaturalem fidei, sentit nihilominus eandem facilitatem in eliciendis actibus circa reliquos articulos fidei, ergo facilitas illa non prouenit ab habitu supernaturali, sed naturali, qui etiamnum remanet. Quoad secundum

IV. *Nec in sensibus externis, nec internis dantur habitus.*

Dicendum: non in igne tantùm & aquâ, cœlo, sole, lapidibus, & aliis rebus inanimatis non dantur habitus vlli facilitantes ad operandum, sed nec in sensibus etiam externis, vt aure, oculo &c. imò nec in phantasiâ nec sensu interno reperitur quidquam huiusmodi distinctum à speciebus impressis internis, quod iis promptitudinem inbuat ad actus suos eliciendos. Ratio horum est, quia hæc omnia sunt ex naturâ suâ determinata ad vnum, & ita necessitata, vt positis omnibus ad agendum requisitis, non possint non intensissimo semper, & velocissimo quo possunt modo operari: ad quid ergo ipsis vlla adderetur alia facilitas?

V. *Habitus non ad minuendum concursum infunduntur, sed ad maiorem facilitatē.*

Dices primò; licèt sensus externi sint ad operandum necessitati, dari nihilominus in iis potest habitus; vt minore concursu & conatu operationes suas eliciant. Sed contrà, non ideò assignantur potentiis quibusdam habitus præcisè vt minori concursu & conatu actus suos, virtutis scilicet, aut vitij eliciant, sed tum ad difficultatem minuendam; tum vt eas ad actus illos producendos antecedenter etiam irritent quasi, & alliciant. In sensibus ergo, cùm nulla sit in actibus difficultas, nulla indeterminatio, imò summa, vt dixi, non facilitas solùm, sed necessitas, ad quid aliud incitamentum & illecebræ; quibus ad eos exercendos pelliciantur. Eodem certè modo quis diceret luci addendum esse habitum, qui producat lucem, vt eam minori concursu & conatu efficiat.

VI. *Facilitas in brutis, & in homine pulsante citharam prouenit ex solis speciebus.*

Dices secundò; experientiâ nos quotidianâ cernere paulatim acquiri facilitatem quandam ad res varias, vt cùm quis discit pulsare citharam, initio difficultatem sentit, postea summâ facilitate id præstat, ergo acquirit habitum. Quod similiter constat in ipsis brutis animantibus, dum enim docetur canis saltare, acquirit paulatim habitum, idque postea facillimè, ac summâ cum dexteritate præstat, in quo primum summam habuit difficultatem. Respondetur in vtroque casu istud prouenire ab speciebus relictis in phantasiâ canis, & in phantasiâ simul & intellectu hominis; quo enim crebrius iteratur saltus ille, & pulsatio artificiosa, relinquuntur nouæ & intensiores species in imaginatiuâ, quæ cùm viuaciores sint, clariorem postea, dum excitantur actum diligentem eliciunt, per quem facilius peragitur pulsatio & saltus.

VII. *Cur in sensibus externis nō maior vno tempore sit facilitas, quā alio.*

Subinde tamen, vt in pulsante citharam frequēte vsu acquiritur agilitas quædam, & laxitas neruorum, quæ aliquo modo ad digitos expeditius mouendos conducit. In sensibus autem externis ideo non maiorem vno tempore habemus facilitatem quàm alio, si organum æquè sit dispositum, & obiectum æqualiter applicatum, quia post primū actum nulla species relinquitur in sensu externo, quæ conducat ad actus sequentes: cùm enim hæ species producuntur ab obiectis, his amotis pereunt species; sicut etiam contingit, quando interponitur aliquod opacum inter obiectum & potentiam, vt quotidianâ constat experientiâ.

SECTIO II.

Dentúrne habitus in intellectu, & voluntate.

I. *In intellectu non dantur habitus distincti à speciebus.*

PRima conclusio: in intellectu non dantur habitus distincti à speciebus intelligibilibus impressis. Hæc videtur clara mens D. Thomæ variis locis q. enim 10. de veritate art. 2. postquam probauit in intellectu possibili manere species subiungit, *& harum ordinatio est habitus scientiæ:* & 3. p. q. 12. art. 2. ait argumentum habitus scientiæ proprium, & secundùm essentiam consistere in augmento specierum intelligibilium: & alibi sæpe ait habitum intellectus esse ordinationem specierum. D. Thomam sequuntur P. Hur. hic d. 16. s. 2. P. Arria. hic d. 9. sec. nu. 9. P. Ouiedo hic cont. 14. p. 2. n. 10. estque communior hodie inter recentiores sententia, contra Suar. d. 44. Met. s. 4. & alios. *S. Thomas.*

II. *Ratio est, quia intellectus est potentia necessaria non minus quam sensus.*

Ratio à priori est, quia ponitur habitus ad tollendam difficultatem in operando, sed in intellectu positis omnibus requisitis nulla est difficultas, ergo. Minor probatur, potentia necessaria positis omnibus requisitis non potest non operari, sed determinatur necessariò ad operandum quantum potest, sed intellectus est potentia necessaria, ergo. Conf. si in potentiis necessariis omninò determinatis ad operandum ponatur habitus, quidni ponatur etiam in sensibus externis, imò in lapide ad cadendum, in igne ad ascendendum &c. Conf. secundò, nullus actus intellectus requirit habitum, nam si proponatur obiectum euidenter non potest non assentiri intellectus, sin verò non proponatur euidenter, inclinatur ad assentiendum ab Imperio voluntatis; ad conclusionem autem determinatur à præmissis si sint euidentes, & ad iudicium similiter ab apprehensione terminorum, & sic de aliis, ergo non apparet ad quem actum requiratur habitus in intellectu.

III. *Licèt species procedant ab obiecto, possunt tamē facilitare, imò necessitare potentiam.*

Nec vrget quod obiicit P. Suar. citatus requiri hanc facilitatem, non ex parte obiecti, sed potentiæ, species autem sunt vicariæ obiecti. Respondetur enim ab eo quod procedit ab obiecto posse facilitari imò necessitari potentiam, vt constat in potentiâ visiuâ, quæ à specie impressa omninò rapitur ad videndum, nec, illa posita, potest non videre. Si quādo verò sit aliqua indifferētia seu indeterminatio ex parte intellectus ad assentiendum, tollitur per imperium voluntatis, vt diximus. Hæc autem coordinatio specierum nihil aliud est præter ipsam earum entitatem, quæ excitatæ concurrunt effectiuè ad actum, & quo clariores sunt, & perfectiores, eo actus efficiunt intensiores & præstantiores circa eadem obiecta.

IV. *In voluntate, vt pote potentiâ liberâ dantur habitus.*

Secunda conclusio: in voluntate dantur habitus inclinātes ad actus liberos, similes iis, à quibus fuēt producti, & facilitantes principium circa obiectum, quod ab actibus illis respiciunt. Ita omnes communiter cum Aristotele & S. Tho. quos de causa supervacaneum est auctores recensere. Ratio est quia voluntas est potentia indifferens seu libera & non determinatur necessariò ad vnum, sicut aliæ potentiæ, de quibus hactenus, ergo in eā dari potest aliquid facilitans & inclinans ad actus istos, imò sentimus in nobis frequēter huiusmodi inclinationes, & pro-

pensiones, ergo debet dari peculiare aliquod illorum principium.

V. *Habitus voluntatis non possunt vniuersim refundi in species intellectus.* Dices; hanc facilitatem refundi posse in species impressas, quæ sunt in intellectu. Contrà primò, licèt enim negari non possit, quò clariùs proponitur obiectum, eò magis illud mouere voluntatem, sicque species subinde effectiuè inclinare voluntatem remotè, vniuersim tamen non possunt habitus voluntatis constitui in his speciebus, frequenter enim cõtingit habere aliquem perfectissimas species honestatis alicuius obiecti, vt condonationis iniuriæ, & tamen sentit se vehementer inclinari & propelli in contrarium, nempe vindictam, ergo habitus vindictæ & odij non consistit in speciebus impressis.

VI. *Si habitus voluntatis sint species, sequitur Beatos, & ipsũ Christum habere habitus vitiosos.* Contrà secundò, hinc enim sequeretur Angelos, Beatos, imò animam Christi habere habitus vitiosos: probatur sequela, habent perfectissimas species horum obiectorum, cùm ea perfectissimè cognoscant, ergo si species hæ sint habitus odij, iræ & aliorum vitiorum, habent etiam habitus vitiosos, quod nemo sanus cõcedet. Dices; species hæ, vt sint habitus vitiosus, connotant absentiam aliarum specierũ, earum nempe quæ sunt species actuum & obiectorum virtutis. Contrà, ergo & species virtutis, vt sint habitus honestus & virtuosus, connotant absentiam specierum actuum & obiectorum vitiosorum, ergo anima Christi non habet habitus virtuosos, quod tamen est æquè falsum. Deinde, habitus virtutis & vitij in gradibus saltem intensis opponuntur, ergo non consistunt in speciebus impressis, hæ enim simul stant in eodem intellectu, obiectorum etiam maximè oppositorum, vtraque enim obiecta tam bona, quàm mala, multi perfectissimè cognoscunt.

Dices; si facilitas hæc sit habitus aliquis informãs voluntatem, ergo vel semper sentiretur ante operationem, vel nunquam, quorum tamen vtrumque est falsum, vt constat. Resp. consistere facilitatem hanc in habitu informante voluntatem, vt tamẽ moueat requiri cognitionem, per quam proponatur obiectum voluntati, quâ positâ inclinat voluntatem habitus ad amplectendum illud obiectum; licèt non semper sequatur illius inclinationem: sicut aliquando contingit in ipsa voluntate, quæ licèt habeat vim inclinandi se ad amorem alicuius obiecti, non tamen sentit hanc inclinationem, nisi quando ei proponitur obiectum. Quod clariùs constat in prædeterminatione Physicâ, quæ licèt habeat vim, non inclinandi solum voluntatem, sed necessitandi, id tamen non præstat, nisi positâ cognitione obiecti, in quod feratur voluntas. Facilitatur ergo voluntas in actu primo per habitum ante cognitionem, licèt non prodeat in actum secundum ante repræsentationem actualem obiecti vt modo de prædeterminatione Physicâ dictum est. VII. *Vt habitus inclinet voluntatẽ requiritur cognitio obiecti.*

DISPVTATIO XXIX.

De concursu habituum.

SECTIO PRIMA.

In quo genere causæ concurrat habitus naturalis.

I. H*Abitus supernaturales dant simpliciter posse, habitus naturales facile.* Præsens ergo quæstio est quo pacto, hanc actibus facilitatem tribuãt habitus, & quâ ratione potentias in iis facilè eliciendu iuuent.

II. *1. Sent. ait facilitatem habitus consistere in modo superaddito.* Prima sententia affirmat facilitatem hanc consistere in modo quodam actibus superaddito, quem habitus producendo, facilitatem addit actui, & iuuat hoc modo potentiam: ad substantiam verò actus dicit hæc sententia habitum omninò non concurrere, sed ad solum modum. Ita Vasq. 1.2.d.83.c.2. n.8. & 14.

III. *Contrà: hanc enim sequitur habitum non omninò iuuare potentiam.* Contrà, si enim habitus omninò non concurrat ad substantiam actus, in actu ipso producendo non iuuat potentiam: sicut trahens cymbam nihil ab alio iuuatur qui aliam similiter cymbam trahit, nisi vires vnà cum priore ad eandem cymbam trahendam coniungat. Conf. modus hic cùm sit affectio actus, debet in eo subiectari, ergo pro aliquo priori actus est productus, antequam producatur hic modus, ergo in actus productione habitus nullo modo iuuat potentiam, vtpote qui totum suum concursum & conatum prius posuit, quàm facilitas producatur.

IV. *2. Sent. ait habitum producere intensionem actus.* Secunda sententia docet habitum facilitare potentiam ad actum producendo illius intensionem: vnde tribuendo singula singulis, substantiam actus dicunt hi auctores produci à potentiâ, intensionem ab habitu.

V. *Contrà: intensio actus nõ distinguitur ab actus substantiâ.* Contrà, intentio enim actus non distinguitur ab actus substantiâ, ergo non potest habitus concurrere ad intentionem actus, quin concurrat ad illius substantiam. Si autem intentionem actus ponant distinctam ab actus substantiâ, præterquam quod hoc sit falsum, eodem modo impugnatur, quo præcedentem sententiam impugnaui num. 3. si enim habitus non concurrat ad substantiam actus, sed tantùm ad modum intentionis, nullo modo iuuat potentiam in ipsius actus productione, vt loco citato latiùs est declaratum.

VI. *Habitus non iuuant potentiam ad eliciendum actũ magis intensum.* Si verò tandem dicant habitum hoc sensu iuuare potentiam producendo intentionem, quòd potentia cum habitu intensiorem actum possit producere quàm sine habitu. Contrà primò, habitus enim naturales non dant simpliciter posse, sed tantùm facile, ergo totum potest potentia sine habitu, quod potest cum illo. Contrà secundò, potentia non solum ad vltimum gradum intentionis facilitatur, sed ad alios omnes, ergo habitus potentiam non ad vltimum tantùm intentionis gradum iuuat, sed etiam ad reliquos, ergo in aliquo alio consistit hæc facilitatio habitus.

VII. *3 Sent. facultatem habitus statuit in concursu effectiuo ad actum.* Tertia sententia facilitationem habitus statuit in coëfficientiâ. Dicunt itaque nonnulli habitum facilitate ad actum concurrendo vnà cum potentiâ ad illius productionem, quo fit vt potentia non tantâ contentione, se ad actuum productionem accingat, tantumque conaminis in eorum effectione adhibeat, habitu partem quasi oneris subleuante, & vires adiungendo, ad eorum effectionem facilitante. Ita Gab. in 3. d 23. art. 2. Ockamus quodl. 3. q. 20. Caiet. 1.2. q. 49. art. 3. & q. 51. art. 2. Capreol. in prologo sententiarum, Valen. 1.2. d. 4. q. 1. p. 2. Fons. 9. Met. c. 5. q. 4. s. 2. Suar. d. 44. s. 5. n. 6. & sect. 6 Moncæ. d. 4. c. 3. Granad. 1.2. Cont. 4. d. 3. nu. 13. Ouiedo hic contr. 16. p. 4. n. 5. & alij plurimi.

VIII. Hæc sententia in quantum ait habitum effectiuè concurrere cum potentiâ ad actum, mihi videtur

vera

Hæc sententia adæquatum mouens habitum non explicat.

vera: hic autem non est vnicus effectus habitus, vtpote qui non solùm actum efficit, sed præuiè etiam ad eum voluntatem inclinat & allicit, quod ab huius sententiæ auctoribus non explicatur. In quo verò hæc inclinatio seu irritatio consistat videbimus sect. 3.

IX. *4. Sent. ait habitum facilitare solum in genere causæ formalis.*

Quarta sententia asserit habitum facilitare ad actum tantùm in genere causæ formalis, informando scilicet potentiam, & nihil aliud præstando. Ita Duran. in 3. d. 23. q. 2. 3 & 4 Palud. in 3. d. 23 quæst. 2. & alij nonnulli ex antiquis. Quam etiam sententiam cum multis ex recentioribus tenet P. Hurt. hic d. 16. s. 7.

X. *Si facilitare sit solùm informare, habitus semper facilitabit.*

At sanè, difficilè intelligitur quomodo hæc facilitatio formalis contingat: si enim consistat adæquatè in ipso habitu informante potentiam, difficulter explicatur quomodo non semper facilitet, cùm facilitare nihil aliud sit, quàm informare, cuius tamen contrarium manifestâ constat experientiâ, nec enim facilitat habitus ad actum circa aliquod obiectum, nisi positâ illius obiecti cognitione. Deinde, ægrè explicatur quomodo in hac sententiâ habitus, vt facilitet, dependeat à cognitione cùm habitus non percipiat quidquam per cognitionem, & si hoc dicatur, non apparet cur dici nequeat voluntatem solùm ex sympathiâ cum intellectu posse operari; & actus suos elicere, licèt nihil percipiat, & consequenter non probatur non distingui intellectum & voluntatem ab animâ, nec inter se, quod tamen mordicus defendunt auctores huius sententiæ; nec si distinguantur ab anima, probatur hinc debere animam simul cum illis influere in operationes vtriusque potentiæ: de quo plura sect. sequente, n. 5.

Nec habitus in facilitando pendere posset à cognitione.

SECTIO II.

Alia opinio de concursu habitus.

I. *5. Sent. asserit habitum & cõcurrere efficienter ad actum, & inclinare formaliter.*

QVinta sententia docet habitum & concurrere ad actum efficienter, & antecedenter ad actum inclinare: hæc verò inclinatio, vt aiunt huius sententiæ auctores, non fit in genere causæ efficientis, sed formalis, habitus enim, inquiunt, informando potentiam, illam per suam entitatem inclinat, & allicit, nihil tamen in eâ producendo, sed merè informando. Ita plurimi ex recentioribus, & præter P. Hurt. sect. præcedente n. 9. citatum, qui hoc tantùm modo habitum concurrere affirmat; eandem opinionem tenet P. Arria. hic d. 9. s. 4.

II. *Habitus nõ inclinat in genere causæ formalis.*

Hanc sententiam, sicut quoad primam partem de concursu effectiuo habitus ad actum veram existimo, ita quoad secundam, de inclinatione scilicet formali, eidem nullo modo assentior, nec facilè sustineri posse existimo, licèt primâ facie videri possit plausibilis.

III. *Primò quia semper inclinaret.*

Impugnatur ergo primò: nam vt dixi sect. præcedente nu. 10. si habitus iræ ex. gr. in genere causæ formalis, seu merè informando inclinat, ergo semper inclinabit, cùm semper informet, sed certum est habitum iræ, vel alterius virtutis aut vitij, non semper inclinare ad iram, aut ad actum virtutis illius aut vitij, ergo.

IV. *Habitus nõ dependet à cognitione vt informet, ergo nec vt inclinet, si inclinare sit informare.*

Dices; deesse conditionem ad inclinationem illam requisitam, nempe cognitionem, seu repræsentationem obiecti. Contrà, nulla conditio deest ad informationem, seu vt habitus informet potentiam, ergo si inclinatio nihil aliud sit quàm informatio, nihil etiam deerit ad inclinationem. Dices; inclinatio illa est habitus simul & cognitio, seu hoc complexum. Contrà, etiamsi habitus abesset, cognitio nihilominus quà ver. cau. proponeretur obiectum aliquod iucundum, & appetibile, moueret voluntatem ad illius complacentiam. Dices; non tantum; ac quando adest habitus. Contrà; ergo habitus concurrit simul cum cognitione ad illam complacentiam, ergo vel concurrit in genere causæ efficientis (quod postea ostendam esse verum) vel in genere causæ formalis vt volunt hi auctores: si verò concurrat in genere causæ formalis ergo concurrit integrando vnam integram inclinationem simul cum cognitione, sicut duæ partes ferri aut lapidis coniunctæ constituunt vnum mouens totale, ergo habitus habet hîc suam etiam partialem inclinationem, sicut quæuis pars lapidis habet partialem inclinationem ad centrum: ergo hæc partialis inclinatio est aliquid distinctum à cognitione, sed non est sola habitus informatio sic enim ante cognitionem aliquantulum mouisset voluntatem, licèt non tantùm, quantum coniunctus cum cognitione: sicut quæuis pars lapidis inclinat ad centrum, licèt non tantùm, ac coniuncta cum alia.

Habitus haberet partialem inclinationem distinctam à cognitione.

V. *Habitus, vtpote quid mortuum, non potest excitari à qualitate vitali.*

Impugnatur hæc inclinatio formalis secundò: inclinatio requirit cognitionem, seu qualitatem intẽtionalem, vt intentionalem, ergo non potest habitus excitari immediatè à cognitione, seu repræsentatione obiecti, cùm habitus sit qualitas mortua: ad quid enim loqui surdo, aut facem præferre cæco, multò magis stipiti? solùm ergo excitari potest à cognitione mediatè, in quantum nimirum in operando coniungitur cum alia causa, animâ nimirum, quę excitari potest, intentionaliter, & cum qua operationem aliquam efficiat. Conf. alioqui, vt suprà dixi, licèt voluntas distinguatur & ab intellectu, & ab anima, adhuc poterit ad actus suos eliciendos intẽtionaliter ab actibus intellectus excitari, quod tamen negant, qui hanc sententiã de habitu sequũtur.

VI. *Stante cogitatione & habitu potest quis inclinationem minuere, ergo inclinatio est aliquid præter hæc.*

Impugnatur tertiò: potest voluntas stante cogitatione repræsentante obiectum aliquod mouens ad iram ex. gr. potest, inquam, non solùm non consentire, sed etiam inclinationem illam antecedentem minuere, idque, licèt non eliciat actum contrarium patientiæ, valdè enim difficile est aliquando, iis præsertim, qui sunt naturâ præferuidi, & vehementem habent passionem, seu habitum iræ, elicere tunc actum patientiæ: ergo inclinatio hæc antecedens non est merè entitas cognitionis, & entitas habitus, his enim, vt dixi, stantibus, inclinatio illa antecedens minuitur, & reprimitur: saltem hoc fieri potest diuinitus.

VII. *Prædeterminatio Physica nõ mouet in genere causæ formalis.*

Dices; prædeterminatio Physica mouet in genere causæ formalis, ergo idem præstare poterit habitus. Nego antecedens, prædeterminatio enim non alio modo mouet, quam actum simul cum voluntate coëfficiendo. Hinc ergo magis confirmatur nostra sententia, sicut enim prædeterminatio non nisi coëfficiendo necessitat, ita habitus non nisi coëfficiendo inclinat.

VIII. *Impulsus non sentitur in genere causæ formalis.*

Dices secundò; sentitur impulsus in manu productus, sed hoc non fit nisi in genere causæ formalis, ergo & inclinatio habitus sentiri potest, licèt habitus solũ moueat, & inclinet in genere causæ formalis. Huic argumento valde insistunt aliqui, quod tamen meo iudicio non omninò vrget; imò ex eo probari potiùs existimo contrariam sententiã. Resp. ergo impulsum & eius inclinationem non sentiri in genere causæ formalis, sed efficientis, producendo scilicet sensationem sui in manu, sicut calor duriues, vbicatio, & similia, dum sentiuntur producunt sensationem sui. Vnde si Deus impediret quò minùs sensatio hæc caloris, vbicationis, impulsus, & huiusmodi produceretur, quantumuis applicata nõ sentirentur. Idem ergo est de inclinatione habitus, illam scilicet esse aliquid efficienter productum ab

habitu, vt latiùs declarabitur sectione sequente.

SECTIO III.

Resoluitur quæstio circa concursum habitus ad actus.

I. *Duo circa actum præstat habitus.*

DVo circa actum præstat habitus, vt supra dictum est l. 1. n. 8. ad illum scilicet & immediatè concurrit, & præuiè inclinat, potentiamque ad actum circa obiectum aliquod eliciendum allicit & incitat. De vtroque hîc breuiter dicemus.

II. *Habitus concurrunt ad actus effectiuè.*

Prima conclusio: habitus ad actus iræ, odij, iustitiæ, temperantiæ &c. concurrunt effectiuè. Ita auctores sec. 1. n. 7. relati, estque communis Philosophorum sententia. Ratio est, experientiâ enim constat, quo quis intensiores acquisiuit habitus, eo eum minore labore, contentione, & conatu actus elicere: quod signum est habitum simul cum potentiâ concurrere, eamque in præsentiâ habitus minùs vires suas exerere, minoremque conatum adhibere.

III. *Dices. cùm actus producatur in instanti, nihil facere potest habitus.*

Nec vim vllam mihi habere videtur, quod contra hoc tantopere vrgent aliqui, nempe actum voluntatis produci in instante, siue producatur à voluntate solâ, siue ab eâ simul cum habitu, ergo inquiunt non potest habitus facilitare simul concurrendo, cùm nihil facilius produci possit quàm quod producitur in instante.

IV. Sed contrà primò, æquè enim difficulter etiam intelligitur quomodo possit facilitare habitus ad actum in genere causæ formalis, cùm similiter argui possit, nihil facilius produci, quàm quod producitur in instante, ergo quoad hoc parum refert verùm facilitatio fiat in genere causæ formalis, an efficientis.

Nō producitur actus celerius per habitū, sed facilius.

Contrà secundò, non enim dicimus per habitum celerius produci actus, quàm sine habitu, sed minori conatu & contentione, quàm si habitus vnà non concurreret. Sicut licèt eodem tempore, & eadem etiam celeritate ponamus moueri nauem, primum ab vno solo, posteà à duobus; minorem tamen adhibet tunc prior conatum quàm antea, sicque actio æquè perfecta facilius tunc ab illo prouenit ex concursu alterius, vtroque nimirum concursum suum contemperante. Idem est de potentiâ & habitu.

Declaratur exemplo.

V. Obiiciunt secundò: Anima separata operatur per habitus, animæ enim in inferno retinent habitus vitiosos, & tamen in statu separationis non adhibet anima conamen quasi illud, & contentionem, quam sine habitu, ergo habitus non supplet contentionem illam, & conatum. Resp. animam etiam separatam operantem sine habitu exerere maiores vires: quò enim plura sunt principia, eò minùs, per se loquendo, exerunt suas vires, conatus autem ibi & contentio non sentitur, quia nihil est quod animam in eo statu quasi defatiget.

Animâ, etiā separata, minorē conatū adhibet cū habitu.

VI. Est tamen actio illa in animâ separatâ defatigatiua, vt ita dicam, quoad modum, requirens scilicet maiorem contentionem & conatum, non quoad numerum graduum intentionis, sed quoad modum procedendi, & actum illum producendi.

Actio animæ separatæ est defatigatiua quoad modum.

VII. Secundò dico, posse in animabus separatis inueniri maiorem difficultatem in eliciendo actus aliquos sine habitu, & cum habitu, sicque ibi etiam habitum facilitare effectiuè, & animam cum habitu operantem minorem conatum adhibere, imò & aliquo modo minorem laborem, quàm sine habitu: quod concedi ab omnibus debere videtur in acquisitione specierum intelligibilium, & discursu de iis rebus, quas non vident intuitiuè, vt de rebus supernaturalibus impossibilibus. &c.

In quibusdam actibus anima separata sentiūt difficultatem.

Obiiciunt tertiò: si habitus concurrat ad totam entitatem actus, ergo nihil differt in modo concurrendi à specie impressâ respectu actuum visionis, & intellectionis. Negatur tamen consequentia, esto enim in hoc conueniat cùm specie, quòd producat totum actum, differt tamen in necessitate concurrendi species enim ita concurrit, vt sine eâ fieri omninò actus non possit, habitus verò ita est principiū huius actus, vt etsi non concurreret, posset tamen idem actus sine eo à solâ potentiâ produci. VIII.

Differt tamen in modo concurrendi inter habitum & speciem.

Obiiciunt quartò: actus producunt habitus, ergo habitus non possunt producere actus. Nego cōsequentiam, sicut d. 25. Phys. sec. 4. cum communi sententiâ ostendi, licèt accidens producatur à substantiâ, accidens tamen simul cum substantiâ posse producere substantiam: sic ergo licèt actus producat habitum, habitus tamen simul cum animâ potest producere actum. IX.

Quomodo actus producat habitum, & habitus actum.

Secunda conclusio: Inclinatio illa, quæ actum præcipuum, seu ad quem præuiè mouet habitus, antecedit, non fit in genere causæ formalis ab habitu, sed in genere causæ efficientis. Hæc conclusio præter rationes sectione præcedente, quæ tota fuit hac de re, allatas, probatur: nam inclinatio illa est vitalis, & percipitur à voluntate, ergo inclinatio hæc sita est in actu aliquo voluntatis ab animâ simul cum habitu elicito, non in qualitate mortuâ animam informante. Conf. non percipit tunc voluntas habitum, sed inclinationem ad aliquid aliud, ergo non mouet habitus per se formaliter, sed per actum aliquem circa aliud obiectum ab animâ simul & habitu productum. X.

Inclinatio illa præuia fit etiam ab habitu efficienter.

Voluntas nō percipit habitum.

Est ergo inclinatio illa præuia actus quidam cōplacentiæ, vel appetitio imperfecta circa obiectum illud, quod tunc proponit cognitio. Complacentia autem hæc efficitur ab animâ simul & habitu, estque magis vel minùs vehemens pro intentione habitus: ex quo fit, vt qui passiones & habitus valde habent intensos, magis vel ad vitia procliues sint, vel apti ad virtutem facilè exercendam. XI.

Quid sit inclinatio præuia habitus.

Notandum verò, quando dicitur posse eundem actum produci sine habitu, qui de facto ab illo procedit, sermonē esse de solâ qualitate, non de actione Physicâ, actio enim, cùm sit essentialis dependentia ab hoc numero agente, non potest vllo modo esse nisi ab hac causa, nec ab alia procedere, quàm ab eâ, à quâ primò processit. Licèt verò dicatur habitus cùm sit semen actus, tantùm producere actus similes, seu eiusdem speciei cum illis, à quibus est generatus, intelligi tamen hoc debet, non posse scilicet habitum iræ concurrere ad actus iustitiæ, vel temperantiæ, aut habitus harum virtutum ad actus aliarum, & sic de cæteris. Nihilominus, quando est quædam subordinatio inter actus, non apparet cur non possit idem habitus concurrere ad diuersos etiam specie actus, sicque poterit habitus iræ ex. g. concurrere effectiuè, & ad ipsum actum iræ, qui est effectus illius primarius, & ad actus præcedentes, qui sunt propensio quædam & facilitatio antecedens inclinans potentiam ad actum iræ. Quod etiam idē est in aliis habitibus respectu suorū actuum primariorum & secundariorum, vt discurrenti patebit. XII.

Quo sensu habitus nō concurrat nisi ad actus similes, à quibus est genitus.

DISPV-

DISPVTATIO XXX.

De augmento habituum.

SECTIO PRIMA.

Quomodo habitus augeantur extensiuè.

I. *Certè videtur dari augmentum extensiuum habituum.*

Circa augmentum extensiuum habituum, dari aliquod huiusmodi augmentum in habitibus videtur manifestum, idque non in supernaturalibus tantum, sed naturalibus; nec enim qui facilitatem sentit circa vnum obiectum, eandem sentit circa omnia: siquidem qui temperans est circa cibum, non semper est temperans circa potum, nec qui est temperans circa vnum cibum, est temperans circa alium, ergo per aliquid aliud habetur facilitas circa vnum & alterum obiectum.

II. *Additur habitui noua pars extensiua.*

Realiter ergo augentur habitus, & additur ipsis de integro aliquid Physicum, per quod ad diuersa obiecta extenduntur, cùm possit esse facilitas circa vnum, & non circa aliud, vt ostensum est. Id verò quod additur, non est tantùm aliquis modus, vt postea ostendetur, sed alia pars facilitans ad nouum obiectum, sicut facilitabat prior pars ad suum. Circa has tamen partes extensiuas habituum probabile videtur non vniri eas propriè inter se vnione aliquâ continuatiuâ, sicut enim actus ipsi voluntatis, à quibus producuntur, non continuantur, ita nec habitus: quamuis existimem contrarium valde esse probabile, & facilè defendi posse.

An hæ partes habitus continuentur.

III. *Habitus nō sunt indiuisibiles obiectiuè.*

Nec est vlla ratio cur statuantur habitus isti extensiuè indiuisibiles, indiuisibilitate obiectiuâ, vt volunt aliqui, licèt enim nos hoc modo suprà statuerimus species visibiles, vrgens tamen ad hoc affirmandum erat ratio, nempe concursus duorum obiectorum mutuò se iuuantium ad speciem longiùs producendam, quàm vnum seorsum sumptum producere eam potuisset. At verò habitus circa vnum obiectum non iuuat, per se loquendo, & immediatè potentiam ad faciliùs eliciendum actum circa aliud, ergo diuersissima est ratio de speciebus & habitu. Alia efficax huius ratio ponetur infrà n. 5.

IV. *Argumentum quorūdam ad probādum habitus nō esse indiuisibiles.*

Ratio tamen, quâ ad hoc probandum vtitur P. Hurt. d. illâ 16. sec. 4. § 21. non videtur efficax: dicit enim sequi fore in intellectu simul, imò identificari habitus contrarios in gradibus intensis. Ponamus, inquit, disputationis gratiâ dari habitus in intellectu, si ergo habitus sit obiectiuè indiuisibilis, idem est habitus intensus scientiæ, qui inclinat ad iudicandum animam esse immortalem, & habitus erroris qui inclinat ad iudicandum cœlos esse corruptibiles, hi habitus identificantur secundùm hanc sententiam: tum sic, ergo & habitus intensus erroris circa mortalitatem animæ identificabitur cum cognitione de incorruptibilitate materiæ primæ, & hic habitus cum habitu de immortalitate animæ, ergo à primo ad vltimum, intensi habitus erroris & scientiæ circa idem obiectum erunt identificati in eadem animâ. Hoc inquam argumentum non conuincit quoad hoc præcisè. Respondere enim potetunt contrarij, esse quosdam gradus intensionis in vtroque habitu, & quò plus acquiritur vnius, eò semper plus deperditur alterius.

V. Alio tamen ex capite impugnatur hæc sententia; licèt enim hi gradus inter se distinguantur intensiuè, debent tamen identificari extensiuè, ex parte obiecti, alioqui non est habitus extensiuè indiuisibilis, ergo quando diminuitur habitus circa vnum obiectum diminui debet circa omnia, quod tamen est apertè contrà experientiam, licèt enim quis perdat facilitatem circa vnum obiectum, non tamen perdit circa aliud, sed eandem retinet quam antea.

Si sint extensiuè indiuisibiles, diminuentur semper æqualiter circa omnia obiecta.

VI. *Augmentum extensiuum habitus non consistit in modo de nouo acquisito.*

P. Vasquez ait frequentatione actuum acquiri, non nouam partem habitus, sed modum quendam, qui modificat partem habitus iam acquisitam; sicut d. 29. s. 3. n. 2. loquutum eum esse vidimus de concursu habitus ad actum. Sed contrà primò, id enim quod per sequentes actus acquiritur, est eiusdem rationis cum eo quod acquirebatur per primum, ergo est pars habitus, sicut illud. Contrà secundò, hic enim sermo est præcipuè de augmento extensiuo habitus, in hoc autem non potest id quod acquiritur esse modus præcedentis; probatur, manet quippe primo pereunte; ponamus enim aliquem primò acquisiuisse habitum temperantiæ circa cibum, postea acquirat etiam habitum temperantiæ circa potum, hic habitus manere potest altero pereunte, quod patet, si enim quis intemperanter postea se gerat circa cibum, & non circa potum, perdit facilitatem quam acquisiuerat circa cibum, manente adhuc facilitate circa abstinentiam à potu, ergo temperantia circa potum non erat modus temperantiæ circa cibum, cùm manere possit, illa pereunte, quod tamen modo plane est impossibile.

SECTIO II.

De augmento intensiuo habituum.

I. *Interdum habitus subinde vnico actu acquiritur.*

Circa augmentum intensiuum habituum notandum, aliquando acquiri habitum intensum per vnicum actum, si ille sit valdè intensus; vnde post actum illum inuenit quis summam facilitatem circa actus eiusdem speciei: vt plurimum tamen acquiritur habitus successiuè per frequentationem actuum donec tandem longo vsu & exercitatione ad magnam quis facilitatem perueniat.

II. *Intendi potest habitus per actus æquales, imò minoris intensionis.*

Quæres, per quos actus intendatur habitus? Inprimis per actus intensiores intendi habitum non videtur dubium, cùm quoad hoc par sit ratio de habitu, & aliis qualitatibus: difficultas est vtrùm augeri possit habitus intensiuè ab actibus æqualis eiusdem, vel etiam minoris intentionis. Mihi hæc in re videtur probabile quod affirmat Vasquez, posse scilicet habitum intendi per actus sibi in intentione æquales, imò inferiores. Hoc probatur experientiâ, quâ nimirum qui postquam se diu per actus, etiam remissos, in virtute aliqua exercuit, magnam postea facilitatem in eâ experitur, ergo hæc facilitas per illos actus paulatim acquiritur, sed hi actus vt supponitur, non sunt intensiores habitu, sed subinde remissiores, ergo possunt actus æqualis, imò minoris intensionis intendere habitum.

III. *Possunt habitus intendi per gradus homogeneos.*

Dices primò; ergo habitus intenditur per gradus homogeneos. Resp. primò, id esto diceretur nihil faceret contra nos, qui in lib. de Gen. d. 10. s. 2. non diximus omnes omninò qualitates componi ex partibus

Hoc tamẽ non est necessarium.

tibus heterogeneis, sed solum qualitates operantes vniuocè, nonnullasque alias, in quibus idem vrget argumentum, vt ibidem ostensum est. Secundò tamen respondeo negando sequelam, nec enim semper in qualitatibus operantibus æquiuocè seruatur inter causam & effectum eadem proportio graduũ, sed qualitas minoris intentionis, lux v.g. vt tria potest producere calorem vt quatuor: cum ergo actus sit causa æquiuoca respectu habitus & perfectior illo, poterit actus gradualiter inferior producere habitum in maiore intentione, quàm ipse actus in se habet.

Habitus solus non producit actũ, sed simul cum anima.

IV. Dices secundò, si lux vt tria fuisset producta à calore vt tria, tunc non posset lux illa producere calorem intentiorem sua causa, sed solum calorem vt tria, sed actus iste à quo dicimus intendi habitum fuit productus ab habitu illo, ergo non potest intẽdere suam causam, nempe habitum. Distinguo minorem, actus iste fuit productus ab habitu adæquatè, nego minorem; inadæquatè concedo, anima enim est partialis causa illius actus, hoc autem posito, non vrget argumentum, vt constat. Citiùs verò aut tardius producunt habitum intensum actus, quo melius aut peius fuerit dispositum subiectum, minusque habeat de contrario expellendum.

Habitus primò producuntur ab actibus, conseruantur à sola anima.

V. Hinc constat à quo producantur primò habitus, nempe ab actibus & voluntate seu anima: conseruantur verò à sola voluntate vel anima quæ tanquã causa quædam vniuersalis suorum effectuum debet illos in absentia causæ magis particularis conseruare: nec enim recurrendum est ad Deum, vbi suppetit causa secunda sufficiens, præsertim cùm dedeceat Deum tanquam causam particularem conseruare habitum vitiosum. Semel autem producti habitus nunquam destruuntur, nisi inductione contrarij. Quando autem quis, vbi diu cessauerit ab aliquo actu, sentit subinde difficultatem in eo rursus eliciendo, est, vel quia non ita perfectè excitantur species illius obiecti, vel quia diminuitur ex parte est habitus per inductionem habitus contrarij, quando enim quis diu cessauit ab aliquo actu, frequentes occurrunt occasiones eliciendi actum contrarium, sicque habitum paulatim diminuit.

Non corrumpuntur habitus, nisi per inductionem contrarij.

Argumentum cõtendens non posse vnum habitum expelli per alium.

Dices; videtur vnum habitum non posse expellere alium: ponamus enim aliquem habentem habitum iræ intensum vt 6 & habitum remissum patiẽtiæ, in instante A motum ad iram, in eodem exercere actum patientiæ: in illo instante A, in quo habitus patientiæ elicit actum patientiæ, potuisset pro aliquo priori habitus iræ elicere actum iræ, ergo habitus iræ erat in instante A, ergo non potest illo instãte destrui, sic enim simul esset & non esset. Conf. illo instante quo elicit actum patientiæ, habitus iræ monet ipsum ad iram, vt dixi, ergo illo instante est habitus iræ, ergo illo instante non destruitur. VI.

Vt habitus operentur, nõ est opus vt eo instãte existant positiuè, sed præcisiuè.

Ad argumentum dico, in illo instante A, quo habitus patientiæ elicit actum patientiæ, potuisse habitum iræ elicere actum iræ, ad hoc tamen non requirjtur vt habitus iræ positiuè tunc pro illo priori intelligatur existere, sed sufficit quod existat tunc præcisiuè, hoc est quod instante præcedente extiterit, & pro aliquo priori non intelligatur destructus. Ad cõfirmationem. Resp. in instantibus præcedentibus instans illud, in quo elicitur actus patientiæ, omnes sex gradus habitus iræ mouere & inclinare eum ad iram, at illo instante quo actus patientiæ exercetur, solùm mouent quinque gradus habitus iræ, sextus enim gradus tunc destruitur, sicque non operatur. VII.

DISPVTATIO XXXI.

De habitibus supernaturalibus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit habitus supernaturalis, & quomodo differat à naturali.

I. HActenus in naturalibus versari sumus, habituumque tantùm acquisitorum conceptum explicuimus, qui primarius est Philosophi scopus. Cùm verò Philosophia nostra, vt alibi dixi, Theologiæ subordinetur, eique subseruiat, non abs re erit quædam de habitibus etiam infusis attexere, ad quorum cognitionem non parum naturalium habituum notitia conducit.

Quid sit habitus supernaturalis.

II. Est ergo habitus supernaturalis *qualitas quædam à Deo animæ infusa ad actus ordinis altioris, & supra naturæ vim eliciendos.* Est, inquam, qualitas, accidens scilicet, animæ inhærens, & ab illius substantiâ realiter distincta: nec enim est ex se sufficiens anima aut angelus ad huiusmodi actuum efficientiam, sed aliud comprincipium requirunt. Huius verò adminiculo opera longè nobiliora, quæque non in sublunarium, aut etiam creatarum rerum communicatione persistunt, sed ad ipsius etiam Dei per gratiam & gloriam participationem assurgunt.

Differunt primò habitus naturales & superna. quod hic dat simpliciter posse, illa facile.

III. Habitus naturales & supernaturales in multis differunt: primò quòd habitus supernaturales dent simpliciter posse, vtpote sine quibus, aut aliquo eorum locum supplente (auxilio scilicet Dei extrinseco) actus supernaturales produci omninò non possunt. Habitus verò naturales, licèt iuuent ac facilitent ad actus naturales, & potentiam ad eos inclinent, non tamen sunt ad eorum efficientiam simpliciter necessarij, sed quidquid potest cum illis potentia, potest sine illis. Vnde solum dant facilè posse, non simpliciter.

Secundò, quia omnes habitus supernaturales augentur simul, & æqualiter, non naturales.

IV. Differunt secundò, quòd quoties augetur, seu intenditur vnus habitus supernaturalis, intenduntur omnes, cùm sequantur gratiam habitualem, & eodem grado cum illa crescant. Habitus verò naturales, sicut potest vnus esse sine alio (non enim sunt cõcatenati, sicut supernaturales) ita vnus augeri potest, altero valdè remisso remanente. Imò aliquando cõtingere potest, vt dum vnus habitus naturalis intenditur, alius eodem tempore remittatur, vt si quis, dum actum naturalem temperantiæ elicit, eliciat simul actum iræ, tunc enim eodem tempore habitus temperantiæ augetur, & minuitur habitus patiẽtiæ.

Habitus supernat. non intenduntur per actus Physicè.

V. Quæres, vtrum habitus supernaturales intendãtur seu augeantur Physicè per actus supernaturales, sicut habitus naturales, vt suprà diximus, intenduntur Physicè per actus naturales? Resp. cum communi Theologorum sententia eos non intendi Physicè, sed solum moraliter, seu meritoriè.

Ratio est, quia habitus supernaturales habent VI.

peculia-

Ratio est, quia habitus supernat. sunt eiusdem intensionis cum gratia & inter se.

peculiarem connexionem cum gratiâ, vtpote ad quam, tanquam ad radicem sequuntur, vnde eiusdem cum eâ sunt intensionis, & consequenter & inter se, sed si habitus supernaturales augeantur Physicè sequeretur omnes non esse eiusdem intensionis cum gratiâ, & inter se, ergo. Probatur minor, si quis habens gratiam & habitus supernaturales intensos vt quatuor, eliciat actum patientiæ, iam gratia & reliqui habitus supernaturales erunt intensi vt quinque, habitus verò patientiæ erit intensus vt sex, cùm vnum gradum augmenti recipiat meritoriè, sicut alij habitus, alium Physicè, quod aliis per hunc actum non competit, habitus enim patientiæ non potest Physicè producere, vel augere habitum religionis, aut temperantiæ.

VII. *Nullum est fundamentum dicendi habitum patientiæ non mereri augmentum suo habitui.*

Dicet fortè aliquis; non sequi habitus omnes non fore æqualis intentionis, habitus enim patientiæ in hoc casu augebit gratiam, & alios habitus supernaturales meritoriè, se autem tantum Physicè. Sed contrà, nulla ratio est, cur non æquè mereatur quis per actum patientiæ vnum gradum patientiæ, ac vnum gradum temperantiæ, religionis, aut iustitiæ, nec enim minorem proportionem habet actus patientiæ ad mouendum Deum ad dandum gradum patientiæ, ac gradum aliarum virtutum, imò habere videtur maiorem: ergo si actus patientiæ producat etiam Physicè vnum gradum habitus supernaturalis patientiæ, habitus patientiæ erit vno gradu intensior, & gratiâ, & aliis virtutibus supernaturalibus,

SECTIO II.

Vtrùm saltem actus supernaturales producant habitum supernaturalem acquisitum, & solùm facilitantem.

I. *Proponitur status quæstionis.*

QVæstio est, licèt actus supernaturalis patientiæ ex. gr. non producat gradum aliquem supernaturalem habitus infusi patientiæ, priori habitui patientiæ virtutum, vt iam diximus, vtrùm saltem producat alium habitum supernaturalem patientiæ, specie à priori distinctum, quique non petat ex naturâ suâ produci à Deo, qua de causa non dicitur habitus per se infusus, sed possit per actus patientiæ supernaturales produci, vocaturque proinde habitus supernaturalis per se acquisitus, cuius etiam munus sit, non dare simpliciter posse, sed tantum facilè.

II. *1. sent. ait per actum supernat. produci habitum supernat. merè facilitantem.*

Prima sententia est affirmatiua, quæ proinde asserit per actus supernaturales omnium virtutum produci Physicè habitus ad alios postea actus supernaturales merè facilitantes. Vnde postquam quis se in actibus virtutum exercuit, duas asserunt esse in eius animâ qualitates supernaturales, quarum altera dat posse operari simpliciter, altera facilè. In hanc sententiam propendere videtur P. Hurt. hic d.16.s.8.n.74. & absolutè tenet P. Arriaga hic d.9. s.1.n.18.

III. *Contraria est probabilior.*

Mihi verò hac in re non recedendum videtur à communi sententiâ. Ratio est, primò quia nullum est vrgens fundamentum ad hoc asserendum, sine vrgente autem fundamento non est quidquam contra generalem Theologorum consensum asserendum.

IV. *Facilitas illa prouenit ab habitu naturali, qui vel producitur ab actibus naturalibus; vel supernaturalibus.*

Dices; vrgens ad hoc affirmandum fundamentum est facilitas quam sentit quis, vbi diu se in actibus supernaturalibus exercuit. Contrà primò, facilitas illa nihil aliud est, nisi habitus naturalis, qui vel ab actibus naturalibus producitur, qui semper vnà cum actibus supernaturalibus eliciuntur, habentque idem cum ipsis obiectum formale & materiale: vel producitur habitus ille naturalis ab ipsis actibus supernaturalibus, qui eum eminenter continent, sicut Deus Ens supernaturale continet eminenter res omnes naturales, easque producit.

V. *Licèt actus supernat. producant habitum naturalem, habitus tamen supernat. possunt producere actus supernaturales.*

Dices cum P. Arriaga citato n.20. si semel dicatur posse actum supernaturalem producere habitum naturalem, sequitur nullo modo ostendi posse actus ab habitibus infusis productos esse supernaturales. Resp. primò negando sequelam, ex eo enim quod causa aliqua possit producere effectus quosdam imperfectos, qui indifferentes sunt, vt producantur à causa naturali vel supernaturali, non sequitur non dari alios effectus longè perfectiores, qui petant procedere à causa supernaturali. Sicut licèt homo & equus possint motum, vel vibrationem in re aliqua producere, cùm hi effectus sint indifferentes, vt à causis diuersis & in perfectione valde inæqualibus procedant, non sequitur non dari alios effectus perfectiores, actus scilicet intellectûs & voluntatis, qui petant procedere à solo homine. Secundò, dico nos aliunde probare supernaturalitatem, quod nimirum actus naturales improportionati sint ad beatitudinem, & finem supernaturalem. Vnde potiùs habitus supernaturales probamus ex actibus, quàm actus ex habitibus.

VI. *Dices, habitus non facilitant nisi ad actus similes.*

Dices secundò cum eodem n.19. habitus non facilitare nisi ad actus iis similes, à quibus producuntur, ergo habitus ille naturalis productus ab actibus supernaturalibus non potest facilitare ad actus naturales, hi enim sunt dissimillimi actibus illis supernaturalibus, vtpote genere ab iis diuersi.

VII. *Resp. habitum non facilitare nisi ad actus, qui habent idem obiectum & eundem modum tendendi.*

Resp. doctrinam illam Philosophorum, quod scilicet non possint habitus facilitare nisi ad actus similes iis, à quibus producuntur, intelligi solùm quod non possint facilitare nisi ad actus qui habent idem obiectum, & eundem modum tendendi, vt quòd habitus temperantiæ non possit facilitare ad actus iustitiæ, patientiæ &c. non tamen negant Philosophi posse habitum aliquem facilitare ad actus solùm diuersos ex parte principij, nempe siue illud naturale sit, siue supernaturale. Cuius ratio est, quia in supernaturalitate præcisè nulla est specialis difficultas, si adsit principium sufficiens actus supernaturalis elicitiuum. Vbi ergo inter actus est sola differentia naturalitatis & supernaturalitatis, potest habitus naturalis ad vtrumque facilitare.

VIII. *Conc. Trid. negare videtur huiusmodi habitus supernat. facilitantes.*

Probatur secundò: doctrina illa, quæ affirmat dari huiusmodi habitus supernaturales facilitantes, vix videtur cõformis Cõcilio Trid. asserenti in peccatore nullos habitus supernaturales manere præter fidem & spem, cùm tamen ad multas virtutes eadem maneat facilitas quæ antea, ergo non dantur huiusmodi habitus supernaturales facilitantes sed soli naturales,

IX. *Ostenditur loqui Concilium de omnibus omninò habitibus supernaturalibus.*

Dices; solùm loqui Concilium de habitibus supernaturalibus per se infusis, non de acquisitis. Cõtrà, Concilium loquitur indiscriminatim de omnibus habitibus supernaturalibus. Contrà secundò, Negat Concilium vllas omninò virtutes in peccatore manere præter fidem & spem, cùm ergo habitus hi supernaturales, quantumuis sint acquisiti, sint veræ virtutes, debent iuxta Concilium vnà cum gratiâ per quoduis mortale peccatum tolli. Contrà tertiò, fides secundum Patres & Theologos est fundamentum totius ædificij supernaturalis, ergo sublata fide, non possunt huiusmodi habitus in animâ permanenter consistere.

X.

Probatur tertiò: habitus facilitantes, etiam iuxta aduersarios, vt vidimus d.29.s.2.nu.1. non præuiè solum ad actum mouent & inclinant potentiam,

sed

Habitus hi supernaturales per se acquisiti darē posse simpliciter.

sed etiam Physicè & efficienter actum ipsum virtutis cum potentia producunt:imò, vt ostendi eadem d.29.s.2.aliter, ne quidem præuiè facilitare possunt, ergo voluntas cum huiusmodi habitu elicere poterit actum virtutis supernaturalem, sicut cum habitu naturali elicere potest actum naturalem: in eo enim tantùm differunt habitus hi supernaturales acquisiti ab habitibus acquisitis naturalibus, quòd illi sunt supernaturales, hi naturales, ergo habitus illi acquisiti supernaturales non solum dabunt posse facilè, sed etiam posse absolutè & simpliciter.

XI. *Vlterius ostenditur hos habitus dare posse simpliciter.*

Conf. vt actus supernaturales, temperantiæ v.g. aut iustitiæ eliciantur à voluntate, nihil obstat præter formalitatem supernaturalitatis, cum ergo habitus hi acquisiti, qui efficienter facilitant, contineant in se virtualiter formalitatem illam supernaturalitatis, poterit voluntas cum illis elicere actus supernaturales, sicque, vt dixi, non dabunt facilè posse, sed simpliciter.

Finis librorum de Anima.



DISPV-

DISPVTATIONES METAPHYSICÆ

AVCTORE R. P. THOMA COMPTONO E SOCIETATE IESV.

PROOEMIVM.

I. *Quæ Metaphysica quæstiones tractata sint in Logica.*



Æc est vltima Philosophiæ pars, breuissimeque communiter tractari solet, non quòd ex omnibus scitu minimè sit necessaria, sed cùm vbique quæstiones Metaphysicæ toto triennij decursu occurrant, omnes fermè priùs discussæ sunt, quàm ad proprium earum locum perueniatur. Nos in Logicâ egimus de Ente, præcisionibus, vniuersalib, & Ente rationis: in physicis de principio indiuiduationis, quoad determinationem huius potiùs quàm illius indiuidui, quæ proinde hîc non erunt repetenda, sed ad pauca alia quæ restant examinanda pergemus.

II. *De obiecto scientiarum dictum est in Logicâ d. 2. s. 4. & 5.*

Fusè hîc disputant aliqui de obiecto in communi & multiplici illius diuisione, sicut etiam de subalternatione scientiarum: sed primum nos latè in proœmialibus Logicæ tradidimus d. 2. s. 4. & 5. alterum in libris de Animâ: qui tamen plura cupit, consulat P. Hurtado in Proœmio Metaphysicæ, vbi hæc fusissimè tractat.

III. *Obiectum aggregationis Metaphysicæ est ens reale abstrahens à materiâ.*

Anima rationalis consideratio non spectat ad Metaphysicam.

Obiectum Aggregationis Metaphysicæ est ens reale; de ente quippe rationis nulla scientia tractat per se & primariò, sed qualibet secundariò: nec alia opus est probatione pro priori parte conclusionis, quàm quòd sæpiùs iam diximus, nempe idem esse obiectum alicuius scientiæ, habitûs, & potentiæ, & omnium illius actuum. Cùm ergo omnes actus Metaphysicæ versentur circa ens reale, obiectum adæquatum illius est ens reale. Quòd autem Metaphysica agat de ente reali, videtur manifestum: nam demonstrat illius passiones, proprietates, & attributa, eiusque naturam explicat. Considerat verò etiam Metaphysica Deum & Angelos, resque omnes incorporeas, quæ nullum dicunt ordinem ad materiam: vnde animæ rationalis consideratio non videtur spectare ad Metaphysicam, cùm dicat essentialem ordinem ad corpus, vtpote actus informatiuus illius.

IV. *Obiectum attributionis Metaphysicæ DEVS. Metaphysica scientia diuina. Metaphysici Theologi.*

Obiectum verò Attributionis Metaphysicæ est Deus: qua de causa Aristoteles primos (dignitate) Philosophos, id est, Metaphysicos, passim vocat Theologos, & hanc scientiam diuinam, quòd nimirum Deum vt naturali lumine cognoscibilem indaget. Vnde S. Thomas l. 3. cont. Gen. c. 25 n. 6. sic habet, ipsa prima Philosophia *(hoc est Metaphysica)* tota ordinatur ad Dei cognitionem sicut ad vltimum finem, vnde & scientia diuina nominatur.

V. *Probatur Deum esse subiectum attributionis Metaphysicæ.*

Sicut in esse reali, ita in esse scibili omnia referuntur ad Deum.

Probatur ergo eodem modo quo in Logica probauimus definitionem esse subiectum Attributionis Logicæ: illud quippe est subiectum Attributionis alicuius scientiæ, de quo scientia illa per se agit, & ad quod cognoscendum, seu in esse scibili cætera referuntur omnia, quæ in scientia illa tractantur; sed de Deo agit Metaphysica, & ad illius cognitionem cætera omnia referuntur, quæ in illa disputantur, ergo Deus est subiectum Attributionis Metaphysicæ. Maior est recepta ab omnibus, minor quoad primam partem certa, quoad secundam probatur; id quod vltimò intendit philosophia, est per cognitionem rerū creatarum, & entium secundariorum pertingere ad cognitionem primi entis, seu Entis entium, *vt loquebantur antiqui; ad cuius cognitionem per res creatas, sicut per riuulos ad fontem continuo quodam tractu deducimur; Cùm ergo in ordine ad cognitionem Dei*

cætera tractentur, de quibus agit Metaphysica, omnia, sicut in suo esse à parte rei, ita in esse scibili, in tractatione Metaphysica referuntur ad Deum tanquam ad finem.

VI *Quomodo in Dei consideratione differat Metaphysica à Theologiâ.*

Differt tamen Metaphysica in cognitione obiecti sui Attributionis à Theologia; quòd hæc Deum consideret vt auctorem supernaturalem, & per fidem reuelatum, vnde vna semper præmissa in demonstratione Theologica est fidei: Metaphysica verò considerat Deum vt viribus naturæ cognoscibilem: nec eum cognoscit vt Trinum, sed tantùm vt vnum, secùs Theologia.

VII. *Metaphysica respectu obiecti primarij est speculatiua, respectu secundarij practica.*

Est verò Metaphysica, sicut & aliæ scientiæ, aggregatione tantùm vna, simpliciter etiam speculatiua, cùm obiecta illius, vt Deus, Angeli, & ens vt sic, non sint factibilia; respectu tamen obiecti secundarij, nempe entis rationis, potest dici practica; quia dum illius naturam & proprietates docet, modum illud conficiendi ostendit.

DISPVTATIO PRIMA.

De Ente & eius attributis.

Pleraque ad entis naturam spectantia discussa sunt in Log. d. 40.



PAuca hîc restant de Ente inuestiganda, vtpote cuius naturam fusè declarauimus in Logicâ, vbi d. 40. sect. 3. & 4. ostendimus quomodo Ens etiam ratione nostrâ transcendat vltimas rerum differentias; & licèt abstrahi ab iis possit, non tamen è contrà illæ ab ente, sicque diximus inter ens & differentias dari præcisionem non mutuam. Ibidem etiam ostendimus posse abstrahi vnum conceptum entis, eumque non esse vniuocum, sed analogum. Nunc ad alia procedamus.

SECTIO I.

Nonnulla in particulari inquiruntur circa naturam Entis.

I. *Ens reale est, in cuius conceptu obiectiuo nulla inuoluuntur contradictoria.*

INquirendum inprimis quid sit Ens reale vt sic, prout competit omnibus rebus realibus? Dico ergo, conceptum Entis realis in hoc situm esse, quòd in conceptu suo obiectiuo non inuoluat prædicata contradictoria, sed dicat aptitudinem Logicam, seu non-repugnantiam ad existendum. Vnde, Ens idem videtur esse quod *possibile*, de cuius conceptu formali multa dicta sunt in Logicâ, d. 18 dum de negationibus, & nonnulla posteà subiicientur. Ac proinde quod non existit, sed solùm est possibile, non est actu Ens, cùm nihil habeat, nec sit actu, sed solùm est Ens in potentiâ Logicâ, seu habet non-repugnantiâ ad existendum, vel vt sit Ens actu. Hæ ergo propositiones, *Anti-Christus est Ens, Bucephalus est Ens* &c. sunt implicitè conditionatæ, & faciunt hunc sensum, *Anti Christus & Bucephalus, quandocunque existent, sunt Ens.* Nec tamen potest Anti-Christus iam dici simpliciter *non ens*, nisi denominatiuè; nec enim Anti Christus iam est negatio, sed loco illius existit negatio eius contradictoria, à quâ denominatur non-ens, seu non existens.

Hæ, & similes propositiones Anti-Christus est Ens, faciunt sensum conditionatum.

II. *Non ita rectè explicatur conceptus Entis per oppositionem cum Chimærâ.*

Meliùs autem hoc modo videtur explicari conceptus entis, quàm sicut nonnulli illum explicant per oppositionem cum Chimæra; illa enim explicatio est per se loquendo, melior quæ clariùs declarat rem quam assumit definiendam; sed clariùs explicatur conceptus Entis in ordine ad existentiam, quàm per oppositionem ad Chimæram, esto enim verè habeat oppositionem illam, difficiliùs tamen formatur conceptus Chimæræ, quàm existentiæ, vtpote quæ inter res omnes sit notissima, cùm experientiâ quotidianâ constet res existere.

III. *Quæ sit ratio Attributi.*

Secundum quod inquirimus est, vtrùm Ens habeat attributa? Attributa vocantur ea, quæ alicui rei attribuuntur, eique iam constitutæ aliquo modo accedunt, ac proinde non sunt de primo illius conceptu, sed illum consequuntur. Sic in Deo iustitia, misericordia, & alia huiusmodi vocantur illius attributa, quia nimirum essentiæ Diuinæ accedunt quasi ratione nostra, & attribuuntur.

IV. *In quo differat Attributum à Passione, seu Proprietate.*

Attributum ergo quoad hoc conuenit cum Passione & Proprietate, quòd sit quid consequens essentiam rei, ac proinde nequit esse de primo illius conceptu. In hoc tamen differt attributum à passione, quòd passiones & proprietates dicant realem distinctionem ab essentia, attributum verò nequaquã, sed importat solùm distinctionem rationis.

V. *Ens habet attributa, nõ passiones, seu proprietates.*

Quoad Ens verò, certum videtur, illud non habere attributa realiter distincta, seu proprietates & passiones propriè dictas, sicut calor est proprietas ignis, frigus aquæ, &c. Ratio est clara, quia nulla excogitabilis omninò est passio distincta ab Ente, quæ non sit formalissimè Ens, cùm Ens, sicut transcendit differentias vltimas ratione, ita à fortiori in qualibet Entitate reali, physicâ & reali transcendentia includitur, ergo hæc passio non distinguitur realiter ab Ente. Deinde, si Ens vt Ens habeat passiones realiter distinctas, ergo, cùm quæuis passio sit Ens, debet habere nouas passiones, & illæ nouas, & sic in infinitum, vel dicendum, Ens in quantum Ens, non habere passiones realiter distinctas.

VI. *Ostenditur quo modo Ens, licèt habere nequeat passiones, possit tamen habere Attributa.*

Dices; ergo nec habere poterit Ens attributa & passiones ratione distinctas. Negatur tamen consequentia: ratio est, quia distinctio per intellectum potest esse non mutua, est enim potiùs quædam separatio quàm distinctio, vt in Logica ostendimus d. 24 dum de Præcisionibus, s. 5. & sexta. Sicut ergo res realiter distinctæ non possunt semper inter se realiter separari, vt modus separari non potest à re cuius est modus, licèt res separari possit à modo; creatura etiam separari nequit à Deo &c. ita & dari poterit distinctio obiectiua non mutua per intellectum. At verò nullibi dari potest distinctio realis non mutua; si enim hoc distinguitur ab illo, illud etiam ab hoc distingui necessarium est.

VII *Attributa Entis sunt quinque.*

Attributa Entis numerantur hæc quinque, quorum mentionem fecimus in summulis, nempe *Res, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum*, quæ hîc sunt explicanda, licèt

da, licèt duo prima vix differant ab Ente, *Res* enim & *Aliquid* significant Ens solum vt distinguitur à nihilo, quod perinde est atque Ens, seu habens entitatem, & existentiam. *Res* ergo significat aliquid habens entitatem ratam & fixam. *Aliquid* est quasi *aliud quid*, vel, vt explicant alij, *Aliquid est habens aliquam quidditatem*. Reliqua verò tria attributa non distinguuntur ab Ente tanquam conceptus obiectiui, ab eo præscindibiles, cùm nulla omninò res sit, quam & re & ratione non transcendat ratio Entis, vt iam dictum est, licèt non semper fortè explicitè de eâ fiat mentio: non minùs enim implicat concipere substantiam quæ est Ens per se, sine Ente, quam concipere hominem sine animâ, vel numerum ternarium sine vnitate, vt fusiùs declarauimus in Logicâ.

Res est habens entitatem ratam, Aliquid aliud quid.

VIII. Notandum verò, hæc Attributa esse sibi inuicem attributa, & vnum esse attributum alterius. Ratio est, quia Ens, vbicunque est, habet sua attributa; sed includitur formalissimè Ens in quouis entis attributo, vt ostensum est, ergo & attributa Entis in singulis etiam attributis includuntur; sicque bonitas est vera, sicut est Ens, & veritas est bona & amabilis. In quo differunt illa ab attributis Diuinis: hæc enim, iuxta multos, non se inuicem transcendunt, nec includunt. Etiamsi verò sese includant inuicem hæc Entis attributa, in nonnullis tamen ex ijs certa reperitur subordinatio; ex eo enim quod aliquid sit Verum, & consequenter aptum terminare cognitionem veram, sequitur, esse bonum & aptum terminare amorem. In quo autem consistant attributa bonitatis & veritatis, dicetur postea.

Entis attributa, sibi inuicem sunt attributa.

Inter entis attributa, quadam reperitur subordinatio.

SECTIO II.

Quid sit vnum.

I. MEritò conqueruntur aliqui, nimiâ disputatione & discussione, res alioqui faciles, reddi difficiles: quod si alibi vspiam, hîc certè vel maximè verum habet; summâ enim inquisitione, & importunâ subtilitate in his Entis attributis explicandis, tales eis tenebras offudêre, vt in labyrintho sese reperiat, quisquis eorum explicationem aggreditur. Quid enim notius quàm dari vnum in rerum natura, vt est vnus Deus, vnus sol, vnus homo, leo &c. at quid sit hominem esse vnum, ita difficile est, vt vix explicari possit. Rem quâ potero breuitate, & claritate exponam.

Iusta nonnullorum querela.

II. Vnum ergo est *indiuisum in se*: in hoc omnes conueniunt, licèt quid sit aliquid esse *indiuisum in se*, maximè dissentiant: Omissis varijs dicendi modis, Notandum, rem quot modis dicitur indiuisa, tot etiam dici vnam; si est indiuisa integraliter, est vna integraliter, sicque duæ aquæ iam vnitæ, cùm modò sint integraliter indiuisæ, seu vnitæ, faciunt vnam aquã: si verò res aliquæ sint indiuisæ substantialiter, seu vnitæ vnione substantiali, vt corpus & anima in homine, tunc faciunt vnum substantialiter: ac proinde vt res absolutè sit vna, debet esse indiuisa omni modo sibi competente.

Res quot modis dicitur indiuisa, tot etiam dicitur vna.

III. Vnitas autem, vel indiuisio de qua loquimur in præsenti, est vnitas quidditatiua, seu singularis, competens omnibus rebus, corporeis & spiritualibus, simplicibus & compositis, substantiæ & accidenti, & cæteris. Consistit verò hæc vnitas in indiuiduatione rei in se, id est; vt res non diuidatur in plura se, seu in plura quæ sint adæquatè idem cum illâ, vt rectè notauit P. Hurtado d. 4. Metaphysicæ. Hæc verò vnitas, licèt explicetur per negationem sicut & distinctio, irrationale, aliaque huiusmodi, non tamen cõsistit formaliter in negatione, tum quia iuxta Aristotelem 4. Metaphysicæ, c. 2. idem est *homo, vnus homo, ens homo*, quod tamen esse non posset, si vnitas esset negatio, negatio enim maximè distinguitur à re positiuâ: tum præterea quia diuisio est negatio; diuisio enim est negatio vnionis, ea quippe diuiduntur quæ carent vnione, sicut diuidi dicitur & separari vna pars aquæ ab aliâ, & anima à corpore, quando destruitur vnio, continuationis ibi, hîc informationis.

Quæ sit vnitas de qua agimus in præsenti.

Vnitas, licèt explicetur per negationem, est tamen quid positiuum.

IV. Est ergo hæc vnitas ipsa cuiusque rei entitas, explicabilis per negationem vnionis cum aliâ re, quæ sit adæquatè eadem cum ipsâ, ac proinde differt à distinctione, quòd licèt hæc etiam consistat in positiuo quando res quæ distinguuntur, sunt quid positiuum, vt dictum est in Logica d. 19. sect. 2. quod idem dici debet de vnitate; est tamen distinctio res positiua vt explicabilis per negationem identitatis cum aliâ re: at verò vnitas est res aliqua vt explicabilis per negationem vnionis cum aliâ re, quæ foret eadem adæquatè cum ipsâ. Cùm ergo diuisio sit negatio vnionis, indiuiduatio autem sit illi contradictoriè opposita, nempe negatio diuisionis, seu talis negationis, debet necessariò esse quid positiuum, contradictorium enim negationis semper est entitas positiua, ac proinde *indiuisum* erit conceptus positiuus.

Quomodo differat vnitas à distinctione.

Probatur vlterius vnitatem esse quid positiuum.

V. Dices; vnitas & pluralitas opponuntur contradictoriè, sed pluralitas est quid positiuum, nempe variæ entitates positiuæ, ergo vnitas formaliter consistere debet in negatiuo. Resp. pluralitatem seu multitudinem duo dicere, & entitates positiuas, & negationem vnionis; si enim inter se vnirentur res illæ, nõ essent omni modo & simpliciter pluralitas, seu plures, sed dici possent vnum, cùm iam constituant vnum: vnitas ergo opponitur multitudini, non secundum positiuum quod dicit, sed negatiuum.

Dices; pluralitas est quid positiuum, ergo vnitas est negatio.

Resp. pluralitatem dicere & quid positiuum, & negationem.

VI. Resp. secundò, aduertendo, vnitatem quoad præsens, duplicem esse, singularem, seu transcendentem, de qua hîc agimus, & numeralem, seu quæ est principium numeri, & hæc postrema vnitas non dicit solam distinctionem rerum inter se, sed deunionem, seu separationem: pluralitas autem & vnitas numeraliter sumptæ non opponuntur, cum pluralitas cõstet vnitatibus, pluralitas enim numeraliter sumpta est quantitas discreta, non continua: vnde sicut vnitas numeralis dicit negationem vnionis cum alijs rebus; ita multitudo, seu pluralitas dicere debet varias negationes vnionis.

Vnum duplex est, transcendens & numeralis.

VII. Quando ergo Aristoteles affirmat vnum & plura opponi contrariè, non loquitur de vno & pluribus numeraliter sumptis, sic enim non opponuntur contrariè, cùm numerus, vt dixi, constet ex vnitatibus, sed comparat vnum transcendentaliter cum pluribus numeraliter sumptis, sicut communiter sumi solet pluralitas.

Quo sensu dicat Arist. vnum & plura opponi contrariè.

VIII. Quæres, quid sit vnum per se, & vnum per accidens? Resp. vnum per se propriissimè sumptum accipi pro substantiâ indiuisibili, qualis est Angelus, vel pro compositâ ex partibus substantialibus, verâ & substantiali vnione inter se vnitis, vt est homo, leo, ignis, &c. Vnum per accidens rigorosissimè sumptum est, cum plura sine verâ vnione sibi inuicem adiunguntur, vt aceruus lapidum, exercitus &c. Alia medio modo se habent, & respectu *vnius per se* propriissimè sumpti, sunt vnum per accidens, respectu verò *vnius per accidens* rigorosissimè sumpti, dici possunt vnum per se. Quare quantitas & alia accidentia, quæ vnione continuatiuâ inter se, vel vnione informationis vniuntur substantiæ, respectu aggregati per accidens dicuntur facere vnum per se, quia verâ & physicâ vnione coniunguntur: respectu verò hominis, leonis, & similium censentur vnum per accidens;

Quid sit vnum per se, & vnum per accidens.

Medio modo se habent quædam inter vnum per se propriè dictum, & vnum per accidens.

cidens, quia eorum vnio est accidens. Et hoc verum existimo quantumuis accidens quod substantiæ vnitur, maximè connaturaliter, & per se ab eâ petatur. Vnde calor facit vnum per accidens cum igne, frigus cum aquâ, intellectus & voluntas, si distinguantur, cum animâ.

DISPVTATIO II.

De principio indiuiduationis.

SECTIO PRIMA.

Vnde sumatur cuiusque rei vnitas indiuidualis.

I. NOn est hîc sermo de indiuiduatione illâ extrinsecâ desumptâ vel à loco, vel tempore, aut à causâ primâ, seu quòd hîc & nunc producatur hoc indiuiduum potiùs quàm aliud: de hac enim diximus in Physicis, d. 35. cùm de determinatione ad indiuiduationem, vbi eam vt plurimum fieri diximus à causâ primâ. Quæstio ergo in præsenti procedit de aliâ indiuiduatione, nempe vnde proueniat quòd sint possibilia plura indiuidua numero distincta in eâdem specie.

Status præsentis quæstionis.

II. Celebris hac in re est Thomistarum quorundam opinio asserentium omnem huiusmodi indiuiduationem desumi à materiâ signatâ, seu tali accidentium apparatu quasi sigillatâ. Vnde res nullum dicentes ordinem ad materiam, vt Angelos, dicunt non posse multiplicari solo numero, sicque non solùm affirmãt Michaëlem, Gabrielem, & cæteros omnes Angelos, qui de facto sunt creati, differre specie, sed vlterius addunt, implicare duos Angelus solo numero diuersos. Hanc etiam sententiam amplectuntur aliqui ex nostris, vt P. Granado 1. p. tr. 1. d. 4. in grana S. Thomæ, qui 1. p. quæst. 51. ar. 4. huic opinioni nonnihil fauere videtur, licèt alij ipsum probabiliter explicent locutum solùm esse de facto, non de possibili.

Prima sententia indiuiduationem desumi asserit à materiâ signatâ.

III. Contraria ergo sententia, nempe indiuiduationem non desumi à materiâ taliter signatâ, & consequenter posse dari duo vel plura indiuidua solùm numero diuersa in rebus quæ nullum dicunt ordinem ad materiam, duos Angelos ex gr. est in scholis longè communior: eamque veram existimo. Ita noster Scotus in 2. d. 3. q. 7. Alensis 2. p. q. 20. memb. 6. ar. 1. & 2. Albert. Magnus 2. p. tr. 2. qu. 8. S. Bonau. in 2. d. 3. p. 1. ar. 2. qu. 1. Richard. in 2. d. 3. qu. 1. ar. 5. Gabriel in 2. d. 3. q. 1. ar. 2. & ex Thomistis Capreolus in 2. d. 3. qu. 1. ar. 3. Ferrara 2. cont. Gent. c. 93. Ban. 1. p. q. 51. Molina 1. p. q. 51. ar. 4. Suarez d. 5. Met. sect. 2. n. 24. & 28. & l. 1. de Ang. c. 12. Valen. 1. p. d. 4. q. 1. a. 3. §. *secunda sententia*: Vasq. 1. p. d. 181. cap. 3. P. Hurt. d. 12. Met. s. 3. n. 12. P. Arrubal. 1. p. d. 150. Tannec. 1. p. d. 5. q. 1. d. 5. n. 19. Arriaga d. 1. Met. s. 3. à numero sexagesimo, & alij.

Secunda sententia negat indiuiduationem desumi à materiâ signatâ.

IV. Probatur primò: res enim variæ multiplicantur solo numero, quæ nullum dicunt ordinem ad materiam, ergo principium indiuiduationis non potest adæquatè desumi à materiâ, quod tamen est fundamentum contrariæ sententiæ. Antecedens probatur, idem enim Angelus habet successiuè motus, vbicationes, intellectiones, & volitiones numero tantùm distinctas, nec enim vllum est fundamentum asserendi Angelum dum postea in eodem loco mouetur, aut quiescit, vbi antea quiescebat, & mouebatur, habere motus aut vbicationes specie distinctas, priores autem, saltem naturaliter, reproduci nõ possunt, sed hæ res, purè spirituales cùm sint, nullum dicunt ordinem ad materiam, ergo.

Res nullum dicentes ordinem ad materiam, solo numero differunt.

V. Dicunt, res illas indiuiduari à subiecto eodem cui insunt. Contrà primò, ergo materia signata non est principium adæquatum indiuiduationis. Contrà secundò, sicut accidentia spiritualia possunt indiuiduari à subiecto spirituali, sicque multiplicari solo numero, cur non possunt subiecta ipsa spiritualia numero etiam distingui? certè nulla assignari videtur posse ratio in quâ animus acquiescat. Contrà tertiò, plures formæ substantiales numero diuersæ multiplicantur circa eandem partem materiæ, ergo indiuidualis multiplicatio non sumitur à materiâ, sic enim singulis formis singulæ assignari deberent materiæ numero distinctæ. Contrà quartò, nam potiùs forma deberet esse principium indiuiduationis; forma enim est quæ distinguit, sicut & quæ constituit. Vnde videmus in hominibus distinctionem numericam peculiari modo tribui animabus.

Æquè subiecta spiritualia solo numero multiplicari possunt, ac accidentia.

Formæ materiales numero distinctæ respiciunt eandem partem materiæ.

VI. Licèt ergo in respectiuis ex termino specie diuerso, quem respiciunt, sequatur specifica diuersitas in ipsis rebus, ita vt nequeant non specie distingui illa quæ respiciunt terminum specie diuersum, & numero, vbi numerica diuersitas est in terminis, (relucet enim in vno prædicatum specie vel numero distinctum, quod non relucet in alio) at non sequitur è contrà, respicit eundem terminum specie, vel numero, ergo non distinguitur specie vel numero, cùm distinctio ex alijs capitibus desumi possit: multoque minùs sequitur non distingui numero, nisi per ordinem ad materiam.

Res eundem numero terminum respicientes possunt numero distingui.

VII. Secundò probatur conclusio: licèt enim concederetur indiuiduationem in rebus corporalibus desumi à materiâ signatâ, non tamen id sequitur in spiritualibus; nam etiam specifica diuersitas in rebus corporalibus essentialiter respicit materiam, & tamẽ non propterea sequitur, res spirituales non posse distingui specie: ergo sicut possunt hæ habere distinctionem specificam non emendicatam à materiâ, poterunt etiam habere numericam. Neque vlla est ratio, cur non possit indiuiduatio alicuius rei desumi ab ipsamet re, seu res indiuiduari formaliter à seipsâ.

Non valet hoc à materialibus ad spiritualia deductum argumentum.

VIII. Probatur tertiò: ipsa saltem materia, vel quantitas debet indiuiduari intrinsecè à se, quidni ergo & aliæ res poterunt eodem modo indiuiduari? nec enim est maior ratio vnius, quàm alterius. Conf. nam accidentia numero diuersa respiciunt eandem numero materiam, & quæ sunt in vnâ, potuissent esse in aliâ, ergo non potest indiuiduatio vniuersim desumi ab hac materiâ, vel quantitate. Et hinc etiam constat res nullum dicentes ordinem ad materiam, vt Angelos posse multiplicari numero intra eandem speciem: si enim res quæ dicunt ordinem ad materiam, possunt diuersæ numero respicere eandem materiam, vt constat, & eandem numero diuersam, ergo signum est etiam accidentia ista, & formas substantiales materiales non indiuiduari à materiâ sed à se, ergo & animæ, & res purè spirituales, indiuiduantur similiter à seipsis, & non à materiâ, & consequenter poterunt multiplicari numero intra eandem speciem.

Materia, & quantitas indiuiduantur à se, ergo res aliæ.

Possunt dari duo Angeli numero tantum distincti.

SECTIO

SECTIO II.

Obiectiones contra nostram sententiam de principio indiuiduationis.

I. *Obiicitur authoritas Aristotelis.* OBijcies primò Aristotelem, qui varijs locis, quæ videri possunt apud P. Fonsecam tom. 2. l. 5. Met. c. 6. q. 4. sect. 2. expressè docere videtur Intelligentias solo numero differre non posse quia carent materiâ. Sed, vt bene Fonseca citatus, Aristoteles in varijs errauit circa naturam Angelorum & rerum spiritualium: sicut inde conatur probare non posse esse nisi vnum cœlum, quia non est nisi vnus Deus: hunc autem arguit non posse esse nisi vnum, quia caret materiâ, quæ vtraque ratio perinde probat intentum. *Resp. Arist. circa naturā Angelorum, mirè errasse.* Deinde, vult Aristoteles Intelligentias necessariò existere: ex quo infert, non esse possibiles duas numero tantùm distinctas, sic enim de facto, inquit, existerent plures hoc modo distinctæ: nam *In per se necessarijs idem est posse, & esse:* quod argumentum nihilo verius est præcedente. Certum ergo est, Aristotelem, circa Angelorum naturam mirè fuisse hallucinatum, ac proinde illius auctoritatem hac in parte esse nullam.

II. *Obi. res spiritualis indiuiduari per suam essentiam.* Obijcies secundò: rem spiritualem absolutam indiuiduari seipsâ, cùm enim materiam non habeat, nec ad eam dicat habitudinem, nihil est in eâ excogitabile quod addatur illius essentiæ, & consequenter ratio ipsa specifica est indiuiduatio, ergo quot indiuidua, tot species, & quot species tot indiuidua, ergo nulla sunt numero tantùm distincta. Sed contrà, in omni enim re indiuiduatio realiter identificatur cum essentiâ, seu ratione specificâ, sicque secundùm hoc res omnes, siue spirituales, siue materiales sint, essent distinctæ specie.

III. *Quo sensu res spirituales indiuiduentur seipsâ.* Quando ergo dicunt rem spiritualem indiuiduari seipsâ, vel sensus est, indiuiduari ex vi suæ rationis specificæ formaliter, & tunc petitur principium, hoc enim est quod quærimus, nec vlla ratio assignari potest cur sicut in alijs rebus, ita & in his indiuiduatio distingui nequeat ratione à conceptu specifico: si verò per rem spiritualem indiuiduari seipsâ, solùm velit quis indiuiduari per suam entitatem realem, hoc non arguit non posse dari duas res spirituales solo numero distinctas, magis quàm duas res corporeas.

IV. *Obi. non implicat res spiritualis creata, cuius indiuiduatio sit sua essentia.* Obijcies tertiò: non implicat natura aliqua creata, cuius indiuiduatio sit formalissimè eiusdem essentia; de facto enim hoc cernimus in naturâ Diuinâ: quidni ergo dicamus naturas Angelicas omnes esse huiusmodi, sicque omnes distinguentur specie. Contrà primò, non magis implicat hoc contradictionem in rebus corporeis, ergo omnes etiam res corporeæ distinguentur specie. Contrà secundò, eodem modo argueret quis posset, non implicare creaturam, quæ non admittat aliam eiusdem generis, saltem subalterni secum, seu quæ sit immultiplicabilis genere, sicut dicunt aduersarij non implicare creaturam, quæ sit immultiplicabilis specie; ergo Angeli omnes erunt *Retorquetur argumentū.* non specie tantùm, sed genere diuersi. Respondetur ergo tum ob hæc huiusmodi creaturam repugnare, tum quia nulla ratio ostendi potest, cur alia ei similis dari non possit.

V. *Ex eo quòd repugnent duo Dij, non repugnant duo Angeli numero distincti.* Quod verò addunt de naturâ Diuinâ, manifesta est disparitas, ipse enim conceptus Dei infert secum vnitatem numericam in naturâ, plures enim Dij sunt Chimeræ ob varia inconuenientia, quæ ex hac multiplicitate sequerentur: at verò quod duo vel plures Angeli existant numero distincti, quid incommodi? Deinde, alia est disparitas inter Naturam Diuinam & creatam: sicut enim propterea dicunt omnes repugnare duos vel plures Deos specie aut genere distinctos, quia est de essentiâ Dei habere secum identificatam omnem perfectionem Diuinâ, ita & ob eandem rationem repugnabunt duo numero tantùm distincti.

SECTIO III.

Peculiaris difficultas circa principium indiuiduationis.

OBijcies quartò: differentia vltima, seu indiuiduatio in Angelis est operatiua, ergo est de ratione & conceptu specifico; operatiuum enim quà tale, spectat ad speciem. Antecedens probatur, vnus enim Angelus vt differt ab alio secundùm vltimum illud in quo differt, est operatiuus, quiuis enim Angelus est intellectiuus sui per suam substantiam, & hoc vnicuique est proprium, ita vt alteri non competat, ergo. I. *Obi. vltimà differentia est operatiua, ergo pertinet ad rationem specificam.*

Contrà primò, hinc enim sequeretur omnes animas rationales distingui specie, cùm secundùm vltimam sui differentiam sint etiam operatiuæ. Contrà secundò, sequeretur eodem modo duos quoscunque colores, & species eorum impressas differre specie, nam iuxta communiorem sententiam vnus color quantumcunque similis alteri, non potest producere speciem impressam alterius: similiter species impressa vnius albedinis non potest producere visionem alterius, quantumuis fingatur similis; ergo omnes omninò colores & species impressæ distinguentur specie. II. *Contrà, hinc sequitur omnes animas, & colores distingui specie.*

Resp. itaque, non omne illud spectare ad rationem specificam, formaliter loquendo, quod est operatiuum, seu principium alicuius operationis; res enim quæuis physica est realiter loquēdo principium cuiuslibet operationis physicæ: tribuendo autem singula singulis, ratio generica principij est principium formale operationis alicuius, vt genere differt ab aliâ, ratio specifica, vt specie, ratio demum indiuidualis vt numero. Sic in Angelo principium reale completū huius numero intellectionis vt quatuor ex. gr. est hic numero Angelus intellectiuus vt quatuor; principia verò formalia illius sunt plura ratione distincta: vt enim est *intellectio*, principium illius est Angelus vt intellectiuus; in quantum est *intellectio vt quatuor*, principium eius est Angelus quatenus intellectiuus vt quatuor; vt demum est *talis intellectio vt quatuor*, principium illius est Angelus vt hic numero intellectiuus vt quatuor. Realiter tamen loquendo, non potest vllum prædicatum non esse operatiuum, imò operatiuum totius actionis, cùm realiter omnia identificentur. III. *Tribuendo, singula singulis quænā sint principia formalia operationum.* *Principium reale, & formale intellectionis Angelicæ.*

Dices; hic numero Angelus est intellectiuus sui modo dicto, & alius sui, ergo vnus habet prædicatum aliquod quod alter non habet, ergo sunt dissimiles, ergo non sunt eiusdem speciei. Contrà, nam secundùm hoc plurima quæ censentur passim differre tantùm numerò, imò ferè omnia differrent specie, cùm aliqua dissimilitudo inter omnia penè reperiatur. Et vt omittam exempla iam posita, ignis A est productiuus omnium ignium præterquam sui, & ignis B similiter, sicque in vno relucet prædicatum, quod non relucet in alio, & è contra: ergo inferre quis eodem modo posset, illos, & consequenter omnes ignes differre specie. IV. *Vt duo Angeli possunt differre solo numero, vel res propè omnes different specie.*

Licèt ergo reperiatur aliqua dissimilitudo inter quæuis duo indiuidua, cùm vnumquodque aliquid in se includat diuersum ab alio, non tamen differunt specie, nec ad conuenientiam specificam requiritur omni- V. *Non quæuis dissimilitudo constituit distinctionem specificam.*

omnimoda similitudo, vt dictum est in libris de Anima disp. 5. sect. tertia. Ratio autem vlterior huius est, quia differentia indiuidualis verè spectat ad perfectionem substantialem cuiusque rei, estque verum ac proprium illius prædicatum substantiale, & aliquo modo quidditatiuum, ac proinde cùm quæuis duo indiuidua habeant diuersam differentiam indiuidualem, verè erunt aliquo modo dissimilia.

Dices: differentia indiuidualis vocatur accidentalis.

VI. Dices; differentiam indiuidualem vocari *accidentalem, materialem* &c. item *de indiuiduis* dicunt Philosophi *non dari scientiam*, ergo non continet differentia indiuidualis perfectionem, & consequenter nec facere potest dissimilitudinem inter duo: si ergo sint dissimilia, prouenit dissimilitudo illa à ratione specificâ. Resp. quidquid sit de his modis loquendi, certum esse, differentiam indiuidualem esse quid spectans ad veram & realem constitutionem cuiusque indiuidui, & realiter in eo inueniri identificatam cum alijs prædicatis. Quando ergo differentia indiuidualis vocatur *materialis, accidentalis* &c. non intelligitur non esse de substantiâ rei cuius est differentia, sed solùm est *materialis* & *accidentalis* in ordine ad scientiam humanam: homines enim parum curant notitiam differentiarum indiuidualium, vtpote quæ & innumeræ sunt, & occultæ, ac propterea sistunt Philosophi in prædicato aliquo omnibus communi. Angeli tamen intuitiuè res cernentes, ipsas etiam differentias indiuiduales perfectè cognoscunt.

Quo sensu differentia indiuidualis vocentur materiales, & accidentales.

VII. Tertia hac in re sententia affirmat indiuiduari res omnes ex respectu quem habent ad circumstantias determinatas talis loci ac temporis, in quibus connaturaliter res quæuis primò producitur: ita Vasq. Tom. 1. in 3 p. disp. 74. c. 7. & alij. Dicunt ergo hi auctores in tali tempore non esse possibile nisi vnum aliquod indiuiduum talis speciei, vnum scilicet hominem, vnum leonem, vnum equum &c. tum quia alioqui sequeretur, Deum esse causam peccati, si determinaret ad induiduationem, tunc etiam quia nisi dicatur aliquem effectum pro tali solùm determinato tempore esse possibilem, sequeretur posse eandem reni naturaliter reproduci. Hanc sententiam latè impugnaui in Physicis, disp. 31. nec opus est hîc quidquam adiungere. Videantur ibi dicta.

Indiuiduatio non sumitur à circumstantis loci, ac temporis.

DISPVTATIO III.

De Vero & Falso: Bono & Malo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit verum Transcendentale.

I. DE his duobus attributis susissimè inter alios P. Hurtado d. 7. Met. per totam, vbi plurimos latè etiam de his tractantes citat. Sed res est parum momenti, ac proinde breuiter eam expediemus.

II. Mihi hac in parte placet quod dicit Aureolus in 1. dist. 19. ar. 2. & sequuntur plurimi ex recentioribus. Dicit ergo hæc sententia *Verum transcendentale*, quod est attributum Entis in hoc consistere, quod sit ens in quantum fundat negationem Entis apparentis sic verum aurum est quod non est aurum solum apparens, seu aurichalcum, verus ignis, qui non est pictus &c. Hæc videtur sententia S. Augustini l. 2. Soliloq. c. 5. vbi ait, *Verum esse id, quod est, non autem id quod videtur, aut quod tale est quale videtur.* Sicut ergo Ens, quà Ens, opponitur, non enti, ita Ens quà verum, opponitur Enti apparenti, ipsumque excludit.

Verum est ens in quantum fundat negationem entis apparentis.

S. Augustinus.

III. Explicatur hæc sententia: nihil omninò est seu nullum ens, quod non habeat hunc conceptum Veri; esto enim sub vnâ ratione possit esse solùm apparens, sub aliâ tamen semper est Verum: sic aurichalcum, licèt sit aurum solùm apparens, est tamen verum aurichalcum; & ignis pictus, licèt sit ignis solùm apparens, est tamen vera pictura: ac proinde nulla omninò res est quæ hoc sensu non habeat veritatem transcendentalem. Vnde, secundùm hunc modum explicandi veritatem transcendentalem, etiamsi nullus intellectus esset possibilis, res tamē essent eodem modo veræ, quo sunt: aurum siquidem in eo casu tam esset verum aurum, & fundaret negationē aurichalci, seu auri tantùm apparentis, ac modò fundat, cùm rationem illam verè à se & essentialiter excludat. Ipso facto tamen quòd hoc aurum sit verum, & sit intellectus aliquis possibilis, est etiam aptum cognosci cognitione verâ, seu conformi suæ naturæ.

Res quæuis, licèt sub vnâ ratione sub inde sit solùm apparens, sub aliâ tamen est vera.

IV. P. Suarez d. 8. Met. sect. 7. num. 24. P. Hurt. hîc & plurimi ex recentioribus alio modo explicant veritatem transcendentalem, nempe vt idem sit *verum* ac *cognoscibile*, estque probabilis veritatis acceptio. Prior tamen modus explicandi veritatem transcendentalem videtur probabilior: hæc quippe veritas est aliquo modo posterior illâ, eam que supponit, ergo potiùs illa est vocanda veritas transcendentalis, quàm hæc, vtpote ens, vt ita dicam, vicinior. Sed quæstio est de modo loquendi, nec est cur eidem declarandæ diutiùs immoremur.

Quidam verum transcendentale idem esse dicunt, quod cognoscibile.

V. Veritas secundùm posteriorem hunc illam explicandi modum, de quo ex aliâ occasione dictum est etiam in Logicâ disp. 2. sect. 2. est duplex, *extrinseca*, & *intrinseca*. Veritas, seu cognoscibilitas *extrinseca* est denominatio rei cuique proueniens à cognitione possibili: sicut enim actualis cognitio rem denominat actu cognitam, ita cognitio possibilis eandem denominat cognoscibilem. Cognoscibilitas, seu veritas *intrinseca*, (idem est de amabilitate) est aptitudo quam res quæuis ex se, & prædicatis suis intrinsecis habet ad terminandam cognitionem. & relatio quædam transcendentalis ad eam vt possibilem: vnde, intellectu vel voluntate implicante, non minùs implicaret res, quàm implicat materia implicante formâ, aut è contrà. Vbi tamen cognitio non distinguitur à re cognitâ, vt in cognitione Diuina respectu sui, & in actibus creatis reflexiuis supra seipsos, nulla est relatio, quia nulla est distinctio.

Cognoscibilitas est duplex, extrinseca, & intrinseca.

VI. Dices contra illud quod asseruimus num. 4. & 5. nempe, verum & cognoscibile conuerti; dices, inquam, etiam falsa cognosci: ergo veritas & cognoscibilitas non sunt idem. Resp. etiam falsa habere veritatem transcendentalem, seu vim terminandi actū intellectus, sicque repræsentantur falsa vt sunt vera, seu cognoscibilia, & apta vt sint obiectum intellectûs. Nullum autem falsum, vt falsum, potest esse obiectum actûs scientifici: nam vt rectè S. Augustinus l. 15. de Trin. cap. 10. initio, *Nemo falsa nouit, nisi cùm falsa esse nouit. Verum est enim quòd illa falsa sint.*

Falsa habent veritatem transcendentalem.

Falsum vt falsum nequit esse obiectum actûs scientifici.

SECTIO II.

In quo consistat ratio falsi; vbi de bono & malo.

I. *Nihil falsum quod non sit aliquo modo verum.*

EX his constat in quo consistat ratio falsi quod opponitur vero, licèt à parte rei nihil sit falsum quod in aliqua ratione non sit verum: nam, vt iam diximus, ignis pictus, licèt sit falsus ignis, est tamen vera pictura: sicut similiter color apparens, licèt sit falsus color, est tamen vera lux, histrio etiam in theatro referens personam Regis dici potest falsus Rex, est tamen verus histrio, licèt nonnulli huoc potiùs velint vocari Regem fictum, quàm falsum: & sic de cæteris.

II. *Nihil est falsum transcendentale, nisi respectu intellectûs imperfecti.*

Est ergo Falsum id, *quod ex eo quòd aliquam similitudinem habeat cum ente aliquo vero, est aptum intellectui, non perfectè res cognoscenti, præbere occasionem erroris & deceptionis*: vt aurichalcum, color apparens &c. Dixi, *intellectui non perfectè res cognoscenti*, respectu enim intellectûs Diuini nihil est hoc modo falsum, cùm nihil possit Deo præbere occasionem deceptionis, vtpote qui decipi non possit. Videt tamen Deus res aliquas esse eiusmodi, vt occasionem erroris & deceptionis præbere possint intellectui creato. Ex quo infertur, falsum non esse ita proprium prædicatum rerum, atque est prædicatum Veri, cùm hoc sit respectu cuiuscunque intellectûs, etiam perfectissimè cognoscentis, illud verò nequaquam, sed solùm secundùm quid, & respectu intellectûs imperfecti. Licèt autem re ipsâ tam aurum sit falsum aurichalcum, quàm hoc falsum aurum, vsus tamen obtinuit, vt denominatio falsi tribuatur imperfectiori.

Falsum transcendentale non tam latè patet ac verum.

III. *Bonum idem est ac perfectum.*

Quoad attributum Boni, *idem est Bonum ac perfectum*, seu cui nihil ad esse suum completum deest. Varijs modis sumitur: primò *essentialiter*, & hoc pacto nihil omninò est quod non sit Bonum, cùm vnaquæque res habeat suam essentiam, & sub hac ratione nihil illi desit, essentiæ quippe omnium sunt indiuisibiles. Secundò, dicitur aliquid Bonum *substantialiter*, quando nimirum nihil illi deest ad completionem substantialem. Sic materia vnita formæ, & forma materiæ dicuntur *substantialiter* perfectæ, & consequenter bonæ. Si tamen vel materia esset sine omni formâ, vel forma separata ab omni materiâ, non forent substantialiter bonæ, & perfectæ. Tertiò, dicitur aliquid bonum *integraliter*, quando scilicet nihil illi deest ad perfectionem integralem, vt homo habens omnes partes corporis, calor habens octo gradus intensionis &c. Quartò, *accidentaliter*, quando nimirum nulla desunt accidentia alicui rei debita. Sic aqua, quando habet frigus vt octo, & humiditatem sibi debitam, dicitur bona, seu perfecta & completa *accidentaliter*. Alio verò modo sumitur *Bonum*, vt idem sit ac aptum terminare voluntatem; quo sensu, etiam mala habent suam bonitatem.

Bonum quatuor modis sumitur.

IV. *Bonum simpliciter solus Deus.*

Bonum verò simpliciter infinitum est solus Deus, vtpote qui habet perfectionem omnem excogitabilem: res verò creatæ sunt in suo quæque genere bonæ, & perfectæ bonitate limitatâ, à summo illo fonte omnis boni, nempe Deo, deriuatâ. Mali cognitio facilè ex cognitione Boni deducitur; vnum enim oppositum per aliud facilè cognoscitur: quot enim modis dicitur aliquid Bonum, tot etiam modis ex opposito dicitur Malum, quod idem est ac defectiuum, & consistit vt plurimùm in negatione.

Malum idem est, ac defectiuum.

DISPVTATIO IV.

De rerum possibilitate.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam circa conceptum Possibilitatis.

I. *Idem formalissimè est ens & Possibile.*

NOtandum primò, *Ens*, & *possibile* idem esse: Ens enim dicitur quod est aptum existere, seu quod potest esse; hic autem est formalissimus conceptus possibilitatis; illud enim omne est possibile, quod habet aptitudinem, seu non-repugnantiam vt existat à parte rei, modo postea explicando; ergo idem formalissimè est *Ens* & *possibile*.

II. *Ens rationis non est ens, nisi metaphoricè.*

Dices; Ens rationis est Ens, quod tamen non est possibile, imò est essentialiter quid impossibile, & Chimæra; ergo vniuersim loquendo Ens & possibile non sunt idem. Resp. primò, Ens rationis non esse Ens, nisi admodum impropriè, & metaphoricè: vnde, vt ostendi d. 40. Logicæ, sect. 4. non datur ratio Entis communis Enti reali & rationis, nec talis conceptus ab ijs per intellectum abstrahi potest. Secundò dico, Ens rationis, eo modo quo est Ens, esse possibile, nempe per intellectum, seu rationem, quæ ei dat esse quoddam, & existentiam metaphoricam, vt ostendi d. 15. Logicæ, sect. primâ.

Ens rationis, eo modo quo est ens, est etiam possibile.

III. *Latiùs patet possibile, quàm producibile.*

Notandum secundò, latiùs patere *possibile* quàm *producibile*; Deus enim est possibilis, qui tamen non est producibilis. Quòd verò Deus sit possibilis constat manifestè: Deus enim *Est*, ergo potest esse, seu est possibilis; ab actu enim ad potentiam valet consequentia. Verum est quidem, Deum non esse purè possibilem, hoc enim inuoluit negationem existentiæ, vt postea dicetur, quod Deo essentialiter repugnat, cùm sit Ens necessarium.

IV. *Possibilitas duplex intrinseca, & extrinseca.*

Notandum tertiò, sicut duplex est cognoscibilitas, visibilitas, amabilitas &c. altera scilicet *intrinseca*, fundata in ipsis rerum entitatibus, quæ per sua prædicata intrinseca sunt aptæ terminare cognitionem, visionem, amorem &c. vt ostendi d. 2. Logicæ, sect. 2. num. 2. & hac d. præc. sect. 1. num. 5. *extrinseca* quæ prouenit à cognitione, visione, aut amore possibili; ita & duplex est possibilitas, vna *intrinseca*, quæ scilicet fundatur in ipsis intrinsecis prædicatis, ex se aptis vt à parte rei existant, altera *extrinseca*, quæ tribuitur à causâ possibili habente virtutem ad rem illam producendam. Vnde possibilitas omnis creata, vt sit completa, seu, vt aliqui loquuntur, proxima, vtramque hanc possibilitatem includit. Dixi, possibilitas creata, Deus enim solam habet possibilitatem intrinsecam, vtpote qui, vt suprà aduerti, à nullo produci potest.

Deus habet possibilitatem intrinsecam, non extrinsecam.

V. *Aliud est rem esse possibilem, aliud esse purè possibilem.*

Notandum quartò, aliud esse, rem aliquam esse possibilem, aliud, esse purè possibilem, seu in statu, vt aiunt, possibilitatis: primum solum dicit rem in conceptu suo obiectiuo non inuoluere duo contradictoria, quare intellectus videt nullam esse implicantiam, quo minùs res illa ponatur à parte rei, & si ponatur, nullam secuturam implicantiam. Purè autem possibile ita dicit rem posse existere, vt tamen de facto non existat, sicque præter prædicata nullam in se inuoluentia contradictionem, dicit negationem actualis existentiæ. De quo sect. sequente iterum redibit sermo.

SECTIO II.

In quo sita sit ratio possibilitatis.

I. *Status quaestionis.* Diximus sect. praecedente, rem possibilem & dicere praedicata rei intrinseca, & connotare negationem: hic ergo inquirendum quidnam sint praedicata illa intrinseca, quibus negatio illa accedit: quae, vt rectè explicetur, non parum est difficile.

II. *1. Sent. possibilitatem rerum stare in esse diminuto.* Primus rem hanc explicandi modus est eorum, qui dicunt essentias rerum, antequam actu producantur, & existant à parte rei, habere esse quoddam *diminutum*, ipsis ab intellectu communicatum. Vnde aiunt hi auctores, res omnes, etiam ab aeterno, huiusmodi esse habuisse, quod vocant esse tantum intelligibile, quòd scilicet tunc aptitudinem ad aliud non habebant, nisi merè ad terminandum intellectum. Hanc opinionem multi tribuunt Scoto, sed immeritò, vt laté ostendit Suar. d. 31. Met. sect. 2. Vasq. & alij. Eam tamen, cuiuscunque sit, laté impugnaui disp. 18. Log. s. 4. nec opus est hic quidquam adiungere.

III. *Secunda sententia rebus esse aliquod actuale tribuens ab aeterno.* Ab hac sententiâ parum distat P. Albertinus To. 2. de Praedic. de substantia, d. 1. quaest. 1. num. 12. Vbi ait, res omnes ab aeterno habuisse esse quoddam essentiae extra omnipotentiam Dei, ac proinde docet, eas ante creationem in tempore non fuisse purè nihil, *sed esse aliquid actuale* sibi intrinsecum habuisse, idque non acceptum à Deo efficienter, nec alio modo ab eo dependens, quàm in genere causae exemplaris. Haec opinio meo iudicio eadem est cum praecedente, & ijsdem rationibus impugnatur. Videatur locus in Logicâ proximè citatus.

IV. *Possibilitas pura creaturae nihil est actu.* Dico itaque, possibilitatem creaturae, antequàm creatura existat, nihil esse actu, purè enim possibile excludit omnem actualitatem: esse namque purè possibile, vt dixi sect. praecedente, n. 5. dicit meram possibilitatem, mera autem possibilitas in conceptu suo dicit solùm posse esse, seu posse existere; solùm autem posse esse seu existere excludit omne actuale esse, & existentiam.

V. *Possibilitas intrinseca est quid merè conditionatum.* Loquendo itaque de possibilitate radicali & intrinsecâ (extrinseca enim est virtus & potentia in Deo rerum productiua) haec nihil planè actu fuit ab aeterno, sed solùm quid conditionatum, nempe, quòd praedicata illa si existerent, non inuoluerent contradictionem: Vnde Deus vel Angelus rem talia in se praedicata habentem repraesentans, diceret nihil obstare quo minùs poni res illa possit à parte rei: quod non diceret de Chimaerâ, imò diceret contrarium, ergo inter praedicata rei alicuius possibilis, Anti-Christi ex. gr. & Chimaerae in esse obiectiuo est intrinseca & essentialis differentia.

VI. Dices primò; saltem hoc esse obiectiuum mundi & rerum possibilium erat ab aeterno, Deus enim tunc res omnes possibiles cognouit, ergo tunc habebant hoc esse obiectiuum. Contrà, Deus non minùs nouit impossibilia ab aeterno, quàm possibilia, ergo etiam hinc sequeretur res impossibiles habuisse aliquod esse actuale ab aeterno. Resp. itaque, nullum esse obiectiuum intrinsecum rerum vel possibilium vel impossibilium fuisse ab aeterno, sed intellectum ferri posse in res quae nullum omninò habent esse, sed sicut nullis clauditur circumstantijs loci, resque maximè distantes, imò quae nullo loco sunt, intelligit, ita nullis etiam coërcetur circumstantijs temporis, sed res quae nulli omninò tempori correspondent, potest intelligere. *Possibilia nullum esse obiectiuum habuerunt ab aeterno, magis quam impossibilia.*

VII. *Res ab aeterno solùm habuerunt esse à Deo cognitae.* Solùm ergo ab aeterno habent res esse cognitas extrinsecè, seu obiectas menti Diuinae, non esse aliquod obiectiuum intrinsecum. Conf. iam intelligimus praeterita & futura, etiam quà talia, licèt nulla iam praeteritio eorum, aut futuritio sit actu, ergo & potuit Deus res possibiles cognoscere ab aeterno, licèt nihil eorum fuerit actu ab aeterno.

VIII. *Obij. res ab aeterno erant possibiles, ergo earum possibilitas erat ab aeterno.* Dices secundò; res ab aeterno erant possibiles, ergo possibilitas earum actu erat ab aeterno. Contrà primò, Chimaera etiam ab aeterno erat impossibilis, ergo illius impossibilitas erat actu ab aeterno. Contrà secundò, crastinus dies iam est futurus, hesternus praeteritus, ergo iam est actu aliqua illorum praeteritio & futuritio.

IX. *Resp. distinguendo verbum est vario modo.* Resp. itaque, Verbum *est* non significare semper pro tempore quod per illud importatur, vt in his & similibus constat, *Petrus est mortuus, domus est combusta, Anti-Christus est futurus*, &c. in quibus, vt in Introduct. dixi, d. 3. sect. 3. num. 4. est *Alienatio*, vel *Distractio*, vt loquuntur Dialectici. Imò est implicatio in terminis dicere, Anti-Christus ab aeterno est purè possibilis, si terminus *est* sumatur propriè; haec enim particula importat actualitatem & existentiam, pura autem possibilitas existentiam omnem, & actualitatem essentialiter excludit, & perinde est ac si quis diceret, *solùm potest esse, & tamen est.* Sensus ergo huius propositionis, *Anti-Christus est possibilis*, est, *in praedicatis Anti-Christi nulla inuoluitur repugnantia quo minùs existant*; vel, *si Anti-Christus existeret, nulla sequeretur implicantia, aut contradictio.* *Quis sit sensus huius propositionis, Anti-Christus est possibilis.*

X. *Falsa est haec propositio, Res possibilis erat ab aeterno ens.* Dices tertiò; res possibilis erat ab aeterno *Ens*, ergo aliquam habebat actualitatem ab aeterno. Resp. negando antecedens, *ens* enim & *possibile* sunt omninò idem, vt dixi sect. praecedente, num. primo. Quo sensu autem *Anti-Christus est ens*, & similes sint propositiones *aeternae veritatis*, dicetur, disp. sequente, sect. secundâ, num. quarto, & sexto. Plura hac de re dicentur disp. sequente, dum de distinctione essentiae & existentiae: quaestio enim illa magnam habet cum hac affinitatem.

DISPVTATIO V.

De Essentiâ & Existentiâ.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm essentia realiter distinguatur ab existentiâ.

I. *Essentiam Dei ab eius existentiâ non distinguí certum est.* INprimis ab omnibus tanquam indubitatum hoc in re supponitur, existentiam Dei non distingui ab illius essentiâ, cum Deus essentialiter petat esse seu existere actu, nec omninò non esse possit, nulla que in eo reperiri queat compositio. Quaestio ergo procedit de solis rebus creatis.

II. *Res omnis creata existit causaliter per actionem, formaliter per existentiam.* Secundò notandum, id per quod res creata existit, & ponitur extra causas causaliter, esse actionem quâ producitur, vt saepe diximus: id verò per quod existit & ponitur extra causas formaliter, est ipsa existentia exercita, per quam fit Ens actu. Tribuendo ergo singula singulis, existit res quaeuis, vt declarauimus in libris de Generat. d. 3. dum de conuersione, causaliter per actionem, hic per vbicationem, nunc per

per durationem, formaliter verò existit, & ponitur à parte rei per suammet entitatem, seu existentiam. Quæstio ergo præsens est, vtrùm hæc existentia, per quam res quæuis formaliter existit, distinguatur realiter ab illius essentiâ.

III. *Prima sententia ait essentiam realiter distingui ab existentiâ.*

Prima sententia affirmat essentiam realiter distingui ab existentiâ. Ita Caiet. 1. p.q.3.a.4. & *de ente & essentiâ*, Capreol. in 1.d.8.q.1.a.1 Ferrar. l.2. Cont. Gen. ca.52. Soncin. 4. Met. q.12. Bannez 1.p.q.3.a.4. Molina 1.p.q.3.a.4.d.2. Albertin. de Prædic. substan. d.2.q.1 Idem tenere videtur P. Fonseca To.1. Met. l. 4.c.2.q.4.s.1. quamuis enim nonnulli explicent de distinctione tantùm rationis. Citari etiam solet S. Thomas variis locis. vt 1.p.q.3.a.4 item l.2. con. Gent. c. 52. & 53. & 4. Met. lec.2. & alibi, sed facilè explicari potest de distinctione tantùm rationis.

IV. *Secunda sententia negat essentiam realiter distingui ab existentiâ.*

Secunda sententia è contrario docet, essentiam realiter ab existentiâ non distingui. Ita Halensis 7. Met. ad tex. 22. Gab. in 3.d.6. vbi etiã alij Nominales, Aureol. apud Capreol. in 1.d.8.q.1 Greg. in 2.d.6.q. 1. citatur etiam Scotus cum suis. Idem tenet Suarez d. 31. Met. s.2. Valentia 1.p.d.1 q.3.p.4.§. vltimo, Pererius 6. Phys. c.4. Alarcon 1.p.tr.6.d.1.c.2.n.4. Rubius 1. Phys. tr.1.q 4. Murcia l.1. Phys. d.5 q.4 §. *Hinc primo*, Hurt. hic, d.8.s.4.n.38. Arriaga hic d.2.s.3.n.52. Oviedo hic Cont.2 p.2. & plurimi ex recentioribus.

V. *Essentia nec realiter, nec modaliter distinguitur ab existentiâ.*

Conclusio: Essentia non distinguitur ab existentiâ, sed est eadem omninò res cum illâ, realiter ab illâ indistincta, imò nec modaliter distinguitur existentia ab essentiâ. Ita auctores secundæ sententiæ. Probatur primò: si quid namque vrgeat ad statuendum distinctionem inter essentiam & existentiam, maximè est, quod essentia nunc transeat de non esse actu ad esse actu, & consequenter habere necessariò debeat formam aliquam, per quam transeat, sed hæc ratio non vrget, ergo. Probatur minor, ipsa existentia antea possibilis transit de non esse ad esse sine aliquo distincto, alioqui dabitur processus in infinitũ, ergo & eodem modo transire potest essentia.

VI. *Dices: existentiam non posse per aliam existere, cùm sit ipsa ratio formalis existendi.*

Dices; latam esse disparitatem inter existentiam & essentiam, existentia enim, cùm sit ipsa ratio, per quam res existit, non potest existere per aliam existentiam: sicut secundùm nos actio non producitur per aliam actionem, quia est ipsa ratio formalis agendi, nec vbicatio est in loco per aliam vbicationem. Sed contrà apertè, si vbicatio possit esse, & non esse in hoc loco, seu si esset indifferens ad varia loca, non solùm posset, sed etiam deberet affigi huic loco in particulari per aliam vbicationem; cùm enim non esset sua determinatio, deberet necessariò aliunde determinari; sed existentia Anti-Christi v.g. non necessariò existit, sed est quid merè possibile, & indifferens ad existendum vel non existendum, ergo existentia non minùs indigebit formâ aliquâ per quam transeat de non esse seu existere, ad esse, quàm ipsa essentia; cùm ideo secundum contrariæ sententiæ auctores egeat huiusmodi formâ essentia, quia est quid merè possibile.

Resp. cùm existentia non minùs sit indifferens ad existendũ, quam essentia, non minùs eget determinatiuo.

Quòd verò existentiæ rerum sint possibiles; videtur fide certum, nam ab æterno nulla erat existentia creata actu, ergo omnes erant possibiles.

VII. *Si essentia distinguatur ab existentiâ in quauis re existente sunt duo entia actu.*

Secundò sic idem probo: quando Petrus existit, vel sunt in illo duo entia actu & simpliciter, realiter distincta, nempe essentia & existentia, vel non: si nõ, ergo essentia & existentia non distinguuntur, quod contendimus; si ita, ergo essentia habet suam existentiam secum identificatã, per quam redditur ens actu, prout distinguitur ab alterâ existentiâ, cùm nihil esse possit ens per aliquid à se realiter distinctum, præsertim per modum formæ illud afficientis, cùm omnis forma supponat subiectum aptum illam recipere, nullum autem subiectum est aptum recipere formam nisi pro illo priori subiectum illud existat.

VIII. *Essentia cuiusuis rei ponitur extra causas formaliter per seipsam, ergo existit formaliter per seipsam.*

Probatur tertiò: per illud existit res aliqua formaliter, per quod ponitur formaliter extra causas, sed essentia Petri ponitur formaliter extra causas per ipsammet suam entitatem, ergo. Maior est certa, & ab omnibus admissa; minor probatur, per id formaliter & adæquatè ponitur aliquid extra causas, per quod formaliter tollit negationem sui, sed essentia Petri per suammet entitatem tollit negationem sui, ergo. Maior est clara, nam per negationem est non ens, & non extra causas formaliter, ergo per id per quod adæquatè tollit negationem sui, ponitur formaliter extra causas, & transit de non esse, seu non ente actu ad esse seu Ens actu, sed per suam entitatem solam tollit essentia negationem sui, quod patet, nam tollitur negatio per contradictorium illius negationis, sed sola essentia est contradictorium negationis essentiæ, ergo per solã essentiam tollit res illam negationem, ergo per solam essentiam ponitur res extra causas, ergo per solam essentiam existit, ergo essentia non distinguitur à suâ existentiâ.

IX. *Quando res ponitur à parte rei, terminatur actio immediatè etiam ad essentiam, ergo existit per se.*

Quartò: non ad existentiam tantùm, sed etiam ad essentiam terminatur actio productiua, quando res aliqua ponitur à parte rei, ergo res existit per ipsam essentiam: quod probatur, ideo enim ad illam terminatur actio immediatè, vt ponat eam extra causas, & reddat eam de non ente actu ens actu, ergo essentia per se est iam formaliter ens actu, & consequenter per se existit: alioqui non est cur ad eam terminaretur actio immediatè, sed sufficeret terminari eam ad solam existentiam, cùm rem produci, sit produci illius existentiam. Quod verò ipsa essentia in se & immediatè producatur, videtur manifestum, cùm non sit ens à se, sed verè & propriè creatura, & consequenter producta per veram & propriam actionẽ, ad ipsam terminatam.

X. *Essentia, vt distincta ab alia existentia debet existere, cùm iuxta aduersarios, sit subiectum existentiæ.*

Conf. produci rem, est produci illius existentiam, sed actio productiua terminatur ad ipsam essentiã, ergo illa est etiam existentia. Conf. secundò, non potest aliquod physicum terminari ad aliquod possibile purè possibile, sicut potest quid intentionale, vt actus intellectûs & voluntatis, sed actio physica terminatur ad ipsam essentiam, quæ etiam verè & physicè producitur, & ponitur à parte rei per actionem immediatè ad se terminatam, idque pro aliquo priori ad existentiam, cùm communiter dicant aduersarij existentiam educi ex potentiâ essentiæ, ergo essentia pro aliquo priori ad existentiam existit, & ponitur à parte rei, cùm pro illo priori sit apta exercere operationem aliquam physicam, nempe influere materialiter in existentiam. Cùm ergo essentia ponatur extra causas per actionem ad ipsam terminatam, & constituatur à parte rei, si non terminaretur actio ad quidquam aliud, existeret tamen essentia; quid enim aliud est existere, quàm poni extra causas? poni autem extra causas est causam exercere vim suã circa rem illam, quod facit per hanc actionem, quæ est exercitium virtutis causæ.

XI. *Ob idem argumentum, ob quod ipsi distinguunt essentiam Petri ab eius existentiâ, possent essentiam existentiæ distinguere ab ipsâ existentiâ.*

Quintò: quia eodem fundamento quo aduersarij distinguunt essentiam ab existentiâ, distingui etiam posset essentia existentiæ ab ipsâ existentiâ: manifestum enim est ipsam existentiam habere aliquam essentiam, seu conceptum essentialem, sibi propriam, & nulli alteri competentem. Imò non minùs, in hac sententiâ distingui realiter posset ab omnibus suis prædicatis essentialibus & intrinsecis, quàm essentia ab existentiâ; non minùs quippe est hæc propositio æternæ veritatis, *existentia Anti-Christi est ens, substantia, corporea, incompleta*, &c. quam hæc, *essentia Anti-Christi est ens, substantia*, &c. ergo non minùs distinguetur realiter existentia Anti Christi à suâ essentiâ, imò à prædicatis intrinsecis & essentialibus, ente, substantiâ

substantiâ &c. quàm existentia Anti-Christi ab illius essentiâ. Hanc existimo esse vnam ex vrgentissimis rationibus contra sententiam distinguentem essentiam ab existentiâ.

XII. *Dicunt quidam posse essentiam manere extra causas sine existentiâ.*

Longè autem minùs probabile est, quod dicunt aliqui, posse scilicet essentiam manere extra causas separatam ab omni existentiâ. Contra quod est, nam quid est aliud rem existere, quàm esse formaliter extra causas, seu à parte rei extra nihil, esseque ens actu extractum ex statu puræ possibilitatis? si ergo hoc habeat essentia ista, quid ei deest ad existentiam? imò quid opus aliâ existentiâ, cum secundùm omnes, effectus formalis existentiæ sit ponere rem extra causas? Dicere autem alium esse eius effectum formalem, est cudere nouam existentiæ rationem, & philosophari pro libito; imò in re idem affirmare cum omnibus, voce dissentire.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contendentia existentiam distingui ab essentiâ.

I. *Quidquid hic adducitur, solui debet in essentiâ & existentiâ ipsius existentia.*

Hic antequam proponamus argumenta, quæ innumera à contrariæ sententiæ auctoribus congeruntur ad probandum essentiam & existentiâ inter se realiter distingui, operæ pretium erit aduertere quod circa finem sectionis præcedentis insinuauimus, nempe ipsam etiam existentiam habere suam essentiam & prædicata intrinseca: quod si accuratè notetur, semperque habeatur præ oculis, facilè repellentur omnia, quæ opponunt aduersarij, cùm in hac instantiâ de essentiâ & existentiâ ipsius existentiæ, soluere ipsi debeant sua argumenta, vt sectionis decursu constabit.

II. *Obi. solus Deus est suum esse, seu sua existentia.*

Obiiciunt ergo primò: Deum dici *suum esse*, vt cõstat ex illo loco Scripturæ, vbi dicitur *Ego sum qui sum*, creatura autem non est *suum esse*, seu existere, tunc enim esset ipsi essentiale existere, quod tamen est falsum. Contrà, ergo essentia existentiæ non est suum esse, seu existere, sic enim esset ipsi essentiale existere. En idem planè argumentum: quidquid ergo dixerint, dicemus & nos de essentiâ & existentiâ cuiusque creaturæ. Resp. itaque pro vtraque sententia, non in hoc differre Deum à creatura quòd existentia Dei identificetur cum illius essentia, non tamen existentia creaturæ, sed *Deus est suum esse*, id est, necessariò existit, seu est ens omninò necessarium, nec deficere potest, & amittere esse, sicut potest creatura, imò necessariò semper est, quod nulli creaturæ competit, cùm omnes ex libera Dei voluntate sint productæ in tempore, vt est fide certum: existere autem est Deo essentiale.

Deum esse suum esse, est eum ita esse, vt non possit non esse.

III. *Quid velint Patres cum dicũt Deum esse ipsum esse.*

Patres ergo dum asserunt, non posse illud non esse quod est *ipsum esse*, intelligentes scilicet Deum, non agunt vtrùm existentia Dei distinguatur necnè ab illius essentia; sed per esse *ipsum esse* eum volunt ita esse, vt non possit non esse, seu vt concipi non possit quin concipiatur actu existens, quod ita est *esse*, vt sit *ipsum esse*, seu quasi antonomasticè esse, sicut subinde dici solet, vt notauimus in Logica d. 1. s. 1. *solum Deum esse*, seu *esse ens*, creaturas verò comparatas Deo non esse entia: quæ tamen locutiones non sunt in rigore metaphysico accipiendæ, sed sensus est, *esse Dei* tantum aliarum rerum existentiam excedere dignitate, vt res omnes aliæ ipsi comparatæ, sint quasi non essent, seu instar nihili. Quemadmodum etiam dicitur subinde Deus *solus bonus*. Deinde, notandum, non asserere Patres ideò Deum non posse non esse, quia est *suum esse*, sed quia est *ipsum esse*, id est, esse per essentiam, seu cuius essentia est actu esse & existere, quod nulli creaturæ competit.

Deus est suum esse, quia essentia eius est actu existere.

IV. *Ex eo quod Homo est animal rationale, sit æterna veritatis, nõ sequitur eius essentiam fuisse ab æterno.*

Obiicies secundò: essentia conuenit rebus independenter à causis secundis, existentia verò nequaquam, ergo distinguuntur. Antecedens probatur, hæ enim propositiones *homo est animal rationale*, *equus est ens, substantia* &c. sunt propositiones æternæ veritatis, & veræ, vt aiunt, ab æterno, ergo erat aliquid ab æterno ratione cuius erant veræ. Contrà, hæc etiam propositio est æternæ veritatis, *existentia est ens, est creata, est incompleta, substantia, corporea, spiritualis* &c. imò hæc, *existentia est apta reddere rem existentem*, ergo essentia seu conceptus essentialis existentiæ, imò ens ipsius, substantia, & cæteri ipsius conceptus debent ab eâ realiter distingui secundùm hunc modum argumentandi, cùm esse eodem modo debuerint ab æterno, ad propositiones illas verificandas, existentia autem solùm est in tempore. Resp. ergo negando essentiam competere rebus creatis independenter à causâ secundâ, quando res à causis secundis & non à Deo solo producuntur: tam enim essentia est creata, seu quid creatum & ens ab alio, non à se, quàm existentia: ergo tam producitur, idque ab eâdem causâ, à quâ producitur illa.

V. *Destructis nobis, destruuntur ea quæ sunt in nobis.*

Deinde, iuxta Aristotelem & omnes, *corruptis primis substantiis, corrumpuntur secundæ*, seu prædicata essentialia, & verè pereunt, sicque perit & destruitur totus Petrus, nempe *ens, substantia, viuens, animal, rationale*, &c. & hoc sensu intelligitur id quod alio loco dicit Aristoteles, *destructis nobis, destruuntur ea quæ sunt in nobis*: Dicuntur verò hæ & similes propositiones *æternæ veritatis*, vel quòd quandocunque existit homo, debet esse animal rationale, vel quòd quando homo mente concipitur, necessariò formetur conceptus animalis rationalis, non autem conceptus albedinis, nigredinis, caloris, frigoris &c. Quare hæc non est propositio æternæ veritatis, *homo est albus, niger* &c. sic tamen hæc, *homo est animal rationale*. Imò æquè contingenter conuenit rebus essentia ac existentia, nec priùs habent essentiam quàm sint, neque est homo propriè id, quod omninò non est, prius enim est esse quàm hominem esse.

Quare illæ propositiones sint æternæ veritatis.

VI. *Destructa Existentia semper vnà destruitur Essentia.*

Obiicies tertiò: separabilitas realis est signum distinctionis realis; sed existentia realiter separatur ab essentiâ quando res perit, destruitur enim illius existentia, manet essentia, ergo. Contrà ergo essentia existentiæ distinguitur realiter ab ipsâ existẽtiâ, imò & prædicata illius intrinseca, vt ens, substantia, incompletio &c. ab eâdem existentiâ distinguuntur, vt ostensum est n. quarto. Resp. ergo, concessâ maiori, negando minorem: ad probationem dico pereunte existentiâ perire etiam essentiam, vt in obiectione præcedente dictum est, nec alio modo tunc *homo est animal*, nisi in sensu conditionatô, & hac ratione propositiones istæ sunt *æternæ veritatis*.

VII. *Homo existit, an sit propositio æternæ veritatis.*

Vrgebis: ergo & hæc propositio, *homo existit*, erit *æternæ veritatis*, cùm in sensu conditionato sit necessaria: quandocunque enim existit, habet necessariò existentiam. Resp. cum P. Suarez d. 31. Met. s. 12. n. 47. fine, si hæc propositio sumatur in sensu conditionato, ita vt faciat hunc sensum, *si est homo, existit*, esse etiam propositionem *æternæ veritatis*; nec enim quidquam esset homo ab æterno, nisi ab æterno esset, & existeret. Simpliciter tamen est neganda hæc propositio, & censenda falsa, esto enim aliquem verum sensum facere possit, quia tamen iuxta communem vsum & acceptionem omnium, facit sensum absolutum, non conditionatum, ideò simpliciter censetur falsa.

VIII. *Obi. Existentia recipitur in Essentia, ergo ab ea distinguitur.*

Obiicies quartò: esse creatum, est esse receptum, ergo existentia recipi debet in essentiâ. Conf. esse creatum est esse limitatum, ergo existere in aliquo subiecto debet, è quo illi prouenit limitatio. Conf. secundò, essentia & existentia comparantur sicut a-

ctus

ctus & potentia, ergo existentia debet recipi in essentiâ. Hæc omnia retorquentur in essentiâ, & prædicatis intrinsecis ipsius existentiæ.

IX. *Resp. Ens creatum est esse receptum ab aliquo, non in aliquo, unde Existentia non recipitur in Essentiâ.*

Ad obiectionem ergo resp. distinguendo antecedens, esse creatum est esse receptum ab aliquo, concedo antecedens; receptum in aliquo, nego: nec enim Angelus & materia prima sunt in aliquo: quævis tamen res creata, cùm sit ens per participationem, recipit necessariò suum esse à Deo, sicque est recepta ab aliquo. Ad primam confirmationem dico, ens creatum esse limitatum ex se, quod dicere ipsi debent de essentiâ. Ad secundam confirmationē. Resp. comparari ad inuicem essentiam & existentiam tanquam actum & potentiam Logicam, non Physicā; potentia autem Logica non distinguitur ab actu sed est ipsa res possibilis, quæ iam existit & ponitur extra causas.

X. *Obii. scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad Essentiā, scientia visionis ad Existentiam.*

Obiicies quintò: scientia visionis, & simplicis intelligentiæ in Deo distinguuntur, idque ratione obiecti, ergo quia scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad solam essentiam, scientia verò visionis ad existentiam, ergo essentia & existentia distinguuntur realiter. Retorquetur argumentum in essentiâ & existentiâ ipsius existentiæ: eodem enim modo videt Deus per scientiam simplicis intelligentiæ existentiam esse possibilem, atque essentiam, ergo essentiæ seu prædicata essentialia, & intrinseca existentiæ distingui debent ab illâ realiter.

XI. *Resp. scientiā simplicis intelligentiæ, & visionis non distingui ex obiectis.*

Resp. ergo, has duas cognitiones non distingui ex obiectis, sed habere idem omninò obiectum, quidquid enim cognoscit scientia simplicis intelligentiæ vt potens existere, cognoscit scientia visionis vt existens; vnde existentia etiam ingreditur obiectum simplicis intelligentiæ. Imò per scientiam visionis nō videtur sola existentia, sed etiam essentia, ergo essentia debet esse sua existentia, alioqui non posset esse obiectum scientiæ visionis. Differunt ergo hæ duæ scientiæ solùm ex parte modi cognoscendi: sicut enim in nobis dari possunt diuersæ repræsentationes specie distinctæ ex modo diuerso tendendi, licèt obiectum sit omninò idem, vt apprehensio & iudicium, ita similiter & in Deo. Vnde scientia simplicis intelligentiæ est instar apprehensionis, aliquo saltem modo, per quam repræsentat Deus illa prædicata, nihil absoluté de iis affirmando, vel negando, sic tamen per scientiam visionis.

Differunt hæ duæ scientiæ ex parte modi tendendi.

XII. *Scientia simplicis intelligentiæ in hoc obiectis iudicat solum conditionatè.*

Dices; non solùm concipit seu apprehendit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ hominem esse animal rationale, sed iudicat, ergo non differunt hæ duæ scientiæ ex modo tendendi, & consequenter distingui debent penes obiecta. Distinguo antecedens, iudicat Deus id absoluté, nego antecedens; iudicat conditionaté, concedo: hoc autem iudicium est quasi quædā apprehensio. Obiectum ergo scientiæ simplicis intelligentiæ est conditionatum, & actus quo Deus dicit, *homo est animal rationale*, facit hunc sensum, *homo, si sit, seu quandocunque existit, est animal rationale*: scientia autem visionis fertur absoluté in idem obiectum, & dicit, *hominem absoluté esse, seu existere animal rationale*, quia videt illum pro suâ differentiâ temporis existentem.

XIII. *Obii. nihil concipi posse sub suo contradictorio.*

Obiicies sextò: non posse quidquam concipi sub suo contradictorio, seu sub contradictorio illius quicum identificatur, non potest ex. gr. concipi equus cum negatione hinnibilis: sed potest concipi essentia creata sine existentia, seu cum negatione, & contradictorio existentiæ, ergo essentia & existentia nō sunt idem. Resp. si res aliqua cōcipiatur habens suam entitatem & essentiam, non posse eam concipi sine existentia, cùm habere essentiam actu, sit actu existere; si verò concipiatur non habens existentiam, sed sub negatione illius, concipitur etiam sub negatione essentiæ; res enim quæ non habet existentiam, non habet essentiam, vt suprà dictum est.

Resp. quando res concipitur sub negatione Essentiæ, concipi etiā sub negatione Existētiæ.

XIV. *Essentia possibilis est Existentia possibilis, & è contrà.*

Si autem concipiatur essentia vt possibilis, necessariò concipitur etiam existentia, nō quidem vt exercita, sed vt possibilis, sicut nec etiam tunc concipitur essentia vt exercita, nunquam enim est exercita essentia quin etiam exercita sit existentia; essentiam enim esse possibilem, est eam posse existere, esse autem exercitam est existere, ac proinde in ipso conceptu essentiæ possibilis inuoluitur existentia etiam possibilis, sicque videtur probabile non posse essentiam & existentiam distingui, ne ratione quidem, saltem tanquam duos cōceptus obiectiuos distinctos.

XV. *Obii. Essentia rerum sunt ingenerabiles, & incorruptibiles.*

Obiicies septimò, commune illud dictum Philosophorum: *Essentia rerum sunt ingenerabiles & incorruptibiles*; ergo distinguuntur ab existentiis, hæ enim in dies generantur & corrumpuntur. Resp. tam essentias rerum generari & corrumpi, quàm existentias, si physicè & realiter loquamur. Sensus autem illius dicti est, essentias esse ingenerabiles & incorruptibiles in esse possibili, quantumuis enim hîc & nunc destruatur homo, equus, ignis &c. nullus tamen efficere potest vt non sint possibiles. Sic etiam quod est possibile, est essentialiter possibile, & quod non est possibile, non potest per vllam potentiam fieri possibile, quo sensu res omnes in esse possibili sunt improducibiles.

Resp. in esse possibili tam Essentias quam existentias esse ingen. & incorrup. neutras verò in esse actuali.

D I S P V T A T I O VI.

De Categoriis, seu Prædicamentis.

S E C T I O P R I M A.

De naturâ & numero Prædicamentorum.

I. *Distinctio Prædicamentorum à Prædicabilibus.*

SVbstantia in totâ serie rerum est ex genere suo ens perfectissimum; accidens verò ex naturâ sua ad perfectionem substantiæ ordinatum: qua de causa appellatur entis ens. Sicut ergo ex diuerso modo quo aliqua Metaphysicè prædicantur, desumitur distinctio Prædicabilium, vt in Logicæ vidimus, ita ex diuerso modo, quo accidentia physicè & realiter afficiunt substantiam, diuersam, illi denominationem accidentalem tribuendo, vt esse *qualem, quantam, relatam* &c. non incongruè deduci potest distinctio prædicamentorum accidentis.

II. *Tractatus de Prædicamentis spectat ad Metaphysicam.*

De Prædicamentis tractari solet plerumque in Logica, proprius tamen illorum locus est Metaphysica, ad quam Entis consideratio, vt suprà vidimus, peculiariter pertinet: nec ab Aristotele ideò tradita sunt in Logica, quòd ad Logicam spectarent, sed vt, cùm Logicus agat de arte syllogistica, & modo argumentandi, in promptu haberet in quo argumentationes suas ac syllogismos conficeret. Exacta verò eorum discussio spectat ad Metaphysicam.

III. *Quid sit Prædicamentum.*

Est verò Prædicamentum *series*, seu *coordinatio Prædicatorum à supremo genere ad ipsa indiuidua per genera & species intermedias*, suntque prædicamenta classes quædam & capita, ad quæ entia omnia reducuntur,

&c in

& in ordinem certum rediguntur, eo potissimùm nomine, vt diximus, inuenta, vt in promptu haberentur prædicata ad definitiones conficiendas accommodata.

IV. *In Prædicamentis quædam ponuntur per se, quædam reductiuè.*

In Prædicamentis, præsertim substantiæ, aliqua ponuntur per se, nempe entia omnia physicè completa, siue sint composita vt homo, leo, cœli &c. siue simplicia, vt Angeli: alia ponuntur reductiuè, res nimirum omnes incompletæ, vt materia prima, forma, vnio, inhærentia, subsistentia, & huiusmodi, quæ ideò solùm ponuntur in Prædicamento, quia ad aliorum, quæ per se in Prædicamento ponuntur, cōplementum spectant.

V. *De numero Prædicamentorum magna inter auctores dissensio.*

Circa numerum Prædicamentorum, antiqui in varias abiere sententias, vt videre est apud S. Thomā 5. Met. lib 9 & 3. Phys. tex. 56. Suarez d. 39. Met. & alios. Plato igitur, vt refert Aristoteles 3. Met. c. 3. vnū solum prędicamentum statuit, Zenocrates & Andronicus duo, substantiæ & accidentis: alij quatuor, alij quinque, & sic deinceps: Pythagoras verò viginti; Architas demum Tarentinus res omnes ad decem genera, seu capita reduxit: cui diuisioni tanta, vt ait Scotus, Aristotele præsenim approbante, accessit auctoritas, vt refragari sit nefas, receptaque ita hodie est hæc diuisio, & numerus prædicamentorum, vt P. Suarez disp. illâ 39. sect. 2. n. 22. vocet *dogma Philosophicum*, quodque velut temerarium in Philosophiâ existimetur in dubium vocare. Aliqui tamen diuisionem hanc carcerem vocant ingeniorum.

Prædicamenta sunt tantùm decem.

VI. *Ratio denarij huius numeri Prædicamentorum difficulter redditur.*

Quàm autem recepta est hæc diuisio, tam illius rationem reddere est difficile: quare idem Suarez, postquam varias ab aliis assignatas, vt insufficientes reiecisset, tandem n. 17. eiusdem disputationis concludit cum Auicenna non posse ratione propriâ, & à priori ostendi tot esse suprema rerum genera, & non plura, hancque numerum supponit potius Aristoteles quàm probat. Coniecturam autem hanc affert P. Suarez, quia non innotescunt alia genera entium, quàm quæ sub his generibus comprehenduntur, licèt hoc diuisionem istam, nec immeritò, non conuincere existimet. Id verò notandum, *Ens* non constituere vllum per se prædicamentum, quia omnia transcendit.

SECTIO II.

Quid requiratur vt aliquid ponatur in Prædicamento. Vbi, quid de Deo hac in re sentiendum.

I. PRædicamenta ergo sunt decem: & hoc ordine à Philosophis communiter enumerantur. *Substantia, Quantitas, Relatio Qualitas, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, Habitus.* De singulis sigillatim aliquid dicendum.

Recensentur suo ordine Prædicamenta.

II. *Vt quod ponatur in Prædicamento debet esse Ens reale.*

Vt aliquid ponatur in Prædicamento, debet esse ens verum & reale. Ens enim reale & positiuum est, quod hîc ab Aristotele diuiditur in decem Prædicamenta: vnde excluduntur à Prædicamentis negationes, priuationes, & entia rationis, licèt hæc vt in Logicâ diximus, in sua etiam Prædicamenta distribui similiter possint. Deinde, debet esse quid vniuocum; nam si analogum fuerit attributionis, est aggregatū quoddam ex rebus diuersorum Prædicamentorum, sicque confusionem potiùs pariet in definiendo, quàm claritatem & facilitatem, ad quem tamen præcipuè finem adinuenta sunt prædicamenta: si verò sit analogum conceptus communis, excluditur quia non potest esse genus aut species, nec componere Metaphysicè, & constituere definitionem, ad quod tamen munus, vt diximus, præcipuè ordinantur Prædicamenta.

Nullum est Analogum aut Æquiuocum poni potest in Prædicamento.

III. *An Deus ponatur in Prædicamento discrepant auctores.*

Difficultas est, vtrùm Deus ponatur in Prædicamento. Affirmant aliqui: alij vt P. Hurt. asserunt potuisse poni, si ita visum fuisset Philosophis: alij demum omninò negant, in assignandâ tamen repugnantiâ haud parum laborant. Aliqui id negant ob Dei simplicitatem, quæ tanta est, inquiunt, vt nec compositionem Metaphysicam, seu per intellectum admittat.

IV. *Ratio cur Deus non ponatur in prædicamento.*

Verosimillima huius rei ratio videtur esse, quia si in vllo ponatur, poni debet in Prædicamento substantiæ, sed non ponitur in Prædicamento substantiæ, substantia enim, vt hic sumitur, est quod primò aptum est substare accidentibus, quibus manifestum est Deum substare non posse. Quo titulo S. Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ c. 2 Deum è Prædicamento excludit. Vnde, Prædicamentum substantiæ, vt hîc sumitur, tantum est ratio substantiæ creatæ.

V. *Cur Relatio constituat diuersum Prædicamentum, & non subsistentia.*

Tandem notandum, licèt Relatio & Vbi constituant diuersum Prædicamentum, non tamen subsistentia & inhærentia. Ratio disparitatis est, quia Relatio & Vbi sunt quid completum in suo genere; inhærentia verò & subsistentia sunt complementum intrinsecum, hæc substantiæ, illa accidentis: accidēs enim, cùm sit entis ens, peculiari modo petit inhærentiam, vt intrinsecum sui complementum; substantia verò, cùm sit ens per se, petit similiter subsistentiam tanquam aliquid per quod vltimò in ratione substantiæ perficiatur. Quod etiam verum est de vnione, saltem in quibusdam substantiis.

DISPVTATIO VII.

De Prædicamento Substantia.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam circa notionem substantiæ.

I. *Variis modis sumitur substantia.*

SVbstantia, vt ait Aristoteles in Prædicamentis, variè sumitur: nunc enim idem sonat ac essentia cuiusque rei, quòd essentia substet prædicationibus: sic dicimus, substantia huius quantitatis est talis, id est, entitas illius vel essentia; quæ tamen acceptio non est adeò propria. Aliquando sumitur pro omni eo quod non est accidens, sub quâ acceptione comprehenditur forma substantialis, vnio, subsistentia, &c. Nonnunquam verò capitur pro substantiis tantùm completis, quæ directè ponuntur in hoc Prædicamento. Subinde etiam pro iis solùm substantiis sumitur, quæ per se existunt, quo sensu Aristoteles 7. Met. c. 13. negat genera & species substantiarum, quę dicuntur secundę substantię, esse substantias, quia nimirum existunt in primis, seu indiuiduis: quâ de causâ Aristoteles hîc vocat primas substantias, seu indiuidua, maximè substantias.

Primæ substantiæ maximè substantiæ.

II. Substantia ergo, vt hic sumitur, dicitur à *substando*, in quo conceptu duo includuntur, nempe stare, & sub

Substantia duo dicit, stare, & sub alijs stare.

& sub alijs stare, scilicet accidentibus, illa nimirum sustentando: per quod vltimum excluditur, vt diximus disp. præcedente, sect. 2. no. 4. substantia increata, seu Deus à ratione substantiæ hoc modo sumptæ; Deus enim non substat, nec substare potest accidentibus: nec etiam potest propriè dici essentia Diuina substare Attributis, nam substare propriè loquendo supponit realem distinctionem, substare enim & sustentari propriè nil potest, nisi realiter distinctum.

III. *Cur quantitas non sit substantia hoc modo sumpta.*

Dices; etiam quantitas substat accidentibus, ergo erit substantia. Nego antecedens: quod enim non stat, seu quod non existit per se, non potest substare, seu existere per se sub alio: quantitas ergo, licèt sit sub calore, colore, & cæteris qualitatibus materialibus, non tamen substat illis, sed inhæret materiæ, sicque dicitur ad summum substare illis secundùm quid, & secundariò, quia primariò & simpliciter substat illis substantia, quæ substat quantitati. Deinde, vt dixi d. 15. Phy. s. 2. nu. 8. non recipiuntur accidentia omninò in quantitate.

IV. *Substantia dupliciter dicitur subiectum, in quo, & de quo.*

Dupliciter autem dici potest substantia sustentaculum, seu subiectum: vel propriè, & respectu accidentium: & vocatur subiectum *in quo*, seu inhæsionis, vel minùs propriè respectu secundarum substantiarum, generum, specierum &c. & dicitur subiectum *de quo*, seu prædicationis. Vnde hoc discrimen statuit Aristoteles inter secundas substantias & accidentia, quòd illæ solùm dicantur de subiecto, seu de eo prædicentur, non propriè insint, vel inhæreant, hæc autem verè inhærent.

V. *Quæ sit propriissima notio substantiæ.*

Substantia autem propriissimè sumpta est *Ens per se*, hoc est quidditatiuus rei conceptus, quo ablato res perit, & quo manente, quantumcunque cætera pereant, manet tamen eadem res. Vnde ait Aristoteles, citatus *maximè proprium esse substantiæ, vt vna numero permanens susceptiua sit contrariorum*. Sic in lapide, licèt modò frigidus sit, modò calidus, iam quiescat, iam moueatur, & sic de alijs quibuscumque rebus, adhuc non est aliud quàm erat, si maneat eadem substantia, seu illa entitas quæ substat varijs hisce mutationibus accidentium. Quidquid ergo ponitur vel tollitur ita vt ad eius positionem dicatur simpliciter alia res, illud est substantia, de quo latiùs sect. sequente.

VI. *Diuisio substantiæ in primam, seu indiuidua, & secundã, nempe genera & species.*

Diuidit hic Aristoteles substantiam in primam & secundam, primam vocat indiuidua, quòd omnibus substent; secundam appellat genera & species, quæ dicuntur de primis; quâ de causâ ait ea significare *quale quid*. Dici autem de primis est, secundùm ipsũ, essentialiter de ijs prædicari. Qui plura de hac substantiæ diuisione cupit, adeat P. Vallium, qui totam quæstionem tertiam de Prædicamento substantiæ de eâ instituit, & operosè per octo capita examinat. Fusè etiam eam tractat P. Albertinus disp. 3. de Prædicamento substantiæ, q. vndecimâ.

SECTIO II.

In quo situs sit proprius conceptus substantiæ.

I. *Status præsentis controuersiæ.*

IN hoc auctores omnes conueniunt, vt dixi sect. præcedente, numer. 5. substantiam scilicet esse *Ens per se*, quæ est definitio illius ab Aristotele tradita, & in scolis passim recepta. Tota igitur difficultas eò deuoluitur, quo pacto nimirum intelligenda sit hæc definitio, & quid significetur per hoc quod est esse *Ens per se*, quod solis substantijs competere asseritur. Contrà verò substantiæ naturâ, facilè innotescet natura accidentis, vtpote illi è diametro oppositi, & conceptum habentis substantiæ omninò contrarium.

II. *1. Sent. ait conceptum substantiæ esse vt non dependeat à subiecto sustentationis.*

Dicunt ergo aliqui conceptum substantiæ in hoc consistere, quòd non dependeat à subiecto sustentationis. Hæc videtur sententia Patris Suarez, & aliorum qui consequenter asserunt accidens esse illud, quod sub hac ratione à subiecto dependet. Sed contrà, nam forma materialis tam verè dependet hac ratione à subiecto, tanquam à sustentante, atque accidens; verè enim deducitur ex potentiâ illius, & materia materialiter in formas illas influit, verè eas sustentando, ergo formæ materiales essent accidentia, non substantiæ, si in hoc situs sit conceptus substantiæ.

III. *Inesse subiecto non conuenit soli accidenti.*

Nec refert quòd dicatur, *Accidentis esse est inesse*: hoc enim non ita est proprium accidentis, vt illi soli competat, sicque non est proprium quarto modo, sed ad summum secundo; esto enim hoc competat omni accidenti, non tamen soli, cùm in aliquâ etiam substantiâ reperiatur. Deinde, nec vniuersim competit omni accidenti, saltem modali; creatio enim quantitatis in Eucharistiâ est accidens, & tamen non pendet materialiter ab vllo subiecto, sed est formalis independentia à subiecto, & à quâ tanquam à formâ reddatur quantitas independens ab omni subiecto. Solùm ergo intelligi vniuersim debet dictum illud de accidentibus absolutis, illorum enim esse est inesse, etiam materialiter. Vel sensus est, accidenti, quà accidenti competere aliquo modo inesse, naturaliter loquendo, substantiæ verò, quà tali, hoc non cõgruere, esto enim in aliquibus etiam substantijs reperiatur, plurimæ tamen sunt substantiæ, quibus nullo modo competit inesse vllâ ratione subiecto, vt sunt materia prima, Angeli, Cœlum, & Deus.

Quo sensu inesse sit proprium accidentis.

IV *2. Sent. conceptum substantiæ docet esse substare accidentibus.*

Alij conceptum substantiæ statuunt in hoc, quòd substet accidentibus: quod deducunt ex ipsâ etymologiâ nominis, vt substantia dicatur quasi à *substando*. Sed contrà, hinc enim sequitur Deum non esse substantiam: quo pacto intelligendus est S. Augustinus disp. præcedente, sec. secunda, n. 4. citatus, dum negat Deum esse substantiam.

V. *3. Sentent. substantiæ naturam ait esse vt sit radix subsistentiæ.*

Asserunt itaque alij tertiò, substantiam esse omne id quod est radix subsistentiæ. Sed contrà, nam definitio substantiæ tradita fuit ab Aristotele & antiquis Philosophis, qui tamen nullum habuerunt vestigium subsistentiæ; ergo iuxta mentem Aristotelis & aliorum non potest in eo consistere natura substantiæ quòd sit radix subsistentiæ. Deinde, hoc est valde obscuro modo tradere definitionem substantiæ, & ignotum explicare per ignotius, cùm nullius rei obscurior sit notitia, quàm subsistentiæ quæ tamẽ ad hanc definitionem intelligendam cognitu est necessaria. Præterea, subsistentia ipsa, iuxta omnes, est substantia; ergo conceptus substantiæ vt sic non potest in eo consistere, quòd sit radix subsistentiæ.

VI. *Substantia est illud quo manente manet res quo pereunte perit.*

Existimo ergo cum P. Hurt. d. 10. Met. sect. 4. & nonnullis ex recentioribus (à quâ etiam sententiâ, nisi in modo loquendi, non discrepat P. Arriaga) *substantiam, seu ens substantiale esse illud omne, & solum quod constituit primum conceptum rei, seu illum quod communiter & simpliciter vocatur res*. Explicatur & probatur conclusio à priori: substantia est ens per se, id est id quod per se ita constituit rem aliquam, vt illo permanente permaneat res, illo autem ablato pereat ipso facto, & destruatur: sic manente materia & forma aquæ simul cum vnione manet aqua quantumcunque reliqua omnia auferantur, nempe frigiditas siccitas, quantitas &c. ex quo optimè colligitur, materiam, formam, & vnionem per se constituere rem illam, seu compositum quod vocamus aquam, non tamen vel frigus, vel siccitatem, & consequenter illa esse de primo aquæ conceptu, non hæc.

VII. Secundò probatur à contrario: accidens est illud quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptio-

Accidens ergo aliud, ad cuius corruptionem res formaliter non tollitur.

ne:non autem potest hic esse sermo de corruptione quasi consecutiua, sed formali, vt in Logica declaravimus, dum de natura accidentis; saepe enim contingit ex sola additione, vel ablatione accidentis destrui consecutiue rem aliquam seu compositum substantiale, sic enim ex nimio calore destruitur saepe homo, lignum, aer &c. sicut aqua ex nimia siccitate: item ex defectu caloris naturalis pereunt frequenter animalia, sicut etiam aqua ex defectu humiditatis & frigoris, & sic de aliis.

VIII. *Ad ablationem substantiae, interim formis rei conceptus tollitur directe & formaliter.*

Sermo ergo est destructione formali, nempe id omne esse substantiam, ad cuius ablationem formaliter, directe, & immediate tollitur res illa, non indirecte, mediate, & consequenter: formalissime autem per ablationem vel materiae, vel formae, vel vnionis perit compositum aquae ex. gr. vnde quantumcunque concipiamus mente vel materiam, vel formam, aut etiam vnionem, imo & materiam & formam, nisi concipiatur vnio, non habemus conceptum vbi rectum aquae; habemus tamen si concipiamus materiam & formam vnitas, licet non concipiamus quidquam aliud nempe humiditatem, frigiditatem &c. quod manifestum signum est diuerso modo illa ingredi conceptum aquae quam haec.

IX. *Dum aliquid mutatur de calido in frigidum, non dicitur mutari simpliciter.*

Tertio probatur: quando lapis, lignum, aut homo mutatur de frigido in calidum, non dicimus communiter mutari simpliciter res illas, sed manere easdem, & transire de frigidis in calidas: ergo id quod iudicant homines, & vocant simpliciter rem in his occasionibus, non est compositum illud ex calore & subiecto, sed res illa quae est in his substratum, vt vocant, & circa quod fiunt huiusmodi mutationes.

SECTIO II.

Solutione argumentorum magis explicatur natura substantiae.

I. *Composita accidentalia non vocantur res.*

Dices primo: etiam composita accidentalia vocantur res, vt album, dulce, &c. ergo non sola substantia est res. Resp. absolute & simpliciter loquendo composita accidentalia non vocari res, nec esse de conceptu rei simpliciter dictae; neque enim dicimus quando aer de tenebroso fit lucidus, aut de calido frigidus, mutari simpliciter rem aliquam, sed eandem numero manere, quae erat ante, & dicimus rem quae erat calida, iam esse frigidam: quod arguit id quod vocamus rem simpliciter esse quid prius ad compositum accidentale.

II. *Obj. quaedam accidentalia vocari res.*

Dices secundo: saltem in quibusdam non videtur negari posse res accidentales vocari res; nil enim frequentius quam vt dicant homines se emisse mensam, sedem, librum &c. ergo nomen res applicatur aliis etiam praeter quam substantiis, cum forma horum non sit quid substantiale, sed forma aliqua accidentalis. Resp. eodem modo quo priori argumento, artificialia nimirum esse res solum secundum quid; destructa enim forma mensae vel cathedrae, adhuc dicimus simpliciter manere eandem rem, nempe lignum. Quod clarius constat in arena, quam siquis in varias figuras hinc inde distribuat, vt in lineas, circulos, formam animalis, vel arboris &c. & postea in vnum iterum aceruum totam congerat & confundat, dicimus manere adhuc rem eandem, licet non in eadem forma. Cernitur etiam idem in funiculo, quem nunc protrahit quis in lineam, nunc colligit in nodum, nunc in spiras & circulos, nunc in triangulos, nunc in hanc, nunc illam figuram ducit, & postea in vnum complicat, semper dicimus manere simpliciter eandem rem, seu eundem funiculum.

Artefacta non vocantur res simpliciter, vt ostenditur variis exemplis.

Signum ergo est, id quod in istis simpliciter vocatur res, non esse figuras illas artificiales, sed id quod ad eas supponitur, ac proinde figurata omnia, & artificialia non esse res simpliciter, sed secundum quid. Illud itaque solum est substantia, quod primo & simpliciter vocatur res, non autem quod secundario tantum, & secundum quid: vnde existimo, ad tollendam omnem ambiguitatem, posse substantiam vocari primam rem quae est res simpliciter. Sed hinc. III *Quod vt artefacta sit res simpliciter, quid secundum quid.*

Dices tertio: ergo essentia & substantia sunt idem: essentia siquidem est primus conceptus cuiusque rei, ergo si substantia sit idem, confundimus essentiam cum substantia, quod tamen alienum est a communi iudicio, & conceptu Philosophorum. Resp. vniuersim loquendo non esse idem essentiam & substantiam, prout hic sumimus conceptum substantiae, accidentia enim habent essentiam & tamen non sunt substantia, prout hic sumimus substantiam, licet eo sensu quo dicimus esse de substantia albedinis disgregare visum caloris congregare homogenea &c. hoc, inquam, sensu accidentia habent substantiam, nempe entitatem suam & essentiam. IV. *Dices ergo confundemus essentiam cum substantia.* *Substantia aliquando idem est cum essentia.*

Strictius vero in praesenti sumimus substantiam, prout dicit id quod constituit rem simpliciter, seu primam rem in omni eo quod reperitur a parte rei, & hoc sensu, licet non sit verum essentiam vniuersalissime sumptam & substantiam coincidere, coincidit tamen substantia cum essentia physica rei proprie dictae, iuxta explicationem rei sect. praecedente positam; idem enim a parte rei est res, & illius substantia, & essentia. Vnde sicut quicquid ratione nostra aduenit primo conceptui rei, licet ab eo realiter non distinguatur, vt admiratiuum, & risibile in homine, & sic de caeteris, dicitur accidens metaphysicum, quia scilicet metaphysice, seu ratione nostra accidit illi, & iam formaliter constituto aduenit, ita quicquid realiter distinctum aduenit rei realiter iam in suo primo esse constitutae, ita vt non constituat rem aliquam simpliciter, est accidens physicum, accidit enim physice & realiter cuicunque rei, sicut alia accidunt metaphysice, & per intellectum. V. *Idem sunt substantia & essentia physica rei simpliciter dicta.*

Dices quarto: ergo forma substantialis non erit substantia: patet, accidit enim materiae iam in sua entitate constitutae. Resp. licet accidat materiae, & sic dici possit aliquo modo accidens respectu illius, sicut rationale & irrationale dicuntur accidentia metaphysica respectu animalis, simpliciter tamen loquendo forma substantialis est substantia, qua spectat ad constitutionem rei simpliciter dictae, nempe hominis, equi, leonis &c. vtautem aliquid sit accidens, non debet omnino spectare ad primam constitutionem, & conceptum vllius rei simpliciter dictae, sed esse plane extra conceptum constitutiuum talis rei, quod non competit formae substantiali, imo nec vnioni, quae eandem ob causam est substantia; omnis namque res composita includit essentialiter vnionem tanquam aliquid sui constitutiuum, vnio enim est formaliter compositio, compositum autem non minus includit in suo essentiali conceptu compositionem quam album albedinem. VI. *Forma substantialis est accidens materiae, tamen substantia.* *Quid requiratur vt aliquid censeatur accidens.*

Subsistentia etiam est substantia, quia spectat ad conceptum rei simpliciter dictae: non enim est homo sine subsistentia, sine illa enim est tantum humana natura, non homo; vnde secundum Concilia & Patres Verbum Diuinum non assumpsit hominem, ergo simpliciter non est homo sine subsistentia, ac proinde subsistentia est substantia. Addo tamen, materiam & formam non esse res simpliciter & absolute, sed solum cum addito, nempe res incompletas, seu ordinatas ad constituendam vnam rem completam & simpliciter. VII. *Subsistentia est aliquo modo substantia.*

Vt ergo res aliqua sit accidens, non sufficit quod sit VIII.

sit extra conceptum vnius alicuius rei, & illi accidat, sed debet esse extra omnem rem simpliciter & absolutè dictam, & non spectare ad illius constitutionem, & primum eius conceptum, ipso facto enim quòd hoc præstet, est substantia saltem incompleta. Hac de causâ, vnio Hypostatica est substantia, nam Verbum Diuinum non facit vnum per accidens cū Humanitate Christi, sed vnum per se, alioqui Christus esset vnum per accidens. Licèt ergo Verbum non egeat Humanitate, nec vnione, ipso facto tamē quòd vnio sit de primo conceptu & constitutione alicuius rei simpliciter dictæ, est substantia: vnio autem Hypostatica est de constitutione, & primo conceptu Christi. Vnde quamuis dicat aliquo modo possit vnio accidere Verbo, sicut & Humanitati, non tamen est respectu illorum accidens physicum, sed tantùm Metaphysicum, id est, est aliquid extra essentialem illorum conceptum: nihil autem est accidens physicum, de quo hic loquimur, nisi quod est extra conceptum & constitutionem, non vnius alicuius rei, sed omnium.

Vnio Hypostatica est substantia.

Vnio Hypostatica aliquo modo accidit, tam Verbo, quàm humanitati.

IX. Hinc infertur, nullam actionem, quæ sit tantùm actio esse substantiam. Ratio videtur clara: nulla enim actio est de constitutione rei simpliciter dictæ; esto enim requiratur necessariò ad illius productionem, nec esse res vlla possit sine actione aliquâ eius productiuâ, sicut nec sine vbicatione & duratione, hæc tamen non sunt de intrinseco vllius rei conceptu & constitutione, sed illi extranea.

Nulla actio quæ sit merè actio, est substantia.

X. Dixi nullam actionem esse substantiam, quæ sit actio tantùm: si enim actio eductiua formæ materialis esset simul vnio informationis tunc esset substantia, non quà actio, sed quà Vnio, sub hac enim ratione spectaret ad primam constitutionem & conceptum rei simpliciter dictæ, cum de primo conceptu cuiusuis compositi, vt dixi, sit vnio. Hoc autem modo etiam vbicatio & duratio possent esse substantia, si nimirum vnio aliqua informationis esset sua vbicatio. Et certè dubitari non debet actiones illas in Diuinis, seu Relationes, quibus Pater producit Filium, Pater & Filius Spiritum Sanctum, esse substantias, cùm sint realiter identificatæ cum illis Personis.

Actio, quæ simul esset vnio informationis, foret substantia.

DISPVTATIO VIII.

De naturâ subsistentiæ.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur nonnulla ad subsistentiæ naturam cognoscendam requisita.

I. *Prima substantiæ proprietas est subsistentia.*

SVbstantiam tanquam prima illius proprietas sequitur subsistentia, res enim, per se loquendo, debet priùs perfici substantiali suâ perfectione, & proprietate, quàm accidentali; cùm ergo subsistētia sit quid substantiale, vt disputatione præcedente ostensum est, primum sibi inter substantiæ proprietates locum vendicat, qua de causâ illius discussionem immediatè substantiæ subijciemus.

II. *Subsistentia distinguitur ab existētia substantiæ.*

Certum inprimis est, quicquid reclament aliqui, subsistentiam distingui ab existentiâ substantiæ, existentia siquidem substantiæ non distinguitur ab illius essentiâ, vt ostendi disp. 5. cùm tamen subsistētiam à substantiâ distingui certū sit. Verbum enim diuinum assumpsit substantiam naturæ humanæ, non tamen assumpsit illius subsistentiā, sic enim in Christo esset duplex persona, creata scilicet & increata, quod tamen salua fide dici non potest.

III. *Humanitas Christi nec existit nec existere potest per existentiam Verbi.*

Licèt verò auctores illi conformiter ad sua principia respondeant humanitatem assumptam non solùm amisisse subsistentiam propriam, sed etiam existentiam, & sicut subsistit per subsistentiam Verbi, ita etiam existere naturam humanam Christi per Verbi existentiam: hoc inquam licèt asserant, non tamen satisfacit. falsum namque est humanā Christi naturam existere per existentiam Verbi: vt enim omittam impugnationes Theologicas, quæ multæ passim congeruntur ab auctoribus contra hanc sententiam, sic eam nunc impugno; si natura humana Christi existat per existentiam Verbi, ergo quando producebatur illa natura nihil producebatur secundum aduersarios, non existentia, quia est existentia increata Verbi, vt volunt, hæc autem & fuit ab æterno, & produci non potest per actionem creatā: nec etiam producitur humana natura, produci enim illā est iuxta hos auctores produci existentiam, per quā existit, sed non producitur hic existētia illa, vt iam ostensum est, ergo nihil producitur.

IV. *Dices, producitur vnio inter humanitatem, & existentiam Verbi.*

Dices; produci vnionem quâ vnitur humanitas existentiæ Verbi. Contrà primò, aduersarij enim communiter negant vnionem distinctam ab extremis. Contrà secundò, idem argumentum fieri potest de essentiâ & existētiâ huius vnionis, hæc enim vnio vel existit per existentiam, verbi, vel non, si ita, ergo est eadem difficultas de vnione, ac de humanitate, quam vnit; si non, sed habeat propriam existentiam, quidni ergo & humanitas habebit suam? Deinde vt dicatur res produci non sufficit quod vnio aliqua producatur, sed produci debet ipsa rei existentia. Quod argumentum latiùs prosequutus sum in Physicis d. 9. s. 1. dum de existentia materiæ.

Contrà, eadem difficultas de essentia & existentia huius vnionis.

V. *Voces quædam explicandæ.*

Secundò ad clariùs procedendum in totâ hac materiâ, explicandæ sunt quædam voces, quæ vbique hic recurrunt, nempe *Essentia, Natura, substantia, subsistentia, Personalitas, suppositum, Persona, Hypostasis*, quarum differentia ad rectè hic philosophandum est accuratissimè obseruanda.

VI. *Quid sit essentia, & quomodo differat à Naturâ.*

Essentia ergo est *primus cuiusque rei conceptus*. In hoc ab eâ differt natura quod dicat ordinem ad operationes, ac proinde, vt alibi notaui, dicitur *natura* quasi *nascitura* quod indicat græcum verbum φύσις à φύω vel φυτεύω. quod nasci, pullulare, vel germinare significat. Hinc Aristoteles in lib. 2. phys. naturam definit *principium motus & quietis*, quod operationem seu productionem denotat.

VII. *Substantia, Essentia, & Natura sæpe confunduntur.*

Substantiæ notionem iam dedimus disp. præcedēte, nempe *quod constituit rem propriè dictam*. Notandū tamen has voces, *substantia Essentia, Natura* sæpe confundi. *Essentiam* enim frequenter vocamus *Naturam* & è contrà, in Diuinis enim dicunt Theologi esse vnam *naturam*, & vnam *essentiam* communem tribus personis. Item *substantiam* subinde confundimus cum *essentiâ*, vt cùm dicimus albedinem esse de substantia albi, lucem de substantia lucidi &c.

VIII. *Idem sunt Subsistentia, Personalitas, & Hypostasis.*

Subsistentia (vt omittamus grammaticas vocis acceptiones, quæ videri poterunt apud P. Hurt. hic & alios) est *vltimus terminus & complementum Naturæ*, & Idem cum Personalitate, cuius hic naturam & conceptum formalem inquirimus: de qua proinde plura dicentur infra. Idem autem significat apud Græcos ὑπόστασις quod *subsistentia* apud latinos: & licet

nonnulli ex sanctis Patribus pro eodem aliquando vsurpant ὑπόστασιν & οὐσίαν, quâ de causâ admittere in Deo tres ὑποστάσεις recusarunt, ne tres etiam οὐσίας in eodem admittere viderentur, & consequenter Filius in diuinis non esset ὁμοούσιος Patri, sed solum ὁμοιούσιος, id est, non eiusdem, sed similis naturæ, quod sonat distinctionem naturarum, cùm nullum simile sit idem: quod tamen saluâ fide dici non potest.

IX. *Conceditur in Deo possunt tres Hypostases, sicut tres Personalitates.*

Si tamen per ὑπόστασιν intelligatur sola personalitas, seu id tantùm quod additur naturæ tanquam vltimum complementum substantiale, & terminus illius, non est cur quisquam ducat sibi religioni concedere tres hypostases, seu personalitates in diuinis, cùm vox *hypostasis* non significet naturam, nec essẽtiam. Est ergo hypostasis, seu subsistentia id quod superadditur humanitati ex. gr. vt constituat hominem seu personam humanam, nec enim sola humanitas est homo, seu persona humana, sic enim, vt dixi Verbũ assumpsisset hominem, & Personam humanam, & consequenter essent in Christo duæ Personæ, creata altera, altera increata, cui tamen refragatur fides.

X. *Suppositum variè sumitur.* *Latius patet suppositum, quàm Persona.*

Suppositum aliquando sumitur pro eodem ac *subsistentia*, communiter verò accipitur pro toto, seu composito ex naturâ & subsistentiâ: vnde latiùs patet *suppositum* quam *Persona*, cum *suppositum* significet quoduis compositum constans ex naturâ & subsistentiâ, siue natura illa sit rationalis, siue irrationalis; nec enim homo tantùm & Angelus, sed equus, leo, lapis & cætera irrationalia, & inanimata sunt supposita, non tamen personæ, hæc quippe soli competit composito ex subsistentiâ & naturâ rationali, Angelo nimirũ & homini, atque etiam Deo, licèt propriè non sit compositum, cùm personalitas in eo à naturâ non distinguatur.

XI. *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.*

Definitur proinde Persona à Boëtio lib. de duabus naturis quod sit *rationalis naturæ indiuidua substantia*, id est naturæ intellectualis. Videatur P. Hurt. d. 11. Met. sect. 1. § 3 & 4. vbi acriter obiurgat Vallã Grammaticum, quod Boëtium reprehendat, tanquam parum latinè hanc *Personæ* vocem hac ratione vsurpantem, cum Persona, inquit Valla, non hoc sed laruam significet. Defendit tamen Boëtij acceptionem P. Hurt. ex primæ latinitatis authoribus, seque Ciceronem legisse ostendit. Sed de hoc satis.

XII. *Quid hic intellexerit Aristoteles per primam substantiã.*

Magna hic est lis de nomine, circa mentem Aristotelis, vtrùm scilicet idem apud ipsum sit *suppositum* & *prima substantia*. Si per suppositum intelligatur illud, quod nos iam intelligimus, nempe natura subsistens, certum videtur Aristotelem per primam substantiam non intellexisse suppositum, cum subsistentiam non norit. Vnde Aristoteles per primam substantiam intellexit solùm substantiam completam, vt distinguitur contra incompletam physicè, sicque animam, materiam primam, & formas materiales ait non poni per se in prædicamento, sed solas substantias completas, hæ autem sine subsistentiâ non sunt supposita, nec enim humanitas est suppositum, sed homo, seu natura subsistens.

XIII. *Partes compositi substantialis non sunt suppositum.*

Partes ergo compositi substantialis non sunt suppositum, nec Persona: neque enim anima rationalis est Persona, nec anima equi aut materia suppositũ, vt enim sit persona vel suppositum, debet esse indiuidua seu prima substantia, id est, natura omninò cõpleta & integra. Natura autem hîc nõ accipitur sicut in physicis, secundum illam quippe naturæ acceptionem partes sunt natura, materia videlicet & forma, non totum: hîc autem per naturam intelligimus totum, vel simplex, vt est Angelus & cœlum, vel cõpositum vt sunt homo, equus, leo, lapis, &c.

SECTIO II.

Vtrùm subsistentia distinguatur à naturâ, vbi, an sit quid positiuum

I. *Inter solos Christianos disputatur hæc quæstio.*

NOn est disputata olim à Philosophis hæc quæstio, ad subsistẽtiæ quippe cognitionẽ caecutiebat antiquitas, nec eam oculatissimus etiam naturæ scrutator Aristoteles agnouit. Nec mirum, cũ enim solis principiis fidei innotescat, ex mysterio scilicet Incarnationis; cùm hoc antiquos philosophos lateret, eosdem etiam lateret subsistentia necesse est. Inter Christianos ergo solos agitatur hæc controuersia, quorum proinde diuersa hâc de re placita recensebimus.

II. *Durandus negat subsistentiam creatam distingui à naturâ.*

Durandus itaque in 1. d. 34. q. 1. ait subsistentiam, etiam in creatis non distingui realiter à naturâ magis quàm in Diuinis, vbi personalitates seu subsistẽtias cum Naturâ Diuina identificari certũ est. Contraria tamen sententia est omnium aliorum Theologorum, præterquam Caietani qui 1. p. q. 5. ar. 1. Durandi sententiam defendere videtur.

III. *Sed contra, tunc enim Verbum assumpsisset creatam subsistentiã.*

Impugnatur verò hæc sententia primò, quia si idem in re sit humanitas & homo, seu natura humana & persona humana, ergo cùm Verbum Diuinũ assumpserit naturam humanam, verè etiam & realiter assumpsit personam, & consequenter sicut in Christo sunt duæ naturæ, ita & erunt duæ personæ, quod est contra Concilia, & fidem.

IV. *Contrà 2. ergo hæc propositio est vera Humana natura est Deus.*

Impugnatur secundò, si à parte rei & realiter sint idem homo & humanitas, & solum differant secundùm diuersum modum concipiendi & significandi, concretè videlicet & abstractè, sicut Ens & Entitas, vt vult Durandus, ergo sicut hæc propositio est vera, & de fide *Homo est Deus*, ita & hæc erit vera *humanitas & humana natura est Deus*: sicut vtraque hæc propositio est vera, *Ens est à parte rei, entitas est à parte rei*, cùm tamen hæc propositio *humana natura est Deus* sit falsa, ergo homo & humanitas, seu humana natura non sunt idem realiter, & à parte rei.

V. *Scotus subsistentiam ait consistere in negatione.*

Vidit has difficultates acutissimus noster Scotus quare aliam philosophandi rationem instituit. Ait ergo subsistentiam necessariò aliquid superaddere naturæ, & non esse idem hominem & humanitatem id tamen quod subsistentia superaddit naturæ docet non esse quid positiuum, sed solum negatiuum. In 3. itaque d. 1. qu. 1. ait Scotus suppositum superaddere naturæ duplicem negationẽ, alteram aptitudinalis dependentiæ, seu quod ex naturâ suâ petat non dependere ab alio tanquam à supposito, alteram actualis dependentiæ, & consequenter ait humanitatem Christi, licèt vnita Verbo retineat adhuc negationem aptitudinalis dependentiæ, perdere tamen negationem actualis, cũ actu pendeat à Verbo, cui vnitur, & consequenter amittit propriam subsistentiam: & hoc modo inquit saluantur difficultates contra opinionem Durandi iam propositæ. Scotum hac in parte sequitur tota penè illius schola.

VI. *Ostenditur subsistentiã non consistere in duplici illâ negatione.*

Hæc sententia, quamuis plausibilis, si tamen duas has negationes penitiùs intueamur, non videtur vsquequaque vera. Et primò, negatio illa aptitudinalis dependentiæ non magis videtur esse negatio quàm differentia *irrationalis*, quæ licèt negationem sonet re tamen verá negatio non est, sed differentia positiua: sic negatio hæc aptitudinalis dependentiæ nil aliud est quàm ipsa entitas cuiusque naturæ habentis positiuam ineptitudinem & repugnantiam naturalem vt vniatur alteri tanquam supposito, ergo nil opus negatione superadditâ, sed hæc positiua repugnantia & ineptitudo sufficit. Deinde inquiro cuius

rei

rei sit hæc negatio? Dices, aptitudinis naturalis ad dependendum ab altero tanquam à supposito. Contrà, hæc aptitudo est impossibilis; ergo negatio hæc est negatio rei impossibilis & chimæræ, vt in simili ostendi in Log. d. 19. s. 2. de negatione identitatis dũ de distinctionibus. Ac proinde non video cur ponãt huiusmodi negationem de conceptu subsistentiæ, vel suppositi.

VII. *Si subsistentia sit negatio actualis dependentiæ, inanes forent definitiones Conciliorũ.* Contra secundam etiam negationem, nempe actualis dependentiæ est, nam iuxta hunc modum philosophandi redduntur ridiculæ definitiones Cõciliorum, dum enim definiunt Concilia contra Nestorium, & illius sequaces Hæreticos asserentes fuisse in Christo duas Personas, sicut sunt duæ naturæ, dum, inquam, definiunt humanitatem per assumptionem & vnionem ad Verbum amisisse propriam subsistentiam; sensus huius definitionis foret humanitatem vnitam Verbo, seu habentem vnionem ad Verbum non mansisse deunitam, & sine vnione ad Verbum, quod vt constat, est ridiculum. Nec sanè ad veritatem hanc declarandam opus erat tantâ deliberatione, & conuocatione Concilij, cùm nullus, vt velit, hoc ire inficias possit, nec vllus vnquam fuit hæreticus tam stupidus, qui, si subsistere subsistentiâ propriâ sit non vniri alteri, possit affirmare humanã naturam Christi retinere subsistentiam propriam, cùm implicet esse simul vnitam alteri, & non esse alteri vnitam. ergo aliud intelligunt omnes per subsistere subsistentiâ propriâ, quàm non vniri alteri. Magis impugnabitur hæc sententia sec. sequente in probatione nostra.

SECTIO III.

Subsistentia non consistit in negatiuo, sed positiuo.

I. *Subsistentia superaddit naturæ aliquid positiuũ.* Dicendum, subsistentiam superaddere naturæ aliquid non negatiuum sed positiuum. Hæc sententia, inquit, P. Ouiedo, exceptis auctoribus citatis est communis omnium doctorum. Eam tenet Banez 1 p. q. 3. a. 2. d. 1. Capreol. 3. p. q. 4. a. 2. d. 4. concl. 2. asserens eam esse communem Thomistarum; Suarez d. 34. Met. s. 2 n. 20. Vasq. to. 1. in 3 p. d. 31. c. 6 asserens esse conformem modo loquendi S. Thomæ 3. p. q. 2 a. 2. & 1. p. q. 3. a 3. Valent. to. 4. d. 1. q. 4. punc. 2. Albertin. de prædic. substantiæ c. 3. q. 7. Hurt. hic d. 11. s. 3. Arriaga hic d. 4 s. 11. n 90. Ouiedo hic cont. 6. p. 2. n. 6 & alij. Imò eousque procedunt aliqui, præsertim Suarez & Valentia, vt sententiam suprà dictam de subsistentiâ consistente in negatione, non penitus à censurâ immunem iudicent.

II. *Ratio est, quia persona aliàs esset vnum per accidens.* Hanc conclusionem fatentur omnes naturali ratione conuinci non posse, cùm subsistentia solâ fide nobis innotescat: præter dicta tamen sectione præcedente suadetur primò, quia subsistentia secundùm omnes est complementum & perfectio naturæ, hoc autem sonat aliquid positiuum. Secundò, quia aliàs qui suppositum seu persona in creatis esset Ens per accidens, ex negatione enim & Ente positiuo non constituitur vnum per se.

III. *Subsistentia diuina consistit in positiuo. ergo & humana.* Tertiò à paritate rationis ex subsistentiâ increatâ personalitates namque in Diuinis sunt quid positiuum, nec enim Personæ Diuinæ constituuntur negationibus, cùm Verbum Diuinum assumens naturam humanam, verè eam sibi vniuerit, ergo natura humana nõ vnitur tantùm negationi realiter à Verbo distinctæ, ergo à paritate rationis in creatis idẽ continget, & sicut natura Diuina subsistit, & redditur incommunicabilis per aliquid positiuum distinctum virtualiter, ita natura humana redderetur incõmunicabilis per aliquid positiuum distinctum realiter; quæ enim est maior ratio, præsertim cùm fundamentum quod habemus ad subsistentiam astruendam desumatur ex Diuinis, & subsistentia creata sit participatio subsistentiæ diuinæ, vnde & eadem definitio ista omnes conuenit personæ creatæ & increatæ, nempe quod sit *rationalis naturæ indiuidua substantia.*

IV. *Dicunt Patres non asserunt subsistentiam consistere in positiuo. Contrà, nec dicunt consistere in negatiuo.* Obicies primò: Nullum est fundamentum in scripturâ aut Patribus ad statuendum subsistentiam in positiuo, ergo malè eam statuimus in positiuo. Contrà nullum etiam est fundamentum in scripturâ aut Patribus ad illam statuendam in negatiuo, ergo similiter malè statuitur in negatiuo. Resp. ergo ex Concilijs & Patribus ratione mysterij Incarnationis solùm haberi, debere dari aliquam subsistentiam; in quo verò consistat, in positiuo scilicet an negatiuo Patres non disputant, sed Philosophis, quorum interest, disquirendum relinquunt. Nos ergo ob argumenta, tum hæc, tum præcedente sec. allata, eam statuimus in positiuo tanquam quid rationibus philosophicis conformius, multoque, meo iudicio, clarius hac in re procedimus, quàm ij, qui eam negationibus inuoluunt.

V. *Ex Conciliis deducitur subsistentiam consistere in positiuo.* Addo tamen non leue ex Conciliis ad hoc desumi fundamentum, nec enim, vt dixi sec. præcedente n. 7. opus erat conuocare Generale Concilium ad probandum humanam naturam habentem vnionem ad Verbum non carere hac vnione, seu solem habẽtem lucem non habere priuationem lucis. Quid, inquam, opus hac in re definitione Concilij, cùm res æquè clara sit, ac solem meridie lucere.

VI. *Non saluatur conceptus subsistentiæ in negatione.* Obicies secundò saluatur sufficienter conceptus subsistentiæ per negationem, ergo nõ est opus quidquam ibi statuere positiuum superadditum. Resp. negando antecedens, tum quia subsistentia creata est participatio diuinæ, quæ est quid positiuum: tum quia subsistentia est complementum quoddam, ornatus, & perfectio naturæ, tum ob alias rationes & in impugnatione prioris sententiæ suprà sect. præcedente, & hîc in probatione nostrâ positas.

VII. *Obiectio sequi subsistentiam fuisse à Verbo assumptã.* Obicies tertiò: humanitas Christi assumpta fuit à Verbo cum omni entitate positiuâ, quæ ipsi naturâ suâ debebatur: vnde S. Damascenus l. 3 c. 6. ait *Verbum assumpsisse omnem rem, quam in humana naturâ plantauerat*, ergo quæcunque in ipsâ est entitas positiuâ debebat assumi, alioqui omnem rem in ea existentem non assumpsisset. Contrà, etiam Concilium Trid. ses. 13. can. 2 definit substantiam panis destrui manentibus panis speciebus, seu accidentibus, & tamen certum est non manere vbicationem panis & durationem. *Ostenditur hoc non sequi.* Sicut ergo hîc intelligi debes conciliũ de accidentibus tantùm absolutis, ita ibi intelligi potest S. Damascenus de omni re quam plantauerat in naturâ seu essentiâ, id est, de omni re quæ intrinsecè constituit essentiam, totam scilicet humanitatem quod conforme est alijs Patribus, & Theologis dicentibus Verbum assumpsisse humanitatem, non hominem.

VIII. *Non sequitur humanitatem Christi esse in statu violento.* Obicies quartò, si subsistentia sit quid positiuum humanitas Christi iam vnita Verbo, est in statu violento, vtpote naturali sua perfectione orbata. Resp. negando sequelam, tunc enim solùm aliquid est in statu violento ex ablatione alicuius perfectionis naturalis, quando aliunde non suppletur per aliquid æqualis, vel maioris perfectionis, priori loco datum: hîc autem infinities perfectiùs subsistit humana natura per subsistentiam Verbi, quàm subsisteret per propriam.

IX. *Angeli etiã habent subsistentiam superadditam.* Hinc infero non solùm subsistentiam hominis distingui ab illius naturâ, sed subsistentiam etiam rerum irrationalium, vtpote quæ non sunt magis simplices sub hac ratione quàm homo. Angelos etiam

iam habere subsistentiam distinctam videtur probabilius, tunc argumento ducto ab homine & animâ rationali, quæ in triduo mortis mansit vnita hypostaticè Verbo: tum quia sicut non potest creaturæ esse sua operatio, ita nec sua subsistentia, vt ait S. Tho. hæc enim simplicitas videtur peculiaris Deo: tũ demũ suadetur ex loco illo S. Pauli ad Hebræos c.2.v.16. vbi de Deo ait *Nusquam apprehendit Angelos, sed semen Abrahæ*, hoc est vt communiter exponitur, non sibi vnivit hypostaticè naturam Angelicam, sed humanam: qui locus probabiliter suadet intentum.

SECTIO IV.

Quis sit effectus formalis subsistentiæ.

I. NVllibi maior vel opinionum diuersitas, vel cõfusio, quàm in hàc quæstione, ita vt vix quidquã certi sit in quo pedem figere possimus, quod ex huius rei obscuritate prouenit, vtpote, quæ ex solâ fide innotescit, natura quippe nullum præbet illius indicium.

II. Prima ergo est nonnullorum opinio effectũ formalem subsistentiæ in hoc consistere, vt reddat naturam quam afficit independentem à subiecto sustentationis. Sed contrà primò, formæ materiales, vt posteà videbimus sec.9.n.7. habent suam subsistẽtiam, & sanguis fuit assumptus à Verbo (licèt secundùm probabilem sententiam non viuat saltem animâ rationali) quod etiam de vnguibus & capillis verum est, nullus tamen dicit has formas in corpore Christi creari. Contrà secundò, Angelus est essentialiter independens à subiecto, ergo non est cur ad hoc indigeat subsistentiâ distinctâ. Tertiò, ipsa subsistentia educitur ex potentiâ alicuius subiecti, ergo non dat subiecto suo denominationem, & effectum formalem independentis à subiecto sustentationis: sicut propterea non potest generatio reddere terminum suum independentem à subiecto. Quartò, quia iam idem est effectus formalis subsistentiæ, & creationis, quod nullus concedet.

1. sent. dicit effectum subsistentiæ esse reddere rem independentem à subiecto.

Contrà, ipsa subsistentia educitur ex potentia subiecti.

III. Secunda aliorum sententia est, qui cum P. Vasquez affirmant effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam in se sistentem. Sed contrà, nam per naturam in se sistere, vel intelligunt non posse eam communicari alteri naturæ, vel non posse cõmunicari alteri supposito: non primum, natura enim quæuis, Angelica ex.gr. est ex naturâ suâ sistens in se hoc sensu, id est, non communicabilis seu non vnibilis alteri naturæ, nec enim vniri potest natura Angelica humanæ, nec humana equinæ, aut leoninæ, ergo ad hoc non indiget aliquo distincto. Nec etiã secundum, nempe reddere naturam incommunicabilem alteri supposito, seu naturæ subsistenti, nil enim vetat naturam terminatam vnâ subsistentiâ terminari aliâ, siue propria, siue alienâ vt ostendemus sec. sexta.

2. sent. vult effectum subsistentiæ esse reddere naturam in se sistentem.

Reiicitur.

IV. Tertiò dicunt aliqui effectum formalem subsistentiæ esse reddere rem ita per se existentẽ, vt non sit in alio, tanquam in composito quod constituit. Sed contrà primò, ergo non est cur Angelus habeat subsistentiam, cùm non egeat aliquo per quod reddatur ita per se existens, vt non possit esse in alio tanquam in composito, ex naturâ enim sua non potest constituere compositum, nec ad hoc vllam dicit aptitudinem, sicut dicunt materia & forma, sed positiuam repugnantiam. Contrà secundò, idem argumentum à fortiori vrget in Deo, vnde nullam habere deberet subsistentiam. Contrà tertiò, anima rationalis etiam vnita corpori subsistit, sicut & materia, imò & omnes formæ materiales, ergo effectus formalis subsistentiæ non est ita reddere rem per se existentem, vt non sit in alio tanquam in composito.

3. sent. ait effectum subsistentiæ esse impedire ne res sit in alio tanquam in composito.

Variè refellitur hæc sententia.

V. Contrà quartò, nam singulæ partes singuli palmi v.g. aquæ in mari vel fluuio habent suam subsistentiam & tamen vniuntur aliis partibus, ergo subsistentia non reddit aliquid incommunicabile alteri tanquam composito. Dicere autem, vt nonnulli aiunt, quando gutta aquæ, vt in pluuiâ vnitur mari perire semper totam subsistentiam & guttæ illius & maris, videtur omninò gratis dictum, nulla enim huius rei assignari ratio potest, nisi petendo principium. Deinde non soluit difficultatem, adhuc enim pars illa vnita habet subsistentiam, & tamen est in composito, ergo effectus subsistẽtiæ non est reddere rem incommunicabilem alteri tãquam composito.

Refutatur ulterius ex composito integrali.

VI. Nec dici potest effectum formalem subsistentiæ non esse reddere rem incommunicabilẽ composito integrali, sed tantùm substantiali, ac proinde sermonem non esse de parte integrali, sed substantiali; materia scilicet & forma: Contra enim est, idem namque formari potest argumentum in iis, nec videtur cur anima rationalis quando denuò vnitur materiæ, perdat priorem subsistentiam. Deinde anima vnita subsistit saltem per subsistentiam totius, & tamen est in composito, ergo. Quod si dicas animam, dum est in hoc composito non posse vniri alteri, sic nec potest, licet non haberet subsistentiam. Tandem, subsistere secundùm hos auctores est in se & per se sistere, sed non minus huic conceptui obest quod communicetur composito integrali, quàm substantiali, ergo.

Idem ostenditur in composito substantiali.

SECTIO V.

Reiicitur quartus modus explicandi effectum formalem subsistentiæ, & resoluitur quæstio.

I. QVartò affirmant alij effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam incommunicabilem alteri tanquam supposito, id est, tollere illius indifferentiam in ordine ad alia supposita & subsistentias alienas, vt scilicet non possit, dum habet hanc, ab iis terminari. Contrà, non est cur isti detur quidquam ad tollendam indifferentiam, vbi nulla est, sed non habet natura indifferentiam vt vniatur alteri supposito, aqua ver.gr. vt vniatur igni, vel homo angelo, aut illius subsistentiæ, ergo &c.

4. sent. est subsistentiã reddere rem incommunicabilem alteri tanquã supposito.

Reiicitur.

II. Dices; tolli saltem indifferentiam, quàm subiectum habet ad aliam ex propriis subsistentiis & hũc esse effectum formalem subsistentiæ. Contrà, hic enim non est peculiaris effectus formalis vllius formæ, sed quasi effectus transcendens omnium, sic enim dicere quis posset effectum formalem caloris vt vnum, vel vt octo, esse tollere indifferentiã subiecti ad alium calorem vt vnum, vel vt octo, cum ista duo simul eiusdem rationis in eodem subiecto naturaliter non possint, & sic de aliis qualitatibus absolutis. Idem est in vbicatione, & formis respectiuis dicere enim quis eodem modo posset effectum formalem vbicationis esse tollere indifferentiam subiecti ad aliam vbicationem in eodem loco, cùm plures ibi sint possibiles, sed simul incompossibiles. Sicut ergo nullus ad hanc solummodò indifferentiam tollendam assignat formam aliquam, nisi alius quispiam sit illius finis, vt in vbicatione determinare ad hoc spatium, potiùs quàm ad illud &c. ita nec in subsistentia hoc solum sufficit ad effectum illius formalem.

Nec dici potest tollere indifferentiã ad aliam ex subsistentiis propriis.

III. Dices secundò; non addi subsistentiam, vt tollat naturalem indifferentiam in ordine ad alienum suppositum, vbi enim non est naturalis indifferentia, vt

Dices subsistentiam tolli in assumptâ ad habendum aliâ subsistentiâ supernaturaliter.

dictum est suprà in impugnatione huius sententiæ, non est cur tollatur, sicut si Petrus non posset esse nisi in vno loco, non est cur daretur ei vbicatio distincta, nec cur detur oculo qualitas, quæ ipsum impediat à receptione auditionis. Datur ergo subsistentia vt impediat quominùs natura, non naturaliter, sed supernaturaliter vniatur alteri supposito. Contrà primò, posteà enim videbimus verum natura habens propriam subsistentiam non possit diuinitùs terminari simul alienâ. Contrà secundò & præcipuè, subsistentia enim est connaturalis proprietas, connaturaliter naturæ debita, ergo ex primario suo conceptu dicere solùm debet ordinem ad res intra ambitum causarum naturalium, nec respicit primariò Deum vt auctorem supernaturalem: quæuis enim forma naturalis habet effectum naturalem sibi proportionatum, & respicit directè solas naturæ leges, nec peculiari modo respicere potest ordinem supernaturalem, saltem tanquam præcipuum quasi suum intentum, quod tamen hic contingeret.

Resp. subsistentiam primariò respicere res intra ambitum naturæ.

IV. *Effectus formalis subsistentiæ est, vt sit vltimus terminus naturæ.*

Dicendum ergo, munus & effectum formalem subsistentiæ esse vt sit vltimus terminus & complementum naturæ. Hoc probatur primò ex sanctissimâ Trinitate, vbi tres illæ subsistentiæ ideò reperiuntur, vt vltimò terminent, & compleant naturam Diuinam, ergo & in creatis simile quid debet reperiri, præsertim cùm, vt dixi, totum fundamentum quod habemus ad astruendam huiusmodi subsistentiam, desumatur ex fide. Non tamen est propterea necessarium, vt quæuis natura habeat tres subsistentias, sicut habet diuina: ibi enim duplex munus habet subsistentia, vt compleat scilicet, & vt personas distinguat; at in creatis non est cur habeat hoc secundum, cùm ipsæ naturæ distinguantur per se, quod non contingit in diuinis, eadem enim est natura omnium trium Personarum.

V. *Secundo ex eo probatur, quod res aliæ habeant sua complementa.*

Secundò probatur: nam in probabili sententiâ res quæuis continua habet sua puncta terminatiua: res item omnes habent sua complementa accidentalia, per quæ compleantur, saltem imperfecto quodam modo, vt flos colorem & odorem, lac dulcedinem, sol lucem &c. eâdem ergo ratione & substantiæ debitum est complementum aliquod substantiale, ei proportionatum, per quod compleatur, & perficiatur intrinsecè in ratione existendi completè.

VI. *Nec hinc sequitur debere subsistentiam in creatis operari simul cum naturâ physicè.*

Dices; ergo subsistentia debet vnà cum substantiâ operari & physicè producere actiones, hoc enim præstant subsistentiæ Diuinæ in Patre & Filio. Resp. negando consequentiam, ratio enim cur in Diuinis subsistentia sit comprincipium, saltem partiale productiuum in Patre & Filio est, quia principium producens debet saltem inadæquatè, distingui à termino producto, cùm nihil possit primò producere se: in Diuinis autem *nulla est distinctio, vbi non est relatiua per productionem oppositio.* Cùm itaque, vt dixi, naturæ in creatis distinguantur realiter, nil opus vt subsistentia ad hoc sit principium partialiter influens & producens. Hæ rationes in re tam obscura sufficiunt ad probandum effectum formalem subsistentiæ, quam cùm constet ex fide dari, & non appareat quis aptior assignetur illi effectus, satis congruè assignatur iste, vt his argumentis valdè probabiliter suadetur.

SECTIO IV.

Possitnè natura aliqua terminari duplici subsistentiâ.

I. *Supponitur posse subsistentiam vnius naturæ alteri naturæ vniri.*

Supponimus pro præsenti (de quo disputabitur sec. 8.) posse subsistentiam vnius naturæ vniri alteri, non numero tantum, sed etiam specie distinctæ, nempe non solùm posse subsistentiam Petri vniri Paulo, sed etiam subsistentiam Michaelis posse vniri Gabrieli, specie à Michaele distincto, subsistentiã Angeli posse vniri naturæ humanæ &c. Et certum est posse subsistentiam Diuinam vniri naturæ humanæ, cùm de facto assumpta sit à Verbo.

II. *1. sent. est posse naturam terminari duplici propria subsistentia non duplici aliena.*

Prima sententia negat posse naturam terminatã propriâ subsistentiâ simul terminari alterâ, saltem alienâ, licèt nonnulli ex his auctoribus non negent posse simul terminari duplici propriâ. Vnde affirmat hæc sententia, si Persona aliqua Diuina assumeret naturam humanam aut Angelicam, quæ priùs extitisset terminata propriâ subsistentiâ, debere hanc necessariò destrui, nec posse per Diuinam potentiã contrarium contingere: ita Scotus in 3. d. 1. q. 2. §. *Ad Quæstionem* igitur, Durandus in 1. q. 3 ad 2 Capreol. in 3. d. 1. Caiet. 3. P. q 3. a. 6. Henric quodl. 6. q. 7. Suarez 3. p. d. 14. s. 1. Vasquez 3. p. d. 29. c. 2. n. 6. & alij.

III. *Secunda sententia.*

Secunda sententia vniuersim asserit posse naturã habentem propriam subsistentiam simul terminari alienâ; ita P. Hurt d. 11. Met. s. 7. P. Arriaga hic d. 4. s. 13. n. 118. P. Ouiedo hic cont. 6. p. 8. n. octauo, & alij.

IV. *Potest naturæ simul habere duas subsistentias proprias.*

Prima Conclusio: Potest natura aliqua supernaturaliter simul terminari duplici subsistentiâ propriâ. Ita auctores secundæ sententiæ, Suarez etiam 3. p. d. 14. s. 1. fine, & Vasq. 3. p. d. 29. c. 2. nu. sexto ratio est, quia non solùm nulla huius rei appatet implicantia, sed à paritate aliarum rerum videtur valdè probabiliter suaderi. sic enim d. 18. Phy. s. 5. ostendi posse dari duplicem actionẽ totalem: & communis sententia affirmat posse duas formas substãtiales homogeneas, duas scilicet formas ignis numero tantùm distinctas esse simul in eadem parte materiæ, & alia huiusmodi.

V. *Potest naturæ habere simul duas subsistentias alienas.*

Secunda conclusio: potest etiam eadem natura simul terminari duabus, aut pluribus subsistentijs alienis. Ita præter auctores n. 3. citatos sentit Vasquez d. illa 29. n. 6. & alij. Ratio est, quia posito quod subsistentia aliena possit terminare aliam naturam, de quo postea, nulla specialis hac in re est difficultas maior, quàm quod natura simul terminetur à duabus subsistentijs proprijs, & admittunt omnes, qui docent posse eandem numero naturam simul à tribus Diuinis Personis assumi, quod docet inprimis S. Thomas 3. p. q. 3. corp. Alensis 3. p. q. 2. memb. 4. D. Bonau. in 3. d. 1. q. 3 Gab. in 3. d. 1. q. 1. a. 3. dub. 3. Okam in 3. d. 1. q. 1. a. 3. Henr. quodl. 6. q. 7. Capreol. in 3. d. 1. q. 1. a. 1. & alij plurimi. Tota ergo difficultas eò deuoluitur, an scilicet possit eadem natura simul propria & aliena subsistentia terminari.

VI. *Potest naturæ terminari simul subsistentiâ propriâ, & alienâ.*

Tertia conclusio. potest natura aliqua terminata propria subsistentia simul terminari aliena. Est contra auctores primæ sententiæ, eam tamen tenent auctores secundæ. Ratio est primò, nulla enim huius rei assignari potest vrgens implicantia, vt constabit ex solutione argumentorum sec. sequente. Conf. communis sententia affirmat, nec abnuunt plerique ex aduersariis, posse eandem naturam humanam, aut Angelicam à tribus Diuinis Personis simul assumi, ergo & existens in propria subsistentia poterit ab vnâ ex Personis Diuinis assumi. Hanc consequentiã acutissimus Scotus ait negari non posse, qua de causâ negat ipse antecedens: contraria tamen sententia, vt dixi, est communis.

SECTIO VII.

Argumenta contendentia non posse naturam aliquam terminari simul subsistentiâ propriâ & alienâ.

I. *Natura non est per se per alienam subsistentiam, quàm per propriam.*

OBiicies primò, cum P. Suarez citato, & ex parte idem affirmat Vasquez: non potest eadem natura simul esse per se, & esse in alio, hæc enim non minùs sunt effectus contradictorij, quàm rectum & curuum, generari & creari respectu eiusdem rei. Resp. negando suppositum, nempe naturam terminatam alienâ subsistentiâ, non verè esse per se per illam; idem enim est effectus formalis primarius omnis subsistentiæ, vnde non minus est per se humanitas Christi modò per subsistentiam Verbi, quàm esset per propriam, cùm Verbum non det alium effectum formalem, vel quasi formalem, quàm daret subsistentia creata cuius locum supplet.

II. *Quo sensu esse per se, & esse in alio non sint opposita.*

Si autem per esse in alio intelligant terminari alienâ subsistentiâ concedi potest naturam illam esse in alio, hic tamen effectus non contradicit priori, sed habet natura eundem effectum à diuersis formis, cũ omnes subsistentiæ in hoc conueniant quod tribuũt naturis quas afficiunt, esse per se. Esse ergo per se, & esse in alio hoc sensu non sunt contradictoria, si proueniant à diuersis formis, vnde sicut potest idem corpus per diuersas vbicationes esse simul distans & propinquum respectu alicuius termini, ita & esse per se & esse in alio. Quod etiam verum est à fortiori de generatione & creatione, posse scilicet rem eandem simul per diuersas actiones generari & creari, vt ostendi in phys. d. 4. t. 1. 2. n. sect. 10. Aliud est de rectitudine & curuitate cùm rectitudo dicat locationem corporis in tali spatio, & negationem alterius locationis, quam dicit curuitas.

Aliud est de rectitudine, & curuitate.

III. *Clarè refellitur Nestorius.*

Obiicies secundò cum eodem Suarez: Patres ex vera & substantiali vnione Verbi ad humanitatem colligunt hanc non habere propriam subsistentiam, & inde refutant Nestorium. Resp. bene colligi ex vnione ad subsistentiam Verbi tolli propriam, cùm ex naturâ rei debeat desinere, Patres autem solùm loquuntur de facto, ex quo abundè refellitur Nestorius, nec quæsiuerunt, quid de potentia absolutâ contingere potuisset.

IV. *Si natura vniretur pluribus subsistentiis, fieret vnũ per se cum omnibus.*

Vrgebis aliquos ex Patribus asserere, si essent in Christo duæ Personæ fore vnionem tantùm accidentalem. Contrà primò, tres Personalitates Diuinæ terminant eandem naturam Diuinam, cum qua tamen non constituunt vnum per accidens, quia non terminant se inuicem, ergo si ita vniatur personalitas Verbi humanitati habenti propriam subsistentiam, vt non vniatur subsistentiæ, non necessariò facit cum eà vnum per accidens. Quod etiam videtur clarum in sententiâ aduersariorum dicentium posse eandem naturam creatam assumi à tribus Personis Diuinis, cum quibus tamen non constitueret vnum per accidens.

V. *Solum volunt Patres fieri vnum per accidens, quando vna subsistentia vniretur alteri subsistentiæ.*

Patres ergo dicunt vnionem tunc fore accidentalem, quando personalitas noua adueniret naturæ vt terminatæ propriâ subsistentiâ, seu quando vniretur ipsi subsistentiæ, cum qua nullam habet proportionem ad faciendum vnum per se. Hanc esse mentem Patrum apertè colligitur ex Cõcilio Ephesino can. 13. vbi dicitur Verbum non esse factũ hominem solà assumptione personæ, seu naturæ terminatæ subsistentiâ: Quod si factum fuisset, inquiunt Patres, vnio non fuisset substantialis sed per accidens: sicut si forma ligni vniretur materiæ ferri vt informatæ formâ ferri, faceret vnum per accidens, sic enim vniretur formæ ferri: simpliciter tamen non est necessarium vt vniatur hoc modo, sed vniri immediatè poterit materiæ, etiam informatæ formâ ferri, & tunc, non obstante hac formâ, fieret vnum per se.

VI. *Secunda subsistentia solùm terminaretur ad naturam subsistentẽ specificatiuè.*

Obiicies tertiò cum Caietano & aliis: necessariò debere in hoc casu Verbum terminari ad Personã quà personam, persona enim nihil aliud est quàm natura terminata subsistentiâ, ergo. Conf. actiones & passiones sunt suppositorum, ergo secunda subsistentia adueniet naturæ vt subsistenti. Contrà. Pater æternus potest assumere naturam humanam terminatam subsistentiâ Verbi, & facere vnum per se cũ illâ, ergo tunc non assumeret personam. Contrà secundò, potest secundùm omnes fermè natura terminata propriâ subsistentiâ terminari aliâ propriâ, quæ tamen non accederet personæ formaliter, nec vnum per accidens, sed per se cum natura illâ constitueret.

VII. *Aliæ actiones sunt suppositorum ab illa quæ est productio subsistentiæ.*

Ad argumentum ergo & confirmationem resp. licèt actiones & passiones sint suppositorum, hoc tamen intelligi debere de aliis actionibus & passionibus præter productionem vel vnionem subsistentiæ, sicut enim prima vnio vel eductio subsistentiæ non est suppositi, seu naturæ subsistentis; ita nec reliquæ, siue subsistentiæ illæ sint propriæ, siue alienæ: sicut etiam licèt aliæ operationes sint corporis vbicati, nõ tamen productio vbicationis. Ratio est, quia aliæ actiones & passiones supponunt rem subsistentem, ita vt connaturaliter prius subsistere debeat, quàm vllo modo agat, vna autem subsistentia non supponit aliam, imo connaturaliter expellit, ergo subsistentiæ omnes respiciunt naturam disparatè & secundùm se, non vt subsistentem.

VIII. *Quo sensu sit subordinatio inter subsistentiã propriam & alienam.*

Dices; quando eandem naturam terminat subsistẽtia propria & aliena, propria habet magis intrinsecam connexionem cum illâ naturâ, ergo est quædam inter illas subordinatio. Distinguo consequens est quædam subordinatio, hoc est, vna magis connaturaliter debetur quàm alia, concedo; ita vt aliena subsistentia supponat propriam, nego: sicut, si idem corpus esset in eodem loco circumscriptiuè & definitiuè, licèt circumscriptiua vbicatio sit magis connaturaliter debita quàm definitiua, non tamen esset ea subordinatio, vt hæc supponeret illam. Et clarius si in materiam dispositam per calorem vt octo inducatur simul forma ignis & aquæ, licèt illa magis cõnaturaliter materiæ illi secundæ, vt loquuntur philosophi, debeatur, forma tamen aquæ non illam præsupponit, nec facit vnum per accidens cum illâ materia, estò in sensu dicto prius sit in illâ forma ignis, hoc est magis connaturaliter.

Explicatur exemplo formæ ignis & aquæ in eandem materiam simul inductæ.

IX. *Vltimò completum reduplicatiuè non potest vlterius cõpleri, potest compleri non specificatiuè.*

Obiicies quartò: implicat vltimum vlteriùs terminari, ergo implicat vltimò completum substantialiter vlteriùs compleri substantialiter. Contrà primò, natura creata terminata vnâ subsistentiâ diuina, & completa vltimò substantialiter ab illa potest assumi ab alia. Contrà secundò, natura habens vnam subsistentiam propriam potest iuxta hos auctores habere simul aliam propriam. Quod idẽ est de materia completa per vnam formam, ergo & natura completa substantialiter per vnam subsistentiã poterit adhuc compleri per aliam. Distinguo itaque antecedens, implicat vltimum reduplicatiuè, seu quà vltimum vlterius compleri, concedo antecedens; specificatiuè nego, vt exemplis iam positis ostensũ est. Verum est quidẽ quando natura est completa vltimò per aliquam formam, non posse dari aliã quæ connaturaliter petat hac stante illam informare, sic enim esset completa vltimò, & non esset.

X.

Obiicies quintò: posito quod natura humana terminaretur simul propria subsistentia & diuina, *Hic*

homo

Obj. Hic Homo significaret suppositum humanum.

homo non significaret suppositum Diuinum, sed humanum tanquam magis connaturale: sicut si in Eucharistia maneret substantia panis, particula *hoc* illam demonstraret, non corpus Christi, vt docent Theologi, quia substantia panis est accidentibus illis connaturalis.

XI. *Resp. Hic Homo tunc primariò significaret suppositū humanum, secundariò Diuinum.*

Resp. concedendo in eo casu verba *hic homo* in maximè proprio sensu non significatura suppositum diuinum, sed humanum, vtpote quod humanitati maximè est connaturale. Addo tamen cum *Homo*, saltem secundariò significet quoduis suppositum in naturâ humanâ, posse *hic homo* secundariò significare suppositum Diuinum vt vnitum naturæ humanæ: verè enim in eo casu Verbum non minùs esset homo, quam modo. Vnde hæ & similes propositiones tunc essent veræ *Hic homo est Deus, hic homo creauit cælos* &c. si *hic homo* sumatur cum aliquâ reduplicatione, nempe in secundaria acceptione, vt scilicet significat suppositum Diuinum vnitum naturæ humanæ.

SECTIO VIII.

Vtrum subsistentia creata vniri hypostaticè possit alteri naturæ.

I. *Status quæstionis.*

QVod aliis verbis proponi à nonnullis solet, vtrum subsistentia creata possit alienam naturā terminare, eique effectum suum formalem tribuere (supponimus autem pro præsenti subsistentiam nō esse modum, sed rem absolutam. Quid verò dicendum sit, si sit modus, dicetur postea.

II. *1. Sent. negat posse subsistentiam creatam vniri alteri naturæ.*

Prima sententia negat posse subsistentiam creatā terminare alienam naturam: ita Card. Lugo d. 12. de Incarn. sect. 7. num. 88. Durandus in 3. d. 1. q. 5. Valētia 3. p. d. 1. q. 3. p. 5. §. *Si priori.* de persona, seu subsistentiis, quæ de facto sunt creatæ, licèt §. *Si autem.* concedat possibilem esse subsistentiam creatam, quæ terminet alienam naturam. Vasquez 3. p. d. 25. cap. 2. n. 12 & c. 3. per totum. Ratio vnica est quòd non detur in rebus creatis huiusmodi lata obedientialis potentia passiua, vt vel natura creata in se recipiat alienam subsistentiam creatam, vel hæc eam terminet.

III. *Posse subsistentia creata terminare alienam naturam.*

Prima Conclusio: probabilius existimo posse subsistentiam creatam terminare alienam naturam, eique effectum suum primariū tribuere. Ita Okamus in 3. q. 1. dub. vltimo. & Nominales communiter, Albertinus Prædicam. substantiæ coroll. 7. Valentia citatus n. præcedente de subsistentiâ possibili. P. Hurt. hic d. 11. s. 8. nu. 102. P. Arria. hîc d. 4. s. 13. nu. 103. & ex recentioribus non pauci.

IV. *Probatur à paritate aliarum rerum.*

Ratio est, si enim subsistentia creata non sit modus, nulla apparet implicantia cur communicari alteri naturæ non possit, idque non numero tantùm, vt est subsistentia Petri respectu naturæ Pauli, sed etiam specie distinctæ. Conf. videmus alias res absolutas posse naturaliter deseruire diuersis substantiis, vt eandem quantitatem diuersis formis substantialibus, idem etiam calor, qui fuit in ligno, postea est in igne & sic de aliis: quidni ergo idem contingere possit in subsistentiis, supernaturaliter.

V. *Natura humana habet capacitatem ad vnionem Hypostaticam, ergo ad subsistentiam Angelicam.*

Secundò probatur: maior est improportio inter naturam humanam & vnionem hypostaticam, quā inter eandem naturam humanam & subsistentiam Angelicam, ergo si in naturâ humanâ, vt omnes fateri debent, sit potentia obedientialis ad vnionem hypostaticam, à fortiori erit ad subsistentiam creatam. Conf. ex potentiâ obedientiali passiuâ animæ ad vnionem hypostaticam colligunt Theologi potentiam & capacitatem in formâ cadaueris, & aliis formis materialibus ad eandem, quidni ergo similiter ex potentia in eâdem animâ ad hanc vnionem licebit colligere potentiam ad habendum diuinitùs alias subsistentias?

VI. *Non est nimia perfectio in subsistentiâ creatâ posse terminare alienam naturam.*

Nec etiam ex parte subsistentiæ creatæ est repugnantia, cùm non arguat nimiam in eâ perfectionē, quod sustentet alienam naturam: primò quia sustentare hic non est aliud, quā terminare. Deinde quia hoc facit virtute Diuinâ, sicut corpus eâdem virtute poni potest in duobus locis. In Verbo autem arguit perfectionem posse terminare naturas creatas, quod id præstet naturaliter, ac proinde sicut arguit perfectionem in Deo posse naturaliter supplere defectus causarum creatarum efficientium, ita & posse eodē modo supplere creatas subsistētias. Et per hoc soluitur præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ, quod deducebatur ex nimiâ perfectione quæ foret in subsistentiâ creatâ, si eleuari posset ad alienam naturam terminandam.

VII. *In iis, quæ supra naturam fiunt, non expectatur semper peculiaris vtilitas.*

Dices; nullum sequitur bonum vniuerso, sed potiùs confusio ex eo quod concedatur subsistentiis creatis posse terminare alienas naturas. Resp. in iis quæ purè fiunt per potentiam obedientialem, nullam expectandā esse peculiarem vtilitatem vniuersi, sed sufficere ostensionem virtutis Diuinæ, vt constat in mille exemplis. Quæ enim vtilitas vniuerso quod natura creata simul terminari possit pluribus subsistentiis propriis; quòd calor & frigus vt octo possint simul esse in eodem subiecto; quod penetrari possint corpora inter se &c. quæ tamen negari nequeunt omnipotentiæ diuinæ. Tollitur autem omnis confusio per hoc quod horum exequutio subsit infinitæ sapientiæ Dei.

VIII. *Licèt esset modus, posset terminare alienam naturam.*

Secunda Conclusio: licèt subsistentia creata esset modus, adhuc probabile mihi videtur posse (retentâ immediatâ affectione proprij subiecti) per vnionem à se distinctam vniri alteri naturæ, eique suum effectum formalem communicare: ita Vasquez 3. p. d. 25. c. 2. & probabile censet P. Hurt. hîc d. 11. s. 8. nu. 100. & P. Arria. hic d. 4. s. 13. nu. 103. contra P. Ouiedo hic cont. 6 p. 5. n. 3.

IX. *Ratio est, quia respectu alienæ naturæ non est modus.*

Ratio est quia in hoc nihil fit contra essentiam modi, qui solùm petit proprio subiecto vniri immediatè, quia scilicet respectu illius tantùm est modus, vnde alteri vnitur non vt modus, sed vt res absoluta. Conf. vbicatio, vt ostendi d. 34. Phy. sect. 3. licèt immediatè afficiat spatium, corpori tamen, & omni rei vbicatæ vnitur per vnionem distinctam, quia scilicet non est modus respectu rerum, sed tantùm respectu spatij. Conf. secundò, vniones continuatiuæ quantitatis, vel albedinis, licèt afficiant immediatè partes quantitatis, vel albedinis, quas inter se vniunt continuatiuè, materiæ tamen vniuntur per vnionem distinctam, non minùs quàm reliquæ partes albedinis, quia vniuntur respectu partium, quas continuant sicut modi, respectu verò subiecti informationis, nempe materiæ, non sunt modi, sed accidentia absoluta. Ergo & subsistentia, licèt respectu suæ naturæ sit modus, cui proinde vniri nequit per aliam vnionem, respectu tamē alienæ naturæ, cùm non sit modus potest ei vniri per vnionem distinctam.

Declaratur exemplo vnionum quantitatis.

X. *Dices ergo vnio poterit aliâ vnione vniri.*

Dices ergo & vnio respectu cuiuscumque, cuius non est modus, vniri poterit per aliam vnionem. Resp. negando consequentiam de vnione eiusdem rationis nec enim magis potest vna vnio per aliam eiusdem rationis vniri, quàm vna albedo per aliam dealbari. At verò quod subsistentia vniatur nullum sequitur inconueniens, cùm non recipiat eandem denominationem, sed diuersam: vt verò seruetur paritas, subsistentia non magis potest reddi subsistens per aliam subsistentiam, quàm vna vnio per aliam vniri, in hoc enim eadem est de vtrisque ratio. Secundò

Resp. aliâ homogeneâ non posse, bene heterogeneâ.

cundò dico, vnionem posse sub aliquâ ratione aliâ vnione vniri, vt iam nunc præcedente ostendi in vnionibus continuatiuis, & postea probabo sectione decimâ.

SECTIO IX.

De subsistentiâ compositi.

I. DIsputari plerumque solet hæc quæstio in Physicis, dum de materiâ & formâ, nos tamen huc eam remisimus, tanquam ad locum magis proprium tum vt omnia, quæ ad subsistentiam spectant, simul expediremus, tum quòd nisi explicata naturâ subsistentiæ, quæstio hæc commode intelligi non possit.

II. *1. Sent. est formas materiales, & materiam non habere subsistentiã.* Varij de more hac in re sunt dicendi modi. Asserunt aliqui animam rationalem, etiam in corpore habere propriam subsistentiam, formas vero materiales non habere, nec etiam materiam, quod à forma dependeat. Ita P. Molina 1 p. q. 29. ar. 2. d. 3. §. Ex dictis, & Caiet. 3. p. q. 6. ar. 3.

III. *P. Suarez materiæ concedit subsistentiã, negat formis materialibus.* P. Suarez d. 34 Met. sect. 5. licèt materiam & animam rationalem subsistere affirmet, numero tamen 42. asserit formas materiales nullam habere subsistentiam, ne quidem partialem, eò quòd dependeat à materia, tanquam à subiecto materialiter in eam influente, citatque in hanc rem S. Augustin. lib. de Ecclesiast. dogmatibus c. 16. & 17. tom. 3. dicentem *solam hominis animam esse substantiuam, animas vero brutorum non esse substantiuas.* Numero tamen 43. ait ex parte formarum materialium esse modum quendã, qui vnà cum subsistentia materiæ concurrat ad componendam integram subsistentiam totius.

IV. *3. Sent. ait Mater. & for. habere vnam subsistent. totalem.* Tertiò, docent alij tam materiam, quàm formam subsistere, nõ tamen per subsistentias partiales quarum quæque suam habeat sibi propriam, sed per vnam totalem substantialiter, vt ita dicam, indiuisibilem, diuisibilem tamen integraliter. Ita Vasquez 3. p. to. 1. d. 32. c. 4. n. 19. & 1 p. d 25 c. 4. n. 17. & d. 174. n. 15. Quam etiam sententiam sequi videtur P. Arriaga hic d. 4. s. 9 n 67. & alij nonnulli.

V. *4. Sent. ait mater. & formam habere subsist. partiales.* Quarta demum sententia est materiam & formã in composito non habere vnicam totalem subsistẽtiam modo dicto indiuisibilem, vtrique communẽ, sed singulas habere partiales subsistentias, sibi proprias, quæ in vnam integram ex his tanquam ex partibus conflatam coalescant. Ita P. Hurt. d. 2. Phy. s. 7. n. 100. P. Ouiedo hic cont. 6. p. 4 n. 13. estque cõmunior inter recentiores opinio.

VI. *Materia & anima rationalis, etiam in composito subsistunt.* Prima conclusio: materia prima, & anima rationalis etiam dum actu constituunt compositum, subsistunt. Hanc conclusionem negant qui pro prima sententia num. 2. sunt relati, reliquarum tamen sententiarum auctores admittunt. Probatur nihil enim obstat quo minùs subsistant, vtraque enim à se inuicem est indepẽdens, & Ens per se, etiã dum actu vnũ totum constituunt, ergo tunc etiam possunt subsistere. Vnde falsum est, quod in primâ sententiâ afferebatur, materiam scilicet pendere à formâ; est enim ab ea planè independens, vt in Physicis ostendi, dum de naturâ materiæ.

VII. *Forma materialis similiter in composito subsistit.* Secunda Conclusio: etiam forma materialis in composito subsistit. Ratio est, quia subsistentia est passio & proprietas substantiæ, sicut inhærẽtia accidentis cum ergo formæ materiales verè sint substãtiæ, æquè debetur ipsis connaturaliter subsistentia, ac inhærentia debetur accidenti. Deinde, effectus formalis subsistentiæ non est reddere terminum, quẽ afficit, independentem à subiecto sustentationis, hic enim idem esset effectus formalis subsistentiæ & creationis, quod nullus dicit. Videantur dicta supra sect. quartâ, numer. secundo, vbi plura in hanc rem adduxi.

VIII. *Quo sensu dixit S. Aug. Animas brutorum non esse substantiuas.* Nec obstat quod num. tertio ex S. Augustino ad hoc probandum est allatum, vbi, vt vidimus, ait S. Doctor *Animas brutorum non esse substantiuas*, ideò enim ait eas non esse *substantiuas* non quod verè non sint substantiæ, & consequenter habeant subsistentiam, passionem, vt dixi, omni substantiæ naturaliter debitam, sed eas asserit non esse *substantiuas*, quòd cũ insint subiecto sustentationis, imitentur hac in parte accidentia, & alteri hoc sensu quasi adiaceant, sicq; hoc nomine adiectiuæ potius videantur, quàm substantiuæ licèt vt dixi certum sit eas esse substantias: ac proinde habere debent subsistentiam, quæ est proprietas substantiæ.

IX. *Subsistentia compositi est integraliter diuisibilis.* Tertia Conclusio: subsistentia compositi siue vna sit, & indiuisibilis substantialiter & specificè, siue duplex, est tamen diuisibilis integraliter. In hâc conclusione omnes sententiæ relatæ conueniunt: licèt enim P. Vasquez 3. p. tom. 1. d. 32. c. 4. num. 21 nolit partes illas, ex quibus quæuis subsistentia componitur, vocari partiales subsistentias, concedit tamen esse partes integrantes, sicque subsistentia illa totalis, quam, vt numer. quarto vidimus, statuit ipse in composito, non est iuxta ipsum integraliter indiuisibilis.

X. *Subsistentia compositi conflatur ex duabus partialibus.* Quarta Conclusio probabilius mihi videtur cum auctoribus quartæ sententiæ suprà num. 5. propositæ subsistentiam cuiusuis compositi substantialis esse substantialiter duplicem, & habere duas partiales subsistentias, ex quibus vna totalis subsistentia componitur.

XI. Probatur primò, nam substantiæ compositæ magis congruit subsistentia composita quam simplex, vtpote magis ei proportionata. Secundò, conuenientius naturis rerum est talem ordinem institui, vt materia, quæ est substantia permanens, habeat similiter subsistentiam stabilem ac permanentẽ, quæque non semper ferè mutetur vt contingit in cõtraria sententiâ; si enim vna sit indiuisibilis subsistẽtia materiæ & formæ, quoties perit forma aliqua materialis, quod frequentissimè, vt videmus, contingit, toties deberet perire subsistentia materiæ, vtpote eadem cum subsistentiâ formæ, hæc autem, pereunte formâ, vnà cum illa necessariò destruitur. *Conuenientius est, vt subsistentia materiæ non sit peritura.*

XII. *Prius debet materia esse completa intrinsecè, quam quidquam recipiat ab extrinseco.* Tertiò probatur, priùs materia debet esse completa intrinsecè, seu habere omnem perfectionem sibi ab intrinsecò debitam (qualis est subsistentia, vtpote quam per emanationem, vt ipsi aduersarij fatentur, producit) quàm quidquam recipiat ab extrinseco: in contraria autem sententiâ priùs acciperet formam ab extrinseco, quàm habeat subsistentiam: cùm enim iuxta hos auctores, subsistentia sit eadem materiæ & formæ, forma materialis debet priùs esse sicque inesse materiæ, quàm materia habeat subsistentiam: vnde in tertio tantùm signo habet subsistentiam, cùm habeat formam in secundo. Conf. subsistentia iuxta communem philosophorũ sententiam est conditio prærequisita ad agendum & producendum aliud præter ipsam subsistentiam, vt optimè probat Card. Lugo d. 8. de Incar. sect. 1. n. 7. ergo antequam materia agat, & quidquam aliud producat, debet habere subsistentiam.

XIII. *Has probabilem reddunt hanc sententiam.* Hæc, fateor, non conuincunt sed in re dubiâ, & vbi agendum est coniecturis, maiorem meo iudicio, vim habent ad probandum subsistentias partiales, quàm quæ à contrarium opinantibus afferuntur ad probandum totalem.

XIV. Dices cum P. Arriaga hic d. 4. sect. 9. numero 66. *Non sunt multiplicanda entitates sine necessitate*, sed nulla est necessitas vt materia habeat propriam subsistentiam distinctam ab existentiâ formæ cùm duæ

partes

Dices non sunt multiplicandæ entitates, sine necessitate.

partes substantiales perfici possint per vnicam, ergo. Contrà, *nec sunt multiplicandæ perfectiones sine necessitate*, ergo non est cur talis perfectio subsistentiæ tribuatur, vt eadem sit terminus intrinsecus, & cōplementum materiæ simul & formæ, cùm per duas partiales, vt vidimus, id fieri commodè possit.

XV. *Resp. sufficere necessitatem secundum quid.* Resp. itaque distinguendo maiorē, non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate simpliciter, nego maiorem; sine necessitate secundùm quid, seu ob maiorem congruitatem, & conuenientiam, concedo. Congruitates verò & conuenientias huius rei suprà adduximus in probatione nostræ sententiæ n. 21. & 22. sicut ex gr. nulla est necessitas simpliciter, cur non possit eadem entitas esse vbicatio & duratio, vel actio & vbicatio, vt multi de facto esse affirmant, & tamen id ab huius sententiæ auctoribus nō admittitur.

XVI. *Nullum ad hoc deducitur argumentum à Verbo Diuino terminante materiā & animam.* Dices secundò cum eodem: subsistentia Verbi vnica complet substantialiter, & perficit totam humanitatem, & animam scilicet & corpus, ergo idem fieri potest ab eâdem subsistentiâ creatâ. Resp. non negare me fieri posse, sicut & eadem entitas potest esse vbicatio & actio, nego tamen de facto rem ita se habere, cum contrarium naturis rerum longè sit congruentius, vt iam ostensum est. Verbum ergo per suam infinitā virtualitatem supplet vices vtriusque subsistentiæ partialis creatæ.

SECTIO X.

An vnio etiam inter animam & corpus habeat propriam subsistentiam.

I. *1. Sent. negat vnionem habere subsistentiam.* PRima sententia est negatiua: ita P. Hurt. d. 2. Phy. sect. 7. n. 115. vbi absolutè negat vnionē inter materiam & formam, vel in homine, vel in alio quocunque composito substantiali habere propriā subsistentiam.

II. *2. Sententia affirmat.* Secunda sententia è contra affirmat vnionem etiam inter materiam & formam in quouis composito substantiali habere propriam subsistentiam. Ita P. Suarez tom. 1. in 3. p. d. 17. sect. 5. § *secundo modo*, quamuis (quod mirum est) non clarè loquatur. P. Arriaga hic d. 4 sect. 10. numer. 76. & 77. P. Ouiedo hic cont. 6. p. 4 num. 14. Hanc etiam sententiam tenet Card. Lugo d. 12. de Incarn. sect. 5. num. 61. licet enim nolit dari in composito substantiali plures partiales subsistentias, sed vnicam totalem, ait tamen hanc immediatè terminare, non materiam tantum & formam, sed etiam vnionem, ergo vnio iuxta ipsum habet etiam subsistentiam, licet indistinctam à subsistentiâ partium.

III. *Vnio habet propriam subsistentiam.* Conclusio: existimo cū authoribus secundæ sententiæ vnionem inter materiam & formam habere subsistentiam ad se terminatam, quâ non minus subsistit, quàm materia & forma. Vnde disp. 10 de Incarn. s. 4. ostendi vnionem inter animam & corpus de facto fuisse à Verbo assumptam.

IV. *Ratio est, quia vnio vere est substantia.* Ratio est, quia cùm sit quid per se spectans ad constitutionem naturæ substantialis, & substantia, non est, cur quis ei neget propriam subsistentiam partialem, & consequenter cur non possit hæc suppleri à Verbo, sicut possunt subsistētiæ partiales materiæ & formæ. Deinde, subsistentia est vltimus terminus & complementum naturæ, vnionem autem non esse secludendam, à ratione naturæ ostendimus in Phys. d. 16. s. 1. n. 4. ex definitione naturæ ab Aristotele traditæ.

V. *Nec hinc sequitur processus in infinitum.* Nec obstat quod opponunt aliqui, vnionem scilicet non posse per aliam vnionem vniri, ne sequatur processus in infinitum, hoc enim inconueniens tunc solùm sequitur, quādo vnitur per vnionem eiusdem rationis, idque ex naturali exigentiâ, vt si vnio informationis egeat aliâ vnione informationis, per quam vniatur, non verò quando vnitur per vnionē diuersæ rationis. Sic omnes concedunt puncta continuatiua albedinis, & formæ substantialis materialis vniri materiæ per vnionem informationis vt dixi sect. 8. n. 9.

VI. *Obiectio contendens dari hic processum in infinitum.* Dices; si vnio inter animā & corpus habeat propriam subsistentiam, ergo & vnio quâ hæc vnio vnitur Verbo, cùm sit substantialis, habebit propriā subsistentiam, ergo hæc subsistentia vniri illi vnioni debebit per aliam vnionem, hæc verò etiam similiter habebit suam subsistentiam, & hæc iterum suam vnionem, sicque in vnionibus & subsistentiis procedetur in infinitum.

VII. *Vnio, quâ vnio inter animam & corpus vnitur Verbo, subsistit per se.* Resp. negando primam consequentiam: sicut enim actio, quâ producitur vbicatio, & vnio quâ in nostrâ sententiâ (qui vbicationem dicimus non esse modum) vnitur rei vbicatæ, non sunt in loco per aliam vbicationem, sed seipsis, imò propriè non sunt in loco *vt quod* sed *vt quo*: ita vnio hypostatica, quâ vnio inter animam & corpus vnitur Verbo, cùm nō subsistat *vt quod* sed *vt quo*, & integret quasi simul cum Personalitate Verbi vnam subsistentiam completam in actu secundo, seu vnum terminum substantialem naturæ humanæ, (sicut inhærentia cum accidente) non eget alia subsistentia magis quàm vnio vbicationis alia vbicatione: sicque, vt constat, nullus sequitur processus in infinitum.

VIII. *Vnio inter animam & corpus assumpta fuit à Verbo, ergo debetur ipsi propria subsistentia.* Probatur secundò: Verbum de facto assumpsit vnionem inter animam & corpus, ergo illi naturaliter debetur subsistentia: consequentia videtur clara: nihil enim assumitur à Verbo, nisi quod, si non fuisset assumptum, substitisset, ergo vnio, si non fuisset assumpta à Verbo, substitisset, ergo habuisset subsistentiam.

IX. *Ostenditur vnionem fuisse à Verbo assumptā.* Antecedens itaque probatur, Verbum assumpsit humanitatem, sed humanitas, quà talis non dicit solam materiam & animam rationalem, sed vnionem, homo enim definitur physicè compositum constans ex animâ & corpore & vnione, ergo hoc totum assumi debuit, sed hoc intrinsecè & formaliter includit vnionem, ergo etiam vnio assumi debuit. Conf. alioqui sequeretur in resurrectione Verbum factum esse hominem per solam reunionem animæ & corporis inter se.

X. *Nisi Verbū assumpsisset Vnionem, non assumpsisset humanitatem.* Dices; materia & anima vnitæ sunt homo, seu humana natura, ergo si Verbum assumpserit materiam & animam vnitas, assumpsit humanitatē. Contrà, quantūcunque materia & anima vnitæ sint homo, qui tamen produceret materiam & animam, & non produceret vnionem, non produceret hominem licèt simul aliunde produceretur vnio, vel esset etiā à se. Sic etiam Angelus, qui videret intuitiuè parietem & albedinem, etiam dum hæc inhæret parieti, si tamen non videret vnionem informationis, seu inhærentiam, non videret totum, cùm totum vltra ambas partes, etiam collectiuè sumptas addat vnionem.

XI. *Nisi assumantur partes vt vnitæ non assumitur totum.* Resp itaque distinguendo primum antecedens, materia & anima vnitæ reduplicatiuè sumptæ sunt homo, concedo antecedens, sic enim includunt vnionem, specificatiuè sumptæ, nego: sic enim, etiam dum vniuntur, non sunt homo, sed solùm partes hominis, & consequenter qui eas hoc modo assumeret, non assumeret humanam naturam, vt proximè ostensum est exemplo productionis, & visionis, sed tantùm assumeret illius partes, quæ licèt de facto vniantur, perinde tamen se habent ad assumptionem, atque si non vnirentur.

XII. Conf. humanitas, vt dixi, sunt à parte rei tres Entitates,

Non assumuntur tres entitates, ergo non assumitur humanitas.

titates, materia, anima, & vnio, sed qui assumit materiam & animam, quantumuis sint vnitæ, non assumit tres entitates, sed duas tantum, si vnà cum materiâ & formâ non assumat vnionem, ergo non assumit realiter humanitatem.

XIII. *Quod semel assumsit, nunquã dimisit. Certum est Verbum quædam dimisisse.*

Obiicies: hinc sequi contra commune axioma Theologorum, Verbum, *quod semel assumpsit, aliquando dimisisse*, hanc enim vnionem dimisit. Contrà, certum est Verbum dimisisse humanitatem in morte, & in triduo illo non fuisse hominem, vt contra Hugonem victorinum, & Magistrum in 3.d.22. docet S. Thomas, S. Bonau. & communis Theologorũ sententia apud Suarium to.2. in 3.p.d.37.s.2. si ergo stante hoc axiomate potuit Verbum dimittere humanitatem, quidni & vnionem? per cuius dimissionem dimittitur humanitas, & hac resumpta resumitur. Certùm etiam est Verbum dimisisse partes per nutritionem toto vitæ tempore segregatas.

XIV. *Quomodo intelligendũ sit axioma illud. Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.*

Axioma ergo illud solùm intelligitur de partibus humanitatis, de animâ quoad indiuiduum, de materia saltem quoad speciem, non verò de toto, nec de vnione, quæ est forma totius: cùm quoad aliquas vniones certum sit in passione & morte fuisse pro tempore, imò perpetuò dimissas, quales erant vniones continuatiuæ partium carnis, quæ diuisæ fuerãt per vulnera toto corpore dispersa, ex quibus quinque perpetuò sunt permãsura. Quæ doctrina exinde confirmatur, quòd axioma illud præcipuè afferri solet ad probandum animam & corpus Christi in triduo, licèt à se inuicem disiungerentur, mansisse tamen eadem numero coniuncta Verbo.

XV. *Vniones etiam continuatiuæ habent suam subsistentias.*

Quod dixi de vnione inter animam & corpus, intelligi etiam debet de vnionibus continuatiuis partium materiæ, habuisse scilicet suas subsistentias & fuisse assumptas à Verbo. Nec hinc sequitur dari infinitas vniones hypostaticas correspondentes infinitis punctis materiæ, vna enim vnio hypostatica habens partes extensiuas, eo modo quo habet materia, id abundè præstare poterit.

XVI. *Subsistentia totius conflatur ex tribus subsistentiis partialibus.*

Subsistentia ergo totius, seu compositi substantialis conflatur ex tribus subsistentiis materiæ, formæ, & vnionis. Quæres, an hæ tres subsistentiæ inter se vniantur. Resp. dici probabiliter posse non vniri eas inter se immediatè. Nec tamen hinc sequitur eas facere aggregatum per accidens: ad vitandum enim aggregatum per accidens sufficit immediata coordinatio intrinseca rerum ad se inuicem, licèt enim non vniantur sibi immediatè, coniunguntur tamen mediatè, per partes scilicèt intermedias. Secundò dici potest, subsistentias materiæ & formæ vniri inter se per subsistentiam vnionis. Vnde sicut vnio ipsa coniungit partes vt modus partium, ita subsistentia vnionis coniungere poterit subsistentias vt modus subsistentiarum.

Vtrum hæ tres subsistentiæ inter se vniantur.

SECTIO XI.

Vtrùm vel natura creata existere possit sine omni subsistentiâ, vel etiam subsistentia sine naturâ,

I. *Natura non potest naturaliter orbari omni subsistentia.*

QVoad primum vtrùm scilicet existere natura possit sine omni subsistentia: naturaliter non posse indubitatum est apud omnes, cùm sit proprietas naturalis illi, ac proinde sicut sol existere naturaliter non potest sine luce, ignis sine calore, materia sine quantitate &c. ita nec natura sine subsistẽtiâ.

II. *Dicũt multi naturam, nec diuinitus existere posse sine omni subsistentia.*

Vtrùm autem diuinitùs existere natura possit sine omni subsistentiâ, non est apud omnes perinde certum. Prima ergo sententia negat posse naturam, etiam diuinitus, existere separatam ab omni subsistentiâ. Ita Scotus in 3.d.1. Fonseca l.5. Met. c.8. q.6. s.5. citans pro eadem sententia S. Thomam in 3. d. 5. q. 3 a.3. ad 3. qui tamen huic sententiæ non fauet, solũ enim dicit, *si humanitas dimitteretur à Verbo, fore, vt subsistat per propriam subsistentiam*, sed hoc solum contingeret, naturaliter loquendo, quid autem diuinitus fieri possit non disputat ibi sanctus Doctor. Idem tenet Suarez d.34. Met. s.6. n.37. & quidam ex recentioribus.

III. *Alij docent posse.*

Secunda sententia è contrario docet posse naturam diuinitùs existere sine omni subsistentia. Ita Card Lugo d.12. de Incarn. s.7. n.93. Albert. de prędic. substantiæ d.3. q.4. P. Hurt. hîc d.11. s.9. n.123. P. Aria. hîc d.4. s.13. n.135. P. Ouiedo hîc cont.6. n.2. & communis recentiorum opinio.

IV. *Natura conseruari diuinitus potest sine omni subsistentia.*

Dicendum itaque cum auctoribus huius sententiæ posse naturam diuinitus existere orbatam omni subsistentiâ. Ratio est, quia effectus formalis subsistẽtiæ solùm est, vt sit vltimus terminus & complementum naturæ, quidni ergo sicut possunt res aliæ orbari diuinitus perfectionibus suis, & complementis intrinsecis, vt materia omni formâ, sol luce, substantia accidentibus &c. quidni inquam orbari diuinitus poterit natura sua subsistentia? Imò probabilius existimo naturam sine omni subsistentiâ diuinitùs existentem conseruari simili, imò eadem actione posse, quâ antea conseruabatur, sicut in Phys. d. 10. s.3. diximus de actione conseruatiuâ materiæ primæ sine omni forma.

V. *Nec obstat quod natura fundet subsistentiã.*

Dices primò; naturam fundare subsistentiam, ergo non potest esse sine illâ. Contrà, sol fundat lucem, materia quantitatem &c. & tamen separari diuinitùs potest, hæc à quantitate, ille à luce: si autem velint naturam ita fundare subsistentiam, vt nec diuinitùs esse possit sine illâ, apertè petunt principiũ, hoc enim est in quæstione.

VI. *Licèt res priuari nequeat omni vbicatione, potest tamen priuari subsistentia.*

Dices secundò: non potest res aliqua esse sine omni vbicatione & duratione, ergo nec natura sine subsistentia. Conf. quantitas non potest esse sine figurâ, ergo &c. Ad argumentum concesso antecedente negatur consequentia: disparitas est, quia cũ spatium imaginarium sit in immensum diffusum, & tempus etiam imaginarium ambiat omnes durationes, manifestum videtur nihil posse existere, & non in aliquo loco & tempore, & consequenter quin habeat aliquam vbicationem & durationem, vt latè ostensum est in physica d.33. s.5. & sexta. At verò nulla huiusmodi necessitas est subsistentiæ, ergo poterit diuinitùs carere hac, non illis. Ad confirmationem Resp. negando antecedens, si sermo sit de diuinâ potentiâ, potest enim quantitas diuinitùs reduci ad punctum, in quo casu secundùm probabilem sententiam, nullam haberet figuram, saltem diuinitùs tunc eâ priuari posset.

Quantitas priuari potest figura.

VII. *Quando tollitur modus connaturalis, non necessario datur modus oppositus.*

Dices tertiò: quando à te aliqua tollitur modus connaturalis existendi, confertur ipsi necessariò oppositus, vt si ab accidente auferatur inhæsio, seu eductio ex potentia subiecti, datur ipsi creatio: sic cum aufertur Vbi circumscriptiuum datur definitiuum: sic ergo quando à natura tollitur propria subsistentia, dari ei necessariò debet aliena. Resp. In hiis id necessario contingere, in secundo ob rationem dictam in responsione ad priorem obiectionem: in primo quia cum res omnis sit Ens ab alio, debet necessariò dependere à Deo per aliquam actionem: si ergo non dependeat per generationem, dependere necessariò debet per creationem. In subsistentia autem nulla huiusmodi est necessitas, quippe quæ ordinetur solùm, vt sit vltimus terminus, & complementum naturæ: vnde sicut diuinitùs auferri potest calor ab igne, vel frigus ab aqua, quin detur aut calor huic, aut frigus illi, ita & subsistentia auferri potest

à na-

à naturâ, quin ei quidquam aliud tribuatur, præsertim cùm subsistentia modum sibi oppositũ nõ habeat: quod enim aliqui volunt inhærentiam, seu dependentiam à subiecto sustentationis esse illi oppositam, falsum est, nec enim effectus formalis subsistentiæ est reddere rem independentem à subiecto, vt suprà ostendimus s. 4. n. 2. cùm forma materialis, etiam in subiecto subsistat, sicut etiam Theologi dicunt formam sanguinis, capillorum, & vnguium in corpore Christi terminari subsistentia Verbi.

Inhærentia non est modus oppositus subsistentiæ.

VIII. Quoad secundum vtrùm scilicet existere vicissim possit subsistentia creata sine naturâ: In sententiâ statuente illam esse modum, certum est non posse vt sæpius iam dictum est, dum de naturâ modorum. Si autem sit quid absolutum, vt videtur probabilius, tunc nil vetat, quò minùs existat subsistentia sine naturâ; sicut forma substantialis materialis existere posset sine subiecto, & de facto ita existunt accidentia Eucharistica.

Subsistentia, sine sit modus, poterit diuinitus existere sine naturâ.

SECTIO XII.

Reliqua ad subsistentiæ notitiam spectantia.

I. QVæres primò, vtrùm subsistentia sit principiũ operationum? Inprimis denominatiuè operationes tribui suppositis est certum, hinc enim ortum habuit dictum illud, *Actiones sunt suppositorum*, sicut enim operationes vel accidentia alterius partis tribuuntur toti composito, vnde dicitur albus quis ab albedine in solâ materiâ, intelligens ab intellectione in solâ animâ &c. ita & à quocunque procedunt actiones, tribuuntur supposito: cùm enim hæc omnia concurrant ad constituendum vnum totum, quod alteri parti propriè conuenit tribuitur denominatiuè toti.

Operationes denominatiuè tribuuntur suppositis.

II. Existimo ergo subsistentiam non esse principium influens, nec partialiter in operationes. Ratio est, quia non est cur quisquam existimet subsistentiam partialiter influere, cùm sufficiat vt conditio, sicut nec influit approximatio, vt cum communi sententiâ dixi in physicis: sufficiens enim virtus influxiua habetur sine subsistentia influente, nempe in ipsa natura, quæ per se est principium motûs & quietis. Deinde, eodem modo natura nostra producit suas operationes, ac humanitas Christi suas, sed humanitas Christi producit suas sine peculiari cõcursu effectiuo subsistentiæ Verbi, operationes enim ad extra sunt communes omnibus tribus Personis, & consequenter procedunt à principio omnibus communi, nempe omnipotentia, non à personalitatibus, ergo nos nostras etiam operationes producimus independenter ab influxu subsistentiæ. Quod autem in Diuinis subsistentiæ constituant principium partiale productiuum ad intra, est quia principium productiuum debet saltem inadæquatè distingui à termino producto, vt suprà animaduertimus s. 5. n. sexto.

Subsistentia creata, nec partialiter influit in operationes.

III. Quæres secundò, vtrùm saltem subsistentia sit conditio ad operandum? dici non improbabiliter potest esse conditionem à priori aliquo modo requisitam ad operationes; cùm enim sit complementum substantiale videtur aliqua ratione requiri priùs omni operatione, saltem prioritate dignitatis & necessitatis vt suprà etiam notaui sect. 9. n. duodecimo.

Subsistentia, an sit conditio ad operandum.

IV. Quæres tertiò, sitne subsistẽtia creata res an modus? diuisi hac in parte sunt auctores. P. Suarez d. 34. Met. s. 4. n. 33. P. Vasq. 3. p. d. 31. c. 6. Card. Lugo d. 12. de Incarn. c. 7. n. 83. cũ multis aliis recẽtioribus contendunt esse modum. P. Hurt. hic d. 11. s. 5. n. 50. P. Arria hic d. 4. s. 12. n. 93. & alij esse rem absolutam.

Sitne subsistentia modus.

V. Certè nulla apparet vrgẽs ratio cur statuatur modus, nec enim est vlla ratione determinatio vnius ad aliud, nec sequitur processus in infinitum si ponatur res absoluta, nec tandem necessarium est ad grauem aliquam difficultatem vitandam, vt statuatur esse modus: vnde licèt absolutè non repugnet vt subsistentia sit modus, probabilius tamen videtur non esse, cùm solùm ex vrgente aliqua ratione statui debeant modi, vt omnes fatentur.

Probabilius est subsistentiam non esse modũ.

VI. Dices primò; sequi processum in infinitum, vnio enim subsistentiæ est substantia, ergo debet habere suam etiam subsistentiam, quæ cùm sit res absoluta, vniri debet per aliam vnionem, & illa iterum habebit suam subsistentiam & sic in infinitum. Hoc argumentum solutum est suprà sec. 10. n. 6. & 7. Resp. ergo, sicut actio qua producitur vbicatio est sua vbicatio, ita & vnio subsistentiæ potest esse sua subsistentia. Secundò, dico vnionem illam integrare vnum vltimum terminum naturæ cum subsistentia, & consequenter non egere noua subsistentia, cùm sit pars ipsius subsistentiæ.

Ex eo quòd subsistentia nõ sit modus, non sequitur processus in infinitum.

VII. Dices secundò; si subsistentia sit quid absolutum, est substantia non accidens, ergo includi debet in diuisione substantiæ ab Aristotele traditæ, sed non includitur, diuidit enim ipse substantiam in materiam, formam & vnionem, nullam faciendo mentionem de subsistentia, ergo subsistentia non est substantia. Resp. nil mirum Aristotelem nullam fecisse mentionem subsistentiæ, cùm eam non nouit; est tamen subsistentia aliquo modo forma, non compositi, seu forma substantialis, eo sensu quo capimus formam substantialem in Physicis, illa enim est prima radix operationum, & constituit compositum, subsistentia autem non influit in operationes, nec constituit compositum, sed aduenit ipsi iam constituto. Est ergo subsistentia forma suppositi non compositi. Deinde, si sit modus eadem videtur difficultas, modi enim in diuisione illâ debent comprehendi, saltem reductiuè, sicut comprehenditur vnio.

Quomodo subsistentia sit substantia.

Subsistentia est forma suppositi, non compositi.

VIII. Quæres quartò, quæ sit causa subsistentiæ? Resp. causam materialem esse naturam in quâ est, & ex cuius potẽtiâ educitur, qui enim diceret subsistentiam creari, gratis id diceret, & eâdem operâ affirmari posset accidentia omnia & formas creari. Difficultas quæ hinc oriri posset ex eo quod natura existere nequeat sine subsistentia, nulla est, sic enim nec materia potest existere sine forma, & tamen eam materialiter producit. Vnde si subsistentia tolleretur adhuc natura persisteret, vt dictum est sec. præcedente n. 4. sicut materia maneret, licèt spoliaretur omni forma, vt ostendi in Phy. d. 10. s. 2. & tertia.

Natura est causa materialis subsistẽtiæ.

IX. Quoad causam efficientem mihi videtur probabile produci subsistentiam emanatiuè ab ipsa re, cuius est subsistentia: licèt enim ad alias operationes requiratur subsistentia secundùm illud *Actiones sunt suppositorum*, non tamen ad productionem ipsius subsistentiæ. Quemadmodum ergo res aliæ per emanationem producunt suas proprietates & passiones, ita quidni natura similiter produceret suas? sicut multi dicunt, licèt vt res aliqua operetur, debeat esse in loco, non tamen vt producat suam vbicationẽ, sic enim priùs esset in loco quàm esset in loco, cùm sit in loco formaliter per vbicationem.

Causa efficiens subsistentiæ est res, ad quã spectat.

X. Vnde hoc docet D. Tho. 3. p. q. 16. a. 12. corp. & ad primum, Sua. d. 34. Met. s. 6. n. 9. & to. 1. in 3. p. 8. s. 3. P. Hurt. hic d. 11. s. 9. n. 120. P. Ouiedo hic cont. 6. p. 6. n. 19. & alij. Non tamen potest anima producere vnionem sui ad corpus, tum quia nulla forma operari potest in corpus nisi vt illud informans, itaque supponens vnionem; tum quia est aliquid peculiare de passionibus, vnio autem non est passio animæ, sicut est subsistentia.

Cur anima nõ producat vnionem sui ad corpus.

XI. Quæres quintò, quænam res possint terminari subsistentia aliena diuinitùs? Resp. illas omnes &

Quæ terminari possint aliena subsistentia.

solas posse quæ habent propriã. Ratio à priori est, quia subsistentia aliena, Diuina ver. gr. supplet locũ naturalis, ergo illi solùm rei vniri potest, quæ habet, vel habere naturaliter potest propriam. Materia ergo assumi potest à Verbo sicut & forma, Angelus etiam & corpus simplex, & composita omnia substantialia, vt latiùs dici solet in materiã de Incar. licèt principia hinc desumãtur. Accidens verò assumi non potest à verbo, nec enim habet propriam subsistentiam cuius vices, vt dixi, supplet subsistentia increata. Deinde, accidens non est natura, subsistentia autem est tantùm vltimus terminus naturæ.

Cur accidens assumi nequeat à Verbo.

XII. Quæres sextò, vtrùm subsistentia sit de essentiã hominis? Quæstio est de modo loquendi. Resp. itaque *hominem* dupliciter sumi, primò pro naturã humana, seu humanitate, quo modo sumitur in cantico SS. Ambrosij & Augustini illis verbis, *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis vterum.* Hoc sensu certum est subsistentiam non esse de essentia hominis, quia Verbum non assumpsit subsistentiam, sed solùm naturam. Alio modo sumitur *Homo*, prout idem est ac natura subsistens, & hoc sensu, huius nimirum complexi, seu suppositi redoplicatiuè sumpti, subsistentia est de essentia, sicut albo quà albo essentialis est albedo.

Saepe subsistentia de essentia hominis.

DISPVTATIO IX.

De Prædicamento Quantitatis.

Quid sit quantitas continua.

QVantitas (vt omittam quantitatem *molis*, & *virtutis*, quam alibi explicui) duplex est, *Continua*, & *Discreta*. Quantitas continua est, cuius partes vniuntur termino aliquo communi, vt lineæ partes vniuntur puncto vtrique parti communi, vt ait Aristoteles: superficiei partes vniuntur linea: corporis superficie: partes temporis instante. Discreta quantitas est, cuius partes termino aliquo communi non vniuntur, vt numerus, & oratio vocalis, nec enim multitudo hominum, aut aceruus lapidum, nec verba aut syllabæ in oratione terminũ aliquem communem habent quo vniantur. Quantitas ergo Continua sunt hæc quinque; *linea*, quæ habet solam longitudinem; *superficies* longitudinem & latitudinem; *corpus*, quod *longitudinem*, latitudinẽ, & profunditatem, *tempus*, quod est continuus fluxus & mensura durationis rerum; *locus* id in quo aliquid continetur. Discreta quantitas est *numerus*, & *oratio*, de quibus antea. Sed de hoc iterum recurret sermo sect. quarta, fine.

Quid sit quantitas discreta.

SECTIO PRIMA.

Referuntur & refutantur variæ sententiæ circa effectum formalem Quantitatis.

I. *1. sent. est effectum quantitatis consistere in actuali extensione.*

IN hoc, vt in alijs omnibus, diuisi sunt auctores. Asserunt aliqui effectum formalem Quantitatis consistere, in actuali extensione & impenetrabilitate seu impenetratione. Hæc sententia sustineri nullo modo potest; Christus enim in Eucharistiã retinet suam quantitatem, vbi tamen non habet actualem extensionem, vt constat, cùm sit totus in totã, & totus in qualibet parte hostiæ. Deinde, in Natiuitate, & Resurrectione habuit quantitatem, cùm tamen actu penetraretur cum alijs quantis; quod etiam contingit post resurrectionem, quando ianuis clausis ingressus est ad discipulos.

II. *2. sent. conceptum quantitatis statuit in ratione mensura.*

Secunda ergo sententia est eorum, qui asserunt conceptum & essentiam Quantitatis consistere in ratione mensuræ: mensura autem duplex est; *actiua*, quæ facit rem aptam vt mensuret, seu quâ aliquid mensuramus; & *passiua*, per quam res quam mensuramus, redditur mensurabilis seu cognoscibilis quãta sit. Pro hac opinione referri solent Soncinas, Iauellus, & alij. Sed contrà primò: mensurabilitas, siue *actiua*, siue *passiua*, est ad summum passio, seu proprietas Quantitatis, non essentia: ideò enim res aliqua est mensurabilis, quia habet extensionem impenetrabilem, vnde prior est actualis extensio, & impenetrabilitas, quàm mensurabilitas, & tamen essentia quantitatis est prior actuali extensione, ergo à fortiori est prior mensurabilitate, ergo mensurabilitas nequit esse quantitatis essentia.

Refellitur.

III. *Quidã hic faciunt quæstionẽ de nomine.*

Quòd si quis per mensurabilitatem dicat se intelligere primam illius radicem, & mensurabilitatẽ remotam tunc verum quidem dicit, sed malè per eam explicat essentiam Quantitatis; perinde enim facit ac si quis definiret hominem *esse animal risibile*, & diceret se per *risibile* intelligere primam illius radicem, risibilitatem scilicet remotam, nempe rationalitatem, hic enim veritatem conciperet, impropriè loqueretur. Sicut ob eandem rationem in Physicis diximus potiùs asserendum subiectum attributionis Physicæ esse *corpus naturale*, quàm *ens mobile*, cùm posterior definitio tradatur per proprietatem, non per essentiam.

IV. *Ostenditur conceptum quantitatis non consistere in mensurabilitate.*

Impugnatur secundò: nam eodem modo dicere quis posset, effectum formalem Quantitatis esse, vt possit diuidere aliam rem quantitatiuam, hoc enim æquè conuenit quantitati, ac posse mensurare vel mensurari: si ergo ideò hæc non censetur essentia quantitatis, quia datur aliquid prius illo, ergo nec ratio mensuræ actiuæ vel passiuæ erit essentia quantitatis. Conf. eadem ratione dicere liceret effectum formalem albedinis esse, quòd possit esse similis vel dissimilis alteri albedini, aut nigredini, quod tamen nullus censet esse effectum eius primarium, sed secundarium solùm, & illius attributum, & sic de alijs infinitis. Quod autem Aristoteles subinde videatur asserere effectum formalem Quãtitatis esse rationem mensuræ, loquitur solùm de effectu secundario, seu de attributo, non de primario, vt postea clariùs constabit. Hæc autem à fortiori probant non consistere essentiam Quantitatis in actuali mẽsuratione, vt videtur per se manifestum, cùm certũ sit aliquid esse Quantitatem, quando nec mensuratur actu, nec assumitur pro mensurã alterius.

V. *3 sent. asserit effectum quãtitatis esse, vt det distinctionem partibus materiæ.*

Tertia sententia affirmat effectum formalem primarium Quantitatis esse dare distinctionem partibus materiæ. Hæc opinio est quorundam, tam ex antiquioribus quàm recentioribus, eam tenet Capreolus in 3.d.3.q.1.& d.15.q.vnica; eandem tenere videtur Vasq. To.3.in 3.partem.d.190.c.3.n.25. Sed contrà, si enim materia vlnaris statuæ ligneæ esset separata ab omni quantitate, idque in eãdem extensione locali in qua modò est (quod quo minùs diuinitùs fiat nulla apparet implicatio) certè in eo casu caput statuæ non esset pes, nec vna pars ligni alia, nam si essent tunc partes illæ identificatæ, non possent omninò distingui, nec à se inuicem diuidi, ma-

Materia ut distincta à quantitate habet partes.

gis quàm animal à rationali. Conf. materia informata quantitate habet iam partes realiter distinctas vel non; si non, ergo nihil accipit à Quantitate, quod non habet sine illa; deinde non posset diuidi, quod tamen est contra experientiam; si verò vt distincta à quantitate habeat iam partes, ergo illas non accipit formaliter à Quantitate, cùm ab illâ non accipiat suam entitatē, & consequenter, cùm priùs ad Quantitatem habeat seipsam, priùs etiam ad illam habet partes realiter distinctas. Nec quidquā video, quod magnopere faueat huic sententiæ præter æquiuocos quosdam loquendi modos, qui, vbi per distinctionem in lucem eruuntur, illicò euanescunt. Nec est cur pluribus hanc sententiam impugnemus, cùm contrarium ita videatur, vel ipso naturali lumine manifestum, vt probatione non indigeat, nisi fortasse quæstio sit de nomine.

VI. Quartò asserunt alij effectum formalem primarium Quantitatis consistere in diuisibilitate. Impugnatur hæc sententia eodem modo quo aliquæ ex præcedentibus: non enim potest hæc diuisibilitas esse effectus formalis primarius Quantitatis, sed ad summum secundarius, cùm supponat aliud prius se, nempe impenetrabilitatem, si sermo sit de diuisibilitate per agens corporeum, imò & extensionem, saltem aptitudinalem. Conf. ratio diuisibilitatis conuenit alijs rebus à Quantitate, materia enim est diuisibilis, sicut etiam omnes qualitates materiales, vt albedo, nigredo, calor, frigus &c. Quòd si quis dicat, esse hæc solùm diuisibilia secundariò, & ratione Quantitatis, cui ratio ista præcipuè competit, eodem modo dici debet diuisibilitatem non esse essentiam quantitatis formaliter, sed solùm attributum, cùm non sit primus illius conceptus, sed secundarius tantùm, & quid ratione nostrâ consequens.

4. sent. circa effectum quantitatis stantem in diuisibilitate. Contrà, diuisibilitas est tantùm effectus secundarius quantitatis.

VII. Sicubi autem Aristoteles Quantitatem definire videatur per diuisibilitatem, est descriptio solùm, nō rigorosa definitio, vtpote tradita non per essentiam, sed per passionem, seu attributum, vt iam ostensum est. Imò vel hinc arguitur essentiam quantitatis non consistere in diuisibilitate; cùm nunc illius naturam explicet Aristoteles per diuisibilitatem, nunc per mensurabilitatem, vt suprà vidimus, quod indicio est ipsum non intendisse vel vno loco vel altero illā exactè definire, sed solùm describere per respectum ad effectus illius magis notos, quod in Aristotele nō est infrequens, vt sæpe iam aduertimus.

Quo sensu explicet Aristoteles quantitatē per diuisibilitatem.

VIII. Quinta nonnullorum opinio est, effectum formalem primarium Quantitatis esse, quòd sit radix extensionis. At sane, si hæc sententia intelligatur de radice cuiuscunque extensionis, non videtur probanda; multæ enim res habent huiusmodi extensionem quæ non sunt Quantitas; probabile quippe est substantiam, vel etiam qualitates, vt albedinem, nigredinem, calorem &c. si separentur à Quantitate, non necessariò confluxura ad punctum.

5. sent. ait quantitatem esse radicem extensionis.

SECTIO II.

In quo consistat effectus formalis Quantitatis.

I. Dicendum ergo, in hoc situm esse effectum formalem Quantitatis, quòd sit radix extensionis, & impenetrabilitatis vel impenetrationis, seu quòd sit talis entitas, vt si sit diuisibilis, petat habere partes extra partes, ita vt hæ partes nec penetrari inter se possint, nec cum rebus alijs similibus. Ita Suar. d. 4. Met. sect. 2. n. 21. & sect. 4. per totam, estque hodie communis inter recentiores opinio. Probatur primò impugnatione omnium aliarum opinionum: cùm ergo nihil restet aliud, huc tandem est recurrendum. Secundò probatur experientiâ; videmus quippe res omnes quantas & habere partes extra partes extensas in ordine ad locum, & cum aliâ re simili penetrari naturaliter non posse. Deinde, hic conceptus est saltem ratione nostrâ prior effectibus relatis in alijs opinionibus suprà recensitis, ergo hic effectus debet esse primarius & essentialis Quantitatis, non alij.

Effectus formalis quantitatis est, vt sit radix extensionis, & impenetrabilitatis.

Notandum tamen primò, extensiones actuales quantitatum, seu vbicationes non esse per se impenetrabiles: vnde si non sint modi, sed qualitates absolutæ, vt eas esse diximus in Physicis d. 34. s. 3. si cōseruarentur separata ab omni subiecto, possent naturaliter inter se penetrari, sicut duo calores vel albedines eiusdem intensionis. Quare rectiùs diceretur Quantitas radix impenetrationis; quàm impenetrabilitatis. Duæ ergo quantitates sunt per se & ratione sui impenetrabiles, non ratione vbicationum seu extensionum in ordine ad locum, hæ enim licèt sint essentialiter extensæ, & nec diuinitùs possit vna pars esse in loco alterius, non tamen sunt formaliter impenetrabiles: duæ enim extensiones seu vbicationes palmares, eiusdem, vel diuersæ quantitatis possunt naturaliter esse in eodem loco si separentur à quantitate, vt iam diximus. Quod à fortiori verum est de vbicationibus in duabus substantijs, vt in duabus materijs, vel formis materialibus, vel etiam in duobus accidentibus. II.

Vbicationes nō sunt per se impenetrabiles.

Notandum secundò, ex varijs capitibus prouenire impenetrabilitatem: primò enim si Deus decreuisset duas albedines, vel duos Angelos nunquam penetrari inter se, essent quidem impenetrabiles, nō tamen forent quantitas; nec enim hoc naturaliter peterent, sed merè esset ab extrinseco, & per accidens. Secundò, ex eo quòd sint res aliquæ essentialiter affixæ certo alicui loco, vel spatio, vt duæ vbicationes, etiā Angelicæ, Romana videlicet, & Leodiensis, hæ enim duæ vbicationes, nec diuinitùs inter se penetrari possunt, & tamen non sunt quantitas; nec enim prouenit in hæc impenetrabilitas ex eo quòd altera vbicatio locum hunc quasi præoccupet, & impediat quo minùs altera ingrediatur, sed inde solū procedit, quòd vtraque vbicatio sit essentialiter affixa suo loco, & consequenter aptiùs diceretur immobilitas quàm impenetrabilitas. Idē suo modo est de duabus durationibus Angelicis, hesternâ scilicet & hodiernâ, quæ ob eandem immobilitatē respectu temporis inter se penetrari nō possunt. III.

Varijs modis aliqua sunt impenetrabilia.

Quo modo duæ vbicationes heterogeneæ sint impenetrabiles.

Duæ durationes quo sensu sint impenetrabiles.

Aliquàdo verò prouenit impenetrabilitas ex impossibilitate alterius; sic Deus est impenetrabilis cū alio Deo, quia alius Deus est impossibilis, si enim esset possibilis alius Deus, hic posset cum eo penetrari: si tamen iam esset possibilis vna tantùm quantitas, & postea alia redderetur possibilis, non posset hæc cum illâ naturaliter penetrari. IV.

Impenetrabilitas aliquando prouenit ex impossibilitate.

Notandum tertiò, hoc quod est esse radicem impenetrabilitatis seu impenetrationis, importare negationem, non tamen propterea sequitur essentiam & effectum formalem primarium Quantitatis consistere in hac negatione, sed in conceptu illo positiuo fundante negationem actualis penetrationis: multa enim, vt sæpe diximus, explicantur per negationes, quæ tamen consistunt in conceptu positiuo. Sic irrationale, distinctio inter duas res positiuas, ratio vnius, & alia huiusmodi, licèt consistant in positiuo, explicantur tamen per negationem. V.

Impenetrabilitas est quid positiuum.

Notandum quartò, sicut in varijs alijs rebus inueniri potest effectus primarius sine secundarijs, saltem diuinitùs, vt calor in subiecto absque eo quòd tollat frigus, item forma ignis induci potest in materiam ligni, sine expulsione suæ formæ, ita & potest diuinitùs Quantitas esse sine effectibus suis secundarijs. VI.

Effectus primarius consistere potest sine secundarijs.

vnus verò effectus secundarius Quantitatis est, vt impediat aliud corpus ab ingressu loci in quo est hæc quantitas, diuinitùs tamen fieri potest, vt actu cum illâ penetretur in eodem loco aliud corpus. Alius effectus Quantitatis secundarius est actualis extensio, & tamen diuinitùs potest esse quãtitas sine actuali extensione, vt constat in Eucharistiâ, vbi in singulis partibus & punctis spatij est totum corpus Christi simul cum totâ Christi quantitate, & tamen non habet ibi quantitas vllam actualem extensionẽ. Ex quibus satis ostenditur posse radicem extensionis & impenetrabilitatis, vel impenetrationis manere sine actuali extensione, & impenetratione, & effectum primarium Quantitatis sine secundario.

Partes quãtitatis possunt inter se diuinitus penetrari.

SECTIO III.

Vtrùm Quantitas distinguatur à re quantâ.

I. *Sententia distinguens quantitatẽ est auctoritate superior.*

LIs in hac quæstione præcipuè intercedit inter Nominales & Thomistas, his distinctionem inter Quantitatem & rem quantam astruentibus, illis negantibus. Thomistas communiter sequuntur recentiores Philosophi, & Theologi in hac quæstione, estque auctoritate superior hæc sententia, licèt in ratione distinctionis huius assignandâ non parum laborent.

II. *Quantitatem distingui à re quanta est opinio Arist. S. August. & S. Thomæ.*

P. Suar. d. 4. Met. sect. 2. latè probat & auctoritate & ratione quantitatem distingui à substantiâ, seu re quantâ. Et sanè videtur clara mens Aristotelis, tum alibi, tum primo Physicorum, tex. 15. vbi ait: *si substantia & quantum sunt, duo sunt*: item in eâdem opinione videtur esse S. Augustinus 5. de Trinit. cap. 10. dicens, *In his quæ magnitudinis participatione magna sunt, aliud est magnitudo, aliud quod ab eâ magnum est.* Idem expressè docet S. Thomas 3. p. quæst. 77. ar. 2. & in 4. d. 12. quæst. 1. ar. 1. & Scotus in 4. d. 12. q. 2. & in 2. d. 9. d. 9. qua in re vtraque Schola suum sequitur Magistrum. Quare hanc sententiam longè puto probabiliorem.

Quantitas realiter distinguitur à re quantâ.

III. *Probatur primò ex sacro sanctâ Eucharistiâ.*

Primum argumentum quod ad hoc probandum affertur, desumitur ex mysterio Eucharistiæ, vbi, destructâ substantiâ panis, videmus manere adhuc accidentia, seu species panis in eâdem extensione impenetrabilia, quâ ante consecrationem, ergo manet eadem quantitas, seu forma cum hac extensione & impenetrabilitate, cùm, manente effectu formali, maneat etiam forma necesse sit.

IV. *Hoc argumentũ non conuincit.*

Hoc argumentum, esto non conuincat, probabiliter tamen suadet intentum: licèt enim respondere quis posset Deum ibi supplere defectum quantitatis ad obtegendum mysterium, producendo scilicet per se vt auctor supernaturalis est, extensionem illã quam vel quantitas vel substantia, in sententiâ quãtitatem non distinguente à substantiâ, naturaliter exigit, hoc inquam siquis diceret, non posset clarè conuinci, nullam tamen huius assertionis rationem redderet, & experientia potiùs suadet contrarium.

V. *Non est idẽ de grauitate, & quãtitate.*

Dices; in libris de Animâ asseruisse nos, valde posse probabiliter defendi grauitatem nõ distingui à formâ substantiali, & hoc modo ibidem ad similẽ obiectionem ex Eucharistiâ petitam respondimus. Resp. nos vrgentem rationem huius assertionis ibidem adduxisse, nempe conformitatem in modo operandi cum aliis omnibus rebus, quibus ad operationes ad intra non assignantur potentiæ accidentales, vt ignis producit calorem in se per suam substantiam, aqua frigus, anima potentias in sententiâ S. Thomæ, & sic de aliis; ergo cùm per grauitatem operentur res ad intra, producendo scilicet in se motum, non est cur ipsis addamus grauitatem distinctam, magis quàm igni qualitatem aliquam distinctam, per quam in se calorem & siccitatem producat, quod tamen à nemine asseritur.

VI. *Obi. quãtitatem nõ distingui ab aliis accidentibus.*

Dices secundò; manere in speciebus Eucharisticis quantitatem; accidentia enim materialia sunt quantitas, sunt enim ex naturâ suâ extensa & impenetrabilia cum aliis accidentibus eiusdem speciei, esto enim calor penetrari possit cum albedine, dulcedine, & aliis qualitatibus specie diuersis, non tamen cum alio calore, sicut nec albedo penetrari potest cum aliâ albedine, & sic de cæteris, & consequenter accidentia sunt ibi quantitas. Sed contrà, vniuersim enim loquendo non est verum non posse duo accidentia numero tantùm distincta inter se penetrari; primò enim plurimi ex aduersariis admittunt intensionem qualitatum fieri per gradus homogeneos, & consequenter numero solùm distinctos. Deinde, duæ species visibiles numero tantùm diuersæ sunt in eâdem parte aëris & oculi, & consequenter inter se penetrantur: quod etiam verum est de duabus visionibus & imaginationibus obiectorum numero tantùm distinctorum. Præterea, visio directa & reflexa eiusdem obiecti possunt esse simul in eâdem parte oculi, imò & duæ reflexæ ex duobus speculis diuerso loco successiuè applicatis, hæ tamen visiones non distinguuntur specie. Et hoc sit secundum argumentum pro hac sententiâ.

Resp. ostendendo alia accidentia non esse quantitatem.

VII. *Duæ partes aëris lucido essent magis impenetrabiles, quam partes aëris tenebrosi.*

Tertiò argumentor: si accidentia, seu qualitates per se sint quantitas, ergo quo quis habet plura accidentia, eo erit magis impenetrabilis cum aliâ re habente similia accidentia, sicque aër lucidus magis erit impenetrabilis cum aliâ parte aëris lucidi quàm eum tenebroso, aut quàm duæ partes aëris tenebrosi inter se, quod tamen est contra communem conceptum omnium, & à nemine conceditur; manifeste nihilominus sequi videtur ex hac sententiâ, vt constat.

VIII. *Hæc argumenta reddunt sententiam de distinctione quãtitatis solum probabilem.*

Hæc argumenta probabilem reddunt hanc sententiam, & licèt non conuincant, coniuncta tamen cum tantâ auctoritate non est cur quemuis indifferentem in eam non inclinent. Vnde Soto cap. de Quantit. qu. 2. licèt hanc sententiam teneat, contrariam tamen probabilem esse asserit, nec posse satis firmâ ratione improbari: Suar. d. 40. Met. sect. 2. & Pereira in Physicis aiunt eam vix posse conuinci falsitatis. Quare reiicienda est hac in parte censura Ruuij, qui non solùm ait communem hanc sententiam esse in Philosophiâ euidentem, sed fide suppositâ non posse oppositum sustineri.

IX. *Obi. non sunt multiplicanda entia sine necessitate.*

Contrariam ergo sententiam, vt dixi sequuntur Nominales omnes, & affirmant nõ distingui Quantitatem, vel à materiâ, vel accidentibus, sed singula accidentia esse per se impenetrabilia cum aliis eiusdem speciei. Arguunt primò: *non sunt multiplicãda entia sine necessitate*; sed nulla est necessitas distinguẽdi Quantitatem à rebus quantis, ergo. Ad hoc argumentum non alio modo respondet P. Hurtado hic d. 13. sect. 2. num. 12. quàm dicendo illud esse leue ad sententiam communi Scholasticorum auctoritate firmatam improbandam, ad hoc enim, inquit, necessaria est euidens demonstratio in contrarium. Aliquid tamen amplius est respondendum, dicunt enim contrarij hanc esse euidentem demonstrationem.

X. *Resp. ad entia multiplicanda sufficere necessitatẽ secundum quid.*

Resp. ergo distinguendo maiorem, non sunt multiplicanda entia sine necessitate simpliciter, nego Maiorem; sine necessitate secundùm quid concedo; vnde neganda est Minor, & consequentia: necessitas verò hic secundùm quid est experientia, quam habemus ex mysterio Eucharistiæ, in quo ad oculum patet manere effectum formalem Quantitatis, nem-

pe

Licet entia, ita ne miracula multiplicanda sunt sine necessitate.

pe extensionem & impenetrabilitatem, ergo probabile est manere radicem illius, seu formam hoc exigentem. Quod enim dicunt hoc fieri miraculosè, gratis id asserunt, cùm nullum aliunde argumentum habeant ad probandum ibi non manere Quantitatem. Vnde sicut arguunt ipsi non esse multiplicanda entia sine necessitate, ita argui è contrario posset non esse multiplicanda miracula sine necessitate, & tantam habet vim hæc argumentatio, ac illa, nisi aliunde ostendatur satis vrgens pro identificatione quantitatis cum substantiâ.

XI. Arguunt secundò: si ad alia accidentia recipienda requiratur quantitas tanquam eorum subiectũ, cum quãtitas etiam sit accidens, requiret etiam aliud accidens in quo ipsa subiectetur, & illud accidens requiret aliud, & sic in infinitum. Resp. non requirere nos quantitatem tanquam subiectum aliorum accidentium; diximus enim in Physicis, subiectari illa immediatè in materiâ primâ, & solùm requiri quantitatem tanquam dispositionem quandam, quia nimirum non possunt agentia naturalia operari nisi in subiecto quanto, & extenso: quod tamen intelligitur naturaliter; si enim diuinitùs conseruaretur substantia aliqua sine quantitate, possent in illam agere agentia naturalia, vt dicetur sect. sequente. Hoc tamen concesso, negatur consequentia, sicut enim non sequitur processus in infinitum in causis efficientibus, ita vt semper detur prior & prior in infinitum, ita nec hoc sequitur in materialibus: vnde licèt materia requireret accidens aliquod, nempe quantitatem, ad recipiendum alia accidentia, nõ tamen proptereà sequitur requirere aliud accidens ad recipiẽdam ipsam quantitatem: sicut enim datur primum in causis efficientibus, ita & in materialibus.

Ex eo quod quantitas esset subiectum accidentium, nullus sequeretur processus in infinitum.

SECTIO IV.

Alia quædam ad Quantitatis notitiam spectantia.

I. QVæres primò, vtrùm Quantitas sit modus? Resp. negatiuè, cùm diuinitùs existere possit separata à subiecto, vt cernitur in speciebus Sacramentalibus. Nec est maior ratio cur Quantitas censeatur esse modus, quàm albedo, nigredo, calor, frigus, lux, & qualitates omnes, imò quàm formæ substantiales materiales. Cùm ergo non sit peculiaris aliqua ratio cur asseratur esse modus, & aliunde mysterium Eucharistiæ ostendat eam conseruari separatam à subiecto, substantiâ scilicet panis, dicendum est eam non esse modum, sed accidens absolutum.

Quantitas non est modus.

II. Quæres secundò, an materia conseruari possit sine Quantitate? Resp. posse. nulla enim huius rei apparet probabilis implicantia, vt constabit ex sequentibus. Casu autem quo materia conseruaretur sine quantitate & grauitate (quod non est cur fieri diuinitùs non possit) non confluerct ad punctum, per se loquendo; quidni enim adhuc retinere posset priorem locum? effectus quippe formalis Quantitatis non est actualis extensio, sed radicalis, iuxta iam dicta: vnde non est cur non retineat substantia illa priorem extensionem, seu vbicationem: licèt enim substantia sine quantitate non exigat talem præsentiam, sed possit ab Angelo secundùm diuersas partes complicari, & secundùm vnam partem cum aliâ penetrari, non tamen respuit præsentiam illam, sed est illi præternaturalis, sicut motus circularis igni in suâ sphærâ, &, vt aliqui volunt, motus cœlo.

Possit materia conseruari sine quantitate.

Materia existens sine quantitate, non conflueret ad punctũ.

III. Moueri etiam tunc posset substantia illa localiter ab Angelo; non tamen ab agente aliquo materiali & quantitatiuo, cum eâ quippe penetraretur, & consequenter imprimere ei motum, aut impetum non posset, cùm ei non obsisteret: sicut, vt suprà ob eandem rationem diximus, non posset agens quantitatiuum eam diuidere.

Materia sine quantitate non posset moueri ab agente quantitatiuo.

IV. Quæres tertiò, vtrùm, si auferatur quantitas, possit punctum materiæ naturaliter ad spatium diuisibile extendi, sicut potest anima aut Angelus existens in puncto? Resp. non posse ob limitationem naturalem: gratis autem quis illam ei perfectionem tribueret.

An ablata quantitate possit punctum materiæ extendi.

V. Quæres quartò, vtrùm posset animal aliquod, si diuinitùs conseruaretur sine quantitate, se mouere? Ab alio agente quantitatiuo moueri non posse iam proximè dictum est. Motu ergo grauitatis posset moueri naturaliter: cùm enim singulæ partes adhuc retinerent suam grauitatem, vt supponimus, omnes seu totum animal descenderet ad centrum, cùm nõ inueniret resistentiam, quò cùm per aliquam sui partem peruenisset, reliquæ partes adhuc descendendo cum prioribus penetrarentur. sicque totum animal in centro collocaretur in puncto. Quare si Deus à toto elemento terræ & aquæ manente grauitate, auferret quantitatem, confluerent illico ad punctum.

Animal sine quantitate si retineret grauitatem, descenderet ad centrũ, & confluere ad punctum.

VI. Quoad motum localem, existimo animal non posse tunc mouere se motu progressiuo, cùm ad huiusmodi motum requiratur certa organizatio, cuius præcipua pars est Quãtitas. Multò minùs mouere se posset à terrâ saltando, cùm ad hoc præter organizationem requiratur impetus quidam in terrâ impressus, & terræ resistentia, quæ tunc nulla esset, resistentia enim requirit impenetrabilitatem.

Animal sine quantitate nõ posset se mouere motu progressiuo.

VII. Tandem quoad motum alterationis, videtur posse lignum ablatâ quantitate alterari, modò maneat extensum; imò aliqui putant faciliùs tunc, & citiùs alteratum iri, cùm ignis meliùs illi applicaretur, nec enim esset ipsi proximus solùm, sed intimè posset cum eo penetrari, & sic magis esset indistans.

An sine quantitate possit alterari.

VIII. Quæres quintò, quæ sint species Quantitatis? In primis Aristoteles ait locum & tempus esse species Quantitatis. Sed sumit ibi Quãtitatẽ Aristoteles latè, locus enim vel sumitur pro imaginario, vel pro reali; si primum, non potest esse Quantitas. cùm locus imaginarius vel nihil sit, vel ad summum negatio. Locus etiam realis intrinsecus, nempe vbicatio, non est Quantitas, vt constat, cùm eadem Quantitas maneat mutatis vbicationibus. Si autem sermo sit de loco reali extrinseco, nempe aere, aut re aliâ ambiente, tunc quidem est quantitas, non tamẽ peculiarem constituit speciem Quantitatis, sed quasi transcẽdit res omnes materiales, cum nihil eiusmodi sit, quod non possit esse locus extrinsecus respectu alterius rei. Tempus etiam non est species Quãtitatis, si propriè & in rigore loquamur: nec enim imaginarium nec reale, ob rationes proximè allatas de loco, quæ hic à fortiori vim habent.

Quomodo locus, & tempus sint iuxta Aristotelem quantitas.

IX. Diuiditur ergo Quantitas, vt diximus, tanquam in præcipuas species, in *continuam*, & *discretam*. Quãtitas *continua* sunt res omnes materiales habentes diuersas partes quæ aptæ sunt occupare locum Quantitas *discreta* est numerus diuersarum rerum quantitatiuarum, vt hominum, leonum, &c. quæ inter se non coniunguntur, ita vt faciant vnam rem continuam.

In quo differãt quãtitas continua & discreta.

X. Quòd autem aliqui dicant Quantitatem continuam aptè diuidi in pũcta lineas, & superficies; quæ proinde vocant species Quantitatis continuæ, non tamen potest diuidi Quantitas in hæc tanquam in species completas, sed solùm incompletas, cùm singulæ per se completè constituere Quantitatem non possint, vt in Phys. ostensum est disp. 44. & 45 Quãtitatem continuam definit Aristoteles esse *id quod est diuisibile in partes actu vnitas*. Quantitatis verò discre-

Non diuiditur quãtitas continua in pũcta, lineas, & superficies tanquam in species completas.

te inter alias definitiones hanc tradit, quæ omnium videtur optima & clarissima, *Quantitas* ... quit, *discreta est illa quæ habet partes extra partes termino communi non copulatas.* Quæ definitio ita clara est, vt declaratione non indigeat.

DISPVTATIO X.

De Qualitate, & reliquis Prædicamentis.

SECTIO PRIMA.

Declarantur ea quæ spectant ad notitiam Qualitatis.

I. *Qualitas varijs modis sumitur.*

QValitas variè sumitur: primò latissimè, pro omni eo scilicet, quod alteri aduenit per modum formæ, siue quid substantiale sit, siue accidentale: sic differentia substantialis dici solet prædicari in *quale quid.* Secundò, sed minùs etiam propriè sumitur Qualitas pro omnibus accidentibus, vt cùm dicimus accidens prædicari simpliciter in *quale.* Tertiò, prout constituit hoc prædicamentum, cuius natura, quia ignota, definitur vel describitur ab Aristotele his solum verbis, *Qualitas est quâ quales esse dicimur, & per quam respondemus ad quæstionem qualis res sit.* Quæ definitio, licèt nonnullis recentioribus non placeat, ipsi tamen nihilo meliores, imò quasdam multò peiores statuunt, quarum proinde relatione supersedeo.

Describitur qualitas ab Aristotele.

II. Omissis ergo aliorum definitionibus Qualitatis, quas singuli ferè singulas assignarūt, sic mihi non incongrue definiri posse videtur: *Qualitas est accidens absolutum, à quantitate distinctum, bene vel malè afficiens subiectum.* Hæc definitio omnes & solas qualitates complectitur, & vlteriùs Qualitatis naturam explicat. Per particulam *absolutum*, Qualitas distinguitur à Relatione, & alijs accidentibus modalibus, particulæ sequentes eam distinguunt à Quantitate: vltimæ demum particulæ effectum formalem Qualitatis declarant: nulla enim omninò est qualitas, siue materialis, siue spiritualis, quin vel boni aliquid, vt ornatum, potentiam &c. vel mali, aliquid scilicet disconueniens subiecto afferat, vt est calor aquæ, dolor animali, &c. In hoc ergo alijs præferenda mihi videtur hæc nostra definitio, quòd quædam ex illis definitionibus licèt qualitatem ab accidentibus alijs distinguant, illius tamen naturam non declarant. Qua de causâ, hæc secundùm omnes censetur mala definitio hominis, *Homo est corpus, aut viuens rationale,* licèt omni & soli homini conueniat.

Vera Qualitatis Definitio.

III. Qualitatem in quatuor species diuidit Aristoteles: prima est *habitus & dispositio. Habitus* est qualitas difficilè mobilis à subiecto, & iam quasi versa in naturam, vt habitus vitiosus, cùm scilicet quis diu assuetus est alicui vitio, quod proinde à se remouere, nisi magno conatu ac studio non potest. *Dispositio* è contrà est qualitas facilè mobilis, vt calor. Hic tamen cum Aristotele notandum, si dispositio alio modo sumatur seu latè, nempe vt significat omne id, quod quouis modo disponit subiectum, sic omnem *habitum* esse etiam *Dispositionem*, non tamen si propriè sumatur Dispositio, vt significat Qualitatem facilè mobilem.

Primò diuiditur qualitas in Habitum & dispositionem.

IV. Secunda species Qualitatis est *Potentia & Impotentia* ad aliquid agendum. Per *potentiam* intelligitur quæcunque Qualitas insita à natura ad agendum, vt intellectus, voluntas &c. Per *impotentiam* verò intelligunt quidam qualitatem insitam ad resistendum: alij virtutem remissam ac debilem ad agendum non tamen meram negationem potentiæ.

Secunda qualitatis diuisio est in Potentiam, & Impotentiam.

V. Tertia species est *Passio & Passibilis qualitas*: *Passio* iuxta Aristotelem, vt hîc sumitur, est qualitas citò transiens à subiecto, orta ex perturbatione aliquâ subitâ, vt rubor ex verecundia, quæ est *quidam timor ignominiæ*, & pallor ex metu, qui est *timor imminentis mali. Passibiles qualitates* sunt similes prioribus, permanentes tamen: vnde si ille ipse rubor, qui nunc ex verecundia prouenit, permaneret, seu oriretur ex complexione naturali diceretur, non *passio* sed *passibilis qualitas. Passibiles* ergo *qualitates* simpliciter tribuunt denominationem, non *passiones*: vnde non dicitur quis iracundus ob vnum vel alterum actum iræ, nec simpliciter rubeus, quòd subinde erubescat.

Tertia diuisio est in Passionē, & Passibilē qualitatem.

Rubor ex verecūdiâ & pallor ex metu, quid denotent.

VI. Quarta species Qualitatis est *forma seu figura*, vt simitas, & rotunditas: vbi ponit differentiam Aristoteles inter *quadrangulum*, & *quadratum*, quòd illud habeat quatuor angulos inæquales, hoc quatuor æquales. Alij, & non malè, diuidunt qualitatem in naturalem & supernaturalem, vitalem & non vitalem. Sed de his satis.

Quarta species qualitatis est Forma, seu Figura.

SECTIO II.

De Contrarietate Qualitatum inter se.

I. DVas hic statuit Aristoteles proprietates Qualitatis: prima est habere contrarium, vt calor habet frigus, albedo nigredinem, & è contrà · quod Quantitati, nec substantiæ formaliter, sed solùm radicaliter conuenit, quatenus scilicet sunt susceptiua contrariarum qualitatum. Siquis tamen dicere vellet, formas aliquas substantiales, vt aquæ & ignis, animæ & formæ cadauericæ, sibi esse contrarias, non facilè conuinceretur. Certè peculiarem habent oppositionem, nec merè se inuicem expellunt ob incapacitatem subiecti, sicut in plerisque alijs formis substantialibus contingit: si enim Deus in hac incapacitate subiecti dispensare vellet, adhuc carissimo opus esse noua dispensatione vt forma ignis & aquæ subiectum idem simul informent, ob peculiarem earum repugnantiam. Deinde, maximè distant sub eodem genere, quæ est definitio contrariorum.

Prima qualitatis proprietas iuxta Aristotelem est habere contrarium.

Non videtur improbabile formas aliquas substantiales sibi esse contrarias.

II. Hæc tamen proprietas in omnibus qualitatibus non reperitur, lumen enim contrarium non habet, sicut nec potentiæ animæ, si ab anima distinguūtur. nec colores medij viriditas, rubedo. &c. si stricte & rigorosè loquamur. si quam tamen habeant contrarietatem, in tantum habent, in quantum magis vel minùs participant de extremis, albedine scilicet & nigredine; *contraria* enim, vt dixi iuxta Aristotelem, illa tantùm sunt, *quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem mutuò se subiecto expellunt.*

Multæ qualitates, vt lux potentiæ animæ, &c nō habent contrarium.

Quæ sint contraria.

III. Secunda proprietas Qualitatis, per quam etiam differt à Quantitate, & substantia, est, quòd suscipiat magis & minùs, non quidem Logicè, vt aiunt, seu Metaphysicè, & essentialiter (*essentia enim consistunt in indiuisibili*) sicque essentialiter loquendo, tam primus gradus caloris est calor quam octauus; sed physicè & secundùm intensionem: sic vnus paries est magis

Secunda qualitatis proprietas est suscipere magis & minùs.

Non convenit hoc omni qualitati.

magis albus quàm alius, vna aëris regio magis calida, vel frigida quàm alia, &c. Hæc tamen etiam proprietas omnibus qualitatibus non competit, potentiæ enim vitales dicuntur communiter non suscipere magis vel minùs. Licet autem prima substantia dicatur ab Aristotele maximè substantia, hoc tamen solùm dicitur ab attributo substandi, quod scilicet indiuidua aliis substent, non quoad intensionem.

IV. *Dubitant aliqui vtrum calor & frigus sint contraria.* Dubitant hîc aliqui, vtrùm inter calorem & frigus (idem esse solent de quibuscunque aliis qualitatibus) sit vera & propria contrarietas, seu peculiaris antipathia, & oppositio circa idem subiectum, an solùm se inuicem expellant propter incapacitatem subiecti, quo pacto quæcunque duæ formæ substantiales se inuicem expellunt.

V. *Qui gradus caloris & frigoris statuunt homogeneos, ægrè in iis reperient contrarietatem.* Qui gradus caloris & frigoris statuunt homogeneos, ægrè propriam hîc contrarietatem reperient, sed in eâ sententiâ totum refundi videtur in limitatam virtutem subiecti, quod capax solùm est naturaliter octo graduum in vniuersum caloris & frigoris. Vnde, quando subiectum est plenum, si alius gradus inducatur, vnus aliquis ex prioribus eâdem operâ expellatur necesse est. Sicut si vas aliquod esset capax octo tantùm mensurarum aquæ, si nona infunditur, vna aliqua ex prioribus effundi deberet: indifferens tamen est quænam illa sit, sicut in gradibus etiam caloris non refert quis sit qui ad inductionem noui gradûs expellitur, modò aliquis expellatur.

VI. *Si gradus sint heterogenei, clarè cernitur vera inter has qualitates contrarietas.* In verâ tamen sententiâ, gradus hosce statuente heterogeneos, facilè ostenditur propriissima contrarietas inter has qualitates, & quòd se inuicem expellant ob certam & peculiarem oppositionem quorundam graduum inter se, & non ob meram incapacitatem subiecti; si enim inducto quinto gradu caloris ex. gr. expelleretur gradus aliquis frigoris, merè quia subiectum habere nequit in vniuersum nisi octo gradus, sufficeret quicunque ex gradibus frigoris expelli, & tamen videmus à quinto illo gradu caloris peti peculiariter quartum gradum frigoris, cæteris illæsis, quod signum est, peculiarem oppositionem, &, vt ita dicam, inimicitiam naturalem inter quintum gradum caloris & quartum frigoris intercedere, quæ non intercedit inter quintum illum gradum caloris & secundum vel tertium frigoris: itaque peculiari modo hi gradus sunt cōtrarij.

VII. *Amor & odium, assensus & dissensus circa idem obiectum, à fortiori sūt contraria.* Hinc infero, à fortiori oppositionem contrariam intercedere inter amorem & odium, assensum & dissensum circa idem obiectum; ita enim sibi inuicem aduersantur vt nec in gradibus, quantumuis remissis, consistere simul naturaliter in eodem subiecto possint. Hoc autem refundi nequit in incapacitatem subiecti; subiectum enim, quod sustentare potest actum amoris intensum vt octo, seu octo gradus amoris circa aliquod obiectum, posset à fortiori sustentare simul actum amoris & odij circa idem, quorum vterque esset intensus tantùm, vt vnum, nisi peculiaris esset inter eos oppositio.

VIII. Circa secundam etiam proprietatem Qualitatis num. secundo relatam, quòd scilicet intendi possit & remitti, quo pacto hoc etiam non competat substantiæ, ostensum est in lib. de Generat. disp. decimâ sect. nona, numero octauo.

SECTIO III.

De reliquis Prædicamentis.

I. *Actio, Passio, Vbi.* ACtio est influxus, seu causalitas, qua agens aliquid producit, seu est via ad terminum. *Passio* est ratio formalis per quam effectus causatur, & sustentatur, ac educitur e subiecto: de quibus latiùs in Physicis disp. quadragesima. *Vbi* est ratio formalis per quam res habet esse in loco; seu qua loco affigitur.

II. *In quo differunt situs ab vbi.* Situs non distinguitur ab vbi & figura: significat autem modum particularem taliter vel taliter occupandi locum, sedendo scilicet, stando, cubando, &c. & per hoc distinguitur ab *vbi*, quòd hoc solùm significet præcisè occupationem illius loci, non tamen modum occupandi, quòd scilicet quis sit hac vel illa ratione locatus.

III. *Quando, Habitus.* *Quando* est duratio cuiusque rei, seu correspondentia ad tempus imaginarium. *Habitus* videtur denominatio extrinseca à re habita, vt esse vestitum, esse armatum; quod idem est ac habere vestes, vel arma. Habitus nonnunquam alio modo sumitur, vt cum dicimus, *Habitus & priuatio*; tunc autem significat formam aliquam accidentalem oppositam priuationi.

IV. *Prædicamenta omnia non distinguuntur realiter, imò nec ratione ratiocinatâ.* Hîc tandem notandum, non omnia Prædicamēta distingui realiter, imò neque ratione ratiocinata semper secundùm diuersas formalitates, sed aliqua distinguuntur solùm penes explicitum & implicitum. Prima pars constat in *actione & passione*, quæ secundùm communem sententiam non distinguuntur realiter. Secunda pars ostenditur in *Situ & Vbi*, imò & in *actione & passione*, quæ non videntur aliter distingui posse, quàm penes explicitum & implicitū.

DISPVTATIO XI.

De Prædicamento Relationis.

NVllam in toto cursu philosophico quæstionem vel fusiùs auctores, vel exactiùs tractant, quàm de Relatione, eiusque naturam ac proprietates accuratissimè declarant. Quod eo, vt arbitror, consilio faciunt, licèt enim Relatio per se res admodum minuta sit, eius tamen mentio sæpissimè in rebus naturalibus explicandis recurrit, quæ vt inter se ordinem quendam dicunt, ita per hunc ordinem commodissimè explicantur. Vnde quid ordo, quid respectus, seu (quod in re idem est) Relatio sit, perspectum plenè habeat necesse est, quisquis rerum naturalium naturam indagandam aggreditur, quam nisi habeat exploratam, ad singulos penè passus hærebit, nec in cœpto opere progredi omninò poterit. Hanc proinde hîc explicandam suscipimus.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla ad Relationis notitiam præmittuntur.

I. *Relatiua sunt, quorum esse est ad aliud.* ARistoteles hîc cap. de relatione prope finem relatiua sic definit: *relatiua sunt quorum esse est ad aliquid, seu ad aliud aliquo modo se habere*, siue vt communiter explicant interpretes, *relatiua sunt, quorum esse est ad aliud*, seu respicere aliud, nam vt vidimus d. 1. s. 1. n. 7. *aliquid* idem est ac *aliud quid*.

II. *Ad Relationem requiruntur Fundamē-* Ad Relationem ergo tria requiruntur, *fundamentum, terminus, & ratio fundandi*. *Fundamentum* relationis est illud, quod refertur, *Terminus* id ad quod refertur, *Ratio fundandi*, quòd & fundamentum proxi-

Terminus, & Ratio fundandi. minum vocatur, est illud, quod est causa, seu ratio, vel necessaria saltem conditio, vt vna res respiciat, vel referatur ad aliam. Ex. gr. Petrus est Pater Pauli, substantia Petri est fundamentum Relationis paternæ, Paulus est terminus, & generatio vocatur ratio fundandi. Non tamen semper ratio fundandi, seu fundamentum proximum est realiter à subiecto distinctum, vt cum duæ qualitates referuntur ad mutuam relatione æqualitatis: & idem est de duabus substantiis, & aliis innumeris, de quibus postea.

III. *Relationem dari affirmant omnes, paucis probans.* Dari huiusmodi Relationes ita authorum omnium testimonio probatur, vt eas negare error in philosophia censeatur à plurimis. Ratio autem efficax ad illas astruendas haud facilè assignatur. Probant aliqui, quia datur Relatio rationis, ergo & realis ad cuius similitudinem fingatur. Hæc tamen ratio non videtur efficax, ad hoc enim sufficere posset Relatio transcendentalis, vt cùm videmus causam dicere habitudinem ad suos effectus, vel lapidem propendere ad centrum: nec enim ad aliquid fingendum opus est, vt aliud planè simile videamus, sed ex vno aliquo quod videmus, occasionem sumimus mille alia fingendi.

IV. *Optima probatio est, quod reperiantur Relationes in Diuinis.* Ratio ergo efficacissima sumitur ex Diuinis. vbi certum est dari veras Relationes reales, vt Paternitatis per quam Pater refertur ad Filium, & Filiationis per quam Filius vicissim refertur ad Patrem. Cum ergo in creatis sit etiam verè Pater & Filius, quidni dentur Relationes, per quas in esse talium constituantur? Certè non repugnant ob perfectionem, cum alia entia longè perfectiora reperiantur in creatis, vt substantia, quantitas, qualitas: nec propter imperfectionem, cùm in Deo reperiantur, licèt in Deo, cùm accidentium capax non sit, sint substantia, & cum eo realiter identificatæ. Imò res variæ non multò perfectiores in creatis reperiuntur, vt modi. Hæc ratio, licèt fortassis non conuincat, probabilitate tamen non caret.

V. *Multa illa, quæ sine relatione concipi nequeunt.* Secundò probatur: multa sunt in creatis, quæ sine ordine ad aliud intelligi nequeunt, hoc autem est Relatio, ergo. Maior probatur. non possumus namque concipere Filium quin concipiamus substantiam illius referri ad aliquid aliud, ergo ibi concipimus respectum aliquem, & relationem, seu respicientiam ad terminum, nempe patrem, nec enim respicit se, sed aliud. Idem est in Patre respectu Filii, & vt multi volunt, in aliis Relationibus similitudinis, æqualitatis &c. Et hoc est quod dicit Aristoteles dum definit Relatiua esse, *quorum totum esse est ad aliquid, seu aliud quid se habere.*

VI. *Duplex ratio Relationis, Esse ad, & Esse in.* Hic etiam notandum in omni Relatione Prædicamentali, duplicem reperiri rationem, ESSE IN & ESSE AD. *Esse in* communis illi ratio est cum cæteris omnibus accidentibus: *Esse ad* est ratio propria huius Prædicamenti, seu ratio Relationis, non prout inest subiecto, sed prout respicit aliud, seu refertur ad terminum. Ex his ergo duabus rationibus constat Relatio estque ratio in vno existens, aliud respiciens, vt paternitas existens in patre, respiciens filium.

SECTIO II.

De Relatione rationis, secundùm dici, Prædicamentali, & transcendentali.

I. *De Relatione rationis.* DE Relatione rationis fusè dictum est in Logicâ tract. de Ente rationis. Nihil ergo aliud est quàm Relatio aliqua per intellectum ficta in obiecto, estque proinde ens rationis, vtpote cuius totum esse est esse obiectiuè in intellectu, qui illud ad similitudinem alicuius Relationis realis fingit & fabricat. Videatur disp. 17. Log. sect. secunda.

II. *Male aliqui confundunt Relationem secundum dici cum transcendentali.* Relationem secundùm dici confundunt aliqui cum transcendentali, sed malè, transcendentalis enim Relatio vbicunque est, est vera & realis habitudo ad aliquid, causæ ver. gr. ad effectum, vt constat in materiâ primâ respectu formarum, & potentiæ respectu suorum actuum. Relatio autem secundùm dici ideò solùm vocatur Relatio, quia per modum habitudinis, seu in ordine ad aliquid aliud explicatur, consistitque solùm in modo nostro concipiendi, vt declarabitur numero sequente.

III. *Quid sit Relatio secundum dici.* Nihil ergo est Relatio *secundùm dici* intrinsecum obiecto, sed sola denominatio extrinseca ab actu intellectûs, illud concipiente in ordine ad aliud, ob imperfectionem nostri intellectûs, qui res prout sunt in se concipere semper non potest. Non ergo attribuimus obiecto quidquam per huiusmodi actum intellectûs, sicut facimus cùm fingimus in illo Relationem rationis, sed solùm ex parte concipientis formatur conceptus ad imitationem rei alicuius positiuæ, quam tunc menti repræsentamus. Sic concipimus res spirituales per modum corporis, Angelum ad modum iuuenis alati, Deum Patrem ad modum senis &c.

IV. *Relationes transcendentales vocantur subinde secundum dici.* Relationes tamen *secundùm esse* aliquo modo vocari solent *secundùm dici*, in quantum scilicet concipiuntur & explicantur in ordine ad aliud, non tamen sunt Relationes *secundùm dici* tantùm, vt res aliæ quæ explicantur per ordinem ad aliud ex parte modi concipiendi, cùm tamen in re nullam dicant ad illud habitudinem, vt Angelus ad iuuenem alatum. Aliquo tamen modo possunt Relationes transcendentales vocari Relationes *secundùm dici*, quia nimirum non sunt tam propriè Relationes, atque Relationes Prædicamentales, harum enim totum esse est ad aliud se habere, secùs sunt purissimos respectos, cùm tamen Relationes transcendentales, vt plurimùm sint & vocentur res absolutæ, & non consistant purè in *esse ad*.

V. *Differentia inter Relationem Prædicamentalem, & transcendentalem.* Inter Relationem transcendentalem & prædicamentalem hoc interest, quod Relatio transcendentalis sit ipsa Entitas rei, quæ respicit aliud. Relatio autem prædicamentalis est quid fundamento, quod refertur, adueniens, ac proinde vt plurimùm abesse ab illo potest. Sic homo existere potest sine Paternitate &c. Ratio est, quia transcendentalis Relatio, cùm sit ipsa sola entitas rei, separari ab eâ non potest, cùm nihil separari possit à se. Ac proinde Relatio transcendentalis nō aduenit alicui rei iam in suo esse constitutæ, sed est aliquid realiter eum re illâ identificatum, & complens entitatem, cuius respectus esse dicitur. Prædicamentalis autem respectus aduenit fundamento plenè iam in suo esse reali, seu essentiali concepto constituto, & illi adhæret tanquam quid illud referens ad aliud.

VI. *Cur vocetur relatio Transcendentalis.* Relatio itaque Prædicamentalis refert fundamentum in quo est ad aliud. Relatio autem transcēdentalis refert se, vt materia est ordo sui ad formam, & forma vicissim ad materiam. Qua etiam de causâ vocatur transcendentalis, quod scilicet transcendat omnia ferè genera entium, nimirumque prædicamenta vt substantiam, quantitatem, qualitatem, actionem &c. cùm tamen Prædicamentalis relatio certis vnius tantùm prædicamenti limitibus definiatur.

VII. *Relationes simpliciter sunt sola Prædicamentalia.* Relationes transcēdentales simpliciter vocantur entia absoluta, vt suprà notauimus, respectu scilicet relationum prædicamentalium: Relationes enim simpliciter sunt sola prædicamentalia: quâ de causâ à S. Thoma & aliis Relationes transcendentales vocantur subinde Relationes *secundùm dici*, quia sunt alterius prædicamenti, & ipsarum munus non est propriè & adæquatè referre sicut prædicamentalium, licèt

licèt necessariò referant se ad aliud, seu sint sui referentiæ, vt dictum est numero præcedente.

VIII. *Relatio prædicamentalis respicit terminum vt purè terminum.*

Hinc oritur alia differẽtia inter Relationem prædicamentalem & transcendentalem, quod Relatio prædicamentalis respiciat terminum vt purè terminum, nihil circa illum aliud agẽdo, quàm merè respiciendo. Transcendentalis verò Relatio aliquid per aliud circa terminum facit, vel illum producendo, si sit actio productiua, vel vniendo si vnio, cognoscendo, amando, &c. Conf. hoc insinuari videtur in ipsâ definitione Relationis, *cuius totum esse est ad aliud*, seu pura respicientia termini, & quod non det aliam denominationem termino, quàm purè respici, seu meram, vt ita dicam, denominationem respectiuè: cùm tamen Relatio transcendentalis semper det termino aliquam aliam determinationem, vt iam dictum est.

IX. *Relatio Prædicamentalis aliam denominationem dat Fũdamento, aliam Termino.*

Dices cum quibusdam recẽtioribus; Relationem etiam prædicamentalem dare aliam denominationem, est enim assimilatio. Contrà, dat aliam denominationem fundamento, concedo antecedens; termino, nego. Vel si etiam det termino, vt in relationibus mutuis, dat termino, non vt terminus est vnius relationis, sed vt est fundamentum alterius. Vnde relatio similitudinis non dat termino denominationem similis, sed tantùm fundamento, terminum autem respicit vt purè terminum.

X. *Pater per Paternitatẽ respicit Filium vt purè terminum.*

Dices secundò; Pater non respicit filium vt purè terminum, sed ipsum causando, ergo. Resp. distinguendo antecedens, causando per Relationem paternitatis, nego antecedens; per actionem generatiuam concedo: per paternitatem autem purè respicit filium, nihil circa ipsum agendo, sicut & filius vicissim per filiationem purè respicit patrem, nihil circa ipsum agendo.

XI. *Dicens Vnio Hypostatica respicit Verbũ vt purè terminum.*

Dices tertiò; vnio hypostatica inter naturam humanam & Verbum Diuinum respicit Verbum Diuinum vt purè terminum, vt docent Theologi, & tamen est Relatio transcendentalis, ergo non est proprium munus Relationis prædicamentalis respicere vt purè terminum. Conf. cognitio, visio, & cæteri actus immanentes, respiciunt obiectum vt purè terminum, ergo &c.

XII. *Quo sensu Verbum sit purus terminus respectu vnionis Hypostaticæ.*

Ad argumentum resp. licèt vnio hypostatica non hoc sensu respiciat Verbum Diuinum, vt ab illo in genere causæ materialis vnio illa sustentetur. Verbum tamen verè vnionem terminat intrinsecè, ita vt ea mediante, ex naturâ humanâ & Verbo fiat vnum compositum substantiale, & per se, & ad hoc vnio ex natura sua ordinatur. Quare hoc solùm sensu dicitur Verbum purus Terminus, quia non subiectat vnionem, verè tamen ab vnione afficitur. Ad confirmationem dico, licèt cognitio, visio, &c. hoc sensu respiciant obiectum vt purè terminum, quod ipsi non sint intrinsecæ, dant tamen termino aliam denominationem quàm purè respecti, nempe denominationem visi, cogniti &c. in quo differunt à Relationibus prædicamentalibus, quæ suis terminis non aliam dant denominationem, quam respecti.

SECTIO III.

Sitne Relatio prædicamentalis concretum ex fundamento & termino.

I. *Statuunt aliqui Relationẽ in concreto ex Fundamẽto, & Termino.*

INualuit inter recentiores quosdam opinio, quam à Nominalibus desumpserunt, Relationem scilicet aliud nihil esse formaliter, præter fundamentum & terminum, sed vtrumque includere, & adæquatè ex iis coalescere, sicque dicunt Relationem similitudinis v.g. inter duos parietes albos esse ipsos illos duos parietes. Relationem etiam paternitatis Ioannis patris respectu Petri filij nihil aliud esse volunt, quàm Ioannem & Petrum cum actione generatiua.

II. *Hæc sententia, inquit Okamus, est contra omnes antiquos.*

Pro hac sententia vndique à recentioribus quæruntur authores, sed præter pauculos Nominales ægrè quemquam inuenient ex antiquis, qui eam sit sequutus. Imò Okamus qui fortasse vel primus; vel inter primos eam tradidit, sic scribit in 1.d.30. q.2. *Si quis, inquit, vellet relinquere authoritatem omnium, negare posset Relationem, & dicere nihil aliud esse, quam entitatem fundamenti, & termini.* Ex quibus Okami verbis duo deduco: primò existimasse ipsum hanc opinionem esse contra authoritatem omnium antiquorum, deinde illos qui eam amplectuntur, quidquid verbis præ se ferant, re tamen vera tollere omnem Relationem. Tenet hanc sententiam P. Hurt. d.15. Met. s.2. P. Arriag. d.12. Log. s.5. n.19. & s.9. P. Ouiedo cont.9. Met. s.4. n.19. & quidã recentiores. Citatur etiam P. Sua. sed ille, licet vno vel altero loco obscuriùs loquatur, vbi tamen suam explicat sententiam clarissimè asserit Relationem adæquatè se tenere ex parte fundamenti, & solùm respicere terminum, sicque P. Hurt. s.3. citato §.19. tandem fatetur P. Suarez huic sententiæ aduersari.

III. *Ex definitione Relationis ostẽditur eam non posse consistere in cõcreto.*

Impugnatur primò hæc sententia, & suppono cũ tota schola Philosophorum, ex Aristotele, qui hic integrum caput scribit *de iis quæ sunt ad aliquid*, seu de Relationibus: & in Metap. de iisdem rerum tractat, dari relationem: quo posito sic argumentor. Definitio Relationis ex Aristotele est, Relatio est *cuius totum esse est ad aliud*; ergo tota ratio Relationis tenet se ex parte fundamenti. Patet consequentia, terminus nec partialiter respicit, vel refertur ad aliud, cùm illud aliud sit ipse terminus, nihil enim refertur ad seipsum, ergo tota ratio respicientiæ tenet se ex parte fundamenti. Antecedens probatur, essentia respicientiæ est, vt totum eius esse sit ad aliud, sed terminus non est aliud à se, ergo non habet respicientiam ad se, ergo non est pars huius respicientiæ, atqui posito quod detur Relatio, necessariò est vel solum fundamentum, vel saltem tenet se adæquatè ex parte fundamenti, cùm solum fundamentum sit quod refertur ad aliud.

IV. *Id quod actiuè aliud respicit est solum Fũdamentũ, ergo Relatio, seu respicientia solum est in Fũdamento.*

Conf. primò, terminus est id quod respicitur, seu id ad quod est Relatio, ergo id quod actiuè respicit, tenet se adæquatè ex parte fundamenti, ergo denominatio respicientis tenet se adæquatè ex parte fundamenti, sed denominatio respicientis formaliter prouenit à Relatione, sicut denominatio albi ab albedine, ergo Relatio tenet se adæquatè ex parte fũdamenti. Conf. secundò, in eo solùm extremo est Relatio, quod denominatur Relatum, sicut ad id solùm terminatur cognitio, quod denominatur cognitum, sed solum fundamentum denominatur Relatũ, non terminus, ergo: terminus verò ad summum denominatur, vt ita dicam, extrinsecè respectus à fundamento per Relationem, ergo terminus non est actiuè respiciens, sed solùm est conditio, vt in fundamento resultet Relatio. Conf. tertiò, propriissima ratio Relationis ab omnibus assignata est ratio *Ad*, sed terminus nec partialiter est ratio *Ad*, nisi ad summum causaliter, seu occasionaliter, ergo terminus non est omninò pars Relationis. Dices; est id quod respicitur, seu ad quod fundamentum terminatur. Contrà, ergo tota respicientia, seu Relatio tenet se ex parte fundamenti.

V. *Opinio de concreto planè tollit Relationẽ.*

Impugnatur secundò, hæc opinio planè tollit omnem Relationem: patet, nam ante positum terminum hic paries nõ respiciebat alterum, est enim formaliter, & adæquatè quid absolutum, sed posito termino non magis alterum respicit, ergo. Minor probatur, terminus est æquè absolutus atque fundamẽtum,

tum, nam est tantùm paries albus sicut alter, ergo si alter non sit respectiuus, neque hic erit, ergo hoc nō habet hic paries per terminum, non enim magis potest terminus absolutus dare fundamento rationem respectiui, quàm albedo denominationem dulcis. Dices; saltem vtrumq; simul hoc habet. Contrà, non minùs implicat ex duobus physicè absolutis fieri vnum verè & Physicè respectiuum, quàm ex duobus albis vnum nigrum, non enim minùs inter se differunt respectiuum & absolutum, si sermo sit de re, quàm album & nigrum. Vnde magis consequenter loquutus est Okamus suprà q.2. qui dum hanc sententiam amplexus est, ipso facto contra omnium authoritatem negandam esse relationem asseruit.

Non magis ex duobus absolutis fieri potest vnum respectiuum, quam ex duobus albis vnum nigrum.

VI. *Ostenditur ex communi omnium sensu Relationem esse in solo Fundamento.*

Tertiò est grauis difficultas in materiâ de Relatione, vtrùm Relatio terminetur ad Relatiuum, an ad absolutum: hæc autem quæstio in hac sententiâ habere locum non potest, si enim Relatio includat terminum vt partem, nihil est ad quod terminetur, terminus enim nec partialiter terminatur ad se, ergo inanis est hæc quæstio in hac sententiâ. Dices; procedit quæstio de parte tantùm Relationis, nempe de fundamento. Contrà, quare ergo non proponunt Philosophi quæstionem de fundamento, sed de Relatione. Certè hinc arguitur manifestè secundùm communem omnium sensum, intelligere ipsos Relationem adæquatè tenere se ex parte fundamenti, & respicere seu esse respicientiam ad terminum.

VII. *Idem vberius declaratur.*

Conf. si in Relatione Patris & Filij ex parte termini nihil aliud sit præter ipsam entitatem termini, Petrum ex. gr. frustra etiam proponeretur hæc quæstio, cùm certum sit non posse fundamentum terminari ad respectiuum, vbi nihil est nisi absolutum, ergo supponunt omnes esse etiam relationem ex parte Filij.

SECTIO IV.

Præcipua impugnatio sententiæ statuentis Relationem in complexo ex Fundamento & termino.

I. *In sententiâ de concreto, idem est esse Patrē, & esse Filium, seu Pater & Filius.*

QVartò itaque impugnatur sententia illa Relationem constituens, in complexo. Ex hâc sententiâ sequitur idem prorsus esse Patrem & Filium, seu *esse Patrem* & *esse Filium*, sed hoc dici nequit, ergo. Quod hoc dici nequeat, constat: si enim sit planè idem à parte rei *esse Patrem* & *esse Filium*, de quocunque prædicatur ac verificatur vnum, prædicari potest & verificari alterum, cùm re ipsâ in hac sententiâ non sit vnum & alterum: sicut quia idem à parte rei est esse album & esse disgregatiuum visûs, de quocunque prædicatur vnum, prædicari potest alterum, quia re ipsâ non est vnum ac alterum. At verò manifestè falsum videtur *esse Patrem* prædicari posse de eo de quo prædicatur *esse Filium*, magis quā *esse dominum* de eo de quo prædicatur *esse seruum*, imò quàm prædicari *esse album* de omni eo de quo prædicatur *esse calidum*.

II. *Ostenditur sequi idem esse Patrem & Filium.*

Maior itaque probatur: Pater, seu *esse Patrem* in hac sententiâ nihil aliud est, quàm duo homines & generatio, Adam ex. gr. & Abel cum actione generatiuâ ad Abelem terminatâ, sed Filius, seu *esse Filium* est hoc ipsum adæquatè, seu hæ tres entitates, & nihil aliud, idem enim prorsus est Adam, generatio, Abel, & Abel, generatio & Adam, vtrobique enim sunt hæ solæ tres entitates, ergo idem planè est *esse Patrem* & *esse Filium*, sicque, vt dixi, de quocunque prædicari potest vnum, prædicari poterit aliud, contra communem omnium conceptum, & veritatem.

III. *Solutio de recto, & obliquo ab subjicitur.*

Ingeniosi quidam recentiores, vt huius argumenti vim declinent, mirum in quot se partes vertant. Dicunt aliqui Pater, seu *esse Patrem* est Adamus in recto, & Abel in obliquo, *esse* verò *Filium* est Abel in recto, & Adamus in obliquo. Sed cōtrà, insisto priori argumento, & ostendo adhuc sequi esse prorsus idem Patrem & Filium, seu *esse Patrem* & *esse Filium*. *Esse Patrem* secundùm hunc modum respondendi est Adam in recto & Abel in obliquo, è contrà *esse Filium* est Abel in recto & Adam in obliquo, sed idem prorsus à parte rei est Adam in recto & Adam in obliquo, Abel in recto & Abel in obliquo, ergo si *esse Patrem* sit Adam in recto, & Abel in obliquo, est etiam Abel in recto, & Adam in obliquo, sicque idem planè est *esse Patrem* & *esse Filium*, seu Pater & Filius.

IV. *A parte rei idem prorsus est rectum & obliquum.*

Minor huius discursûs, in quâ solâ est difficultas, probatur: Adam in recto (idem est de Abele) nihil planè aliud est præter Entitatem Adami à parte rei, & Adam in obliquo similiter nihil planè aliud est, quàm eadem ipsissima entitas Adami à parte rei, sed entitas Adami non distinguitur à parte rei à seipsâ, ergo Adamus in recto est planè idem ac Adamus in obliquo, ergo hæc distinctio non subsistit, & illâ non obstante idem planè est Pater & Filius, & *esse Patrem*, & *esse Filium*.

V. *Nec recurri huc potest ad diuersam acceptibilitatē.*

Dices; est diuersa acceptibilitas rei in recto & in obliquo, ergo ratione huius constitui potest distinctio inter *esse Patrem* & *esse Filium*. Contrà, acceptibilitas hæc vel distinguitur realiter ab entitate Adami, Abelis, & generationis, vel non, si distinguitur realiter, ergo non cōsistit adæquatè Relatio Patris in his tribus entitatibus, sicque vlteriùs inquiro quid acceptibilitas illa ijs superaddit? si verò hæc acceptibilitas non distinguatur à tribus illis entitatibus, redit prius argumentum, & per hanc acceptibilitatem non vitatur difficultas.

VI. *Dicunt alij Relat. includere diuersum actum intellectûs.*

Respondent alij secundò: in Relatione præter tres illas Entitates inuolui diuersam cognitionem; vnde inquiunt, Pater seu *esse Patrem* constituitur per actum intellectûs repræsentantem Adamum in recto & Abelem in obliquo, *esse* autem *Filium* connotat actum vice versâ repræsentantem Abelem in recto, & Adamum in obliquo. Contrà primò, à parte rei, nemine cogitante datur Relatio, seu *esse Patrem*, & *esse Filium*, ergo non constituuntur per actum intellectûs. Contrà secundò, Relatio est fundamentū illius conceptus, & eum aliquo modo antecedit, ideò enim concipi potest vt Pater, vel vt Filius quia est talis, cùm ergo antecedenter ad actum nulla sit in hâc sententiâ diuersitas inter Patrem & Filium, redit denuò prius argumentum. Contrà tertiò, hæc cognitio comparat seu cognoscit Patrem relatum ad Filium, sed non cognoscit seipsam, ergo illa non ingreditur constitutionem Relationis. Cōtrà quartò, Relatio est quid adæquatè physicum, non minùs quàm esse album, calidum, lucidum &c. Sed hæ denominationes nihil includunt intentionale, seu actum intellectûs, ergo nec Relatio.

Contrà, nemine cogitante datur Relatio, estq; quid adæquatè physicum.

VII. *Alij denuò recurrunt ad actum possibilem.*

Tandem dicunt aliqui Patrem esse Adamum, Abelem, generationem, & actum intellectûs possibilem, quo repræsentetur Adamus in recto & Abel in obliquo, Filium verò connotare alium actum possibilem, quo è contrà, Abel repræsentetur in recto & Adam in obliquo. Sed contrà, hic enim modus explicandi Relationem easdem ferè patitur difficultates, & nouam superaddit, quòd scilicet entitates merè physicæ, seu non intentionales, pendeant ab aliquo purè possibili. Imò implicante omni huiusmodi actu, posset dari Pater & Filius.

SECTIO

SECTIO V.

An Relatio consistat in fundamento connotante terminum vt conditionem.

I. *Opinio Relationem statuens in connotato.*

ALij ergo recentiores sic philosophantur. Relatio, inquiunt, similitudinis v.g. non constituitur ex fundamento & termino, tanquam ex partibus, nec tamen volunt esse modum aliquem à fundamento & termino distinctum, fundamento extrinsecùs aduenientem; sed consistere, aiunt, adæquatè in solâ entitate fundamenti per se respiciente terminum. Quia autem varij sunt modi hanc opinionem explicandi, singulos referemus.

II. *Primus modus est, posito termino emergere nouã formalitatem.*

Dicunt ergo aliqui, Relationem consistere in nouo quodam connotato, & formalitate in fundamento ad positionem termini emergente, non tamen realiter à fundamento distincta: in quâ opinione videtur esse P. Suar. d. 27. Met. sect. 2. numer. præcipuè 25. licet non omninò clarè constet de eius mente: eam saltem amplectuntur plurimi recentiores. Vrgentem pro nouâ hac formalitate rationem non video, præcipua, quæ ab eius auctoribus affertur, est, non esse multiplicanda Entia sine necessitate: ad quam rationem decursu huius tractatus respondebitur.

III. *Contrà, noua actio terminatur ad hãc formalitatem, nõ ad fundamentum, ergo realiter distinguuntur.*

Impugnatur hic modus philosophandi, primò, quæcũque noua vel entitas vel formalitas est in fũdamento, emergit vel producitur de nouo, alioqui erit à se, ergo datur ad eam noua actio productiua, sed noua actio realiter distincta, non potest terminari nisi ad terminum realiter distinctum, nam non est cur terminetur ad fundamentum, cùm hoc habuerit ante suam actionem conseruatiuam, ergo distinguitur realiter à fundamento, quæ enim diuersâ actione primò producuntur naturaliter, distinguũtur realiter. Conf. iam est illa formalitas, & emergit in fundamento, antea ibi non erat; termino item pereunte perit manente fundamẽto, ergo distinguitur realiter ab eo, hoc enim est præcipuum signum distinctionis realis, vt apud omnes est in confesso.

IV. *Sequitur idem physicè produci, & non produci.*

Secundò, hinc sequeretur idem Physicè primo produci de nouo, & non produci: patet sequela, hæc formalitas iam producitur de nouo, sed fundamentum non producitur de nouo & tamen hæc formalitas est idem realiter cum fundamento, ergo idem realiter producitur & non producitur, seu emergit & non emergit.

V. *Hinc etiam sequitur omnes actus vitales esse solã nouas formalitates.*

Tertiò, ex hoc modo philosophandi multa sequuntur à Philosophiâ planè reijcienda, si enim posito termino potest Relatio emergere, quæ non sit quid realiter distinctum, sed noua solùm formalitas, quidni eodem modo dici poterit visionem nihil esse aliud, quàm nouam aliquam formalitatem in oculo, obiecto debitè proposito resultantem, & ab oculo non realiter distinctam? sicque dici poterit actus vitales nihil esse aliud, quàm ipsas potentias vitales, positis obiectis.

VI. *Dici nequit totam essentiam Relationis adæquatè esse cum fundamento.*

Secundò dicunt alij nullam emergere formalitatem nouam, sed totam Relationem cõsistere in solo fundamento adæquatè. Contrà primò, hoc videtur inintelligibile, nam paries A iam est similis altero, postea non est similis, ergo perit in illo similitudo, ergo similitudo non erat solum fundamentum, solus nimirùm paries A, sed aliquid vel realiter, vel saltem formaliter ab eo distinctum: si enim tota essentia Relationis nihil aliud sit, quàm entitas parietis præcisè, manente entitate parietis, maneat etiam necesse est tota essentia Relationis.

VII. Conf. destructo pariete B perit Relatio, quâ paries A ad illum dicebat, sed non perit Relatio quâ paries A dicebat ad parietem C vel D, ergo sunt Relatiões distinctæ, sed entitas parietis A non est distincta à se, sed omninò eadem, ergo vel est admittenda formalitas illa iam reiecta, vel aliquid aliud realiter à solo pariete distinctum.

SECTIO VI.

Alius modus Relationem explicandi per connotata.

I. *Alij dicunt Relationem esse fundamentum in his circumstantiis.*

ALij tandem dicunt, nullam huiusmodi formalitatem in fundamento emergere, Relationem tamen in fundamento constituunt, & eum ipso identificatam, non sumendo fundamentum quomodocunque, sed fundamentum, vt aiunt, in his vel illis circumstantiis, ita vt terminus aliquo modo ingrediatur, sicque dicunt nulla hinc sequi contradictoria, extrema enim non eodem ordine participantur, paries enim in his circumstantiis est quoad verificationem propositionum diuersus à se vt in alijs. Vnde inquiunt, paries existente altero pariete est illi similis, illo autem non existente, non est illi amplius similis. Quod autem iam non sit similis, & erat similis antea, non sunt contradictoria, nam paries, inquiunt, in his circumstantiis potest recipere diuersam denominationem à se vt in alijs circumstantiis, nam in diuersis circumstantiis est aliquo modo à se distinctus.

II. *Differentia inter hunc modũ statuendi Relationem, & alios.*

Has ergo conditiones & circumstantias esse volunt hi auctores connotata essentialia formalia, & non veluti effectiua, vt eas statuere videbatur prior modus explicandi Relationem sect. præcedente positus. Sicque aiunt has circumstantias aliquo modo ingredi conceptum Relationis, non vt partes, sicut asserunt opinio Nominalium sect. 3. & 4. impugnata, sed media quâdam viâ procedunt: hanc tamen denominationem fundamento ab his circumstantiis prouenientem vocant partim intrinsecam, partim extrinsecam, sicut illi.

III. *Hic modus dicendi in Relatione non potest admitti.*

Hæc doctrina in aliquibus admitti forsan potest, & satis apta videtur ad difficultates varias soluendas, & meliùs sine dubio loquitur, quàm opinio sect. 3. relata: at in Relatione videtur esse peculiaris ratio, cur non hic admittatur, Relatio enim, vbicũque est, est secundùm Philosophorum conceptum verus respectus, & vocatur ab Aristotele, S. Thoma, & alijs vera respicientia, item nexus, vinculum &c. sed non potest intelligi de nouo in subiecto absoluto vera respicientiâ, ex merâ positione connotati extrinseci, nisi vel resultet noua formalitas in fundamento, vel addatur modus aliquis, aut forma, cuius effectus formalis sit aliud respicere; vera enim respicientia non magis oriri potest in re absolutâ sine aliquo ex parte illius rei superaddito, quàm albedo aut alia quæuis qualitas: nec enim magis videtur posse aliquid reddi de non respectiuo verè respectiuum sine aliquo illi superaddito, si sermo sit de re, quàm de non albo verè album.

IV. *Sequitur posse aliquid reddi videntem sine visione superaddita.*

Secundò, hic etiam vrget quod attulimus contra primum modum explicandi sect. præcedente relatum, si enim possit aliquid de non respiciente transire ad respiciens sine aliquâ respicientiâ, vel Relatione superadditâ, cur non poterit quis transire de non vidente ad videntem sine visione superadditâ? Vnde sicut dicunt parietem respicientem alium, nihil aliud esse, quàm parietem in his circumstantiis, ita quidni dici possit potentiam videntem nihil aliud esse, quàm potentiam visiuam in his circumstantiis, id est cum debitâ propositione obiecti apti?

Dices

V. *Visio erit potentia, vifiua in his circumstantiis.*

Dices; disparitatem esse, quod visio sit vera actio, & vitalis. Contrà, & Relatio est vera respiciens: sicut ergo Relatio, & verus respectus, secundùm hos auctores nihil aliud est, nisi fundamentum in his circumstantiis, ita actus vitalis nihil erit aliud, quàm potentia vitalis in ijs circumstantijs.

VI. *Tam Relatio est actus secundus in suo genere, quàm visio in suo.*

Conf. primò, sicut visio dicitur actus secūdus seu actuale exercitium potentiæ visiuæ, ita Relatio ab Aristotele & Philosophis communiter vocatur actuale exercitium, cuius essentia sit actu referre, & respicere, & *esse ad*, sicque esse quasi actum secundū fundamenti per se absoluti, & indifferentis, ac veluti in actu primo vt referatur, vel non referatur, transit verò in actum secundum per Relationem.

VII. *Terminus absolutus non potest reddere fundamētum respectiuū.*

Dices; actio productiua tenet se ex parte effectûs, imò aliqui dicunt ab eo non distingui, & tamen denominat causam agentem, ergo etiam poterit denominari fundamentum respiciens per solum terminum, vel per aliquid tenens se ex parte solius termini. Nego consequentiam: disparitas est, quia terminus hic est æquè absolutus atque fundamentum, vnde non habet in se Relationem magis quàm fundamentum, effectus autem habet, vt supponimus, in se veram actionem, vel productionem, per quam denominatur verè productus, & causa similiter verè producens.

VIII. *Hæc sententia in re, eadem est cum sententiâ Nominalium.*

Tertiò impugnatur hic modus loquendi quoad Relationem; dicunt enim parietem *esse similem* non esse parietem quomodocunque, sed parietem posito altero, seu in his circumstantiis, ita vt alter paries aliquo modo Relationem ingrediatur, non quidem, inquiunt, vt pars, sed vt connotatum. Impugnatur inquam, hic enim modus Relationem explicandi in re idem est cum illo Nominalium sect. 3. relato, licèt discrepent quoad modum loquendi, illi enim dicunt Relationem esse *hunc parietem & illum*, hi *hunc cum illo*, quod reipsâ est omninò idem, sicque incidit hæc sententia, in quæstionem de nomine. Vnde eodem modo impugnatur hæc sententia, quo illa.

IX. *Terminus in hac sententiâ est pars Relationis.*

Dices; terminum in hac sententiâ non ingredi propriè Relationem, sed eam adæquatè se tenere ex parte fundamenti. Contrà, ergo tota essentia Relationis est fundamentum solum, sed antea erat fundamentum, ergo antea erat tota essentia Relationis, ergo antea erat Relatio; vel si tota Relatio non erat ante productum terminum, ergo terminus est pars Relationis, sicque velint nolint recidunt hi auctores in opinionem Nominalium.

X. *Terminus secundum hos auctores constituit Relationem in genere causæ quasi formalis.*

Quod vlteriùs sic declaratur: posito termino, est Relatio, quæ non erat antea, ergo hæc diuersitas fit per terminum, vel in genere causæ quasi efficientis, vel formalis: non primum, sic enim deberet aliqua noua formalitas emergere in fundamento, quod hi authores maximè auersantur, & meritò; ergo secundum, seu in genere causæ quasi formalis, ergo terminus aliquo modo ingreditur essentiam Relationis tanquam aliquid spectans ad illius constitutionem; quod si dicatur, iam hæc sententia planè non discrepat ab opinione Relationem statuente in cōcreto, quam sect. 3. & 4. impugnauimus.

SECTIO VII.

Refertur sententia Relationem statuens in modo à fundamento & termino distincto

I. *Sententia statuens Relationem in modo à*

Tertia itaque, eaque in scholis celeberrima sententia est Relationem, vbicunque est, in modo à Fundamento & termino distincto sitam esse: ita Caiet. 1. p. quæst. 28. ar. 2. Ferrar. l. 4. cont. Gen. c. 14. Capreol. in 1. d. 30. quæst. 1. Bannes 1. p. quæst. 28. ar. 2. Sotus de prædic. Relat. qu. 2. Fonsec. 5. Met. c. 15. qu. 2. sect. 1. Conimb. de Relat. c. 7. qu. 1. ar. 4. Io. à S. Thom. qu. 17. de prædic. Relat. ar. 4. Quod etiam docere videtur Scotus in 2. d. 1. qu. 5. & in 3. d. 8. quæst. tenet etiam Rub. c. 7. de Relat. q. 14. Mursia de Relat. d. 1. qu. 5. & alij.

Fundamento & termino distincto.

II. *Hæc est sententia S. Thomæ.*

Hæc sententia videtur expressè esse de mente S. Thomæ 1. p. quæst. 28. ar. 2. ad. 2. vbi sic habet: *Sicut in rebus creatis, in illo quod dicitur relatiuè, non solùm est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum, ita & in Deo: sed tamen aliter & aliter, nam id quod inuenitur in creaturâ, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui est alia res, in Deo autem non est alia res, sed vna & eadem.* Vbi cùm generatim loquatur S. Doctor de omni Relatione, non potest restringi, quod vult P. Hurt. vt loquatur de Relatione fundatâ in qualitate, nam tunc non completè respondisset obiectioni, quam sibi proposuit ex S. Augustino, quæ procedebat de omni re.

III. *Nec per vt fundamento superadditam intelligit S. Thomas terminum.*

Nec etiam satisfacit quod secundò respondent P. Hurt. hic d. 15. sect. 2. num. 12. & alij S. Thomam per aliam rem in Relatione creatâ intelligere terminum, & solùm dicere S. Doctorem Relationem distingui inadæquatè à termino, tanquam totum à parte. Hoc, inquam, non satisfacit, assignat enim in eo differentiam inter Relationem creatam & increatam, quod in hac non sit alia res; at verò si per aliam rem intelligeret terminum, tam in Relatione increatâ esset alia res, quàm in creatâ, cùm vtraque habeat terminum; ergo, vt clarum est ex contextu, intelligit per aliam rem S. Thomas aliquid respectiuum fundamento absoluto adueniens, illudque informans, quod non sit in Diuinis.

IV. *Alius locus vbi S. Thomas distinguit Relationem à Fundamento, & Termino.*

Sed clariùs adhuc loquitur S. Doctor. 4. contra Gentes cap. 14. ar. 1. vbi Relationem Paternitatis & Filiationis in creatis vocat accidentia, & in hoc eas distinguit à Relationibus Diuinis, quæ, inquit, sunt substantia, sed entitas Patris & Entitas filij in creatis sunt substantia, non accidentia, ergo Relatio non est Entitas Patris & filij secundùm S. Tho. sed aliquid accidentale superadditum. Deinde vniuersim addit his verbis. *Relatio realiter adueniens substantiæ, & postremum & imperfectissimum esse habet, quia non solùm præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur Relatio, sicut vnum in quantitate causat æqualitatem, & vnum in qualitate similitudinem*, quid clarius? Hoc autem non potest explicari, nisi primò realiter distinguatur Relatio à fundamento, nihil enim causare potest seipsum; & à fundamento & termino, nam illud vnum seu complexum non potest dici causare Relationem, si ab eâ non distinguatur, sic enim adhuc idem causaret seipsum. Deinde, ait S. Thomas Relationem præexigere existentiam aliorum accidentium, ergo Relatio secundùm ipsum non est illa accidentia.

V. *Idem docet q. 8. de potentiâ a. 2.*

Item q. 8. de potentiâ, ar. 2. ait *substantiam creatam non posse sibi identificare Relationem quæ est quid definitum, in quo*, inquit, *Differt ab essentiâ Dei, quæ cùm infinita sit, potest alia sibi identificare.* Quod si asseras S. Thomas substantiam creatam non posse secum identificare Relationem ob imperfectionem, multò certè id magis affirmaret de accidentibus, quæ sunt imperfectiora substantiâ.

VI. *Duo alia loca S. Doctoris pro Relatione distinctâ.*

Idem præterea habet S. Doctor 1. p. qu. 13. ar. 7. & clariùs 2. contra Gen. c. 12. per totum, præcipuè n. 3. vbi ideò probat *Deum non referri ad res in tempore productas per Relationem realiter in ipso existentem, quia non mutatur*, & num. 4. id ipsum prosequitur dicens, *Cuicunque aliquid de nouo aduenit necesse est illud mutari, vel per se vel per accidens. Si igitur*, inquit, *prædicaretur aliqua Relatio realiter in Deo existens, sequeretur quod aliquid*

Deo

Deo de nouo adueniret, & sic quod mutaretur, vel per se, vel per accidens. Alius locus S. Thomæ pro Relatione distinctâ ponetur infrà, sect. 17. n. 2.

VII. *Obm. Opusculum 48.* Ad hanc authoritatem D. Thomæ respondet P. Hurt. d. 15 Met. sect. 2. §. 12. non posse rationem illâ reddi à D. Thom. cùm ipse opusc. 48. tract. 5. cap. 1. dicat *Relationem contingere sine vllâ mutatione fundamenti.* At verùm potuerit reddi hæc ratio à S. Thoma, vel non, dubitari non potest, cùm ex verbis citatis, clarè constet ipsum eam reddidisse.

VIII. *In verbis desumptis ex opusc. illo 48. non potest solidè fundari illa opinio.* Verba ergo in illo opusculo explicari debent iuxta hæc, non hæc iuxta illa, præsertim cùm hæc verba sint consona alijs pluribus locis ex S. Thoma allatis, quæ mutuò se confirmant. Deinde, non est dubium quin hic liber sit scriptus à S. Thoma, & inter nobilissima illius opera numeratur, de opusculo autem illo est dubium, quâ de causâ alio charactere inter illius opera imprimitur, vt ostendatur dubiâ esse opusculi illius fidem: vt aduertit Bellar. circa opera S. Thomæ obseruatione secundâ: Vnde in hac auctoritate S. Thomæ fundari opinio non potest: cùm tamen hic sit vnicus locus alicuius momenti, quem pro se afferunt Nominalium fautores.

IX. *Explicatur Opusculum illud 48.* Intelligi ergo debent verba illius opusculi contingere Relationem sine mutatione subiecti per se, non tamen sine mutatione per accidens, vt loco contra Gentes proximè citato loquitur, nam ex eo quòd vel ponatur, vel mutetur terminus, resultat per accidens Relatio in fundamento, & sic mutatur per accidens ad mutationem per se terminatam ad aliud: vt posteà videbimus.

SECTIO VIII.

Ratione suadetur sententia statuens Relationem distinctam.

I. *Ratio Esse Ad arguit Relationem distinctam à Fundamento & Termino.* PRobatur primò: Relatio in essentiali suo conceptu dicit duo, primum est *esse in*, per quod conuenit cum omni alio accidente: alia ratio, & maximè propria Relationis, quia ab omni aliâ re eam distinguit, est *esse ad*, quæ est vera respicientia, quâ res vna absoluta respicit aliam. Cùm ergo in re aliquâ absolutâ iam sit vera respicientia, cùm tamen antea non fuerit, arguitur debere eam de nouo illi aduenire, sed non potest aduenire vt formalitas, vt suprà probauimus, ergo vt quid realiter distinctum.

II. *Communis loquendi modus probat Relationem distinctam.* Probatur secundò ex communi loquendi modo omnium, qui non est parui momenti in hâc materiâ: vocant ergo omnes Relationem verum ordinem, respicientiam, respectum &c. ergo vbicunque est Relatio, est huiusmodi verus respectus, sed ante positionem termini non erat huiusmodi verus respectus, seu respicientia actiua, vel ratio *essendi Ad*, posito termino est, ergo vel est noua formalitas; vel modus distinctus superadditus.

III. *Cùm Relatio sit actuale exercitium, idem est eam esse & referre.* Dices; ante positionem termini non fuisse quidem illam actualem respicientiam absolutè, fuisse tamen conditionatè. Contrà primò, fuisse ibi Relationem conditionatè dicit fuisse quidem, sed non exercuisse rationem referendi, hoc autem implicat; cùm enim Relatio sit actuale exercitium, essentia ipsius est actu, nō conditionatè vel potentiâ respicere, sicut est essentia vnionis actu, non potentiâ vnire, & actionis agere. Vnde sicut hæ existere non possunt, quin vniant & agant, ita nec Relatio quin actu referat, & respiciat.

IV. *Ostenditur non fuisse Relationem conditionatè ante positionem termini.* Contrà secundò, eodem modo vt suprà ostendi, posset quis dicere dum videtur obiectum, non elici aliquem actum de nouo, sed potentiam quæ antea erat videns conditionatè, nunc per se esse videntē absolutè, & ex merâ positione obiecti sine vllo superaddito transire de conditionatâ ad absolutam, & eâdem facilitate posset defendi vnum atque alterum; si enim arguatur ratione, nihil pro visione distinctâ à potentiâ vitali afferri potest, quod nō vrget in Relatione: si enim dicatur dari debere actum, fatebimur, sed dicemus actum esse ipsam potentiam, quæ ante positionem obiecti erat visio, seu actus conditionatè, post obiecti positionem actus absolutè, sine vllius additione de nouo, præterquam obiecti, sicut philosophantur hi auctores de Relatione.

V. *Inter conditionatum aliud est de moralibus, aliud de physicis.* Et licèt fortè in re aliquâ morali possit quid transire de conditionato ad absolutum, ex merâ positione conditionis, vt si Princeps aliquis subdito dicat, si cras filius meus pro te non intercesserit, exula. censetur mandatum principis transire de conditionatu in absolutum, ipso facto quod Regis filius pro eo non intercesserit: at in physicis, vbi iam est vera respicientia, & antea non erat, hoc non magis fieri potest sine aliquo ex parte fundamenti superaddito, quàm vt quis de nouo videat ex merâ extrinsecâ propositione obiecti, vt dictum est.

VI. *Relatio dicitur nexus, ergo est quid medium inter fundamentum & terminum.* Conf. ratio assignata: vocatur enim Relatio communiter nexus, vinculum, vnio & actualis ordo realiter referens vnum ad aliud, & aliquid medians inter vtrumque, ac proinde realiter ab vtroque distinctum quod enim inter duo extrema mediat, realiter ab vtroque distinguatur necesse est. Imò S Thomas q. 3. de potentiâ, docet ponendas esse Relationes, vt omnia habeant ordinem formalem inter se, *nam absoluta,* inquit ille, *non connectuntur seipsis, cùm se non respiciāt, sic enim absoluta non essent, sed omnia respectiua.* Vbi etiam addit S. Doctor esse maximum bonum vniuersi, vt omnia hoc modo vniantur, & connectantur, seu coordinentur inter se; quam ait vnam esse ex præcipuis causis cur ponendæ sint Relationes. *Ponuntur Relationes ob bonum vniuersi.*

VII. *Aristot. statuit Relationem à Fundamento & termino distinctam.* Tertiò probatur hæc sententia ex Aristotele, qui dicit Relationem similitudinis & æqualitatis fundari in vnitate, quod etiam fatentur aduersarij vt videre est apud P. Hurt. d. 15. Met. sect. 10. subs. 2. §. 98. ergo illa vnitas duorum parietum in albedine, vel quantitatum in mensurâ palmari, non est formalis Relatio, sed fundamentalis tantùm iuxta Aristotelem ergo formalis Relatio debet esse aliquid vtriusque entitati superadditum; consequentia videtur manifesta, nam si illa vnitas vtriusque parietis in albedine, seu vterque paries coëxistens albus sit solùm fundamentum Relationis ergo formalis Relatio est aliquid ipsis superadditum, sed nihil potest aliud superaddi præter modum realiter distinctum, ergo Relatio iuxta Aristotelem est modus à fundamento & termino distinctus.

VIII. *Iuxta Arist. sunt Relationes non mutuæ, ergo Relatio non est concretū.* Conf. peculiariter contra sententiam Nominaliū statuentem Relationem in concreto: nam iuxta eūdem Aristotelem, & communem sententiam, dantur Relationes aliquæ non mutuæ, sic enim ait Aristoteles *quædam dici relatiuè, quia alia referuntur ad ipsa* sed secundùm sententiam Nominalium nullæ erunt Relationes non mutuæ, vt est manifestum, ergo. Ob quod inquit P. Suar. d. 47. Met s. 15. n. 20. censenda est illa opinio minus probabilis, estque contraria Aristotel & veritati.

IX. Præcipua verò probatio huius sententiæ sunt refutationes aliarum, quæ positæ sunt suprà sect. 3. 4. 5. & 6. si enim Relatio consistere nequeat, nec in concreto ex fundamento & termino, vt volebant Nominales, nec ex fundamento connotante terminum, aut formalitate superadditâ, vt dicebant alij, necessarium est vt consistat in modo, fundamento & termino superaddito.

SECTIO IX.

Argumenta quædam contendentia Relationem non esse modum realiter à fundamento & termino distinctum.

I. *Solum negat Aristoteles motum per se ad Relationem.*

OBiicitur primò Aristoteles 5. Phys. tex. 10. & 11. dicens non dari motum ad Relationem, quia fit ad mutationem alterius. Resp. solùm illic negare Aristotelem motum per se ad Relationes, sicut eodem loco negat etiam dari motum ad substantiam, ad quam tamen certum est terminari actionem. Vnde tandem & de substantiâ, & Relatione concludit his verbis; *eorum motus ex accidente est.* Ex quibus verbis manifestè deducitur Aristotelem eo loco stare à sententiâ Relationem à fundamento & termino distinguente, quia simpliciter ait dari motum ad Relationem, licèt sit solùm *per accidens*, id est oriatur ex positione, seu productione alterius rei, vt productâ albedine in alio pariete, resultat in hoc relatio similitudinis.

II. *Quid sit dari ad aliquid motum per se, & motum per accidens.*

Tunc autem dicitur dari motum *per se* ad aliquid, quando illud directè & immediatè per motum requiritur, ita vt non supponatur priùs motus ad aliquid aliud: motus autem *per accidens* dicitur quando aliquid sequitur quasi ad motum, vel productionem alterius, vt in substantiâ contingit, quæ resultat ad productionem accidentium, & in Relatione, quæ sequitur ad positionem termini. Alio etiam modo intelligi potest dari motum *per accidens* ad Relationem, nempe ex parte agentis, vel naturæ: cùm enim quis dealbat parietem, vel natura producit florem, id quod intéditur ab illo est paries albus, ab hac flos: quod verò in alio flore vel pariete resultet relatio similitudinis ad productionem horum, nec cæmentarius primariò intendit, nec natura.

III. *Quo sensu dicat Aristoteles Relationem nõ esse ens.*

Obiicitur secundò Aristoteles 14. Met. c. 3. vbi dicere videtur Relationem non esse ens. Resp. cum interpretibus communiter solùm velle Aristotelem Relationem esse minimæ entitatis, sicque penè videri non esse ens respectu aliarum rerum, vt etiam omnes modi respectu substantiæ, & creaturæ dicuntur non esse entia respectu Dei. Secundò, dici potest Relationem esse non ens nec habere productionem vel corruptionem, quæ sensibus pateat, quâ ratione frequenter loquitur Aristoteles.

IV. *Quod tot frequenter pereant Relationes, nihil incommodi.*

Obiicitur tertiò: si Relatio sit modus à fundaméto & termino distinctus, sequi quoties entitas aliqua minutissima vbiuis gentium perit fieri mutationem in omnibus rebus, & tot momentis penè singulis perire Relationes quot sunt in vniuerso res distinctæ, Quanta strages Relationum. Cõtrà primò, pereunte minimâ entitate pereunt in aliâ sententiâ tot formalitates, quot sunt res in vniuerso: in sententiâ Nominalium tot complexa. Quanta strages formalitatum, quanta complexorum!

V. *Res etiam aliæ maximo numero frequenter pereunt.*

Contrà secundò, in sententiâ actiones rerum omnium conseruatiuas statuente identificatas cum duratione, momentis singulis pereunt actiones omnes. Item flante vento species omnes obiectorum omniũ in toto aëre, vtpote quæ non nisi lineâ rectâ ad oculum veniunt, destruuntur. Cur harum interitum nõ deflent ij, quos Relationum clades ita tangit, & in earum funere adeo lamentantur?

VI. *Res Relationibus longè præstantiores magno numero faciliè corrumpuntur.*

Tertiò, in opinione P. Hurt. & aliorum recentiorum asserentium dari vnionem spiritualem indiuisibilem inter animam rationalem & corpus, sequitur singulis momentis ratione nutritionis, tot perire vniones spirituales, quot sunt homines in vniuerso, quarum tamen quælibet præstantior est omnibus fermè Relationibus. Quod etiam affirmari debet de vnione inter animam & corpus Christi, dum erat in terrâ mortalis, imò & de vnione hypostaticâ ad vnionem illam terminatâ, quæ sine dubio est excellentior omnibus omninò Relationibus creatis; quæ vt vidimus ex Aristotele sunt tenuissimæ entitatis, & entium prope omnium entia imperfectissima. Qui parci in reculis quibusdam sunt, & Relationibus, en quam in nobilioribus entitatibus sunt prodigi.

VII. *Ostenditur non esse incommodum quòd tot Relationes pereant.*

Resp. itaque, cum spectet ad bonum vniuersi, vt supra vidimus ex S. Thomâ, vt omnia inter se mutuo quodam nexu, & perpetuo vinculo constringantur, non debet mirum videri, si tenues huiusmodi entitates hoc modo pereant, cùm ob bonum vniuersi & vt perpetua in eo sit vicissitudo, videamus singulis penè momentis res quasque perfectissimas, & nobilissimas formas destrui. Adde hoc etiam spectare ad pulchritudinem vniuersi, vt sicut sunt in eo quædam entia, quæ ex naturâ suâ petunt semper manere, cũ sint incorruptibilia, vt cœli & Angeli; alia quæ medium quasi tenent, & per tempus aliquod ac spatium durare postulant, licèt naturâ suâ corruptibilia sint, vt homines, animalia, plantæ &c. ita etiam sit series quædam entium, quæ vt tenuissimæ entitatis, ita & breuissimæ sint durationis, pereantque momentis penè singulis interire.

VIII. *Relatio conseruari nequit sine fundamento, & termino.*

Obiicies quartò: si realiter distinguatur Relatio à fundamento & termino, ergo conseruari poterit à Deo sine illis. Nego consequentiam, cùm enim sit modus, & essentia modi sit actu afficere subiectum, non potest esse, & illud non afficere: Multa etiam sunt quæ realiter distinguuntur, quorum tamen vnum sine alio esse non potest, vt creatura & Deus, visio intuitiua & obiectum in probabili sententiâ, Vbi & spatium &c.

IX. *Nec existere possunt extrema sine Relatione.*

Obiicies quintò: saltem possunt duo parietes cõseruari sine Relatione, & tunc essent similes, ergo Relatio non est similitudo. Resp. hoc æquè vrgere omnes, qui ponunt *vbi* distinctum, atque vrget hanc sententiam. Sicut ergo dicunt ipsi, nec per diuinam potentiam posse corpus esse quin in eo resultet Vbi, ita & dici potest de Relatione, non enim minùs petunt essentialiter duo parietes albi esse formaliter similes, seu habere Relationem, quàm corpus petit esse in loco, seu vbicationem. Idem est de partibus qualitatis in continuo, Deus enim nec per Diuinam potentiam potest illas omnes velle, quin velit vnitas, licèt vniones omnes realiter ab ipsis distinguantur. Sicut tamen potest Deus vbicationes mutare, corpore in eodem loco manente, & puncta similiter ac lineas in quantitate; ita & mutare poterit Relationes, & vnam in alterius locum pro libito sufficere.

X. *Dicunt aliqui posse extrema conseruari sine Relatione.*

Responderi potest secundò, sicut aliqui dicunt posse diuinitùs conseruari corpus sine vbicatione, ita & parietes sine Relatione, tunc autem erunt solùm fundamentaliter seu negatiuè similes, id est, non dissimiles & proximè apti ad terminandam Relationem, sicut corpus illud debet tantùm fundaméntaliter esse in loco, & negatiuè vt dicunt illi auctores, id est in aptitudine proximâ vt sit formaliter in loco.

XI. *Materia & quantitas habent vnã Relationem ex partibus diuersis compositam.*

Obiicies sextò; si Relatio sit quid à fundamento & termino distinctum, & fundamento inhærens, sequitur dari actu infinitas Relationes, cùm singula puncta & partes in continuo habere debeant suas Relationes, quibus aliis rebus sunt similia vel dissimilia. Conf. Deus est dissimilis igni aut luci hodie productæ, ergo etiam habere debet Relationem dissimilitudinis. Ad argumentum dico materiam aut quantitatem habere vnam Relationem ex par-

tibus

tibus & punctis compositam. Ad conf. Resp. aliqua secundùm Aristotelem referri, quia alia ad ipsa referuntur vnde Deus refertur extrinsecè per Relationem dissimilitudinis ab igne ad ipsum terminatam, sicque est Relatio non mutua.

SECTIO X.

Alia argumenta contra Relationem distinctam.

I. *Licèt Relationes increatæ non distinguantur à Fundam. distinguuntur tamen creatæ.*

OBiicies septimò: In Diuinis Relatio Paternitatis non distinguitur realiter à Patre, nec Filiationis à Filio, ergo nec in creatis erunt accidentia distincta. Nego consequentiam, Essentia enim Diuina, cùm sit infinitæ perfectionis, Relationem secum identificat, sicut sapientiam, Iustitiam, misericordiam &c. quæ in Diuinis sunt realiter & cum essentiâ, & inter se identificatæ, cùm tamen in creatis realiter, & à substantiâ, & à se inuicem distinguantur.

II. Obiicies octauò: non potest assignari causa producens Relationem, si sit distincta, quis enim, dum paries aliquis dealbatur Romæ, producit Relationem similitudinis in pariete albo, qui est in Indiis? *Duplex est causa productiua Relationis, dir. illa, & Indirecta.* Resp. duplicem hic interuenire causam, vnam directam, & quæ per resultantiam quandam, vel emanationem efficit Relationem, quæ est fundamentum: alia est causa indirecta & per accidens, quæ est agens illud, quod dealbat parietem, seu ponit terminum, ad cuius existentiam emergit in fundamento Relatio. Rebus enim omnibus innata est hæc vis, vt posito termino per emanationem producant in se Relationes, per quas, vt suprà vidimus ex S. Thoma, cum cæteris omnibus rebus ad bonum vniuersi formaliter connectantur: sic si aqua misceatur lacte vel vino, materia eius non continuatur cùm aliâ materiâ, quæ tamen eadem numero, si esset sub formâ aquæ produceret vnionem & continuaretur, sicque pendet à connotato.

III. Obiicies nonò: ipso facto quod coexistant duo parietes albi, seclusâ per possibile vel impossibile omni Relatione reali, erunt similes, ergo superflua est Relatio. Antecedens probatur, esse enim duos parietes similes, in Relatione nihil aliud est, quàm hunc parietem habere albedinem sicut habet alius. *Si res sint similes per Relationem, hac sublatâ erunt tantùm fundamentaliter.* Resp. primò, distinguendo antecedens, posito quod sint similes per veram Relationem, nego antecedẽs; si non sint similes per Relationem, ac proinde non detur Relatio, transeat, & idem est de Relatione æqualitatis. Secundò responderi solet, in eo casu parietes illos fore tantùm fundamentaliter similes; de quo modo respondendi plura postea.

IV. *Obii. numerus quaternarius est per se maior binario.* Obiicies decimò: numerus quaternarius hominum est per se, & secluso omni alio, vel re, vel modo maior binario, ergo Relatio pluralitatis non est modus distinctus. Conf. primò, & inquiro in quo subiecto sit Relatio illa quaternarij? non in singulis hominibus, sic enim esset in diuersis subiectis, & in pluribus locis adæquatis, nec in omnibus simul, quia non faciunt propriè vnum subiectum, cùm sint formaliter plura. Conf. secundò Petrus & Paulus sunt distincti & diuersi sine Relatione, ergo etiam similes & dissimiles.

V. *Hoc, & præcedens argumentum probant non dari omninò has Relationes.* Ad argumentum Resp. si sit maior per Relationem, non esse maiorem nisi per modum distinctum ob rationes toties dictas. Probabilius tamen est hic non esse omninò Relationem; sicut etiam dicimus quatuor negationes esse plures quàm duas, & sex chimæras quàm tres, & tamen nec hæ, nec illæ sunt plures per Relationem, quæ secundùm omnes requirit subiectum reale.

VI. *In quo subiecto sit Relatio numeri quaternarij.* Ad Conf. dico, posito quod numerus quaternarius sit maior binario, & quod quatuor denominẽtur plures per Relationem, esse plures per aggregationem Relationum. Sicut enim numerus binarius est ens per accidens, seu aggregatum, ita & habet aggregationem Relationum per quas refertur, eo enim modo, quo est ens, est vnum, & quo vnum, relatum. Non ergo est vna Relatio in omnibus, nisi vna aggregatione: & quoad hoc est diuersa ratio de quantitate continua, & discreta.

VII. *Ratio cur Petrus & Paulus non distinguantur per Relationem Prædicamentalem.* Ad secundam confirmationem dico, esse Petrum & Paulum distinctos formaliter per suas entitates: & ratio est, quia non distinguũtur per Relationem prædicamentalem, sed quasi transcendentalẽ. Quod exinde constat, nam æquè Petrus distinguebatur à Paulo ante productum Paulum, atque postea, æquè enim est iam verum dicere Petrus non est Anti-Christus, ac Petrus non est Paulus, quod est signum distinctionis, & Deus ab æterno erat formalissimè distinctus à rebus omnibus possibilibus & futuris. Imò à Philosophis communiter omnium maxima distinctio dicitur ea, quæ est inter rem & eius negationem, seu inter ens & non ens, & inter rem realem & Chimæram, & tamen secundùm communẽ etiam eorum sententiam cõtra Gregorium, vt videbimus, non potest dari Relatio prædicamentalis ad terminum non existentem, negationem, vel Chimæram, ergo dispar longè ratio est in communi sententia de ratione distinctionis & dissimilitudinis. *Relatio distinctionis.* Non tamen est improbabile, quod aliqui dicunt, cùm de nouo producitur res aliqua, resultare in rebus existentibus Relationem distinctionis ad eam, non per quam distinguantur ab illa, sed per quam referantur vt distinctæ.

VIII. *Obii. Relatio ipsa Prædicamentalis est Relatio Transcendentalis.* Obiicies vndecimò: Relationem ipsam Prædicamentalem, si distinguatur à fundamento & termino, esse transcendentalem, tam enim respicit essentialiter fundamentum & terminum per se, & dicit essentialem ordinem ad illa, atque visio, actio, vel vnio, sed hæ sunt Relationes transcendentales, ergo & Relatio prædicamentalis erit transcendentalis. Resp. posse hic quæstionem esse de re, & de nomine. Quæstio de re est, num ad hoc vt dicatur fundamentum referri, & verè respicere terminum, requiratur modus aliquis superadditus ipsis entitatibus fundamenti & termini, & hoc dicimus esse omninò necessarium ob rationes dictas. Hoc si admittatur, vocetur A, vocetur B prædicamentalis vel transcendentalis nil refert, cùm constet de re.

IX. *Resp. Relationem Prædicamentalẽ in quibusdã conuenire cũ Transcendẽtali, in quibusdã differre.* In quibusdam ergo conuenit, in aliis differt à Relatione transcendentali. Conuenit, quod æquè essentialiter pendeat à suo subiecto, ac quiuis alius modus: differt tamen quod non transcendat varia prædicamenta, & genera rerum, sicut illa, qua de causâ vocatur transcendentalis, estque plerumque res absoluta, vt ignis, sol, cœlum &c. Item Prædicamentalis Relatio est accidentalis fundamento; Transcendentalis verò, quæ est purè talis, est ipsa entitas fundamenti. Deinde, respicit terminum vt purè terminum, vt suprà diximus sect. 2. n. 8. & eum requirit existentem, quod Relationi Transcendentali, saltem ex genere suo, non competit. Quod si in multis conueniat Relatio Prædicamentalis cum visione, actione, vnione, & aliis huiusmodi est quia hæ non sunt purè Transcendentales Relationes, sed aliquo modo Prædicamentales, imò ab aliquibus vocantur Prædicamentales.

SECTIO XI.

Argumentum de processu in infinitum in Relationibus.

I. MVltiplex est hoc argumentum, nouæque semper ita se in eo difficultates ingerunt, vt, quidquid sit de Relationibus, in difficultatibus certè dari videatur processus in infinitum. Rem qua potero breuitate percurram.

II. Obiicitur ergo, non solum fundamentum est simile termino per Relationem, sed ipsa etiam Relatio est vel similis vel dissimilis eidem, ergo per aliam Relationem: quod idem argumentum conficitur de secundâ Relatione, & sic in infinitum. Resp. potest primò, Relationem similitudinis nec esse similem, nec dissimilem propriè loquendo, nisi solùm *vt quo*, non magis quàm albedo est alba, vel calor calidus, nisi *vt quo*, sed esse ipsam similitudinem & dissimilitudinem: vnde non potest esse similis vel dissimilis, sicut nec albedo alba.

Relatio non est propriè similis, sicut nec albedo alba.

III. Dices; vnio dicitur vnita. Conf. primò, præsentia dicitur præsens. Conf. secundò; Quantitas etiam dicitur quanta. Ad duo prima dico, nec vnionem dici vnitam, nec præsentiam præsentem, nisi *vt quo*, id est, illas esse rationes quibus materia vnitur formæ, vel corpus loco. Ad secundam confirmationem dico hanc propositionem *Quantitas est quanta* posse habere duplicem sensum: primò *Quantitas est quanta*, id est, extensa, quod enim non à quantitate proueniat, sed ab vbicatione, seu extensione locali, nil mirum, si propositio in hoc sensu sit vera. Alius sensus est, *Quantitas est quanta*, id est habens quantitatem, vel est informata quantitate; & hoc sensu est falsa propositio non minùs quàm hæc *Albedo est alba, calor est calidus* &c. quæ ab omnibus censentur falsæ. Quod clariùs constat in modis, actio enim, seu productio non dicitur producta, nisi *vt quo*.

Quo sensu sit vera hac propositio, Quantitas est quanta.

IV. Ratio à priori est, quia essentia cuiusque formæ est tribuere alteri effectum formalem, non sibi, quia non est forma respectu sui ipsius, sed alterius. Quòd si in prædicatis Metaphysicis formæ illæ tribuant denominationem ei, quod est realiter cum ipsis identificatum, vt in hac & similibus propositionibus, *Homo est animal, Homo est rationalis*, saltem debent formaliter distingui, seu eo modo, quo sunt formæ. Denominationes autem *albi; similis, calidi* &c. sunt denominationes physicæ, seu prouenientes à formis physicis, ac proinde requirunt physicam à subiecto distinctionem, seu eo modo distinctionem, quo sunt formæ, & illud subiectum.

Conceptus formæ est, vt alteri det effectum formalem, non sibi.

V. Secundò resp. ad argumentum in initio propositum, Relationem non posse referri aliâ Relatione, vtpote quæ est vltimum in eo genere, si autem aliâ Relatione referretur, non esset vltimum; sicut nec vnio ob eandem rationem potest per aliam vnionē vniri. Dices; cognitio potest cognosci aliâ cognitione, ergo & Relatio aliâ Relatione referri. Nego consequentiam, Primò enim cognitio non est modus, sicut Relatio. Deinde, hoc est peculiare in cognitione, quæ est quid reflexiuum, etiam supra se, vt cùm quis dicit, *omnis cognitio est repræsentatio.* Item terminatur cognitio promiscuè ad terminum existentem, & non existentem, positiuum & negatiuum, possibilem & impossibilem; non est ergo par ratio de Relatione & cognitione. Et dicant qui hoc obiiciunt, cur non æquè vnio informationis possit aliâ vnione informationis vniri, ac cognitio aliâ cognitione cognosci?

Relatio non magis potest aliâ Relatione referri, quàm vnio aliâ vnione vniri.

VI. Dices; probare hæc quidem Relationem per se referri, cùm sit quid essentialiter respectiuum: hinc tamen non tollitur difficultas, nec enim solùm refertur Relatio ad alias res, sed fundamentum refertur ad ipsam Relationem similitudinis ex. gr. ergo per aliam relationem, per se enim referri nequit, cū sit quid absolutum. Resp. fundamentum referri ad illam Relationem similitudinis per ipsam Relationem, quæ eo ipso quod referat fundamentum ad terminum, vnum scilicet parietem album ad alium, eâdem operâ refert fundamentum ad seipsam. Sicut vnio, eo ipso quod materiam vniat formæ, eandem materiam vnit sibi.

Quomodo fundamentum referatur ad Relationem.

Vrgebis, hæc Relatio inter duas albedines est Relatio similitudinis, ergo non potest quidquam referre, nisi vt simile, sed fundamentum quantumuis simile termino, est tamen dissimile Relationi, ergo non potest fundamentum ad se referre, sic enim daret fundamento denominationem, quam in se non habet, cùm tantùm sit Relatio similitudinis. Resp. eandem entitatem respectu diuersorum tribuere posse diuersas denominationes, eadem actio ex. gr. per quam vnio inter animam & corpus producitur, respectu vnionis est productio, respectu animæ introductio, & sic de aliis, vt latiùs ostendi in lib. de Gen. d. 3. s. 4 n. 7. Hæc itaque Relatio, licèt vt est Relatio similitudinis referat fundamentum ad terminum, ad se tamen refert fundamentum vt dissimile: sicut eadem vbicatio arborem aut domum reddit terræ propinquam, & à cœlo distantem. VII.

Eadem Relatio respectu diuersorum est simul Relatio similitudinis & dissimilitudinis.

Relatio ergo similitudinis est per se similis aliis omnibus relationibus eiusdem rationis, & per se etiam dissimilis aliis omnibus rebus tam relatiuis, quā absolutis. Quod non est mirum cùm in aliâ sententiâ dicant illius auctores Petrum per suam entitatem esse similem Paulo, & aliis hominibus, aliis verò omnibus rebus dissimilem. VIII.

Relatio prioris ac posterioris, si quæ sit, videtur solùm quasi transcendentalis, cùm non requirat terminum existentem, imò essentialiter requirit terminum pro aliquo saltem tempore non existentem, res enim quæ est prior petit essentialiter id, quo est prior, aliquando non existere, alioqui non esset illo prior, sed simul. Res item quæ est posterior, essentialiter petit id, quo est posterior, præcessisse. IX.

De Relatione prioris & posterioris.

Hæc in gratiam illius sententiæ dixerim, quæ huiusmodi Relationes inter duas albedines, aut substantias, Petrum scilicet & Paulum statuit, quibus ad se inuicem referantur vt similes: si enim quis, licèt aliquas Relationes admitteret, has tamen negaret, hoc argumento non vrgeretur. De quo plura sect. sequente. X.

Hæc in gratiam illius sententiæ, quæ Relationem similitudinis ponit distinctam.

SECTIO XII.

Resolutio quæstionis circa distinctionem Relationis à fundamento & termino.

PRoposui vtramque sententiam, & eam scilicet, quæ Relationem à fundamento & termino distinguit, & quæ negat esse distinctam: nunc, quid mihi de tota hâc controuersiâ probabilius videatur, aperiam. I.

Dico primò: duæ albedines, ignes, homines, &c. si sint similes per Relationem, debent esse similes, per aliquid earum entitatibus superadditum. Hæc conclusio probata est suprà sec. 3. & 4 & ratio videtur clara, nam Relatio, vt vox ipsa sonat, dicit ordinem quendam, & respicientiam, vt constat in Relatione Transcendentali: hæc autem respicientia inter duos parietes, seclusâ Relatione superadditâ, non reperitur. Vnde vt suprà s. 3. n. 2. vidimus, Oka- II.

Si duo parietes sint similes per Relationem, debet esse quid ab vtroque distinctum.

mus

mus qui similitudinem constituebat in concreto, putabat se eadem opera negare Relationem, vt latiùs loco citato.

III. *Vt duo homines, vel quæ sint similes, non est opus Relatione.*

Dico secundò: nullam video necessitatem asserendi duos homines ex. gr. esse similes per Relationem: & idem est de aliis omnibus rebus similibus, vel dissimilibus, æqualibus, inæqualibus & huiusmodi, sed res omnes sunt similes, & dissimiles adæquatè per suas entitates absolutas. Ratio est, quia similitudo est conuenientia in prædicatis, æqualitas in magnitudine vel perfectione &c. sed duo homines non conueniunt in prædicatis per Relationem, imò disconueniunt potius, illi enim sunt substantia, Relatio accidens; illi entitates habent permanentes, Relatio est quid fluxum, & momentis penè singulis destruitur, ergo duo homines non sunt similes per Relationem.

IV. *Ostenditur vlterius nō esse opus Relatione.*

Conf. esse simile formaliter nihil aliud est, quam vt vnum habeat se sicut aliud, sed hoc fit formalissimè per ipsas entitates, vnus enim paries albus vt sex habet se sicut alius paries habens albedinem eiusdem intensionis, merè per illam albedinem, omni alio seclusa. Nec video cur magis egeant duo homines aliquo distincto vt sint similes in natura, quā vt sint duo.

V. *Quid apud Aristotelē sit Relatio similitudinis.*

Hæc conclusio videtur mihi esse iuxta mentem Aristotelis, qui Relationem similitudinis dicebat fundari in vnitate, ergo secundum Aristotelem duo homines ex. g. non sunt similes per Relationem superadditam, cùm pro aliquo priori ad hanc Relationem sint similes, seu habeant vnitatem & conuenientiam in Prædicatis, quæ est formalis similitudo, & in hac secundum Aristotelem fundatur hæc Relatio, quæ ideò ab ipso vocatur Relatio similitudinis, non quòd reddat parietes formaliter similes, sed quòd in similitudine fundetur, & ab eâ oriatur.

VI. *Relatio identitatis, æqualitatis, & similitudinis.*

Conforme itaque est doctrinæ S. Thomæ & Aristotelis asserere dari Relationes identitatis, seu inter duas substantias; æqualitatis, seu inter duas quantitates; & similitudinis inter duas qualitates; & è contrà, Relationes diuersitatis inter duas substantias, inæqualitatis, & dissimilitudinis inter quantitates & qualitates, & has omnes Relationes realiter esse à fundamento & termino distinctas, non quæ denominationem identitatis, æqualitatis & similitudinis iis tribuant, vt dixi, sed vt per eas res omnes peculiari modo inter se connectantur, & copulentur, quod nonnulli putant multum conducere ad bonum vniuersi. Quare si quis in hunc finem huiusmodi Relationes, & modos rebus superadditos admittere velit, non abnuo: puto tamen non esse necessarios.

VII. *Relatio Paternitatis realiter distinguitur ab entitate Patris, Filij, & generationis.*

Dico tertiò: Ratio & Relatio Paternitatis & filiationis, & similes in creatis realiter distinguuntur ab entitate Patris, ab entitate filij, & à generatione, seu à concreto ex his tribus conflato, suntque modis iis superadditi. Ita auctores suprà sect. 7. n. 1. citati. Hæc conclusio latè probata est suprà sect. 3. in impugnatione sententiæ statuentis Relationem in concreto, maximè autem sect. 4. vbi ostendi, nisi Relationes Paternitatis, & filiationis sint aliquid aliud, præter entitatem Abrahami ex. gr. entitatem Isaac, & generationem, sequi Patrem & filium, seu *esse Patrem & esse filium* esse planè idem: quod tamen nullo modo concedi debet: existimo tamen id apertè sequi, vt ex loco citato constat.

SECTIO XIII.

An Relatio prædicamentalis requirat actualem existentiam fundamenti & termini.

I.

Relatiua dicuntur simul definitione, & cognitione, quia nimirum definiri nequit vel cognosci vnum, nisi per aliud (quod intelligendum est de relatiuis formaliter, nam entitas illa, quæ habet Relationem potest cognosci sine suo correlatiuo, vt Petrus non cognito Paulo filio) sic dici solet *Pater est qui habet filium*, & è contrà *seruus est domini seruus, dominus alicuius dominus* &c. quærimus ergo vtrùm realis existentia fundamenti & termini ad Relationem prædicamentalem necessariò requiratur. *Proponitur quæstio.*

II. *Certum est ad Relationem requiri actualē existentiam fundamenti.*

De fundamento non videtur dubium, quin requiratur vt sit reale, & realiter existens. Ratio est quia Relatio est accidens reale, & ante omnem operationem intellectus refert vnum ad aliud, sed nihil reale potest subiectari in aliquo non reali, ergo. Conf. quod nihil est, non potest actu referri Relatione reali, sed res non existens est actu nihil, ergo. Confir. secundò, *esse* semper est primum in vnaquaque re, vnde sicut *prius est esse quam operari*, ita & quàm referri, vel quàm habere in se Relationem realem.

III. *Relatio prædicamentalis requirit etiam necessariò terminum existentem.*

De termino dicendum, Relationem prædicamentalem necessariò requirere terminum actu existentem, & in hoc etiam differt à transcendentali, quæ non solum non semper, sed ex genere suo requirit terminum actu existentem, sed aliquando nec possibilem. Sic cognitio eclipsis futuræ, & AntiChristi necdum nati, & rerum omnium possibilium, imò & impossibilium, vt Chimæræ dicit realem respectum transcendentalem ad illa. Ita S. Thomas 1. p. q. 13. a. 7. & lib. 2. contra Gen. c. 12. n. 3 Ferrar. ibid. P. Suarez d. 47. f. 8. nu. 4. P. Hurt. d. 5. Met. f. 6 n. 63. P. Arriaga d. 12. Log. f. 10. & est communis contra Gregorium in 1. d. 28. q. 23.

IV. *Probatur auctoritate S. Thomæ.*

Probatur primò auctoritate S. Thomæ 2. contra Gen. c. 12. n. 3. citato, vbi probat Relationem scientiæ in Deo non esse realem & prædicamentalem, quia est ad res non solum in actu, seu actualiter existentes, sed etiam ad eas quæ sunt tantum in potentia, sed *eius*, inquit, *quod est actu ad id quod non est actu, sed potentia, non sunt Relationes reales, alias sequeretur quod essent infinitæ Relationes actu in eodem, cùm numeri infiniti in potentia sint maiores binario, quibus omnibus ipse est prior.* Quid clarius? Item S. Damascenus lib. 1. orthod. fidei c. 8. sic ait de Patre & Filio in Trinitate: *Neque enim Pater vnquam fuit quin filius quoque esset, verùm simul Pater, simul filius*; & tunc generaliter infert, *Neque enim Pater vocari queat qui filio careat.* Præterea D. Athanasius de S. Spiritu, circa finem: *In diuinis,* inquit, *semper Pater est Pater, & Filius semper Filius: in rebus autem humanis non est eodem modo, siquidem in hominibus qui est Pater, non semper est Pater, neque qui Filius semper Filius.* Item S. Cyrillus Alex. lib. de Trini. c. 7. sic ait: *Non erat vnquam Pater, quando Filius non erat, sed simul Pater, & simul Filius ex ipso genitus, quippe Pater, qui careat Filio, nemo vocetur.*

Sancti Damasceni.

Sancti Athanasij.

S. Cyrilli Alexandrini.

Imò videtur esse communis opinio omnium, vt videre licet in scriptis antiquorum, qui ex communi sensu sui temporis sunt loquuti, vt constat ex illo Ouidij de Dedalo & Icaro. *At Pater infelix, iam non Pater, Icare clamat* &c. ex quibus habemus esse de communi consensu omnium neminem esse Patrem, nisi qui actu habet filium. Sed vt Philosophos rursus adeamus est commune axioma ab ipsis statutū, *Communis est omnium sensus Relationem requirere terminum existentem.*

posito fundamento & termino resultat Relatio; item communiter dici solet, *ablato termino perire Relationem*, ergo in communi sententia, supponit Relatio terminum existentem. Præterea dicuntur Relatiua esse simul tempore & natura, quæ omnia desumpta ex Aristotele, & communi sententia, magnam hac in parte faciunt probabilitatem.

Probatur ex definitione Patris, Pater est, qui habet Filium.

VI. Probatur secundò: communiter ab omnibus dicitur *Pater est qui habet Filium*, quæ tamen definitio esset diminuta nisi relatio requireret actualem existentiam termini, jam enim secundum illam sententiam, quiuis esset Pater respectu filij possibilis, cùm non requirat terminum actu existentem; vel saltem mortuo filio adhuc esset actu Pater, quod est contra communem Philosophorum sententiam, & per se videtur falsum. Vnde S. Thomas 4. contra Gen. c. 14. ait, *hæc est ratio Patris vt sit Filij Pater*, non potest autem esse Pater Filij, si Filius non sit, sicut nec dominus serui mortui. Conf. nullus dicit talem esse, sed fuisse filium talium parentum, ergo communis sensus est actu non esse illum filium, qui non habet vel Patrem vel Matrem. Conf. secundò, nam *Relatio est, cuius totum esse est ad aliud se habere*, res autem non existens non est propriè aliud, cùm omninò nõ sit, imo sit nihil. Conf. paries albus non est actu similis parieti, qui nullum in se habet colorem, quamuis sit albedo in eo possibilis, ergo requirit Relatio similitudinis terminum existentem.

In existentia termini diuersa ratio est de Relatione Prædicamentali, & Transcendentali.

VII. Dices cum Gregorio citato; Relatio transcendentalis non requirit existentiam, imò nec possibilitatem termini, vt suprà diximus, ergo nec prædicamentalis. Nego consequentiam: Ratio est, quia Relationes prædicamentales resultant, posito fundamento & termino, vt ex Aristotele docet communis schola Philosophorum. Deinde, Relationes transcendentales non definiuntur *ad aliud* vel *ad aliquid* simpliciter, homo enim captus mente habet potentiam ad actus rationis, qui tamen actu nihil sunt: nunquam autem censetur quis Pater ante existentiam filij, si autem argumentum illud quidquã probet, probat Patrem esse Patrem antequam ei nascatur vllus filius; Relatio enim transcendentalis existit antequam vllus eius terminus existat.

Relatio Prædicam. non potest terminari ad Ens rationis.

VIII. Hinc etiam deducitur Relationem prædicamẽtalem non posse terminari ad Ens rationis; Relatio enim hæc est *cuius totum esse est ad aliud se habere*, sed Ens rationis non est *aliud* propriè, nam non est propriè ens, nec aliquid, ergo &c. Dices; Petrus est dissimilis chimæræ. Distinguo antecedens, est dissimilis negatiuè, seu non similis, & quasi transcendentaliter, concedo antecedens; positiuè & prædicamentaliter, nego; quia Ens rationis, vt dixi, non est *aliud*, seu *aliquid* propriè loquendo, sed solum Metaphoricè.

Relatio Prædicam. requirit extrema realiter distincta.

IX. Quæres, vtrùm Relatio possit esse inter extrema non realiter distincta? Resp. negatiuè; primò, quia Relatio est quædam oppositio, vnde Aristoteles in post prædicamentis inter oppositiones vnam numerat *Relatiaam*, sed vbicunque est oppositio est distinctio, nam oppositio intercedit necessariò inter extrema realiter distincta, eiusdem enim ad seipsum vt non datur vnio, ita nec oppositio, ob defectum distinctionis. Conf. Theologi inde probant realem distinctionem inter personas diuinas, quia inter illas datur vera Relatio, seu oppositio Relatiua, ergo censent ad veram Relationem requiri distinctionem realem.

Definitio Relationis arguit realem distinctionem extremorum.

X. Probatur secundò, definitio Relationis est *cuius totum esse est ad aliud se habere*, sed nihil à parte rei est aliud realiter à seipso, ergo nihil potest dicere Relationem realem ad se. Vnde licèt Petrus sit idem secum, non tamen dicit Relationem identitatis ad se, licèt non minùs sit idem secum, quàm distinctus ab aliis, ratio autem sola est, quia ad Relationem requiritur realis distinctio extremorum.

Transcendentalis etiam Relatio requirit terminũ distinctum.

XI. Quod de Relatione prædicamentali diximus, etiam verum est de transcendentali, inter quam & terminum requiritur etiam realis distinctio. Qua de causa docent Theologi scientiam Dei non dicere habitudinem realem transcendentalem ad diuinam essentiam dum illam cognoscit, nec amorem diuinum ad diuinam bonitatem, dum illam amat. Sicut nec intellectus etiam creatus dicit Relationem transcendentalem immediatam ad se, dum se intelligit, nec voluntas creata dum se amat, nec etiam oculus, dum se videt per speculum.

Res creata dicunt Relationem Transcen. mediatam ad seipsas.

XII. Dixi intellectum, dum se intelligit, non dicere Relationem transcendentalem immediatam ad seipsum, dicit enim mediatam, hoc namque nihil aliud est, quàm quod dicat Relationem transcendentalem ad illud, quod vicissim dicit Relationem ad intellectum, vt dicit intellectio, hæc enim respicit intellectum vt causam, ille actum vt effectum. Hoc modo materia respicit mediatè seipsam, dum respicit formam, à qua vicissim respicitur, & vniuersim verum hoc est in omni Relatione transcendentali mutua.

Animal non dicit Relationem ad Rationale.

XIII. Vlterius, licèt animal ratione ratiocinata distinguatur à rationali, non tamen dicit ad illud Relationem realem transcendentalem, ob defectum distinctionis realis, sola enim distinctio per intellectum ad Relationem realem fundandam non sufficit, sed tantum ad prædicationes quasdam inter prædicata Metaphysica ratione distincta.

SECTIO XIV.

Vtrùm Relatio terminetur ad respectiuum, an absolutum.

Status difficultatis.

I. NOn est quæstio, quando vna Relatio terminatur ad aliam in sententia asserente id fieri posse, vt cùm paternitas refertur vt dissimilis filiationi per se vel per Relationem dissimilitudinis ab vtraque distinctam, hoc enim si fiat, non est dubium quin Relatio terminetur ad respectiuum, cùm omnis Relatio sit essentialiter quid respectiuum. Quæstio ergo est, vtrùm Pater, quà Pater, seu vtrùm Paternitas terminetur ad filium quà filium, seu ad filiationem, an ad entitatem absolutam filij, & è contra de filio respectu Patris, & de aliis omnibus Relationibus.

Circa terminationem Relationis sunt tres sententiæ.

II. Prima sententia Caiet. Medinæ, & aliorum affirmat omnem omninò Relationem terminari ad respectiuum. secunda Ferrar. Rubij de Prædic. c. 7. q. 7. & aliorum, idem affirmat de quibusdam Relationibus, de aliis negat. Tertia demum sententia de omnibus omninò Relationibus negat: Ita noster Scotus in 1. d. 30. q. 1. cum suis, & alij.

Relationes aliæ mutuæ, aliæ nõ mutuæ.

III. Aduertendum primò, Relatiua alia esse mutua, alia non mutua; mutua illa sunt, quæ ad se inuicem referuntur, vt Pater & Filius. Pater enim respicit filium per paternitatem, & filius vicissim Patrem per filiationem. Non mutua sunt, quando licèt vnum extremum referatur ad aliud, hoc tamen non iterum refertur ad illud Relatione vera & reali. Sic creaturæ referuntur ad Deum Relatione reali non tamen Deus ad creaturas.

V. Aduertendum secundò quæstionem posse institui de Relationibus etiam transcendentalibus, par enim quoad hoc vtriusque Relationis est ratio, licèt communiter procedat de solis prædicamentalibus, vtpote in quibus clarius apparet difficultas.

Dico

V. *Relatio tranſcendentalis mutua terminatur ad reſpectiuum, non mutua ad abſolutū.*

Dico primò Relatio tranſcendentalis non mutua terminatur ad abſolutum, mutua ad reſpectiuum. Prima pars conſtat in cognitione terminata ad Ens rationis, & in Relatione tranſcendentali creaturæ ad Deum, in ſententia aſſerente Deum non dicere Relationem tranſcendentalem ad creaturas. Secunda etiam pars probatur, nam materia prima reſpicit formam vt actum ſuum, ſeu vt quid ipſam perficiens. Conf. & explicatur, materia per ſuā eſſentiam reſpicit eſſentiam formæ, ſed eſſentia formæ eſt reſpectiua, & Relatio tranſcendentalis, non quid ab eā diſtinctum, ſed ipſa eius entitas, per quā viciſſim reſpicit materiam, ergo entitas materiæ terminatur ad reſpectiuum, quod ſecus contingit in Relationibus Prædicamentalibus, vbi Relatio realiter diſtinguitur à termino.

VI. *Relatio prædicam. nō mutua terminatur ad abſolutum.*

Dico ſecundò: Relationes prædicamentales non mutuæ terminantur ad abſolutum. Ratio eſt clara, in Relatiuis enim hiſce non mutuis non eſt Relatio in termino ergo non poteſt in eo reſpici. Sic Relatio prædicamentalis creaturæ ad Deum non terminatur ad Relationem, cùm in Deo nulla ſit Relatio prædicamentalis ad creaturam, vt eſt manifeſtum.

VII. *Relationes etiam prædicam. mutuæ terminantur ad abſolutum.*

Dico tertiò: Relationes etiam prædicamentales mutuæ terminantur ad abſolutum. Probatur primò, in Relationibus non mutuis. Relatio non terminatur ad Relationem, ergo non exigit hoc ex ratione Relationis vt ſic, ergo in Relatiuis etiam mutuis, eſt ſufficiens ratio in termino ad terminandum Relationem, licèt non eſſet Relatio in illo extremo, ad quod refertur Relatio: vnde ſi per poſſibile vel impoſſibile auferretur Relatio ab altero pariete, manente in eo albedine, adhuc referretur ad illum alter vt ſimilis in albedine, quæ eſt fundamentum & terminus Relationis ſimilitudinis. Conf. equus refertur ad lapidem Relatione diſſimilitudinis, ergo non refertur ad Relationem diſſimilitudinis in lapide. Patet conſequentia, Relatio diſſimilitudinis in equo eſt potiùs ſimilis alteri Relationi diſſimilitudinis, quàm ei diſſimilis, ergo non eſt Relatio diſſimilitudinis in quantum reſpicit alteram Relationem ſibi ſimilem, ſed vt reſpicit fundamentum illius Relationis ſibi diſſimile.

VIII. *In Relatione cauſæ ad effectum clarè cernitur Relationem terminari ad abſolutum.*

Probatur ſecundò in Relationibus diſquiparantiæ: Relatio cauſæ refertur tantum formaliter ad effectum ab illa cauſa productum, ſed ignis A non producit Relationem effectus in igne B à ſe producto, ergo ignis A non refertur Relatione cauſæ ad illam Relationem, ſed ſolum ad ignem B. Idem eſt in Relatione Patris ad Filium, quæ eſt etiam Relatio cauſæ ad effectum; non enim ideò refertur Pater ad Filium, quia Filius refertur ad Patrem, ſed quia eſt ab illo genitus; ſicut nec filius refertur ad Patrem, quia Pater refertur prædicamentaliter ad filium, ſed quia Pater eum genuit, eo enim ipſo quod hoc concipiamus, habemus ſufficientem rationem, cur vel Pater reſpiciat Filium, vel Filius Patrem. Relatio ergo in mutuis, licèt ſemper concomitanter ſe habeat concomitantia reali, nunquam tamen redditur pro formali ratione alterius, quia prius illa redditur ſufficiens ratio, nempe quia eſt res ab alia producta, quæ eſt prior reſultantia harum Relationum, ergo formalis ratio termini non eſt Relatio, ſed id ſolum, quod redditur pro ratione. Vnde Pater per paternitatem non reſpicit filium formaliter, ſed hominem à ſe genitum, cùm ſit Relatio cauſæ ad effectum.

IX. *Ratio à priori eſt, quia Relationes non erunt ſimul natura.*

Probatur tertiò, & eſt ratio à priori: Relatiua formaliter ſunt ſimul natura, ergo Relatio in fundamento terminatur ad abſolutum, non ad Relationem in termino. Patet conſequentia, ſi Relatio in fundamento terminetur ad Relatiuum formaliter, ſeu ad Relationem, terminus illius Relationis eſſet altera Relatio, ſed terminus eſt aliquo modo prior Relatione, nam iuxta communem Philoſophorum ſententiam, *poſito fundamento & termino reſultat Relatio*; ergo Relatio pendet à poſitione termini, ſed id omne à quo aliud pendet eſt prius eo, quod pendet, ergo iam Relationes non erunt ſimul natura. Conf. hinc ſequeretur filiationem eſſe prius paternitate, cùm paternitas ſecundum aduerſarios terminetur ad filiationem, ſed filiatio etiam ſecundum illos terminatur ad paternitatem, ergo erit mutua prioritas.

SECTIO XV.

Soluuntur obiectiones contendentes Relationem terminari ad reſpectiuum: Vbi quomodo Relatiua ſint ſimul natura, & cognitione.

I. *Obi. ſequi Petrum eſſe prius Patrem, quàm Paulus ſit filius.*

OBiicitur primò: niſi Relatio terminetur ad reſpectiuum, ſequitur Petrum eſſe prius Patrem quàm Paulus ſit eius filius. Probatur ſequela, Paulus prius eſt homo, quàm filius, ſeu quàm in eo emergat Relatio filiationis, ſi ergo paternitas in Petro terminetur ad humanitatem Pauli, & non ad Relationem filiationis, non expectabit exiſtentiam filiationis vt exiſtat, ſed poſita entitate Pauli, quæ eſt prior Relatione filiationis, ſtatim emerget, ſicque Petrus erit prius Pater, quàm Paulus ſit filius. Reſp. negando ſequelam, ad probationem dico eodem inſtante reali, naturæ, & rationis, quo exiſtunt entitates Petri ac Pauli, emergere vtramque Relationem, licèt neutra ad ſe inuicem terminetur. Quod vt melius intelligatur.

Reſp. negando ſequelā.

II. *In eodem inſtante reali conſideranda ſunt tria inſtantia rationis.*

Notandum, in eodem inſtante reali tria reperiri inſtantia ſeu ſigna rationis in Relatione cauſæ ad effectum. Primum inſtās eſt cùm conſideratur cauſa in actu primo, & ſemper in hoc ſenſu eſt prior effectu: ſecundum quando actu cauſat, ſeu eſt actu cauſa, ſub hac autem ratione eſt ſimul ratione cum effectu, nec enim intelligi poteſt actu efficiens niſi intelligatur effectus, in hoc autem inſtante adhuc non intelligitur Relatio. In tertio demum inſtante intelligitur ad poſitionem cauſæ & effectus emergere duplex Relatio, altera ex parte cauſæ, per quā refertur ad effectum, altera ex parte effectus, qua refertur ad cauſam. Pro nullo ergo priori emergit Relatio paternitatis in Petro Patre, quin emergat etiam Relatio in Ioanne filio, ſicque licèt Petrus ſit prius homo, imò & homo generans, quoad prioritatem naturæ, quàm ſit Pater, vel quàm Ioannes ſit filius, pro nullo tamen priori eſt Petrus Pater, quin pro eodem Ioannes ſit filius, poſito enim fundamento & termino, neceſſaria quadam concomitantia reſultat vtraque Relatio, cùm eædem ad reſultantiam conditiones requirantur.

Petrus pro nullo ſigno eſt prius Pater, quā Paulus ſit filius.

III. *Quomodo Relatiua ſint ſimul natura, & cognitione.*

Obiicitur ſecundò: Relationes dicuntur ſimul cognitione, ergo terminātur ad ſe mutuò, alioquin poſſet cognoſci vna, non cognita alia. Reſp. vt Relationes ſint ſimul cognitione non eſt neceſſarium vt vna terminetur ad aliā, ſed hoc ſenſu ſunt ſimul cognitione, nempe quod ſicut Relationes mutuæ neceſſaria concomitantia ſimul reſultant in eodem inſtante reali, & rationis, ob quod ſunt ſimul natura, ita eadem ratione ſimul cognoſci poſſunt, cognito fundamento & termino, cùm tantū fundamentum ſit ad cognoſcendum vnam Relationem, atque alteram: ſicque vt in *eſſe* ita in *cognoſcibiles eſſe* ſunt ſimul, & ſe mutuò concomitantur; non quòd vna co-

 gnoſci

gnosci omninò non possit nisi cognitâ alia, sed tum quòd plerumque simul cognoscantur, cùm necessariò sint simul: tum maximè quod pro nullo priori cognoscitur vna, quia possit cognosci alia, quod est *esse simul cognitione*, nempe aptitudinali, non semper actuali.

IV. *Seruum respicit Dominum specificatiuè.* Obiicitur tertiò: Aristoteles hic asserit seruum non referri ad hominem sed ad Dominum. Resp. solum velle Aristotelem non referri ad quemcunque hominem, sed ad eum qui habet seruum, quod est referri ad dominum specificatiuè; sicut nec Filius referri ad quemcunque hominem, sed tantum ad eum qui genuit, sicut seruus respicit hominem, qui eum emit aut conduxit.

V. *Quomodo Relatiua sint simul definitione.* Obiicitur quartò: Relatiua sunt simul definitione, sed non sunt simul definitione, nisi terminentur formaliter, seu ad se mutuò, ergo omne Relatiuum, vt sit simul definitione, debet definiri per correlatiuum. Distinguo consequens, per correlatiuum specificatiuè concedo; reduplicatiuè, nego: in ordine enim ad id solum definitur vnaquæque res respectiua, quod respicit, seu in ordine ad quod dicit habitudinem: cùm ergo Relatio Paternitatis v. g. vel filiationis dicat habitudinem solum ad absolutum, vt vidimus sect. præcedente, definitur solum in ordine ad illud. Vnde licèt illud pro eodem instante reali, & rationis sit relatiuum, & consequenter correlatiuum, perinde tamen esset quoad hanc Relationem, si non esset Relatiuum, sed solum absolutum, vt ostensum est.

VI. *Non omnis circulus in definitionibus est vitiosus.* Solum hic notandum ob id quod aliqui obiiciunt, si vnum Relatiuum possit quouis modo definiri per aliud, committi circulum, notandum, inquam, non omnem circulum esse vitiosum, nec vitandum in definitionibus, cùm enim res à parte rei mutuò se respiciant, & efficiant quasi circulum in *essendo*, vt materia respicit & connotat formam, & hæc vicissim materiam, actus potentiam, & potentia actum, quidni poterit Philosophus facere circulum in explicando, ea per mutuum hunc ad se inuicem respectum definiendo? imò & debent hoc modo definiri, cùm definitio explicet essentiam rei, essentiæ autem horum mutuò se respiciunt; vt si quis dicat *materia est subiectum receptiuum formarum, forma est actus informatiuus materiæ.*

VII. *Quis circulus in definitionibus sit vitiosus.* Addo non hic definiri planè idem per idem, qui solus circulus vituperatur à Philosophis, qualis est si quis dicat *Pater est qui habet Filium, filius est qui habetur à Patre*, qui enim hoc modo definiret solum videretur ludere in verbis, & non rem vlla ratione explicare. Imò nec adeò mihi probatur hic modus definiendi, *Pater est qui habet filium*, nisi aliunde supponatur aliquo modo notum quid sit filius, sed dici potius debet *Pater est qui genuit sibi similem in substantia.*

SECTIO XVI.

Vtrum Relatio varietur pro diuersitate terminorum.

I. *Vna Relatio referri potest ad plures terminos numero distinctos.* Dico primò: licèt non repugnet vnam Relationem terminari ad plures terminos numero distinctos, possunt tamen dari in eodem subiecto duę vel plures Relationes numero tantum distinctæ. Prima pars constat, quid enim vetat, cùm de nouo producitur albedo in aliquo pariete, referri parietem illum per vnicam Relationem ad plures parietes ei in albedine similes?

II. *Sicut visio respicit plura obiecta, ita Relatio plures terminos.* Conf. eadem visio, vt vidimus in lib. de Anim. ferri potest ad plures terminos numero distinctos, ergo & eadem Relatio ad plures etiam terminos similiter distinctos; sicque sicut illa visio est repræsentatio, non vnius tantum albedinis, vel coloris, sed plurium, vt cùm quis aspicit aceruum tritici, vel campum plenum gramine, & est ordo potentiæ ad plura obiecta numero distincta, ita hæc Relatio erit respectus, vel ordo fundamenti ad plures terminos numero distinctos. Vnde est probabile filium eadem numero Relatione referri ad Patrem & Matrem, quæ etiam est sententia S. Thomæ, & si alter parẽs moriatur, destruitur illa Relatio, & alia emergit ad solum parentem superstitem, qualis fuisset si Pater diem obiisset ante filium conceptum.

III. *Dari possunt in eodem subiecto simul plures Relationes numero distinctæ.* Secunda pars conclusionis est contra eos, qui vniuersim negant, posse plura accidentia numero tantum distincta esse in eodem subiecto. Vnde, cùm quis habet Relationem Paternitatis ad vnum filiũ, & posteà nascitur ei alius, dicunt non nouam Relationem Paternitatis ad illum filium emergere, sed priorem extendi ad nouum terminum. Sed contra hoc vltimum est, nam Relatio ex essentia sua est actualis respicientia, seu exercitium, ergo si sit vnquam actualis respicientia duorum filiorum, fuit semper, cùm semper habuerit suam essentiam.

IV. *Visio nequit mutare obiectum, ergo nec Relatio terminum.* Conf. secundò, quia eodem modo posset quis dicere visionem vnius albedinis extendi posse ad aliam albedinem, & mutare obiectum, sicut dicunt Relationem mutare terminum, cùm Relatio non minus sit essentialis ordo ad terminum, quàm visio ad obiectum.

V. *Duo accidentia numero tantum distincta possunt esse simul in eodem subiecto.* Ad id quod aiunt non posse esse simul duo accidentia numero tantum distincta, sæpe ostendi id nullo modo ita se habere, præsertim quando accidentia illa deseruiunt diuersis muneribus vt hic cõtingit. Sic diuersi gradus coloris, diuersæ species visibiles in oculum à duobus numero obiectis immissæ, item duo actus intellectus &c. simul reperiuntur. Verum quidem est aliqua accidentia numero tantum distincta non posse esse in eodem subiecto, quia nulli vsui deseruirent, vt duo calores vt vnum, vel duæ partes albedinis planè similes, duæ vbicationes, durationes &c.

VI. *Petrus habens plures paternitates est tantum vnus pater.* Dices; si vnus homo in se habeat plures paternitates, ergo est plures Patres. Nego consequentiam; sicut flos aliquis habens plures qualitates, non est plura qualia, sed vnum quale pluribus qualitatibus; & artifex callens plures artes, non est plures artifices, sed vnus. Ratio est, quia denominatio in istis sumitur communiter ab eo, quod importatur in recto, quod si sit vnum, id quod denominatur censetur vnum, quantumuis ea quæ importantur in obliquo sint plura.

VII. *Eadem numero Relatio potest respicere terminos specie distinctos.* Dico secundò: mihi probabilius videtur eandem numero Relationem posse referre fundamentum ad terminos, etiam specie distinctos: vnde existimo eadem numero Relatione parietem ex. gr. referri ad omnes alias res absolutas, quibus est vel similis vel dissimilis. Declaratur & probatur conclusio; sicut datur ratio vegetatiui tantum, vt in planta, & ratio rationalis tantum, vt in Angelo, ac demũ ratio vegetatiui simul & rationalis, vt in homine: ita si existerent à parte rei duæ tantum res omninò similes, posset dari inter illas Relatio, quæ esset similitudinis tantum, & si duæ res tantum existerent omninò dissimiles, daretur inter illas Relatio dissimilitudinis tantum, si verò res variæ existant, quarum aliquæ sunt similes sibi inuicem, aliæ dissimiles, dari poterit vna Relatio in vnoquoque fundamento, quæ simul sit Relatio similitudinis & dissimilitudinis respectu omnium.

VIII. Conf. potest dari vna visio solius albedinis, & alia solius nigredinis, ac tertia iuxta communem sententiam,

Hoc probatur exemplo visionis.

tentiam, quæ simul sit visio albedinis & nigredinis, & tamen vt dixi non minùs essentialem ordinem dicit ad obiectum, quàm Relatio ad terminum, ergo poterit eodem modo eadem Relatio esse similitudinis & dissimilitudinis. Conf. Secundò; Angelus potest eodem actu intuitiuo videre plura obiecta specie, imò genere distincta, ergo & fundamentum aliquod eâdem Relatione poterit respicere terminos specie distinctos.

IX. Id tamen notaueris nunquam posse Relationē, quæ fuit similitudinis tantùm (si qua sit huiusmodi), esse posteà dissimilitudinis, vel è contrà; sicut nec visio albedinis tantùm, fieri vnquam potest visio nigredinis, aut vegetatiuum tātùm fieri sensitiuum, vel rationale.

X. *Ratio cur albedo & nigredo nequeant idē esse, sicut similitudo, & dissimilitudo.*

Dices; implicat eundem colorem esse albedinem & nigredinem, ergo & eandem Relationem esse similitudinis & dissimilitudinis. Nego consequentiam, disparitas est, quia albedo & nigredo sunt contrariæ & ab eodem subiecto se inuicem expellunt, quod non contingit in similitudine & dissimilitudine, nam saltem potest idem paries albus habere in se simul Relationem similitudinis ad alterum parietem album, & dissimilitudinis ad nigrum, ergo similitudo & dissimilitudo etiam respectu cōtrariorum, vt hic contingit, non sunt contrariæ, sic enim ab eodem se subiecto expellerent, ergo non est tanta ratio cur non possit dari vna Relatio, quæ sit similitudinis & dissimilitudinis, atque quod non possit dari idem color, qui sit albedo simul & nigredo, cùm etiam dari possit eadem visio, quæ sit simul albedinis & nigredinis.

XI. *In viperâ, diuisâ in partes prole, perit prior Relatio Matris.*

Obicies primò: vipera mater dicit Relationem ad viperam filiam, ponamus ergo secari in varias partes filiam, ita tamen vt singulæ adhuc partes viuant, quæro num pereat Relatio matris in viperâ, & si pereat, vtrùm resultet alia, & si resultet, vtrùm vna an plures. Resp. destrui Relationem matris diuisâ in partes prole, quia respiciebat illam viperam, seu vt vnam, iam autem non est amplius illa, sicut nec arbor diuisa in varias partes esset amplius illa arbor, nec arbor propriè, sed partes arboris. Sicut ergo in visione terminata ad colorem varius vlnæ in longitudine, si diuidatur color ille in varias partes, necessariò perit visio, quia respiciebat colorem illum per modum vnius, & si non periret, mutaret obiectum; idem est in præsenti de Relatione.

XII. *In viperâ illa resultabit noua Relatio causæ & Matris.*

Ad secundum, An scilicet, & qualis Relatio resultet, dico; siqua pars ita maneat, vt habeat partes sufficientes ad rationem & denominationem viperæ, resultaturam ad illam partem Relationem matris, ad alias autem partes resultaturam tantùm Relationem causæ non matris, nam ad nihil resultat Relatio matris, quod non sit aptum suscipere denominationem & Relationem filij. Sicut si Deus conseruaret brachium Ioannis Filij præcisum, adhuc viuum, Petrus Ioannis Pater non haberet Relationem Patris ad illud brachium, sed ad compositum ex aliis partibus, quod seruat denominationem, & Relationem Filij, nullus enim dicet brachium præcisum, licèt adhuc viuum, esse Filium. Secundò tamen resp. dici probabiliter posse illas partes viperæ præcisas, cùm sint homogeneæ, & eiusdem adhuc rationis ac naturæ cum matre posse dici aliquo modo filias, & consequenter resultare in matre vnam nouam Relationem ad illas omnes partes terminatam, sicut in Patre vel matre ad plures filios.

XIII. *Dum effectus producitur successiuè, Relatio etiam causæ successiuè emergit.*

Obicies secundò: quando lignum calefit successiuè per quadrātem, si Relatio sit modus distinctus, sequitur esse in igne, vel causa calefaciente infinitas Relationes, cùm in singulis instantibus, quæ censentur infinita, fit nouus calor productus, ergo & Relatio illi correspondens erit infinita. Resp. sicut dixi in simili suprà sect. 9. num. 11. vnam Relationem resultare successiuè in causâ producente calorem, quæ habet partes diuersas correspōdentes calori producto; sicut tamen calor productus non est infinitus ob illa infinita instantia, in quibus producitur, ita nec Relatio illi correspondens erit infinita. Quod idem videtur contingere; si quis colorem successiuè propositum intueatur, vel solem aut lunam successiuè orientem, non enim habet infinitas visiones, licèt singulis momentis aliquid plus solis appareat, sed habet vnam successiuam, & fluentem.

XIV. *Relatio similitudinis est respectu diuersi termini Relatio etiam dissimilitudinis.*

Omnis ergo Relatio similitudinis est etiam Relatio dissimilitudinis, & omnis Relatio æqualitatis Relatio etiam inæqualitatis respectu diuersorum. Relationes autē similitudinis ex genere suo distinguuntur specie à Relationibus æqualitatis, sicut tam Relationes similitudinis quàm æqualitatis distinguuntur specie à Relationibus causæ & effectûs. Non ergo negamus distingui aliquas Relationes specie, sed solùm dicimus non necessariò distingui specie ad distinctionem specificam terminorum, vt iam ostendimus in Relationibus similitudinis & dissimilitudinis.

XV. *Dicunt aliqui, producto secūdo Filio, addi tantū nouā partē Paternitati.*

Id tamen hîc noto, non esse improbabile, quod aliqui dicunt, quando nascitur nouus Filius non necessariò produci nouam Relationem integram Paternitatis ad illum in Patre, sed solùm addi nouam partem priori Relationi. Sicut dicunt aliqui probabiliter, si proponatur nouum aliquod obiectum, dū oculus varia intuetur, non necessariò dari ad id nouam visionem ab aliâ separatam, sed nouam partem addi, & cum illâ continuari.

SECTIO XVII.

De tribus generibus Relationum: vbi de Relationibus Æquiparantiæ & Disquiparantiæ.

I. *Triplex Relationū genus.*

PRimò notanda triplex illa diuisio Relationis in tria genera ab Aristotele assignata; primum genus est earum Relationum quæ fundantur in vnitate & numero; per vnitatem autem non intelligitur vnitas perfectissima, seu numerica, cùm ad Relationem requiratur distinctio fundamenti à termino, nihil autem distinguitur à seipso, imò *nullum fundamentum est idem*. Per vnitatem ergo intelligitur quæcunque conuenientia realis, siue sit in *qualitate*, sicque ait Aristoteles *similia sunt quorum vna est qualitas*: siue in *substantiâ*, & sic etiam ait, *eadem sunt quorum substantia est vna*; siue in *quantitate*, sic æqualia vocat, *quorum vna est quantitas*. Præcipua tamen similitudo fundatur in conuenientiâ specificâ. Per numerum intelligit hîc Aristoteles diuersitatem, quæ facit distinctionem, seu numerum.

Primum genus fundatur in vnitate & numero.

II. Ea occasione huius diuisionis Aristotelis Relationum, operæ pretium est aduertere quid de hac re scribat S. Thomas quæst. 7. de poten. ar. 9. corp. vbi ait, *Philosophum posuisse quasdam Relationes consutas ex quantitate, quasdam ex actione, & passione*, & alia huiusmodi; vbi ita clarè ponit Relationem distinctam à fundamento & termino, vt nullus de mente ipsius relictus sit dubitandi locus. Et ad 4. in eodem a. ait, *aliqua dici similia secundùm qualitatem cansfuiter, seu quatenus vnitas in qualitate causat Relationem.* Ad secundum vero soluit argumentum illud de processu in infinitum, qui arguitur ab aduersariis sequi ex distinctione Relationis à fundamento; ait enim, *Relationes, cùm sint ipsa ratio referendi, referri seipsis, non per Relationem distinctam; quod, inquit, non competit substantiæ absolutæ.* Quid clarius?

Clarissimè docet S. Thomas Relationem distingui à Fundam. & Termino.

Secun

III. *Secundum genus Relationum fundatur in actione & passione.* Secundum genus Relationum est earum, quæ fundantur in actione & passione, vt Relatio Paternitatis fundatur in generatione, Relatio causæ & effectûs in productione: vel quæ fundatur in quasi actione, vt secundùm aliquos, Relatio Magistri ad Discipulum, Domini ad seruum &c. Multa verò sub hoc secundo genere recensentur ab Aristotele, quæ ad Transcendentalem potiùs Relationem spectant, quàm Prædicamentalem: sub hoc enim genere collocat causam præteritam, & futuram in ordine ad effectum præteritum & futurum, cùm tamen Relatio Prædicamentalis necessariò requirat terminum existentem, vt ostensum est suprà sect. decimatertiâ.

IV. *Tertium genus est mensurabilis.* Tertium Relationis genus est Relatio *mensuræ & mensurabilis*, vt Relatio scientiæ ad scibile, sensus ad sensibile &c. sensus enim, habitus, & scientiæ mensurantur quasi à suis obiectis propriis, ad illa namque sola & non alia referuntur, vnde obiectum vocatur quasi *obex actuum*, vt in Log. diximus. Hæ tamen Relationes ab aliquibus censentur solum Transcendentales.

V. *Relatio Æquiparantiæ, & Disquiparantiæ.* Relatio prædicamentalis, alia *Æquiparantiæ*, alia *Disquiparantiæ*; illa est, quando ex parte vtriusque correlatiui datur Relatio eiusdem rationis, ac denominationis, & vt ita dicam homogenea, vt Relatio similitudinis inter duos parietes albos. Relatio *Disquiparantiæ* est, quando ex parte vtriusque extremi relati resultat Relatio, & denominatio diuersæ rationis, seu heterogenea, vt Relatio Patris & Filij.

SECTIO XVIII.

Discutiuntur reliqua ad Relationis notitiam spectantia.

I. *Homines post resurrectionem habebunt Relationes Paternitatis, & Filiationis.* QVæres primò, vtrùm post Resurrectionem erunt homines Patres & Filij, sicut priùs? Resp. affirmatiuè: Deus enim intuitu prioris productionis, iterum Relationes illas reproducet: vnde sicut ob primam generationem manet per totam vitam Relatio Paternitatis & Filiationis, licèt generatio illa dudum desierit, quia scilicet entitas Filij semper conseruatur intuitu illius, ita & in reproductione, quia etiam intuitu primæ illius generationis Filius, saltem mediatè, reproducitur. Conf. Beatissima virgo nunc est proprissimè Mater Christi, non minùs quàm ante Christi mortem, vel suam, ergo idem erit in aliis matribus respectu suorum filiorum. Vtrùm autem eadem numero Relatio resultauit in B. Virgine respectu Christi, quæ erat ante mortem, vel alia, (idem est de Relationibus aliarum matrum) dubitari potest: si dicatur Deum vnà cum substantiâ simul reproducere in resurrectione omnia eadem accidentia, affirmari poterit, sin minùs, negari.

II. *Relationes disquiparantiæ non suscipiunt magis & minus.* Quæres secundò, vtrùm Relationes suscipiant magis & minùs? Non est sermo de Relationibus *Disquiparantiæ*, Patris scilicet & Filij, has enim non suscipere magis & minùs, sed consistere in indiuisibili certum est, cùm omnes Patres sub conceptu Patrum sint æqualiter Patres, & omnes Filij æqualiter Filij, licèt perfectione, dignitate, & excellentia Paternitas increata cæteras omnes infinitè superet, vtpote vnde *Omnis Paternitas in cælo & in terrâ nominatur*. 3. ad Ephes. 15. & idem est de Filiatione increatâ.

III. *Relationes æqualitatis, & similitudinis non suscipiunt magis & minus.* Loquendo itaque de Relationibus *Æquiparantiæ*, Relatio æqualitatis non suscipit magis & minùs, consistit enim in indiuisibili; hic quippe est conceptus æqualitatis inter duo, si enim vnum ab altero tantillum excedatur, non sunt æqualia. Idem est de Relatione perfectæ similitudinis; licèt enim vulgariter dicantur duo esse similia, si habeant eandem qualitatem, duo parietes ex gr. habentes albedinem; vt tamen aliqua sint perfectè similia, habere debent qualitatem, albedinem vel. cau. in eodem gradu.

IV. *Aliud est de Relat. inæqualitatis, & dissimilitudinis.* Aliud est de Relationibus inæqualitatis, & dissimilitudinis: in quantitate enim, tam *continuâ*, quàm *discretâ* potest esse maior vel minor excessus, vt magis in longitudine excedit palmum decempeda, quã vlna, & in *discretâ* magis inæquales sunt numerus binarius & centenarius, quàm binarius & denarius. Quo sensu dixit Aristoteles 4. Met. c. 4. fine, *non eodem modo errare eum, qui putat quatuor esse quinque, & qui mille.* Idem est in Relationibus dissimilitudinis, magis enim dissimile est albo aut calido vt sex nigrum & frigidum, quàm calidum solùm, aut album vt duo. Vnde Relationes inæqualitatis, & dissimilitudinis suscipiunt magis & minùs.

V. *Dari non posse vnum conceptum Relationibus omnibus Prædic. communem.* Quæres tertiò, vtrùm dari possit conceptus omnibus Relationibus Prædicamentalibus communis? In eo sita est difficultas, conceptus enim hic esse debet, quod sit id *cuius totum esse sit ad aliud*, hæc enim est definitio Relationis ab Aristotele assignata, sed non potest esse hic conceptus communis omnibus, ergo. Probatur minor, Relatiua sæpe sunt mutua, ergo omne Relatiuum non refertur ad aliud, cùm referatur ad Relatiuum, Relatiuum autem non est aliud à Relatiuo, nec Relatio aliud à Relatione.

VI. *Resp. posse dari talem conceptum.* Resp. hoc in nostrâ sententia asserente Relationem terminari ad absolutum, non habere difficultatem, etiamsi intelligatur definitio in sensu in obiectione posito; cùm enim referatur ad absolutum, refertur ad aliud, seu ad id quod non est Relatio; vnde refertur ad Relatiuum solum *materialiter*, seu ad id quod in se habet Relationem, non *formaliter*, seu vt est Relatiuum, nam vt dixi, Relatio, licèt respiciat terminum, qui in se habet Relationem, non tamen respicit ipsam Relationem, Filiationem ex. gr. sed fundamentum huius Relationis, nempe hominem genitum.

VII. *Quo sensu dicatur Relatio referri ad aliud.* Addo sensum definitionis Relationis, dum dicitur *referri ad aliud* non esse, vt referatur ad id, quod est distinctum ab omni Relatiuo, etiam formaliter seu quod non debeat referri ad Relationem, sed per *referri ad aliud* intelligitur quod referatur ad aliquid realiter à se distinctum, siue sit Relatio siue non. Quare si Relatio Paternitatis, sicut refertur ad hominem genitum, ita referretur ad Filiationem, vera adhuc esset definitio, & conceptus hic cõmunis Relationis, verè enim referretur ad aliud, cũ Filiatio sit aliud, seu quid realiter distinctum à Paternitate.

VIII. *Quomodo intelligatur non dari per se motum ad Relationem.* Quæres quartò, quo pacto intelligatur commune illud dictum Philosophorum, *Ad Relationem non dari per se motum?* Resp. vt suprà latiùs dictum est sect. 9. num. 2. sensum illius esse, non per se à natura intendi Relationem. Dum enim natura producit florem, id quod tunc intendit est flos ille productus: quod autem ad productionem huius floris resultet in alio flore Relatio similitudinis ad hunc, non intendit per se natura, sed secundariò tantùm, & quasi per accidens sequitur. Ex hoc autem axiomate manifestè sequi videtur secundùm opinionem philosophorum dari debere Relationem aliquam ab entitate Patris ex. gr. & Filij, seu ab illo complexo distinctam, alioqui daretur per se motus ad Relationem, nam ad vtramque partem illius complexi, entitatem scilicet Patris & Filij datur per se motus, ergo etiam datur per se motus ad Relationem, si Relatio nihil aliud sit, quàm hæ duæ entitates. Et hæc de Relatione sufficiant.

DISPV-

DISPUTATIO XII.

De Deo.

Primum in intentione est ultimum in exequutione.

PRimum in intentione est ultimum in exequutione: longum ergo & laboriosum illud studium, quod per totum hunc cursum Philosophicum in rerum naturalium disquisitione impendimus, eò solùm tendit, vt per riuulos ad fontem, per ramos ad radicem, per creaturarum inspectionem ad Creatoris, cuius in se singula impressa habent vestigia, notitiam duceremur. Non inscitè olim (vt norunt omnes, qui humaniores litteras norunt) non inscitè inquam finxit antiquitas, dum Amphion post Thebas per harmoniam & musicam muro cinctas, lyram in saxo reposuisset, saxum illud vocalem postea sonum, & murmur sonorum, velut quoddam nobilissimi illius operis auctoris mnemosynon, semper retinuisse. Condito hoc vniuerso, eiusque partibus mirâ quadam harmoniâ inter se coaptatis, & in vnam quasi fabricam sapientissimè dispositis, res omnes retinent vocalem sonum, quo conditoris sui, cuius, vt dixi, impressa quædam in se habent vestigia, excellentiam deprædicant. Sed quia de hoc posteà latiùs sum dicturus, hîc sufficit, præloquendo illud insinuasse.

Creaturæ omnes, quædam in se habent vestigia Creatoris.

SECTIO PRIMA.

Demonstratur dari Numen aliquod supremum, seu Deum.

I. *Insipiens rem tam nefandam eloqui nō est ausus. S. Augustinus.*

DIxit insipiens in corde suo, non est Deus, ait Propheta Regius Psalmo 13. *In corde suo* hoc *dixit*; res enim hæc nefanda adeò est, vt præ pudore eloqui eam vereretur, ideoque intra cordis sui latebras abdidit, & quibusdam quasi tenebris abscondit. *Ideò*, inquit in hunc locum S. Augustinus, *dixit in corde suo quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare.* Quod ille præ pudore effari non est ausus, id quidam hoc nostro tempore proloqui non verentur, plenoque ore nullum in Orbe Numen esse dictitât, sed casu omnia ac temerè contingere: eo nimirum consilio, vt excusso quasi, & ablegato Legislatore à legibus soluti, pecudum more se in omni vitiorum cœno volutent. Fatuum ergo hunc errorem, Deoque maximè contumeliosum variis adductis rationibus hîc refellam, *vt obstruatur os loquentium iniqua.*

Quo consilio hodie quidā negant Deū.

II. *Dari aliquē mundi Conditorem Naturæ vox est.*

Dari itaque summum aliquem rerum omnium opificem ac moderatorem, naturæ vox est, quæ tot linguis, quot in se res diuersas continet, aliquem dari earum Conditorem profitetur, imò vno cuncta ore clamant, *ipse fecit nos, & non ipsa nos.* Quid enim aliud testatur eximia illa vniuersi pulchritudo, summaque rerum omnium varietas, quàm supremum aliquod dari Principium, à quo tanquam à fonte suam illæ perfectionem, splendorem, ac venustatem deriuent? Quid diei ac noctis, hyemis & æstatis, omniumque anni temporum æquabilis vicissitudo? quid cælestium corporum structura, magnitudo, maiestas, quid solis ac lunæ inter se accessus & recessus, diuersique sphærarum ac globorum semper à se inuicem recedentium, semper statis temporibus recurrentium motus, constansque inconstantia, quæ summa etiam ingenia in sui admiratione defixa tenuit? quid, inquam, hæc indicant, nisi summum aliquem esse Moderatorem, cuius sapientiâ cuncta disponantur, imperioque ac nutu administrentur?

Ostenditur Deus ex rerum varietate, pulchritudine, & ordine.

III. *Nullus mentis compos dicere potest hæc omnia casu contingere.*

Quòd verò hæc omnia quispiam, non consilio & prudentia summi alicuius artificis, sed casu, & concursu quodam fortuito contingere forsan suspicetur, adeò ab omni ratione est alienum, vt otiosi potius alicuius cerebri commentum, parumque sanæ mentis delirium censeri debeat, quàm rationibus refelli. Si enim ne ligneam quidem sphæram, aut horologium ex pauculis rotis constans, quæ vmbra tantùm quædam sunt sphærarum cælestium, casu quis, & temerè compacta vnquam vidit, & concursu fortuito coaluisse, nec nisi summâ arte & industriâ peritissimi alicuius artificis: quid de sphæris ipsis cœlestibus, ingentique illâ mole, artificiosissimâque machina censendum? quis, inquam, mentis compos casu illam primò coaluisse, casu tantam motuum varietatem quotidie efficere arbitretur?

IV. *Sancti Patres hoc argumentum vtilissimum censuerunt dari Deum.*

Ratio hæc sanctis Ecclesiæ Patribus efficax adeò est visa, vt neminem esse existiment nisi hebetem planè ac stupidum, qui ei non cedat, vnumque summum rerum omnium opificem ac moderatorem argumenti huius vi conuictus non agnoscat. Loquens itaque S. Gregorius Nazianzenus Oratione secundâ Theolog. de cognitione Dei per creaturas: *Prorsus*, inquit, *hebetis esse hominem indicij necesse est, qui non sponte suâ, naturaliumque demonstrationum vestigia eò progreditur.* Consonat S. Augustinus, darique huiusmodi Numen, seu virtutem vniuersi creatricem ac moderatricem, certius esse autumat quàm res ipsas existere. *Faciliùs* (inquit in Confess. de cognitione Dei ex mundi opificio disserens) *faciliùs dubitarem verùm ipsemet viuam, quàm verùm viuat veritas illa æterna, cuius sempiterna virtus & Diuinitas in suis operibus dignoscitur.* Idem docet Tertullianus l. de spectaculis, cap. 2. post principium: *Nemo negat*, inquit, *quia nemo ignorat, quod vltrò natura suggerit, Deum esse vniuersitatis conditorem.* Clarissimè etiam hoc ipsum affirmat S. Basilius Orat. de Verbi Incarnatione, paulò post initium: *Si quis pietatis sectator est*, inquit, *is, quid Deus sit, curiosè non inquirat: verùm ex iis, quæ ab illo facta sunt, tam esse cogitet, illumque certò apud se statuat: siquidem ex procreatarum rerum magnitudine & pulchritudine, illarum molitor & artifex certâ quadam ratione dignoscitur & spectatur.* Idem S. Basilius Homilia 11. Hexam. cum aliis Patribus hac ipsâ de causâ Cœlum vocat *librum idiotarum*: innuens nimirum neminem tam rudem esse & imperitum, qui in Cœli magnitudine, splendore, ac varietate legere nequeat potentiam, maiestatem, & sapientiam Conditoris. In quam rem pulcherrimè scribit S. Prosper l. 2. de vocatione Gentium, cap. 4. vbi loquens de illis verbis Apostoli Actor. 14. v. 16. *Et quidem non sine testimonio semetipsum* (Deus) *reliquit*: sic habet: *Quod est hoc testimonium, quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, & voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur.*

S. Gregorius Nazianzenus.

S. Augustinus.

Tertullianus.

S. Basilius.

Cœlum liber idiotarum.

S. Prosper pulcherrimè declarat quomodo Mundus sit liber, in quo legantur excellentia Creatoris.

V.

Plura sanctorum Patrum ad hoc ipsum probandum adducere possem testimonia: nihil enim apud

ipsos

Vera causa cur athei Deum ex creaturis non cognoscant.

ipsius frequentius quàm ex rebus creatis apertè deduci existentiam Creatoris. Vnde, siquid non videant, non est quòd res hæc per se clara & manifesta non sit, sed quòd oculos vltro claudant, cogitationemque aliò auertant, quò liberiùs luxurientur, sicque pecudum ritu, velut ad pastum & voluptatem abiecti, terræque inhiantes, mente à Deo, à cœlo, aliâque quam præsenti vitâ pro viribus auocant. De quibus aptè S. Gregorius l. 2. moral. c. 15. *Cùm amore temporalium flagrent, veram lætitiam volentes ignorant; quam si studiosè cognoscere quærerent, quàm flenda sint gaudia quæ appetunt, viderent.*

VI. *Ex nationum omnium consensu ostenditur dari Deum.*

Secunda Numinis demonstratio, eaque euidens, desumitur ex nationum omnium hac in re conspiratione & consensu. Hominibus enim in omni orbis parte, iam inde à nascente mundo ita à naturâ insitum est, supremum aliquod Numen esse, cui cultus venerationesque à mortalibus deferatur, & à quo opem in rebus omnibus deposcant, vt monstri instar habitum sit si quis contra, vel leuiter quidquam insinuaret. Hinc grauissima in Atheos inflicta supplicia: apud Athenienses enim in eos qui Numen negarent, tanquam in homines perniciosos, Reique publicæ perturbatores, ac morum deprauatores capite est animaduersum: imò proscriptione punitus est Protagoras, quòd hac de re vel dubitaret; & Socrates damnatus est, quòd Numen esse negare videretur.

Pœna iis inflicta, qui Deum negabant.

VII. *Qui tot nationum, & ætatum consensioni refragaretur, parum sanæ mentis vir censeretur.*

Cùm ergo in hoc nationes omnes & ætates conspirent, vt ex erectis vbique gentium altaribus, certisque ad cultum Deo peculiariter exhibendum designatis hominibus constat, amens certè iure censendus esset, qui de hac re dubitaret, nationumque omnium consensioni refragaretur. Si enim qui post tot eorum testimonia qui Romam se aut Constantinopolim vidisse dixerunt, an tamen Roma aut Constantinopolis sit, in dubium vocaret, parum sanæ mentis ab omnibus censeretur, nec tam esset refellendus argumentis, quàm sibilis excipiendus: quid de illo existimandum, qui iudicio orbis, & sapientissimis nationum omnium & ætatum viris, in re præsertim tanti momenti, se opponeret? exterminandus sine dubio esset ex cœtu & conuictu hominum, stultitiæque peruicaciæ deberet meritas pœnas dare.

VIII. *Insitum omnibus est à naturâ Deum esse.*

Accedit, quòd communis hæc persuasio, Numen scilicet aliquod esse, vniuersi huius conditorem ac moderatorem, ab ipsâ naturâ humanæ menti innatũ sit, & insitum: natura, autem rationalis vt nihil rectæ vitæ, morumque institutioni contrarium, aut ad voluntatis deprauationem suggerit, ita nec intellectui falsum inserit, neque illum in errorem suâ quasi sponte & inclinatione propellit: sic enim ratio rationi esset contraria, seque ipsa destrueret.

IX. *Impium hoc Atheorum dogma homines in belluas transmutat.*

Tertia huius rei probatio inde sumitur, quòd nefandum hoc Atheorum dogma omni scelerum generi viam referet, hominesque fœdâ quâdam metamorphosi in belluas transmutet. Cuius enim animam hæc semel persuasio inuasit, nullum scilicet Numen esse, omni statim vitiorum generi se vltrò tradet, voluptatemque sibi scopum præfigens, tum demum beatum se existimabit, cùm sordidissimis etiam voluptatibus affluit, quoque est sceleratior, eò sibi videbitur felicior.

X. *Dei notitia duobus modis homines à vitiis deterret.*

Vt verò huius rationis efficacia clariùs cernatur: Notandum, Dei notitiam duobus modis homines à peccatis deterrere: primò, in quantum Deus operationum omnium est inspector, cunctaq; quantumuis abdita, conspectui illius sunt peruia: secundò, quatenus est remunerator, à quo scilicet præmia pro rectè factis, pœnam pro peccatis expectant.

XI. Quoad primum: quotidianâ compertum est experientiâ, nihil homines magis à peccando auocare, quàm si persuasum habeant nihil adeò occultè fieri quod aliis non innotescat. *Magna pars peccatorum tollitur*, inquit Romanus Philosophus Epist. 11. *si peccaturis testis assistat.* Cùm ergo nihil tam secretum sit & latens, quod vigilem Dei oculum, infinitamque eius perspicaciam fugere possit, magni ad honestè viuendum interest, & vt hoc omnium animis infixum sit, esse scilicet Numen aliquod quod occultissima quæque scrutari possit, & intima etiam cogitationes dignoscere. Hoc naturali lumine assequutus est idem Seneca Epist. 83. *Sic certè viuendum est*, inquit, *tanquam in conspectu viuamus: Sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit.* Hoc autem frœno excusso, omnes illicò summam sibi peccandi licentiam libertatemque assument, & in omne vitiorum genus quisque pro libidine se præcipitabit.

Opinio, quòd nihil sine teste possit fieri, multa peccata impedit.

Sic viuendum est, tanquam in conspectu vivamus.

XII. *Si nullum Numen sit, homines in omnia scelerum genera prolabentur.*

Hoc verò multò magis sequitur ex secundo: si enim nullum Numen sit, à quo vel præmium homines, vel pœnam expectent, nullum scelus est, quod liberrimè non patrabunt, seque totos in turpitudinum cœno voluabunt, bestiarum similiores quàm hominum. Cùm ergo hic sit Atheismi fructus, vel hinc apertè constat quàm impium sit illud principium, quod Numine ablegato, rapinis, furtis, sacrilegiis, omnique impietatis generi viam impunè aperit, humanumque conuictum & societatem penitùs euertit.

XIII. *Ex miraculis, supra naturam factis probatur existentia Numinis.*

Tandem, vt alia omittam, quæ passim videri apud auctores possunt, dari aliquod Numen euidenter probant plurima & manifestissima miracula, quæ nullâ vi naturali patrari poterant, ac proinde in virtutem aliquam supra totam naturam refundi debẽt. Facta autem esse huiusmodi prodigia, euidenter cõstat testimonio plurimorum, & vitæ integritate & sapientiâ, ac doctrinâ excellentium, ita vt quisquis ea in dubium vocauerit, dubitare pariter possit de re quauis nobis ab antiquis Historicis traditâ. Accedunt pœnæ blasphemis & periuris sæpissimè, pluribus etiam suspectantibus inflictæ: nullumque ferè peccatum est quod manifestiore Deus supplicio & vindictâ in hoc mundo puniuerit quàm hæc duo, vtpote ei imprimis iniuriosa, summoque eius Numini directè opposita.

Blasphemia & periuria crebriùs hîc à Deo punita.

XIV. Hactenus moralibus argumentis Primæ Causæ existentiam declarauimus, quæ mihi videntur id euidenter conuincere: nunc breuiter rationem Metaphysicam, quæ non minùs ad id mihi efficax videtur, adiungam.

XV. *Ratio Metaphysica ad probandum Deum existere.*

Et imprimis suppono, nihil posse seipsum primò producere, quod præterquam quòd sit lumine naturæ notum, communi omnium consensu admittitur, indeque ortum habuit axioma illud, quod apud omnes semper oraculi instar est habitum, *Quidquid fit, ab alio fit.* Ratio autem est euidens: quidquid enim operatur, debet pro illo priori habere vim sufficientem operandi & consequenter esse, esse enim semper est aliquo modo prius quàm operari.

Quidquid fit, ab alio fit.

XVI. *In rebus existentibus dari debet prima causa à quâ res aliæ dependeant.*

Cùm ergo nihil, vel primò producere, vel conseruare possit seipsum, inquiro. Petrus à quo iam, seu hoc instante conseruetur? si dicas, à cœlo, inquiro vlteriùs, cœlum à quo conseruetur? Abire hîc non possumus in infinitum, cùm sit determinatus numerus rerum iam existentium, ergo ad aliquid tandem deueniendum, quod reliqua omnia conseruet, & ab aliis non conseruetur; hoc autem necessariò debet esse *Ens à se*, & superioris ordinis ad res omnes creatas, & consequenter Deus.

XVII. Hoc argumentum mihi efficacius videtur illo, quod proponi solet de primâ rei cuiusque productione: hoc enim eludi vtcunque solet dicendo, fuisse successionem causarum iam inde ab æterno, quarum

Hoc argumentum eo magis vrget, quòd vatet tenebras infinitas.

rum vna alteram propagatione continuatâ ad hoc vsque tempus produxit, nullamque inter eas fuisse primam: cumque solutio hæc abdat se intra tenebras infinitum, non tam clarè refellitur. Hic verò, cùm res, quæ simul existunt, non sint nisi finitæ, solutio illa locum habere non potest.

XVII. *S. Thomas quinque optimas rationes affert ad demonstrandum dari Deum.*

Hæc mihi sufficere videntur ad euidenter ostendendum, dari summum aliquod Numen, à quo hoc vniuersum creatum sit, & etiamnum conseruetur, ac gubernetur. Qui plura hac de re cupit, legat S. Thomam 1.p.qu.2.art.3. vbi quinque optimas rationes ad hoc probandum affert. Latè etiam hanc quæstionem disputat Suarez d.29. Metaph. sec.2. Tannerus 1.p.d.2.quæst.1.d.4. Lessius in eruditissimo opere de Prouidentiâ Numinis, Vbi rem hanc fusissimè & doctissimè declarat.

SECTIO II.

Quid sit Deus.

I. *Perfectiones Diuinæ admirandæ, non curiosius requirendæ.*

CVm sectione præcedente Deum esse ostenderimus, hic in illius naturâ & perfectionibus indagandis vires omnes & conatus essent adhibendi, nisi materiæ maiestas, & celsitudo obstaret, quam cum capere nullus possit, admirari satius est quàm curiosiùs indagare: nam, vt ait sapiens Prou. 25. v. 27. *qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloriâ*, vtpote quam nullus intellectus concipere, nulla lingua exprimere, nec citra errandi periculum de eâ loqui potest. In quam rem non insulsè quidam, *vel vera de Deo dicere periculosum est.*

II. *Quo quis scrutando altiùs se in perfectiones Dei immergit, eo magis latent.*

Ex Simonide non infimæ notæ Philosopho dum aliquando quæreretur quid esset Deus, alium & alium semper diem poposcit, nec vnquam suam hac in parte sententiam aperire voluit, addens, quo se altiùs in rem hanc immergeret, eo eam magis latere, seque ab indagantis oculo subducere. Idem nobis in præsenti, qui Philosophicis terminis circumscribimur, non immeritò prætandum: qui enim ad manifestissima etiam naturæ cæcutimus, quæque oculis subiiciuntur, euoluere non possumus, quid dum in illo mentis oculos defigimus, *qui lucem habitat inaccessibilem*, & ad cuius disquisitionem non minùs naturalis ratio caligat, quàm noctua ad solem? in cuius proinde considerationem si se audaciùs ingerat, vera falsis, dignis indigna miscebit.

Lege vlim cautum ne quis quæreret quid esset Deus.

Ciconia cur ab antiquis consecrata.

Huc fortassis alludebant olim antiqui, apud quos, vt meminit Plato, lege cautum erat, nequis inquireret *quid esset Deus.* Qua etiam de causâ ciconiam dicebant auem esse Deo sacram, Deoque eam in sacrificio offerebant, quòd eam linguâ carere crederent. Quæ etiam sacra tanto omnium silentio peragebantur, vt verbum nullum audiretur, designantque astabant qui labium indice comprimentes, altum omnibus silentium indicerent. Dei nimirum excellentias admirandas potiùs & sacro quodam silentio obtegendas, ac taciturnitatis sigillo perpetuo obsignandas innuentes, quàm importunâ loquacitate effutiendum illud, quod nullis, quantumuis eruditis verbis explicari pro dignitate queat. Quo tamen silentio, & muto sacrificio magis præstantiam Dei & excellentias prædicabant, quàm si sacra eidem maximè vocalia instituissent. Quid enim aliud hoc facto profitebantur, quàm Deum solem esse quem nullius mortalis contueri infirma acies queat: Abyssum, quam quantumcunque haurias, nunquam tamen exhaurias: Labyrinthum, in quo omnis sese perdat oratio: esse demum abditum quiddam, & reconditum quod cùm esse omnes norint, quid tamen sit, declarare humani omnis ingenii vim excedat.

sibatur omnis Deo sacra.

Antiqui silentio sacrificio Dei excellentias prædicabant

III. *Quædam Dei perfectiones, vel ipsâ naturâ duce indagari possunt.*

Etsi verò summi huius Numinis præstantiæ nec intellectus creatus, nec oratio reperiri par vlla possit, nonnullas tamen eius proprietates. Quantum fas est Philosopho, nostrique hic instituti ratio postulat, vel ipsâ naturâ duce inuestigabimus, eas nimirum, quarum, in rebus quas oculis subiectas habemus, vestigia quædam & scintillas cernimus. Exacta enim huius rei discussio spectat ad primam partem, vbi eam latè tractaui, d.2.3.& 4.

IV. *Quarundam Dei perfectionum breuis enarratio.*

Est ergo Deus Ens quoddam infinitum, immensum, æternum, spatia omnia ac tempora præsentiâ suâ ambiens & complectens, cuius scientiam nihil fugit: summè potens, simplex, immortalis, cuncta nutu suo ac prouidentiâ conseruans ac regens, ab iis tamen ita independens, vt licèt perirent vniuersa & in nihilum relaberentur, maneret tamen Deus, inuariatusque in suo esse persisteret, summè felix, se ac suis perfectionibus perpetuò fruens, cui sicut nihil ex rerum creatarum consortio accrescit commodi, ita nihil ex earum interitu decresceret. *Deus*, inquit S. Augustinus, *totus oculus est quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia vbique est.*

Deus, totus oculus est, totus manus, totus pes.

V. Si verò vlteriùs curiosè inquirat quispiam, in quo situs sit primus Dei conceptus seu essentia, vt aiunt, is Philosophicos limites egreditur: hæc enim quæstio scientiarum omnium principis Theologiæ est propria.

VI. Nobis interim faciendum, quod in simili fecisse fertur Aristoteles; qui cùm maris vastitatem, crebrosque Euripi fluxus & refluxus complecti mente non posset, se, vt fama est, in mare deiiciens, *quia*, inquit, *ego te non capio, tu me recipe.* Cùm itaque immensum hunc Diuinitatis Oceanum capere, & intra se continere nullus possit, in eum se proiiciens, exclamet cum Aristotele, *quia ego te non capio, tu me recipe.* Tu ergo me, hosque qualescunque conatus ac labores in rerum naturalium expositione impensos recipe, vtque tuâ ope suscepti sunt ac perfecti, ita in tuum fac honorem cedant.

Omnia ad Deum referenda.

F I N I S.

RERVM PRÆCIPVARVM
QVÆ IN CVRSV HOC
PHILOSOPHICO
CONTINENTVR
INDEX COPIOSISSIMVS.

I Introductionem denotat, L Logicam, P Physicam, C Libros de cælo, G, de Generatione, A de Anima M Metaphysicam.

Dua

ACTVS.

ADAM.

ÆQVALITAS, & ÆQVALE.

ÆQVIVOCA.

AER.

ÆTERNITAS.

ÆVVM.

AGENS.

AGGENERATIO.

ALIENATIO.

ALTERATIO.

AMOR.

AMPLIATIO.

ANALOGA.

Analogia

ANGELVS.

ANIMA.

ANIMAL.

ANIMASTICA.

ANNIHILATIO.

Quom-

CALOR.

CANDELA.

CANIS.

CAPILLVS.

CARO.

CARTESIVS. Vide Renatus des Cartes.

CASVS.

Vide Fortuna.

CATEGORIA.

CAVSA.

Causa

COELVM EMPYREVM.

COGNITIO.

COGNOSCIBILITAS.

COLOR.

COMPLEXIO.

COMPOSITVM & COMPOSITIO.

COMPREHENSIO.

CONCEPTVS.

CONCLVSIO.

Nullum

CONCVRSVS vide Dei Concursus.

CONDENSATIO.

CONDITIO, CONDITIONALE.

CONSERVARE.

CONSTANTIA.

CONSVETVDO.

CONTINVVM.

CONTRADICTIO.

CONTRARIA.

CONVERSIO.

COR.

CORPVS. CORPOREVM.

CORPVS SIMPLEX.

CORRVPTIO.

CREATIO.

CREATVRA.

CVRVITAS.

D.

DEFINITIO.

DEMONSTRATIO.

DENOMINATIO.

DENS.

DENSVM.

DEPENDENTIA.

DESIDERIVM.

DESTRVI.

DETERMINATIO.

DEVS.

DEI CONCVRSVS.

DIALECTICA.

DIFFERENTIA.

Differentia

DOLOR.

DOMINIVM.

DVRANDVS.

DVRATIO.

E.

ECCLESIA.

ECHO.

ECLIPSIS.

EFFECTVS.

ELECTIO.

ELEMENTVM.

EMANATIO.

ENS.

Ens

ENS RATIONIS.

ENSIS.

ESSENTIA.

EVCHARISTIA.

EVIDENTIA.

EXEMPLAR.

EXISTENTIA.

EXPERIENTIA.

EXTENSIO.

F.

FACVLTAS.

FALSITAS vide VERITAS

FATVM.

FIDES.

FIERI.

FIGVRA.

FILIVS.

FINIS.

FOENVM.

FORMA.

Ignis

IMMORTALITAS.

IMPENETRABILITAS.

IMPVLSVS.

INANIMATA.

INCEPTIO ET DESITIO.

INDIVIDVVM.

INDIVISIBILITAS

INFINITVM.

INSANIA.

INSECTVM.

INSTANS.

INTELLECTIO.

Intellectio

Dogma-

Tres

LVX.

M.

MAGNES.

MAGNITVDO.

MAIOR ET MINOR.

MALVM.

S. MARIA.

MATER.

MATERIA.

Materia

NEGATIVA.

NERVVS.

NIX.

NOMEN.

NON.

NVMERI ARITHMETICI.

NVTRITIO.

O.

OBIECTVM.

OBIECTVM ATTRIBVTIONIS.

OCVLVS.

ODOR.

OKAM.

OLEVM.

OLFACTVS.

OMISSIO.

OMNIPOTENTIA.

OPERARI.

OPINIO.

OPPOSITA.

ORATIO.

ORDO TRANSCENDENTALIS.

ORIGENES.

OS.

P.

PARS.

PARTICVLARE.

PARVITAS.

PASSIO.

S. PAVLVS.

PECCATVM.

Deus

POTENTIA.

POTENTIA OBEDIENTIALIS.

PRAXIS.

PRÆCISIONES.

PRÆDICARI & PRÆDICATVM.

PRÆDICABILE.

PRÆDI-

PRÆDICAMENTVM.

PRÆFINITIO.

PRÆMISSÆ.

PRÆSENTIA. vide VBICATIO.

PRÆTERNATVRALE,

PRINCIPIVM.

PRIORITAS.

PRIVATIO.

PROBABILE.

PRODVCERE.

PROPORTIO.

PROPOSITIO.

PROPRIETAS.

PROPRIVM.

PRVDENTIA.

PVER.

PVGNA.

PVNCTVM.

Q.

QVALITAS.

Quali-

QVANTITAS.

QVIES.

R.

RAREFACTIO.

REACTIO.

RECTITVDO.

REFLEXIO.

RELATIO.

RENATVS DES-CARTES.

REPRODVCTIO.

RES.

RESILIENTIA.

RESISTENTIA.

RESOLVTIO.

RESVRRECTIO.

RISVS.

ROSA.

S.

SANGVIS.

SANITAS.

SCIENTIA.

SCIENTIA PRACTICA, & SPECVLATIVA.

SCIENTIA DIVINA.

SCIRE.

SCOTVS.

SCRIPTVRA.

SENEX.

SENSVS.

SERMO.

SICCITAS.

SIGNVM, & SIGNIFICARE.

vide LOQVI: &. VOX.

SIMILITVDO.

SIMVL.

SINGVLARE.

SITVS.

SOL.

SONVS.

SPATIVM IMAGINARIVM.

SPECIES.

Tota

SPECIES EXPRESSA.

SPECIES IMPRESSA.

SPECIES IMPRESSA DEI.

SPECVLVM.

SPHÆRA.

SPIRITVS : SPIRITVALE.

SQVAMA.

STELLÆ.

STVPA.

SVBIECTVM.

TRANSCENDENS.

TRANSIRE.

TRANSVBSTANTIATIO.

V.

VACVVM.

VAS.

VBICATIO.

VELVM.

VERBVM.

VERBVM MENTIS.

VERBVM DIVINVM.

VERITAS.

Quo

VNIVOCA.

VNVM, & VNITAS.

VOLVNTARIVM.

VOLVNTAS.

VOX.

vide LOQVI & SIGNIFICARE

ZENO.



AXIOMA-

AXIOMATVM
ET SENTENTIARVM,
QVÆ IN HOC OPERE
EXPLICANTVR,
AVT APPLICANTVR,
SERIES ALPHABETICA.

Ex

FINIS.





